BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 R
20

14-2. K 4

B 11 e 13

COMMENTARIA

PETRI MARTAE CASTROFRANCANI TARVISINÆ

PHILOSOPHI, ET IVRECONSVLTI
in Logicam Ariſtotelis ad vſum Iuriſciuilis accommodata,

In quatuor Tractatus diſtincta.

Primus Tractatus continet de Prædicabilibus Capita Sex.
Secundus Tractatus continet de Prędicamentis Capita quindecim.
Tertius Tractatus continet de Interpretatione Capita vndecim.
Quartus Tractatus continet de Priori reſolutione Capita ſeptuaginta

In quibus vniuerſa ſyllogizandi forma tum ad Philoſophorum, tum ad Iuriſperitorum commodum traditur, & docetur

Cum Indice rerum, & capitulorum locupletiſſimo.

AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
Dominum Antonium Priolum Equitem, & Diui Marci Procuratorem.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

VENETIIS, MDCXIII.

Apud Iacobum Vincentium.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO ANTONIO PRIOLO

Equeſtris ordinis viro, Patritio Veneto, Diui Marci Procuratori, Reiquepublicæ firmamento.

CVm vſque ab ineunte ætate cognouerim (Antoni Illuſtriſſime) hominem cætera animantia ſuperare, ex quo mentem & ſenſum ſuum oratione aperire valet: vnum verò hominem alteri præferri, quatenus alter magis ratione, & conſilio vtitur, manifeſteque perſpexerim non parum quidem naturam, plurimum verò artem conferre pro recto diſcurſu, & ratiocinatione, ſiue bonum à malo, ſiue verum à falſo diſcernere voluerimus, omnem operam meam præſtiti pro adipiſcendo aliquo per naturam nobis tributo, per artem autem adinuento, & perfecto (qualis eſt logica facultas) cuius medio, & verum cognoſcere, & bonum eligere poſſem; homo nanque ratione viuens omnem ſuam actionem ad finem aliquem dirigere videtur; qui finis ſi eſt operatio boni, eſt fælicitas actiua; ſi eſt ſpeculatio veri, eſt fælicitas contemplatiua: hanc docet inſpectrix, ſeu ſpeculatiua Philoſophia illam ciuilis, ſeu moralis. Fælicitatem itaque ſummopere appetens prius neceſſarium duxi logicam facultatem intelligere, hac adiutus ſpeculatiuæ Philoſophiæ ſtudijs incubui, hac munitus eadem morali, ciuilique ſcientiæ operam nauaui, quinimo Rhetoricam, Poeticam, Hiſtoricam, reliquaſque artes omnes percurri, in quibus quantum profecerim iudicent alij, hoc mihi licet dicere de illis cunctis, ciuilique Iuriſperitorum ſcientia, propterea aliquid intellexiſſe, quoniam Logicam calluerim. Verùm quia mihi notum erat quamplurimos, & quidem probatos viros Logicam contemnere, eamque inutilem, & à ſcientia iuris penitus alienam arbitrari, propoſui, & hunc errorem pro viribus tollere, & ſtudioſis Iuris adoleſcentibus plurimum iuuare, oſtendendo vniuerſam Logicam in corpore Iuris inſertam, vtque præcognitam reperiri. Quapropter hæc mea Commentaria ad iuris ſcientiam accommodata inter conſulendum, & patro-

AD EXCELLENTISSIMVM

D. PETRVM MARTAM

Iuris vtriusque, & Philoſophiæ Doctorem celeberrimum

Alexander Nouellus Caſtrofrancanus.

Ergo argumentis Logicam Ciuilis ad vſum
Iuris adaptari, Vir celebrande probas?
Doctrina, exemplis, titulis, longoq; labore,
Ergo modo hoc facili tu ſtudioſe doces?
Egregium ſane, ingenioſum, opus vtile, dignum
Quod iam iam in lucem prodeat orbe nouum:
Sed PETRE tu MARTA ô generis decus alme vetuſti,
Tu Patriæ ſplendor, gloria prima tui,
Tu Sophus, & Doctor, tu Iure peritus vtroque,
Tu Auctor, dum viuis, perfice, trade Librum.
Hoc magis atque magis grandes augebit honores,
Immortale tibi nomen in Orbe feret:
Grata, memorq; etiam tua CASTRI Patria FRANCI
Hæc monumenta tui proteget, atque colet.

PETRI MARTAE
PHILOSOPHIAE, ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
Præfatio ad ſtudioſam Iuuentutem.

DISciplinæ principales ut diſtincte, & exacte, & ſine errore adiſcantur, egent inſtrumento cognoſcendi per diſciplinam aliquam elaborato. Diſciplinę autem organicæ verſantur in rectè conſtruendo aliquo per naturam pro formãdis, & pateſaciendis diſciplinis nobis tributo. Pro quo munere obeundo duo per naturam nobis competunt, interna ratiocinatio, & externa oratio, in quibus recte formandis diſciplinæ organicæ verſantur, in recte formanda oratione verſatur Grammatica, in recte formanda ratiocinatione verſatur Logica. Grãmaticam omniũ ſcientiarum fontem vberrimum exiſtere conſentiunt omnes, pariter Logicam vtilem, ac neceſſariam eſſe toti Philoſophiæ. Sunt tamen quamplurimi, & præcipue Iuriſconſultorum vti faber in Proœmio Inſtit. num. 1. & alij, qui Logicam Iuriſconſulto nihil conferre conſtanter aſſeuerent; quamuis reuera, eam Iuriſperito maxime vtilem, & neceſſariam eſſe, quilibet, qui Ius ciuile, & Logicam facultatem calleat, facile noſcat, cum nil aliud ſit ciuilis ſcientia niſi moralis Philoſophia: tum etiam quoniam Logica non minus legibus declarandis quàm Philoſophiæ ſtudijs inſeruire videatur. Siquidem nihil eſt in legibus cuius ratio reddi non debeat, cur ita potius quàm aliter deciſum fuerit, quodq; definitione cognoſci, ac diuiſione diſtingui non oporteat. At demonſtrandi, definiendi, & diuidendi præcepta tradit Logica facultas. Hinc duo præcipua Iurisprudentiæ lumina Bart. & Bal. varijs in locis. huiuſcemodi facultatis, & diſciplinæ peritos ſe eſſe profitentur, quinimo in Inſt & Pandect. libris atque in toto corpore iuris, Iuriſconſulti, & Gloſſatores frequentiſſime terminis in Logica declaratis vſi ſunt, adeo vt impoſſibile ſit ſine aliquali horum terminorum cognitione doctrinam in illis libris traditam recte cognoſcere. Quapropter cum viderem pleroſque diminuta commentaria in Logica ſcripſiſſe, nulla habita conſideratione ad ſcientiam ciuilem, aliquos autem ita obſcure terminos Logicos legali ſcientiæ inſeruiſſe ſine eorum terminorũ declaratione,

ita vt minime fieri poſſet ſtudioſam iuuentùtem ex eorum ſcriptis vtilitatem aliquam ſuſcipere. Hæc mea Commentaria, in quibus, vt arbitror, ea maiori, qua poteſt facilitate terminos Logicos explicaui, & eos ad vſum Iuris ciuilis accommodaui, in gratiam veſtram, latiſſimi iuuenes, in lucem edere ſtatui, vt inde & ſententiam illorum, qui Logicam Iuriſconſulto minime vtilem eſſe teſtantur, mendacio conuincere poſſitis, & infinita commoda, quæ Logica facultas Iuriſprudentiæ afferre valet, manifeſte perſpiciatis. Quamobrem adoleſcentes præclariſſimi, hanc primam Logicæ partem ad iuris ſcientiam applicatam, hilari fronte ſuſcipite, atque omnem operam veſtram ad hoc vt ipſam intelligatis, eidem ſedulo accommodate, vt reliquam Logicæ partem, quam (fauente diuino numine) quamprimum vobis tradam, percipere valeatis. Valete fæliciter.

Dat. Caſt. Franci:

INDEX

INDEX
PRIMI TRACTATVS.

DE intentione Porphyrij in hoc libello. pag. 1. col. 1. lit. C
De multiplicitate vniuerſalis. p. 1. c. 2 B
Quomodo accipiatur vniuerſale in hoc libello. p. 2. c. 1. C
De multiplicitate prædicabilis. p. 2. c. 1. E
Quomodo accipiatur prædicabile in hoc libello p. 2. c. 1. E
De vtilitate libelli Porphyrij. ibid.
De Auctore libelli prædicabilium. p. 2. c. 1. F
De inſcriptione libelli. p. 2. c. 2. E
De via Doctrinæ. p. 2. c. 2. F
De ordine libelli Porphyrij. p. 3. c 1. B
De vita Porphyrij. p. 3. c. 1. C

Prooemium libri Porphyrij. pag. 3. col. 2. B

QVotuplex ſit neceſſarium, & quid per neceſſarium intelligat Porphyrius. p. 3. c. 2. D
Quomodo Prædicabilia ſint neceſſaria ad doctrinam prædicamentorum. p. 5. c. 1. A
Quomodo Prædicabilia ſint neceßaria ad definitionem. p. 5. c. 1. B
Quomodo prædicabilia ſint neceßaria ad diuiſionem. p. 5. c. 1. D
Quomodo prædicabilia ſint neceſſaria ad demonſtrationem. p. 5. c. 1. E
Cur Porphyrius nullam fecit mentionem de Methodo reſolutiua. p. 5. c. 1. F
Quot modis fiat compoſitio. p. 5. c. 2. C
Quot modis fiat reſolutio. p. 5. c. 2. E
De methodo diuiſiua. p. 6. c. 1. B
De methodo definitiua. p. 6. c. 1. F
De methodo demonſtratiua. p 6. c. 2. B
De methodo reſolutiua. p 6. c. 2. D
De multiplicitatē ordinis. p. 6. c. 2. E
De modo conſiderādi quinque vniuerſalia. p. 7. c. 2 F

Prooemium pro Iuris Studioſis. p. 8. c. 2. A

DE vtilitate Prædicabilium pro Iuris Studioſis. p. 8, c. 2. B

Caput de Genere. p. 8. col. 2. E

QVotuplex ſit ordo. p. 9. c. 1 A
Cur cum Generis multiplicitate ſolum ſpeciei meminit Porphyrius. p. 10 c. 2. B
Dubitatio de Generis multiplicitate. p. 10. c. 2. E
De requiſitis ad primam Generis ſignificationem. p. 11. c. 2. A
De multiplicitate relationis. p 12. c. 1. A
De ſecunda generis ſignificatione. p. 12. c. 1. F
De multiplicitate cauſæ, & principij. p. 12. c. 2. E
An mater ſit principium generationis. p. 13. c. 2. F
An patria ſit principium generationis quemadmodum pater. p. 15. c. 1. C
De genere logico. p. 16. c. 1. A
De deſcriptione generis logici. p. 17. c. 1. B
De multiplicitate accidentium. p. 17. c 2. D
De diuiſione prædicabilium p. 17 in fine p. 18. in principio.
De multiplicitate identitatis, & diuerſitatis p. 19. c. 1. B
Nonnullæ dubitationes circa textum. p. 20. c. 2. C
Nonnullæ dubitationes circa ordinem. p. 22. c. 1. B

Cap. de Genere pro Iuris Studioſis. p. 23. c. 2. D

DE prima, & ſecunda Generis ſignificatione in iu. ciu. p. 23. c. 2. D
De genere logico in iure ciuili. p. 24 c. 1. C
Quod genus in iu. ciu. capitur quandoque pro ſpecie, ita vt ſpecies genus appelletur. p. 24. c. 2 B

Caput de Specie. p. 24. c. 2. D

CVr Porphyrius poſt genus agat de ſpecie. p. 24. c. 2. D
De prima ſpeciei ſignificatione. p. 25. c. 1. B
De multiplicitate formæ. p. 25 c. 1. C
Cur cum ſpecies habeat plures ſignificationes de vna tantum cum ſpecie logica mentionem fecit Porphyrius. p. 25 c. 1. F
De prima ſpeciei logicæ deſcriptione. p 25. c. 2 B
Cur in deſcriptione generis ponatur ſpecies & è conuerſo. p. 26 c. 1 F
Quę differentia ſit inter primam, & ſecundam ſpeciei logicæ deſcriptionem. p. 26. c. 2. C
De tertia ſpeciei logicæ deſcriptione. p. 27. c. 1. A

Qua

Quæ nam ſpecies definiatur, in prima, ſecunda, & tertia deſcriptione. p.27.c.1.E
Quid ſit genus generaliſſimum. p.27.c.2.E
Quid ſit ſpecies ſpecialiſſima. ibid.
Quid genus ſubalternum, quid ſpecies ſubalterna, ibi.
De numero prædicamentorum. p.30.c.2.D
Quod ſpecies ſint numero finitæ. ibid.
Quod indiuidua ſint infinita. ibid.
Nonnullæ dubitationes circa textum. p.31.c.2.D
An genus, & ſpecies ſint correlatiua. ibid.
An ens ſit æquiuocum genus. p.33.c.2.C
De numero indiuiduorum. p.33.c.2.E
An genus ſit magis collectiuum in vnam naturam, quàm ſpecies. p.34.c.2.D
An ſingulare ſit diuiſiuum. p.35.c.1.A
Cur ſingularia appellentur indiuidua. p.36.c.2.E
An indiuidua prædicentur de vno. p.37.c.2.E
An verum ſit quod indiuiduum non poſſit diuidi in partes ſimiles, neque diſſimiles. p.39.c.1.E

Caput de Specie pro Iuris Studioſis. p.40.c.1.D

De genere generaliſſimo in iu.ciu. p.40.c.1.D
De ſpecie ſpecialiſſima in iu.ciu. p.40.c.1.E
De genere ſubalterno, & ſpecie ſubalterna in iu.ciu. p.40.c.2.D
Quæ ſit prædicatio naturalis, quæue impropria in iu.ciu. p.41.c.1.B
An in iure ſpecies ſub genere reponatur. p.41.c.2.A
De indiuiduo in iu.ciu. p.41.c.1.F

Caput de Differentia. p.41.c.2.E

Cur Porphyrius agat in tertio loco de differentia. p.41.c.2.F
Quotuplex ſit differentia. p.43.c.1.C
Quid ſit differentia communis. p.43.c.1.D
Quid ſit differentia proprie dicta. p.44.c.1.A
Quid ſit differentia propriiſſima. p.44.c.1.F
Nonnullæ dubitationes circa textum. p.44.c.2.D
De diuerſitate differentiæ. p.45.c.1.B
De vſu differentiæ. p.45.c.2.B
An differentiæ per ſe ſuſcipiant magis & minus. p.46.c.2.B
De prima deſcriptione differẽtię ſpecificę. p.48.c.2.E
An differentiæ ſpecificæ reperiantur actu, vel potentia in genere. p.49.c.1.B
Quomodo verificetur propoſitio, ex nihilo nihil fieri. p.49.c.2.C
De ſecunda deſcriptione differentiæ. p.50.c.2.D
Dubitatio circa ſecundam deſcriptionem differentiæ. p.51.c.2.F
De tertia deſcriptione differentiæ. p.52.c.2.E
De quarta deſcriptione differentiæ. p.53.c.1.A
De quinta, & vltima deſcriptione differentiæ. p.53.c.1.E

Caput de Differentia pro Iuris Studioſis. p.53.c.2.D

De Differentia ſpecifica in iu.ciu. p.54.c.1.E
Quomodo verificentur deſcriptiones differentię ſpecificæ in corpore iuris. p.54.c.2.A

Caput de Proprio. p.54.c.2.E

Cur quarto loco Porphyrius agat de proprio. p.54.c.2.E
Quotuplex ſit Proprium, & quid. p.55.c.1.D
An Proprium præcedat Accidens. p.55.c.2.E
An Porphyrius enumerauerit omnes Proprij ſignificationes. p.55.c.2.F
An deſcriptio Proprij quarto modo ſumpti ſit recte tradita. p.56.c.2.B
An Propriũ, & Accidẽs diſtinguantur. p.56.c.2.C

Cap. de Proprio pro Iuris Studioſis. p.56.c.2.E

De primo Proprij ſignificato in iu. ciu. p.57.c.1.B
De ſecundo Proprij ſignificato in iu.ciu. p.57.c.1.D
De tertio Proprij ſignificato in iu.ciu. p.57.c.1.E
De quarto Proprij ſignificato in iu.ciu. p.57.c.1.F

Caput de Accidente. p.57.c.2.C

De prima Accidentis deſcriptione. p.57.c.2.F
De diuiſione Accidentis. p.58.c.1.E
De ſecunda Accidentis deſcriptione. p.58.c.2.A
De tertia Accidentis deſcriptione. p.58.c.2.B
Dubitatio contra tertiam deſcriptionem Accidentis. p.58.c.2.F
Dubitatio contra primam, & ſecũdam deſcriptionem Accidentis. p.59.c.1.E
An accidens ſemper in ſubiecto ſubſiſtat. p.59.c.2.E
An Accidens poſſit adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. p.59.c.2.F

Cap. de Accidente pro Iuris Studioſis, p.60.c.2.B

De Accidente ſeparabili in iu.ciu. p.60.c.2.C
De Accidente inſeparabili in corpore iuris. ibi.

F I N I S.

Errata ſic corrigantur. Primus numerus indicat paginam, Secundus columnam, Tertius lineam.

Pag.1.col.1.linea 6.intelligibiles.lege intelligibilis.2.2.1.Iſagogi.lege Iſagoge.5.1.27.Cryſaorij.l.Chryſaorij.(& ita vbi inuenies nomen chryſaorij) ſine h.leges cum h.3.11.50.declaratur.l.declarat.6.2.54.cognoſcetur.l.cognoſcuntur.7.1.42.introductione.l.introductionis.7.2.27.accidentale.l.accidente.7.2.36.diſcipuli.l diſcipulum.7.1.45.habere.l.habetur.7.2.50.conſideratur.l.conſiderantur.8.1.20.reſoluitur.l.reſoluit.8.1.15.notitiã.l.notitia.8.2.24.connectatur.l.connectantur.8.1.25.conſequatur.l.conſequantur.8.1.22.quod.l.qui.8.1.37.definitio.l.definito.8.1.51.connectitur.l.connectuntur.8.2.30.confirmare.l infirmare.8.2.25.copuletur.l.copulatur.8.2.27.componuntur.l.non componuntur.9.1.51.comprehendens.l.comprehendens.9.2.52.comprehenditur a duobus.l.comprehendit duo.9.2.13.præceditur.l.præcedunt.9.2.41.clariſſima.l.clariſſime.10.1.4.dijcitur.l.deijcitur.10.1.14.differunt.l.dicuntur.10.1.27.tertium.l.tertium.11.1.27.cognitione.l.cognatione.12.2.21.totus.l.certus.17.1.32.natura.l.nata.17.2.41.vna.l.vnam.18.1 7.propoſitum.l.propoſitam.19.1.15.numerum.l.numero.19.2.3.non ſpecie differunt ſed numero l. differunt à ſe inuicem ſpecie, non numero ſolum.20 1.2.ideo l.in eo.13.1.20.perfectio.l.perfectior.13.1.40.ſpecie.l.ſpecies.23.1.13.& 26.1.40.ſpecies l.ſpeciem.30.2.36.aut.l.autem.12.2.31.pertinentur l.partiuntur.38.2.30.ſubſtantia.l.ſubſtantialia.44.1.2.aliquo.l.aliqua.44.2.54.præcederemus.l.procederemus.48.1.18.mortale.l.immortale.49.1.44.habet.l.habetur.50.2.29.reſiduum.l.reſpectum.55.2.31.omnia.l.omne.57.1.15.propria.l.patria.57.1.54.opponitur.l.oportet.57.1.62.cuilicet.l.cuilibet.57.2.23.hæc.l.hoc.59.2.1.moueat.l.moueatur.59.2.29.nominis.l.nomine.59.1.46.ſubiectis.l.ſubſtantijs.60.2.32.conſideramus.l.conſideras.

PETRI

INDEX SECVNDI TRACTATVS.

DE intentione Ariſtotelis in libro Prædicamentorum. pag.1.col.2.lit.C
De vtilitate libri Prædicamentorum. p.3.c.2.B
An liber Prædicamentorum ſit legitimus Ariſt. p.5.c.2.D
De inſcriptione libri Prædicamentorum. pag.6.c.2.A
De diuiſione libri Prædicamentorum. p.7.c.1.B
De modo docendi Ariſtotelis in libro Prædicamentorum. p.7.c.1.C
De ordine libri Prædicamentorum. p.7.c.1.E
De Auctore libri Prædicamentorum. p.7.c.2.B

Caput primum Anteprædicamentorum de Aequiuocis, vniuocis, & denominatiuis. p.7.c.2.D

CVr Antepredicamenta prepoſuerit Ariſtot. predicamentis. p.7.c.2.F
Quomodo inuicem differant æquiuoca, vniuoca, multiuoca, diuerſiuoca, diuerſus eſt denominatiua. p.8.c.2.B
De definitione æquiuocorum. p.8.c.1.B
Cur cum res varientur ſex modis, de tribus tantum egerit Ariſtoteles. p.8.c.2.F
Cur Ariſtoteles prepoſuerit æquiuoca vniuocis, & denominatiuis. p.9.c.1.C
Cur Ariſtoteles dixerit æquiuoca in plurali, & non æquiuocum. p.9.c.1.F
Cur Ariſtoteles dixerit æquiuoca dicitur, & non æquiuoca dicuntur. p.9.c.1.F
Quot modis dicatur ſolum. p.9.c.2.B
Quot modis dicatur commune. p.9.c.2.D
Cur dixerit Ariſtoteles in definitione æquiuocorum, ſecundum illud nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa. p.10.c.1.B
Quot modis dicatur ratio. p.10.c.1.F
An in verbis ſit æquiuocatio. p.11.c.1.C
An æquiuoca ſint uniuoca. p.11.c.2.C
Quotuplex ſit æquiuocum. p.12.c.1.B
Nonnullæ dubitationes contra definitionem æquiuocorum. p.12.c.2.F
Æquiuocum duplex. p.14.c.1.C
De definitione uniuocorum. p.14.c.1.F
Cur Ariſtoteles prepoſuerit uniuoca denominatiuis p.14.c.2.C
De conuenientia, & diſcrepantia æquiuocorum, & uniuocorum. p.15.c.1.E
Nonnullæ dubitationes contra definitionem uniuocorum. p.15.c.2.E
De definitione denominatiuorum. p.17.c.1.C
Quot requirantur ad denominationem. p.17.c.2.A
Denominatio triplex. p.18.c.2.A
Denominatiuum duplex. p.18.c.1.C
Nonnullæ dubitationes contra denominatiua. pag.18.c.2.F

Caput primum Antepredicamentorum, de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis pro Iuris ſtudioſis. p.19.c.2.B

DE æquiuocis in iure. p.19.c.2.F
De uniuocis in iure. p.20.c.1.B
De denominatiuis in iure. p.20.c.1.F
An eadem poſſint eſſe æquiuoca, & uniuoca in iure. p.20.c.2.B

Caput ſecundum de Complexis, & incomplexis. p.20.c.2.D

DE diuiſione uocum. p.20.c.2.F
De uocibus complexis, & incomplexis. pag.21.c.1.C
Nonnullæ dubitationes contra diuiſionem uocum. p.21.c.1.F
De duplici ordine compoſitiuo, & reſolutiuo. pag.21.c.2.G
De ordine doctrinæ, & cognitionis. p.21.c.2.E
De diuiſione rerum. p.22.c.1.B
De accidente corporali, & incorporali. p.22.c.2.D
De proprietate ſubſtantiæ, accidentis, uniuerſalis, & particularis. p.23.c.1.C
Quid ſit eſſe in ſubiecto. p.23.c.1.D
Duodecim dubitationes contra diuiſionem rerum. p.23.c.2.C
De ordine regulari, & conuerſo. p.24.c.1.D

Caput ſecundum de complexis, atque pro Iuris ſtudioſis. p.26.c.1.C

DE vocibus incomplexis in iure. p.26.c.1.D
De vocibus complexis in iure. p.26.c.1.E

De

De ſubſtantia vniuerſali in iure, ibidem
De ſubſtantia particulari in iure. p.26.c.1.F
De accidente vniuerſali in iure. ibidem
De accidente particulari in iure. ibidem

Caput tertium de regula in prædicatis eſſentialibus. p.26.c.2.B

DE prima regula prædicandi. p.26.c.2.E
Nonnullæ dubitationes contra primam regulam prædicandi. p.26.c.2.F

Caput tertium pro Iuris ſtudioſis. p.27.c.2.C

DE prima regula prædicandi ad vſum Iuriſtarum. p.27.c.2.D

Caput quartum de ſecunda regula prædicandi, p.28.c.1.D

DE genere ſubalterno, & generaliſſimo. pag. 28.c.1.E
Nonnullæ dubitationes contra ſecundam regulam prædicandi, p.29.c.1.B

Caput quartũ pro Iuris ſtudioſis. p.29.c.2.C

Caput quintum Anteprædicamentorum, p.29.c.2.E

DE diuiſione vocum incomplexarũ. p.30.c.1.D
Dubitatio contra dictam diuiſionẽ, p.31.c.1.B

Caput quintum Antepræedicamentorum pro Iuris ſtudioſis. p.31.c.1.C

DE decem rerum generibus in iure. p.31.c.1.D

Caput primum Prædicamentorum de ſubſtantia. p.31.c.1.F

QVod ſubſtantia præcedat cætera prædicamenta. p.31.c.2.B
De definitione primæ ſubſtantiæ. pag. 31.c.2.F
De definitione ſecundæ ſubſtantiæ. p.32.c.1.D
Nonnullæ dubitationes contra diuiſionem ſubſtantiæ in primam, & ſecundam. p.33.c.2.B
De multiplici comparatione ſubſtantiæ. p.34.c.2.F
De prædicatione propinqua, & remota. p.36.c.2.C
De prædicatione intrinſeca, & extrinſeca. p.36.c.2.F
Vnde dicatur ſubſtantia. p.37.c.1.E
An verum ſit, quòd corruptis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere. p.36.c.1.F
Duodecim dubitationes contra primam, & ſecundam ſubſtantiam. p.38.c.1.C
De prima proprietate ſubſtantiæ. p.40.c.1.E
An differentia ſit ſubſtantia. p.41.c.1.D
An partes ſubſtantiarum ſint ſubſtantiæ. p.41.c.2.E
De ſecunda proprietate ſubſtantiæ. p.42.c.2.D
Tres dubitationes contra ſecundam proprietatẽ ſubſtantiæ. p.42.c.2.A
De tertia proprietate ſubſtantiæ. p.42.c.2.E
De duplici quali, & qualitate, ibidem
An genus in plus ſe habeat quã ſpecies. p.43.c.2.B.
Duæ dubitationes contra tertiam ſubſtantiæ proprietatem. p.43.c.2.D
Quomodo diſcerni poſſit qualitas ſubſtantialis ab accidentali. p.44.c.1.D
De quarta proprietate ſubſtantiæ. p.44.c.2.B
Prima dubitatio contra quartam proprietatem ſubſtantiæ. p.44.c.2.F
De duplici ſubſtãtia ſimplici, & cõpoſita. p.45.c.1.D
De multiplicitate contrarietatis. p.45.c.1.F
Secunda dubitatio contra quartam proprietatẽ ſubſtantiæ. p.46.c.1.C
De quinta proprietate ſubſtantiæ. p.46.c.2.C
De ſexta proprietate ſubſtantiæ. p.47.c.2.A
Tres dubitationes contra ſextam proprietatem ſubſtantiæ. p.48.c.1.C

Caput primum Prædicamentorum de ſubſtantia pro Iuris ſtudioſis. p.51.c.1.F

DE ſubſtantia in iure, p.51.c.2.E
De proprietatibus ſubſtantiæ in terminis Iuris. p.52.c.1.A

Caput ſecundum de quanto. p.52.c.1.C

AN poſt ſubſtantiam rectè agatur de quantitate. ibidem
An ſit agendum de relatione ante quantitatem. pag. 52.c.2.A
An ſit agendum de qualitate ante quantitatem. p.52.c.2.D
An ſit agendum de loco ante quantitatem. ibidem
De prima diuiſione quantitatis in continuam, & diſcretam. p.52.c.2.E
De differentia inter quantum, & quantitatem. ibid.
An quantitas, & quantum ſint duo prædicamenta. p.52.c.2.F
De ſecunda diuiſione quantitatis, quod ſcilicet alia conſtat ex partibus poſitionem habentibus, & alia ex non habentibus poſitionem. p.53.c.1.C
De tribus conditionibus requiſitis ad poſitionẽ, ibid.
Dubitatio contra diuiſionem quantitatis. p.53.c.1.E
Dubitatio contra inſcriptionem quanti. p.53.c.2.A
De ſpeciebus quantitatis. p.53.c.2.C
De duplici numero. p.54.c.1.D
De triplici oratione. p.55.c.1.B
An tempus præſens copulet præteritum, & futurũ. p.56.c.2.D
Quæ quantitates habeant poſitionem, & quæ non habeant poſitionem. p.57.c.2.C
Vna & triginta dubitationes contra diuiſionem, & definitionem quantitatis. p.59.c.1.B
De prima proprietate quantitatis. p.65.c.2.C
Prima dubitatio contra primam proprietatem quantitatis. p.65.c.2.E
Secunda dubitatio contra primam proprietatẽ quantitatis. p.68.c.1.E
De duplici ſubſtantia. p.68.c.2.C
Tertia dubitatio contra primam proprietatem quantitatis. p.69.c.1.A
De ſecunda proprietate quantitatis. p.70.c.1.A
De tertia proprietate quantitatis. p.70.c.1.E

Prima

Prima dubitatio contra tertiam proprietatem quantitatis. p.70.c.2.B
Secunda dubitatio contra tertiam proprietatẽ quantitatis. p.70.c.2.D

Caput ſecundum de quanto pro Iuris ſtudioſis. p.71.c.1.B

DE ſpeciebus quantitatis in iure, ſcilicet linea, ſuperficie, corpore, loco, tempore, numero, & oratione. p.71.c.1.D

Caput tertium de his, quæ ad aliquid. p.71.c.2.C

AN poſt quantitatem recte agatur de his, quæ ad aliquid. p.71.c.2.E
Cur caput hoc ſcribatur de his, quæ ad aliquid. pag. 72.c.1.F
De multiplicitate relatiuorum. p.73.c.1.A
An omnia ſint relatiua. p.73.c.1.C
An dentur relatiua. p.74.c.1.A
De duplici conſideratione relatiuorum. p.74.c.1.E
De definitione relatiuorum ſecundũ dici. p.74.c.2.B
De ſpeciebus relatiuorum. p.75.c.1.A
De duplici poſitione. p.76.c.1.B
De prima proprietate relatiuorum. p.76.c.2.A
An habitus, & diſpoſitio ſint in prædicamento ad aliquid. p.76.c.2.F
Dubitatio contra primam proprietatem relatiuorum. p.77.c.1.B
De ſecunda proprietate relatiuorum. p.77.c.1.E
An æquale, & inæquale dicantur magis, & minus, p.77.c.2.A
Secunda dubitatio contra primam proprietatem relatiuorum. p.77.c.2.F
De tertia proprietate relatiuorum. p.78.c.1.F
Quid ſit verſio, conuerſio, et cõuertentia. p.78.c.2.A
De recta aſſignatione relatiuorum. p.80.c.2.B
De quarta proprietate relatiuorum. p.81.c.1.B
Prima dubitatio contra quartam proprietatem relatiuorum. p.81.c.2.C
Secunda dubitatio contra quartam proprietatem relatiuorum. p.82.c.1.A
Quæſtio de quadratura circuli. p.82.c.2.B
An detur circularis demonſtratio. p.83.c.2.B
Tertia dubitatio contra quartam proprietatem relatiuorum. p.84.c.2.D
An aliqua ſubſtantia ſit ad aliquid. p.85.c.1.F
De definitione relatiuorum ſecundũ eſſe. p.86.c.2.C
Dubitatio contra definitionem relatiuorum ſecundum eſſe. p.87.c.2.D
De duplici conſideratione relatiuorum. p.87.c.2.E
De requiſitis ad relatiua ſecundum eſſe. p.88.c.1.E
De duplici relatione, reali & rationis. p.88.c.2.B
An prædicamentum ad aliquid ſit unum genus. pag.89.c.2.B
An ſpecies prædicamenti ad aliquid ſint diſtinctæ à ſpeciebus aliorum prædicamentorum. p.89.c.2.D
An definitio relatiuorum ſecundum dici, & definitio relatiuorum ſecundum eſſe differant. pag. 90.c.1.B

Caput tertium de his, quæ ad aliquid pro Iuris ſtudioſis. p.90.c.1.D

DE relatiuis in iure. p.90.c.2.C
Quod relatiua in iure ſe extendant ad omnes res. p.91.c.1.D

Caput quartum de quali, & qualitate. p.92.c.1.E

AN qualitas præcedat reliqua ſex prædicamenta. p.92.c.2.A
Dubitatio contra inſcriptionem huius prædicamenti. p.92.c.2.C
Cur quale præponatur qualitati in inſcriptione, p.92.c.2.D
De ſufficientia ſpecierum qualitatis. p.93.c.1.A
De definitione qualitatis. p.94.c.1.A
De prima ſpecie qualitatis. p.94.c.1.C
Prima dubitatio contra definitionem qualitatis, p.94.c.1.D
Cur prius Ariſtoteles definierit qualitatem, poſtea diuiſerit. p.94.c.2.A
Alia dubitatio contra definitionem qualitatis, pag.94.c.2.B
An inter ſpecies qualitatis ſit ordo. p.94.c.2.C
An habitus, & diſpoſitio ſint idem. p.94.c.2.E
An habitus ſit qualitas. p.95.c.1.B
Differentia inter habitũ, & diſpoſitionẽ. p.95.c.2.D
An diſpoſitio ſit genus ad habitum. p.96.c.1.C
De ſecunda ſpecie qualitatis. p.96.c.2.E
De multiplicitate potentiæ. p.97.c.2.B
De differentia inter primam, & ſecundam ſpeciem qualitatis. p.98.c.1.A
De tertia ſpecie qualitatis. p.98.c.2.A
De differentia inter paſſionem, et paſſibilem qualitatem. p.98.c.2.D
An paſſibilis qualitas alteret ſubiectũ. p.100.c.1.F
An color alteret ſenſum. p.100.c.2.D
An paſſio ſit qualitas. p.101.c.1.C
De differentia inter primam, & tertiam ſpeciem qualitatis. p.101.c.1.D
De quarta ſpecie qualitatis. p.102.c.2.E
De definitione qualis. p.103.c.1.F
De prima proprietate qualitatis. p.104.c.1.C
De ſecunda proprietate qualitatis. p.104.c.2.C
Quæ, qualia, & qualitates ſuſcipiant magis, & minus. p.105.c.1.B
De tertia proprietate qualitatis. p.105.c.2.A
An idem poſſit reponi ſub diuerſis prædicamentis. p.106.c.1.A
De differentia inter paſſionem, & diſpoſitionem, p.106.c.1.D
An paſſio facile mobilis ſit diſpoſitio, & difficile mobilis ſit habitus. p.106.c.1.E
An forma ſit ſpecies qualitatis. p.106.c.2.B
An figura ſit qualitas. p.106.c.2.F
Sub quo genere qualitatis reponantur rerum imagines. p.107.c.1.C
An iuſtitia ſit contraria iniuſtitiæ. p.107.c.2.C
Dubitatio contra ultimam proprietatem qualitatis, p.107.c.2.F

Caput

Caput quartum de qualitate pro Iuris ſtudioſis. p.108.c.1.C

DE Qualitate in iure. p.108.c.2.C
De prima ſpecie qualitatis in iure p.109.c.1.A
De ſecunda ſpecie qualitatis in iure. p.109.c.1.C
De tertia ſpecie qualitatis in iure. p.109.c.1.D
De quarta ſpecie qualitatis in iure. p.109.c.1.E
De proprietatibus qualitatis in iure. p.109.c.2.B

Caput quintum de ſex reliquis prędicamentis. p.109.c.2.D

DE Actione, & paſſione. p.110.c.1.C
De proprietatibus actionis, & paſſionis. p.110.c.1.D
De duplici quando. p.110.c.1.E
De proprietatibus quando. ibidem
De ſpeciebus quando. ibidem
De indiuiduis quando. p.110.c.1.F
De duplici vbi. ibidem
De proprietatibus vbi. p.110.c.2.A
De ſpeciebus vbi. ibidem
De indiuiduis vbi. ibidem
De poſitione. p.110.c.2.B
De proprietatibus poſitionis. ibidem
De ſpeciebus poſitionis. ibidem
De indiuiduis poſitionis. p.110.c.2.C
De habitu. p.110.c.2.D
De ſpeciebus habitus. ibidem
De indiuiduis habitus. ibidem
Dubitatio contra prædicamentum actionis. pag. 110.c.2.C
Dubitatio contra prædicamentum paſſionis. ibid.
Dubitatio contra prædicamentum quando. ibid.
Dubitatio contra prædicamentum vbi. p.110.c.2.E
Dubitatio contra prædicamentum poſitionis. pag. 111.c.1.A
Dubitatio contra prædicamentum habitus. ibidem

Caput quintum de ſex reliquis prædicamentis pro Iuris ſtudioſis. p.111.c.1.C

DE Actione, & paſſione in iure. p.111.c.1.D
De actionibus naturalibus, & ciuilibus in iure. p.111.c.1.E
De tempore in iure. p.111.c.2.E
De loco in iure. p.112.c.1.A
De ſitu in iure. p.112.c.1.C
De habitu in iure. ibidem

Caput primum Poſtprædicamentorum de oppoſitis. p.112.c.1.E

DE inſcriptione Poſtprædicamentorum. pag. 112.c.1.F
Dubitatio de ordine. p.112.c.2.F
De ſufficientia Poſtprædicamentorum. p.113.c.1.F
De quatuor ſignificatis oppoſitionis. p.113.c.2.F
An oppoſitio ſit vniuocum nomen ad quatuor ſignificata. p.114.c.1.E
De differentia inter contrarie, & relatiue oppoſita. p.115.c.1.F
De duplici bono. p.115.c.2.D
De duplici conſideratione contrarie oppoſitorum. p.115.c.2.E
An relatiua ſint oppoſita. p.116.c.1.A
De diuiſione contrariorum. p.116.c.2.D
De multiplicitate medij. p.117.c.1.E
An dentur contraria immediata. p.117.c.2.E
De habitu, & priuatione. p.118.c.2.D
De tribus ſignificatis priuationis. p.119.c.1.E
De ſeparatione priuatiuæ oppoſitionis à contraria. p.122.c.2.D
De duplici ſtatu ſtudioſorum. p.122.c.2.E
An virtus moralis efficiatur à natura. p.122.c.2.F
An ex operationibus virtutes fiant. p.123.c.1.B
De ſeparatione contradictoriæ oppoſitionis à reliquis. p.124.c.1.A
De differentijs oppoſitionum. p.124.c.2.C
An compoſita nomina ſignificent verum, & falſum. p.124.c.2.E
An oppoſita contradictorie diuidant verum, & falſum. p.125.c.1.A
De conditionibus contrariorum. p.125.c.2.B
De duplici bono. p.125.c.2.D
De duplici differentia bonorum. p.125.c.2.E
An duo poſſint vni eſſe contraria. p.126.c.1.C
De multiplicitate generis. p.127.c.2.D

Caput primum Poſtprædicamentorum de oppoſitis pro Iuris ſtudioſis. p.128.c.1.B

DE relatiue oppoſitis in iure. p.128.c.2.D
De contrarie oppoſitis in iure. p.128.c.2.F
De priuatiue oppoſitis in iure. p.129.c.1.B
De contradictorie oppoſitis in iure. p.129.c.1.D

Caput ſecundum de Priori. p.129.c.2.B

DE primo prioris ſignificato. p.129.c.2.F
Audetur prius tempore. p.130.c.1.D
De ſecundo prioris ſignificato. p.130.c.2.B
De tertio prioris ſignificato. p.131.c.1.C
De quarto prioris ſignificato. p.131.c.2.D
De quinto prioris ſignificato. p.132.c.1.C

Caput ſecundum de Priori pro Iuris ſtudioſis. p.132.c.2.D

DE primo prioris ſignificato in iu. p.132.c.2.D
De ſecundo prioris ſignificato in iure. p.132 cap.2.F
De tertio prioris ſignificato in iure. p.133.c.1.B
De quarto prioris ſignificato in iure. ibidem
De quinto prioris ſignificato in iure. p.133.c.1.C

Caput tertium de ſimul. p.133.c.1.D

DE tribus ſimul ſignificatis. p.134.c.1.A

b

Caput

Caput tertium de ſimul pro Iuris ſtudioſis. p.134. c.2. B

De primo ſimul ſignificato in iure. p.134.c.2.B
De ſecundo, & tertio ſimul ſignificatis. pag. 134.c.2.C

Caput quartum de Motu. p.134.c.2.E

De ſex ſpeciebus motus. p.135.c.1.C
An generatio, & corruptio ſint ſpecies motus. p.135.c.1.E
De differentia ſpecierum motus. p.135.c.2.F
De contrarietate motus. p.136.c.2.E

Caput quartum de Motu pro iuris ſtudioſis. p.137.c.1.C

De generatione, & corruptione in iure. pag. 137.c.1.D
De auctione, & diminutione in iure. p.137.c.1.E
De alteratione in iure. ibidem
De mutatione ſecundum locum in iure. p.137.c.1.F

Caput quintum de habitu. p.137. c.2. A

De multiplicitate habitus. p.137.c.2.F
Dubitatio contra multiplicitatem habitus. p.108.c.1.C

Caput quintum de habitu pro iuris ſtudioſis. p.138. c.2 C

De multiplicitate habitus in iure. p.138.c.2.E

F I N I S.

Errata ſic corrigantur, Primus numerus indicat paginam, Secundus columnam Tertius lineam.

Pag.4.col.2.linea 20.ſe.lege ſed.7.2.29.uiam l.uia,21.2.38.Euſtocius.l.Euſtochius.ibidem ſpinelis.l.ſpinellis.ibidem 39. Ordini l. ordinis, 16, 2.4.vniuoci.l.vniuoce,ibidem 5.vniuoce.l.vniuoci.17.2.43.conueniat.l.conueniant.ibidem 45 decla.l.declarat.ibidem 49.abſtarctum.l.abſtractum 19.2.49.comibus.l.comitiis.10.1.41.ſingularem l ſingulorum.20.2.28.eadem.l.edem,20.2.57 ſignificant l. c. ſignificat. 21. 2. 37.ſignificantis.l.ſignificatis.27.1.16 ſignificantis.l.ſignificati.50.2.42.denominationem.l demonſtrationem,31.2.43.reſcep.l. recep. ibide 48. indiſtincte l.diſtincte.34.2.50.non l.nam.40.2.23.prædicatur l.prædicantur,45.1.7.vel.l.& 40.1.1. conſideratur.l.conſiderantur. ibidem 39. ſocutio.l. locutio.49 2.44.contrarium.l.contrariam.ibidem 61.cum petit.l.competit.39.2.36.haberi.l.habere.55.1.15.apponatur.l. apponantur. 56. 1.31. actus l.actus.57.2 17 prætrahatur.l protrahatur.57.2.44.habent.l.habet,58.2.52.habēt.l.habet.38.2.59.vnā.l.vna.58.2.40. adeſt. l. non adeſt.59.2.11. diſcreto.l.continuo,60.2.60.ita habetur.l iſtam habet.60.2.3.menſurantur.l.menſuratur.61.2.3.modum.l.modus.61.1.25.poſſet.l.poſſent.61.2.37.ſpeciem.l.ſpecies.61.2.58 rationem.l.orationem.62.1.8.ſuperficiem.l.ſuperficiem ibidem 19. conſtitutione.le. conſtitutionem, ibidem 2. in permixta.l.impermixta.ibidem 37.habet l.habetur.ibidem 53.coniuncta.l.coniunctæ.64.1.52.vtraque.l.vtraque. 65.1.43. quantum. l. quantitas, 65.2.31.poſt verbum (clauditur) deſunt,in de finita,quæ nullo termino clauditur.46.7.13.materialis.l moralis.60.2.2. miles, l. militi. 67 2. 4. prima.l.ſecunda.68.2.7.conſtitutionum l.conſtitutum.69.1.12.aut.l.autem,73.1.57.deſiderant.l.deſiderat 74.2.13.iſta.l.iſti, ibidem.16. ſiniſtura.l.ſiniſtrum,ibidem 31.nā.l.non,74.2.27.relatius.l relatiua.75.2 4.granatica. l.grammatica.79.1.51 vnus.l vnum.77.2.22. ſeuitur. l. ſequitur.79.1.9.ſtruccius.l.ſtrutius.80.2.46.circumſcribatur.l.circumſcribantur.81.2.38.eſt.l.ſunt.85.2.13.ſuperidem l.ſuperiede.84.2.40 tertiam. le. quartam.87.2.6.poſſunt vnum.l.poteſt vna.ibidem 53.hominem.l homo,92.1.34. aliquod.l.aliquam.ibidem 50.proprietate, le proprietates.92.2.42. præpoſuerit.l.præpoſuerit.93.2.26 cauſas.l.cauſam.97.1.9.diuerſæ.l.diuerſe.98.1.12 difficilem.l.difficultatem. 100.1. 49. denominans l denominant. 100.2.27 ſignificetur,l ſi generetur. 107.1.30.quanta l.quarta,108.2.20.Vulpianus.l.Vlpianus.109.1.34.puber.l.impuber.ibidem.97.ex.l.&. ibidem 49.indiciis.l.ianditiis.ibidem.57.ex.l.&.108.2.1.denominatur.l.denominantur.ibidem.26.Vulpianum.l.Vlpianum.110.2.62.ſur ſum.l.furſum.110.2.30.ex.l.rei.ibidem.55.poſſit.l.poſſint.112.2.54.ficet.l.fiebat.13.2.56.habitum l.habitus.114 2.2 viſionem.l viſio. 19.2. 41. ſit.l. ſint.ibidem.50.habet.l habent.126.1.38.ſuperabundantiam. l.ſuperabundantiis.ibidem.61.&.l.vt.128.2.6.Vulpianus.l.Vlpianus, 129.2.2. controuerſias.l.controuerſiæ.130.2.56.pat.l.pars.142.1.27.ſecundum.l.quintum.134.1.68.conſideratur.l.conſiderantur.134.2.45.clariori.l clariorum notitia.135.1.58.negotio.l.negotij,133.2.49.cuiuslibet.l.cuilibet.138.1.36.ordinatur.l.ordinantur,139.2.2.iuris ſtudioſis l.iuris ſtudioſi.

INDEX
TERTII TRACTATVS.

DE ſubiecto libri de interpretatione. ... pag.1.col.1.lit.C
De vtilitate libri de interpretatione. p.2.in ſi.
An liber de interpretatione ſit legitimus Ariſtotelis. p.2.c.2.C
De inſcriptione libri de interpretatione. p.3.c.1.A
De diuiſione libri de interpretatione. p.3.c.1.D
De modo docendi Ariſtotelis in libro de interpretatione. ibidem. E.
De ordine libri de interpretatione. p.3.c.2.C
De Auctore libri de interpretatione. p.4.c.1.C

Caput primum primi libri de Interpretatione. p.4.c.1.C

DE duplici vocum conſideratione. p.4.c.1.E
An nomina, & verba valeant affirmare, vel negare. p.4.c.2.A
Quot modis ſumatur primum. p.4.c.2.C
Quare nomen verbo præpoſuerit Ariſt. ibidem, E.
Quis ordo ſeruetur in procemio. p.5.c.1.A
De duplici conſideratione affirmationis & negationis. ibidem, B
De duplici ordine. ibidem, E
Cur Ariſtoteles prius agat de literis, vocibus, conceptibus, & rebus, quàm de nomine, verbo, & reliquis propoſitis. p.5.c.2.D
De conuenientia, & diſcrepantia literarum, vocum, conceptuum, & rerum. ibidem F.
An etiam literæ ſignificent conceptus. p.6.c.2.E
Cur conceptus dicatur ſimilitudines rerũ. p.6.c.2.F
An vox primum ſignificet paſſionem quàm rem. p.7.c.1.C
Cur dixerit Ariſt. ea, quæ ſunt in voce, & non voces, & rurſus ea, quæ ſcribuntur & non literæ. ibidem, E
De diuerſa ſignificatione vocum, & conceptuum. p.8.c.1.B
De multiplici compoſitione, & diuiſione. ibidem, D
An conceptus ſint ijdem apud omnes. p.8.c.1.F
Cur omiſerit Ariſtoteles ratiocinationem. pag. 9.c.1.C
De triplici operatione intellectus. ibidem
An veritas, & falſitas ſint in intellectu, vel in re. p.9.c.2.B
De triplici veritate, & falſitate. ibidem
An veritas, & falſitas ſit in ſimplicibus. ibidem
De veritate, & falſitate entis. ibidem, F
De veritate, & falſitate enunciationis. ibidem
An nomen compoſitum ſignificet per ſe verum, vel falſum. p.10.c.1.A
An in verbis ſit veritas, & falſitas. ibidem D.
An conceptus ſint ijdem apud omnes. p.10.c.2.A

Caput primum primi libri de interpretatione pro Iuris ſtudioſis. p.10.c.2.C

DE literis, vocibus, conceptibus, & rebus in iure. p.10.c.2.D
De proportione dictorum quatuor in iure. pag. 11.c.1.A

Caput ſecundum de Nomine. p.11. c.1.C

CVr Ariſtoteles agat prius de nomine quàm de verbo. p.11.c.1.D
Dubitatio contra ordinem Ariſtotelis. pag. 11.c.2.B
De definitione nominis. ibidem, F
An nomen ſit vox. p.12.c.1.F
An definitio nominis per vocem ſit rectè tradita. p.12.c.2.B
An nomen ſignificet ſine tempore. ibidem, E
An partes ſeparatæ vocis ſimplicis ſignificent aliquid. p.13.c.1.A
An partes ſeparatæ nominis compoſiti ſignificent aliquid. ibidem, B
De differentia inter nomina ſimplicia, & compoſita. p.13.c.2.B
Quæſtio an nomina ſint a natura, vel ad placitum. ibidem, F
De diuiſione nominis. p.16.c.1.E
An nomen infinitum ſit nomen. p.16.c.2.F
An definitio nominis competat nomini finito, & infinito. p.17.c.1.F

Caput

Caput ſecundum de nomine pro Iuris ſtudioſis. p.17.c.2.C

De nominibus ad placitum in iure. p.17.c.2.E
De nominibus a natura in iure. ibidem.
De loco a maiori in iure. p.18.c.1.D
De loco a minori in iure. ibidem
De loco a contrarijs in iure. ibidem

Caput tertium de verbo. p.18.c.1.F

De definitione verbi. p.18.c.2.B
An verbũ ſit vox ſignificatiua ad placitũ. ibid.
De duplici differentia verborum. ibidem,F
Quomodo verbum ſit nota prædicati. p.19.c.1.A
De diuiſione uerbi. p.19.c.2.E
An nomen, & verbum infinitum in oratione poſita remaneant infinita. ibidem,F
Dubitatio contra verbi deſinitionem. p.21.c.1.B
An verbum ſit pars enunciationis. ibidem,D

Caput tertium de verbo pro Iuris ſtudioſis. p.21.c.1.B

An verba ſint voces ſignificatiuæ conceptuũ in iure. ibidem,E
Nomina, & verba inuicem confundi in iure. ibid.F

Caput quartum de oratione. p.22.c.1.B

Cur poſt tractatum nominis, & uerbi agat Ariſtot. de oratione. ibidem
De definitione orationis. p.22.c.1.B
Cur Ariſtoteles in definitione orationis poſuerit, quod ſit uox ſignificatiua. ibidem,D
Quatuor dubitationes contra definitionem orationis. p.23.c.1.F
An oratio ſit ad placitum. p.23.c.2.F
De diuiſione Orationis. p.24.c.2.A
De Oratione enunciatiua. ibidem,B
Cur Dialectica ſolum Orationem enunciatiuam ſpeculetur. ibidem,D
De multiplici diuiſione orationis enunciatiuæ. pag. 25.c.1.F
An detur aliqua propoſitio affirmatiua, uel negatiua ſine verbo. p.25.c.2.F
An definitio poſſit eſſe enunciatio. p.26.c.1.F
An nomen, & verbum ſint dictiones ſimplices. p.26.c.2.F
De duplici enunciatione. p.27.c.2.A
Dubitatio contra diuiſionem enunciationis. ibid.B
De definitione enunciationis. ibidem,F
De conditionibus propoſitionis cõtrariæ, & contradictoriæ. p.29.c.2.E
An affirmatio, & negatio ſint ſpecies enunciationis. p.30.c.1.D

Caput quartũ de Oratione pro Iuris ſtudioſis. p.31.c.1.C

De enunciatione in iure. p.31.c.1.F
De enũciatione affirmatiua in iure. p.31.c.2.B
De enunciatione negatiua in iure. ibidem,C
De enunciatione categorica, & hypothetica in iure. ibidem,F

Caput quintum de ſubiectis, & prædicatis propoſitionum. p.32.c.1.A

De diuiſione rerum. p.32.c.1.E
De triplici ſignificato uniuerſalis. p.32.c.2.C
De regula contrariarum propoſitionum. p.33.c.1.A
De differẽtia inter uniuerſale, & uniuerſaliter. ibi.B
De regula indefinitarum propoſitionum. ibid.F
De duplici terminorum ſignificatione. p.33.c.2.D
An ſignum uniuerſale diſtributiuum poſſit apponi prædicato. p.34.c.1.B
Tres dubitationes contra regulas propoſitionũ. ibid.
De regula contradictoriam propoſitionũ. p.34.c.2.F
De differentia inter contrarias, & contradictorias propoſitiones. p.35.c.1.A

Caput quintũ de ſubiectis, & prædicatis propoſitionum pro Iuris ſtudioſis. p.35.c.1.C

De uniuerſali propoſitione in iure. p.35.c.2.C
De particulari propoſitione in iure. ibidem,D
De indefinita propoſitione in iure. ibidem.
De ſingulari propoſitione in iure. ibidem,E
De contrarijs propoſitionibus in iure. ibidem
De indefinitis propoſitionibus in iure. ibidem,F
An propoſitio indefinita æquipolleat uniuerſali in iure. p.36.c.1.A

Caput ſextum de regulis oppoſitarum propoſitionum. p.36.c.2.D

De regula ſubcontrariarum propoſitionum. ibid.
Quomodo contradictio uniuerſalis, & ſingularis ſe habeat ad veritatem, & falſitatem. pag. 37.c.1.B
Quomodo indefinitæ propoſitiones ſe habeant ad ueritatem, & falſitatem. p.37.c.1.D
De regula ſubalternarum propoſitionũ. p.37.c.2.F
Dubitatio de contradictorijs propoſitionibus. pag. 38.c.1.A
An uni propoſitioni affirmatiuæ una tantum, non plures opponantur contradictoriæ. p.38.c.2.B
Quot accidant propoſitioni. ibidem,F
De duplici oppoſitione. p.39.c.1.B
De requiſitis ad oppoſitionem propoſitionum. ibid.C
An indefinitæ propoſitiones poſſint eſſe ſimul ueræ. p.39.c.2.A
De oppoſitione cõtraria, et cõtradictoria. p.39.c.2.D
An oporteat propoſitionem eſſe unam, ut affirmationi una opponatur negatio contradictorie, & è conuerſo. p.40.c.1.B
Quanam ſit maior oppoſitio contraria, an contradictoria. ibidem,F

Caput ſextum de regulis oppoſitarum propoſitionum pro Iuris ſtudioſis. p.40.c.2.F

Quomodo contrariæ propoſitiones ſe habeant ad ueritatem, & falſitatem in iure. p.41.c.1.D

Quomodo propoſitiones ſubcontrariæ ſe habeant ad ueritatem, & falſitatem in iure. ibidem, F
Quomodo propoſitiones contradictoriæ ſe habeant ad veritatem, & falſitatem in iure. p.41.c.2.B
Quomodo propoſitiones indefinitæ ſe habeant ad ueritatem, & falſitatem in iure. ibidem, C
Quomodo propoſitiones ſubalternæ ſe habeant ad veritatem, & falſitatem in iure. ibidem, D

Caput ſeptimum de futuris contingentibus, p.41.c.2.E

De triplici variatione propoſitionum. pag. 42.c.1.B
An in futuris contingentibus ſingularibus ſit determinata ueritas, uel falſitas. p.42.c.2.A
De contingenti triplici. p.43.c.2.E
De caſu, & fortuna, ibidem, F
De duplici generatione. p.45.c.1.B
De differentia inter conſultationem, & negotiationem, p.45.c.2.F
An detur liberum arbitrium. p.46.c.1.D
De duplici neceſſario. p.46.c.2.D
De propoſitionibus in ſenſu compoſito, & diuiſo, p.47.c.1.D
De neceſſario contingenti, & impoſſibili. p.47.c.2.C

Caput ſeptimum de futuris contingentibus pro Iuris ſtudioſis. p.48.c.1.C

De caſu in iure. p.49.c.1.B
De fortuna in iure, ibidem
De fato in iure. ibidem
De libero arbitrio in iure, ibidem, C

Caput primum ſecundi libri de Interpretatione. p.49.c.1.F

De multiplicatione propoſitionum. p.49.c.2.C
An affirmatio, & negatio ſint in terminis finitis, & infinitis. p.50.c.2.E
An nomen infinitum ſit unum. p.51.c.1.C
De triplici unitate. ibidem
An detur propoſitio infinita ex uerbo infinito. pag. 51.c.1.F
Cur Ariſtoteles non doceat multiplicare particulares propoſitiones. p.51.c.2.F
De propoſitionibus de ſecundo & tertio adiacente, p.52.c.2.A
De conſequentijs propoſitionum de tertio adiacente ſine terminatione uniuerſalis. p.53.c.1.E
De propoſitione ſimplici, priuatiua, & infinita. pag. 54.c.2.C
Quæ ſint magis, & minus communes propoſitiones. p.55.c.1.B
De conſequentia propoſitionum de tertio adiacente cum terminatione uniuerſali. p.56.c.1.A
De propoſitionibus angularibus. ibidem E
De duplici oppoſitione propoſitionum de tertio adiacente. p.57.c.1.D
De conſequentijs, & oppoſitionibus propoſitionum de tertio adiacente habentibus ſubiectum infinitum. p.57.c.2.E
De multiplicatione propoſitionum de ſecundo adiacente. p.59 c.1.C
An in infinitudine ſubiecti poſſit addi ſignum negatiuum ſigno uniuerſali. ibidem, C
An contrariæ uniuerſales poſſint eſſe ſimul veræ. p.62.c.2 D
An ſubcontrariæ propoſitiones poſſint eſſe ſimul ueræ. ibidem, F
De conſequentijs interrogationum, & reſponſionum. p.64.c.1.D
An ſignum negatiuum adiunctum ſubiecto, ut prædicato conſtituat negationem. p.65.c.1.B
De quatuor contingentibus propoſitioni. p.65.c.2.E
De diuerſitate propoſitionis. p.66.c.2.F
De identitate propoſitionis. ibidem
Quæſtio an tranſpoſitio terminorum uariet ſenſum propoſitionis. ibidem, D

Caput primum de interpretatione pro Iuris ſtudioſis. p.68.c.2.A

De propoſitione de ſecundo adiacente in iure. p.71.c.1.D
De propoſitione de tertio adiacente in iure. ibidem
De propoſitione de terminis finitis in iure. ibid.
De propoſitione de terminis infinitis in iure. ibid.
De propoſitione ſine terminatione uniuerſali in iure. ibidem, E
De propoſitione cum terminatione uniuerſali in iure. p.71.c.2.D
De propoſitione de uerbo ſubſtantiuo in iure. ibid.
De propoſitione de uerbo adiectiuo in iure. ibid.
De multiplicatione propoſitionum de ſecundo adiacente in iure, ibidem, E
De æquipollentia propoſitionum in iure. p.73.c.2.A
Prima regula de conſequentijs propoſitionum in iure. p.73.c.2.A
Secunda regula de conſequentijs propoſitionum in iure. p.74 c.1.C
Tertia regula de conſequentijs propoſitionum in iure. ibidem, D

Caput ſecundum de coniunctis, & diuiſis propoſitionibus. p.74.c.1.F

De unitate, & pluralitate propoſitionis. pag. 75.c.1.A
Dubitatio contra determinationem Ariſtotel. de unitate propoſitionis. p.76.c.1.C
De unitate & pluralitate interrogationis, & reſponſionis. p.76.c.2.B
De multiplicitate interrogationis. p.77.c.1.E
De coniunctis, & diuiſis enũciationibus. p.77.c.2.E
De forma argumentandi a ſenſu diuiſo ad compoſitum. ibidem, F
Duæ dubitationes contra formam argumentandi a diuiſis ad coniuncta. p.80.c.2.A
De forma argumẽtãdi a cõiũctis ad diuiſa. p.81.c.2.A
De duobus requiſitis ad formam argumentandi a compoſitis ad diuiſa, ibidem, D
De duplici ſignificato opinionis. p.83.c.1.C

Caput ſecundum de coniunctis, & diuiſis propoſitionibus pro Iuris ſtudioſis. p.83.c.1.D

De forma argumentandi a ſenſu diuiſo ad compoſitum in iure. p.84.c.1.D

De

De forma argumentandi a ſenſu compoſito ad diuiſum in iure. p.84.c.2.A

Caput tertium de enunciationibus cum modo, & earum adinuicem oppoſitionibus & conſequentijs. ibidem, D

DE gradibus rerum. p.85.c.1.B
De quatuor modis propoſitionum. ibidem, C
De multiplici conſideratione modorum. ibidem
De modalibus propoſitionibus. p.85.c.2.A
De differentia inter propoſitionem modalem, & de ineſſe. ibidem
Dubitatio de propoſitione modali & de ineſſe. ibid. F
De differentia inter contingens, & poſſibile. pag. 86.c.1.B
De duplici poſsibili. p.87.c.2.A
De ordine propoſitionum modalium. ibidem, F
De figura propoſitionum modalium. p.89.c.1.A
De duplici propoſitione modali affirmatiua. ibid.
An in propoſitionibus modalibus negatio contradictoria apponi debeat uerbo, uel modo. p.89 c.2.A
An uerum, & non uerum ſint modi. p.90.c.2.F
De definitione conſequentiæ. p.91.c.2.C
De conſequentia propoſitionum modalium ex opinione antiquorum. ibidem
De conſequentia propoſitionum ex opinione Ariſtotelis. p.95.c.1.D
De errore antiquorum in ordinanda conſequentia propoſitionum. p.96.c.1.A
De figura propoſitionum modalium ex Ariſtotele, p.98.c.1.A
De prima diſtinctione poſſibilis. p.100.c.1.A
De ſecunda diſtinctione poſſibilis. p.102.c.1.D
De ordine propoſitionum modalium ex opinione Ariſtotelis. p.102.c.2.B

Caput tertium de enunciationibus pro Iuris ſtudioſis. p.104.c.1.A

DE modis non qualificantibus propoſitionem in iure. p.104.c.2.C
De modis qualificantibus propoſitionem in iure. ibidem, D
De conſequentia propoſitionum modalium in iure. p.105.c.1.A

Caput quartum, quæ enunciationes contrariæ magis ſibi inuicem eſſe dicantur. p.105.c.1.B

QVæſtio quænam opinio ſit magis contraria affirmatiuæ opinioni, negatiua, uel priuatiua. p.106.c.2.D
Quæſtio, quænam propoſitio ſit magis contraria affirmationi, negatiua, uel priuatiua. p.113.c.1.D

Caput quartum, quæ enunciationes contrariæ magis ſibi inuicem eſſe dicantur pro Iuris ſtudioſis. p.114.c.1.D

AN propoſitio negatiua ſit magis contraria affirmatiuæ propoſitioni quàm priuatiua in iure, p.114.c.2.D

F I N I S.

Errata ſic corrigantur, Primus numerus indicat paginam, Secundus columnam, Tertius lineam.

Pag.4 colum.1.linea 5.liber.l.libros.ibidem.7.reditur.l.redditur.5 2.8.pertractaturus l.pertractaturum.6.2.40.nonnomina.l.nomina 7.2.41.adem l.ideo.9.2.40.eam.l.ea.10.1.4 ſequitur l.loquitur.12 2.24.artificialis.l.artificiales.14 2.55.arbitrem l.arbitrum.15.1.6 natura.l. naturam ibidem.qui l.quod.15.2.15 conceptum.ſit l.conceptus ſit.16.1.58 in infinitum l.infinitum 27 1 4 mandauit.l.manifeſtauit.30.1. co.dicitur.l.dicit ibidem.62 arguitur.l.argui.34.2.56 contrarias l.contradictorias.35 2.13.ambo.l.ambæ.45.1.49 ſequeretur.l.ſequerentur 47.1.4 et.l.vt.51.2 57 præterea.l.propterea.53.1.40.ſit.l.ſcilicet 58.2 27.prædicati.l.prædicari.65 1.48 inſulſam l.inſulſam.65.2.28 mulei leg. multi.ibidem.31.malet l.multi.71.2.11.oppoſita.l.appoſita.ibidem.18.conſequentia.l.conſequentiæ.74 1.4.nullu.l.nullus 75.2.13.propoſitio. l.propoſitio ibidem.52.exemplo de definitione.l.exemplum de diffinitione.76.2.16.vtitur.l.vtimur.ibidem.47.animal.l.anima.77 1.22. al. terutrarum.l.alterutram.81.2.36.hæc.l.hac.89.1.59.credito.l.condi 97.1.32. contradictoriæ.l.contradictione, ibidem.35.contradictoriæ.l. contradictoris 97.1.38 contradictione.l.contradictorie.97.2.57.contradictoriæ.l.contradictorie ibidem 59.contradictoriæ.l contradictorie. 108.2.15.quatenus.l.quam.110.2.1 contradictoriæ.l.contradictorie.114.1.47.committere.l.omittere.114.2.50.conſtituenda.l.conſtituẽdę.

INDEX
QVARTI TRACTATVS
De Priori reſolutione.

AN liber Priorum, & liber Poſteriorum ſint vnus liber. pag.1. col.1.lit.C
De ſubiecto libri Priorum. pag. 2.c.2.C
De vtilitate libri Priorum. p.3.c.2.C
Anne liber Priorum ſit legitimus Ariſtotelis. ibid.E
De inſcriptione libri Priorum. p.4.c.1.B
De triplici reſolutione. ibidem,C
De diuiſione libri Priorum. p.4.c.2.D
De modo docendi Ariſtotelis in libro Priorum. p.5. c.1.D
De ordine libri Priorum. ibidem,F
De triplici operatione intellectus. p.5.c.2.A
De Auctore libri Priorum. ibidem,C

Caput primum libri Priorum. p.5.c.2.D

DE propoſitione. p.5.c.2.E
De termino. ibidem
De ſyllogiſmo. ibidem
De dici de omni, & dici de nullo. ibid.
De proœmio primi libri Priorum. p.6.c.1.E
De fine libri Poſteriorum. ibidem,F
De diſcrimine inter demonſtrationem, & ſcientiam demonſtratiuam. p.6.c.2.D
Dubitatio contra proximam differentiam. p.7.c.1.A
De compoſito naturali, & intellectuali. p.7.c.2.B
Dubitatio de propoſito Ariſtotelis. ibidem,D
Dubitatio de ordine Ariſtotelis. p.8.c.1.A
De definitione propoſitionis. ibidem,D
De duplici conſideratione orationis. ibidem,F
Dubitationes duæ contra definitionem propoſitionis. ibidem.
De diuiſione propoſitionis. p.8.c.2.F
Dubitatio contra diuiſionem propoſitionis, p.9.c.1.E
De multiplici diſtinctione propoſitionis. p.9.c.2.E
De triplici propoſitione iuxta triplicitatem materiæ. p.10.c.2.E
An propoſitio demonſtratiua diſtinguatur à propoſitione dialectica. p.11.c.1.B
An propoſitio dialectica interroget vtranque partem contradictionis. ibidem,D
An demonſtratiuus in prima figura ſolum valeat ſyllogizare. p.11.c.2.D
An Dialecticus in ſecunda figura ſolum valeat ſyllogizare. ibidem
Cur omiſerit Ariſt. materiam ſophiſticã. p.12.c.1.B
An Topicus ſit apparens. ibidem,D
De multiplicitate termini. p.12.c.2.E
De definitione termini. p.13.c.1.E
De definitione ſyllogiſmi. p.14.c.2.B
Dubitatio contra definitionem ſyllogiſmi. p.16.c.1.E
De diuiſione ſyllogiſmi in perfectum, & in imperfectum. p.16.c.2.A

Caput primum primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.17.c.1.D

DE principiis ſyllogiſmi in iure. p.18.c.1.B
De ſyllogiſmo in iure. ibidem.F

Caput II. de conuerſione abſolutarum propoſitionum in terminis. p.18.c.2.A

DE conuerſione. p.18.c.2.F
De propoſitionibus modalibus. p.19.c.1.A
De propoſitionibus de ineſſe. ibidem
Cur Ariſtoteles non recenſeat hoc in loco omnes propoſitiones modales. p.19.c.2.C
De differẽtia inter vniuerſale, & vniuerſaliter. ibi.D
De differẽtia inter particulare, et particulariter. ibi.
De prima regula conuerſionis propoſitionis vniuerſalis negatiuæ de ineſſe. p.20 c.1.A
De ſecunda regula conuerſionis propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ de ineſſe. ibidem,C
De tertia regula propoſitionis particularis affirmatiuæ de ineſſe. ibidem.
De quarta regula propoſitionis particularis negatiuæ de ineſſe. ibidem
De confirmatione primæ regulæ conuerſionis. pag. 21.c.1.A
De confirmatione ſecundæ regulæ conuerſionis. ibi.F
De cõfirmatione tertię regulę cõuerſionis. p.21.c.2.C
De confirmatione quartæ regulæ cõuerſionis. ibid.E
Dubitatio contra diuiſionem propoſitionis in modalem, & de ineſſe. p.22.c.1.B
Dubitatio contra primam regulam conuerſionis. p. 22.c.2.B
Dubitatio cõtra ſecundam regulã conuerſionis. ibid.
Dubitatio contra tertiam regulã conuerſionis. ibid.C

Caput II. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.23.c.1.A

DE conuerſione propoſitionis vniuerſalis negatiuæ in iure. p.23.c.1.C
De conuerſione propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ in iure. ibidem

De conuerſione propoſitionis particularis affirmatiuæ in iure. ibidem,D

Caput III. de conuerſione propoſitionum de modo. p.23.c.1.E

DE conuerſione vniuerſalis propoſitionis modalis negatiuæ. p.23.c.2.B
De confirmatione conuerſionis vniuerſalis propoſitionis modalis negatiuæ neceſſariæ. p.24.c.1.C
De conuerſione propoſitionis modalis neceſſariæ affirmatiuæ uniuerſalis,& particularis. p.24.c.1.F
De confirmatione conuerſionis propoſitionis modalis neceſſariæ affirmatiuæ. ibidem
De conuerſione propoſitionis modalis contingentis. p.25.c.1.A
De multiplicitate contingentis. ibidem
De conuerſione propoſitionis modalis contingentis affirmatiuæ vniuerſalis,& particularis. ibid.F
De confirmatione conuerſionis propoſitionis affirmatiuæ modalis contingentis neceſſarij,& non neceſſarij,uniuerſalis,& particularis. p.25.c.2.A
De conuerſione propoſitionis negatiuæ modalis contingentis neceßarij,& non neceſſarij. ibidem,E
De confirmatione conuerſionis propoſitionis negatiuæ modalis contingentis neceſſarij, & non neceſſarij. p.26.c.1.E
De multiplicitate contingentis. p.26.c.2.E
De conuerſione propoſitionis affirmatiuæ contingentis ut plurimum. p.27.c.1.D
De conuerſione propoſitionis negatiuæ contingentis ut plurimum. p.27.c.2.D
Quomodo uerbum ſubſtantiuum ſe habeat ad affirmationem. p.28.c.1.F

Caput III. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.28.c.2.F

DE propoſitione uniuerſali negatiua modali neceſſaria in iure. p.29.c.2.C
De propoſitione modali neceſſaria affirmatiua vniuerſali,& particulari in iure. ibidem,D
De conuerſione euitanda particularis negatiuæ modalis neceſſariæ in iure. ibidem,F
De contingenti propoſitione affirmatiua uniuerſali in iure. p.30.c.1.A
De contingenti propoſitione particulari affirmatiua in iure. ibidem,B
De contingenti propoſitione modali negatiua in iure. ibidem
De contingenti propoſitione particulari affirmatiua in iure. ibidem,C

Caput IV. de tribus figuris ex propoſitionibus inexiſtentibus. p.30.c.1.D

QVot modis primum ſumi poſſit. p.30.c.2.B
Quot accidant ſyllogiſmo. p.31.c.1.A
De definitione modi ſyllogizandi. ibid.
De definitione figuræ ſyllogizandi. ibidem
Quot termini exiſtant in ſyllogiſmo. ibidem
De diſpoſitione terminorum in prima figura. ibid.E
De numero modorum primæ figuræ. p.31.c.2.C
De numero modorum vtilium primæ figuræ. pag.32.c.1.A
De quatuor modis utilibus primæ figuræ. ibidem
De regulis primæ figuræ ſyllogizandi. p.33.c.2.B
De diſpoſitione terminorum in ſecunda figura. pag.34.c.1.A
De differentia inter primam, & ſecundam figuram. ibidem,A
De numero modorum ſecundæ figuræ. ibidem,C
De numero modorum vtilium ſecundæ figuræ. ibidem.
De reductione modorum ſecundæ figuræ ad primam. p.35.c.1.A
De regulis ſecundæ figuræ. p.36.c.1.C
De numero modorum tertiæ figuræ. p.37.c.1.A
De numero modorum utilium tertiæ figuræ. ibidem
De regulis tertiæ figuræ. ibidem,F
De reductione modorum tertiæ figuræ ad primam. p.38.c.1.A
De utilibus, & inutilibus ſyllogiſmis tertiæ figuræ. p.40.c.1.E
De definitione medij. p.40.c.2.A
De definitione extremorum. ibidem,B
Dubitatio de diſpoſitione terminorum in prima figura. p.41.c.1.A
Quare Ariſtoteles appellet propoſitiones internalla. p.48.c.1.E

Caput IV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.49.c.1.A

DE primo modo primæ figuræ in iure. pag.49.c.1.F
De ſecundo modo primæ figuræ in iure. p.49.c.2.D
De tertio modo primæ figuræ in iure. ibidem
De quarto modo primæ figuræ in iure. ibidem,D

Caput V. de ſecunda figura ex propoſitionibus exiſtentibus. p.50.c.2.F

DE ſecunda figura ſyllogizandi. p.51.c.1.D
De medio ſecundæ figuræ. ibidem.
De diſpoſitione terminorum in ſecunda figura. ibidem,E
De definitione terminorum ſecundæ figuræ. ibidem.
De conditionibus perfecti medij. p.52.c.2.F
Quot modis contingat medium dici poſitione primum,& ultimum. ibidem
De conditionibus præmiſſarum in ſecunda figura. p.52.c.1.B
De utilibus, & inutilibus ſyllogiſmis uniuerſalibus in ſecunda figura. p.53.c.1.B
De primo modo ſecundæ figuræ. ibidem,C
De ſecundo modo ſecundæ figuræ. ibidem
De utilibus,& inutilibus ſyllogiſmis particularibus ſecundæ figuræ. p.55.c.2.B
De tertio modo ſecundæ figuræ. ibidem
De quarto modo ſecundæ figuræ. ibidem.
De cognitione utilis,& inutilis ratiocinationis. pag.57.c.1.D

Caput V. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p 60. c.1.E

DE primo modo ſecũdæ figuræ in iure. p.60.c.1.C
De ſecundo modo ſecũdæ figuræ in iure. ibid.E
De tertio modo tertiæ figuræ in iure. p.61.c.2.B
De quarto modo tertiæ figuræ in iure. ibidem,C

Caput VI. de tertia figura ex propoſitionibus exiſtentibus, p.62.c.1.B

DE tertia figura ſyllogizandi. p.62.c.1.D
De diſpoſitione terminorum in tertia figura. ibidem.
De ſyllogiſmis vniuerſalibus vtilibus, & inutilibus tertiæ figuræ. ibidem
De primo modo tertiæ figuræ. p.63.c.1.B
De ſecundo modo tertiæ figuræ. p.64.c.1.B
De ſyllogiſmis particularibus vtilibus, & inutilibus tertiæ figuræ, p.66 c.1.C
De tertio modo tertiæ figuræ. ibidem
De quarto modo tertiæ figuræ, p.66.c.2.E
De ſyllogiſmo expoſitorio. ibidem,F
De quinto modo tertiæ figuræ. p.67.c.2.C
De ſexto modo tertiæ figuræ, p.69.c.2.B

Caput VI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.72.c.1.B

DE primo modo tertiæ figuræ in iure, p.72.c.2.B
De ſecundo modo tertiæ figuræ in iure. ibid.E
De tertio modo tertiæ figuræ in iure. p.73.c.1.A
De quarto modo tertiæ figuræ in iure. ibidem,C
De quinto modo tertiæ figuræ in iure. ibidem,E
De ſexto modo tertiæ figuræ in iure. ibidem,F
De ſyllogiſmo expoſitorio in iure. p.73.c.2.A

Caput VII. de tribus figuris, & indirectis ſyllogiſmis adinuicem, & quo pacto ſyllogiſmi omnes reducantur in uniuerſales primæ figuræ. p.73.c.2.F

QVi ſyllogiſmi inutiles, utiles effici poſſint in qualibet figura. p.74.c.1.B
De ſyllogiſmis indirecte concludentibus in prima figura. ibidem,D
De reductione ſyllogiſmorum ſecundæ figuræ ad ſyllogiſmos primæ figuræ, p.76.c.1.F
De reductione particularium ſyllogiſmorum primæ figuræ ad vniuerſales eiuſdem figuræ, pag. 77.c.1.C
De reductione ſyllogiſmorum tertiæ figuræ ad ſyllogiſmos primæ figuræ. p.78.c.1.E

Caput VII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis., p.79.c.1.B

DE duobus modis indirectè concludentibus in prima figura in iure. p.79.c.1.B
De perfectione duorum modorum indirecte concludentium in ſecunda figura in iure. ibidem,D

Caput VIII. de ſyllogiſmis ex ambabus de neceſſario in tribus figuris. p.80.c.1.A

DE multiplicitate concluſionis ſyllogiſticæ. pag. 80.c.1.A
De quarto modo ſecundæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs. p.80.c.2.E
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs. p.81.c.1.B
De quinto modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs. ibidem,C
De ſecundo modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs. ibidem,D

Caput VIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.82. c.1.B

DE primo modo primæ figuræ ex utriſque neceſſarijs in iure. p.82.c.1.C
De ſecundo modo primæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,D
De tertio modo primæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,E
De quarto modo primæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,F
De primo modo ſecundæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. p.82.c.2.A
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,B
De tertio modo ſecundæ figuræ ex utriſque neceſſarijs in iure. ibidem,C
De quarto modo ſecundæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem
De primo modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,D
De ſecundo modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,E
De tertio modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure, ibidem,F
De quarto modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure, p.83.c.1.A
De quinto modo tertiæ figuræ ex vtriſque neceſſarijs in iure. ibidem,B
De ſexto modo tertiæ figuræ ex utriſque neceſſarijs in iure, ibidem,C

Caput IX. de mixtis ex una neceſſaria & altera abſoluta in prima figura. p.83.c.1.E

DE primo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. pag. 83.c.2.F
De ſecundo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. ibidem,D
De tertio modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.85 c.2.E
De quarto modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.86.c.1.B

Caput IX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.87.c.1.F

De primo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.87.c.2.A
De ſecundo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. ibidem, D
De tertio modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. ibid. F
De quarto modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.88.c.1.B

Caput X. de mixtis ex una neceſſaria, & altera abſoluta in prima figura. p.88.c.2.A

De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.88.c.2.B
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. ibidem, D
De tertio modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe & neceſſarijs. p.91.c.2.D
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. ibidem, F

Caput X. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis, p.92.c.2.D

De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.93.c.1.B
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.93.c.1.B
De tertio modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. ibidem, E
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.93.c.2.A

Caput XI. de ſyllogiſmis mixtis ex altera neceſſaria, & altera abſoluta in tertia figura. p.93.c.2.C

De primo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.94.c.1.F
De ſecundo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.94.c.2.C
De tertio modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.96.c.2.E
De quarto modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.97.c.1.A
De quinto, & ſexto modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs. p.99.c.1.C
De conuenientia, & diſcrepantia inter ſyllogiſmum ex propoſitionibus inexiſtentibus, & ſyllogiſmũ ex propoſitionibus modalibus. p.100.c.1.C

Caput XI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.100.c.2.B

De primo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.100.c.2.E
De ſecundo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.101.c.1.B
De tertio modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. ibidem. D
De quarto modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. ibidem, F
De quinto modo tertię figurę ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs in iure. p.101.c.2.F
De ſexto modo tertię figurę ex mixtis propoſitionibus de ineſſe & neceſſarijs. p.102.c.1.A

Caput XII. de contingenti non neceſſario, & propoſitionum ſecundum contingens conuerſionibus. p.102.c.1.C

De conuerſione contingentium propoſitionum ad inuicem. p.103.c.1.D
De duplici contingenti non neceſſario. p.104.c.1.F
De quo contingenti fiat ratiocinatio. p.105.c.1.E
De duobus alijs ſignificatis cõtingentis. p.106.c.1.A

Caput XII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.106.c.2.F

De contingenti non neceſſario in iure. pag. 106.c.2.F
De contingenti raro in iure. ibidem.
De contingenti ut plurimum in iure. ibidem.

Caput XIII. de ſyllogiſmis ex ambabus contingentibus in prima figura. p.107.c.1.B

De primo modo primę figurę ex propoſitionibus contingentibus. p.107.c.1.E
De ſecundo modo ſecundę figurę ex propoſitionibus contingentibus. p.107.c.2.B
De tertio modo primæ figuræ ex propoſitionibus contingentibus. p.109.c.2.E
De quarto modo primę figurę ex propoſitionibus contingentibus. ibidem. F

Caput XIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.113.c.2.E

De primo modo primę figurę ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. pag. 113.c.2.D
De ſecundo modo primę figurę ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. ibidem, E
De tertio modo primę figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. p.114.c.1.A
De quarto modo primę figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. ibidem, B

Caput XIV. de ſyllogiſmis ex una abſoluta, & altera contingenti in prima figura. p.114.c.1.E

De primo modo primę figurę ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti. pag. 115.c.1.C
De ſecundo modo primę figurę ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti. ibidem, D
De tertio modo primę figurę, ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti. p.124.c.2.E

De quarto modo primæ figuræ, ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti. p.125.c.1.A

Caput XIV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.127.c.2.B

De primo modo primæ figuræ ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti in iure. p.127.c.2.F
De ſecundo modo primæ figuræ ex una propoſitione abſoluta, & altera cõtingenti in iure. p.128.c.1.A
De tertio modo primæ figuræ, ex una propoſitione ab ſoluta, & altera contingenti in iure. ibidem, B
De quarto modo primæ figuræ, ex una propoſitione abſoluta, & altera contingenti in iure. ibidem, C

Caput XV. de mixtione contingentis, & neceſſarij in prima figura. p.128.c.1.D

Regula uniuerſalis ſyllogiſmorum ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti. p.128.c.2.B
De primo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de cõtingenti. p.129.c.2.B
De ſecundo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de cõtingenti, p.131.c.1.D
De tertio modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de cõtingenti. p.133.c.2.C
De quarto modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti, ibidem

Caput XV, de primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.136.c.2.C

De primo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. p.136.c.2.F
De ſecundo modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure, p.137.c.1.A
De tertio modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure, p.137.c.1,C
De quarto modo primæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. ibid,

Caput XVI. de ſyllogiſmis ex ambabus contingentibus in ſecunda figura. p.137.c.2.A

Regula uniuerſalis ſyllogiſmorum ex ambabus cõtingentibus in ſecũda figura. p.137.c.2.D
Quare ex duabus contingentibus propoſitionibus in ſecũda figura nullus fiat ſyllogiſmus, p.138.c.1.F

Caput XVI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis, p.143.c.2.C

An ex duabus contingentibus in ſecunda figura fiat ſyllogiſmus in iure. p.143.c.2.D

Caput XVII. de mixtione abſoluti & contingentis in ſecunda figura. p.144.c.1.E

Regula uniuerſalis ſyllogiſmorum ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti, p.144.c.2.B
De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. p.145.c.2.B
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. ibidem
De tertio modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. p.146.c.2.F
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. p.147.c.1.A

Caput XVII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.147.c.2.C

De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti in iure. p.148.c.1.B
De ſecundo modo ſecũdæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti in iure. ibidem, D
De tertio modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti in iure. pag. 148.c.2.D
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti in iure. ibid.F

Caput XVIII. de mixtione neceſſarij & contingentis in ſecunda figura. p.149.c.1.B

Regula uniuerſalis ſyllogiſmorũ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in ſecunda figura, p.149.c.1.B
De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti. pag. 149.c.2.B
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti. pag. 153.c.2.D
De tertio modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti. ibidem
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti. ibid.E

Caput XVIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.154.c.2.D

De primo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. p.154.c.2.F
De ſecundo modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. p.155.c.1.C
De tertio modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. p.155.c.2.A
De quarto modo ſecundæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. ibidem, B

Caput XIX. de ſyllogiſmis ex ambabus contingentibus in tertia figura. p.155.c.2.E

Regula uniuerſalis ſyllogiſmorum ex ambabus contingentibus in tertia figura. p.156.c.1.B
De primo modo tertiæ figuræ ex vtriſque contingentibus

gentibus propoſitionibus. p.156.c.2.B

De ſecundo modo tertiæ figuræ ex vtriſque contingentibus propoſitionibus. p.157.c.1.A

De rertio modo tertiæ figuræ ex utriſque contingentibus propoſitionibus. ibidem,E

De quatuor modo tertiæ figuræ ex utriſque contingentibus propoſitionibus. p.157.c.2.D

De quinto modo tertiæ figuræ ex vtriſque contingentibus propoſitionibus. ibidem F.

De ſexto modo tertiæ figuræ ex utriſque contingentibus propoſitionibus. p.158.c.1.A

Caput XIX. primi priorum pro Iuris ſtudioſis. p.159.c.1.D

D*E primo modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure.* p.159.c.1.E

De ſecundo modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. p.159.c.2.A

De tertio modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. ibidem,D

De quarto modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. ibidem,E

De quinto modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. p.160.c.1.B

De ſexto modo tertiæ figuræ ex utriſque propoſitionibus contingentibus in iure. ibidem,C

Caput XX. de mixtione contingentis, & ineſſe in tertia figura. p.160.c.2.A

R*Egula uniuerſalis ſyllogiſmorum tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & contingenti.* p.160.c.2.D

De primo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. ibidem,F

De ſecundo modo tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. p.161.c.1.A

De modis uniuerſalibus tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. pag. 161 c.2.B

De modis particularibus tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti. pag. 162.c.2.A

Caput XX. primi Priorum Iuris pro ſtudioſis. p.163.c.2.A

D*E modis uniuerſalibus tertiæ figuræ, ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti in iure.* p.163.c.2.A

De modis particularibus tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti, in iure. p.164.c.1.E

Caput XXI. de mixtione neceſſarij & contingentis in tertia figura. p.164.c.2.E

R*Egula uniuerſalis de ſyllogiſmis tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus, de neceſſario, & de contingenti.* p.165.c.1.C

De modis uniuerſalibus tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de contingenti, & de neceſſario. pag. 165.c.1.E

De modis uniuerſalibus tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de contingenti, & de neceſſario. p.167.c.2.C

Caput XXI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.169. c.1.C

D*E uniuerſalibus ſyllogiſmis tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure.* p.169 c.1.D

De particularibus ſyllogiſmis tertiæ figuræ ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & de contingenti in iure. p.170.c.1.D

Caput XXII. de ſyllogiſmo oſtenſiuo. p.171.c.1.A

A*N omnis ſyllogiſmus fiat per aliquam trium figurarum.* p.172.c.1.A

Caput XXII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.174.c.1.F

D*E tribus figuris ſyllogiſmorum, in iure.* pag. 174.c.2.B

Caput XXIII. de ſyllogiſmo ad impoſſibile. p.174.c.2.D

A*N ſyllogiſmi per impoſſibile fiant per aliquam trium figurarum.* p.175.c.1.B

An omnes ſyllogiſmi hypothetici fiant per aliquam trium figurarum. p.176.c.1.A

Caput XXIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.176.c.1.F

D*E ſyllogiſmo ad impoſſibile in iure.* pag. 176. c.2.A

Caput XXIV. in omni ſyllogiſmo terminum prædicatiuum. p.176.c.2.E

R*Egula uniuerſalis ſyllogiſmorum in omnibus figuris.* p.177.c.1.A

An in omnibus figuris neceſſario requiratur terminus uniuerſalis. p.178.c.2.D

Caput XXIV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.179 c.1.A

I*N omnibus figuris ſyllogiſmorum in iure requiri neceſſario terminum uniuerſalem.* pag. 179.c.1.B

Caput XXV. omnem ſyllogiſmum ex tribus tantum conſtare terminis, duabuſque propoſitionibus. p.179.c.1.E

A*N omnis demonſtratio conſtet ex tribus terminis, & duabus propoſitionib.* p.179.c.2.A

An

An aliqua concluſio poſſit per plures terminos demonſtrari, p.180.c.1.C

Caput XXV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p 182.c.2.A

AN omnis ſyllogiſmus in iure conſtet ex tribus terminis,& duabus propoſitionibus. pag, 182.c.2.B

An aliquis ſyllogiſmus in iure valeat per plures terminos concludi. ibidem,C

Caput XXVI. quo pacto dum adduntur termini propoſitiones creſcant,ac concluſiones. p.183. c.1.E

DE unitate,& multiplicitate ſyllogiſmorũ,ibid.

De diuerſa habitudine concluſionis ad terminos,& propoſitiones, necnon propoſitionum inuicem & terminorum, p.185.c.1.D

Caput XXVI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.185.c.2.D

DE augmentatione propoſitionum,& concluſionum propter additionem terminorum, pag, 185.c.2.E

Caput XXVII. de problematibus, hoc eſt propoſitis in unaquaque figura facile, & difficile conſtruendis,& deſtruendis. pag. 186.c.1.B

QVod nam problema facilius confirmari,& infirmari ualeat, p.186.c.2.B

An problemata inuicem infirmentur. pag.188.c.1.A

Caput XXVII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. ibidem

QVæ problemata facilius,difficiliusve conſtruantur,& deſtruantur in iure. p.189.c.2.B

Caput XXVIII. de Abundantia propoſitionum & inuentione medij ſyllogiſtici, p.189. c.1,C

DE rerum diuiſione. p.189.c.2.B

De quibus conſtruantur problemata, pag. 190.c.1.D

De facili inuentione medij ſyllogiſtici. p.190.c.2.F

Caput XXVIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.194.c.1.A

IN quibus uerſentur rationes ſyllogiſticę in iure, p.194.c.1.B

Quæ conſideranda veniunt in iure pro terminatione alicuius problematis, ibidem,C

Caput XXIX. quo pacto inuenienda ſunt media in omni ſyllogiſmorum genere. p.194. c.2.B

DE copia,& abundantia propoſitionum. pag. 194.c.2.C

Figura de medij inuentione in omni ratiocinandi genere. p.195.c.1.A

De inuentione medii in ſyllogiſmo uniuerſali affirmatiuo prima figura. p.195.c.2.A

De inuentione medij in ſyllogiſmo particulari affirmatiuo prima figuræ. p.196.c.1.D

De inuentione medij in vniuerſali ſyllogiſmo negatiuo prima figura, p.196.c.2.C

De inuentione medij in particulari ſyllogiſmo negatiuo prima figura. p.197.c.1.C

Quid inſpiciendum ſit in unoquoque problemate comprobando, p.200.c.1.C

Caput XXIX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.205.c.1.E

DE quatuor medij inſpectionibus pro conſtruendis ſyllogiſmis primæ figuræ in iure, pag. 205.c.2.E

Caput XXX. de ſyllogiſmis aſſertorijs, ad impoſſibile, & reliquis, qui ex hypotheſi. p.206.c.1.E

DE inuentione medij in ſyllogiſmis ad impoſſibile. p.206.c.2.A

De differentia inter ſyllogiſmum oſtenſiuum, & ad impoſſibile. p.209.c.1.E

De inuentione medij in ſyllogiſmo cõſtante ex propoſitionibus cum modo. p.211.c.1.A

Caput XXX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis, p.211.c.1.E

AN idem ualeat oſtenſiue,& per impoſſibile demonſtrari in iure. p.211.c.2.A

Caput XXXI. quod omnium ſcientiarum ſyllogiſmi ſuperioribus præceptis efficiantur. p.211.c.1.A

DE inuentione medij in qualibet ſcientia. pag. 212.c.2.B

An in omni demonſtratione ſumenda ſint principia propria illius diſciplinæ, quæ eſt peculiaris rei demonſtrandæ. p.213.c 2.D

Caput XXXI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.214.c.2.A

AN in demonſtratione differentiæ ciuilis ſumendaſint principia in ſcientia ciuili, pag. 214.c.2.B

Caput XXXII. de diuiſione. p.214.c.2.F

AN Methodus diuiſiua ſit ſufficiens pro inuentione medij. p.215.c.1.A

An Methodus diuiſiua ſit ſyllogiſmus imperfectus. p.218.c.1.A

Caput XXXII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.219.c.1.C

AN Methodus diuiſiua ſit ſufficiens pro inuentione medij in iure. p.219.c.1.C

Caput XXXIII. de ſyllogiſmorum reſolutione.p. 219.c.2.B

DE reductione ſyllogiſmorum in vnamquamque figuram. p.220.c.1.F

Caput XXXIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.222.c.2.B

DE reductione ſyllogiſmorum in vnamquamq; figuram in iure. p.222.c.2.C

Caput XXXIV. de reſolutione in terminos. p.222.c.2.F

DE deceptione propter illationis neceſſitatem. p.222.c.2.A

De modo obſeruando pro reductione ſyllogiſmi ad quamlibet figuram. p.223. c.1.D

Caput XXXIV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.224. c.1.C

AN in qualibet quæſtione in iure inſpiciendum ſit in propriam figuram. p.224.c.1.D

Caput XXXV. de deceptione iuxta ſimilitudinem terminorum. p.224.c.2.A

DE deceptione propter ſimilitudinem poſitionis terminorum. p.224.c.2.E

Caput XXXV. pro Iuris ſtudioſis. p.226.c.2.C

DE deceptione ob ſimilitudinem poſitionis terminorum in iure. p.227.c.2.D

Caput XXXVI. de ecthesi terminorum. p.227.c.1.E

DE deceptione ob diuerſam aſſumptionem terminorum. p.227.c.1.F

Caput XXVI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.229.c.1.A

DE deceptione ob diuerſam aſſumptionem terminorum in iure. ibidem,E

Caput XXXVII. de ecthesi terminorum cōpoſitorum,& obliquorum ſyllogiſmi. p.229.c.2.A

DE deceptione ob inquiſitionem nominis non exiſtentis. p.229.c.2.E

An termini ſemper ſint exponendi ſecundum caſus ſimilitudinem,in reductione propoſitionum in terminos. p.230.c.2.F

De uariatione terminorum in reſolutione ſyllogiſmorum. p.231.c.2.E

De uarietate prædicatorum in propoſitionibus. pag. 234.c.1.F

Caput XXVII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.234.c.2.F

AN in reſolutione propoſitionum in terminos ſemper inquirenda ſit res nomine expreſſa in iure. p.235.c.1.B

An in ſelectione terminorum in iure vtendum ſit recto caſu, uel prout congruum eſt. ibidem,C

De uariatione terminorum ſecundum diuerſitatem prædicatorum in iure. ibidem,E

Caput XXXVIII. de Anadiploſi, & theſi ſyllogiſmorum. p.235.c.2.B

DE deceptione ob reduplicationem terminorum. p.235.c.2.F

Caput XXXVIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.238.c.1.E

DE deceptione ob interpoſitam reduplicationem in iure. p.238.c.1.F

De theſi, & hypotheſi ſyllogiſmorum in iure. pag 238.c.2.D

Caput XXXIX. pro debita reſolutione præcepta. p.239.c.1.E

DE prima uariatione terminorum in reſolutione propoſitionum in terminos. p.240.c.1.F

De alia uariatione terminorum in reſolutione propoſitionum in terminis. p.240 c.1.E

An reſolutio propoſitionum in terminos fieri debeat ſecundum figuram vniuſcuiuſque concluſionis. p.242.c.1.C

An in deſtructione alicuius particulæ poſitæ in definitione ſeligendus ſit tantum terminus, quem a definito remouere uolumus, an tota definitio. p.243.c.1.D

Caput XXXIX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.243.c.2.D

AN termini notiores ſumendi ſint in reſolutione propoſitionum in iure. p.243.c.2.E

An volentes deſtruere aliquem terminum in definitione poſitum in iure debeant illum tantum terminum ſumere. ibidem,F

Caput XL. de reſolutione ſyllogiſmorum ad impoſſibile,& ex hypotheſi. p.244. c.1.B

DE reſolutione ſyllogiſmi hypothetici. pag. 244.c.1.D

De reſolutione ſyllogiſmi ad impoſſibile.p.245.c.1.E

Caput X L. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.246.c.1.B

DE reſolutione ſyllogiſmi hypothetici in iure. p.246.c.1.C

De reſolutione ſyllogiſmi ad impoſſibile in iure. ibid.

Caput X L I. de reciproca reductione ſyllogiſmorũ unius figuræ in aliã. p.246.c.2.C

DE reductione primæ figuræ in ſecundam. pag. 246.c.2.F

De reductione ſecundæ figuræ in primã.p.247.c.2.E

De reductione primæ figuræ in tertiã. p.248.c.2.F

De reductione tertiæ figuræ in primã. p.249.c.2.E

De reductione ſecundæ figuræ in tertiã.p.251.c.2.E

De reductione tertiæ figuræ in ſecundã. p.252.c.1.E

Caput XLI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.253.c.1.A

DE reductione primæ figuræ in ſecundam, & è conuerſo in iure. p.253.c.2.B

De reductione primæ figuræ in tertiam & è conuerſo in iure. p.254.c.1.D

De reductione ſecundæ figuræ in tertiam, & è conuerſo in iure. p.255.c.1.C

Caput XLII. de ſyllogiſmis ex propoſitionibus infinitis,& priuatorijs, p.255.c.2.E

DE differentia inter negatiuam ſimplicem, & affirmatiuã de prædicato infinito.p.255.c.2.F

De ordine propoſitionum ſimplicium, & affirmatiuarum de prædicato infinito. p.258.c.2.A

De ordine ſimplicium affirmatiuarum propoſitionũ, & priuatiuarum inuicem. p.259.c.2.B

An oratio de prædicato infinito ſit negatio ſimplicis affirmationis. p.260.c.1.C

De diuerſitate demonſtrationis ſimplicis negatiuæ, & affirmatiuæ tranſpoſitæ. p.260.c.2.F

De quatuor regulis conſecutionis propoſitionum, p.262.c.1.A

Caput XLII, primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.264.c 2. B

DE triplici differentia propoſitionum in iure. p.264.c.2.C

De quatuor regulis conſecutionis propoſitionum in iure, ibidem,D

Caput primum ſecundi Priorum, qui ſyllogiſmi plures poſſint concludere concluſiones. p.265.c.1. A

DE inuentione Ariſtotelis in ſecundo libro Priorum. p.265.c.1.C

Qui ſyllogiſmi plures concluſiones concludere valeant. p.266.c.1.C

Caput primum ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.269.c.1.D

QVi ſyllogiſmi plures concluſiones inferre valeant in iure. p.269.c.1.F.

Caput I I. quod ex falſis in prima figura uerum colligatur. p.270.c.1.E

AN ex utriſque veris propoſitionibus verum colligatur in prima figura. p.270.c.2.B

An ex utriſque falſis propoſitionibus uerum colligi poſſit in prima figura. p.272.c.1.B

An ex una propoſitione tantum uera, uerum colligi poſſit in prima figura. p.273.c.1.D

Caput I I. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.280.c.2.B

AN ex utriſque ueris in iure uerum ſyllogizari poſſit in prima figura. p.280.c.2.C

An ex utriſque falſis in iure uerum ſyllogizari poſſit in prima figura. ibidem,D

An ex una uera, & altera falſa in iure uerum colligi poſſit in prima figura. ibidem,F

Caput I I I. quod colligatur uerum ex falſis in ſecunda figura. p.281.c.1.D

AN ex utriſque falſis uerum colligi poſſit in ſecunda figura. p.281.c.2.B

An ex una uera,& altera falſa uerum colligi poſſit in ſecunda figura. p.282.c.1.E

Caput III. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.282.c.2.B

AN ex vtriſque ueris propoſitionibus in iure uerum colligi poſſit in ſecunda figura. pag. 286.c.1.D

An ex utriſque falſis propoſitionibus in iure uerum colligi poſſit in ſecunda figura. ibidem,F

An ex una uera propoſitione,& altera falſa in iure uerum colligi poſſit in ſecũda figura.p.287.c.1.B

Caput I V. quod ex falſis uerum identidem colligatur in tertia figura. p.287.c.2.B

AN ex utriſque falſis propoſitionibus in tertia figura uerum colligatur. p.287.c.2.F

An ex una uera, & altera falſa uerum colligi poſſit in tertia figura. p.289.c.2.D

Caput IV. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.293.c.2.B

AN ex utriſque ueris propoſitionibus in iure uerum ſequatur in tertia figura.p.293.c.2.C

An ex utriſque falſis propoſitionibus in iure uerũ ſequatur in tertia figura. ibidem.D

An ex una uera,& altera falſa in iure uerum ſequatur in tertia figura. ibidem.E

Caput V. de circulari oſtenſione in prima figura. p.294. c.1.A

QVomodo fiat circulus. p.294.c.1.D

In quibus terminis fiat circulus. p.295.c.1.C

An circularis demonſtratio fiat ſolummodo in terminis conuertibilibus. p.296.c.1.D

Caput V. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.298. c.2.D

DE circulari demonſtratione in iure in primo modo primæ figuræ. p.298.c.2.E

De circulari demonſtratione in iure in ſecundo modo primæ figuræ. p.299.c.1.F

De circulari demonſtratione in iure in tertio modo primæ figuræ. p.299.c.2.C

De circulari demonſtratione in iure in quarto modo primæ figuræ. ibidem,E

Caput V I. de circulari oſtenſione in ſecunda figura. p.300.c.1.A

QVæ propoſitiones circulariter demonſtrentur in ſecunda figura. p.300.c.1.D

Caput V I. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.301.c.2.E

DE circulari demonſtratione in iure in ſecunda figura, p.301.c.2.F

Caput

Caput VII. de circulari oſtenſione in tertia figura. p.302.c.2.D

QVæ propoſitiones circulo demonſtrentur in tertia figura. p.302.c.2.F

Quando fiat circularis oſtenſio in tertia figura. p.304.c.1.F

Caput VII. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.305.c.1.F

DE circulari demonſtratione in iure in tertia figura. p.305.c.2.A

Caput VIII. de ſyllogiſmo conuerſiuo. p.306.c.1.C

DE triplici differentia conuerſionis. p.306.c.2.A

De definitione ſyllogiſmi conuerſiui. ibidem, B

De ſyllogiſmo conuerſiuo in primo modo primæ figuræ. ibidem, C

De ſyllogiſmo conuerſiuo in ſecundo modo primæ figuræ. p.307.c.2.A

De differentia conuerſionis concluſionis principalis in contrariam, & contradictoriam. p.308.c.1.A

De ſyllogiſmo conuerſiuo in tertio modo primæ figuræ. p.309.c.1.C

De ſyllogiſmo conuerſiuo in quarto modo primæ figuræ. ibidem, F

Caput VIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis p.310.c.1.D

DE ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in primo modo primæ figuræ. p.310.c.1.F

De ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in ſecundo modo primæ figuræ. p.310.c.2.D

De ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in tertio modo primæ figuræ. ibidem, D

De ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in quarto modo primæ figuræ. p.311.c.1.B

Caput IX. de ſyllogiſmo conuerſiuo in ſecunda figura. p.311.c.1.E

DE ſyllogiſmo conuerſiuo in modis vniuerſalib. ſecundæ figuræ. p.311.c.2.C

De ſyllogiſmo conuerſiuo in modis particularibus ſecundæ figuræ. p.312.c.2.F

Caput IX. ſecundi priorum pro Iuris ſtudioſis, p.313.c.2.F

DE ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in modis vniuerſalibus ſecundæ figuræ. p.313.c.2.F

De ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in modis particularibus ſecundæ figuræ. p.314.c.1.F

Caput X. de ſyllogiſmo conuerſiuo in tertia figura. p.314.c.2.D

DE ſyllogiſmo conuerſiuo in vniuerſalibus modis affirmatiuis tertiæ figuræ. p.315.c.1.A

De ſyllogiſmo conuerſiuo in particularibus modis affirmatiuis tertiæ figuræ. p.315.c.2.F

De ſyllogiſmo conuerſiuo in vniuerſalibus modis negatiuis tertiæ figuræ. p.316.c.2.D

De ſyllogiſmo conuerſiuo in particularibus modis negatiuis tertiæ figuræ. p.317.c.2.B

Caput X. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.318.c.2.B

DE ſyllogiſmo conuerſiuo in iure in tertia figura. p.318.c.2.F

Caput XI. de ſyllogiſmo per impoſſibile. p.319.c.1.F

QVid ſit ſyllogiſmus per impoſſibile. p.319.c.2.D

De conuenientia, & diſcrepātia inter conuerſiuum ſyllogiſmum, & per impoſſibile, ibid.

Quæ problemata per impoſſibile demonſtrentur. p.320.c.2.D

An problema particulare affirmatiuum per impoſſibile demonſtretur in prima figura. p.321.c.2.C

An problema vniuerſale negatiuum per impoſſibile demonſtretur in prima figura. p.322.c.1.F

An problema particulare negatiuum demonſtretur per impoſſibile in prima figura. p.323.c.2.C

Caput XI. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.325.c.1.C

QVomodo problema particulare affirmatiuum in iure demonſtretur per impoſſibile. p.325.c.2.A

Quomodo problema vniuerſale negatiuum in iure demonſtretur per impoſſibile. ibidem, C

Quomodo problema particulare negatiuum in iure demonſtretur per impoſſibile. ibidem, E

Caput XII. de ſyllogiſmo per impoſſibile in ſecunda figura. p.326.c.1.D

AN problema vniuerſale affirmatiuum in ſecunda figura demonſtretur per impoſſibile. p.326.c.2.A

An particulare problema affirmatiuum in ſecunda figura demonſtretur per impoſſibile, p.327.c.1.B

An problema vniuerſale negatiuum in ſecunda figura per impoſſibile demonſtretur. p.327.c.2.A

An problema particulare negatiuum in ſecunda figura per impoſſibile demonſtretur. ibidem, E

Caput XII. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.328.c.1.C

AN problema vniuerſale affirmatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in ſecunda figura. p.328.c.1.D

An problema particulare affirmatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in ſecunda figura. ibi. E

An problema vniuerſale negatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in ſecunda figura. p.328.c.2.A

An problema particulare negatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in ſecunda figura. ibi. C

Caput XIII. de ſyllogiſmo per impoſſibile in tertia figura. p.328.c.2.E

AN problema vniuerſale affirmatiuum per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. p.328.c.2.F

An problema particulare affirmatiuum per impoſſibile demōſtretur in tertia figura, p.329.c.1.F

An problema vniuerſale negatiuum per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. p.329.c.2.D

An problema particulare negatiuum per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. p.330.c.1.C

Caput XIII. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.330.c.2.C

AN vniuerſale problema affirmatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. p.330.c.2.D

An particulare problema affirmatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. ibidem, E

An vniuerſale problema negatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. ibidem.

An particulare problema negatiuum in iure per impoſſibile demonſtretur in tertia figura. ibidem, F

Caput XIV. quo oſtenſiua, & quæ ad impoſſibile ducit demonſtratio, differant. p.331.c.1.B

DE differentia inter ſyllogiſmum oſtenſiuum, & ad impoſſibile. p.331.c.2.A

An vnumquodque problema quod per impoſſibile demonſtratur, etiam oſtenſiue ſyllogizetur per eoſdem terminos. p.332.c.2.B

Caput XIV. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.336.c.2.B

QVomodo vnumquodque problema in iure per impoſſibile monſtratum per primam figuram, monſtretur oſtenſiue in iiſdem terminis, per ſecundam, aut tertiam figuram. p.336.c.2.C

Quomodo vnumquodque problema in iure monſtratum per impoſſibile per ſecundam figuram, oſtenſiue monſtretur per primam. p.337.c.1.C

Quomodo vnumquodque problema in iure monſtratum per impoſſibile per tertiam figuram, oſtenſiue monſtretur aut per primam aut per ſecundam. p.337.c.2.E

Caput XV. de Ratiocinatione ex oppoſitis in prima figura. p.338.c.2.B

DE duplici oppoſitione propoſitionum. p.338.c.2.D

An in prima figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus. p.339.c.1.E

Caput XV. ſecundi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.339.c.2 D

AN in prima figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionib. in iure. p.339.c.2.E

Caput XVI. de Ratiocinatione ex oppoſitis in ſecunda figura. p.340.c.1.A

AN in ſecunda figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus. p.340.c.1.F

Caput XVI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.341.c.2.C

AN in ſecunda figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus in iure. p.341.c.1.F

Caput XVII. de ſyllogiſmo ex oppoſitis in tertia figura. p.341.c.2.C

AN in tertia figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus. p.342.c.2.B

De multiplicitate ſyllogiſmorum ex oppoſitis propoſitionibus. p.342.c.2.F

De differentia inter ſyllogiſmum conſtantem ex falſis propoſitionibus. p.343.c.2.A

An per vnum ſyllogiſmum ſit contraria ſyllogizare. p.344.c.1.C

Caput XVII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.344.c.2.E

AN in tertia figura fieri poſſit ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus in iure. p.344.c.2.D

Caput XVIII. De petitione principij. p.345.c.1.A

QVid ſit petitio principij. p.345.c.1.F

De petitione principij in prima figura. p.346.c.2.B

An petitio principij fiat in omnibus figuris. p.347.c.2.B

Caput XVIII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.348.c.1.C

DE petitione principij in iure. p.348.c.1.C

Caput XIX. de non propter hoc accidere falſum. p.348.c.2.B

DE ſecundo vitio ſyllogiſmi, quod eſt non propter hoc accidere falſum, & quando fiat. p.348.c.2.F

De primo modo eius, quod eſt non propter hoc accidere falſum. p.350.c.1.F

Caput XIX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.352.c.1.E

DE non propter Hoc accidere falſum in iure. p.352.c.1.F

Caput XX. de falſa ratiocinatione. p.352.c.2.C

AN falſa concluſio ſupponat ſemper aliquod primo falſum. p.352.c.2.F

De modo defendendi, & impugnandi ſuppoſitum. p.353.c.2.C

De redargutione. p.354.c.2.E

Caput XX. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.355.c.1.E

AN falſa concluſio in iure ſequatur propter falſum poſitum in præmiſſis. p.355.c.2.A

Caput XXI. de fallacia ſecundum opinionem. p.355.c.2 E

DE fallacia noſtræ exiſtimationis. p.356.c.1.C

De tribus ſignificatis ipſius ſcire. p.360.c.1.E

Caput XXI. primi priorum pro Iuris ſtudioſis. p.361.c.2.D

DE fallacia noſtræ exiſtimationis in iure. p.361.c.2.E

Caput XXII. de conuerſionibus terminorum. p.362.c.1.C

DE conuerſione in ſyllogiſmo vniuerſali affirmatiuo. p.362.c.1.E

De conuerſionibus in ſyllogiſmo vniuerſali negatiuo p.362.c.2.E

De prima regula conſequentiæ in conuerſionibus terminorum. ibidem.

De ſecunda regula conſequentiæ in conuerſionibus terminorum. p.363.c.2.B

De tertia regula conſequentiæ in conuerſionibus terminorum. p.364.c.1.D

De quarta regula conſequentiæ in conuerſionibus terminorum. p.364.c.2.D

De quinta regula conſequentiæ in conuerſionibus terminorum. p.365.c.1.D

De ſexta regula conſequentiæ in conuerſionibus termino-

minorum. *p.365.c.2.E*

Quod magis eligibile ſit diligere quam coire. *p.366.c.2.E*

Caput XXII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.366.c.1.C

DE ſexta regula conſequentiæ in conuerſionib. terminorum in iure. *p.366.c.1.D*

Caput XXIII. De reductione inductionis ad ſyllogiſmum. p.368.c.1.B

DE differentia inter ſyllogiſmum, & inductionem. *p.368.c.2.E*

Caput XXIII primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.369.c.1.C

DE inductione in iure. *p.369.c.1.D*
De ſyllogiſmo inductiuo in iure. *p.369.c.2.B*

Caput XXIV. de exemplo. p.369.c.2.D

DE Argumentatione per exemplum. *p.370.c.1.C*

Caput XXIV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.372.c.2.B

DE exemplo in iure. *p.371.c.2.C*
De argumentatione per exemplum in iure. *ibidem, F*

Caput XXV. De Apagoge, Deductioneque. p.372.c.1.C

DE Argumentatione per deductionem. *p.372.c.2.B*

Caput XXV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.373.c.2.A

DE Argumentatione per deductioncem in iure. *p.373.c.2.A*

Caput XXVI. De Inſtantia. p.373.c.2.C

DE Definitione inſtantiæ. *p.373.c.2.F*
De inſtantiuo ſyllogiſmo. *p.374.c.2.B*

Caput XXVI. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.376.c.2.C

DE inſtantiuo ſyllogiſmo in iure. *p.376.c.2.D*
De inſtantia in iure. *ibidem, F*

Caput XXVII. de indicio, & enthimemate. p.377.c.1.B.

DE veriſimili. *p.377.c.1.D*
De ſigno. *p.377.c.2.A*
De enthimemate. *ibidem, F*
De ſyllogiſmo enthimematis. *p.377.c.1.A*
De indicio. *p.379.c.2.D*

Caput XXVII. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis. p.380.c.1.A

DE enthimemate ex probabilibus in iure. *p.380.c.1.B*
De enthimemate ex neceſſarijs in iure. *ibidem, C*

Caput XXVIII. de ſyllogiſmo phiſiognomico. p.380.c.2.A

DE duplici natura accidentium. *p.380.c.2.D*
De ſyllogiſmo phiſiognomico. *p.382.c.1.F*

Caput XXVIII. primi Priorum pro Iuris ſtuddioſis. p.382.c.2.F

DE phiſionomica in iure. *p.382.c.2.F*
De ſigno in iure. *ibidem.*

F I N I S.

Errata ſic corrigantur, Primus numerus indicat paginam, Secundus columnam, Tertius lineam.

Pagina 1. columna 1 linea 10. ſubiectum, l. ſubiectum. 4.2.22. veritatis, l. veritas. 5.2.1.28. illo, l. illi. 10.2.1. minus, l. minus. 10.2.49. dici, l. dicit. 11.1.41. partem, l. partis. 11.2.54. erratur, l. errat. 12.2.53. vtitur, l. vtimur. 13.1.11. intelligetur, l. intelligit. 13.2.32. parte, l. partes. 14.1.18. reſoluatur, l. reſoluantur. 14.2.12 definitione l. à definitione. 16.1.39. vtrq; l. vterque. 17.1.9. participant, l. participat. ibidem 34. naturam, l. natura. 22.1.8. negatiuas, l. regulas. 28.1.31. partes, l. per res. 29.1.60. conuerſionum, l. conuerſionem. 31.2.7. vtriuſque, leg. vtriſque. 32.2.45. manum, l. materiam. 33.1.36. et ſiunt, l. & faciunt. 38.2.3. incipiunt, l. incipit. 38.2.31. ſubſtantia, l. homo. 40.1.27. conuertit, leg. conſtituit. 41.2.10. omni, l. omnis. 43.2.42. quoddam ſit l. quoddam C. ſit. 46.1.14. album, l. alborum. 46.1.57. conueniunt, l. conueniant. 47.2.46. coniugationes, l. coniugationum. 50.2.42. Metellus, l. Metellum. ibidem 41. conſecuti, l. conſecutum. 54.1.9. in termini l. in terminis. 54.1.25. euidentiam, l. euidentia. 55.2.18. et, l. ex. 56.2.39. et, l. ex. 58.1.42. et non, l. nec non. 58.2.8. et, l. ex. ibidem. 24. homo l. homine. ibidem. 59. et, l. ex. 60.1.27. ponatur, l. ponantur. ibidem. 51. conſtare l. conſtat. 61.1.39. diſpoſitam, l. diſpoſitum. 61.2.3. culpa, l. culpam. 62.1.33. accider, leg. accedit. 68.2.41. et, l. vt. 76.1.12. ſyllogiſmus, l. ſyllogiſmi qui. 76.2.22. negatio, l. negata. 77.1.22. mediate l. mediante. 79.1.36. dicta, l. dicta. 58.1.4. heredem, l. heres. 93.1.25. ſubiecto, l. ſubiectus. 96.2.20. prædicatur, l. prædicantur. 97.1.49. B eſt A, l. A eſt B. 101.2.23.28. licentiam, leg. licentia. ibidem 32. vniuerſalem, l. vniuerſalium. 103.2.19. conuertit, l. conuertantur. 104.2.2. continuatio, l. continuo. 105.2.28. diſcurſum, l. diſcuſſis. ibidem 32. ... 105.1.45. nate, l. nato. 106.1.47. et, l. ex. 106.2.4. exorſum, l. exordium. 110.2.8. ſit, l. ſi. 111.1.36. accedit, l. accidit. 116.2.34. promiſſis, leg. permiſſi. 117.1.21. alterius, l. vlterius. 118.1.51. formatum l. formatam. 119.2.6. datet, l. datur. 122.2.1. concretam, leg. concretum. 124.1.43. conſtant, l. conſtat. 131.1.26. declaratur, l. declarato. 132.1.40. animal, l. alba. 135.2.40. valet, l. valeat. 141.2.36. negatiua, l. negata. ibidem 37. propoſitionis, l. propoſitionibus. 143.2.31. autem, l. aut. 152.2.35. exiſtentem, l. extremitatem. 155.2.37. vt, l. &. 158.2.29. quę, l. qua. 159.2.60. caduci l. caducum. 162.2.51. 170.1.2. ibidem 40. 170.2.36. licentiam, l. licentia. 170.2.47. aliquam, l. aliqua. ibidem. licentiam, l. licentia. 174.1.1. communicat, l. communicare. 176.1.14. concludis, l. concludatur. 179.2.45. idem, l. eundem. 181.2.50. neceſſaria, l. neceſſario. 182.1.41. ſumptum, l. ſumptam. 188.2.55. conuerſiones, l. conuerſionem. 198.1.25. omne, l. omni. 201.1.14. affirmatiua, l. affirmatiuo. 203.1.42. A, l. H. 214.1.52. et, l. vt. 214.2.27. conſequenti, l. cum ſequenti. 220.2.18. omittens, l. omittentes. 225.1.33. vniuerſalem, l. vniuerſalis. 227.1.41. indifferenter, l. indifferenter. 238.1.55. concludone, l. concluſione. 238.2.57. patet, l. patet. 241.2.13. eidem, l. eodem. 242.1.19. nam, l. non. 247.2.3. ſtung, l. ſecundę. 256.2.45. non ſcit, l. ſcit non. 262.2.40. ad D, l. ad B. 262.2.54. conſequentis, l. antecedentis. ibidem. 55. antecedentis, l. conſequentis. 263.2.13. contingens, l. continget. ibidem 59. hominis, l. hominis. 264.2.13. ſumptam, l. ſumptum. 265.1.28. facere, l. fuere. 266.2.39. neceſſariam l. neceſſarium. 271.2.30. ſumuntur, l. ſumeatur. 278.2.51. concluſum, l. concluſam. 279.1.32. vera, l. veram. 286.1.45. ineſſe l. non ineſſe. 295.2.51. coniugatio l. coniugatę. 296.1.17. quo eſt conuerſa, l. quę eſt conuerſa. 297.1.6. conuerſa, l. conuerſam. 300.2.42. concluſione, l. concluſio. 306.2.46. maior, l. minor. 307.1.17. contrariam, l. contraria. ibidem 46. concluditur, l. concludit. 312.2.14. maiori propoſitioni, l. maior propoſitio. 316.1.13. 317.2.36. maior, l. minor. 327.1.5. contradictoria l. contraria. 237.2.25. duobus, l. duabus. ibidem. tertio, l. in tertio. ibidem 52. demonſtrare, l. demonſtrari. 331.2.25. in ſyllogiſmum, l. in ſyllogiſmo. 346.2.49. demonſtratur, l. demonſtrator. 347.1.24. eſt A, leg. eſt B. 350.1.2. impoſſibile, l. ad impoſſibile. 351.2.29. ſumendum l. ſumendo. 352.2.24. eſt, l. &. 355.2.17. quomodo, leg. quod. 356.1.26. vtriuſque leg. vtriſque. 358.2.32. ſenſibilius l. ſenſibilis. 360.1.42. manifeſtat, l. manifeſtet. ibidem. 52. nam l. natura. 361.1.36. reſponderet, l. reſpondet. 361.2.34. cognitione, l. cognatione. 362.1.35. extremam, l. extrema. 364.2.8. omne D erit B l. omne B erit D. 368.1.12. omni, l. omnia. ibidem 25. declaratum l. declaratam. 375.2.30. contrariorum l. contrarium. 370.2.17. perfecta, l. perfectus. ibidem. 15. imperfecta, l. imperfectus. 380.2.15. mediate, l. mediante. ibidem. 41. vnam, l. vna. ibidem. 52. ſuppoſitio, l. ſuppoſito eſſe.

C O P I A.

Gli Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relatione delli due à queſto Deputati; cioè del R. Padre Inquiſitor, & del Circ. & fedeliſſimo Segretario del Senato Gio. Maraueglia con giuramento, Che nel libro intitolato Comentarij di Pietro Marta in Logica non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di Stampa, concedono licentia, che poſſa eſſere ſtampato in queſta Città.

Dat. Die X. Octobris. M DC.XII.

D. Marc'Antonio Valareſſo.
D. Franceſco Correr } Capi dell'Eccelſo Conſiglio de' X.
D. Pietro Moreſini.

Excelſi Conſilij X. Secretarius Petrus Darduinus.

1612. adi 12. Ottobre Regiſtrato in libro à carte. 114. a tergo.

Io. Baptiſta Breatto officij Con. Blaſph. Coad.

PETRI MARTAE

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS

COMMENTARIA IN PORPHYRIVM
Ad vſum Iuris Ciuilis accommodata.

TRACTATVS PRIMVS.

CONSVEVERE hi, qui Philoſo- A
phorum libros exponere onus ſuſceperunt (referente Ammonio in ſua in Porphyrium expoſitione) in initio nonnulla dicere: quibus cognitis, facilior nobis ad ea, quæ in libris illis tractantur, aditus heret, quæ Græcè Prolegomena, Latinè Prælectiones nuncupantur: quę autem prælibari debent, ſunt iſta, videlicet,

Propoſitum, ſiue intentio ſcribentis.

Vtilitas. B

An liber ſit legitimus

Libri inſcriptio.

Capitum diuiſio.

Docendi modus.

Ad quam partem Philoſophiæ liber ille referatur.

Nomen Auctoris.

Quæ omnia conſiderabimus antequam ad Libri Porphyrij interpretationem accedamus.

Quo ad primum attinet, dico, quòd intentio Porphyrij in hoc libro, eſt agere de quinque C
vniuerſalibus, ſeu de quinque prædicabilibus, quæ ab Ammonio appellantur voces ſimplices.

Quæ intentio Porphyrij clarè ex verbis eiuſdem elicitur, cum in Procemio de his agere proponit, videlicet, de Genere, Differentia, Specie, Proprio, & Accidente.

A
Hæc autem, vt optimè aſſerit Diuus Thomas in ſuo Tractatu de Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilibus cap. 1. realiter ſunt idem, ratione differunt. Dicuntur enim vniuerſalia, prout intellectus attribuit eis eſſe in pluribus; prædicabilia verò dicuntur, prout intellectus attribuit eis dici de pluribus. Vnde pro intelligentia notandum, quòd vniuerſale dicitur multipliciter.

Primo modo, Capitur vniuerſale pro ſigno vniuerſali diſtributiuo, vt omnis, nullus; & circa tale vniuerſale conſideratur quantitas propo-
B
ſitionum lib. 1. Perier. cap. 5. & lib. 2. cap. 1.

Secundo modo, Capitur pro vniuerſali in intelligendo, & hoc dicitur eſſe potentia noſtra intellectiua, ſiue noſter intellectus poſſibilis, cuius eſt omnia fieri, dicebat Ariſtoteles 3. de Anima: nam vniuerſale dicitur noſter intellectus, quoniam vniuerſaliter, & communiter, ſiue indifferenter poteſt intelligere cunctas res mũdi.

Tertio modo, Capitur pro vniuerſali in cauſando, vt Deus, qui cum ad omnia entia, & ad omnes effectus concurrat, dicitur vniuerſale in
C
cauſando. De hoc vniuerſale mentionem facit Ariſtotel. 1. Metaph. cum dicit, vniuerſalia eſſe difficillima; ſunt enim remotiſſima à ſenſibus, & per hæc vniuerſalia intellexit præcipuè Deũ glorioſum, poſtea alias ſubſtantias abſtractas.

Quarto modo ſumitur pro vniuerſali in recipiendo, & hoc dicit̃ eſſe materia prima, quæ cũ

ſit receptrix omnium formarum, & ſubiectum omniũ tranſmutationum, dicitur vniuerſale in recipiendo, quia vniuerſaliter, & indifferenter omnibus formis ſubijcitur.

Quinto, modo ſumitur pro vniuerſali in repræſentando, vt ſpecies intelligibiles, quæ repræſentat naturam communem, & vniuerſalem. Sciendum eſt enim, quòd omnis intellectio fit per quandam imaginem rerum; intellectus enim ſingularia cognoſcit per phantaſmata, quę ſunt imagines rerum ſingularium: vniuerſalia autem, & naturam vniuerſalem, cognoſcit per ſpecies intelligibiles, quæ quidem ſunt imagines, ſimulacra, & effigies naturarum communium, ſeu vniuerſalium.

Sexto modo, Capitur vniuerſale, pro vniuerſali in prædicando, & tale eſt, quòd vniuerſaliter, & communiter de pluribus prędicatur.

Et tale vniuerſale definitur 1. Perier. in principio quinti capitis, & 1. Poſter. tex. com. 81. Per hoc quòd ſit vna natura in multis ſingularibus, & quod ſit id, quod aptum natum eſt prædicari de multis; & tale vniuerſale dicitur natura collecta per intellectum à ſingularibus cognitis ſecundum conuenientiam, quam habent ipſa ſingularia. Et de hoc vniuerſali ſexto modo capto intendit Porphyrius agere.

Et quoniam, vt diximus ſuperius, vniuerſale dicitur prædicabile, & è conuerſo, quoniam vt vnum eſt in multis dicitur vniuerſale, & vt vniuerſale dicitur de pluribus, dicitur prædicabile. Ideo dicimus, quod etiam prædicabile dicitur multis modis.

Primo modò, Capitur prædicabile pro eo quod poteſt prædicari vel de vno, vel de pluribus, vel vniuocè, vel ęquiuocè, vel analogicè, vel directè, vel indirectè, ſiue per ſe, ſiue per accidens, & hoc modo dicitur communiſſimus modus prædicandi. Competit enim vniuerſali, generi, ſpeciei, indiuiduo, &c.

Secundo modo, Capitur pro prædicari de pluribus, vel æquiuocè, vel analogicè, vel vniuocè.

Tertio modo, Capitur pro prædicari vniuocè, & hoc dupliciter, vel vniuocè, propriè, vel quaſi vniuocè, ideſt analogicè. Propriè vniuocè prædicatur genus proximum, & ſpecies ſpecialiſſima; vniuocè analogicè prædicantur generaliſſima, & hoc vltimo modo ſumitur hic prędicabile.

Secundo, Accedit vtilitas: eſt autem liber ille vtilis ad quatuor ſecundum Auer. ad prædicamenta Ariſt. ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem. At ſecundum Ammonium, nõ ſolum eſt vtilis ad prædicamenta Ariſtot. definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem, verum etiam ad totam Philoſophiam.

Erat tertium caput, an ſcilicet liber ille ſit legitimus. Ad hoc dicit Ammonius, hunc librum eſſe legitimũ Porphyrij clarum eſt, tum ex ipſa elocutione, tum quia ſępiſſimè de his quæ in hoc loco præcepta tradidit, mentionem fecit.

Quartum caput erat inſcriptio: inſcribitur an-
A tem liber ille Iſagogi Grecè, Latinè introductio ſonat, eo quoniam dicitur introductorius ad prędicamenta, eſtq; nobis aditus quidam ad omnes artes, & ſcientias.

Boetius in ſecunda æditione hunc in locum declarat, quomodo liber ille dicatur introductorius ad prædicamenta Ariſt.

Dicit enim, quòd Ariſt. decem rerum omniũ genera eſſe conſiderauit, videlicet ſubſtantiam vnam, & nouem accidentia, nempè quantitatẽ, Qualitatem, Relationem, Vbi, Quando, Situm,
B Habere, Facere, Pati.

Quæ quidem genera omnibus a ſe differentijs diſtributa ſunt, nec quicquam videntur habere commune niſi tantum nomen; quoniam omnia eſſe prædicantur, quippe ſubſtantia eſt, quantitas eſt, qualitas eſt, & de alijs omnibus verbum eſt communiter prædicatur. Sed non eſt eorum communis vna ſubſtantia, vel natura, ſed tãtum nomen; itaque decem genera ab Ariſtotele reperta omnibus a ſe differentijs diſtributa ſunt; ſed quæ aliquibus differentijs disiunguntur, ne-
C ceſſe eſt vt habeant proprium quidam, quòd ea in ſingularem, ſolitariamq; vendicet formam, Non eſt autẽ idem propriũ, quod accidens: accidentia enim, & adeſſe, & abeſſe poſſunt: propria verò ita ſunt inſita, vt abſque his, quorum propria ſunt eſſe non poſſint. Ad horum itaque decem prædicamentorum intelligentiam euenit, vt quinque horum vniuerſalium tractatus, Generis, ſcilicet differentiæ, ſpeciei, proprij, & accidentis incurreret, generis quidem, quoniam oportet ante prædiſcere quid ſit genus, vt decem illa,
D quæ Ariſtoteles cæteris antepoſuit rebus, genera eſſe poſſimus agnoſcere: ſpeciei verò cognitio plurimum valet, vt quę cuiuſque generis ſit ſpecies poſſit agnoſci; ſimiliter ſcientia differentiarum prodeſt: qualitatem enim a ſubſtantia, vel cætera a ſe genera diſtare cognoſcimus per eorum differentias; proprij ſimiliter cognitio confert, eo quoniam Ariſtoteles ſingulorũ prædicamentorum propria perquiſiuit. Conuenit quoque accidentis notitia, cum inter decem prędicamenta, nouem ſint accidentia. Propterea
E itaque iure merito inſcribitur introductorius, vt dictum eſt.

Quinto, Accedit diuiſio libri. Secat Ammonius hunc librum in tres partes. In prima dicit, quòd Porphyrius agit de quinque vocibus more ſuo. In ſecunda ea dupliciter comparat. In tertia quid commune habeant inter ſe addit; & antequam Porphyrius hæc aggrediatur in Prooemio exponit totius libri argumentum, vtilitatemque, & docendi formam.

Ex quibus verbis vnam priorem diuiſionem
F huius libri innuit, ſcilicet quòd hic liber diuidatur in Prooemium, & Tractatum; Prooemium autem habet tres partes ſupradictas. In prima docet Argumentum operis, & in ſecunda vtilitatem, in tertia formam docendi, qua vtitur.

Sextum caput erat modus docendi, qui eſt facilis introductorius ſecundum Ammonium: mi-

minit

minit enim Porphyrius introductionem ſeſe cõſcribere. Neque vltraquam inſtitutionis modus eſt formam tractatus egredi, videlicet abſtinendo ſe ab altioribus quæſtionibus, ſimplicioresq; medioeri coniectura pertractare proponit, hoc eſt non profundè, & intimè, ſed figuraliter, & exemplificè, faciliq; ratione de ijs quid vnumquodque ſit traditurus.

Sequitur Septimum de ordine huius libri: clarum eſt enim, quòd hic liber eſt primus inter libros Logicæ Ariſtotelis, tum quia eſt introductorius ad ſcientiam rationalem, vt inquit Auerroes hic, tum ex conſuetudine, vt idem Auerroes habet, tum quia agit de ſimplicibus vocibus more Ammonij.

Octauo, & vltimo remanet nomen Auctoris.

Fuit Autem Porphyrius, natione Phœnix; vixit tempore Coſtantini Imperatoris, longæuam vitam duxit; permultas, variasq; regiones peragrauit; fuit diſcipulus Plotini; floruerunt ſuo tempore Philoſophi quamplurimi, & Platonici, & Stoici, & Peripatetici; erant Chriſtiani ſuo tempore multi; contra Adelphij, Acyliniq; ſectatores ſtruentes ſpeciem quãdam hereſis ſcripſit, vt hæc omnia ipſemet Porphyrius teſtatur, in vita Plotini conſcripſit hunc librum in gratiam Cryſaorij viri Patricij Romani, referente Ammonio hoc in loco, de Porphyrio alia habẽtur ab Euſebio de præparatione Euangelica, & etiam multa ſcribit Vbertus in Policrate.

His explicatus Prolegomenis, antequam ad textum aperiendum accedam, prius ordinem, quem in exponẽdis & Porphyrij, & Ariſtotelis verbis vtplurimum ſum ſeruaturus, manifeſtare volo.

Primo igitur Auctoris intentio, ſiue propoſitum declarabitur.

Secundo, Intentionis illius cauſa.

Tertio, Vtilitas rei intentæ, ſed non ſemper.

Quarto, Qũo vna pars alteri continuetur.

Quinto, Diuiſio textus in eius partes.

Sexto, Notanda.

Septimo, Dubitationes.

Quo ad primum, Secuturus Porphyrius Ariſtotelem in Tractatu horum vniuerſalium, eundem ſequitur in modo tractandi.

Conſueuit enim Ariſtoteles, ne orationes ſuę eſſẽt capite deſtitutę, vti procemio, quod eſt orationis caput, vti habetur ex eodem Ariſtotele 3. Rhetoricorum ca. de Procemio, in principio: & quoniam inter conditiones Procemij vna ex parte rei eſt neceſſaria, vt eod. lib. 3. cap. de partibus orationis, videlicet vt id proponatur, de quo eſt agendum.

Propterea intentio Porphyrij in hoc Procemio eſt, boni Philoſophi, Procemijq; regulas obſeruare, & ex vtilitate, & ſuo docendi modo, docilem, & attentum Cryſaorium ſibi reddere. Cauſa verò ſuæ intentionis eſt, quid dicturus ſit declarare, vtilitatemque, & docendi modum oſtendere.

Continuatur iſte liber Grammaticæ, & Rhe-

A toricæ, quoniam in illis exercitatis; ad Logicam acquirendam accedimus.

Diuiditur hoc Procemiũ in duas partes principales, triaq; de mente Ammonij in eo facit. In prima parte Porphyrius permixtim aperit inſtitutum ſuum, euiſque multiplicem vtilitatem oſtendit. In ſecunda parte ponit modum docendi. Dicit igitur.

Proœmium. Caput Primum.

B CVm ſit neceſſarium Cryſaori, & ad eam, quę eſt apud Ariſtotelem prędicamentorũ doctrinam, noſſe quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, & quid accidens, & ad definitionum aſſignationem, & omnino ad ea, quę de diuiſione, & demonſtratione ſunt vtili exiſtente illarum rerum ſpeculatione. C

Hæc eſt prima pars, in qua ponit permixtim vtilitatem cum intentione, & ponit primo vtilitatem, vt animũ auditoris alliciat, & hæc pars durat vſque ibi, *compendioſam*.

Quid Porphyrius intelligat per illud verbũ, *neceſſarium*, ad eam, quæ eſt in prędicamentorũ

D Ariſtotelis doctrinam, dubium commune eſt.

Propterea notandũ eſt ſecũdum Ammoniũ, quòd Neceſſarium capitur quinque modis:

Primo modo, Materia, & forma rei cuius ſunt, dicuntur neceſſaria, vt animal rationale reſpectu hominis.

Secũdo modo, Dicitur neceſſarium id, quod per ſe fugiendum eſt, propter aliud tamen expetendum, vt venæ inciſio per ſe fugienda eſt; eſt tamen propter ſanitatem expetenda.

Tertio modo, Capitur neceſſarium pro eo,

E quod propter ſe expetendum eſt, vt ſanitas, vt virtus, quæ per ſe optandæ ſunt.

Quarto modo, Capitur neceſſarium pro eo, quod nec per ſe expetendum eſt, nec fugiẽdum, ſed propter aliud, vt medicinæ de ſe non expetuntur, quia gratia exempli ſunt amaræ; nec tamen ſunt fugiendæ, cum nobis dent ſanitatem.

Quinto modo, Dicitur neceſſariũ, qđ & ſui, & alterius gratia amplexãdum eſt, & hoc modo ex Ammonio capitur neceſſariũ in textu, ideſt dicitur neceſſaria hęc cognitio, quoniam in ſe

F bona eſt, alterius gratia, quia confert ad alia, ſcilicet ad prædicamenta.

Boetius in ſecunda ędicione, in Porphyrium declaratur pariter, quomodo ſumatur in textu Neceſſarium; dicens, quòd Neceſſarium plura ſignificat.

Primo modo, Apud Ciceronem, Neceſſarius

dicitur affinis,& amicus, Neceſſarium dicit Cicero ſuum eſſe,atque noſtrum.

Secundo modo, Capitur neceſſarium pro vtili; vt mihi neceſſe eſt ire in forum,ideſt vtile.

Tertio modo, Capitur neceſſarium pro impoſſibile aliter ſe habere; vt, Solem moueri neceſſe eſt.

Tunc quærit an in textu ſecundo, vel tertio modo ſumatur neceſſarium; & tandem deuenit in hanc ſententiam, quod tractatio, & cognitio quinque vocum abſolutè eſt ſummè neceſſaria.

Et quòd Porphyrius in textu non accepit neceſſarium hoc modo, ſcilicet pro neceſſario ſimpliciter,ſed pro neceſſario vtili,ac ſi diceret, cum ſit neceſſarium,ideſt cum ſit vtile.

Dominus Honoratus de Robertis(quem honoris gratia nomino) compendioſè, & clariſſimè procedens, vt inquit, duplici diſtinctione declarat,quid intelligat Porphyrius per *neceſſarium*, Prima eſt.

Neceſſarium duplex eſt, neceſſarium ſimpliciter, & neceſſarium ſecundum quid: neceſſarium ſimpliciter eſt illud, ſine quo res eſſe non poteſt; neceſſarium verò ſecundum quid, eſt illud,quod coincidit cum vtili.

Secunda diſtinctio eſt, neceſſarium ad duo referri poteſt,vel ad libellum Porphyrij, vel ad cognitionem traditam in illo libello.

Hoc ſtante ponit duas concluſiones. Prima eſt, ſi loquimur de cognitione, dicimus, quòd eſt neceſſaria ſimpliciter, & in hoc ſenſu Porphyrius accepit neceſſarium. Non enim, ipſe inquit, hunc ſuum libellum eſſe neceſſarium; ſed, inquit, neceſſarium eſſe noſce quid ſit genus,quid differentia,& reliqua. Altera concluſio eſt,ſi loquimur de libello, dicimus talem libellum eſſe vtilem,quia faciliori modo Porphyrius hanc cognitionem tradit in hoc libello. Verùm, mea quidem ſententia, pace tanti viri, prima concluſio falſa eſt, nempe cognitionem in libello traditam eſſe neceſſariam. Vnde quò magis nititur clarius explicare huiuſmodi verbum, *neceſſarium*, eò magis illud reddit obſcurius.

Primo, quia Porphyrius in textu non videtur diſtinguere vtile a neceſſario. Siquidem ex verbis, & modo dicendi ipſius apparet, illud idem, quod dicit in principio Procemij eſſe neceſſarium Cryſaorio, & ad doctrinam Prædicamentorum percipiendam, nempe cognitio generis,differentiæ,ſpeciei,proprij,& accidentis. Hoc idem, videlicet eandem cognitionem aſſerit eſſe vtilem ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem. Quibus in verbis non videtur diſtinguere vtile a neceſſario, immo potius explicare ſeipſum alioquin eſſet dicendum, ad doctrinam prædicamentorum eſſe ſimpliciter neceſſarium noſce quid genus, & quid differentia,& reliqua; at ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem, eſſe tantummodo vtile: quod nec ipſe Dominus Robertus aſſerit, nec interpretum aliquis,quod obſeruauerim.

A Vlterius arbitror eſſe differentiam dicere cognitionem generis,differentiæ,ſpeciei,proprij, & accidentis eſſe neceſſarium ad doctrinam prędicamentorum habendam,ad definitionem,diuiſionem,& demonſtrationem,& dicere cognitionem traditam generis, differentiæ a Porphyrio in hoc libello eſſe neceſſariũ ad doctrinam prædicamentorum,& reliqua.

Nam ſi accipiamus cognitionem horum vniuerſalium,primo modo,arbitror eſſe neceſſariũ ſimpliciter,ita vt ſit impoſſibile ſine aliquali ho-
B rum vniuerſalium cognitione prædicamentorum doctrinam percipere, atque definitionem, diuiſionẽ,& demõſtrationẽ. At ſi accipiamus ſecundo modo,hoc eſt ita diſtinctè tam facili via, eo modo, quo Porphyrius tradit horum cognitionem in hoc libello, hoc meo iudicio non eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed tãtummodo vtile.

Propterea optime cum Boetio explicatur neceſſarium,ideſt vtile, & hunc in modum declarando ſecũdum Boetium dicemus,quòd tractatio, & cognitio quinque horum vniuerſaliũ ab-
C ſolutè,non habita conſideratione, ad modum, quo docẽtur a Porphyrio in hoc libello, eſt ſummè neceſſaria: ſi verò conſideremus libellum hunc,ſiue horum vniuerſalium cognitionem in libello traditam, tũc dicemus eſſe tantummodo vtilem.

Et ad inſurgentem dubitationem, quòd Ariſtoteles videatur diminutus,dum nõ tradiderit cognitionem horum prædicabilium, cum ea ſit neceſſaria.

Facilis eſt ſolutio,quoniam locis proprijs, &
D in prędicamentis ipſa exponendo notum fecit figuraliter, & exemplificè quantum ſufficit horum terminorum pro cognitione prædicamentorum, & quando de definitione, diuiſione, & demonſtratione pertractat, horum quinque vniuerſalium notitiam ſupponit.

Verùm quæ locis proprijs Ariſtoteles declarauit de his, in hoc libello Porphyrius diſtinctius,& facilius pertractat: propterea pollicetur ſe in horum tractatione pręcipuè Peripateticos ſecuturum. Et proinde nec Ariſtoteles diminu-
E tus, nec Porphyrius ſuperuacaneus, & ſuperfluus extiterunt.

Senſus verborum ſecundum Auerroem hoc in loco eſt, quod pręceſſio in ſcientia quid eſt genus,quid differentia,quid ſpecies,quid propriũ, quid accidens, eſt neceſſaria in libris prędicamẽtorum, & etiam ipſa vtilis eſt in compoſitione definitionum,in diuiſione,& in demõſtratione. *Cum ſit neceſſarium Cryſaorio*. Volens Cryſaorius Philoſophiæ ſtudijs incumbere, erat ei neceſſarium, Logicæ facultati primùm operam
F nauare. Verùm quia in ea de prædicamentis, de definitione,diuiſione, & demõſtratione peragitur,& ad eorũ cõſequẽdã doctrinã, pluriniũ confert quinque vniuerſaliũ notitia. Propterea Porphyrius, vt Cryſaorio ſatisfaceret, conſcripſit hunc libellum,in quo ipſorum cognitionem faciliter tradit. *Et ad eam, quæ eſt apud Ariſtotelem*

ſtotelem Prædicamentorum doctrinam. Quoniam Ariſtoteles in decem prędicamentis pertractandis decem rerum genera eſſe conſiderauit, quorum vnum eſt ſubſtantia, reliqua verò accidentia. Eaque differentijs, ac proprijs ſeparat, ac diſtinguit, generiſque, ac propriorum, & differentiarum, quinimmo & ſpecierum mentionem facit, cognitio generis, & aliorum vniuerſalium, eorum prędicamentorum nobis comprehenſionem faciliorem reddet. *Noſce quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, & quid accidens*. Hic Porphyrius enumerat ea, quorum cognitionem dixit eſſe neceſſariam, & vtilem ad prædicamẽtòrum doctrinam, ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem, *& ad definitionum aſſignationem*, dicit hæc tractatio quinque vocum neceſſaria eſt ad doctrinam prędicamentorum, & vtilis ad aſſignãdas definitiones, ideſt ad conſtituendas definitiones oportet cognoſcere quid genus, quid ſpecies, & quid differentia, quid proprium, & quid accidens, & loquor de cognitione diſtincta: nam in 2. Poſter. vbi de definitione agit, ibi notitiam horum vniuerſalium ſupponit; vtilis eſt igitur hæc tractatio ad definitionem, quia ex hac habemus materiam definitionis, puta quid ſit genus, & differentia, quæ ſunt partes eſſentiales definitionis, ſpecies verò eſt, quæ definitur; propria verò maximam partem conferunt ad cognoſcẽdum quod quid eſt, & ſæpè loco differentiarum ponuntur; accidentia verò euitari debent, quę niſi erunt nota, euitari minimè poterimus. *Et omnino ad ea, quæ de diuiſione*. Eſt etiam vtilis hæc tractatio ad diuiſionem cognoſcendam, & conſtituendam, quoniam vel diuiſio eſt generis in ſpecies per differentias, & quandoque proprijs vtimur loco differentiarum, cognitio etiam accidentis plurimum prodeſt ad diuiſionem, ne vtamur accidente loco differentiarum, vel diuiſio eſt accidentis in ſubiecta, & è conuerſo, ad diuiſionem vocis in ſignificationes, ad diuiſionem totius integralis in ſuas partes; quare omnia hęc prædicabilia vtilia ſunt ad diuiſionem. *Et demonſtratione ſunt vtili exiſtente iſtarum rerum ſpeculatione*, plurimum etiam prodeſt hæc conſideratio. Sic enim ſpeculatio ab Ammonio explicatur, vti etiam explicatur eadem vox ſpeculatio in 1. Poſter. contextu 1. *ad demonſtrationem cognoſcendam, & conſtituendam*, quoniam demonſtratio procedit per cauſas. Hic docentur genera, & differentiæ, quæ ſunt cauſæ ſpecierum, ſunt enim prędicata eſſentialia, quæ a cauſis per ſe eſſentialibus ſumuntur. Quod concluditur proprium eſt, quòd de ſpecie demonſtratur, confert etiam demonſtrationi cognitio accidentis, vt ſciamus quę accidentia demonſtrantur, & quæ non, & ſic patet prima pars huius proœmij.

Sequuntur dubia.

Circa primam partem textus dubitatur primo cur Porphyrius nullam mentionem fecerit de reſolutione.

A Et pro notitia huius, ſciendum eſt, quòd ſecundum Platonem quatuor dantur Methodi, ſcilicet Diuiſiua, Definitiua, Demonſtratiua, & Reſolutiua; ſed ſecundum Ariſtotelem in Topicis quinque ſunt Methodi, Demonſtratiua, Topica, ſiue Dialectica, Diuiſiua, Definitiua, & Reſolutiua; ſub quibus quinque intelliguntur annexæ, Inductiua, Enthimema, Exemplum, Enuntiatiua, & Propoſitionalis.

Ad dubium autem ſuperius dictum, reſpondetur ex Ammonio, quód Porphyrius nullam B fecit mentionem de reſolutione, quoniam eadem eſt re, & ſubiecto, cum cõpoſitione differt tantum ratione, reſpectu, & habitudine; & cum cõpoſitio Logica non ſit quid diſtinctum à compoſitione enuntiationis, propoſitionis, ſyllogiſmi Topici, demõſtratiui, ſyllogiſmi & elenchi, & etiam definitionis; ideo ſubintellexit illam ſub definitione, & demonſtratione. Et differentia, quæ eſt inter reſolutionem, & compoſitionem, eſt iſta: nam reſolutio eſt ordo, qui per contrarium ſit compoſitionis, in componendo C à ſimplicioribus ad compoſitiora procedimus; in reſoluendo a compoſitioribus ad ſimpliciora tendimus, & cum aliquid componitur, ſemper a partibus ad totum procedimus; vt cum ex animali, & rationali fit homo.

Vnde ſciendum eſt, quòd compoſitio fit tribus modis, Arte, Natura, Ratione; Arte, cum quis artifex ex lapidibus, lignis, & ferris, domum conſtruit; Ratione autem, & per intellectum tunc componimus, cum ex ſubiecto, & prædicato propoſitionem aliquam conficimus; D Natura autem fit compoſitio, cum quis particularis homo ex materia & forma conſtituitur ab ipſa natura componente. De compoſitione etſi in nullo particulari libro fiat mentio ab Ariſtotele, paſſim tamen ſumitur ex pluribus locis, nempe ex libro Periherũ, vbi docet Ariſtoteles nos propoſitionem componere ex ſubiecto, & prædicato: ſumitur ſimiliter ex libro Priorum, vbi Ariſtoteles docet quomodo ſyllogiſmus cõficiatur: ſimiliter in primo libro Poſteriorum nos docet compoſitionem ſyllogiſmi demonE ſtratiui, in ſecundo Poſteriorum, cõpoſitionem definitionis ex genere, & differentia: nam ordo compoſitiuus eſt a materia, & forma ad elementa, ab elemẽtis ad mẽbra, à membris ad hominẽ tendit. Ordo verò reſolutiuus cõtrario modo ſe habet; nã incipit ab homine, & ad mẽbra tẽdit, a membris ad elementa, ab elementis tandem ad materiam, & formam deuenit; & ſic patet, quod id, quod eſt principium in compoſitione, eſt vltimum in reſolutione; quæ reſolutio & ipſa fit dupliciter, vel cum rei interitu, vt cum doF mum actu manibus, malleis reſoluimus, vel ſine rei interitu, vt cum ſolo intellectu cogitante, domum ipſam in ſuas partes ſcindimus, & tunc reſolutio eſt noſtræ mentis operatio, qua noſter intellectus totum in eius ſimplices diuidit partes. Hæc etiam reſolutio fit & ipſa tripliciter, vel Arte, vel Natura, vel Ratione; Arte, cum

domum, vel aliquid aliud arte factum in ſuas
partes ſcindimus; Natura, cum hominem, vel
plantam natura ipſa in ſuas partes compoſitas
reſoluit; Ratione, cum ea, quæ a ſolo fiunt in-
tellectu in ſuas partes diuidimus, vt cum conclu
ſionem in ſua principia reducimus. Et quoniam
mentionem fecimus de Methodis, de quatuor
tantum ſermonem habebimus.

Et primo de Diuiſiua, quoniam ſcientijs, &
artibus ſumme eſt neceſſaria, & cum multi-
plex diuiſionis reperiatur acceptio, ideo di-
cemus.

Primo eſt vna Diuiſio, quæ eſt generis in ſpe-
cies per differentias, vt animal in rationale, &
irrationale, quæ diuiſio eſt ſummè vtilis de-
finitioni, vt habetur 2. Poſter. & 1. Cœli &
hæc diuiſio vſque ad ſpeciem ſpecialiſſimam
tendit.

Alia eſt Diuiſionis acceptio, vocis æquiuocæ
ſimplicis in ſua ſignificata partitiuè, vt cũ hanc
vocem canis, in cęleſtem, terreſtrem, & marinũ
diuidimus.

Datur alia diuiſio, quæ totius in partes appel
latur: & quoniam multiplex eſt totum, aliud
integrale ætherogeneum, ſiue diſſimilare, aliud
totum ſimilare, aliud eſſentiale, aliud, quod in
partes, quæ inſunt, diuiditur.

Idcirco prima diuiſio eſt totius in partes diſ-
ſimilares, vt corpus in caput, manus, brachia, &
quæ partes dicuntur diſſimiles toti; quoniam
non eadem, ſed diſſimili, illarum vnaquæque
definitione potitur.

Alia eſt diuiſio totius ſimilaris in partes ho-
mogeneas, ac ſimilares: Exemplum de aqua,
quæ in plures aquæ portiones diuiditur, quaru
ſingula definiuntur eadẽ definitione, qua aqua;
quoniam partes aquarum ſunt aqua.

Alia eſt diuiſio totius eſſentialis in partes eſ-
ſentiales, vt corpus diuiditur in materiam, &
formam, tanquam in partes eſſentiales.

Alia eſt diuiſio totius in partes, quæ poten-
tia inſunt, vt mixtum dicitur ex elementis con-
ſtare, quę elementa in mixto potentia ineſſe di-
cuntur.

Alia eſt diuiſio, quæ potius partium enume-
ratio dicitur, qua vtitur ſæpe Ariſtoteles in Pręｄ
dicamentis.

Alia eſt diuiſio accidentis in accidentia, vt
candidorum, aliud dulce, aliud amarum.

Alia eſt diuiſio, accidentis in ſubiecta, vt al-
borum, aliud eſt lignum, aliud eſt cygnus.

Alia eſt diuiſio ſubiecti in accidẽtia, vt ligno
rum, aliud album, aliud flauum. Hæc eſt prima
Methodus.

Sequitur Methodus definitiua; vnde ſcien-
dum eſt, quòd definitio eſt duplex, quid nomi-
nis, & quid rei: quid nominis duplex.

Alia eſt, quæ dat etymologiam vocabuli;
alia eſt, quæ dicitur deſcriptio, vt homo eſt
animal reſpiciens cælum riſibile, diſciplina-
bile. Definitio verò quid rei eſt illa, quæ ex-
plicat eſſentiam rei, & eſt multiplex: alia eſt eſ-

A ſentialis, & purè quiditatiua, quæ per genus,
& differentiam aſsignatur: alia eſt, quæ per ma
teriam tantum; alia, quæ per formam tantum;
alia eſt, quæ datur per cauſas externas, ſcilicet
efficientẽ, & finalem. Per efficientem, vt homo
eſt illud, quod a Sole, & homine generatur.
Per finalem, vt homo eſt ortus ad beatitudi-
nem acquirendam: alia eſt, quæ datur per ma-
teriam, & finem, vt ira eſt accenſio ſanguinis
circa cor ad vindictam; & omnes iſtæ præter
primam ſunt imperfectæ. Perfecta autem, &
B quiditatiua definitio eſt illa, quæ datur per
omnes cauſas. Sequitur demonſtratiua Me-
thodus.

Demonſtratio res ipſas per principia intrin-
ſeca, ac eſſentialia demonſtrat; non autem
per extrinſeca, & accidentalia, vt habetur
1. Poſter.

Quæ demonſtratio eſt triplex, Quia, Propter
quid, & Potiſſima; quoniam quod demonſtra-
tur, neceſſe eſt quod demonſtretur per me-
dium eſſentiale, quod ſit vel prius, vel poſte-
C rius re ipſa demonſtranda. Si demonſtretur
per medium quod ſit poſterius re ignota de-
monſtranda, tunc exoritur demonſtratio, Quia,
later iens ſolum eſſe ipſius cauſa: ſi verò demon-
ſtretur per medium, quod re demonſtranda ſit
prius, illud medium vel erit inuentum, vel non;
ſi non erit inuentum, hoc eſt ſi nobis non erit
notum per aliud, hoc eſt per demonſtrationem
Quia, ſed immediatè, beneficio ſcilicet ipſius
ſenſus, tunc illud medium; quod eſt notum na-
tura quatenus cauſa, & nobis quatenus ſenſa-
D tum, facit vt cognoſcatur vtraque quæſtio, ſci-
licet eſſe, & Propter quid effectus, vnde exori-
tur demonſtratio potiſſima, ſi demum erit illud
medium nobis inuentum, id eſt nobis cognitum
per demonſtrationem, quia abſoluentem ſolum
eſſe cauſæ, exoritur demonſtratio cauſæ tãtum,
notificans dumtaxat Propter quid effectus.

De reſolutiua Methodo dicatur vt patet ſu-
pra, cum comparatio fiebat inter ipſam, & com
poſitionem.

Secundo dubitatur cur Porphyrius enume-
E rando methodos, prius in ordine enumerauit
definitiuam, ſecundo diuiſiuam.

Reſpondetur quòd duplex eſt ordo, alter ſe-
cundum naturam, alter vero ſecundum no-
ſtrũm modum cognoſcendi. Primo modo, di-
uiſio pręcedit definitionem; ſecundo modo de-
finitio pręcedit.

Porphyrius verò ſecutus eſt ordinem quo
ad nos, quia vt dicit Ammonius, compoſita ex
definitione cognoſcetur, & priora ſunt quam
F diuiſa. Secundo reſpondetur, quod vtique or-
dine naturæ diuiſio præcedit definitionem, ſicu
ti conſtituens, & neceſſario requiſitum ad con-
ſtitutionem ad conſtitutum ſe habet, ſed ordi-
ne perfectionis definitio præcedit diuiſionem,
quoniam definitio, & non diuiſio explicat qui-
ditatem rei.

Sequitur textus.

Com-

Compendioſam tibi traditionem faciens, tentabo breuiter velut introductionis modo ea, quæ ab antiquis dicta ſunt aggredi, ab altioribus quidem quęſtionibus abſtinens, ſimpliciores verò mediocriter coniectans, mox de generibus, & ſpeciebus illud quidem ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis intellectibus poſita ſint, & ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint an incorporalia, & vtrum ſeparata, an in ſenſibilibus poſita, & circa hæc conſiſtentia dicere recuſabo: altiſſimum enim eſt huiuſmodi negotium, & maioris egens inquiſitionis. Illud verò quemadmodum de his, ac de propoſitis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripatetici, tibi nunc tentabo monſtrare.

Hæc eſt ſecunda pars huius Procemij, in qua ponit Porphyrius ſuum docendi modum.

Senſus verborum ſecundum Auerroem eſt, quòd cum videret Porphyrius cognitionem horum prædicabilium admodum conferre ad doctrinam Prædicamentorum, ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem: ideo vult ſcribere de his breuem libellum, in quo compilabit ſcientiam de eis, quæ eſt apud antiquos, modo introductorio, & faciliori, de his omiſſis quæſitis non Logicalibus, ſicuti eſt inquiſitio de generibus, & ſpeciebus, vtrum ſint inuenta extra intellectum, ſicuti ipſa ſunt in intellectu, aut inuentio ipſorum ſit in intellectu tantum, & ſi ſint inuenta extra intellectum, ſicuti ipſa ſunt in ipſo, quæ ſit eorum inuentio, vtrum ſint corporea, an incorporea, & ſi non ſunt corporea, an ſint ſeparata, an non ſeparata, ſed vult de his inquirere modo Logicali, & præcipuè ſecundum conſuetudinem Peripateticorum.

Dicit itaque *Compendioſam tibi traditionem faciens*, ideſt breuem libellum componens, *tentabo breuiter veluti introductionis modo*, hoc eſt nitar breui via, quatenus ad eos inſtituendos pertinet, qui primùm ad ſtudium ingrediuntur *ea, quæ ab antiquis dicta ſunt aggredi*, ideſt ab antiquis Philoſophis, vta Platone, a quo (hic Ammonio referente) omnia fermè hic tradita exerpſit et Peripateticis, quorum doctrinam ſecuturum pollicetur.

Ab altioribus quidem quæſtionibus abſtinens, ſimpliciores verò mediocriter coniectans, hoc eſt

A difficiliores quæſtiones, quæ ad ſuperiorem, & ſublimiorem ſcientiam ſpectant, omittam, & tractabo ſimplices, ac humiles intentioni Logicę accommodatas, non excedendo limites Logicæ facultatis. *Mox de generibus & ſpeciebus illud quidem ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis intellectibus poſita ſint; & ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint, ſiue incorporalia, & vtrum ſeparata, an in ſenſibiliſius poſita, & circa hec conſiſtensia dicere recuſabo*, ideſt nolo tibi recenſere quæ de generibus, & ſpeciebus moueri ſolent, quæ ſunt, an genera & ſpecies ſint B entia realia extra animam, an potius in anima ſolum, an ſint corporalia, vel incorporalia, & an ſint poſita in ſenſibilibus, an a ſenſibilibus ſeparata, & omnia alia his conſimilia. *Altiſſimum enim eſt huiuſmodi negotium, & alterius egens maioris inquiſitionis.*

De his enim agere arduum opus eſt, & quod pertinet ad exquiſitiorem, & ſublimiorem ſcientiam, vt puta Metaphyſicam. *Illud verò quemadmodum de his, ac de propoſitis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripate-C tici, tibi nunc tentabo monſtrare*, hoc eſt quod de illis, ſcilicet genere, differentia, ſpecie, proprio, & accidente, veteres, vti Plato, alijque, & præcipue Peripatetici, *Probabiliter*, ideſt magis Logicæ tractauerunt, tentabo tibi monſtrare. Hic eſt totus ſenſus verborum huius Procemij.

Circa hanc ſecundam partem huius Procemij duo præcipuè notanda ſunt.

Primum notandum eſt, id quod aduertit hic Ammonius, quòd tria retrahunt pigriorem di-D ſcipulum ab aliorum ſcriptis, prolixitas operis, qualis fuit in Chryſippo, obſcuritas orationis, qualis in Heraclito, profunditas ſenſuum, qualis in Timeo Platonis, a quibus tribus ſe abſtinere dicit Porphyrius; nam breuitatem inſinuat, cum dicit, *Compendioſam tibi traditionem faciens*, facilitatem ſermonis docet, cum dicit, *velut introductionis modo*, ſenſuum humilitatem notat cum dicit, *ab altioribus quidem quæſtionibus abſtinens*.

Secundum, notandum eſt, circa illud ver-E bum Logicoteron Græcè: debet enim Latinè verti magis Logicè; nam hæc vniuerſalia dupliciter conſiderantur, vel realiter, & ſecundum prædicata eſſentialia; & ſic non attinent ad Logicum, vel conſiderantur ſecundum prædicata intentionalia, & ſic ipſa ad Logicum attinent; nam veteres Philoſophi de his egerunt hoc duplici modo; ſed Porphyrius vult nunc eos imitari Peripateticos ſecundum modum Logicalem, ideſt ſecundum prædicata intentionalia, & logicalia, cuius ſententiæ eſt F etiam Ammonius. Et tali pacto de his vniuerſalibus egit Ariſtoteles in libris Topicorum, vt puta libro primo capite quarto, quo loci ea conſiderauit non quo ad eſſe, ſed quo ad prædicari: & ideo Porphyrius hoc in loco pollicetur ſe tractaturum de ipſis eodem modo conſiderandi, ſequitur idem caput pro Iuriſperitis.

Super Procœmio pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc Procœmio Porphyrius proponit agere de Genere, Differentia, Specie, Proprio, & Accidente, vt vidimus, eo quoniam inter cætera horum cognitio eſt vtilis ad diuiſionem, definitionem, & demonſtrationem.

Hinc quoniam in omni ſcientia, & facultate definimus, diuidimus, & argumentis vtimur, propterea dicebat Ammonius, nedum ad Philoſophiam, verùm ad omnes ſcientias, & artes libellum Porphyrij aditum quendam eſſe.

Iccirco nos horum cognitionẽ maxime conferre in ſcientia ciuili atteſtari poſſumus, maximoque eſſe adiumento Iuriſperitis, tum in conſultando, tum in agendo, quinimo etiam in interpretando.

In omnibus cauſis principem locum obtinere definitionem, diuiſionem, & argumentationem, clarum eſt. Siquidem definitio facit, vt res, de qua conſultatur, & peragitur, diſtinctè cognoſcatur, diuiſio ambigua reſoluit, & argumentatio vera eſſe quę dicimus neceſſaria ratione cõfirmat, atque demonſtrat.

Cumque ex quinque vniuerſalium notitia cognoſcamus, quę inter ſe connectantur, & quę neceſſario ſe conſequantur, & quę non, mirũ immodum eorum cognitio proderit. Neceſſario connectuntur genus, & ſpecies vt locatio, quæ eſt ſpecies cum contractu, qui eſt genus, eo quoniam vbi locatio adeſt, ibi neceſſario contractus reperitur. Similiter neceſſario connectuntur ſpecies, differentia, & proprium. Exemplum de differentia, vt dicendo, locatio eſt contractus, qui mutuo cõſenſu mercede conſtituta contrahitur, in Principio Inſt. de loca. & conduct. vbi locatio, quæ eſt ſpecies definita, definitur per ſuum genus & propriam differentiam, genus eſt contractus, qui mutuo conſenſu, differentia eſt, conſtituta mercede, & eſt perfecta definitio, conſtans ex partibus eſſentialibus, neceſſario connexis; & quæ cum definito conuertuntur. l. 1. §. dolum. ff. de dolo. De proprio exemplum habemus in l. congruit. ff. de offic. Præſidis, quo loci deſcribitur, officium proprium boni & grauis Præſidis eſſe inuigilare, vt Prouincia ſibi commiſſa ſit quieta, & pacifica, quod proprium neceſſario connectitur cum bono, & graui Præſidi; ſiquidem Præſes hac vigilantia carebit, nec bonus, nec grauis Præſes erit nominandus.

Cum accidentibus verò præcipuè ſeparabilibus, non ſtat neceſſario connexio, vt ſi dicamus, Sempronius eſt legatarius, eſt rector, & huiuſmodi, quæ a Sempronio ſeiungi poſſunt abſque ipſius eſſentiæ diminutione, ipſo Sempronio remanente, & hunc in modum cognoſcendo, quæ neceſſario connectuntur, & quę nõ, cognoſcimus ſtatim quæ ad eſſentialem faciant definitionem, quæue ad accidentalem deſcriptionem, cum eſſentialis definitio ex neceſſarijs,

A accidentalis verò deſcriptio ex non neceſſarijs conſtare dicantur.

Inſuper cum diuiſio fit vel generis in ſpecies, vel ſubiecti in accidentia, plurimum ad hoc confert etiam horum vniuerſalium cognitio: cum enim genus in ſuas ſpecies partitur, tunc diuiditur in partes ſubiectiuas, quæ non ſuſcipiunt magis & minus, cum verò ſubiectum in accidentia, in ipſis magis & minus reperiri poteſt. Hinc locatio, conductio, emptio, venditio ſunt ſpecies contractus, quæ nõn ſuſcipiunt magis & minus.

B Culpam verò diuidimus in latam, leuem, & leuiſſimam, vti in accidentia non ſpecies, cum in eis reperiatur magis & minus, quæ diuerſas ſpecies non conſtituunt. l. ſi. ff. de ſuud. inſtr.

In agendo quoque multum refert pro confirmatione cauſæ, horum quinque vniuerſalium notitia. Cum enim cognoſcimus ex eis, quæ neceſſaria, quæ nõ neceſſaria ſunt, validius cauſam noſtram confirmare. Aduerſarij autem infirmare poterimus: genus enim de ſpecie, pariter differentia, & proprium neceſſario prædicantur,

C vt viſum eſt. Quo fit, vt ex eis neceſſariæ conſtituantur propoſitiones; quia verò accidens ſeparabile cum eis neceſſario non copulatur, ſicuti nec cum indiuiduis, propterea neceſſariæ propoſitiones ex accidente ſeparabili non cõponuntur. Quæ obſeruatio connexionis in ciuilibus actionibus tantum prodeſt, vt in ea dicere iure merito poſſimus, totam vim cauſę eſſe poſitam. Sæpe enim plerique non neceſſarijs propoſitionibus, ceu fundamento nituntur: quibus cogni-

D tis, facilis erit infirmatio, facileq; ab aduerſarij manibus cauſam eripiemus. Læto itaque animo, hilarique ad horum vniuerſalium cognitionem percipiendam accedamus, vti mirum immodum Iuriſconſulto proficuam, & vtilem.

De Genere, Caput ſecundum.

VIdetur autem neque Genus, &c.

E Expleto Procœmio, in quo cum nobis indicauerit quæ ſit intentio huius libri, quamque afferat vtilitatem, & quonã modo nos docere velit, dixeritq; ſe velle quęſtiones difficiles ſilentio tranſire, & faciliores in medium adducere, & oſtenderit, quæ obſtruſæ, & quæ difficiles ſint, cum inquam hæc omnia in Procœmio explicauerit, hic aggreditur ſecũdam partem huius libri; quæ pars eſt tractatus, in quo

F declarare intendit quid vnumquodque ſit horum prædicabilium, & incipit a primo prædicabili, quod eſt genus, & cum intentione ſimul continuatio patet.

Cauſa intentionis eſt duplex. Prima, quoniam expleto Procœmio, in quo de his propoſuit, reliquum erat tractatum aggredi, in quo propoſita pertractaret.

Secun-

Secunda intentionis cauſa explicanda eſt, cur ſcilicet ex quinque propoſitis prius de genere agat.

Pro faciliori notitia ſciendum eſt, quòd cum ordo nil aliud ſit, quam conueniens ſitus, & diſpoſitio partium, vt quæ priora, quæ poſteriora in diſciplinis, & actionibus ſuo loco ponantur, vt colligitur ex Philoſopho in Poſtprædicamentis cap. de Priori, vt elementa in Grammatica præponuntur ſyllabis, & dictionibus, & in orationibus Prooemium præponitur narrationi.

Propterea pro diſtincta ordinis cognitione quantum conuenit hoc in loco, pro facili ſupradictæ difficultatis ſolutione.

Aduertendum, quòd Prius dicitur dupliciter, Prius natura, & Prius nobis, ex doctrina Ariſt. 1. lib. Poſt. tex. com. 12.

Prius natura multiplici modo diuerſis in locis declaratur in Logica.

Primo, illud dicitur Prius natura a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia; & hoc modo vnum eſt prius duobus; nam duobus exiſtentibus vnum ſit neceſſe eſt, non è contrario, deſumitur ex Ariſto. in Poſtprædicamentis capit. de Priori.

Et de hoc primo modo in Prædicamentis cap. de Relatione dicebat, quod ſcibile eſt natura prius ſcientia, quoniam ſublato ſcibili, aufertur ſcientia, non è contrario.

Secundo, Prius natura datur in couertibilibus, in quibus vnum eſt cauſa ſubſiſtendi conſequentiam alterius, vt ſi homo eſt, verùm eſt dicere hominem, eſſe; & ſi verum eſt dicere hominem eſſe, homo eſt. Hæc ſunt conuertibilia, tamen eſſe hominis, eſt cauſa ſermonis veri, non è conuerſo. Et de hoc modo pariter habetur cap. ſuperallegato ab Ariſtotele de Priori.

Tertio modo declaratur a Philoſopho, Prius natura 1. Poſt. tex. com. 12. eſſe illud, quod eſt longius a ſenſu, nempe vniuerſale.

Prius nobis dicitur eſſe illud, quod eſt propinquius ſenſui, vti eſt ſingulare. Sic explicatur ab Ariſtotele ſuperallegato loco, videlicet 1. Poſt. tex. com. 12.

Stantibus his ad difficultatem propoſitam.

Primum reſpondemus cum Ammonio hoc in loco, quòd cum Porphyrius de genere prius, quã de ſpecie propoſuerit agendum in Prooemio. propterea in principio Tractatus idem genus ſpeciei prępoſuit, & cũ genus ſub ſe comprehendat ſpecies, videtur quoquomodo ſpecie prius hinc in Poſtprædicamentis cap. de Simul, habetur, quòd genera ſemper ſuot priora ſpeciebus.

Vel ſecundo cum Boetio reſpondere poſſumus, quòd Porphyrius eundem naturæ ordinem ſeruando, prius de genere pertractat. Tum quia ablato genere, vt puta animali aufertur homo rationale, riſibile, grammaticum. Quibus poſitis illud neceſſario ponitur, & ablatis non neceſſario aufertur. Tum etiam quoniam genus eſt cõmunius &, vniuerſalius cæteris prædicabilibus: cætera enim inter ſemetipſum concludit, ipſum

A verò non clauditur ab eis.

Iure itaque merito Porphyrius ex mente Ammonij, & etiam Boetij, ſequens naturę ordinem, prius de genere, quam de cæteris pertractauit, quicquid dicat hic Dominus Honoratus de Robertis, ex mente Boetij, Porphyrium ſecutum fuiſſe cognitionis ordinem.

Tertio, Ex ſupra declaratis, nos poſſumus addere, quòd ſicuti in diſciplinis ſimpliciora præcedunt, vt in Grammatica elementa, ſyllabas & dictiones præcedũt, ita quoque hoc in loco, prius

B de genere, tanquam de ſimpliciori tractatur: genus enim eſt omnium ſimpliciſſimum, de ſpecie patet, quoniam eſt compoſitior genere: at cæteris, ſcilicet differentia, proprio, & accidente, dicitur eſſe ſimplicius; quoniam cætera, cum genus pręſupponant, videntur quoquomodo compoſitoria.

Quarto etiam arbitror reſpõdere poſſe, quòd de genere prius tractauit Porphyrius, quoniam eſt cæterorum principium, non è contrario. De ſpecie patet, de differentia eſt notum, quoniam

C differentiæ diuidentes genus præſupponunt ipſum, & ſicuti materia dicitur eſſe principium formæ in ſuo genere, ſic genus eſt principium differentiæ. De proprio verò & accidente non eſt difficultas.

Balduinus hoc in loco damnat opinionẽ Boetij, & Ammonij aſſerentium genus eſſe Prius natura ſpecie, eo quoniam ſunt relatiua, quæ ſunt ſimul natura. Habetur ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis, cap. de Relatione; vnũ itaque non poteſt eſſe Prius natura altero, genus nẽ

D pe ſpecie.

Hæc impugnatio Balduini eſt apertè contra Ariſtotelẽ in Poſtprædicamentis cap. de Simul, quo loci cum declarauerit quæ ſint ſimul natura, aſſerit clariſſime genera ſemper eſſe natura priora ſpeciebus, eo quoniam non datur in ipſis conuertendi conſequentia.

Proinde Ammonius huic ſuperuenienti obiectioni loco citato reſpondet, quòd illa, quæ ſeſe mutuo inferunt, & quæ ſub eandem cadunt rationem, licet, vt relatiua ſunt, ſint ſimul & natu-

E ra, & tempore, ſimulque cognoſcantur. In ipſis tamen quædam reperitur prioritas cauſæ, naturæ & ſubſtantiæ, & quandoque temporis. Genus autem & ſpecies ita ſe habent, quòd ſe mutuo referunt, ac ſub eandem cadũt rationem, & hoc modo ſunt ſimul tempore, natura, & cognitione, & nullum eſt prius reliquo. At ſi cõſideretur genus vt conſtituit ſpeciei ſubſtantiam, ſic ordine naturę, ſubſtantię, & cauſæ præcedit ſpeciem; eſt etiam prius ſpeciebus, quoniam in ipſas diuiditur, & id quod diuiditur, eſt prius ſuis partibus

F in quas diuiditur. Quare genus eſt prius ſpeciebus, ratione ſubſtantiæ, cauſæ, naturæ, licet non tempore; & ſic genus eſt prius tractandum quam ſpecies.

Confirmat hanc ſuam reſponſionem Ammonius exemplo: nam in hominis ortu, naturam eiuſmodi ordinem ſeruare exploratum eſt: nam

ſemen humanum prius in matricem deijcitur,& primo fit vitale,& recipit vitam, quia recipit formam ſanguinis, & animam vegetatiuam capit, & ſic fit animatum; poſtea procedens, ſenſum impartitur,& ita animal facit. Poſtremo verò rationem perfectam habens, ideſt animam rationalem, hominem facit; genera igitur ſunt ſpeciebus priora.

His habitis ſequitur diuiſio capitis in tres partes,

In prima dicit, quòd genus & ſpecies dicuntur multipliciter.

In ſecunda enumerat duo generis ſignificata, eaq; ad inuicem dupliciter comparat,

In tertia parte colligit generis Logici deſcriptionem,differentiamq; ponit huius generis Logici a cæteris prædicabilibus.

Hæc tertia pars habet quinque partes,

In prima aſſignat tertium generis ſignificatum,

In ſecunda oſtendit ſimilitudinem, quam habet genus tertio modo dictum cum genere primo,& ſecundo modo dicto.

In tertia dicit, tria eſſe generis ſignificata, & ex tribus eligit tertium,quod ad Philoſophos,& Dialecticos pertinet magis,

In quarta, Alio modo rurſus deſcribit genus Logicum.

In quinta, Membra ſecundæ deſcriptionis declarat.

Quoad principalem partem dicit, *Videtur autem neque genus,neque ſpecies ſimpliciter dici.*

Hæc eſt prima pars huius capitis, in qua ſenſus verborum eſt,quòd genus & ſpecies non ſunt de intentione vna,quoniam ſunt de tribus intentionibus, ſecundum Auerroem, hoc eſt non dicuntur vno modo,ſed multiplici,& habent multiplex ſignificatum.

Vnde notandum eſt, quòd Ariſtotelis mos eſt, ſæpiſſimè hoc vti loquendi modo ſcilicet *videtur*.

Aliquando enim capitur dubitatiue, & ſecundum aliorum opinionem, & tali pacto accipitur ab Ariſt.lib.3. Ethicorum ca.6.Quo loci reddens rationem,cur mors ſit maximè omnium terribile, inquit, quia eſt vltimum vitæ, & nihil poſt homini mortuo,aut bonum, aut malum eſſe videtur:aliquando modeſtiæ cauſa,& pro eo quod re vera ita eſt,ſicuti in lib.1. de anima tex. 2. vbi habetur, videtur ad veritatem omnem cognitionem animæ multum conferre; & hoc modo ſumit Porphyrius hoc in loco.

Præterea illud verbum *ſimpliciter* capitur quatuor modis, vt notat Ammonius.

Primo, vt ſignificat ad ſummam, ſeu in ſumma,& ſummatim, quæ ſignificatio eſt in frequenti vſu apud Oratores.

Secundo, *ſimpliciter* idem eſt quod propriè, & hoc ſæpiſſimè ſumitur ab Ariſtotele, vt cum dicit, genus ſimpliciter, ideſt propriè dictum.

Tertio modo ſignificat idem quod teme-

A rè, ac nulla de cauſa, vt cum dicimus, herus ſimpliciter ſeruum verberat, ideſt nulla vrgente cauſa.

Quarto ſignificat vno modo,quod eſt ſine prolixitate,& multiplicitate & cum veritate, ut ſimplex ſermo, ideſt verus,non ambiguus;& hoc vltimo modo capitur ſimpliciter in textu.

Sed antequam vlterius progrediamur circa hanc primam partem capitis, duę occurrunt dubitationes.

Prima communis dubitatio eſt,cur ſolum di-
B xerit Porphyrius *genus & ſpecies non ſimpliciter dici*,cum differentię, proprij, & accidentis nomen etiam ſit multiplex, ideſt cur cum multiplicitate generis,meminit ſolum ſpeciei multiplicitatis, & non cæterorum.

Reſpondet Ammonius, quòd meminit ſpeciei cum genere; quoniam ſunt relatiua, & cadunt ſub eandem rationem. De natura verò correlatiuorum eſt, vt vno poſito, alterum quoque ponatur, ad declarationemque vnius & alterius declaratio requiratur.

C Boetius ad hoc reſpondens, & melius dicit, quod Porphyrius longitudinem vitans memor promiſſæ breuitatis tantum de ſpecie cum genere mentionem facit, & ſi vnumquodque cæterorum prædicabilium ſit multiplex, genus verò ſolum non poſuit, ne putaretur ſolum genus eſſe multiplicis ſignificationis.

Tertio poteſt dici,quod tantum de ſpecie meminit, quoniam volebat poſt genus immediate agere de ſpecie;ideo eam cũ genere enumerauit.

Et quoniam per Ariſtotelẽ 1. cęli,omne mul-
D tiplex prius eſt diſtinguendum, quam definiendum, ne nominis ambiguitas in adiſcentem errorem creet, quòd plerumque accidere ſolet. Ideo Porphyrius Philoſophi præcepta ſeruans, cum hoc nomen genus ſit æquiuocum, & multiplex,prius diſtinguit,poſtea definit.

Verum prius occurrit ſecunda propoſita dubitatio.

Secundo enim dubitatur contra proximum dictum Porphyrij,cum dixit,quòd genus dicitur multiplex. Hoc videtur falſum,quoniam nullum
E vniuocum eſt multiplex, genus eſt vniuocum,ergo genus non poteſt eſſe multiplex. Maior patet, minor probatur ex definitione generis, cum dicitur,genus eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & hoc ad genus vniuocum pertinere videtur,elicitur clarè in Prædicamentis capite de vniuocis.

Pro ſolutione reſpondetur, quòd genus capitur dupliciter. Primo modo pro cõmuni quoddam ad tria genera, de quibus mentionem facit Porphyrius, & ſic eſt multiplex, & æquiuocum.
F Secundo modo capitur pro genere tertio modo dicto, pro genere Logico, & hoc eſt vniuocum: cum autem Porphyrius dicat genus multipliciter dici,intellexit de genere,vt comprehendit tria genera ab ipſo deſcripta; non autem de genere tertio modo dicto.

Sequitur textus.

Genus

Genus enim eſt, quòd aliquorum quodam modo ſe habentium ad vnum aliquod, & ad ſe inuicem collectio, ſecundum quam ſignificationem Romanorum dicitur genus ab vnius ſcilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habentium aliquo modo ad inuicem eam, quæ ab illo eſt cognationem ſecundum diuiſionem ab alijs generibus dictum.

Hæc eſt ſecunda pars principalis huius capitis, in qua primo tradit primam generis ſignificationem, relicta ſpeciei multiplicitate, de qua in alio capite. Quæ prima generis ſignificatio, ſecundum Auerroem, ſeu intentio, eſt congregatio, vel preportio relata patri vno, ſicuti dicitur genus Arabum, & genus Adam, propter comparationem ipſorum, ad Iarrababam, & ad Adam.

Senſus verborum Porphyrij talis eſt, quòd genus primo modo dictum capitur pro multitudine quadam, ac multorum collectione, quæ multa quodam modo ſe habent, & referuntur ad vnum aliquod, a quo nomen, originem, & eſſe traxerunt: quæ multa ad inuicem referuntur, habitudine quadam, prout ſcilicet cognitione, & affinitate inuicem coniuncta ſunt. Et ſecundum hanc ſignificationem collectio Romanorum dicitur eſſe vnum genus, ab vno ſcilicet capite, quod fuit Romulus, a quo nomen, & eſſe traxerunt Romani: & hęc collectio ad tale principium dicitur genus, pro quanto inuicem habent habitudinem cuiuſdam ſocietatis, coniunctionis, & parentellę, quam habent ab vno ſcilicet Romulo, ſecundum quam etiam diſtinguuntur, *A cæteris generibus*, ideſt a cæteris virorum collectionibus, puta ab Heraclidarum, & huiuſmodi genere, ſiue multitudine. Ideo dicit Porphyrius, *ſecundum quam diuiſionem ab alijs generibus dictum*; ideſt ſecundum hanc vocem, & hoc nomen collectionis, quæ dicitur genus, ſeiungitur ab alijs generibus, & ſic quo ad vocē generis, non diſtinguitur genus primo modo dictum ab alijs, ſed quo ad vocem collectionis, & ſeiungitur ab alijs non ſolum nomine collectionis, ſed etiam re, ideſt nomine collectionis, & re ſignificata per nomen, puta per habitudinem & relationem ad vnum, & per omnia illa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquid ſit genus primo modo dictum. Hæc eſt tota ſententia textus.

Modò hic ſunt aliqua notanda.

Primum eſt, quòd exemplum de genere Romanorum, & de Romulo, non fuit exemplum a Porphyrio datum, ſed eſt exemplum interpretis; quoniam apud Latinos exemplum Roma-

A norum maximè erat in promptu; ſed exemplū Porphyrij eſt exemplum de genere Heraclidarum. Populi enim Heraclidæ dicuntur hi, qui habent ortum ab Hercule; Hiraclis enim Græcè, Latinè Hercules dicitur, & ab Hercule Populi Heraclidæ dicti ſunt. Heraclidarum igitur virorum multitudo, eſt genus hoc modo.

Notādum eſt, quòd ad genus hoc primo modo dictum primo requiritur quòd ſit collectio multorum, vnde nec duo, nec tres viri tantum conſtituunt genus hoc modo; ſed opus eſt, vt ſit
B multitudo euidens, qualis fuit Romanorum, Arabum, & aliorum huiuſmodi. Secundo requiritur, quòd habeant originem ab vno viro, & ſecundum nomen, & ſecundum rem, vt puta ſecundum ſemen, & propagationem; Romulus enim in tota Romanorum collectione habet aliquid ſui, a quo etiam collectio illa, & multitudo ciuium mutuo quoddā vinculo affecta eſt; nam ſemen propagationis a Romulo poſteris diſperſum efficit, vt totus omnis Romanorum aliquid commune habeat, per quod genus Ro-
C manorum differat, ac ſeparetur a cęteris generibus.

Oportet igitur quod primus quidam dederit nomen, & ſemen, ex quo orti fuerunt alij. Quòd ſi dicatur, Romulus conſtruxit Romam, ſed non ſolus genuit, quoniam fuerunt & alij, qui genuerunt. Reſpondetur concedendo quòd ita eſt, ſed ſat eſt, quod ipſe genuerit, & nomen dederit. Vnde collectio multarum regionum, ſeu diuerſarum, non eſt genus, neque exercitus, eſt hoc modo genus, quoniam oportet,
D quòd viri illius multitudinis habeant ſocietatem quandam, vinculum, & affinitatem ad inuicem, neque cumulus lapidum eſt genus hoc modo.

Tertio notandum eſt, quòd in hoc genere multiplex eſt habitudo. Prima namque eſt principij ad multitudinem, vt cauſæ, a qua indiuidua habent eſſe effectiuè per ſucceſſionem illius multitudinis, & eſt relatio illius capitis, puta Romuli ad Romanos, & hęc dicitur relatio cauſę ad cauſatum. Secunda habitudo, ſeu relatio
E eſt, qua illa multitudo, ad illud principium refertur vt Romanorum ad Romulum. Tertia eſt ſingularium illius multitudinis ad inuicem, quæ pendet ex habitudine, & relatione capitis, puta Romuli ad Romanos: ideo dicit Porphyrius in textu, *eam quæ ab illo eſt cognationem*, & hæc habitudo eſt multiplex, & plura indiuidua diuerſo modo inuicem copulata ſunt; alij enim ſingulares homines ſunt Patrui, alij Aui, alij Fratres, alij Sorores, alij Proximi, & Pro-
F pinqui, & tot ſunt habitudines, quot ſingularia. Relatio autem principij ad multitudinem non eſt tanquam ad totum vniuerſale, ſed tanquam ad totum aggregatum.

Dicunt præterea nōnulli, quòd in omni comparatione cognoſcere multum refert a quo incipias, & in quod deſinas, comparationes namque diuerſis vocantur modis. Nam adhuc duplex

plex eſt relatio, altera æquiparans, altera diſpa-
rans, ſeu diſquiparantiæ, diſquiparantiæ, altera
exuperans, ſiue ſuperpoſitionis, altera ſubijciēs,
ſiue ſuppoſitionis.

Relatio æquiparantiæ eſt illa, in qua non eſt
maior ratio, cūr eius fundamenta iaciantur in
hoc potius, quàm in illo: nam ſiue incipiamus
ab vna re, ſiue ab alia, & deſinamus in vtramuis,
eadem & ęqualis ratio reperietur, vt amicus
amico amicus eſt, ſimile ſimili ſimile eſt. Hęc
dicuntur relatiua æquiparantiæ, quoniam ea-
dem eſt ratiò fundandi relationem in funda-
mento, & termino, & vtrumque eadem ratione
poteſt eſſe terminus, & fundamentum ob ean-
dem rationem ſimilitudinis; & hęc habitudo
æquiparantię reperitur vbi cōparatur hęc mul-
titudo, quę dicitur genus inter ſe.

Relatio diſquiparantię eſt, quando non eſt
eadem ratio fundandi relationem in fundamē-
to, & termino, in vtroque ſcilicet correlatiuo-
rum; & hęc, vt diximus, eſt duplex.

Alia ſuperpoſitionis, & eſt, quando funda-
mentum relationis eſt ſuperius ad terminum,
vt pater paternitate refertur ad filium, & domi
nus ad ſeruum. Alia eſt relatio diſquiparantiæ,
ſuppoſitionis, & eſt, quando fundamētum ſubij-
citur termino; qua relatione filius ad patrem, &
ſeruus ad dominum referri dicuntur, & iſtę rela
tiones dicuntur diſquiparantiæ, quia mutuo re-
feruntur ſub diuerſis rationibus formalibus.

Ad propoſitum, modo iſta Romanorū multi
tudo refertur ad Romulum relatione diſquipa-
rantię ſuppoſitionis, quoniam hęc multitudo di
citur eſſe inferior ad ipſum Romulum: Romu-
lus autem refertur ad multitudinem, relatione
diſpari & ſuperpoſitionis, quoniam Romulus
eſt quid ſuperius ad illam multitudinem.

Prętereа notat Ammonius, quód relatio
dicitur quatuor modis, vel ab arte, vt relatio
Doctoris ad diſcipulum; vel ex fortuna, vt do-
mini ad ſeruum; vel electione, vt amici ad ami-
cum; vel per naturam, vt patris ad filium. Rela-
tio autem Romuli ad Romanos, & è conuerſo
eſt relatio per naturam. Sequitur textus.

**Dicitur autem ei aliter rurſus ge-
nus, quod eſt vniuſcuiuſque genera-
tionis principium, vel ab eo qui ge-
nuit, vel ab eo loco, in quo quis geni
tus eſt. Sic enim Oreſtem quidem
dicimus a Tantalo habere genus,
Hylum autem ab Hercule, & rur-
ſus Pindarum quidem Thebanum
eſſe genere, Platonem uerò Athe-
nienſem.**

Hic Porphyrius continuat ſecūdam partem
huius capitis, in qua declarat ſecundum generis
ſignificatum, ſiue ſecundum modum, quo ge-
A nus accipi ſolet, aut ſecundum Auerroem ſe-
cundam intentionem generis, quę eſt princi-
pium generationis, pater ſcilicet, aut locus, ſicu
ti dicitur Adam eſſe genus hominum, & Hiſpa-
nia genus Hiſpanorum. Senſus igitur eſt, quod
genus ſecundo modo dictum, dicitur eſſe illud,
vel pro illo ſumitur, quod eſt principium vniuſ-
cuiuſque generationis; & hoc principium gene
rationis eſt effectiuum, & eſt duplex, vel eſt pa-
ter, vel patria. Pater inquam generans, & lo-
cus, ſiue patria, in qua quis genitus eſt. Princi-
B pium ergo generationis eſt genus hoc modo,
Sic enim Oreſtem. Hic duplici exemplo declarat
quod dicit, & primò dat exemplum de genere,
quod eſt principium generationis, vt pater;
nam Oreſtes dicitur habere genus a Tantalo,
Tantalus namque dicitur eſſe principium gene
rationis Oreſtis, & ideo dicitur genus. Ponit
aliud exemplum de Hylo, qui fuit filius Hercu-
lis, qui Hercules dicitur eſſe principium gene-
rationis Hyli, quoniam illum genuit, & pro-
creauit. *Et rurſus Pindarum*. Nunc dat exem-
C plum de genere, vt dicitur de patria: dicimus
namque Pindarum genere Thebanum, ideſt
ortum eſſe Thebis, & patria ſua dicitur eſſe ge-
nus illius. *Platonem verò Athenienſem*, quia
Athenis natus eſt, & Athenæ dicuntur eſſe ge-
nus Platonis. Quod autem locus, in quo quis
genitus eſt, ſiue patria dicatur genus, declarat
Porphyrius dicens,

**Etenim patria principiū quoddam
D eſt vniuſcuiuſq; generationis, quem
admodum & pater.**

Sunt inquam principium effectiuum ambo.

Circa textum ſunt aliqua notanda.

Primum eſt illud, quod habet Scotus in vni-
uerſalibus quæſtione decimatertia, vbi dicit eſ-
ſe ſimilitudinem inter patriam; & patrem in
genere principiandi, quia vtrumque ſe habet vt
efficiens; differunt tamen in modo efficiendi,
ſeu ordine: nam pater eſt principium per ſe, pa-
tria verò per accidens; pater eſt principium pro
E ducens, patria verò conſeruans: & aduerte,
quod patria non accipitur pro loco, qui eſt ſu-
perficies, ſed pro loco communi, cum influen-
tijs, & qualitatibus illum communem locum
inſpicientibus.

Secundum notandum eſt, ut patet 5. Meta-
phyſicæ, quód principium, & cauſa confundun-
tur; ideo quot módis dicitur principium, toti-
dem & cauſa, & è conuerſo. Cauſa igitur, &
principium dupliciter capitur, vel pro princi-
F pio eſſentiali ipſius rei, & per ſe, vel pro princi-
pio, & cauſa accidentali, annexa, & conſe-
quente.

Principium eſſentiale rei, ſiue cauſa eſt qua-
druplex, vel eſt materia, vel forma, vel efficiēs,
vel finis. Exemplum in artificialibus, lapides,
cęmentum, ligna, aqua, & ferrum dicuntur cau-
ſa per ſe materialis domus; forma autem domus
dici-

dicitur eſſe diſpoſitio illa, efficiens eſt artifex, finis verò domus eſt ut nos defendat a pluuia, vento, &c. Principium autem accidentale, & annexum eſt multiplex, ſed inter ſignificata vnum reperitur, quod dicitur accidentale effectiuum, ſiue cōſeruatiuum, vt locus, in quo quis oritur, reperitur & tempus, quod ortum & generationem conſequitur; homo namque naſcitur in tempore, quamuis dicatur generationem fieri in inſtanti, de quo alias. Ex principijs igitur per ſe ſumitur efficiens vt pater; ex principijs autem accidentalibus ſumitur locus, & tūc erit genus ſecundo modo dictum. Capitur igitur principium in generatione, vel per ſe vt pater, vel per accidens vt locus, & patria.

Tertiū notandum eſt, quòd principium generationis eſt duplex, vel animatum vt pater, vel inanimatum vt locus, ſiue patria.

Amplius principiū generationis effectiuum eſt duplex, ſiue ſumatur per ſe, ſiue per accidēs, vel remotum, vel propinquum. Exemplum principij propinqui dat Porphyrius de Hercule, qui fuit principium propinquum Hyli. Exemplum verò principij remoti per ſe eſt de Oreſte: nam, teſte Boetio, Oreſtes dicitur a Tantalo genus ducere, quia Tantalus Pelopem genuit, Pelops Atreum, Atreus Agamenonem, Agamenon verò Oreſtē. Tantalus igitur dicitur principium remotum Oreſtis. Similiter principium accidentale effectiuum, qui eſt locus, ſiue patria eſt duplex, remotum & propinquum. De propinquo dat exemplum de Pindaro, quia Thebis natus eſt. De remoto vero, cum dicit, Platonem genere Athenienſem, quia fortè in vno Athenarum vico ortus eſt, puta in Academico loco illo nemoroſo ab Athenis mille paſſuum diſtante.

Præterea notandum eſt, quòd generatio eſt duplex, loquendo primo de generatione patris, vna partialis, altera aggregata; partialis adhuc duplex, propinqua, & remota. Exemplum generationis Hyli ab Hercule dicitur partialis propinqua, Oreſtis verò generatio a Tātalo, eſt partialis remota. Aggregata verò generatio eſt multorum deſcendentium ab vno patre, & hæc etiam eſt duplex, vel totalis, vt omnium Romanorum collectio, vel partialis, vt in una familia. Similiter generatio a loco, ſiue patria eſt duplex, partialis, & aggregata: partialis eſt duplex, propinqua vt ciuitas, remota vt in vico ciuitatis. Tunc dico, quòd ſermo Porphyrij intelligitur de vnaquaque iſtarum generationum.

Sed quis dicet, cur Porphyrius nullam fecit mentionem de matre ſicuti fecit de patre, cum & ipſa ſit principium eſſentiale generationis.

Reſpondetur primo, quod cum mater ſecundum Philoſophos non concurrat actiuè, ſed tantum merè paſſiuè, de illa mentionem facere Porphyrius ſilentio præterijt, quoniam hic agitur de principio effectiuo per ſe, mater autem tantum paſſiuè concurrit. Si vero cum Medicis teneamus; matrem actiuè concurrere, licet minus principaliter, dicendum, quod Porphyrius verba faciens de principio effectiuo magis principali ſub illo intellexit etiam principium effectiuum minus principale. Deus verò, & cęlum ipſum, ſiue Sol cum ſint principia, & cauſę æquiuocæ, non intelliguntur ſub genere hoc modo; vnde ſciendum, quod cum Porphyrius dicat, patria eſt uniuſcuiuſq; generationis principiū, ſicuti & pater, ſcilicet, ſicut, dicit ſimilitudinem quo ad cauſam efficientem, non autem quo ad omnem modum cauſæ efficientis.

Præterea notandum, quòd genus ſecundo modo dictum differt a genere primo modo dicto, quoniam genus primo modo dictum eſt collectio relata ad vnum principium generationis effectiuum, & ad ſe inuicem, ſub hoc inquam reſpectu; genus verò ſecundo modo dictum, eſt principium talis generationis, inſuper differt, quia genus primo modo dictum formaliter eſt illa collectio cum duplici reſpectu, ad illud vnum, & ad ſe inuicem. At genus ſecundo modo dictum eſt principium effectiuum per ſe talis collectionis, & vnius generationis partialis. Et etiam differt a primo genere, quia comprehendit etiam principium per accidens, quod eſt locus, ſiue patria.

Hæc autem uidetur promptiſſima eſſe ſignificatio; Romani enim dicuntur, qui ex genere deſcendunt Romuli, & Cecropidæ, qui a Cecrope, & horum proximi. Et prius quidem appellatum eſt genus uniuſcuiuſque generationis principium: dehinc etiam & multitudo eorum, qui ſunt ab uno principio ut a Romulo, quam diuidentes, & ab alijs ſeparantes dicebamus omnem illam collectionem Romanorum genus.

In fine huius ſecundæ partis Porphyrius duo facere intendit; primo comparare ſpecies generis ſecundo modo dicti inter ſe, quo ad hoc, ſcilicet an verius pater dicatur genus, an patria. Secundo vult comparare genus ſecundo modo dictum quo ad primam ſpeciem ad genus primo modo dictum, quod facit ibi, *Et prius quidem appellatum eſt genus*. Dicit ergo Porphyrius quo ad primam partem. *Hæc autem videtur eſſe promptiſſima ſignificatio*, idest hæc ſignificatio generis, qua pater dicitur genus, videtur promptiſſima, ſuppleas tu quam ſit ſignificatio, qua patria dicitur genus. *Promptiſſima*, idest expedicta, facilis, vulgaris, & omnibus nota ſignificatio, ac ſi diceret, magis propriè pater dicitur eſſe genus, quam patria; &

reddit rationem huius verioris ſignificationis, dicens, ***Romani enim dicuntur qui ex genere deſcendunt Romuli, & Cecropidæ qui a Cecrope***, quaſi dicat, Romulus dicitur genus Romanorum, & Cecropes Cecropidarum, ***& horum proximi***, ideſt conſimiles, ac ſi diceret, & ſic de cæteris, ***& prius quidem appellatum eſt genus vniuſcuiuſque generationis principium***.

Hoc in loco Porphyrius comparat genus ſecundo modo dictũ, quo ad patrẽ, generi primo modo dicto, & ſic ſpecies ſecundi generis, comparatur toti generi primo modo dicto, & ſecundum Boetium talis erit ſenſus, genus ſecundo modo dictum, vt dicitur de patre, ***prius***, ideſt proprius, ſiue vſitatius, & magis ſecundum humanam loquendi conſuetudinem, dicitur de principio actiuo vniuſcuiuſque generationis, quam de multitudine illa relata ad vnum principium, dat exemplũm de Romanis, & Romulo, vbi dat intelligere, quòd loquitur de principio actiuo per ſe, ſcilicet patre. ***Dehinc etiam & multitudo eorum, qui ſunt ab vno principio vt a Romulo***, ideſt aduenientе ætate, & communi vſu loquendi, nomen generis ad multitudinem tranſlatum eſt: ***ſiue dehinc etiam***, ideſt minus ſecundum conſuetudinem; & dicit Boetius quod multitudo plurium ab vno deſcendentiũ, nuncupatur genus a ſignificatione, qua genus dicitur a patre.

Sequuntur nonnullæ dubitationes circa textum.

Prima dubitatio eſt, quam mouet hic Boetius contra Porphyrium; videtur enim Porphyrius confundere primam ſignificationem generis cum ſecunda, quando dicit, ***Romani enim dicuntur qui ex genere deſcendunt Romuli***, & Cecropidę qui ex genere deſcendunt Cecropis, & horum proximi: nam ſi ſunt hi maxime Romani, qui a Romulo originem trahunt, & hæc eſt ſignificatio generis, quæ a procreante, & generante ducitur; vbi ergo eſt (dicit Boetius) reliqua ſignificatio, quam primam eſſe enumerauit, quæ eſt multitudinis ad vnum & ad ſe inuicem collectio. Ita quod dubitatio ſtat in hoc, prius namque dicit Porphyrius, quòd genus capitur pro multitudine illa relata ad vnum, & ad ſe inuicem: nunc autem dicit, quòd eadem collectio dicitur genus, quæ ex Romulo deſcendit tanquam ex genere; nam Romani ſunt illa collectio; ergo videtur confundere quoquo modo primam ſignificationem cum ſecunda, & è conuerſo, & ſic ſecundum Boetium videtur eſſe quædam confuſio.

Reſpondit Boetius, quòd prima, & ſecunda ſignificatio plurimum diſtant, & prima differentia eſt, quoniam genus primo modo dictum eſt formaliter multitudo; genus verò ſecundo modo dictum capitur pro principio procreante non ſolum multitudinem, ſed etiam paucitatem, vt patet de vna partiali familia, A cuius principium eſt pater, & familia ſunt pauci.

Secunda differentia eſt, quoniam de ratione formali ſecundæ ſignificationis eſt, quòd principium ſit effectiuum, & procreatiuum; ſed principium primi generis, ideſt multitudinis de neceſſitate non requirit, quòd ſit principium productiuum, ſed poteſt quandoque non eſſe.

Tertia differentia ſecundum Boetium eſt, quod genus ſecundo modo dictum, dicitur B etiam de partiali generatione, & de vna familia, quæ continetur ſub genere primo modo dicto, ideſt ſub illa multitudine, vt Scipionis familia a Scipione, & continetur ſub Romanorum multitudine: ſunt enim illi etiam Romani, & ſenſus verborum Porphyrij eſt, quod omnes illi dicuntur Romani, qui ex Romuli deſcendunt genere: non eſt autem ſenſus, quòd Romani ſint genus, ſed quia ex genere Romuli, ideſt a Romulo oriuntur, qui eſt eorum genus, & principium; & ſic Porphyrius C non confundit illas duas ſignificationes, ſed maxime diſtinguit.

Secunda dubitatio eſt, quam mouent hic Ammonius, & Boetius ſuper illa verba, ***Prius quidem appellatum eſt genus vniuſcuiuſque generationis principium***, quia ex Boetio videtur contradictio in Porphyrio, quoniam videtur dicere primam ſignificationem generis eſſe poſterius enumeratam, ſecundam verò prius enumeratam, & eo magis augetur ex Ammonio dubitatio, quoniam prima generis ſignificatio D non eſt natura prior, ſed ſecunda. Primum enim ex vno vnum, multos deinceps ex multis facit.

Reſpondit Boetius, quòd Porphyrius hic non dicit, quod prius enumerauerit ſecundam generis ſignificationem, quam primam; ſed loquitur de humani ſermonis conſuetudine; nam prius mos fuit appellare genus principium procreationis, aduenientе verò ætate, & loquendi vſu, nomen generis etiam ad E multitudinem dicit fuiſſe tranſlatum. Non loquitur itaque Porphyrius de ſe, & propria intentione, ſed de conſuetudine loquendi; quare exponit Boetius, ***Prius***, ideſt verius, & vſitatius, & prius tempore, ***Dehinc verò***, ideſt minus vſitate, & poſterius tempore.

Ammonius etiam ſoluit, & inquit, quòd ſecunda generis ſignificatio; quæ nobis poſterior eſt, eſt ordine naturæ prior, quoniam ab Hercule vnus primum, multi deinde oriuntur. Ea verò generis ſignificatio, quæ natura F prior eſt, quantum ad nos ſpectat, ſecunda eſt; nam quæ ordine naturæ priora ſunt, nobis ſunt poſteriora: quæ autem naturæ ſunt poſteriora, nobis ſunt priora, quod declarat exemplo. Inquit enim, quòd naturæ ordine prima ſunt materia & forma, deinde quatuor elementa. Tum caro & oſſa, cæteræque partes eiuſdem generis, poſtremo homo:

natu-

natura enim ſic a ſuperioribus ad inferiora differtur. At nos qui proniores ad inferiora, & procliuiores ſumus, a propinquioribus ad longinquiora reſpicimus, & ab ijs, in quibus eſt maior materiæ pars, ad ea, quæ materiæ experta ſunt, aſcendere volumus. Primum enim hominem cognoſcimus, deinde ex oſſibus, & carne componi illum percipimus, tũ hæc ex quatuor elementis conſtare, hæc poſtremo a materia, & forma deriuari intelligimus. Ex quo conficitur, vt quæ natura priora ſunt, nobis cognitione fiãt poſteriora; quæq; natura poſteriora ſunt, cognitione nobis priora efficiantur. Propterea cum prima generis ſignificatio ſit patentior, & expeditior; Secunda verò implicita, & abſcondita. Hinc Porphyrius illius ſignificationem ſe nobis primum offerri, & in promptu eſſe dixit, cum præſertim a facilioribus doctrinam exordiri debeamus.

Vlterius dubitatur, an illud dictum Porphyrij ſit verum, cum dicit, quod *patria principium quoddam eſt vniuſcuiuſque generationis, quemadmodum & pater*, & videtur quòd non, quoniam pater eſt principium generationis filij per ſe, & eſſentiale: locus verò eſt principium generationis per accidens; ergo locus, ſiue patria non eſt principium generationis ſicuti & pater, conſequentia patet, antecedens probatur, quoniam pater eſt de numero quatuor cauſarũ, a quibus per ſe, & eſſentialiter effectus productus dependet; & pater eſt cauſa efficiens, locus autem non, de alijs tribus cauſis patet, de efficiẽte probatur, quoniam cum Ariſtoteles de cauſa effectiua hominis ſermonem habet, dicit, quod Sol, & homo generant hominem; ergo locus non eſt cauſa per ſe effectiua. Cum igitur locus non ſit aliqua ex quatuor cauſis per ſe, ſequitur quòd ſit principium, & cauſa generationis per accidens, ſiue quòd idem eſt accidentale.

Secundo, pater mouet, & cum motu dicitur eſſe principium generationis filij; at locus non mouet, ergo locus nõ ſicut pater eſt principium generationis, antecedens probatur, nam cauſa efficiens deſcribitur ab Ariſtotele, quòd ſit principium vnde motus; ergo pater generando mouet, locus autem non mouet; quoniam locus eſt quantitas, quantitas autem non agit; ergo non mouet: quantitas enim ſecundum Ariſtotelem non eſt de genere actiuorum.

Tertio pater eſt ſubſtantia, locus verò eſt accidens; ergo non ſicut pater, ita & locus eſt principium generationis.

Quarto ſi locus eſt principium generationis, ergo & tempus, ſed hoc eſt falſum; ergo, probatur conſequentia, quoniam locus eſt menſura extrinſeca propria, tempus verò eſt menſura communis rei genitæ. Declaro, Locus dicitur menſura rei, quoniam menſurat quantitatẽ rei, vt tanta ſit res, quantus eſt locus, & dicitur menſura propria, quoniam locus meus, qui menſurat me, ita menſurat me, quòd non aliud: impoſſibile namque eſt duo corpora eſſe ſimul in eodem

A loco: tempus verò dicitur menſura communis, quoniam hodierno tempore menſurantur, verbi gratia actiones, & mutationes omnium. Falſitas antecedentis patet, quoniam hic nõ enumeratur tempus inter principia generationis.

Quinto, Ariſt. 5. Metaphyſicæ, cap. de genere in ſecundo generis ſignificato, vbi de principio generationis loquitur, non meminit de loco; ergo locus non eſt principium generationis.

In oppoſitum eſt Porphyrius, ideo ad primũ reſpondetur, quòd patria eſt principium generationis ſicuti & pater, id eſt ſunt origo ambo generationis, & in hoc conueniunt: differunt autem, quoniam pater effectiuè eſt cauſa generationis, locus verò receptiuè, & denominatiuè, pater etiam per ſe, id eſt tãquam una ex quatuor cauſis per ſe eſt principium generationis filij, locus verò eſt cauſa, & principium per accidens, quia videlicet nõ eſt aliqua harum quatuor cauſarum, nec materia, nec forma, nec finis, nec efficiens, ſed quid extrinſecum, & ſecundum accidens.

C Vel ſic dicitur, quòd Argumentum loquitur de modo cauſæ efficientis, non autem de ipſa cauſa, & tunc conceditur, quod quo ad modum cauſæ nulla inter locum, & patrem cadit ſimilitudo. Similia tamen ſunt quoad cauſam.

Ad ſecundum reſpondetur, cum dicit, locus non mouet, cõcedo, ſiue moueat per ſe, ſiue per accidens, ſed non mouet vt efficiens verum, & reale, & in hoc non conuenit patria cum patre, ſed in alio conueniũt, vt dicetur in reſponſione tertij argumenti.

D Ad tertium reſpondetur ſimiliter, quod verũ eſt, quod pater eſt ſubſtantia, locus verò eſt accidens, ſi ſumatur pro vltima ſuperficie tantum, & pro duplici reſpectu. Si autem ſumatur pro corpore, locus eſt ſubſtantia, vt totus aer ambiẽs nos, ſed non eſt ſubſtantia reſpectu rei genitę, & conueniunt in ratione principij. Differunt autem in modo principiandi, conueniunt quoad denominationem, differunt in modo denominandi.

Ad quartum reſpondetur pro nunc negando
E conſequentiam, quoniam licet locus & tempus ſint menſuræ extrinſecæ, patria etiam poteſt ſic dici principium generationis, quoniã eſt locus, in quo primo ſit generatio, & poteſt denominare plures, tempus verò ita ſe habet, quòd in eodem tempore poſſunt generari, & oriri plures ex diuerſis nationibus; ideo non habet nomen proprium, tempus ipſum, quo denominare poſſit rem genitam: at patria illud habet, & hoc facit vt patria ſit principium generationis; & per conſequens quòd dicatur genus.

F Ad quintum reſpondetur, quod Ariſt. 5. Metaphyſicæ locum nõ enumerauit breuitatis cauſa, quicquid ibi dicat Alexander, quoniam Ariſtoteles ibidem fecit mentionem de fœmina, non autem hic Porphyrius: ibi autem Ariſtoteles fecit mentionẽ de principio effectiuo, & ſic hac ratione verũ dicit Alexander ibi, quod di-

miſit

miſit locũ,qui locus nõ habet rationẽ efficientis; at Porphyrius hic loquitur de quoddã cõmuni.

Aliter autem rurſus genus dicitur, cui ſupponitur ſpecies.

Hic incipit tertia pars principalis huius capitis,quę perdurat vſque in finem, in qua Porphyrius aggreditur genus Logicum,quod eſt tertiũ generis ſignificatum: hęc pars habet quinque particulas.

Et in hac prima particula aſſignat tertiũ genus, & primam eius definitionem tradit, & eſt illud ſecundum Auerroem,de quo agitur in hac arte,cui ſpecies ſubijcitur.

Senſus eſt, quòd alio modo dicitur genus, ideſt pro illo,quod ita ſe habet,vt ei ſupponatur ſpecies. Et hoc eſt genus,quod ad Dialecticos attinet,& quia genus, & ſpecies ſunt correlatiua;ideo vnum correlatiuorum ponitur ſub definitione alterius.

Vnde notandum eſt,quòd ſpecies dicitur ſuppoſiti generi tanquam inferius ſub ſuo ſuperiori, & communiori immediatè, directè, per ſe: & primo,declaro ſingula, dicitur immediatè propter indiuidua,dicitur directè propter differentias,dicitur per ſe,& primo ad differentiam proprij & accidentis.

Ad horum fortaſſe ſimilitudinem dictum: etenim principium quoddam eſt huiuſmodi genus earũ,quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum, uidetur etiã multitudinem continere omnem, quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum.

Hæc eſt ſecunda particula, in qua declaratur genus tertio modo dictum habere ſimilitudinẽ quandam cum duobus generibus primo dictis: & primo comparat hoc genus ad genus ſecũdo modo dictum,quoniã ſicut illud genus eſt principium ſpecierum,quæ ſunt ſub eo,ſic pater, & locus ſunt principium generationis; differunt vero,quoniam genus tertio modo dictum dicitur principium ſpecierum materiale, ſiue ſubſtantiale,ſed non effectiuum; ſtat tamen ſimilitudo in hoc,quod eſt eſſe principium per ſe eſſentiale, & ſubſtantiale; differunt verò penes effectiuum,& materiale, extrinſecum, & intrinſecum: pater enim eſt principium extrinſecum, genus verò intrinſecum. Conuenit etiam hoc genus tertio modo dictum cum genere, ſecũdo modo dicto,quo ad principium accidentale, vt eſt locus,& patria: nam ſicuti patria,& locus eſt principium, quia res in loco proprię genituræ incolumis eſt,ita ſpecies quoddammodo dicuntur eſſe in genere,in quo, vt in proprio domicilio conſeruantur. Differunt etiam, quia genus eſt de ſubſtantia rei intrinſeca;patria vero & locus ſunt principia extrinſeca, & accidentalia. *Videtur etiam multitudinem continere*. Hic Porphyrius declarat quam ſimilitudinem habeat

A tertium genus cum genere primo modo dicto, quod ſcilicet eſt continens multitudinem, ſicuti comprehendit genus relatum ad patrẽ vnum multitudinem,quæ eſt ſub eo: nam ſicuti genus primo modo dictum eſt collectio multorum indiuiduorum, ita genus tertio modo dictum ſub ſe colligit multas ſpecies, vt animal colligit leonem,equum,canem,& hominem; & ſicuti indiuidua multitudinis habẽt relationem ad vnum, & ad ſe inuicem, ita multitudo ſpecierum refertur ad vnum genus, & ad ſe inuicem; & ſicuti il-
B la multitudo deſcendit ab vno principio ordinatè, ita ſpecies ab vno genere ordinatè deſcendunt.

Differunt autem, quia genus primo modo dictum eſt formaliter illa multitudo, quæ eſt vnũ aggregatum indiuiduorum; ſed genus tertio modo dictum eſt vna natura, collecta ex pluribus ſpeciebus, formaliter tamen non eſt multitudo ſpecierum.

Differunt ſecundo,quia multitudo illa, ideſt indiuidua multitudinis deſcendunt ab vno capi-
C te per quandam ſucceſſionem; ſpecies autẽ non ſic deſcendunt a genere, quia non generantur ſpecies illę per ſucceſſionẽ, nec corrumpuntur.

Differunt tertio, quia illud vnum principium multitudinis eſt principium effectiuum extrinſecum, eſſentiale tamen: genus verò dicitur principium intrinſecum materiale.

Differunt quarto,quia genus tertio modo dictum abſtrahitur ab hoc,& ab illo ſingulari; ſed genus primo modo dictum eſt formaliter multitudo ſingularium.

D Differunt quinto,quia genus tertio modo dictum prædicatur in recto per ſe, & eſſentialiter de ſpeciebus,dico quoad ſua prædicata eſſentialia,genus vero primo modo dictum non ſic prædicatur de ſuis indiuiduis.

Notãdum ex Ammonio,quòd illud verbum, *Fortaſſe*, ea inquã dictio poſita eſt a Porphyrio, quia non eſt certũ, an Philoſophi a Nomenclatoribus, an è conuerſo hoc vocabulum acceperint. Vel dixit *Fortaſſe*, vt innuat diſſimilitudinem modi prædicandi.

E **Tripliciter igitur cum genus dicatur de tertio apud Philoſophos ſermo eſt.**

Hæc eſt tertia particula tertiæ partis principalis, in qua breui ſermone eligit genus illud ex tribus aſſignatis, de quo nam ſit ſermo in prædicamentorum doctrina. Dicit igitur cum tribus modis ſoleat accipi genus, vt viſum eſt apud
F Philoſophos,ſermo eſt tantummodo de genere tertio modo dicto: nam Logicus, & Dialecticus dicutur ſermonem habere de genere tertio modo dicto, quia ſpeculantur naturam communem generitam,modo tamen Logicali,& ſecũdum prædicata Logicalia,quo ad prædicari, & ſubijci, ut patet ex definitione generis, & aliorum.

Quod

Quod etiam deſcribentes aſsignauerunt, genus eſſe dicentes, quod de pluribus, & differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt prædicatur, vt animal.

Hæc eſt quarta particula huius tertiæ partis principalis, in qua, cum dicit, vſum ſolum tert. ū generis modum acceptare, nunc dicit, quod Philoſophi, & eundem deſcribunt, quòd ſcilicet hoc genus Logicum ſit illud, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt, vt animal. B

Boetius notat illud verbum, *Deſcribentes*. & dicit, quod notanter dicit deſcribentes, & non definientes, quoniam genus, vt genus, propriè definiri non poteſt, ſed deſcribitur, & ex proprietatibus datur quædam rei informatio; Scotus verò in Vniuerſalibus vult genus proprie definiri, cum genus & ſpecies ſint in prædicamento ſecundarum intentionum, cuius genus eſt vniuerſale, & differentiæ ſunt prædicari in quid de pluribus differentibus ſpecie. C

Inſuper Boetius in ſecunda editione inquit, quod cum dicimus animal genus eſſe, tunc de re ipſa hoc nomen non dicimus, ſed de ea relatione, qua poteſt animal ad cæterorum quæ ſibi ſubiecta ſunt, prędicationem referri: quibus verbis apparet hác vocem definiri ſignificatiuè, vt ſignificat non terminos genericos tantum, puta animal, neque vt ſignificat primo naturas genericas, ſed vt ſignificat relationem applicatam naturæ genericæ, qua natura eſt prædicare in quid de differentibus ſpecie. D

Eorum enim quæ prędicãtur alia quidem de vno dicuntur ſolo, ſicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc; alia verò de pluribus, quemadmodum genera, & ſpecies, & differentia, & propria, & accidentia communiter, ſed non propriè alicui. A

Hæc eſt quinta particula huius tertiæ partis principalis, in qua Porphyrius vult declarare generis definitionem & ponere differentiaſq; huius a cæteris prædicabilibus.

Vt autem clarior ſit declaratio, diuiſionem appoſuit eorum quæ prædicantur. Diuiſio data hic a Porphyrio talis eſt, eorum quæ prædicantur, ſiue ſint naturæ reales cõceptæ, & expreſſæ per voces, ſiue ſint voces exprimẽtes cõceptus. B

Sunt in duplici differentia, vel enim prædicantur de vno ſolo, ſicuti indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc, Socrates enim ſolũ de ſeipſo prædicatur, vel prædicantur de pluribus, vt genera, ſpecies, differentia, propria, communiter & accidentalia. Hæc enim de pluribus prædicantur, ſed non propriè alicui inſunt. Dat exemplum de genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidente, quando dicit,


C Eſt autem genus quidem, vt animal, ſpecies verò vt homo, differentia autem vt rationale, proprium vt riſibile, accidens vt album, nigrum, ſedere.

Hæc enim communiter accidunt.

Notat Ammonius, quòd Porphyrius vſus eſt illis verbis, *hic, & hoc*, quæ ſunt nomina demonſtratiua, quia ſolum ſingularia demonſtrare digito poſſumus, non autem vniuerſalia, quæ mente concepimus. D Dixit ergo hic & hoc ad differentiam vniuerſalium. Dixit autem, *Sed non propriè alicui*, nam accidentia duplicia ſunt, quędam communia, vt album eſt accidens commune; quædam ſunt propria, quę vni indiuiduo inſunt, vt hic color, in hoc corpore.

Deinde notat Boetius, quod ſi hæc quinque prędicabilia ſecundum ſe ſpeculemur, de pluribus prædicantur: ſi verò vt ſunt in indiuiduis prædicantur hæc omnia de vno ſolo.

Boetius in ſecunda ędítione tres tangit diuiſiones, ex quibus vna tantum accipio.



Ammonius etiam tangit tres diuiſiones, ex quibus vnam tantum accipio.

- Vox prædicabilis
  - ſignificatiua
    - de vno
      - indiuiduum vagum
      - indiuiduum ſignatum
    - de pluribus
      - eſſentialiter
        - in quid
          - vel de ſpecie — genus
          - vel de numero differentibus — ſpecies
        - in quale — differentia
      - per accidens
        - de vno tantum — proprium
        - de multis — accidens
  - non ſignificatiua
    - vt bliturí quæ vox nihil ſignificat

Tertiam adduco diuiſionem, & eſt

- Prædicabile
  - de vno
    - indiuiduum
  - de pluribus
    - in quid
      - de ſpeciebus — genus
      - de indiuiduis — ſpecies
    - in quale
      - eſſentialiter — differentia
      - accidentaliter
        - couertibiliter — proprium
        - nō couertibiliter — accidens

A **Ab his igitur, quæ de vno ſolo prædicantur, differunt genera, eo quod hæc de pluribus prædicantur.**

Hic Porphyrius vſque ad ea verba ſequentia,

Ab ijs autem rurſus, quæ de pluribus a ſpeciebus quidem.

Per propoſitum diuiſionem eorum, quæ prædicantur, incipit oſtendere quomodo genus a cæteris ſeparetur, quæ non ſunt genus, id quæ oſtendit per particulas poſitas in definitione, & B pro nunc ſupponatis, quod licet, *prædicatur*, ſit genus, quod conuenit generi, ſpeciei, differentiæ, proprio, & accidenti.

Per licet verò, *de pluribus*, differt genus ab ijs, quæ de vno ſolo prædicantur, vt ab indiuiduis ſubſtantialibus vt Socrates, & ab accidētalibus vt hoc album.

Vnde notandum, quòd hic a Porphyrio, ſub nomine indiuidui comprehenditur etiam indiuiduum vagum, cum indiuiduum vagum non C differat ab indiuiduo ſignato, niſi per quandam indifferentiam, & indeterminationem.

Propterea ſciendum eſt, quod ſingulare eſt triplex, ſignatum, vagum, & ex ſuppoſitione, ſingulare ex ſuppoſitione eſt, quando vna ſpecies A non reperitur niſi in vno indiuiduo vt Sol, qui quantum ſit, de ſui natura eſt communicabilis: indiuiduum verò ſignatum eſt, vt iſte homo, puta Socrates. De indiuiduo vago dantur tres expoſitiones.

Prima, dicitur vagum, quando importat determinatum, indeterminate tamen, vt ſuit, hic, quidam homo, & neſcio quis ſit.

Secunda, vagum indiuiduum dicitur, cum capitur Socrates cum omnibus ſuis accidentibus.

B Tertia, cum conſideratur aliquid ſub ratione alicuius, non conſiderando cuius naturæ ſit indiuiduum vagum, verbi gratia præſentatur mihi annulus, & eſt ſingulare, & non conſidero cuius naturæ ſit. Sequitur textus.

Ab ijs autem rurſus, quæ de pluribus, a ſpeciebus quidem, quoniam ſpecies etſi de pluribus prædicantur, non tamen de differentibus ſpe- C **cie, ſed numero. Homo enim cum ſit ſpecies, de Socrate, & Platone prædicatur, qui non ſpecie differūt, ſed numero. Animal verò, cum ſit**

genus

genus,de homine, & boue, & equo prędicatur,qui non ſpecie differunt, ſed numero.

Hic exorditur declarare Porphyrius, quomodo per particulas generis, genus differat ab ijs, quæ de pluribus prædicantur. Et primo dicit, quòd differt a ſpecie, per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, quoniam ſpecies prædicatur de pluribus differentibus numero ſolum.

Pro notitia eorum,quę hic Porphyrius dicit, oportet ſcire, quid ſit idẽ numero, idem ſpecie, idẽ genere,idem proportione, ſimiliter quid ſit differre numero, ſpecie, generę, proportione.

Illa igitur pro nunc dicuntur eſſe vnum, vel idem numerum,quæ ita ſe habent, quòd primo ſunt in re, & extra intellectum, & ſenſu percipiuntur, & digito monſtrantur, & non habent partes ſubiectiuas, in quas tanquam in inferiora diuidantur,vt Socrates.

Illa vero dicuntur differre numero, quæ ſunt indiuidua extra animam,& quæ numerãdo differunt,ita quod vnum non eſt reliquum. Et nota, quòd vnitas numeralis non competit his indiuiduis,quæ ſunt in mente, vt hoc genus, hoc commune, vt etiã videtur intelligere Boetius.

Illa verò dicũtur eſſe vnũ ſpecie,q̃ ſub vna ſpecie reponũtur,vt Socrates,& Plato ſub homine.

Illa verò differunt ſpecie, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, vt homo, & equus. Illa verò dicuntur eſſe vnum genere,quæ ſub vno genere reponuntur,vt homo,& equus ſub animali. Illa verò dicuntur differre genere,quæ ſub diuerſis generibus reponuntur, vt linea, & homo ſub duobus diuerſis prædicamentis. Illa demum dicuntur eſſe vnum proportione; quæ quidem quandam inter ſe ſimilitudinem habent,vt præceptor, & gubernator nauis dicuntur eſſe vnum proportione: nam ſicuti ſe habet rector nauis ad nauem,ita præceptor ad diſcipulum. Illa verò dicuntur differre proportione,inter quæ nulla cadit proportio,vel ſimilitudo.

Ad propoſitum igitur differt genus a ſpecie, quoniam genus de pluribus differentibus ſpecie prædicatur: ſpecies verò de pluribus differentibus numero ſolum.

A proprio verò differt genus,quoniam proprium quidem de vna ſola ſpecie,cuius eſt proprium,prædicatur,& de ijs,quæ ſub ipſa ſpecie ſunt indiuiduis, quemadmodum riſibile de homine ſolo,& de particularibus hominibus, genus autem non de vna ſola ſpęcie prędicatur,ſed de pluribus,& differentibus.

Hic Porphyrius declarat, qũo genus differat a proprio: nam differt genus a proprio, quoniã genus de pluribus ſpeciebus prædicatur; pro-

A priũ verò de vna ſolũ ſpecie, cuius eſt propriũ, & de indiuiduis illius ſpeciei, vt riſibile prædicatur ſolum de homine,& de eius indiuiduis.

A differentia verò,& ab eis, quæ communiter ſunt accidentia, differt genus; quoniã etſi de pluribus, & differentibus ſpecie prædicantur differentia,& communiter accidentia,non tamen in eo, quod quid eſt,

B prædicantur, ſed in eo, quod quale quid eſt. Interrogantibus enim aliquibus,quid eſt illud, de quo prædicantur hæc,genus reſpondebimus. Differentias autem; & accidentia non reſpondebimus quod quid eſt prædicantur. De ſubiecto,ſed magis

C in eo, quod quale quid eſt; interroganti enim quale quid eſt homo, dicimus quòd rationale,& quale quid eſt coruus, dicimus, quod nigrum. Eſt autem rationale quidem differentia,nigrum verò accidens. Quando autem quid eſt homo interrogamur, animal reſpõdemus; eſt autem

D hominis genus animali.

Hic oſtendit Porphyrius, quomodo genus per prædicari in eo quod quid eſt,differat ab accidente,& differentia ſimul.

Vt autẽ,quæ dicit hic Porphyrius percipiantur,ſciendum eſt,quod prædicari contingit dupliciter,vel in quid,vel in quale quid: illud dicitur prædicari in quid, per quod reſpondętur ad interrogationẽ factam per quid. Illud verò dicitur prædicari in quale quid,per quod reſpondetur ad interrogationem factam per quale quid.

E Præterea eſt notandũ,quòd quæſtio quid eſt, eſt quæſtio, qua quæritur de eſſentia, & de ſubſtantia rei: nã quid eſt,eſt duplex, quid nominis, & quid rei: & quando dicitur in definitione, quod genus prædicatur in quid, intelligitur de quid rei, cũ genus ſit prædicatũ primi modi dicendi per ſe; hoc modo prædicari etiã in primo modo dicendi per ſe cõpetit quoq; differentiæ, ſed differentia dicitur prædicari in quale quid, idcſt per modũ qualitatis; accidens verò dicitur prędicari in quale accidẽtale, vnde eſt dicendũ.

F Quod dicitur prædicari in quale quid dupliciter contingit, vel in quale quid rei,& eſſentiale,vel in quale quid accidẽtale, primo modo prędicatur differentia, ſecundo modo accidẽs. Ad propoſitum, dicit Porphyrius, quod genus differt a differentia, & a communiter accidentibus; quoniam quamuis differentię,& accidentia

communia prædicentur de pluribus differentibus ſpecie, non tamen ideo, quod quid, ſed in quale quid prædicantur;& reddit cauſam: nam ſi interrogemur quid ſit homo, reſpondemus, quòd eſt animal; ſi vero dixerimus quale quid eſt homo, reſpondebimus, per rationale, vel per nigrum, vel album.

Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab ijs, quæ de vno ſolo eorum, quæ ſunt indiuidua, prędicantur. Hoc verò de differentibus ſpecie ſeparat ab ijs, quæ ſicut ſpecies prædicantur, vel ſicut propria: in eo autem quod quid eſt prædicari diuidit a differentijs, & communiter accidentibus quæ nō in eo quod quid eſt, ſed iñ eo quod quale quid eſt, vel quomodo ſe habet vnumquodq; prędicatur de ijs, de quibus prædicatur.

Hic repetit quę dixit epilogo, & vnicum verbum ponit quo declarat illud verbum (quod eſt in quale quid eſt) & dicit ex his patet, quod prædicari de pluribus in definitione generis, ſeparat genus ab indiuiduis, quæ de vno ſolo prædicantur; licet verò differētibus ſpecie, ſeparat genus ab his, quæ ſicut ſpecies prædicantur, & quæ ſicut propria; licet verò prædicari in eo, quod quid eſt, ſeparat genus à differentia, & a communiter accidentibus quę prædicantur in eo, quod quale quid eſt. Et hoc verbum poſtremum ſcilicet quale quid eſt, declarat, cum dicit, *vel quomodo ſe habeat, vnumquodque*, vel exponitur cum Ammonio quod dicit, *in eo, quod quale quid eſt*, reſpectu differentię. Dicit autem, *vel quomodo ſe habet vnumquodque*, reſpectu accidentium.

Nil igitur ſuperfluum, neque minus continet generis dicta deſcriptio notionis.

Hic in fine capitis dicit Porphyrius, quod deſcriptio generis tertio modo dicti aſſignata, neque ſuperflua, neque diminuta cenſenda eſt; vnicum verbum declarandū remanet in his verbis cum dicit, *generis dicta deſcriptio notionis.*

Ad quod dicit Ammonius, quòd triplex eſt genus, vnum eſt, quod dicitur genus ante multa; & hoc nil aliud eſt, niſi idea Platonis, quæ dicitur vniuerſale, ſiue idea ante multa in mente diuina, de quo vniuerſali fit mentio ab Ariſt. in 1. lib. Poſt. tex. com. 81. Aliud reperitur genus, quod appellatur genus in multis, vt gratia exempli, tale genus non eſt vnum, ſed multa, vt hoc animal, & illud animal, & illud, hoc inquam genus non eſt vna natura, ſed plures naturæ, & dicitur vniuerſale in potentia, quia ex ipſis multis colligi poteſt vna natura generica; quæ deinde

A fit vniuerſale in actu, & hæc natura communis eſt ſolum in intellectu, & ſic ſolum comprehenditur ab intellectu, & a ſolo intellectu formatur; & hoc genus etiā dicitur eſſe de multis, ſeu poſt multa, pro quanto eſt natura collecta a multis, & multorum repræſentatiua.

Et quoniam Porphyrij propoſitum erat dicere de genere, quod poſt multa dicitur ideo dicit, *neque diminuta, neque ſuperflua eſt generis dicta deſcriptio notionis*, id eſt deſcriptio, quæ datur de genere, quę intellectu & notitia comprehenditur,
B & hoc tale genus dicitur intelligibile rationale, a Gręcis Egnia, a Latinis verò Notio, ſiue Intentio: & hæc ſunt quæ in expoſitione verborum capitis de genere volui dixiſſe.

Verum circa textum occurrunt nonnullę dubitationes.

Primum dubium eſt, circa illud quod dixit Porphyrius, quòd genus eſt, cui ſupponitur ſpecies, an hæc deſcriptio ſit bona, & videtur quòd non.

Primo, cęlo ſupponuntur ſpecies iſtorum in-
C feriorum, ſed cęlum non eſt genus, ergo definitio conuenit alijs a definito; ergo non eſt bona definitio.

Reſpondetur, quòd ſpecies iſtorum inferiorum ſupponuntur cęlo ſuppoſitione locali, tanquam a continente reali, cęlum namque ambit elementa, terram, ac omnes ſpecies, & ſupponuntur quoad influxus, & generationem, vt dicitur in Meteorologicis, non autem ſuppoſitione formali, & logicali, vt ſupponuntur generi.

Secundo, nulla ſpecies continetur, & ſuppo-
D nitur alteri ſpeciei ſub eodem genere poſitę, ſed ſpecies, & genus ſunt huiuſmodi; ſunt namque duæ ſpecies ſub vniuerſali repoſitę; ergo ſpecies non ſupponitur generi.

Reſpondetur, quod non eodem modo ſpecies, & genus ſunt ſub vniuerſali, quo ſpecies ſub genere; ſpecies namq; eſt ſub genere, vti ſub communi vniuocę: ſunt verò & genus, & ſpecies ſub vniuerſali, tanquam ſub communi tranſcendenti, & analogo.

Tertio, ſpecies ſupponitur enti, ſed ens nō eſt
E genus; ergo definitio conuenit alteri a definito.

Reſpondetur, quòd ſpecies ſupponitur enti, ſed non tanquā generi, vt communiter dicitur, ſed tranſcendenti, & communiſſimo prędicato.

Quarto, ſpecies ſupponitur differentiæ; ergo definitio competit alteri a definito.

Reſpondetur, quòd ſpecies ſupponitur differentijs vltimis, & conuertibilibus alio modo quàm generi ſupponantur, quoniam ſupponuntur vt prædicato nobiliori, & magis eſſentiali,
F & vt id quod prædicatur in quale quid.

Quinto, ſpecies ſupponitur definitioni; ergo alteri competit a definito.

Reſpondetur, quòd ſpecies vt definitur, ſupponitur definitioni, ſed non vt inferius ſub ſuo ſuperiori.

Sed vt prædicato eſſentiali conuertibili cum ſpecie: at genus eſt prædicatum ſuperius, & non

eſt

eſt tota eſſentia ſpeciei, neque cum ſpecie conuertitur.

Sexto dubitatur, quia generi ſupponuntur differentiæ, & indiuidua, & hæc non exprimuntur in definitione generis; ergo videtur diminuta definitio.

Quòd autem ſupponantur generi, probatur per regulam antepraedicamentalem, in qua dicitur, quòd quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto, ſed genus, puta animal, prædicatur de homine; ergo & de quodam homine, vtputa de indiuiduis, quæ ſunt ſubiecta homini, genus prædicatur.

Pro notitia huius ſolutionis eſt memorãdum declarata in principio tertiæ partis huius capitis de genere, videlicet quòd aliquod ſupponi generi contingit dupliciter, vel directè, vel indirectè, ſiue a latere, directè ſpecies, & indiuidua ſupponuntur generi (directè appello) ideſt in recta linea prædicamentali; indirectè verò generi ſupponuntur differentiæ; directè verò aliquid generi ſupponi dupliciter contingit, vel mediatè, vel immediatè, immediatè ſpecies ſupponuntur generi; mediatè autem indiuidua. Itaque cum dicitur genus eſt cui ſupponitur ſpecies, ita intelligitur quod genus eſt illud, cui directè, & immediatè ſupponitur ſpecies, vt inferius de quo prædicatur in quid genus.

Ad argumentum reſpondetur, quòd differentiæ, & indiuidua ſupponuntur generi, ſed aliter & aliter quàm ſpecies; quoniam differentiæ indirectè, indiuidua directè, mediate tamen: ſpecies verò directè & immediatè, & ſic patet deſcriptionem a Porphyrio datam eſſe bonam.

Verùm cum tertium generis ſignificatum dupliciter a Porphyrio, & duplici modo fuerit expoſitum, videlicet quòd genus eſt, cui ſupponitur ſpecies, & quòd eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: propterea quis quæreret quæ differentia eſt inter primam & ſecundam generis Logici deſcriptionem, ſeu deſignationem.

Caietanus hoc in loco aſſerit primam definitionem generis Logici fuiſſe definitionem quid nominis, quãdo ſcilicet dicit Porphyrius, quòd genus eſt cui ſpecies ſupponitur. Alteram verò a Porphyrio traditam fuiſſe definitionem quid rei, eam videlicet, qua definitur genus, quòd ſit id quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. Verùm, iudicio meò, hæc opinio Caietani eſt longè aliena a veritate; primo, quia vt optimè Boetius, Ammonius, Magnus Albertus, & alij grauiſſimi viri notant, Porphyrius non definitionem generis tradit, ſed deſcriptionem ſimplicem; quod tum ex modo docendi de genere, & cæteris prædicabilibus policito ab Ariſtotele argumentor; tum etiam ex eiuſdemmet Porphyrij verbis dicentis in eius tertij generis ſignificatione, & etiam in fine capitis deſcriptionem non definitionem ipſius fuiſſe traditam.

Propterea ad difficultatem, & quæſitum reſponderem, quòd differunt in hoc, quia ſecunda

A explicat primam. Declarat enim in ſecunda, quid intelligat per licet, *ſupponi*, quia nihil aliud eſt, quam genus prædicari de ſpecie, vt prædicatum ſuperius per ſe in quid, de ſpecie vt de ſuo inferiori, & parte ſubiectiua.

Vlterius dubitatur ſuper eo, quod Porphyrius dixit, quod genus tripliciter dicitur, cum maximè Ariſtoteles 5. Metaphyſicæ numerauerit plures quam tres generis ſignificationes, vt eo in loco apud ipſum videre eſt. Et præcipuè cum reperiatur pluribus quam tribus modis genus dici, B pluraque huius nominis generis ſignificata, videtur Porphyrius diminutus.

Verùm antequam diſſoluam hoc dubium, prius cauſam dubitationis aperiam, oſtendendo quomodo hoc nomen genus capiatur pluribus quam tribus modis, quibus enumeratis patebit reſolutio.

Primo igitur, hoc nomen genus capi ſolet a Grammaticis pro accidente partium orationis: datur enim apud Grammaticos genus fœmininum, maſculinum, neutrum, & incertum, ſeu C promiſcuum: Secundo modo capitur, & dicitur quicquid eſt, per quod alicuius rei qualitas indicatur, vt genus mortis, genus vitę, genus pęnæ. Tertio modo dicit Ammonius, quod capitur genus apud Platonem pro ſubſtantia, identitate, alteritate, motu, quiete, ſiue ſtatu; in Sophiſta namque Plato, ſubſtantiam, idem, alterum, motum, & quietem, entis genera dicit, quod ſic eſt intelligendum, quòd illa enumerata ſint ſpecies entis, ita vt Plato, genus pro ſpecie acceperit, vel dicatur, quòd appellauerit hęc genera entis, D ideſt genera ſub ente poſita, vt decem prædicamẽta poſſunt dici genera entis, ideſt genera ſub ente poſita. Quarto, datur genus Logicum, de quo fit mentio a Porphyrio hic. Quinto, datur genus Phyſicum, quod ſumitur pro materia, imò eſt ipſa materia, quæ eſt duplex, vel prima, vel ſecunda. Prima eſt ſimplex, vt materia elementorum; ſecunda eſt compoſita, vt corpus dicitur materia ſecunda hominis.

Vltimo, capitur genus pro ſubiecto ſcientiarum. Patet igitur, quòd genus pluribus modis E capitur, quam dixerit hic Porphyrius nomen generis accipi ſolere.

Sunt nõnulli, qui dicunt, quòd & ſi plura ſint re vera generis ſignificata, quam tria a Porphyrio enumerata, ea tantum, cæteris omiſſis breuitatis cauſa in medium poſuit.

Magnus Albertus, & alij dicũt, quòd Porphyrius ſolum enumerauit ea generis ſignificata, quæ ſunt ad ſimilitudinem generis Logici.

Quapropter nos vtramq; reſponſionem connectẽtes, dicere poſſumus, quòd Porphyrius bre F uitatis pollicitæ memor; & ſtudioſus ſolũ ea generis ſignificata numerauit, quæ ad propoſitum ſuum faciebant, quæ inquam ob ſimilitudinem, quam habebant cum genere Logico, videbãtur facere pro illius clariori explicatione.

Inſuper dubitat Boetius, cur ex tribus generis ſignificationibus, tertiam ſumpſit Porphy-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rius,curque apud Philoſophos de ea; & non de cæteris eſt ſermo.

Boetius ad hanc dubitationem in ſecũda ędi tione, hoc in loco reſpondet, quòd cum philoſophi, præcipuè inquirant rerum naturas, quas tunc ſcire putamus,cum earundem rerum eſſentiam,& ſubſtantiam cognoſcimus: propterea de primo generis ſignificato,& ſecũdo;non eſt ſermo apud philoſophos,quippeque originẽ quandam,aut collectionem, qua vnus populus ab altero ſeiungitur,contineant; verùm de tertio, eo quoniam iſtud ſubſtantiam rei demonſtrat, ad differentiamque accommodatum,ſpeciẽ ipſam informat.

Circa ordinẽ reſtant nõnullæ difficultates. Primũ enim de genere, vt propoſuit, pertractauit.

Modo non deſunt inſtantiæ, quibus talis ordo improbari poſſit.

Prima inſtantia eſt huiuſmodi, regula eſt 1. Phyſicorum contextu 2. quòd inſita eſt nobis via a natura, vt ſemper a notioribus nobis, ad ea quę ſunt nobis incognita, procedamus. Sed accidens eſt notius genere, notius inquã nobis; ergo prius de accidente, quam de genere agendum erat, imò prius etiam quam de ſpecie, & differentia, idem argumẽtum formari poteſt de ipſo proprio. Maior patet ex Ariſtotele, Minor autem declaratur ex 1. de anima, vbi habet Ariſtoteles, quòd accidentia maximam, & ſummam partem conferunt ad cognoſcẽdum quod quid eſt; ergo confert ad cognoſcendum etiã genus, & differentias, quę ſunt partes definitionis; ergo accidens eſt notius genere; & ſic prius de accidente, quam de genere agendum erat: & ſic hoc patet ſi per quod quid eſt exponamus definitionem; ſi verò per quod quid eſt exponamus quiditatem, eo modo quo Alexander 7. Metaphyſicę pluries expoſuit, ſcilicet pro natura ſpecifica, & pro definito; tunc idẽ ſequitur; quòd accidẽs nos ducat in cognitionẽ ſpeciei, ſpecies autem nihil aliud eſt niſi genus, & differẽtia; ergo accidens erit notius ſpecie, & differentia, & genere confirmatur; nam accidẽs, quod eſt Quintũ prędicabile, vt dicit Porphyrius, eſt accidens commune; ergo eſt notius: conſequentia eſt manifeſta, quoniam cõmunia, vt pluries aſſerit Ariſtoteles, ſunt nobis notiora, vt 1. Phyſ. tex. 4. & alibi.

Ad hanc difficultatem ex iam dictis in principio capitis, facilis eſt ſolutio; reſpondere tamen poſſumus, etiam negando, quòd accidens, vt eſt quintũ prædicabile, ſit nobis notius genere, ſpecie, & cæteris: propterea cũ Ariſt. 1. Phyſ. dicat, quòd à notioribus nobis eſt inchoandum, ita intelligitur, cum afferuntur aliqua cognoſcenda, quæ ſint notiora natura, ideſt ex ſe nobis immaniſeſta, à nobis nota ad ignotiora incedimus, vt à ſenſatis ſingularibus ad cauſas eſſentiales, vt à motu ad Deum procedimus, notius namque natura, dicitur nobis ignotũ, & à ſenſibus remotũ.

At genera, & ſpecies non ſic erunt ignotiora nobis, & notiora natura, ſed ſicuti ex ſenſatis accidentibus cognoſcimus accidens quintũ prędi-
A cabile; ita ex ſenſatis ſingularibus abſtrahimus ſpecies ſenſatas, & genera accidentalia, ex quibus deinde arguimus ſubſtantiales ſpecies, & genera procedimus; ergo a nobis notioribus, cum ducimur in cognitionem ignotorum: & ita negatur, quod accidens, vt quintum prædicabile, ducat nos in cognitionem generis, imo è cõtrario accidit: oportuit enim prius definiri genus, ſpeciem, & reliqua, quoniam vt apparebit accidens vna definitione definitur, quod ſit id, quod non eſt genus, neque ſpecies, &c. ergo prius hoc
B debemus cognoſcere. Præterea genus eſt prędicatum ſubſtantiale; ergo præcedit naturæ ordine prædicatũ accidentale; ſicut ſubſtantia ſuum accidens. Idem dicatur de proprio; quoniã prędicata primi modi præcedunt illa, quæ ſunt ſecundi modi; præterea in definitione proprij cadit ſpecies, quoniam ſoli, & vni ſpeciei cõuenit; ergo oportuit prius nouiſſe ſpeciẽ, & ante hanc, genus.

Formaliter igitur ad argumentum reſpondetur, quòd genus præcedit accidens, quatenus eſt
C prædicatum ſubſtantiale, quoniam exprimit naturam rei: accidens verò adiectiuum eſt, ſic tali ordine dicebat Ammonius tria prędicabilia pręcedunt alia duo, quę rei naturam non exprimũt. Quapropter negatur, quòd accidens vt quintũ prædicabile ſit nobis notius genere, ſpecie, & reliquis, quoniam vt quintum prędicabile, eſt prædicatum dictum de ſuo ſubiecto denominatiuè, & vt accidens communiter hic definitur, ad quod cognoſcendum, oportet prius cognoſcere ſingularia. Similiter dico, quòd hęc accidentia,
D ſi conſiderentur reſpectu inferiorum, reponuntur ſub genere, & ſic genus ex parte, qua continet accidentia, ita eſt nobis notius, ſicut accidẽs quintum prędicabile, nec vt tale habet nos ducere, in cognitionem generis, imò è contrario accidit, & cum primo de Anima dicatur, quod accidentia maximam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt, intelligitur de accidentibus, ſenſatis ſingularibus, ex quibus cognoſcuntur principia ſingularia rerum, & ex ipſis ſumimus principia, deinde in communi, in quibus
E eorum quod quid eſt ipſarum rerum conficitur, ſed non loquitur de accidente, vt eſt quintum prædicabile.

Secundo probatur, quòd prius erat agendum de ſpecie, quam de genere, & differẽtia, maximè inquã de genere, illud eſt prius tractãdum, quod eſt perfectius, ſed ſpecies eſt perfectior genere, & differentia; ergo ſpecies prius tractanda, quam genus, & differentia. Quod autem ſpecies ſit perfectior genere, manifeſtum eſt per Porphyrium dicentem, quod differentia eſt,
F qua ſpecies abundat à genere, ideſt, ſpecies quia habet differentiam, eſt perfectior quam ſit genus. Quòd autem ſpecies ſit perfectior differentia, manifeſtum eſt etiam, quoniam ſpecies continet genus, quod dicit aliquam perfectionem; ergo ſpecies eſt perfectior vtroque. Confirmatur, ſpecies eſt quid confuſum; genus

verò

verò quid diſtinctum, ergo ſpecies eſt notiór genere: Conſequẽtia patet per Ariſt. 1. Phyſ. tex. 3. dicentem, quod confuſa magis ſunt nobis notiora, antecedens probatur ex Ariſt. ibidem tex. 5. vbi dicit, quòd definitum, vt circulus habet rationem confuſi, definitio autẽ diſtincti, ſed ſpecies eſt quæ definitur, genus verò eſt pars definitionis.

Reſpondetur negando conſequentiã, ſpecies eſt perfectio, ergo prius tractanda: verum enim eſt quo ad hunc ordinem, verum hic ordo impeditur ſæpe numero ab alio ordine, vt puta quia genus eſt ſimplicius, quia cõmunius, quia cadit in definitionem ſpeciei; tum quia vnà cum differentia conſtituit ſpeciẽ. Cùm verò dicitur, quòd ſpecies eſt notior, quia confuſior, concedo; ergo prius tractanda confuſa: negatur conſequentia, quia prius tractamus principia, vt patet 1. Phyſ. quàm corpora naturalia. Et quando Ariſtoteles 1. Phyſ. dicit, quod a confuſis eſt incipiendum, ſic intelligitur a confuſis, ideſt a compoſitis ſingularibus, cum nos ducant in cognitionẽ nobis ignotorũ, & natura notorum: at ſpecies nõ ſunt ſingularia nota ad ſenſum, & cognoſcuntur ſpecies ex ſingularibus ſicuti & genera, & prius traduntur principia, quã principiata ordine diſtinctè cognoſcendi, quẽ ſeruat hic Porphyrius præponẽdo genus ſpeciei. Primo autem Phyſicorũ loquitur Ariſtoteles de ſingularibus cõpoſitis, & ibidẽ tex. 5. loquitur de definito, quòd eſt nobis notius confuſè. At ſi tale confuſum debet cognoſci, nonne ſua definientia poni debẽtur? Sic igitur Porphyrius ob hanc cauſam prius de genere pertractat.

Tertio dubitatur, quòd prius de ſpecie, aut differentia agendũ eſt, quam de genere, quoniã aut Porphyrius ſequitur ordinem à ſimplicioribus, aut a perfectioribus; ſi à ſimplicioribus, differentia eſt ſimplicior; ergo prius tractãda; ſi à perfectioribus, ſpeciei eſt perfectior genere; ergo prius de ipſa eſt agendum.

Quòd differentia ſit ſimplicior genere, probatur: dicit enim conceptum ſimpliciorem, quàm genus; animal enim videtur magis compoſitũ, quàm ſit rationale, & vltima differẽtia, quòd ſpecies quoque ſit perfectior, eſt notum, quoniam ſpecies eſt totum, genus eſt pars.

Ad hoc argumentum reſpõdet, quidam ſummus vir, ſpeciem eſſe perfectiorẽ genere quo ad eſſe, non autem quo ad prędicari. Hic autẽ conſideratur ordo iſtarũ vocũ, vt prędicabiles ſunt.

Hæc reſpõſio, ſi intelligat quod genus ſit perfectius quo ad prædicari ſuũ eſſentialiter, quàm ſit prædicari ipſius ſpeciei, falſum eſt, quoniam ſpecies prędicatur vt tota eſsẽtia de indiuiduis, genus verò de ſpeciebus, vt pars eſſentiæ. Si verò intelligatur, quòd genus ſpeciem præcedat quo ad prædicari, quia eſt prędicatum, conſtituens ſpeciem, concedimus.

Et cũ dicitur, quòd differentia eſt ſimplicior genere; ergo prius tractanda, negatur conſequẽtia. Verum enim eſt, quòd ea ſimpliciora ſunt

A prius tractanda, quę nos ducunt in cognitionem compoſitorum, vt principia ad ipſa principiata. Patet exemplum de materia, & forma 1. Phyſicorum; ſed non hoc modo differentia eſt genere ſimplicior, cum ambo pariter ſint ſpeciei conſtitutiua: & licet genus gerat vicẽ materiæ, differentia verò formæ, tamen etiam 1. Phyſic. prius tractatur de materia, quàm de forma ordinem naturæ ſeruando.

Quarto probatur, quòd non prius de genere tractãdum erat, ſed immediatè poſt proprium:
B nã Ariſt. 1. Topic. proponens quatuor prædicata pertractãda, quæ ſunt Proprium, Terminus, Genus, & Accidens, tertio loco egit de genere, quarto verò de accidente; ex quo ſaltẽ habetur, quod genus non præcedit proprium in tractatione. Sed ſequitur.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles prius voluit tractare, prędicata dicta conuerſim de ſubiecto, qualia ſunt terminus, ideſt definitio, & propriũ; quam genus, & accidens, quę non conuenire videntur cum re, de qua prędicantur: alio ergo or-
C dine voluit ibi Ariſtoteles incedere. Et in ſumma non ſemper idem ordo ſeruatur, ſed vnus ſępenumero impedit reliquũ, ſat eſt, quòd rectè & ordine quoddam, & non temere procedatur.

Super Caput de Genere pro Iuris Studioſis.

D IN Capite de genere, quod pręcipuũ, & maximum reperitur, eſt generis Logici deſcriptio (omiſſa prima & ſecũda generis ſignificatione de quibus in l. 1. ff. de prob. & ibi Caſtrẽſis, & Alex.) quod genus Logicum deſcribitur quod ſit illud, cui ſupponitur ſpecies.

Vel genus eſt illud, quod prędicatur de pluribus differẽtibus ſpecie in quid, vt animal de homine, & boue, & reliquis.

Pro declaratione ad vſum iuris ſtudioſi, eſt repetẽdum quod dicimus in expoſitione deſcriptionis eiuſdem generis Logici.

Nempe, quòd per hoc genus ex mẽte Boetij,
E non intelligit Porphyrius animal ipſum, ſed relationem, quæ poteſt referri ad prędicationem eorum, quę ſibi ſubiecta ſunt.

Quapropter quo loci reperietur vox aliqua communis, continens relationem declaratam, eo loci genus pariter reperietur.

Inſuper notandum, quòd prędicare idem eſt, quod attribuere per notam cõpoſitionis, vt notat Magnus Albertus hoc in loco; vt ſi dicamus, homo eſt animal, animal prędicatur de homi-
F ne, eo quoniam attribuitur homini per notã cõpoſitionis quòd ſit animal, videlicet componendo hanc propoſitionem, homo eſt animal, cuius partes ipſam conſtituentes ſunt, ſubiectum, & prędicatum, homo ſcilicet ſubiectum, animal verò prędicatum.

Pręterea dictum eſt de pluribus differentibus ſpecie, quoniã genus ad hoc vt ſpeciẽ cõſtituat,

 opor-

oportet, quòd prius per differentias diuidatur. A Quæ cum ſint oppoſitæ,& reſpectu generis diuiſiuæ, ſpecierum verò reſpectu cōſtitutiuæ, oportet vt ſint plures.

Do exemplū, Animal quod eſt genus, ad hoc vt ſit conſtitutiuum ſpeciei, nempe hominis, oportet prius diuidatur per differentias, nempe rationale,& irrationale; rationale conſtituit hominem, irrationale verò conſtituit bruta.

Dicitur etiam prædicari in quid, quoniā omne ſuperius quod per eſſentiam,& nomē,& definitionem eſt in inferiori, eſt ea, propter quid B ipſius.

His ſuprapoſitis, ad propoſitū dico, quòd in qualibet diſciplina,& ſcientia, in qua reperitur commune quoddam, quod in plures diuidatur, & de quibus in quid prædicetur, illud idem genus appellari poterit. Modo applicamus ad materiam iuris ciuilis.

Et licet quamplurima exēpla adducere poſſem, vnicum tantum accipere intendo, quo patebit vſus generis Logici in ſcientia ciuili, cętera iuris ſtudioſus ſuopte Marte adinuenire po- C terit.

Exemplum clariſſimum habetur de genere Logico apud Iuriſtas in tit. Inſt. de iur. nat. gen. & ciu. §. conſtat. cum ſubſequentibus, quo loci habetur, quòd ius ciuile eſt illud, quod vnaquęque ciuitas ſibi cōſtituit. Iſtud ius ciuile eo in loco Iuſtinianus aſſerit, quod diuiditur in ius ſcriptū,& non ſcriptum, tanquā in duas differentes ſpecies: ex quo ibi ius ciuile genus eſſe conſtat.

Et verè iure merito ius ciuile eo in loco pro D genere habetur; eo quoniam de pluribus differētibus ſpecie prædicatur, & de eo omnia ſupra de genere declarata verificantur. Reperitur etenim in ipſo relatio ſupradicta, qua poteſt referri ad prædicationem ſibi ſubiectorum.

Primo enim prędicatur ius ciuile de iure ſcripto,& non ſcripto, quoniam ſi dicamus ius ſcriptum, eſt ius ciuile, ius non ſcriptum, eſt ius ciuile; tunc per notam compoſitionis attribuimus iuri ſcripto, & non ſcripto, quòd ſit ius ciuile, quod verum eſt.

E Præterea prædicatur ius ciuile, de iure ſcripto,& non ſcripto vti de pluribus differentibus ſpecie: quoniam per Legem, Plebiſcitum, Senatus conſultum, Principū placita, Magiſtratuum edicta, Reſponſa prudentum, conſtituitur ius ſcriptum, quod eſt vna ſpecies. Per vſum verò conſtituitur ius non ſcriptū, quę eſt alia ſpecies, ea propter prædicari dicitur de pluribus ſpecie differentibus. Denique ius ciuile prædicatur de vtroque iure ſcripto, & non ſcripto in quid; eo quoniam vti ſuperius eſt quodammodo in F ipſis per eſſentiam, quatenus & nomen, & ratio ipſius, ſeu definitio de illis verificatur. Verū eſt enim dicere, & de iure ſcripto, & de iure non ſcripto, quod ſit ius ciuile, & definitio ſecūdum illud nomen, conuenit ambobus, videlicet quod ſit illud ius, quod vnaquæque ciuitas ſibi conſtituit.

Notandum tamē eſt, quod dixi in dubitationibus in vltima parte capitis, quòd genus capi ſolet multis modis. Pro nunc ſciendum eſt, quòd genus quandoque capitur pro ſpecie, ita vt ſpecies genus appelletur. Et hoc eſt illud, quod ſuper notaui ex Ammonio, nempe apud Platonem, genus pro ſpecie capi, quando in Sophiſta aſſerit, quod ſubſtantia, idem, alterū, motus, quies, ſiue ſtatus ſunt genera entis, quod ſic eſt intelligendum, vt ea enumerata ſint ſpecies entis.

B Sic apud iuriſperitos in corpore iuris, genus quandoque pro ſpecie capi ſolet, l. 2. ff. de rebus creditis,& Inſt. tit. de teſt. l. non videtur, ff. de iud. Inſt. tit. de don. quando dicit, duo ſunt teſtamentorum genera, pariter duo ſunt donationū genera, ideſt ſpecies; quibus in locis genus pro ſpecie capi videtur.

Vel ſi velimus defendere genus in ſuo proprio ſignificato accipi dictis in locis, & conſimilibus, dicamus quod dixi ſupra de relatis à Platone, quòd ſunt genera entis, ideſt genera ſub en- C te poſita, ſicuti dicebat Ariſtoteles decem prędicamenta eſſe genera entis, ideſt ſub ente poſita.

Sic ad rem noſtram duo ſunt teſtamētorum, & donationū genera, ideſt duo ſunt genera ſub teſtamentis,& donationibus poſita.

Et hæc de Genere dicta ſufficiant.

De Specie. Caput Tertium.

D SVmus in ſecunda parte principali huius Tractatus, in qua Porphyrius proſequitur tractationem de ſpecie. Intentio ergo eius eſt hic agere de ſpecie.

Hoc caput ſic cōtinuatur cū ſuperiori: nam cum egerit de genere, in quo mētionem fecit de ſpecie deſcribendo genus, ne diu nos teneret ſuſpenſos, ſtatim poſt Tractatum de Genere, incipit agere de Specie, ſicuti & Ariſtoteles in Prædicamentis, E ſtatim poſt Tractatum de Subſtantia, de Quantitate pertractat, de qua in Capite præcedenti mentionem fecerat.

Inſuper Ammonius, Boetius, Magnus Albertus, & ferè omnes Expoſitores aſſerunt de Specie poſt Genus a Porphyrio tractari; eo quoniā ſunt relatiua,& de natura correlatiuorum eſt, vt vnum ipſorum nō poſſit diſtinctè cognoſci, niſi & alterum cognoſcatur, vt habetur in capit. de Relatione apud Ariſtotelem in Prædicamētis.

Hoc caput ſecatur in duas partes principales, F in quarum prima aſſignat vnum modū ſpeciei; quo hoc nomen ſpecies ſumi ſolet: qui quidem modus non eſt Logicalis; habet tamen quādam ſimilitudinem cum ſpecie Logica. In ſecunda autem parte tradit modū, quo ſumitur ſpecies, vt à Logico conſideratur, ibi, *Dicitur autem, & ſpecies*.

Secunda pars adhuc habet tres partes; in quarum

rum

rum prima ponit primam deſcriptionem ſpeciei, in ſecunda ſecundam, in tertia tertiam. Tertia pars adhuc habet plures particulas, prout Porphyrius diuerſa declarat, vt videbimus.

De prima itaque dicit, *Species autem dicitur quidem*, & de vniuſcuiuſque forma, *ſecundum quam dictum eſt, prima quidem ſpecies digna eſt imperio.*

Hæc eſt prima pars capitis, in qua ſecundum Auerroem, cum ſpecies dicatur de duabus intētionibus, ponit vnam, quæ eſt forma rerum. Senſus eſt, quòd ſpecies primo dicitur de forma vniuſcuiuſque rei, & per formam capit Porphyrius, cuiuſcumque viri pulchritudinem, & ſpecioſos appellamus eos, qui corporis pulchritudine præditi ſunt: nam de forma, & pulchritudine corporis, & aſpectus loquitur hic, quoniam datur & pulchritudo animi. Notat hic Boetius, quòd Porphyrius cautiſſimè dicit, *vniuſcuiuſque forma*, quoniam hæc ſecundum accidens dicitur, quæ enim vniuſcuiuſque forma indiuiduo eſt, ea non ex ſubſtantiali quadam forma, eſt ſpecies, ſed ex accidentibus venit. Dicimus enim aliquem eſſe aptum imperio, qui præditus eſt corporis forma, & pulchritudine.

Notandum inſuper eſt, quòd aliqui vertunt, *Primum*, aliqui textus legũt, *Priami*, aliqui verò, *Prima*, & melius, quoniam, *Prima*, ideſt honorabilior, ſiue pulchrior ſpecies digna eſt imperio.

Præterea notãdum eſt, quòd hoc nomen forma accipitur multipliciter vno modo pro altera parte compoſiti, cuius eſt dare eſſe, vt eſt anima intellectiua in homine. Secundo modo pro forma artificis, vt forma domus. Tertio modo pro forma accidentali; & hoc modo quodlibet accidens dicitur forma, maximè tamen ipſa qualitas. Quarto modo ſumitur pro forma totius, ideſt quæ eſt totum. Quinto modo ſumitur pro idea, & hæc eſt duplex, vel in mente artificis inferioris, vel ſuperioris, ideſt Dei. Sexto modo pro pulchritudine ipſa, vt hic in textu, quæ adhuc dupliciter accipitur, vel pro pulchritudine faciei tantum, vel pro tota corporis pulchritudine: & hoc ſecundo modo hic capitur.

Vlterius ſecundum Boetium, ſpecies capitur tripliciter; vno modo pro ſubſtantię qualitate, & dicitur forma ſubſtantialis. Secundo modo pro forma accidentali; ideſt pulchritudine. Tertio modo pro ſpecie Logica. Addatur & quartus, quòd ſcilicet ſpecies capitur pro ſpecie intelligibili, & pro Phantaſmate, ac Idolo rei apprehenſæ ab intellectu, de quo dicit Ariſt. 3. de anima, quòd lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis.

Vnde ſciendum eſt, quòd, vt aſſerunt Caietanus, Magnus Albertus, & Latini omnes, quòd tantum Porphyrius enumerauit illam ciuilem ſpeciem, quæ ſumitur ad ſimilitudinem ſpeciei Logicæ, etſi multæ reperiantur pręter hanc ſpeciei acceptiones. Similitudo autem ex Auicenna (referente Magno Alberto hoc in loco) ſtat

A in hoc, quia ſicuti materia de ſe potentialis, & imperfecta perficitur ad receptionem formæ, turpitudinemque ſuam deponit, ſic recta compoſitio corporis in commenſuratione, ſtatura, colore, & complexione, corpus perficiẽdo, illud idem pulchrum reddit. Et ſic ſicuti ſpecies Logica terminat confuſionem generis, ita ſpecies, quæ eſt forma, terminat indeterminationem corporis.

Dicitur autem ſpecies, & ea, quæ
B ſub aſsignato genere eſt, ſecundum quam ſolemus dicere hominem quidem ſpeciem animalis, cum ſit genus animal; album autem coloris ſpeciem; triangulum verò figuræ ſpeciem.

Hæc eſt prima particula huius ſecundę partis principalis, in qua Porphyrius enumerat ſecundum ſpeciei ſignificatum, quod Logicum
C dicitur, & quo Philoſophi, & Logici vtuntur, continuatur hæc pars cum ſuperiori, quòd aſſignato ſpeciei modo non logicali, nunc ſpeciem logicam aſſignat. Cauſa intentionis patet, quoniam aſſignato non proprio ſignificato; verùm logicum ſignificatum aſſignare neceſſe fuit.

Senſus verborum eſt ſecundum Auerroem, quòd ſpecies ſubijcitur generi à nobis prædefinito, de quo diximus, quod eſt illud, cui ſupponitur ſpecies, *ſecundum quam ſolemus dicere hominem quidem*, Exemplo declarat datam deſcri-
D ptionem. Primum autem exemplum eſt de ſubſtantia, cum dicit, ſecundum quam ſolemus dicere, hominem ſpeciem animalis, cum animal ſit genus hominis: & ideo homo ponitur ſub animali. Aliud exemplum dat in accidentibus, & primo in qualitate, vt album eſt ſpecies coloris, & color genus; & ideo ſub colore, vt ſub genere ſuo reponitur, & accipit hic Porphyrius concretum pro abſtracto. Secundum exemplum de accidente eſt in quantitate, vt triangulum dicitur ſpecies figuræ, figura verò genus, quia trian-
E gulum ſub figura, vt ſub genere ponitur; nam figura, vt genus habet plures ſpecies.

Quod ſi etiam genus aſsignantes ſpeciei meminimus, dicentes, quod de pluribus, & differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt prædicatur, & ſpeciem dicimus id, quod ſub aſſignato genere eſt, noſſe oportet,
F quod, quoniam, & genus alicuius eſt genus, & ſpecies alicuius eſt ſpecies, vtrumque, vtriuſque, iccirco neceſſe eſt in vtrorumque rationibus vtriſque vti.

Vult

Vult hìc Porphyrius tacite cuidā obiectioni A ſatisfacere, cur ſcilicet deſcribendo genus in capite de genere, deſcripſit per ſpeciem, & in hoc capitulo deſcribendo ſpeciem, deſcribit per genus. Cauſa intentionis eſt, quoniam videtur Porphyrius vſus fuiſſe circulari definitione, quam reprehendit, & reijcit Ariſtoteles 1. Poſter. tex. com. 24. Sequitur enim vt definitio euadat definitum, quod eſt abſurdum; nam definitio datur per notiora, & definitum innoteſcit per definitionem; ergo definitum erit ignotius. Si ergo definit genus per ſpeciem, ſpecies erit notior gene B re, & cum rurſus definit ſpecies per genus, genus erit notius ſpecie; ergo idem erit definitum & definitio notius, & ignotius, quod eſt inconueniens; & hæc eſt cauſa, propter quam Porphyrius in pręſentia hoc dubium hìc diſſoluat: propterea dicit, ſi quis nobis obijceret, quòd definiendo genus poſuimus ſpeciem in definitione; dicentes; Genus eſt quod de pluribus differentibus ſpecie prædicatur in quid; & rurſus nunc definimus ſpeciem quòd ſit id, quod ponitur ſub aſſignato genere, vſi fuerimus circulari definitio- C ne, tunc ſciendum eſt ex prędicamento aliquid, quod relatiua ſunt ſimul natura, & ſimul habent cognoſci, & vnum per reliquum definitur, ſed genus & ſpecies ſunt relatiua, quia genus eſt ſpeciei genus, & è conuerſo. Igitur in definitione vnius debet poni alterū: non ergo eſt mirum, ſi vnum per reliquū fuit a nobis definitum, & ſic ceſſat dubitatio, quoniam in reliquis non inconuenit idē eſſe notius, & ignotius, definitio, & definitum, ſecundū tamen diuerſos reſpectus.

Hic ex dictis Porphyrij oritur difficultas; nā D materia refertur ad formā, vt potentia ad actū, ſed genus habet rationem materiæ, & potentiæ, quia contrahibile eſt; differentia verò habet rationem actus, & formæ, quia contrahit, & actuat ipſum genus; ergo genus non ſolum correlatiuum eſt ſpeciei, ſed etiam differentiæ.

Reſpondetur, quòd genus ad aliquid referri poteſt dupliciter conſiderari, vel ad condiuidentia ipſum, & ad ea, quæ ſunt a latere ipſius, vel ad inferiora per ſe. Primo modo refertur genus E ad differentiam. Secundo modo refertur ad ſpeciem. At Porphyrius in textu loquitur de relatione generis; ſecūdo modo, & ſecundum hanc relationem voluit ſupra definire genus; hic autē definit ſpecies, vt ad ipſum genus refertur.

Aſsignant ergo & ſic ſpeciem ſpecies eſt quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo, quod quid, eſt prædicatur.

F Hæc eſt ſecunda particula huius ſecundę partis, in qua Porphyrius aſſignat ſecundam ſpeciei logicæ deſcriptionem. Cauſa huius intentionis patet, quoniā prima non erat ſufficiens; ideo dat hāc pleniorē, & quaſi eſt declaratiua primę, quia prima datur ſecundum reſpectum ſpeciei ad genus: hæc verò datur ſecundū illum reſpectum, & ſecundū alium, id eſt generis ad ſpeciem.

Continuatio patet, quoniam datæ prima deſcriptione, & ſoluta quadam inſtantia, hic aggreditur ſecundam deſcriptionem. Dicitur itaque quod Philoſophi aſſignant & ſic, id eſt alio modo ſpeciem, ſiue exprimunt, quod in prima deſcriptione ſubintelligebatur, ſcilicet quod ſpecies eſt, quæ ponitur ſub genere, id eſt ſubijcitur generi in recta linea prædicamentali, & eſt adhuc ſpecies, de qua genus prædicatur in eo qđ quid, id eſt eſt id, de quo genus prædicatur in quid, & eſſentialiter; & hoc colligitur ex ſecunda deſcriptione ſuperius aſſignata.

Vnde primo notandum eſt, quòd in hac deſciptione exprimitur duplex reſpectus, vnus ſpeciei ad genus, alter generis ad ſpeciem. Primus eſt, cū dicitur, ſpecies eſt quę ponitur ſub aſſignato genere: ſecundus verò cū dicitur, & de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur.

Secundo notandum, quòd cum hæ duæ deſcriptiones, vt dicetur inferius a Porphyrio ſint datæ de omnibus ſpeciebus, & ſubalternis, & ſpecialiſsimis, & genus in ipſis reponatur, ſequitur quòd prima, & ſecunda generis deſcriptio, data in capite de genere, ſit data de omni genere generaliſſimo, & ſubalterno.

Tertio notandum eſt ex Ammonio, quòd hæ duæ ſpeciei deſcriptiones re, & ſubiecto ſunt idem, differunt ſolum ratione & habitudine, veluti aſcenſus, & deſcenſus re ſunt idem, quia habent eandē ſcalā; reſpectu verò differunt, quia ſi a ſuperioribus incipias, dicitur deſcenſus, ſi ab inferioribus dicitur aſcenſus, vt ſi incipias a genere, & deſinas in ſpeciē, fit illa deſcriptio, quæ dicit, quod ſpecies eſt id, de quo prædicatur genus; ſi incipias a ſpecie, & deſinas in genus, fit altera deſcriptio, quæ dicit, quod ſpecies eſt id, quod ſubijcitur generi.

Boetius in prima æditione vult duas has definitiones inter ſe nihil differre: vult enim, quod prima aperte deſignet ſpeciem ſub genere poni, quod idem aſſerat, implicitè ſecundam definitionem ſignificare, & continere: ſiquidem ſemper ſupponuntur minora maioribus; genus verò in quantum de ſpecie in quid prædicatur, eſt ſpecie maius; propterea ſpecies vt minor nulli eſt dubium generi vt maiori ſubijci.

Scotus vigeſimaprima quæſtione de Specie cōcludit, quod ſecunda explicat primam, vt licet, &c, capiatur expoſitiuè, & ſic concludit de ſpecie dari tantummodo duas definitiones.

Petrus Tataretus vult primam partem eſſe recapitulationem definitionis prius datæ: ſecundam vero eſſe aliam definitionem ratione ſubijcibilitatis.

Caietanus teſtatur, quòd cum ſpecies diuerſos habeat reſpectus, & pręcipuè duplicem, vnū ſecundū quod eſt inferior generi in linea prædicamentali; alterum ſecundū quod in propoſitione ſub genere reponitur: propterea duplicem Porphyrij tradit definitionem, primam ad rationem primi reſpectus, ſecundā ad ſecundā.

Amplius autem ſic quoque ſpecies eſt, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur.

Hæc eſt tertia particula ſecundę partis principalis, in qua Porphyrius tradit tertiam ſpeciei deſcriptionẽ. Hic verò primò declarandæ ſunt particulæ huius deſcriptionis.

Et primo illud verbum, *prædicatur*, intelligitur ſecundum aptitudinem, prędicatur, ideſt eſt apta nata prædicari, quoniam, vt optimè aſſerit Diuus Thomas hoc in loco forma ſpecifica, inquantum dicit quandam imperfectionem propter aptitudinem ſuam, quam habet & potentiam, vt ſit pars alicuius compoſiti, & poſſit vniri alicui materiæ ſignatæ, dicitur habere habitudinem quandam plurificationis; quæ tamen accidentaliter poteſt impediri, vtputa ſi ob mortem, vnus tantum homo reperiretur, vel etiã poteſt impediri conditione materiæ, ſicuti modo reperitur vnicus Sol, non quod repugnet naturę ſolari eſſe in pluribus, ſecundum conſideratione formæ: ſed quia non eſt alia materia apta ſuſcipere formam talem, vnde ſequitur vt Sol ſit ſpecies in vnico indiuiduo.

Sequitur, *& differentibus numero*, ideſt quod prædicatur de indiuiduis non ordinabilibus ad vlteriorem naturam, vel dixit de differentibus numero, ad differentiam generis, & verba Porphyrij ſunt intelligenda, vt prædicatur de differentibus numero ſolum, vel ſolo, *dicitur verò in quid*, ad differentiam, differentiæ, Proprij, & Accidẽtis, vel licet, *quid*, poteſt ſtare ad differentiam generis ſi intelligatur vt debet intelligi, ſcilicet quòd predicetur eſſentialiter, vt dicat totam eſſentiam indiuiduorum: genus enim dicit partem ſpeciei, de qua prædicatur.

Sed hęc quidem aſſignatio ſpecialiſſimæ, eſt, & quę ſolum ſpecies eſt, non autem & genus; aliæ verò erunt etiam non ſpecialiſſimarum.

Hic Porphyrius declarat de qua nam ſpecie intelligatur præſens definitio, & quæ nam ſpecies definiatur in prima, ſecunda, & tertia deſcriptione.

Vnde notãdum, quod duplex eſt ſpecies, ſpecies ſpecialiſſima, & ſpecies ſubalterna. Tunc dicitur, quòd duæ primæ definitiones ſunt datæ de ſpecie ſubalterna, & ſpecialiſſima; omnibus enim conuenit, per ſe ſubijci generi, & habent genus; tertia verò datur de ſpecie, quæ ſolum ſpecies eſt.

Vnde notandum, quòd ſpecies ſpecialiſſima, vt ſpecies eſt, habet duplicem reſpectum, primum vt ſubijciatur, ſecundum vt prædicetur, vtroque modo dicitur hic ſpecies conſiderari.

Planum autem erit, quòd dicitur A **hoc modo, in vno quoque prædicamento ſunt quædam generaliſſima, & rurſus alia ſpecialiſſima, & inter generaliſſima, & ſpecialiſſima ſunt alia, quæ genera & ſpecies dicuntur eadem. Eſt autem generaliſſimum quidem, ſupra quod nullum aliud ſit ſuperueniens genus Specialiſſimũ** B **autem eſt, poſt quod non eſt alia inferior ſpecies: inter generaliſſimum autem, & ſpecialiſſimum alia, quæ genera, & ſpecies ſunt eadẽ, ad aliud tamen, & ad aliud ſumpta.**

Hic Porphyrius intendit definire, ſeu declarare quid ſit ſpecies ſpecialiſſima; quid ſubalterna, quid genus generaliſſimũ, quid ſubalternũ.

C Cauſa huius intentionis eſt, quia in tertia deſcriptione, ſpeciei, dixit primã, & ſecundam deſcriptionem conuenire non ſolũ ſpecialiſſimæ, verum etiam alijs ſpeciebus; tertia verò ſolum ſpeciei ſpecialiſſimæ conuenire dixit: ideo occaſione huius rei declarat quid ſit ſpecialiſſima, quid ſubalterna ſpecies; & etiam hæc declarat, vt pateat magis notitia generis, cum in capite de genere hæc non declarauerit.

Dicit igitur, *Planum autem erit*, ideſt manifeſtum, tertiam deſcriptionem eſſe datam de D ſpecie ſpecialiſſima, & tres ſimul omnibus ſpeciebus conuenire; manifeſtum inquam erit hoc modo, ideſt per hæc verba ſequentia, *In vno quoque prædicamento ſunt quædam generaliſſima*. Senſus eſt, quòd in quocumque predicamento ſunt duo extrema, vnum appellatur generaliſſimum, aliud ſpecialiſſimum: inter hæc autem duo extrema dantur quædam media, *quæ eadem dicuntur ſpecies, & genera*, ideſt plura ſunt, quorum quodlibet poteſt dici genus, & ſpecies ſimul, & ſemel, & dicuntur genera ſubalterna, & ſpecies E ſubalternæ.

Eſt autem generaliſſimum. Hic declarat quid ſit genus generaliſſimum, dicens, genus generaliſſimum eſt, ſuper quod non eſt aliud genus ſuperueniens, hoc eſt non habet genus, ſub quo reponatur, ſed eſt genus generaliſſimum vt dici ſolet. *Specialiſſimum autem*, ideſt ſpecialiſſimum eſt illud, poſt quod nulla eſt inferior ſpecies, ſed eſt vltima ſpecies, quæ non habet ſpeciem aliquam inferiorem, inter hæc verò extrema dantur quædam, quæ eadem, ideſt quorum quodlibet, dici- F tur genus, & ſpecies, *Ad aliud tamen, & ad aliud ſumpta*, hoc eſt ſecundum diuerſos reſpectus, & relationes.

Fiat autem in vno quidem prædicamento manifeſtum, quod dicitur, ſubſtantia eſt quidem & ipſa genus,

ſub

ſub hac autem eſt corpus, & ſub corpore corpus animatum, ſub quo animal, ſub animali verò rationale animal, ſub quo homo, ſub homine verò Socrates, & Plato, & qui ſunt particulares homines; ſed horum ſubſtantia quidem generaliſsimum eſt, & quod genus ſolum, homo verò ſpecialiſsimum, & quod ſolum ſpecies, corpus autem ſpecies quidem eſt ſubſtantiæ, genus verò animati corporis, ſed animatum corpus ſpecies quidem eſt corporis, genus verò animalis; ſed rationale animal ſpecies quidem eſt animalis, genus autem hominis, homo verò ſpecies quidem eſt rationalis animalis; non autem genus particularium hominum, ſed ſolum ſpecies: & omne quod ante indiuidua propinquè prædicatur, ſpecies erit ſolum, nō etiam genus.

Exemplum de eo, quod ſupra dixit, tradit Ariſtoteles in prædicamento ſubſtantiæ. Sit enim generaliſſimum genus ſubſtantię, ſub qua corpus, ſub corpore corpus animatum, ſub corpore animato animal, ſub animali animal rationale, ſub animali rationale ponatur homo, ſub homine verò ponatur Socrates, & Plato, tunc dixit, quòd ex his ſic conſtitutis patet, quòd ſubſtantia inter hæc dicitur generaliſſimum genus, & ſolummodo eſt genus. Homo autem ſpecies ſpecialiſſima, & ſolum ſpecies: corpus verò in comparatione ſui ſuperioris generis, quod eſt ſubſtantia, ſpecies eſt; dicitur verò genus ſubalternum ſi comparetur ad inferiora, ſcilicet ad corpus animatum, quod eſt ſpecies corporis, & ſic de alijs. Demum homo ſi comparetur ad ſuperius, dicitur ſolum ſpecies; ſi verò referatur ad inferiora, non poteſt dici genus, quia non habet inferiora, niſi indiuidua, quę nō ſunt ſpecies.

Quemadmodum igitur ſubſtantia cum ſuprema ſit, eo quod nihil ſupra eā ſit, genus eſt generaliſsimum: ſic etiam homo cum ſit ſpecies, poſtquam non eſt alia ſpecies, neque aliquid eorum, quæ poſſunt diuidi in ſpecies, ſed ſolum indiuidua (indiuiduum enim eſt, Socrates, & Plato, &

A hoc album) ſpecies erit ſolum, & vltima ſpecies (& vt dictum eſt) ſpeciaſſima. Quæ vero ſunt in medio, eorum quidem, quæ ante ipſa ſunt; erunt ſpecies: eorum autem quę poſt ipſa ſunt genera.

B Hic Porphyrius adhuc declarat ea, quæ dixit de generaliſſimo, ſpecialiſſimo; & intermedio in exemplo dato, & dicit, quòd ſicuti ſubſtantia cum omnium prædictorum ſuprema ſit, quia nullum habet ſuperueniens genus, ſub quo ponatur, dicitur genus generaliſſimum; ita poſtquam non eſt alia inferior ſpecies, quæ ſub homine ponatur, dicitur ſpecies ſpecialiſſima.

Quare hæc quidem duas habent habitudines, eam, quæ eſt ad ea, quę antecedunt, ſecūdum quam ſpecies

C ipſorum eſſe dicuntur, & eam, quæ eſt ad poſteriora, ſecundum quam genera ipſorum eſſe dicuntur.

Proſequitur declarando, quòd illa, quæ ponuntur in medio inter generaliſſimum, & ſpecialiſſimum, duas habent habitudines, & duplicem reſpectum, vnum ſcilicet ad ſuperiora, alterum verò ad inferiora, ſecundum primum reſpectum dicuntur ſpecies, ſecundum verò ſecundum dicuntur genera, & hi reſpectus ſunt duo reſpectus ſecundarum intentionum.

D Extrema verò vnam habent habitudinem; nam & generaliſsimum ad ea quidem, quæ poſteriora ſunt, habet habitudinem, cum ſit genus omnium id, quod eſt ſupremū; eam verò quæ ad ſuperiora non habet, cum ſit genus primum, & primum

E principiū, & vt diximus ſupra quod non eſt aliud ſuperueniēs genus, ſpecialiſsimum autem vnam habens & ipſum habitudinem, hanc quidem quæ eſt ad ſuperiora, quorum eſt ſpecies; eam verò, quę eſt ad poſteriora non diuerſam habet habitudinem, ſed eādem, & ſpecies indiuiduorum

F dicitur, ſed ſpecies quidem dicitur indiuiduorum, veluti ea continens; ſpecies autem ſuperiorum, velut quæ ab eis continetur.

Senſus verborum eſt, quòd genus generaliſſimum, & ſpecies ſpecialiſſima habent tantummodo

modo

modo vnicam habitudinem, & relationem; A nam generaliſſimum ſolummodo reſpicit inferiora, & poſteriora, quæ dicuntur poſteriora generatione, quia ſpecies fit ex genere, & differentia, vt ex prioribus natura, & generatione, & non refertur ad ſuperiora, & communiora, quia caret illis, cum ſit genus omnium; ſpecies verò ſpecialiſſima habet, & ipſa vnicam habitudinem, & relationem, qua reſpicit ſuperiora, quarum dicitur ſpecies. Quod ſi dixeris, nonne ſpecies ſpecialiſſima habet aliã relationem, qua refertur, & B reſpicit inferiora, ſcilicet indiuidua; reſpondet, quod vtique ſpecies habet illã, ſed non diuerſã, ſed eandem, vult dicere, quod non habet ſecundam habitudinem diuerſam, quarum vna dicatur relatio generis, altera relatio ſpeciei, generis ſi ad inferiores ſpecies referatur, ſpeciei ſi ad ſuperiora genera referatur, ſicuti ſe habent genera ſubalterna, ſpecies ſubalternæ, ſpecies ſpecialiſſima non habet hanc duplicem relationem diuerſam, ſicuti habẽt hæc, ſed habet eandem; eſt inquam vna, & eadem quo ad nomen, quia vera C que dicitur relatio ſpeciei, quoniam ſpecies ſpecialiſſima dicitur ſpecies reſpectu generis, quatenus continetur a genere; dicitur autem ſpecies indiuiduorum, quatenus continet indiuidua. Habet ergo duplicem habitudinem, quarum vtraque dicitur relatio ſpeciei; & ſic videtur vna, eademq́; dicta ſpeciei relatio, non quod reuera vna ſit, ſed nomine eſt vna, & eadẽ relatio, & ſicut reſpicit indiuidua, eſt ſpecies, & dicitur relatio ſpeciei ad indiuidua, vt verò reſpicit genus, dicitur ſpecies, & relatio ſpeciei ad genus D

Determinat igitur generaliſſimũ genus, ita quod cum genus ſit, nõ eſt ſpecies, & rurſus ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus.

Senſus eſt, Deſcribunt igitur Philoſophi genus generaliſſimum hoc modo, quòd ſit illud, quod cum ſit genus, non eſt ſpecies, ideſt eſt genus generaliſſimum, nullumq́; ſuper ſe genus habet, hæ duæ deſcriptiones re ſunt eędem, E differunt reſpectu, quia re ipſa idem eſt dicere, genus generaliſſimum eſt, quòd ita eſt genus, quod nullius generis eſt ſpecies, & dicere, non habere ſuperueniens genus, differunt ſolũ relatione quadam, vel ſi placet ſolis vocibus.

Specialiſſimam verò ſpeciem ſic quæ cum ſit ſpecies, nõ eſt genus, & quàm cum ſit ſpecies, in ſpecies diuidere non poſſumus, adhuc autem & F quæ de pluribus differẽtibus numero in eo, quod quid eſt prædicatur.

Hic Porphyrius deſcribit alterum extremũ, ſpeciem ſpecialiſſimam, & dicit quòd ſpecies, ſpecialiſſima eſt, quæ ita eſt ſpecies, quæ non poteſt eſſe genus, vel ſic quòd idem eſt, quòd cum A ſit ſpecies, non eſt genus, ideſt non habet inferiores ſpecies, in quas diuidatur, & ſic hæ duæ deſcriptiones re ipſa ſunt idem.

Addit tertiam, quòd ſpecies ſpecialiſſima eſt, quæ de pluribus differentibus numero in quid prædicatur, & hæc tertia eſt explicatio duarum, ideſt quaſi dicat ſpecies ſpecialiſſima eſt, quæ ſolum eſt ſpecies, & non eſt genus, quia non habet ſpecies, de quibus prædicatur in quid.

Ea verò quæ in medio ſunt extre-B morum, & ſubalterna vocãt genera, & ſpecies, & vnumquodque ipſorum ſpeciem eſſe, & genus ponunt; ad aliud tamẽ, & ad aliud ſumpta: ea enim quę ſunt ante ſpecialiſſima uſque ad generaliſſimũ aſcendẽtia, & genera dicuntur, & ſpecies ſubalter-C na, ut Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tãtalides, & ultimũ Iouis.

Deſcribit hic intermedia, & addit vocabulũ proprium, quo omnia talia vocari poſſunt, & dicit, quòd illa, quæ ſunt in medio, ſcilicet inter genus generaliſſimum, & ſpeciem ſpecialiſſimã vocantur a Philoſophis genera ſubalterna, & ſpecies ſubalternæ, & dicuntur, vnumquodque illorum eſſe genus, & ſpeciem, ad aliud tamen, & ad aliud ſumpta.

Vnde notandum, quòd genera ſubalterna ſic D dicuntur, vt notat Ammonius, quia vnũquodlibet illorũ ponitur ſub altero genere. Dicuntur verò ſpecies ſubalternæ, quia vna ſpecies ſub alia ſpecie ponitur, vt Agamemnon.

Dixit Ammonius, cum vellet Porphyrius declarare generaliſſimum, ſpecialiſſimum, & ſubalternum, adducit exemplum a genealogia captum, & a familijs: dicit ergo, quòd quemadmodum in generatione, & familiarum deſcriptione, Iupiter quoddam principium eſt, & E quaſi caput; filius eſſe non poteſt, item Oreſtes ſolum filius erit, non autem pater, quia eſt vltimus filius; Agamemnon verò fuit pater Oreſtis, Atrei filius, & ſic eſt pater, & filius; Atreus verò eſt pater Agamemnonis, & Pelopis filius, Pelops verò eſt Tãtali filius; qui quidẽ Tantalus fuit filius Iouis, & hic ſiſtit genus; ita apud Philoſophos dantur quædam, quæ genera tantum ſunt, & aliqua quæ tantum ſunt ſpecies; aliqua verò quæ ſunt genera, & ſpecies ſimul.

Hic notandum eſt ſecundum Boetium, quòd F Porphyrius hoc exemplo poſuit Iouem pro vltimo patre, quaſi a nullo ſit natum, Iupiter tamen habuit patrem; ergo videtur, quòd generaliſſimum non expreſſerit.

Reſpondet Boetius, quòd Iouem poſuit vltimum pro numinis reuerentia. Quantum enim ad veteres Theologos refertur Iupiter ad Saturnum, Saturnus ad Cœlũ, Cœlius verò ad antiquiſſimum

quiſſimum Ophionem, cuius Ophionis nullum A principium eſt.

Sed in familijs quidem plerunq; ad vnum reducuntur principium, verbi gratia, ad Iouem, in generibus verò, & ſpeciebus non ſic ſe habet: neque enim eſt commune vnum genus omniũ ens, nec omnia eiuſdem generis ſunt, ſecundum vnum ſupre B mum genus, quemadmodum dicit Ariſtoteles, ſed poſita ſint (quemadmodum in Prædicamentis dictũ eſt) decem rerum genera prima, quaſi prima decem principia.

Hic Porphyrius reſpondet cuidam tacitę dubitationi, eamque de medio tollit, in quam fortaſſe quiſpiam ex verbis Porphyrij incidere po- C tuiſſet; poſſet namque aliquis dubitare, an ſicuti in familijs cognationes ferè omnes ad vnum principium, verbi gratia ad Iouem referuntur, ita omnia genera ad vnum generaliſſimum reducantur, puta ad ens, & cauſa, quæ auget ſuſpitionem, eſt, quia ens de omnibus prædicamentis prædicatur. Quam dubitationem de medio tollit Porphyrius, & dicit, quòd licet quandoq; in familijs contingat, vt omnes nati reducantur ad vnum principium, puta ad Iouem, incipiendo ab vltimo filio vſque ad primum patrem de- D ueniendo; tamen in generibus, & ſpeciebus res nequaquam ita ſe habet, quoniam non omnia genera, quæ generaliſſima nuncupamus, ad vnu generaliſſimũ, puta ad ens reducere poſſumus, & ſic reſpondendo ad argumentum negatur ſimilitudo, quoniam prædicamenta non reducuntur ad ens, vt ad commune genus, & ad generaliſſimum, quoniam ipſum ens nõ eſt commune omnium genus, nec ad ipſum vt ad ſupremum genus reducũtur, ſed ſunt decem generaliſſima, vt poſuit Ariſtoteles in Prædicamentis, & in E Metaphyſica, & ſunt decem prima genera, tanquam decem prima rerum principia.

Etſi omnia quis entia vocet, æqui uocè (inquit) nuncupabit, ſed non vniuocè, ſibi enim eſſet vnum commune omniũ genus ſi vniuocè omnia entia dicerentur: cũ verò decem ſint prima, communio ſecundum no F men eſt ſolum, non tamen ſecũdum rationem, quę ſecundum nomen eſt.

Hic reſpõdet Porphyrius ad illud motiuum eorum, qui dicunt ens eſſe genus, & per conſequens vnum tantum generaliſſimum eſſe, & motiuum tale eſt, quia ens prædicatur de omnibus A prædicamentis, non tamen vniuocè, ſed æquiuocè. Dicit enim Ariſtoteles, quòd ſi quis vocet omnia prędicamenta nomine entis, illa etiã æquiuoca nuncupabit, quia ens prædicatur de illis æquiuocè; & dicit Porphyrius, quod ſi ens eſſet commune omnium genus, de omnibus vniuocè prædicaretur; ſed hoc eſt falſum, quia cum decem ſint prædicamenta, conueniunt tantummodo in communi vocabulo entis; non item in ratione communi ſignificata per illud nomen; ergo non eſt vniuocum, ſed æquiuocum illis; & B ſic habetur ex Porphyrio, quod ens non eſt genus, quia non prædicatur vniuocè; quoniam, vt ait Boetius, nõ habet definitionem communem importatam nomine entis, vt colligitur etiam ex Boetio, quòd ens prędicatur, vt homo; de homine verò, & homine picto, quaſi dicat æquiuoce analogicè.

Decem igitur generaliſſima quidem ſunt, ſpecialiſſima verò in nume C ro quidem quoddam ſunt, non tamẽ infinito. Indiuidua autem, quæ ſunt poſt ſpecialiſſima, infinita ſunt; quapropter vſque ad ſpecialiſſima à generaliſſimis deſcẽdentes iubebat Plato quieſcere: deſcendere autem per media diuidẽtes ſpecificis differentijs; infinita verò inquit relinquen- D da ſunt. Neque enim eorum ſcientiam poſſe fieri.

Hic Porphyrius colligit ex dictis, videlicet quòd prædicamenta numero ſunt decem; ſpecies verò ſpecialiſſimas dicit eſſe in magno quoddam numero, & pluſquam decem, ſed non ſunt infinitæ numero: indiuidua aũt ſpecierum ſpecialiſſimarũ numero ſunt infinita ob id, quod ipſe Plato volebat, vt incipientes a generaliſſimis deſcenderemus vſq; ad ſpecialiſſima incluſiuè, & illic quieſceremus: volebat autem nos E per media deſcendere diuidendo genera ſpecificis differentijs; indiuidua verò volebat nos relinquere, cum ſint infinita, quia ſic ſciri non poſſunt, ſed ſolum de generibus, & ſpeciebus ſoliciti eſſe debemus, cum ſint finita, & per conſequens ſcibilia.

Deſcendentibus igitur ad ſpecialiſſima, neceſſe eſt diuidẽtes per multitudinem ire; aſcendẽtibus verò ad F generaliſſima, neceſſe eſt colligere multitudinem in vnum, collectiuum enim multorum in vnam naturã ſpecies eſt, & etiam magis id, quod genus eſt: particularia verò, & ſingu-

laria è contrario ſemper in multitudinem diuidunt id, quod vnum eſt: participatione enim ſpeciei plures homines vnus; particularibus autem, & ſingularibus vnus & communis plures: diuiſiuum enim ſemper eſt, quod ſingulare eſt; collectiuum autem, & adunatiuum, quod commune eſt.

Hic Porphyrius declarat, quomodo fiunt hi duo proceſſus, alter qui fit a generaliſſimis ad ſpecialiſſima deſcendendo, alter, qui fit a ſpecialiſſimis ad generaliſſima aſcendendo, & ij proceſſus ſunt idem re, differunt ſolum habitudine: differentia autem eorum eſt, quia deſcenſus fit ab vnitate ad multitudinem; nam genus generaliſſimum eſt, quod licet vnum deinde intelligitur habere ſpecies vſq; ad ſpecialiſſimas, quæ plures ſunt. Aſcenſus verò eſt a multitudine ſpecierum ad generis vnitatem: aſcendendo enim colligimus, deſcendẽdo verò diuidimus, & rationem aſſignat Porphyrius dicens, quod ſpecies eſt collectiua multorum indiuiduorum in vnam naturã, ideſt natura collecta ex indiuiduis, & in qua in vnum colliguntur, & in vnum conueniunt. Similiter genus eſt collectiuum ſpecierum, quia eſt natura collecta a ſpeciebus, in qua conueniunt ſpecies, & genus dicitur magis collectiuum, quam ſpecies, quoniam ſpecies colligit indiuidua: particularia verò non ſunt collectiua, ſed potius diuiſiua, quia diuidunt ſpeciem in multitudinem, ideſt ſunt multitudo ipſa: ſic enim 1. Phyſic. 5. dicit Ariſtoteles, quod definitio diuidit in ſingula, ideſt eſt ſingulæ partes definiti, vel eas continet, & explicat. Diuidunt enim particularia, ideſt ſpecies diuidunt genus, quia ſunt naturæ, quæ conueniunt in genere, & ſingularia diuidunt ſpeciem, ſimiliter & genus, cum ſpeciei, & indiuiduorum ſit collectiuum; & addit Porphyrius, quòd plura indiuidua humana licet ſint re plura, quia tamen participant vnam naturam ſpecificam, ſunt vnus homo, puta ſpecificus, vnus autem homo ſpecificus ob ſingularia fit plures, ideſt ſecatur in plures homines. Ita de vno genere dicatur, quòd plures ſpecies ſunt vnum genus per participationem, & genus eſt plures ſpecies per diuiſionem. Et hoc intelligatis hoc modo quòd genus ſit ſpecies, & ſpecies genus, ideſt genus diuiditur in plures naturas ſpecificas, habentes naturam genericam, & plures ſpecies ſiũt genus vnum, ideſt colliguntur, vt vnam naturam generis habeant, quæ generica dicitur. Et addit, quòd ſingulare eſt ſemper diuiſiuum, quia intelligitur eſſe id, in quod diuiditur commune: commune verò collectiuum eſt ſemper, quia colliguntur in communi particularia, & ſingularia.

Hic notat Ammonius, quòd ſpecies multitu-

A dine ſunt pauciores indiuiduis, quia in vna ſpecie plura ſunt indiuidua, poteſtate tamen ſunt plures, quàm indiuidua. Similiter ſpecies a generibus ſuperatur quo ad communitatem, ſed ſpecies ſuperat genus quo ad multitudinem; omnia tamen reducuntur ad vnum, quia eſt vna cauſa omnium, quæ eſt Deus. Ideo in hoc ſemper naturam imitamur, vt omnia ad vnum reducamus, vt indiuidua ad vnam ſpeciem, & ſpecies ad vnũ genus, & ſubalterna ad generaliſſimum: & ob id quæ proprius accedunt ad illud multi- B tudine decreſcunt, & poteſtate augentur. Quę verò elongantur a genere, & ſpecie, numero augentur, & poteſtate communitatis, & prædicationis diminuuntur.

Boetius deinde hic notat, quòd diuidere eſt vnum in multa diſſoluere, & compoſitio, & diuiſio oppoſito modo ſe habẽt, & dicit, quòd ſpecies colligit ſimilitudinem indiuiduorum, & genus ſimilitudinem ſpecierum: ſimilitudo enim nihil aliud eſt, niſi quædã vnitas qualitatis, quæ eſt duplex, vel ſubſtantialis, vel accidentalis: er- C go ſubſtantialem ſimilitudinem indiuiduorum ſpecies colligere manifeſtum eſt; ſubſtantialem verò genera ſimilitudinem ſpecierum contrahunt, & ad ſe ipſa reducunt. Addit, quòd generis adunationem differentiæ diſtribuunt in ſpecies, quæ ſunt differentiæ ſpecificæ ſubſtantiales diuidentes genus, & conſtituentes ſpeciem: ſpeciei autem adunationem in ſingulares indiuiduas perſonas accidentia pertiuntur, ideſt ſpecies diuiduntur in ſingularia, non per differentias eſſentiales ſpecificas, ſed accidentales, per D quas indiuiduum vnum differt ab alio, & ſic indiuiduum non poteſt eſſe ſpecies.

Circa ea, quæ diximus, occurrunt dubitationes.

Prima, an verum ſit, quòd genus, & ſpecies ſint correlatiua. Dubitatio poteſt elici ex hoc, quoniam relatiua ita ſe habent, vt etiam ſint, ſimul natura, quorum vnum non eſt prius altero: verùm genera ſemper ſunt priora ſpeciebus, ergo genus & ſpecies non ſunt correlatiua. Maior eſt Ariſtotelis in Prædicamentis cap. de Rela- E tione; minor ſimiliter eſt eiuſdem Philoſophi in Poſtprædicamentis cap. de ſimili; ergo videtur Porphyrij dictum non eſſe verum.

Ad hoc dubium reſpondet Caietanus hoc in loco, quòd genus, & ſpecies accipiũtur dupliciter, vno modo formaliter, alio modo fundamentaliter, vel pro his quæ ſignificantur, vel pro his quæ denominantur, vel pro intentionibus, aut rebus ſubiectis, quę omnia idem eſſe aſſerit, licet verba ſint diuerſa.

F Si ſumantur genus, & ſpecies fundamentaliter, ſic non ſunt correlatiua, nec hoc modo accepit Porphyrius. Alio modo ſumuntur formaliter, & ſic ſunt correlatiua, ſicut pater, & filius, Dominus, & ſeruus; & ſic de genere & ſpecie ſermo eſt apud Porphyrium. Genus enim & ſpecies formaliter ſumpta ſunt entia rationis, & relatiua, & ad inuicem referuntur.

Ad

Ad auctoritatem Ariſtotelis loco citato reſpondet, quod ibi genus & ſpecies conſiderauit fundamentaliter, quatenus nempe in ipſis non datur conuertendi conſequentia: vt in primo exemplo ibi tradito facile videre eſt.

Hæc reſponſio Caietani eſt eadem cum illa, quæ habetur ab Ammonio in principio cap. de genere a nobis eo in loco relata, quando tractabatur de ordine horum prædicabilium.

Tataretus in eandem ferè cadit ſententiam. Dicit pro ſolutione dubij huius; Supponitur, quòd ſpecies,& genus capta pro per ſe ſignificato,correlatiuè ſe habēt ad inuicem, ideſt vnum refertur ad aliud,& è contrario: ſi autem capiantur pro denominato,non ſe habent correlatiue, vt homo non dicitur correlatiue ad animal. Secundo ſupponit, quòd relatiuum refertur ad ſuum correlatiuum, ſed non terminatur ad genus,ſed ad fundamentum generis, puta ad animal, vel aliquid aliud huiuſmodi. Primum ſuppoſitum capit a Scoto in 1. ſent. diſt.23. quæſt. vnica. Secundum verò in 1.ſent.diſt.3.quæſt.1.

Secundo dubitatur contra tertiam ſpeciei definitionem, quòd competat ſpeciei ſubalternæ,quoniam animal prædicatur de pluribus differentibus numero; ergo animali, quod eſt ſpecies ſubalterna competit hæc definitio ſpecierum. Antecedens probatur dupliciter. Primo ſic, Animal prædicatur de pluribus differentibus ſpecie,ergo & numero. Probatur cōſequentia, nam quæ differunt ſpecie, differunt etiam numero. Secundo probatur idem antecedens; nam verum eſt dicere, Socrates eſt animal; ergo animal prædicatur de indiuiduis.

Reſpondetur, quòd duæ conditiones ſolent poni in definitione ſpeciei. Prima ſolum, vel ſolo; nam primo dici poteſt, quòd ſpecies prædicatur de differentibus ſolum, vel ſolo numero, & verum eſt. Secundo ſolet intelligi alia conditio, ſcilicet per ſe primo,& immediate, vt tota quiditas; & ſic genus prædicatur de indiuiduis mediate,& non vt dicit totam qniditatem, ſcilicet mediante ſpecie, vt etiam dicit Albertus Magnus: mediante enim ſpecie genus participatur ab indiuiduis. Ad argumentum dicitur, quòd genus non eodē modo prædicatur de indiuiduis. Et cum dicitur, quæ differunt ſpecie, differunt numero,ſi ſit ſenſus, quòd quæ differunt ſpecie, differant numero ob indiuidua, verum eſt;ſed tunc non ſequitur argumentum: cuius ſenſus intelligitur, quòd duæ ſpecies differentes ſub eodem genere poſitæ, differant quoque numero.

Secundo,vnius rei vna eſt definitio;ergo male tripliciter ſpecies definitur a Porphyrio. Reſpondetur, quòd vnius rei vnico modo accepta eſt vna definitio; ſed ſecundum diuerſas acceptiones, & habitudines poteſt res pluribus modis definiri.

Tertio, genus & ſpecies ſunt correlatiua; ergo vnum debet definiri per reliquum, ſed definiendo ſpeciem ſpecialiſſimam non definitur

A per genus, ſed per indiuidua; ergo; Reſpondetur, quod ſpecies nōn ſolum eſt correlatiua generis,ſed etiam indiuiduorum; ideo modo definitur per genus, modo vt reſpicit indiuidua.

Tertio dubitatur ſupra id, quod dixit Porphyrius in tertia definitione ſpeciei data, in qua dicit,quòd ſpecies ſpecialiſſima eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero; nā hoc videtur falſum, quoniam Phęnix habet vnicum indiuiduum, ſimiliter Sol, & Luna vnico continentur indiuiduo, nam Sol habet hoc cor-

B pus lucidum,ſimiliter & Luna, & ſunt ſpecies; ergo non omnis ſpecies prædicatur de pluribus differentibus numero.

Reſpondetur, quòd Phœnix habet plura indiuidua, & in potentia, & ſucceſſiue; Sol verò non habet,nec poteſt habere; ſi tamen haberet, de illis poſſet prædicare,& Porphyrius ſic loquitur ſecundum Boetium reſpectu illarum ſpecierum,quæ habent plura indiuidua,& ſi non prædicatur de pluribus, tamen non repugnat ipſis de pluribus prædicari.

C Quartò,omnes ſpecies dicuntur eſſe incorruptibiles,quia ſunt perpetuæ: omnia autem indiuidua ſunt corruptibilia, homo incorruptibilis eſt,& Socrates corruptibilis; ergo homo de Socrate non poteſt prædicare.

Reſpondetur, quòd eſt regula Scoti in 3. de anima, quòd de ratione in ſe contingente, nihil per ſe prędicatur, vt dicendo Socrates eſt albus, nihil per ſe prædicatur: neq; dicendo homo eſt albus, qm eſt ratio in ſe contingens: ideo ſi volumus, quòd hæc propoſitio ſit vera, Socrates eſt

D homo; oportet denudare Socratem ab omni accidente, ab omni paſſione,& ab omni modo intrinſeco: tunc dico,quòd corruptibile,& incorruptibile ſunt modi intrinſeci, & paſſiones, non autem prædicata quiditatiua; & cum dico Socrates eſt homo, conſidero Socratem in ſua quiditate, non autem vt corruptibilis,& incorruptibilis, quoniam hoc modo accipiendo hanc propoſitionem, ſcilicet Socrates eſt homo, non eſt corruptibilis, nec incorruptibilis, quoniam hæc propoſitio quiditatiue accipitur, & conſidero

E Socratem ſecundum prædicata primi modi.

Secundo reſpondeo, cum dicis incorruptibile, non prædicatur de corruptibili, concedo, ſpecies eſt incorruptibilis, dico, quòd ſpecies non eſt incorruptibilis ſimpliciter, ſed corruptibiliter, vt habet eſſe in ſuis inferioribus,& ſic eſt corruptibilis ſaltem per accidens.

Quinto dubitatur, quoniam dixit Porphyrius, quòd generaliſſimum genus non habet habitudinem ad ſuperiora.

F Contra ens prędicatur de ſubſtantia,& etiam alia multa prædicantur de ſubſtantia, ſed nihil poteſt prædicare non conuertibiliter, quòd non ſit genus; ergo ſubſtantia habebit genus ſuper ſe; ergo habet habitudinem ad ſuperius.

Reſpondetur, quòd generaliſſimum non habet habitudinem ad ſuperiora vniuoca, bene tamen poteſt habere habitudinem ad aliquid ſuperius

perius analogicum, vel æquiuocum, quale eſt ens, quod de omnibus prædicamentis prædicatur analogice, & æquiuoce, ſeu traſcendenter.

Sexto dubitatur, quoniam videtur, quòd ſpecies ſpecialiſſima habeat habitudinem ad inferiora; nam ſpecies 8. Metaphyſicæ tex. 10. ſunt ſicuti numeri; ergo vna eſt prior alia, ergo vna ſuperior, & alia inferior, & ſic ſub ſpecialiſſima poterit eſſe alia ſpecies.

Excellentiſſimus Bernardinus Petrella, Præceptor meus in Logica, ſi rectè recordor, docendo, reſpondere ſolebat, quòd eſſe inferius dupliciter contingit, vel quo ad exiſtentiam, & hoc modo admittimus vnam ſpeciem eſſe ſub alia; non tamen quo ad prædicationem, quomodo locutus eſt Porphyrius: dicit enim hominem non habere ſub ſe aliam ſpeciem, ſcilicet de qua prædicari poſſit. Non negaret tamē hominem quo ad eſſentiam perfectiſſimam habere alias ſub ſe ſpecies; vel clarius, dicamus, quod eſſe ſub alio dupliciter contingit vel vt principatum, vel ſecundum perfectius, & minus perfectum. Ad propoſitum vna ſpecies ſpecialiſſima eſt ſub alia quo ad perfectionem; non tamen vt ſub conſtituto, & ſic cæteræ inferiores ſpecies reponuntur ſub homine, vt minus perfectum ſub magis perfecto.

Septimo dubitatur circa id, quod dixit Porphyrius, quòd ſpecies ſpecialiſſima relationem, quam habet ad indiuidua, habet illam non diuerſam, ſed eandem; dubitatur inquam quòd hoc ſit verum.

Cauſa dubitationis habetur ex Caietano, quòd ſi Porphyrius intelligat, quod ſit eadem ſecundum vocem, quia eadem vox, ſcilicet ſpecies vtraque ſignificat, bene dicit; verùm appellat ſolutionem ridiculam: ſi verò intelligat, quòd ſit eadem ſecundum rem, falſum dicit, quia alia eſt relatio ſpeciei, vt reſpicit genus, alia eſt, vt reſpicit indiuidua.

Augetur dubitatio ex quibuſdam, quę ex Boetio colliguntur, qui quando dicit Porphyrius eandem eſſe habitudinem ſpeciei ad indiuidua, dicit habere idem nomen pro quanto homo non eſt genus indiuiduorum, & ſic non habent duo nomina illæ duæ habitudines, ſed vnum.

Dicit Caietanus pro ſolutione, quòd habitudo generis, & ſpeciei, non ita ſimiliter ſunt, vt vbi vna reperitur, & exiſtat, altera ſit neceſſario, cum genus generaliſſimum reperiatur abſque habitudine ad ſuperiora; ſic ſpecies ſpecialiſſima abſque tali habitudine ad inferiora. Ex vna enim non oritur altera; habitudo autem ſpeciei, & habitudo ad indiuidua ita ſunt ſimiliter, vt ex vna oriatur neceſſario altera.

Propterea quoniam relatio ſpeciei ad indiuidua eadem eſt, quæ emanat ex relatione ſpeciei, & per conſequens non omnino extranea eſt ab ea. Hinc Porphyrius dixit, quòd habi-

A tudo ſpeciei ad inferiora, indiuidua non eſt diuerſa ab ipſius ſpeciei habitudine, non quin ſit diuerſa ſecundum rem, ſed quòd ita diuerſa ſit, quòd extranea ſit ab illa: pullulat enim ab ea; propter quod & vnum nomen ſortita eſt, ex quibus ad obiecta.

Reſpondetur, quòd Porphyrius neque de diuerſitate vocali, neque de quacunque diuerſitate reali, ſed de diuerſitate extraneitatis loquebatur, quam inter generis, & ſpeciei habitudinem inuenerat.

B Secundo reſpondeo, quòd homo ſecundum ſubſtantiam non eſt genus indiuiduorum, nec indiuidua ſunt eius ſpecies, ſed bene ſecundum accidentia, indiuidua poſſunt eſſe ſpecies hominis, vt dicit Cicero, quòd homo eſt genus ſpeciei, ſcilicet populi Thebani, genus inquam accidentale, & indiuidua eſſe ſpeciem accidentalem. Sed aduertendum eſt, quòd Philoſophi de ſpeciebus per ſe loquuntur, non autem de accidentalibus, ſimiliter & de generibus ſubſtantialibus.

C Octauo, & principaliter dubitatur circa id, quod dicit Porphyrius, quòd ens eſt æquiuocum, nulla ſcientia tractat de æquiuoco, ſed ens prædicabile eſt æquiuocum; ergo a nulla ſcientia conſideratur; ſed hoc eſt falſum, quoniam Metaphyſica (teſte Ariſtotele) ens in quantum ens ſpeculatur.

Reſpōdetur, quòd duplex eſt ęquiuocū; æquiuocum purum, vt canis, & de hoc nulla haberi poteſt ſcientia: aliud eſt æquiuocum impurum, ſeu analogum, & de tali poteſt haberi ſcientia,
D vt dicit Ariſtoteles 4. Metaphyſicæ.

Nono dubitatur, quia dixit Porphyrius, quòd indiuidua ſunt infinita; verùm contra videtur. Indiuidua fiunt a natura, ſed naturaliter omnes magnitudines, menſuræ, & numeri ſunt finitæ; ergo numerus indiuiduorum, ſi eſt naturaliter, debet eſſe finitus, & determinatus.

Reſpondeo, quòd indiuidua quo ad actualem exiſtentiam ſunt finita; infinita vero ſunt, ſi ſumantur, quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, ſtante generatione æterna, vt cenſet Ari-
E ſtoteles. Species verò ſunt in numero quoddam finito, vel quia ſunt partes mundi finiti; non enim dantur infiniti mundi, vt putarunt nonnulli ex antiquis, vel quia ab intellectu cognoſcuntur, qui eſt finitus. Finitum verò non poteſt cognoſcere infinitum, cum inter cognoſcentem, & rem cognitam debeat cadere aliqua proportio, vel quia a natura conſtituuntur, quæ determinatum numerum, & menſuram, & magnitudinem rebus omnibus prębet; vel quia per
F ſubſtantiales differentias conſtituuntur, quæ finitæ ſunt; vel quia ſi infinitæ eſſent ſpecies, infinitus daretur infinito, cum plura ſint indiuidua ſpeciebus. Poſtremo finitæ ſunt ſpecies, quoniam definitione, & determinatione concluduntur, quæ pariunt ſcientiam; ſcientia verò eſt de finito.

Decimo dubitatur de veritate illius propoſi-

tionis, in qua dicit Porphyrius quòd participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo, an ſcilicet ſit vera, & videtur quòd non; nam vnum & multa opponuntur; ergo de eodem non poſſunt prædicari; ergo plures homines non ſunt vnus homo, quoniam oppoſita de eodem prædicari non poſſunt.

Secundo, ſi eſſet vera per conuerſionem ſimplicem, etiam hæc eſſet vera, vnus homo eſt plures homines, ſed hoc eſt falſum, quia eius conſequentia eſt vera, ſcilicet nullus homo eſt plures homines.

Tertio arguit Scotus in ſubiecto, & prædicato accipitur in hac propoſitione idem ſub oppoſitis modis qui non ſunt ſeparabiles a ſubiecto ſecundum quod ſignificantur per iſtas dictiones; ideo propoſitio eſt falſa, vult dicere, quòd ſubiectum in hac propoſitione capitur ſub modo pluralis numeri, & idem in prædicato, capitur ſub modo ſingularis numeri, qui modi repugnant, cum licet homines ſint pluralis numeri, & licet vnus homo ſit ſingularis numeri, prædicatur; ergo oppoſitum de oppoſito, vel ſaltem idem ſub oppoſito modo intelligitur: vnum enim, & plura opponuntur; ergo illa propoſitio eſt falſa.

Pro ſolutione notandum eſt, quod quadruplex eſt vnitas, vt notat Scotus hoc in locò quæſtio. 22. capitu. 3. ſumitur ex Ariſto. 2. Topicorum.

Datur vnitas numeralis, qua Socrates verbi gratia, dicitur vnus, datur & ſpecifica, qua homo in ſe dicitur vnus, datur & generica, qua animal dicitur vnum, datur quarto etiam vnitas ſecundum analogiam, & proportionem, vt ſicut præceptor ad diſcipulum, ita auriga ad currum, & equos, ſingularia ſunt vnum numero, & in ſpecie ſunt vnum, quia conueniunt in vna ſpecie, & ſpecies, quælibet eſt vna, ſpecies verò plures ſunt inter ſe; ſimiliter dicitur de genere, quòd licet ſit vnum genus, & duæ ſpecies ſub eodem genere poſitæ dicuntur vnum genus. Cum autem dicit Porphyrius, quòd participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo, intelligitur, quòd plures homines indiuiduales, ſunt vnus homo ſpecificus, participatione ſpeciei, pro quanto quilibet habet naturam vnam ſimilem alteri ſubſtantialiter, ex quibus poteſt colligi vna natura communis, & in ea ſic accepta conueniunt, & comprehenduntur, & in illa dicuntur eſſe vnum. Plures ergo homines indiuiduales ſunt vnum ſpecie, vel genere. Sic Boetius dicit, quòd plures homines ſunt vnus homo ſpecificus.

Ad primum reſpondetur, quòd oppoſita non poſſunt eidem conuenire, verum eſt de veris oppoſitis; at vnitas ſpecifica, & pluralitas indiuidualis non opponuntur, ſed pluralitas ſpecifica, & vnitas ſpecifica opponuntur. Similiter vnitas numeralis, & pluralitas numeralis opponuntur, & ſic plura numero, & indiuidualiter ſunt vnum ſpecie, ideſt colligitur natura

A vna ſubſtantialis, in qua omnia conueniunt ſingularia, & conſideratur quo ad communia; & ideo ſic ſunt vnus homo, ideſt colligitur vnus homo, & vt vnus intelligitur ab intellectu, non autem intelliguntur vt vnus homo, ſecundum propria indiuiduorum, quia ſic non ſunt vnus, ſed plures homines numero.

Ad ſecundum ſimiliter conceditur, conuertēs in eodem ſenſu, quo conuerſa intelligitur, & cum dicitur ſua conſequentia, eſt vera, ſcilicet nullus homo eſt plures homines, negatur illo

B reſpectu, in alio tamen eſt vera, ſed tunc non eſt conſequentia. Et nota quod eſt verum, quòd vnus homo ſpecificus eſt plures homines indiuiduales, & repræſentat plura, & de pluribus prædicari poteſt, & illa propoſitio, quæ dicit, quòd nullus homo eſt plures homines, falſa eſt hoc modo, at quòd nullus homo ſingularis ſit plures homines ſingulares, vera eſt.

Ad tertium homines indiuiduales intelliguntur ſub oppoſitis modis pluralis, & ſingularis numeri, conceditur, quòd opponuntur ſecun-

C dum vocem, non ſecundum rem; nam plures homines ſingulares non ſunt vnus homo ſingularis, quia re vera hoc modo pugnant. At non opponuntur plures homines intellig vt vnus; ſecundum hanc participationem ſpeciei, & modo prædicto, ſed ſtant ſimul.

Vndecimo dubitatur circa id, quod dixit Porphyrius, quòd genus eſt magis collectiuum in vnam naturam, quam ſpecies, videtur, quòd hoc non ſit verum; nam illud eſt magis in vnam naturam collectiuum, & vnitiuum, quod in

D ſe eſt magis vnum, & cuius naturæ vnitate retenta minorem diſtinctionem, res illius naturæ inter ſe compatiuntur.

Probatur hæc maior a ſimili, videlicet ſicut illud eſt magis callefactiuum, quod in ſe eſt magis callidum, & a quo res callefactæ minus compatiuntur frigoris cæteris paribus. Minor probatur, quoniam ſpecies dicit naturam ſpecificam formaliter indiuiſibilem, in plures partes ſubiectiuas ſpecificas; vnde & Atoma ap-

E pellatur: importat enim naturam formaliter indiuiſibilem in plures, ſcilicet ſpecies: & ſimiliter res ſecundum ſpeciem adunatæ, minorem diſtinctionem compatiuntur: non enim niſi numeraliter diſtinguuntur, non autem per differentias ſpecificas ſicut genus; ergo ſpecies eſt magis collectiua in vnam naturam, quàm genus. Probatur idem, quoniam ſpecies continet genus, & ſuperiora; ergo magis colligit quam genus.

Secundo principaliter videtur, quòd indiui-

F duum magis colligat, quàm ſpecies, & genus, quia in indiuiduo collecta eſt natura ſpecifica, & generica, & breuiter indiuiduum quodlibet continet omnia prædicata ſuperiora. Nam Socrates eſt homo, eſt animal, eſt corpus, eſt ſubſtantia; ergo ſingulare eſt magis collectiuum, quam diuiſiuum. Ex his ergo patet duplex dubitatio.

Prima

Prima circa id, quod dixit, quòd genus eſt magis collectiuum, in vnam naturam quam ſpecies.

Secunda cum dixit, quòd ſingulare eſt diuiſiuum, & per rationem adductam videtur collectiuum.

Ad hoc dubium reſpondet Caietanus, quòd eſſe magis collectiuum dupliciter intelligitur, vno modo intenſiue, & ſic ſpecies eſt magis collectiuum, quia magis vnit adunata; alio modo extẽſiue, & ſic genus eſt magis collectiuum, quia multo plura ſub ſua adunatione cadunt, quam ſub ſpeciei ambitu; vnde ſpecies, & genus ſe habent, dixit ille vir, vt duo duces, quorum alter habet exercitũ paruum, ſed valde vnanimen; alter verò exercitum magnum, ſed diuerſarum nationum: ille enim magis colligit intẽſiue, hic extenſiue; Porphyrius autem hic loquebatur de extenſiua collectione: & ideo dicit, genus eſt magis collectiuum.

Ego iudico aliter poſſe quoque reſpondere, quòd eſſe magis collectiuum dupliciter contingit.

Primo incluſiue, quatenus ſcilicet includat omnia prædicata ſuperiora, & ſic intelligitur illud, quod eſt vnum numero, ideſt indiuidua hoc modo, ſunt magis collectiua quàm ſpecies, quoniam includunt omnia prædicata ſuperiora vſque ad generaliſſimum.

Et hoc modo pariter ſpecies eſt magis collectiua quàm genus, quia continet genus, & generis genus, & aliquid aliud, ſcilicet differentiam, per quam ſpecies dicitur abundare a genere; & ſic indiuidua, & quæ ſunt vnum numero, ſunt magis collectiua, quam ſpecies, & dicitur hoc modo, quod maior eſt vnitas numeralis.

Secundo modo aliquod dicitur collectiuum, quatenus eſt vna natura collecta a plurib. quę dę pluribus prædicatur, quàm alia, & ſic genus prædicatur de pluribus, quàm ſpecies, & plura colligit, quia, vt dixerunt Ammonius, & Boetius, ſpecies vt homo ſola indiuidua colligit, genus verò & homines, nempe & ſpecies, & indiuidua. Patet ergo ſolutio, quia primum argumentum probat, quòd ſpecies eſt magis vna primo modo, non autem ſecundo modo: Similiter ſoluitur ſecundum dubium de indiuiduis, quæ videntur magis collectiua primo modo, non autem ſecundo modo.

Sequitur textus.

Aſsignato autem genere, & ſpecie quid ſit vtrumque eorum, & genere quidem, vno exiſtente, ſpeciebus verò pluribus (ſemper enim in plures ſpecies diuiſio generis eſt) genus quidem ſemper de ſpecie prędicatur, & omnia ſuperiora de inferioribus; ſpecies autem neque

A de proximo ſibi genere, neque de ſuperioribus, neque enim conuertitur.

Hic Porphyrius intendit docere ex generibus, & ſpeciebus, quæ prædicantur, quæ vero ſint ſubiecta propoſitionum.

Cauſa intentionis eſt, dicit Ammonius, quia pollicitus fuerat ſe tractaturum de his probabiliter, hoc eſt, quãtum ad diſſerendi ſubtilitatem

B ſpectaret; nam omnis diſſerẽdi facultas, ſiue Logica in demonſtratione, ſiue neceſſaria concluſione laborat, concluſio eſt propoſitio, & concluditur ex propoſitionibus, propoſitiones conſtãt ex ſubiecto, & prædicato: ideo hic docet ex generibus & ſpeciebus quæ ſint ſubiecta, & quæ ſint prædicata.

Continuatio patet, nam explicata definitione vtriuſque ſcilicet generis & ſpeciei, nunc explicare intendit, quomodo ſe habeant in propoſitione, quæ prædicentur, & quæ ſubijciantur,

C & hæc quæ hic docet Porphyrius, quodammodo elicit ex definitione generis & ſpeciei, ideo dicit, quòd cum aſſignauerit definitionem generis & ſpeciei, quicquid ſit vtrumque, primo elicit ex definitione generis, quòd genus cũ ſit vnum, ſpecies illius erunt plures, quia genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie; & Porphyrius hic dat quaſi aliam rationem huius, videlicet quia genus diuiditur in plures ſpecies, addam per ſuas differentias: & cum hæc ita ſint, elicitur pro veritate, quod genus ſemper de ſpe

D cie prædicatur, & breuiter omnia ſuperiora ſupple in recta linea poſita, ſuperiora inquam in communitatem prædicationis, & per ſe talia prædicantur de inferioribus in recta linea poſitis. Species autem cum ſint inferiores non poſſunt prædicari de genere ſibi proximo, vt homo de animali, neque de ſuperioribus generibus; nõ enim homo prædicatur de corpore, & de ſubſtantia, & ratio eſt, quia non conuertuntur, valet enim homo eſt animal, eſt corpus, eſt ſubſtantia; ſed non conuertuntur; propterea ſequitur.

E Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de equo, aut maius de minoribus, aut animal de homine; minora verò de maioribus minime Neque enim dices animal eſſe hominem, quemadmodum dices hominem eſſe animal; de quibus

F autem ſpecies prædicatur, de his neceſſario ac ſpeciei genus prædicabitur, & generis genus uſque ad generaliſsimũ. Si enim verum eſt dicere, Socratem hominem, hominem autem animal, animal autem ſubſtan-

tiam; verum eſt, & Socratem animal dicere, atque ſubſtantiam: ſemper enim cum ſuperiora de inferioribus prædicentur, ſpecies quidem de indiuiduis prædicabitur, genus autem & de ſpecie, & de indiuiduis: generaliſsimum verò de genere, vel generibus, ſi plura ſint media, & ſubalterna, & de ſpecie, & de indiuiduo. Dicitur enim generaliſsimum quidem de omnibus ſub ſe poſitis generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis: genus autē, quod ante ſpecialiſsimum eſt, de omnibus ſpecialiſsimis, & indiuiduis; ſolum autem ſpecies de omnibus indiuiduis, indiuiduum autem de vno ſolo particulari; indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, & hic veniens Sophronici filius, ſi ſolus ſit ei Socrates filius.

Nunc hoc loco dat regulam, & præceptum maximè obſeruandum in Logica; & regula eſt de prædicatis, & ſubiectis, quod oportet vel D æqua de æquis prædicari, ideſt conuertibilia inuicem prædicari, vt homo eſt riſibile, ſpecies inquam & proprium, hæc ſunt æqua, ideſt conuertibilia, vt vnum de reliquo poſſit prædicari, & è contrario; dat exemplum, vt hinnibile de æquo prędicatur, vel maiora de minoribus prædicantur, ideſt ſuperiora, & quæ ſunt maioris ambitus, & quæ de pluribus prædicantur, & in pluribus conueniunt, vt animal prędicatur de homine, animal eſt maius, quia in plus ſe habet; homo eſt minus, quia in minus ſe habet. E At minora, ideſt inferiora de maioribus, ideſt ſuperioribus nunquam poſſunt verè prædicari: non enim dicitur animal eſt homo, ſicut dicitur homo eſt animal.

Inſuper in illis verbis deinceps, *De quibus autem ſpecies*, dat aliud præceptum de modo prędicandi, & ſubijciendi genus, & ſpecies, & dicit, quòd de quibus prædicatur ſpecies, prædicatur & genus illius ſpeciei, & generis, genus vſque ad generaliſſimum, vt ſi de indiuiduis prædicatur F ſpecies, & omnia prædicata ſpecierum prædicabuntur de illis, & de ijſdem prædicabitur generaliſſimum.

Et hæc eſt regula anteprædicamentalis, ſcilicet quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto: & dicit Porphyrius, quòd ſi eſt verum dicere, Socrates eſt homo, & homo A eſt animal, & animal eſt ſubſtantia; etiam verum erit dicere, quod Socrates eſt animal, Socrates eſt ſubſtantia. Cum enim ſemper ſuperiora de inferioribus prædicentur, ſpecies verò ſit ſuperior indiuiduis, de indiuiduis prædicabitur, genus verò cum ſit ſuperius ſpecie; & indiuiduo, de ſpecie & indiuiduo prædicabitur; generaliſſimum verò cum ſit ſuperius genere ſubalterno, ſpecie ſubalterna, ſpecialiſſima, & indiuiduis; de ſubalternis generibus, & ſpeciebus prædicabitur, ſi plura ſunt ſubalterna; prædicatur enim B generaliſſimum, vt ſubſtantia de omnibus ſub ſe poſitis in recta linea, & generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis; genus verò proximum, & quod immediate eſt ſuper ſpeciem ſpecialiſſimam, de omnibus ſpeciebus ſuis ſpecialiſſimis, & de indiuiduis illarum ſpecierum prædicatur; ſpecies verò ſpecialiſſima de indiuiduis ſolum prædicatur: indiuidua autem de vno ſolo particulari prædicantur, vt Socrates. Exemplum in accidentibus particularibus, vt hoc album, ideſt hæc albedo; vel ſic etiam hic veniens eſt C Sophronici filius; eſt enim ſingularis filius.

Indiuidua autem dicuntur huiuſmodi, quoniam ex proprietatibus conſiſtit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam eadem erit in alio. Socratis enim proprietates, nunquam in aliquo alio particulari D erunt eædem; eæ vero, quæ ſunt hominis proprietates (dico autem eius, qui eſt communis) erunt eædem in pluribus, magis autem & in omnibus particularibus hominibus, in eo quod homines ſunt.

Hic declarat Porphyrius cur ſingularia appellentur indiuidua, & dicit, quod dicuntur, *indiuidua*, ideſt non diuidua in partes, *quoniam* E *vnumquodque illorum conſiſtit ex proprietatibus*, ideſt habet quædam ſibi propria, ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentia ſint pro nunc, *quorum collectio*, ideſt quæ ſimul collecta, *nunquam in alio erunt eadem*, ſic totæ ſimul. Dat exemplum Ammonius: nam verbi gratia Socratis proprietates ſunt, quod ſit Philoſophus, caluus, ſimus, obeſus, Sophronici filius, & Athenienſis, & eiuſmodi quarum vnaquæque per ſe alijs ineſſe poterit, quoniam reperiuntur alij, qui ſunt calui, F ſimi, obeſi, Athenienſes, & fortaſſe Sophronici filij, ſed omnium collectio, hoc eſt omnia ſimul collecta, non inerunt cuiquam alij, ſeparatim tamen fieri poteſt, vt alij conueniant, ſimul autem omnia nequaquam; & hæc ſunt, quæ aliquid faciunt eſſe indiuiduum, ideſt non diuiduum in ſpecies, quia indiuidua non differunt per differentias ſpecificas, ſed per has acciden-

tales

tales proprietates, quæ ſimul collectæ nulli, niſi vni conueniunt: nam indiuidua habent duo, communia ſcilicet, & propria, quo ad communia colliguntur ſpecies, in quibus conueniunt. Quo verò ad propria, fiunt ineſſe ſingulari, & inuicem diſcrepant. *Socratis igitur proprietates nunquam in alio erunt eadem*, ideſt conſimiles in pluribus, *magis autem, & in omnibus particularibus hominibus, in eo quod homines ſunt*, ideſt homo habet proprietates animalis, quæ inſunt alijs animalibus, quod intelligitur in illis verbis, *ea verò quæ ſunt hominis proprietates (dico autem eius, qui eſt communis) erunt eadem in pluribus*, & etiam habet proprietates homo, vt homo eſt, puta quòd ſit riſibilis: eæ inquam proprietates erunt conſimiles, & eiuſdem rationis in indiuiduis omnibus, ſi conſiderentur in eo, quod homines, quia hoc eis competit vt homines ſunt.

Vnde notandum eſt, quòd genera habent quædam eſſentialia, & quædam propria, quæ omnia conueniunt ſpeciebus. Similiter & ſpecies habent quædam eſſentialia, & quædam propria, quæ conueniunt indiuiduis. Indiuidua ergo habent eſſentialia generum, & ſpecierum, non tamen vt genera, & ſpecies, ideſt vt communia ſunt, ſed habent ſecundum eſſe ſingulare. Indiuidua etiam habent alia propria, quibus vnumquodlibet ab alio ſeparatur; ideo Socrates fit hoc & ſingulare per hanc materiam, per hanc formam a priori: a poſteriori autem eſt hoc per hæc accidentia, nam in indiuiduis ſunt quædam communia ſubſtantialia, ideſt quædam ſubſtantiæ, quæ conueniunt omnibus, vt materia, & forma, à quibus abſtrahitur materia, & forma. Habent etiam propria talium ſubſtantiarum, & cum illis abſtrahuntur. Habent etiam quædam accidentalia communia, quæ omnibus conueniunt, vt puta eſſe rectæ ſtaturæ, duas habere manus, & cætera: & in his conueniunt, & inſequuntur ipſam ſpeciem, cum in ea conueniant. Habent deinde quædam propria, quatenus vnum in vno reperitur, quod non in alio; & hæc propria aliquando ſunt plura, quæ ſi abſtrahantur, non ſunt eadem alijs, ideſt non poſſunt abſtrahi vt communia, ita vt competant cæteris, ideo dicitur, *Quarum collectio*, ideſt quorum accidentium propriorum, & quæ vni tantum competunt, ſiue ſint vnum, ſiue duo, ſiue mille, *collectio non eſt eadem reliquis*, ideſt non poſſunt colligi, & abſtrahi, vt omnia in illis intelligantur conuenire.

Continetur igitur indiuiduum quidem ſub ſpecie, ſpecies autem ſub genere; totum enim quoddam eſt genus, indiuidum autem pars, ſpecies verò & totum eſt, & pars: ſed pars quidem alterius, totum au-
A tem non alterius, ſed in alijs, in partibus enim totum eſt.

Hic declarat quomodo ſe habeant, & quomodo vocentur genus, ſpecies, & indiuidua ſecundum relationem, quam habent inter ſe, vt ſcilicet vnum continetur ſub alio, & ab alio; & dicit, quòd indiuiduum continetur ſub ſpecie, ſpecies autem ſub genere: ergo addas indiuiduum continetur ſub genere, quare genus erit totum quoddam continens indiui-
B duum; indiuiduum autem erit pars contenta, genus continet, & ſpeciem; quare genus erit totum continens ſpeciem, & ſpecies erit pars contenta; ſpecies verò, quia continet indiuidua, eſt totum, & indiuiduum eſt pars; vt verò ſpecies continetur a genere eſt pars, & genus totum, & ſic ſpecies erit totum, & pars; pars quidem alterius, ſcilicet generis; totum autem eſt non alterius, ſcilicet totius; quòd ſit ſpecies, vel genus continens inferiora, ſed eſt totum in alijs,
C ſcilicet indiuiduis, quod continet indiuidua, in quibus eſt ſpecies vt totum in partibus, quæ non poſſunt appellari totum continens inferiora, nec vt ſpecies, nec vt genus, quia indiuidua ſunt, nec habent partes ſubiectiuas, de quibus prædicentur.

De genere igitur, & ſpecie, & quid generaliſſimum, & quid ſpecialiſſimum, & quæ genera ea-
D dem, & ſpecies ſint; quæ etiam indiuidua, & quot modis genus, & ſpecies dicantur, ſufficienter dictum eſt.

Hic epilogat ea, quæ dicta ſunt; vnde eſt notandum, quòd in epilogo non refert, ſi enumeremus res aliter quam fuerint tractatæ; quia cum dicit Porphyrius in hoc epilogo, & quot modis ſpecies, & genus dicantur, hoc
E videtur referri ad id, quod dixit ſupra, quod genus, & ſpecies videntur, non vno modo dici. Sic exponunt Boetius, & Ammonius, quoniam dictum eſt, quòd genus tripliciter dicitur, ſpecies autem dupliciter. Remanent nonnullæ difficultates diſſoluendæ.

Prima difficultas eſt, an verum ſit, quòd indiuidua prædicentur de vno.

Ratio dubitationis ſumitur ex contrarietate, quę videtur eſſe inter Porphyrium, & Ariſtotelem ſuper hac re.
F
Siquidem Porphyrius hic apertè aſſerit, quòd indiuidua de vno prædicantur, quod idem etiam habetur ex eodem, in ſuperiori capite de genere, vbi dicebat, quòd genus per hoc differt ab indiuiduis, quia prædicantur de vno ſolo, illud verò de pluribus.

Ex alio latere contrarium videtur ex Ariſto-

tele,qui in prędicamentis cap.de ſubſtantia,tra A
dens ſecundam ſubſtantiæ proprietatem teſta-
tur,quòd a prima ſubſtantia nulla eſt prædica-
tio: prima autem ſubſtantia ſunt indiuidua, vt
eſt notum. Amplius etiam primo lib. Perier.
cap.5. teſtatur, quòd ſingulare non prædicatur
de pluribus,ex quo videtur eſſe contradictio, &
diuerſitas de hac re inter Ariſtotelem, & Por-
phyrium, Auerroes in ſua in hunc locum expoſi
tione aſſerit,hoc dictum Porphyrij verificari,&
ſenſum habere de indiuiduis ſubſtantialibus,
non autem accidentalibus:ex quo Ariſtoteles in B
prædicamento ſubſtantiæ,de his loquebatur,&
in primo Perihermenias,negauit indiuidua prę
dicari de pluribus,non autem de vno.

Caietanus hoc in loco,quem ſequitur Domi-
nus Honoratus de Robertis pro reconciliatio-
ne inter Porphyrium,& Ariſtotelem tradit vnã
diſtinctionem prædicationis;nempe quod præ-
dicatio duplex eſt,alia naturalis, alia artificioſa;
naturalem vocat eam,quæ licet non ſit artis fini
proficua,tamen in quantum eſt veriſſima ex na-
tura rei ſignificatæ,imitatur naturam,quę eſt ad C
vnum vt puta ad verum determinata;& hęc eſt
illa,qua nihil ignotum notificatur,quando vide
licet idem de ſe ipſo prædicatur,vt homo eſt ho
mo; artificialem verò vocat aliam, talem, non
quòd ab arte fabricetur,cum vnaquæque prædi
catio ſit opus artis, ſed quæ artis fini directe ſer-
uit, & hæc eſt illa, qua aliquid ignotum notum
fit,vt homo eſt animal,eſt riſibilis.

Qua tradita diſtinctione, dicit, Porphyrium
locutum fuiſſe de prædicatione naturali,Ariſto
telem verò de artificiali, & ſic eos conciliat. D

Eſt alia opinio Balduini, qui aperte aſſerit
Porphyrium fuiſſe lapſum in errorem,a quo ex-
cuſari minime poſſit,cum indiuidua de vno mi
nime prædicari poſſint, vt determinatę cogno-
ſcitur.

Ipſe quoque tradit diſtinctionem duplicis
prædicationis, naturalis nempe & artificioſæ,
verùm alio modo expoſitæ.

Appellat enim prædicata naturalia illa, quæ
ſecundum eorum naturam de aliquo prædican- E
tur: prædicari autem eſt ineſſe ſubiecto, habere
rationem formæ, & ſimilia. Artificialia verò
prædicata intelligit,quæ ars docere poteſt,tunc
negat,indiuidua aliqua harum prædicatione de
vllo prædicari, non naturali, quoniam non ha-
bent ſub ſe ipſis ſubiecta,neque etiã ſe ipſa: pro-
pterea dicit Ariſtoteles in Anteprædicamentis
indiuidua neque eſſe in ſubiecto, neque dici de
ſubiecto,neque prædicantur indiuidua prædica
tione artificiali, cum ſingularia ſint; de ſingula-
ribus autem non curat Ariſtoteles.

Vnde ex dictis concludit,Porphyrium erraſ- F
ſe,quod non eſt explicare,ſed lacerare,vt ita di-
cam, Porphyrium. Propterea cum huiuſmodi
difficultas videatur eſſe admodũ perplexa,cum
ab expoſitoribus vario modo intelligatur, & di-
lucidetur. Nec liceat cum Balduino credere,
Philoſophũ tanti nominis, vti fuit Porphyrius,

in tam exigua re ſumpſiſſe errorem. Ego quic-
quid ſentio aperte dicam, etſi neminem vide-
rim qui hanc difficultatem omnino lucidam
reddere conetur.

Et primum conſidero,quæ ſparſim habentur
hoc in loco,& eliciuntur ex dictis Magni Alber
ti,videlicet, quòd prædicatio duplex eſt, Pro-
pria,& Impropria.

Propria prædicatio ea dicitur, in qua ſecun-
dum ordinem naturalem prędicabilium,vnum
de altero prædicatur,& erit ea,in qua ſuperiora
de inferioribus, vel æqua de æquis prędicantur:
ſiquidem prædicari de aliquo,eſt alicui inhære-
re; inferiora autem ſuperioribus, & conuertibi-
lia conuertibilibus inhærere dicantur.

Impropria prædicatio ea eſt, in qua extra ſu-
pradictum naturalem ordinem prædicabilium
alterum de altero prædicatur.

His ſtãtibus,ex diſtinctione ex eius dictis de-
ſumpta, dicere poſſumus, indiuidua prædicari
de vno,impropria prędicatione,ſecundum Por
phyrium; & etiam indiuidua propria prædica-
tione, de nullo prædicari ſecundum Ariſtote-
lem,& vt videbimus,hæc reſponſio nõ erit alie-
na a veritate ipſa,& eſt verior cæteris.

Solutio enim Auerrois non eſt ad aures Ari-
ſtotelis,quoniam conceſſo, quòd & in capit. de
ſubſtantia,& in primo Perier.aſſeruerit,& locu-
tus ſit de indiuiduis ſubſtãtialibus, quòd de vno
nõ prædicentur: tamen eſt alibi locutus clare &
aperte, quòd indiuidua quæcũque ſint & vnum
numero ſiue ſubſtantia,ſiue accidentalia de nul
lo prędicantur. Eſt locus manifeſtus in Antepræ
dicamentis cap.2. in fine; quo loci exemplificat
præcipue de indiuiduis accidentalibus,quòd de
nullo prædicentur, quando dicit, vt quædam
Grãmatica de ſubiecto nullo dicitur, propterea
dicta Auerrois ſtare minime recte videntur.

Solutio vero Caietani videtur fundata in
eius excogitata diſtinctione, quæ nullius eſt mo
menti,quinimo cõtradicta,& mentẽ Porphyrij.

Cum verè ea ſit prędicatio naturalis appellã-
da,in qua prædicata ſecundum eorum naturam
de aliquo prædicentur, vti Balduinus declarat,
vel quæ ab Alberto propria nuncupatur, in qua
ſecundum naturalem ordinem prædicabilium
vnum de altero prædicatur, quod eſt in totum
contrarium eius,quod docet Caietanus.

Similiter ea prędicatio, quæ ab ipſo dicitur
artificiola, qua ignotum notificatur a naturali
ſuperexpoſita minime differt, quin potius in ea
continetur. Amplius ea prædicatio, quam ipſe
appellat naturalem, in qua idem de ſe ipſo prę-
dicatur eſt omnino a Logico reiecta, vt elicitur
1. Poſter.tex.cõm.8.

Balduinus verò,etſi in cæteris clariſſimus, in
hoc tamen minime obſeruandus, quippe qui po
tius quàm Porphyrium explicet, videtur eum
taxare, vt dictum eſt.

Pro ſolutione itaque vera huius difficultatis,
vt ſentio,me ſemper tamen veriori, & rationa-
biliori opinioni remittens.

Ego

A Ego dico, Porphyrium hoc in loco minime erraſſe, imò illud idem aſſeruiſſe, quòd prius Ariſtoteles teſtatus fuit in lib. 1. Prior. capit. 28. vbi agit de abundantia medij; quo loci manifeſte aſſerit, quòd etſi indiuidua, quæ appellat ſenſibilia, non prædicantur vniuerſaliter de aliquo, tamen de aliquo prędicantur ſecundum accidens, vt quando dicimus, Album illud Socratem eſſe, & hoc veniens Calliam eſſe. Hæc ſunt exempla ab ipſo eodem in loco tradita: ex quo elicio, hanc diſtinctionem non longe alienam, & ſi liceat dicere verbis tantum diuerſam a ſupradicta diſtinctione tradita ex mente Magni Alberti: videlicet, quòd prædicari de aliquo ſtat dupliciter, vel vniuerſaliter, vel ſm accidēs.

B Declaro, prędicari de ſubiecto vniuerſaliter, eſt vel tanquam de ſuo inferiori, quando ſcilicet ſuperiora de inferioribus prædicantur, vt genera de ſpeciebus, ſpecies de indiuiduis, quomodo declarat Ariſtoteles dicto in loco 1. Prior. vel addamus cum Alberto quando conuertibilia de conuertibilibus prædicantur. Hæc enim per ſe inſunt vni naturę determinatę, & demonſtrationē ingrediuntur vt habetur ex Ariſtotele 1. Poſt. tex. com. 35. tex. com. 36. & tex. com. 51.

C Prædicari ſecundum accidens eſt, vt prædicari de ſubiecto, non tanquam ſuperius de inferiori vel conuertibile de conuertibili, ſed vt de aliquo ſibi inhærente, vt ſi dico de prima prædicatione, homo eſt animal, ſuperius de inferiori prædicatur, homo eſt riſibilis, conuertibile prædicatur de conuertibili.

D Exemplum vero de prædicatione ſecundum accidens eſt, quando dico Socrates eſt hoc albū, in hac propoſitione indiuiduum accidētale prædicatur de ſubiecto, in quo eſt ipſum album, non tamen poteſt prædicari de ſuo inferiori, quoniam hoc album nihil ſub ſe continet.

Concludo igitur in Anteprædicamentis, Prædicamētis, & lib. Perier. Ariſtotelem negaſſe indiuidua prædicari de aliquo vniuerſaliter prędicatione propria & per ſe. Cōcedit vero in lib. 1. Prior. loco citato, eadem prædicari poſſe de aliquo per accidens, hoc eſt impropriè, & hoc eſt E quod vult aſſerere Porphyrius, ita quod nulla ſit inter hos contradictio, vt viſum eſt.

Secundo dubitatur ſuper id, quod dixit Porphyrius, ſcilicet proprietatem indiuidualem nō communicare alteri, dubiū eſt, quia Ammonius reddit huius rei cauſam in capite de genere, eo quoniam indiuiduum non poteſt diuidi in partes ſimiles, neq; diſſimiles. Hoc videtur eſſe falſum; nam cum diuiditur Cicero in caput, manus, &c. eſt diuiſio in partes diſſimiles, & cum diuiditur in quatuor elementa, videtur ſecari in F partes ſimiles, & eiuſdem rationis.

Reſpōdetur, quòd Ammonius rectè dixit indiuiduum non ſecari in partes ſimiles, vel diſſimiles, quæ de altero prædicari poſſint; non negaret tamen indiuidua poſſe diuidi in partes, quæ non habent prædicationem.

Præterea ſciendum, quòd ſpeciei proprietates communes ſunt pluribus; proprietates vero indiuiduorum minime, quoniam ſpecies habet proprietates multis communicabiles ſine ipſarum diuiſione: oppoſitū verò in indiuiduis ſe habet; indiuidua enim diuiduntur ſecundum partem, non ſecundum totum, hac de cauſa fit, vt non poſſint permanere indiuidua, ſed ſtatim corrumpuntur ſi diuiduntur tam in partes ſimiles, quam diſſimiles.

Vlterius notandū eſt, quòd ſpecies diuiditur, & communicatur cum ſui diuiſione ad hūc ſenſum, quia diuiditur in particulares naturas indiuiduales; ideo vniuerſaliter dicitur communicare cum ſui diuiſione, pro quanto eſt idem in omnibus & commune.

Eſt etiam aduertēdum, quòd ſpeciei proprietates tot ſunt, quot ſunt prędicata ſubſtantialia, quæ cadunt in eius definitione, vt proprietates hominis ſunt tres, animal, rationale, mortale, poteſt addi pręter hęc, proprium accidēs, quod eſt riſibile. Vel ſi regulam latiorem volueris, ſic dices, Proprietates ſpeciei ſunt omnia prædicata, quæ ſubſtantialiter & per ſe prædicantur de ſpecie, proprietates ſpecierum ſubalternarum, eodem modo procedunt, pręter quā quòd non habent accidentia propria: nā hæc ſunt ſpecierum ſpecialiſſimarum proprietates, & proprietates generum generaliſſimorū ſunt prædicari de pluribus, vel de omnibus ſub ſe poſitis, & nullum ſuper ſe habere genus, proprietates indiuiduorum ſunt ſuperius traditæ.

Tertio dubitatur, cur dixit Porphyrius, quòd ſpecies dicitur totum non alterius, ſed in alijs: at genus dicitur totum alterius.

Reſpondet Ammonius, quòd ſi ſpecies ad indiuidua refertur, eſt totum, ſi ad genus eſt pars.

Boetius verò dicit, quòd ſpecies eſt pars, & totum, cum eſt pars ad ſingularitatē refertur, cum autem ſpecies eſt totū, refertur ad pluralitatem, & tunc dicit non eſt totum alterius, ſed in alijs.

Itaque reſolutio eſt, quòd ſpecies dicitur eſſe pars vnius, quia habet vnū genus. Dicitur autē totū in alijs, quia plurimū indiuiduorum eſt pars, & ſic in plurali, & in ſingulare diuerſa loquitur.

Sed dicas, genus eſt pars definitionis, ergo nō eſt totum. Dicitur, quòd genus eſt pars definitionis, eſt autem totum, vt continet ſua inferiora, de quibus prædicatur.

Quarto dubitatur, quia videtur indiuiduum eſſe totum; nam indiuiduum habet partes eſſentiales, ſcilicet materiam, & formam, habet partes integrales, vt caput, manus, habet partes quātitatiuas, vt longitudinem, latitudinem, & profunditatē, habet partes ſimilares, vt carnem, oſſa, & neruos; habet etiam elemēta; ergo eſt totū.

Reſponſio eſt facilis, quòd indiuiduum eſt totum, ſi capiatur indiuiduū quoad exiſtentiā, ſiue ſecundū eſſe reale, quia vt res quædā Cicero eſt, totū eſt quoddam: ſi verò conſideretur, vt nulla habet prędicationem de multis, ideſt vt de nullis inferioribus prædicatur, ſic non eſt totum, ſed pars contenta ſub genere, & ſpecie.

Super Capite de Specie pro Iuris Studioſis.

TRia ſunt, quæ potiſſimum declarantur in Cap. de Specie.

Primum, Quid ſit genus generaliſſimum.

Quid ſpecies ſpecialiſſima.

Quid genus ſubalternum.

Quid ſpecies ſubalterna.

Quid indiuiduum.

Secũdum, Quæ ſit vera, & naturalis prædicatio: quæ verò impropria, & ſecundum accidens.

Tertium, Quod genus, quoddam totum eſt, ſpecies vero ad id comparata, eſt quædam pars.

Quo ad primum genus generaliſſimum, dictũ fuit, eſſe illud, quod cum ſit genus non poteſt eſſe ſpecies, vel eſſe illud, ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus.

Species ſpecialiſſima eſt illa, quæ cum ſit ſpecies, non poteſt eſſe genus, definita, quòd ſit illud, quod prædicatur de pluribus differentibus numero.

Genus ſubalternum eſt illud, quod cum ſit genus, poteſt eſſe ſpecies.

Species ſubalterna ea eſt, quæ ſub genere ponitur.

A Indiuiduum eſt illud, quod conſtat ex proprietatibus quibuſdam, quorum collectio nunquam in alio eadem eſſe poſſunt, quod ſic dictum eſt; vt notaui ex Ammonio, quia non poteſt in partes ſimiles, vel diſſimiles diuidi.

Quo ad ſecundum, ea dicitur prædicatio naturalis, in qua ſuperiora de inferioribus prædicantur; ea verò dicitur ſecundum accidens, in qua extra naturalem ordinem prædicatur aliquod de vno ſibi inhærente.

Exemplũ primæ eſt, vti quãdo genera de ſpe-
B ciebus, vel ſpecies de indiuiduis prædicantur.

Exemplum ſecundæ eſt, veluti quando indiuidua de vno ſibi inhærente prædicari dicũtur.

Quo ad tertium, genus dicitur totum, prout continet plura ſub ſe, vtputa animal prout continet hominem, bouem, de quibus prædicatur; ſpecies dicitur pars, prout eſt pars contenta a ſuperiori, nempe homo, prout ſub animali reponitur.

Pro quorum omnium intelligentia ad vſum Iuris ſtudioſi, ſumendum de corpore iuris, vt pu-
C ta ex Inſt. tit. de iu. nat. gen. & ciu. arbor prædicamentalis, quæ ſit ſimilis, illi traditæ a Porphyrio hoc in loco, verbi gratia, accipiatur iuſtitia, ſub qua ius humanum, ſub iure humano, ius Romanorum, ſub iure Romanorum, lex, ſub lege, lex Conſtantina, lex Gratiana, quæ arbor poteſt ſic deſignari.

Iuſtitia

Humana — Diuina

Ius humanum

Ciuile — Gentium naturale

Ius Romanorum

Scriptum — Non ſcriptum

Lex

Lex Iuriſconſulti — Conſtantina — Gratiana

Ex arbore deſcripta facile erit in ea omnia ſupra declarata ad vſum Iuris ſtudioſi adinuenire.

Iuſtitia dicitur genus eſſe generaliſſimum, quia non habet ſuperius genus, & eſt ita genus, quod non poteſt eſſe ſpecies, quæ Iuſtitiæ conueniunt. Eo quoniam eminens eſt, & ſuprema in Arbore, ſupra quam nullum aliud eſt poſitum genus, & proinde cum non habeat quid ſuperius, ſub quo tanquam ſub genere reponatur, dicitur ita eſſe genus, quod ſpecies eſſe non poteſt, nempe generaliſſimum genus.

Lex in arbore eſt ſpecies ſpecialiſſima, eo quoniam ita eſt ſpecies, vt genus eſſe non poſſit, cum non habeat ſub ſe alias ſpecies inferiores, ſed tantum indiuidua: tum etiam quia de plu-
D ribus differentibus numero prædicatur, vt de Conſtantina, & Gratiana lege.

Intermedia ſunt genera ſubalterna, & ſpecies ſubalternę ad aliud, & ad aliud ſumpta, hoc eſt ſecundum diuerſos reſpectus.

Exempli gratia, ius humanum comparatum ad iuſtitiam eſt ſpecies, quia ſub ea, vt ſub ſuperiori reponitur genere. Comparatum verò ad ius Romanorum, eſt genus, quia de ipſo, vti de inferiori prædicatur. Pariter ius Romanorum comparatum ad ius humanum, eſt ſpecies ratio-
E ne iam dicta. At reſpectu legis, genus eſt, quia de ipſa tanquam de inferiori prædicatur.

Lex Iuriſconſulti, vt verbi gratia, lex Conſtantina, lex Gratiana, in lib. 1. C. de ſacroſanct. eccl. dicitur indiuiduum, quia quælibet harum

habet

habet ſua propria accidentia, quæ eadem alteri non poſſunt ineſſe; vt quod lex Conſtantina fuerit promulgata a Conſtantino, lex Gratiana a Gratiano; lex Conſtantina continet libertatem teſtãdi, lex Gratiana materiam ſedis corporum martyrum; lex Conſtantina fuit Romæ promulgata, lex Gratiana Heracleæ, Conſtantina Nonis Iulij, Criſpo, & Conſtantino Coſſ. Gratiana verò Quarto Kal. Auguſti, Eucherio, & Siagrio Coſſ. vtraque ex eis habet ſua propria accidentia, quæ eadem non poſſunt alteri conuenire.

Ex eadem arbore redditur manifeſtum, quæ ſit vera, & naturalis prædicatio, quęue ſit impropria, & ſecundum accidens.

Quando ſuperiora de inferioribus prædicantur, genera ſcilicet de ſpeciebus, ſpecies de indiuiduis, erit prædicatio naturalis, vt puta quando Iuſtitia prædicatur de iure humano, ius humanum de iure Romanorum, ius Romanorum de lege, lex de Conſtantina, & Gratiana.

Ex quo ſimiliter redditur nota regula Anteprædicamentalis, videlicet quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto. Siquidem Iuſtitia prædicatur de iure humano, & prædicatur de iure Romanorum, iuri humano ſubiecto & inferiori.

Prædicatio verò impropria, & ſecundum accidens eſt, quando indiuidua de vno ſolo prędicantur, hoc eſt de aliquo ſibi inhærente, non inferiori, vt cum dico, hæc deciſio quæ continet libertatem teſtandi, eſt lex Conſtantina, hęc quę continet deciſionem Sedis Apoſtolorum, & Martyrum, eſt lex Gratiana.

Ex quibus tertium reſultat quoque clarum, quomodo videlicet genus ſit quoddam totum, ſpecies verò pars eius, cum ius humanum contineat ius Romanorum, tanquam pars; ius verò Romanorum ſub eo, vti ſub toto contineatur.

Et hunc in modum habemus coniunctim in vnica arbore, quæ præcipuè docentur a Porphyrio in cap. de Specie, ad commodum, & vſum Iuriſperitorum: quæ omnia etiam diuiſim in locis diuerſis reponũtur, & de omnibus ſeparatim valemus in corpore iuris exempla accommodata adinuenire.

Ius per ſe conſideratum, dum accipitur pro cognitione æqui, & boni, genus generaliſſimum dici poteſt. l. 1. ff. de iuſt. & iure.

Donatio, prout comprehendit omnem donationem eſt genus ſubalternum. l. don. ff. de verbor. ſign.

Prout verò accipitur pro donatione cauſà mortis, vel pro donatione inter viuos, ſpecies. Inſt. de don. in princ.

Publicum pactum, prout ſub cõuentione continetur, & prædicatur de conuentione Regis Hiſpaniæ, de conuentione Regis Gallorum, de conuentione Venetorum, ſpecies eſt ſpecialiſſima. l. conuentionum. ff. de pactis.

Indiuidua appellat Iuriſconſultus ea, cuius effectus diuidi nequit, veluti ſunt ſeruitutes. l. ſtipulationes non diuiduntur. ff. de verb. oblig.

A De genere vt quoddam eſt totum, de ſpecie vt eſt quædam eius pars, clarum exemplum habetur in tit. Inſt. de iu. nat. gen. & ciu. §. plebiſcitum.

Remanet diſcutiẽda quædam difficultas, quę oriri videtur ex iam dictis, præcipuè ex eo, quod dictum eſt, videlicet quòd ſpecies ſub genere reponitur.

Videtur enim contrariam regulam hic in iure, nempe in cap. generi, de reg. iur. in 6. quo loci aperte dicitur, quod generi per ſpeciem dero- B gatur: ergo videtur ſpeciem non contineri ſub genere.

Hæc difficultas nulla eſt contra ea, quæ diximus; ſiquidem aliud eſt, minus ſub maiori contineri, inferius ſub ſuperiori, vt ſpecies ſub genere. Aliud verò eſt dicere, quòd generi per ſpeciem derogetur, vt loco citato. Vbi nil aliud habetur ibidem niſi quod particulare mandatum ſuperat generale: vt puta, quòd ſi quis habuerit iuriſdictionem ordinariam, & alicui fuerit ſpecialiter delegata, ſeu commiſſa a ſuperiori cauſa C quædam, ordinarius iudex eam minime cognoſcere poterit. Nos vero dicimus, minus ſub maiori reponi, pars ſub toto, inferius ſub ſuperiori, quod non ſolum non eſt contrarium diſpoſitioni iuris, verùm concordat cum regula tradita a Paulo Iuriſconſulto in l. in eo quod plus. ff. de reg. iur. quo loci habet, quòd in eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus; & clariſſimè ſpeciem ſub genere contineri. in l. hoc legatum. ff. de leg. & fideicom. tertio conſtare dicimus: eo enim in loco Vulpianus tradit, vxoris cauſà paratum, ge- D nerale eſſe; & propterea continere veſtem, aurum, argentum, ornamenta, cæteraque, quæ vxoris gratia parantur.

Et hæc de Specie dicta ſufficiant, quæ ſatis erunt ad hoc vt valeamus cognoſcere differentias ſpecierum quas non noſſe Vulpianus ſtultum homini eſſe ducit, l. 4. ff. de leg. 3.

De Differentia. Caput Quartum.

E INtentio Porphyrij hic eſt agere de tertio prædicabili, ſcilicet de differentia. Cauſa intentionis eſt, quoniam id pollicitus fuerat ſupra in Proęmio. Cõtinuatio huius capitis cum præcedenti eſt, quod cum egerit de genere, & ſpecie, quæ ſunt ſubſtantialia, & ex rei natura ſumpta; antequam aggrediatur prędicata accidentalia, quæ non explicant naturã, eſſentiam, & quiditatem rei; tertium hoc prædi- F cabile proſequitur, & ſic patet cauſa continuationis, & etiam ordinis.

Verùm pro clariori intelligentia, antequam ad textum accedam, dubito de ordine iſto, quia ſcilicet tertio loco de differentia pertractet.

Primo, videtur male feciſſe, quia in Proęmio præpoſuit differentiam ſpeciei; ergo male prius

de

de ſpecie, quàm de differentia pertractauit.

Secundo, differentia eſt communior ſpecie; ergo ſpeciem præcedit. Probo conſequentiam, quoniam vt ſupra dictum eſt in cap. de Genere, communiora ordine naturæ præcedunt minus cōmunia, teſte Ariſtotele 1. Poſter. tex. com. 12. Antecedens probatur, quoniam vt videbitur in definitione differentiæ, differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie; ergo eſt communior ſpecie. Hoc patet, quoniam ſic genus dicitur communius ſpecie, eo quoniam de pluribus differentibus ſpecie prædicatur, ita & differentia erit communior ſpecie, cum & ipſa de pluribus differentibus ſpecie prędicetur.

Tertio, differentia eſt cauſa ſpeciei; ergo pręcedit ſpeciem. Conſequentia probatur, quia ſicut ſecundum naturam cauſa præcedit effectũ, ita ſecundum doctrinam, vnde 1. Phyſ. 1. dicit Ariſt. quod cauſæ prius ſunt cognoſcendæ; ergo & prius tractandæ. Antecedens probatur, quoniam ſpecies conſtat ex genero, & differentia, imò ſpecies nil aliud eſt, niſi genus & differentia ſimul.

Quarto, proprium eſt notius differentia; ergo prius tractandum. Conſequentia patet per Ariſtotelem 1. Phyſ. contex. 2. vbi dixit, quod a notioribus nobis eſt inchoandum. Antecedens probatur, quoniam cum aliquod definimus, & eius differentiam ignoramus, vtimur proprio, loco iſtarum differentiarum; ergo proprium eſt notius nobis differentia. Confirmatur, 1. de Anima dicit Ariſtoteles, quòd accidẽtia maximam partem conferunt ad cognoſcendum ſpeciem, quod maxime de accidentibus proprijs intelligitur; ergo.

Quinto arguitur de accidente dupliciter. Primo, Accidens eſt notius differentia; ergo differentiæ præponendum eſt. Secundo, Accidens eſt genus, puta color, qui de albedine, & nigredine ſpecie differentibus prędicatur, ergo videtur quòd accidens differentiæ præponendum ſit, cum genus præcedat differentiam.

Sexto, arguit Boetius in principio capitis de Specie, genus ſpeciei præponitur, quia ſua magnitudine ſpeciem continet, & etiam cætera prædicabilia: at differentia continet & ipſa ſpeciem; ergo in Tractatu differentia ſpecies præponenda eſt.

Septimo, arguit idem Boetius, differentia informat ſpeciem, ſed prius eſt id, quod informat, quam id, quòd informatur; ergo, In oppoſitum eſt proceſſus Porphyrij, vt patet.

Et pro ſolutione dico, quòd Ammonius ad hoc dubium vult eſſe ſupra reſponſum ab eo, ſimiliter & Boetius, vbi ſcilicet de ordine ſpeciei factus eſt ſermo.

Vnde dico, quòd prius erat agendum de differentia, quàm de ſpecie, ob id, vel quia præpoſuit in Procœmio differentiam ſpeciei, vel quia eſt cauſa ſpeciei, vel quia eſt communior ſpecie, ſecundum huiuſmodi ordinem differentia ſpeciem præcedit. At ſi conſide-

A retur, quòd de ſpecie facta eſt mentio in definitione generis, ne diu nos teneret ſuſpenſos, ideo ſtatim agitur de ſpecie, quia etiam de ſpecie & genere plura habebat tradi, ſcilicet de ſpecie ſpecialiſſima, de genere generaliſſimo, de ſpecie & genere ſubalternis, quod genus eſſet totum, & non pars, ſpecies totum & pars, vt compleuit ſermonem de genere, ſtatim egit de ſpecie, quia eſt correlatiua generis: egit etiam hac de cauſa, quia ponitur in definitione generis, cum ipſius ſit correlatiua, ſed
B non tantum refertur ſpecies ad genus, ſed etiam ad differentiam, vt patet ex definitione differentiæ infra poſita. Quia igitur differentia continentior, & communior eſt ſpecie, & cauſa ſpeciei, ideo præcedit ſpeciem, ſed alius ordo hunc impediuit.

Dicamus ergo cum Excellentiſſimo meo in Logica Præceptore obſeruandiſſimo, Domino Bernardino Petrella, quòd ordo, qui ſeruatur in tradenda cognitione rerum duplex eſt, vel naturæ, vel quo ad nos.

C Si primo modo loquamur, præcedunt ipſæ cauſæ principia, & elementa, & hoc modo differentia præcedit ſpeciem, & hunc ordinem Porphyrius ſeruauit in Procœmio.

Ordine verò quo ad nos, ſpecies præcedit differentiam, quoniam cum ſpecies relatiuum ſit ad genus, & relatiua ſimul ſint, ac ſimul cognoſcantur, ex prædicamento ad aliquid, & ſecundo diuinorum, vbi dictum eſt, quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci. Hinc concludimus rectè ſpeciem hac de cauſa fuiſſe differen-
D tiæ præpoſitam.

Hæc ordinis diſtinctio colligitur ex Ammonio in cap. de Specie in principio, & ab eodem, & Simplicio in Anteprædicamentis ſuper illis verbis, *Eorum quæ dicuntur*, differentia etiam definitur per ſpeciem; ideo ſtatim de differentia agitur, cum prius de ſpecie egerit Porphyrius, quia quæ ponuntur in definitione, debent cognoſci: ideo prius erat agendum de ſpecie. Ex his patet ſolutio ad primum, ſecundum, & tertium argumentum, quòd ſecundum vnum ordi-
E nem ſpecies pręcedit differentiam, puta ordine doctrinæ, & quo ad nos; ſecundum verò alium ordinem ſcilicet naturæ differentia præcedit.

Ad quartum reſpondetur negãdo, quòd ſemper proprium ſit notius differentia, & ad auctoritatem Ariſt. 1. Phyſ. dicitur, quòd per notiora nobis intellexit compoſita ſingularia, a quibus vt a nobis notioribus ad cauſas eſſentiales procedimus. At proprium non eſt huiuſmodi, nec tali pacto nobis notius, quinimò, vt eſt prædicabile accidentale, & differentia ſubſtantiale prę-
F dicabile, ab ipſa præceditur quolibet ordine, cum ex Ariſt. 7. Diuinorum cap. 1. clare habeatur, quòd ſubſtantia præcedit accidens tempore, natura, & cognitione, vt ibi eſt videre.

Ad quintum dico, quòd accidens dupliciter conſideratur, vel vt prædicatur de pluribus ſpeciebus, & ſic eſt genus, & reducitur ad primum præ-

prædicabile; verùm licet ſub primo prædicabili A
reponatur, & ad illud reducatur: differt tamen a genere, quod quidem in quid prædicatur; accidens verò in quale accidentale, ſecùndo modo cōſideratur vt prædicatur de ſuo ſubiecto, a quo dicitur adeſſe, & abeſſe, & ſic eſt quintum prædicabile, prima accidentis propoſiti conſideratio præcedit ſecundam, ſecundo vero modo eſt accidens quintum prædicabile.

Ad duo argumēta Boetij reſpondetur, vt ad tria priora, quod verum eſt, quod differentia de-
bebat præcedere ſpeciem quo ad ordinem na- B
turæ, ſed hunc ordinem doctrinæ ordo impediuit.

Diuiditur autem hoc caput in duas principales partes. In prima diuidit nomen differentię, ſecundo aſſumit differentiam, de qua ſermo eſt apud Logicos, & eam deſcribit. Dicit igitur

Differentia verò & communiter & propriè, & proprijsſime dicitur.

Hæc eſt prima pars, in qua hic primo dicit,
quòd nomen differentię tripliciter accipi ſolet, C
communiter, proprie, & proprijſſime, & ſic triplex erit differentia, communiter dicta, vel ſecundum Auerroem de tribus intentionibus.

Nam communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate differt quocumque modo, vel a ſe ipſo, vel ab alio; differt enim
Socrates a Platone, alteritate, & ip- D
ſe a ſe ipſo, & puero exiſtente, & viro facto, & faciente aliquid, vel quieſcente, & ſemper in aliquo modo habendi ſe alteritatibus ſpectatur.

Hic explicat membra diuiſionis datæ, & primum membrum, tale eſſe dicitur, quod illa communiter differre dicuntur, quę differunt per aliquod accidens ſeparabile, quod accidens dici-
tur cōmune, quia communiter pluribus, vel om E
nibus ineſt, vel pōt ineſſe, ſeparatur tamen, quia nō ſemper ineſt, ſed modo ſic, modo non, & per hoc accidens commune ſeparabile, aliquid differt ab alio, vel a ſe ipſo, quomodocumque dicas, illud tale dicitur differre communiter. Dat exemplum, nam Socrates differt a ſeipſo, accidente communi, & alterabili, commutabili, & ſeparabili, puta Socrates vir differt a ſe ipſo, cū prius exiſteret puer: pueritia autem & virilitas, & ſenectus ſunt accidentia, quæ communiter
inſunt pluribus, & ferè omnibus animalibus, & F
ſeparatur; nam Socrates prius erat puer, deinde factus eſt vir, & Socrates ſedens differt a ſe ipſo quieſcente. Accidentia hęc ſunt communia, & ſeparabilia, eiſdem etiam accidentibus Socrates dicitur differre ab alio, puta a Platone, ſi Socrates ſtet, Plato verò ſedeat, ſi Socrates ſit ſenex, Plato verò puer, vel iuuenis, *quocumque modo*. Senſus eſt, quòd differentia communis ſemper habetur in ijs accidentibus, quę commutantur, ac ſeparantur a ſubiectis, in quibus rei modus conſiſtit, id eſt quæ commutationes ſunt ex accidentibus, & ex accidentibus proueniunt. Illas autem commutationes, & modum rei vocat Porphyrius, *alteritates*, id eſt commutationes, quæ ſunt in accidentibus ſeparabilibus, vel quę ſunt per accidentia ſeparabilia, vel vocat alteritates, vel diuerſitates, quę inſunt ex accidētibus mutabilibus, ſeparabilibus, & cōmunibus.

Ex his colligitur, quòd differentia communiter dicta eſt diuerſitas, & varietas, ac commutatio duorum aliter ſe habētium, ſicut eiuſdem a ſe ipſo, ex aliquo accidenti communi, ſeparabili, & permutabili, quod in vno reperitur, vel in ſe ipſo pro aliquo tempore, & non in alio, & hęc diuerſitas, ſiue alteritas, ac differentia commutari, ac ſeparari poteſt, quia oritur ex accidēte ſeparabili, nec ſemper in ſubiecto permanente. Et ideo hęc differentia vocatur a Porphyrio ſeparabilis.

Hic notandum eſt, quòd differentia dicitur communis, quia (ait Ammonius) non alicui præcipue, ſed omnibus communiter ineſt, ſeparabilis, fortuitaque differentia eſt, nec ſubſtantialis dicitur, quia oritur ex accidēte communi, quod ferè in omnibus eſt, & ſeparabile eſt, ac permutabile, quod quidem rei eſſentiam minime indicat, ſed qualitatem, ſiue rei modum, & eſſe accidentale.

Boetius dicit, quòd eſſe puer, eſſe ſenex, eſt accidens ſeparabile; nam ex pueritia ad adoleſcentiam, atque hinc ad ſenectutem ab hac deinceps ad decrepitam vſque ętatem naturę ipſius neceſſitate progredimur.

Sed quis quęret, an vniuſcuiuſque forma vllo modo ſeparari queat, vt faciat differētiam communiter dictam, reſpōdet Boetius, quòd ea quoque ſeparabilis eſt forma. Nullus enim diuturna, ac ſtabili forma perdurat. Idcirco nec peregrinus pater relictum domi puerum adoleſcentem, ſi rediens viderit, poteſt agnoſcere: forma enim ſemper qua ante fuerat, permutatur; alteritas, qua diſtamus ab altero, ſemper diuerſa eſt: communis ergo differentia ſeparabilibus accidentibus, ſemper applicatur ex Boetio.

Ego verò dico, quòd forma corporis eſt duplex; altera propria, & indiuidualis alia ſpecifica, quę totam ſpeciem inſequitur, vt diſpoſitio corporis humani, prima mutatur, ſecunda nequaquam.

Proprie autem differre alterum ab altero dicitur, quando inſeparabili accidente, alterum ab altero differt; inſeparabile vero accidens eſt, vt cæcitas oculorum, aut naſi curuitas, aut cicatrix cum ex vulnere occalluerit.

Hic

Hic declarat ſecundum membrum, quo capitur differentia, ſcilicet quid ſit differentia propriè dicta; & dicit, quòd illa dicuntur differre propriè, quæcumque diuerſa ſunt ob aliquod accidēs inſeparabile, quod eſt in vno, quod non in alio, vt ſi quis haberet oculos cœſios, vel cœruleos, vel naſum ſimum, vel cicatricem, quę ex vulnere occalluerit, ſiue callum obduxerit, ſiue calloſa facta fuerit. Hæc enim ſunt accidentia inſeparabilia, vt cœcitas oculorum, naſi curuitas, & cicatrix calloſa; quibus quidam differt ab alio, in quo non reperiuntur. A B

Differentia ergo propriè dicta, eſt illa diuerſitas, vel alteritas, quæ reperitur inter aliqua orta ob aliquod accidens inſeparabile, quod in vno reperitur, & non in alio.

Vnde ſciendum, quòd ſimi ſunt, qui preſſi ſunt naribus, & caui, aquilini, qui adunco ſunt naſo, & ab auribus, oculis in ſupercilijs, & alijs membris ſumuntur huiuſmodi accidentales inſeparabiles differentiæ, ab auribus flacidi, qui aures flacidas, ac pendulas habēt, ab oculis cęſi, qui cœruleis ſunt oculis, a ſupercilijs cilones, qui ſupercilia longius habent præeminentia. C

Præterea notandum eſt, quòd accidens inſeparabile eſt duplex, vel intrinſecum, & per naturam veniens, vt cœcitas oculorum, vel extrinſecum, vt cicatrix ex vulnere facta. De vtroque accidente dedit exemplum Porphyrius, & ab vtroque oritur differentia propriè dicta.

Et per accidens extrinſecus aduentiens capit Boetius illud accidens, quod nō a natura venit, quod idem, inquit Boetius, eſt dicendum in differentia communiter dicta, quòd accidens ſeparabile eſt duplex, vel intrinſecus, & per naturam aduentiens, vt pueritia, & ſenectus, vel extrinſecus aduentiens, vt ambulare, ſtare, ſedere, &c. Id enim non natura, ſed ſola affert voluntas: natura enim dat tantum poſſe, & non facere. Ammonius dicit, quòd differentia, quæ naſcitur ex aliquo accidenti inſeparabili, dicitur propria, quia alicui determinatum eſt ſimum eſſe, curuum naſum habere. D

Præterea notandum, quòd iſtæ duæ differentiæ oriuntur ab accidentibus, quæ non ſunt de ſubſtantia rei. E

Proprijſſime autem differre alterum ab altero dicitur, quando ſpecifica differentia differt, quemadmodum homo ab equo ſpecifica differentia differt, rationalis qualitate.

Hic declarat tertium membrum, quo capitur differentia, quod eſt differentia proprijſſima, & dicit, quòd illa dicuntur differre proprijſſime quādo vnum differt ab altero per differentiam, quæ ſpecifica dicitur, vt homo differt ab equo ſpecifica differentia, quæ eſt rationale, quod rationale eſt qualitas, & ſe habet per modum qualitatis, & determinantis, ſiue ſpecificantis. F

Differentia igitur proprijſſima eſt diuerſitas orta inter aliquo duo, ob rem quandam, quæ ſpecifica appellatur differentia, ſiue qualitas differentialis.

Circa hanc literam ſunt nonnulla notanda.

Primum, quòd hæc differentia non ſumitur ab accidente, ſed ab his, quæ rei ſubſtantiam complent, & ſunt eſſentialia, imò maxime quidditatiua, vt ab anima hominis intellectiua ſumitur rationale, per quod homo eſsētialiter differt ab equo, & hæc differentia eſt quid poſitiuum; quia ſumitur a potiori parte ſpeciei quidditatiua, & vna cū genere eſt ſpeciei conſtitutiua. Aliqua differentia principaliter vna ſpecies eſſentialiter diſtinguitur, & differt ab alia; & de hac differentia ſermo eſt in Logica, quia logica definit, diuidit; diuiſio namque fit per differentiam ſpecificam. Similiter definitio fit ex genere, & differentia ſpecifica.

Caietanus notat, quòd nos tripliciter res ipſas cognoſcimus, vel per accidentia ſeparabilia, vel per inſeparabilia, vel per pręducata maxime intima.

Præterea notandum, quòd ſicut diuiſio generis & ſpeciei fuit diuiſio vocis analogæ, ita diuiſio hæc eſt analogi, quoniam hoc nomen differentiæ per prius dicitur de maxime propria, quam de propria, & cōmuni; & etiam per prius de propria, quam de communi.

Communiter ſolet dubitari contra hanc diuiſionem, quoniam omnis diuiſio debet dari per oppoſita, ſed hæc non datur per oppoſita; ergo non eſt bona. Minor probatur, quum vnum membrum iſtius diuiſionis ſequitur ad aliud; ſequitur enim, illa differunt propriè; ergo differunt communiter.

Reſpondit Tataretus, quòd membra huius diuiſionis debent accipi cum præciſione, quia ipſa ſine præciſione ſumpta non ſunt oppoſita, ſed vnum ſequitur ad aliud.

Secundo dubitari ſolet, quia omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris, ſed hæc eſt trimembris; ergo reſpondetur, quod omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris, vel reducibilis ad bimembrem. Hæc autem eſt reducibilis ad bimembrem hoc modo.

Omnis differētia, vel propria, vel communis, propria vel magis propria, vel maxime propria; vel ſic omnis differentia, vel communis, vel nō, non communis, vel propria, vel proprijſſima.

Tertio, ſi differentia diuiditur, ergo habet differētias. Conſequentia patet, quia omnis diuiſio fit per differentias, falſitas eſt manifeſta, quia ſic in infinitum pręcederemus. Reſpondetur, quòd diuiſio eſt duplex, alia eſt generis in ſpecies per differentias, alia eſt vocis in ſignificationes. Prima requirit differentias, ſecunda non; vel dicitur, quòd hæc diuiſio eſt diuiſio per differentias non veras, ſcilicet ſpecificas, ſed per modos.

Quarto dubitatur contra illud dictum Porphyrij cum dicit, quòd Socrates ſenex differt a ſe ipſo puero, quoniā nihil differt a ſe ipſo, imò

nulla

nulla eſt verior prædicatio, quam eiuſdem de ſe ipſo, vt dicit Boetius.

Reſpondetur, quod Socratem ſenem, & puerum eſſe idem, contingit dupliciter, vel ſecundum ſubſtantiam, & ſic eſt idem numero cum ſe ipſo, vel ſecundum accidens, puta ſenectam, & pueritiam, & ſic non eſt idem, ſecundum tale accidens; notandum tamen, quòd hæc comparatio Socratis ad ſe ipſum ſenem, & puerum eſt per intellectum, qui vtitur vno Socrate pro duobus extremis, & hoc fit ab intellectu: differentia enim, qua aliquid a ſe ipſo differt, habitum quendam conſtituit, qui non realis eſt, ſed rationis, quandoquidem cum Cicero differt a ſe ipſo vt puer, & vt ſenex, habitudo iſta, ſiue hæc comparatio a ratione proficiſcitur: non enim ſimul & ſemel ex natura rei, eſt puer, & ſenex. Sequitur textus.

Vniuerſaliter ergo omnis differentia addita alicui alteratum facit, ſed eæ quidem quæ & communiter, & propriè ſunt, alteratum faciunt, quæ verò proprijſſime, aliud.

Hic Porphyrius magis declarat tres prædictas differentias, ſecundum proprietates, & conditiones, quas habent, & dicit, quòd vniuerſaliter omnis differentia addita alicui, ſiue adiuncta alteratum facit, ſiue diſſimile, ac diuerſum facit; differentia autem proprijſſima facit, & aliud.

Vnde hic notandum eſt, quòd alteratum, alterum diſſimile, diuerſum, dupliciter capitur, vel communiter, & tũc ſignificat diuerſitatem, quæ duplex eſt, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum accidens, ſecundo modo capitur proprie, & ſic ſignificat diuerſitatem, ſecundum aliquod accidens.

Similiter aliud capitur vel communiter, & ſic comprehendit diuerſum, ſecundũ accidens, & ſecundum ſubſtabtiã vel proprie, & ſic eſt diuerſum ſecũdum ſubſtantiam, alterum ergo ſecundum accidentia dicitur; ſecundum ſubſtantiam verò dicitur aliud: differentia ergo omnis facit alteratum, capiendo alteratum communiter; differentia verò proprijſſima facit aliud.

Quę quidem igitur aliud faciunt, ſpecificæ vocantur; illæ verò quæ alteratum, ſimpliciter differentiæ, animali enim adueniens rationalis differentia, aliud facit; eius autem quod eſt moueri alteratum ſolum a quieſcente facit: quare illa quidem aliud, hæc verò alteratum ſolum fecit: ſecundum igitur aliud facientes differentias diuiſiones generum fiunt in ſpecies, & definitiones aſſignantur, quæ ſunt ex genere, & huiuſmodi differentijs; ſecundum autem eas, quæ ſolum alteratum faciunt, alteritates ſolum conſiſtunt, & aliquo modo ſe habentis permutationes.

Hic Porphyrius imponit nomen differẽtijs, quæ faciunt aliud, & dicit, quòd vocantur differentiæ ſpecificæ, & principalius ſpeciem conſtituentes. Illæ verò, quæ alteratum faciunt, ſcilicet differentia communis, & propria ſimpliciter, & abſolutè dicuntur differentiæ, nec aliud nomen eſt illis huculque impoſitum; licet ergo, *ſimpliciter*, exponitur, ideſt abſolutè: ***animali verò adueniens rationalis differentia facit aliud***, vnà cum genere componit aliud ſecundum ſubſtantiam, ideſt facit vnam ſpeciem, puta humanam, quæ alia eſt ab alia ſpecie, puta equina, ſeu aſinina: nam differentia ſpecifica intelligitur ſumpta a ſubſtantia rei; ergo adueniens generi vt forma materiæ, vt actus potentiæ, conſtituit, & complet principalius vnum aliud ſecundum rem, & ſecundum ſubſtantiam, moueri vero, quod eſt accidens poſitiuum, facit alterum eſſe Socratem, cui aduenit, ideſt facit eum alterum ab alio cui ineſt quies. Aliud exemplum de propria differentia tacuit breuitatis cauſa; ſed addere poſſumus natura habens oculos cœſios, alter eſt a non habente: quare hæ faciunt alterum, illæ vero aliud. Sequitur poſtea oſtendere vſum harum trium differentiarum in Logica; nam inter alias Logicæ operationes hæ duæ ſunt, ſcilicet definire, & diuidere; tũc dicit Porphyrius, quòd ad diuidenda genera in ſpecies vtamur ſpecificis differentijs, & ad definiendum: nam definitio conſtat ex genere, & differentijs ſpecificis, quæ tale genus diuidunt, & vnà cum genere ſpeciem conſtituunt. Secundum verò alias differentias non habemus talem vſum, ſed ſecũdum illas ſolũ cognoſcimus alteritates, diuerſitates, & permutationes, quæ fiunt ſecundum accidentia, quę indicant qualitatem rei, non autem ſubſtantiam.

Hic notandum, quòd tacuit vſum differẽtiarum ſpecificarum ad demonſtrationem; quia ſi differentia ſpecifica confert ad diuiſionem, & definitionem, multo magis ad demonſtrationẽ, cum diuiſio, & definitio demonſtrationi inſeruiant. Vſus verò aliarum differentiarum, ideſt accidentalium eſt, vt faciamus prædicationes accidentales, & deſcriptiones, & diuiſiones accidentales, ſcilicet ſubiecti in accidentia, vel accidentis in ſubiecta, vel accidentis in accidẽtia; hęc tamen tacuit, quia principale intentum fuit de differentijs ſpecificis tractare, & differentiæ, quæ alterum faciunt, mutabiles & fortuitæ dicuntur; quæ vero faciunt aliud, per ſe & ſubſtantiales ſunt.

A ſuperioribus ergo rurſus inchoanti, dicendum, differentiarum

alias

A alias quidem eſſe ſeparabiles, alias vero inſeparabiles: moueri enim, & quieſcere, & ægrum eſſe, & ſanum eſſe, & quæcumq; his proxima ſunt, ſeparabilia ſunt: at verò aquilinum eſſe, vel ſimum, vel rationale, vel irrationale inſeparabilia ſunt.

Hic dat aliam differentię communiter dictę, B diuiſionem, dat exemplum, *vt moueri, quieſcere, ægrum eſſe, & ſanum eſſe, & quæcumque his proxima ſunt,* ideſt cætera huiuſmodi. Hæc inquam differentia, quæ ab accidẽtibus iſtis prouenit, dicitur ſeparabilis, quia cauſatur ex accidentibus ſeparabilibus; moueri enim & quieſcere modo adſunt ſubiecto, modo a ſubiecto abſunt; differẽtia verò inſeparabilis eſt duplex, vel propria, vel proprijſſima: dat exemplum de propria, vt eſſe aquilinum, vel ſimum: dat exemplum de proprijſſima, & ſpecifica differentia, vt rationa- C le. Hæc differentia dicitur inſeparabilis, quia oritur a rebus inſeparabilibus.

Ammonius hic dicit, quod differentia propria, & communis ſeparari poſſunt, quia per intellectum propriam ſeparare poſſumus ab eo, in quo ſita eſt, & Socratem abſque aduncitate intelligere poſſumus. Differentia verò proprijſſima nec cogitatione euelli poteſt, ſi namque per intellectum auferatur rationale, numquam intelligetur homo.

D Inſeparabilium autem aliæ quidem ſunt per ſe, aliæ verò per accidens; nam rationale per ſe ineſt homini, & mortale, & diſciplinę eſſe ſuſceptiuum. At vero aquilinum eſſe, vel ſimum per accidẽs, & non per ſe.

Hic ſubdiuidit inſeparabiles differentias, & dicit, quòd aliæ ſunt per ſe, aliæ verò per accidens. Propria differentia eſt ſecundum acci- E dens, proprijſſima eſt per ſe, vt per ſe ineſt rationale homini, & diſciplinæ ſuſceptiuum, quod ſumitur loco differentiæ: per accidens verò eſt, aquilinum eſſe, & dicit, quòd illa, quæ faciunt differentiam ſpecificam, dicuntur per ſe, quia ſunt de ratione eſſentiali, & de eſſentia rei, & ſic faciunt aliud ſecundum ſubſtantiam. Quæ verò dicuntur propriæ, faciunt alteratum, & nō ſunt de eſſentia, & quiditate, & ratione ſubſtantiali eorum, quibus inſunt; & ſic differentia, quæ dicitur ab illis, dicitur non per ſe, ſed per accidens.

F Quæ quidem igitur per ſe ſunt, non ſuſcipiunt magis & minus: quæ verò per accidens (etſi inſeparabiles ſint) intenſionem accipiunt & remiſſionem. Nam neque genus aut magis & minus prædicatur de eo, cuius fuerit genus, neque generis differentiæ, ſecundum quas diuiditur: ipſæ enim ſunt quæ vniuſcuiuſque rationem complent; eſſe autem vnicuique vnum & idem, neque intenſionem, neque remiſſionem ſuſcipiens eſt: aquilinum autem eſſe, vel ſimum, vel coloratum aliquo modo & intenditur, & remittitur.

Hic affert aliud diſcrimen inter differentias per ſe, & per accidens, & per differentias per accidens, intelligit ſeparabiles, & inſeparabiles, & dicit, quod differentiæ per ſe, ideſt conſtitutiuæ ſpecier, & diuiſiuæ generis, non ſuſcipiunt magis & minus, ideſt intenſionem, & remiſſionem, hoc eſt non magis reperiuntur in vno, & de vno magis quam de alio prædicantur, & hoc probat; nam genus & differentiæ generis diuiſiuæ non prędicantur ſecundum magis & minus de eo, cuius ſunt genera, & differentiæ, ſed æqualiter & æqualiter omnibus inſunt, neq; magis, nec plus inſunt vni, quam alteri, & probat id de differentijs, quia differentiæ ſunt, quæ complent, & conſtituunt rationem, ideſt definitionem cuiuſlibet rei, nam eſſe eorum, ideſt eſſentia, & ratio definitiua in vno quoque eſt vnum & idem, nec ſuſcipit magis & minus; ergo differentiæ non ſuſcipiunt magis & minus, vnus namque homo non dicitur magis rationalis, quam alius: ſimiliter & genus æqualiter ineſt ſpeciebus, vt homo non eſt magis animal quàm bos, nec fœmina eſt minus animal quam elephans.

At differentiæ per accidens, ſumptæ ab accidentibus & ſeparabilibus & inſeparabilibus capiunt intenſionem & remiſſionem. Dat exemplum de differentia propria ab accidente inſeparabili capta: nam aliquis dicitur magis aquilinus quam alius, magis vel minus ſimus quam alius. Exemplum de differentia communi ſit hoc; nam aliquis dicitur magis vel minus coloratus quam alius.

Circa dicta occurrit primo notandum, quòd differentiæ, per ſe ſunt, *quæ complent rationem,* exponas ideſt definitionem, ſiue eſſentiam per definitionem expreſſam; dicit, *complent,* & non dicit, ſunt tota ratio, tota definitio, tota eſſentia, quia ſunt cauſa principalior, & potior pars definitionis, & eſſentiæ rei. Hinc gloſare potes dictum Ariſt. 2. Phyſ. cùm dicit, formã eſſe rationẽ ipſius quo quid erat eſſe, quoniam forma eſt cauſa magis principalis: quare ſumamus ex Porphyrio, & Ariſtotele, quod materia eſt pars quiditatis, quicquid dicant Auerroiſtæ,

Secundo notandum, quod ad eſſe generis eſt, quod æqualiter inſit ſpeciebus, intelligatur vt genus eſt: non enim intelligatur, quòd æqualibus

bus differentijs contrahatur, quia genus diuerſimode contrahitur; ſed oportet, quòd vt genus eſt, vt commune, quòd talis natura communis indifferenter inſit eodem modo communiter, & æqualiter omnibus ſpeciebus.

Tertio notandum, quòd differentiæ ſunt duplices, vel generum, vel ſpecierum ſpecialiſſimarum, hæ æqualiter prædicantur de indiuiduis; illę vero de ſpeciebus, quia intelliguntur eſſe ſimul cum genere, & genus ęqualiter de ſpeciebus prædicatur; nam differentia generica eſt, quæ conſtituit genus, & cum eo conuertitur vt ſenſibile reſpectu animalis, dicitur differentia generica; ſed differentia ſpecifica eſt, quæ conſtituit ſpeciem ſpecialiſſimam, & cum ipſa conuertitur, vt rationale eſt differentia ſpecifica hominis, & conuertitur cum homine; nec ex hoc ſequitur, quòd iſtæ duæ differentiæ faciant duo prædicabilia; ſicut genus & ſpecies, quia ipſis conuénit vna ſpecialis ratio prædicandi, ſcilicet in quale eſſentiale, quia vtraque prædicatur in quale eſſentiale, & ſic non faciũt, niſi vnum prędicabile. Et ſi quis dicat ſicut genus, & ſpecies faciunt duo prędicabilia, eo quod vnum in quid de differentibus ſpecie prædicatur, & alterum in quid de differẽtibus numero; ita prædicari in quale eſſentiale faciunt duo prędicabilia, vnum de differentibus ſpecie in quale; alterum verò de differentibus numero in quale; & ſic differentia generica, & ſpecifica faciunt duo prędicabilia, ſicut genus & ſpecies, reſpondetur, quòd genus & ſpecies non tantum differunt per prædicari de pluribus differentibus ſpecie & numero; ſed per hoc, quod eſt prædicari in quid, quod conuenit ipſis æquiuoce, quia genus prædicatur partem eſſentiæ, ſpecies verò totam, ſed quale eſſentiale non conuenit ſic æquiuocè differentiæ genericæ, & ſpecificæ, quia vtraque prædicatur partem formalem, ideo non eſt ſimile.

Quarto notandum, quòd differentiæ ſpecificæ complent rationem, ideſt definitionem, quæ eſſentiam ſpecierum explicat, & per conſequẽs indiuiduorum, quæ eſſentia, & quiditas eſt vna, & eadem in vnoquoque, ideſt æqualiter, & non per prius & magis de rationalitate reperitur in Socrate, quam in Platone.

Quinto notandum, quòd recipere magis & minus, eſt habere plures vel pauciores gradus, vel ſecundum eſſe potius in vno reperiri quam in alio, & gradus iſti intelligũtur eſſe perfectionales. Exemplum ſit de calore intenſo & remiſſo, & intenſio, & remiſſio maximè in qualitatibus apparet; vnde intenſus calor, & remiſſum frigus, vbi plus de caliditate, & minus de frigore reperitur.

Cum igitur tres ſpecies differentiæ conſiderentur, & eæ quidem ſint ſeparabiles, illæ verò inſeparabiles, & rurſum inſeparabiliũ, hæ quidem ſint per ſe, illę verò per accidens, rur- A ſus earum, quæ per ſe ſunt, differentiarum, aliæ quidem ſunt, ſecundum quas diuidimus genera in ſpecies, aliæ verò ſecundum quas ea, quæ diuiſa ſunt, ſpecificantur, vt cum per ſe differentię omnes huiuſmodi animalis ſint, animatum & ſenſitiuum, rationale, & irrationale, mortale & im- B mortale, animati quidem, & ſenſitiui differentia conſtitutiua, eſt ſubſtantia animalis (eſt enim animal ſubſtantia animata ſenſitiua) mortalis verò & immortalis differentia & rationalis, & irrationalis, diuiſiuæ ſunt animalis differentiæ. Per eas enim ge- C nera in ſpecies diuidimus, ſed eę quidem, quæ diuiſiuæ ſunt differentiæ generum, completiuę ſunt, & conſtitutiuæ ſpecierum; diuiditur enim animal rationali & irrationali differentia, & rurſus mortali & immortali differentia, ſed rationalis, & mortalis differentiæ conſtitutiuæ fiunt D hominis, rationalis verò & immortalis Dei, irrationalis autem & mortalis irrationalium animalium.

Hic vult Porphyrius ſubdiuidere differẽtias per ſe, quod ſcilicet aliæ ſint diuiſiuæ generis, aliæ ſint conſtitutiuæ ſpeciei, & vt hoc faciat, repetit primã, ſecũdã, & tertiã diuiſiones ſuperius traditas, & dicit, quod cum tres ſint ſpecies differentiæ, ideſt communis, propria, & magis pro- E pria; & cum aliæ ſint ſeparabiles, aliæ inſeparabiles, & inſeparabilium, aliæ ſint per ſe, aliæ per accidens, dico nunc quòd differentiæ inſeparabiles, & per ſe ſunt in duplici differentia, videlicet, aliæ ſunt, per quas diuidimus genera in ſpecies, aliæ ſunt ſecũdum quas ea, quæ diuiſa ſunt, ſpecificantur, ideſt genera ſpecificantur, ſcilicet fiunt ſpecies, nam differentia adueniens generi, contrahit genus, & determinat, & ſic vna cum genere ſpeciem vnam conſtituit. Dat exem- F plum, nam differentiæ per ſe animalis ſunt omnes iſtæ, animatum, ſenſitiuum, rationale, irrationale, mortale, & immortale, differentia animati & ſenſitiui, ideſt differentia, quæ dicitur animatum, & ſenſitiuum, conſtituit ſubſtãtiam & eſſentiam animalis, nam animal eſt ſubſtantia animata, ſenſitiua; differentia vero quæ eſt mortale & immortale, rationale & irrationale, ſunt diffe-

A differentiæ animalis diuiſiuæ. Per eas enim genus in ſpecies diuidimus; dicimus enim animal, aliud eſt mortale, aliud immortale, aliud rationale, aliud irrationale, & ſic capiẽdo genus cum una illarum differentiarum diuiſiuarum vnam ſpeciem cõſtituimus, & per eas diuiditur genus in ſpecies. Dicimus namque, aliud eſt homo, aliud angelus: ſed notat Porphyrius, quòd illæ eædem differentiæ, quæ ſunt diuiſiuę generum, ſunt quoque completiuæ ſpecierum, quia complent, non dant totum eſſe, & ſunt conſtitutiuæ
B principaliter ſpecierum, quia ad cõſtitutionem cõcurrit & genus, ſeipſum declarat Porphyrius dicens, nam animal diuiditur per rationale & irrationale, mortale & immortale; ſumas deinde rationale & mortale, conficis hominem, ſimul cum genere, ſcilicet animali; ſumas deinde rationale & mortale, conficis Deum. Deinde ſequitur Porphyrius dicens, quòd animatum & inanimatum diuidunt ſubſtantiam ſupremam, quæ eſt generaliſſimum ſenſitiuum, & non ſenſitiuum diuidũt corpus animatum; nam hic per
C ſupremam ſubſtantiam videtur capere ſubſtantiam corpoream, ideſt corpus, quia ſubſtantia fuit ab eo diuiſa per corporeã, & incorpoream; ideo dixi, quod hæc dicit Porphyrius gratia exempli, ſumas igitur animatum & ſenſitiuum, tu perficis animal, ſi ſumas animatum inſenſitiuum cum additione ſubſtantię, tu perficis plantam, quæ eſt ſubſtantia animata inſenſitiua.

Et nota, quòd Porphyrius differentias brutorum, & plantarum circumſcribit per vocem negatiuam, puta non ſenſitiuum irrationale, quia
D talia propria ſunt nobis ignota; irrationale enim non eſt differentia adæquata bouis, neque aſini, quoniã impoſſibile eſt duas ſpecies habere eandem differentiam adæquatam, ſed differentia bruti; itaque animal diuidit per rationale & irrationale, rationale conſtituit hominem, irrationale verò brutum. Vel dicas, quod rationale non eſt vna differẽtia, ſed ſupplet nobis tot differentias, quot ſunt animalia irrationalia, quibus non ſunt nomina impoſita, cum eorum differentiæ ſint nobis inominatæ, & ignotæ, quas
E poſtea circumloquimur per paſſiones ipſorum.

Quoniam ergo eędem aliquo modo quidem acceptæ fiunt conſtitutiuæ, aliquo modo autem diuiſiuæ, ſpecificæ omnes vocantur, & his maxime opus eſt ad diuiſiones generum, & ad definitiones, ſed non his, quæ
F **ſecundũ accidẽs inſeparabiles ſunt; neque etiam magis ijs, quæ ſunt ſeparabiles.**

Dicit Porphyrius. Quia igitur eædem numero differentiæ ſi ſumantur vno modo, ſunt conſtitutiuæ ſpecierum; ſi alio modo, ſunt diuiſiuæ, omnes iſtę quomodocunque ſumantur, appellantur ſpecificæ differentiæ, pro quanto ſpeciem conſtituunt, & genus diuidunt; & addit, quod his ſpecificis differentijs nos maxime vtimur ad diuiſiones generum, & ad definitiones conficiendas: non autem vtimur ijs differentijs, quæ inſeparabiles ſunt, & per accidens, neque ijs, quæ ab accidentibus ſeparabilibus oriuntur vtimur, puta ad diuiſionem generum, neque ad definitionem, verumtamen ad diuiſiones & prędicationes accidentales.

Notandum, quòd Boetius dicit, quòd ſub rationale Deus, & homo ponũtur, nam ſi rationali mortale ſubieceris, hominem conſtitues, ſi immortale, Deum; Deum verò dico corporeum. Hunc enim mundum veteres Deum vocabant, & Iouem Deum appellare dignati ſunt, Deumque Solem, cæteraq; cæleſtia corpora, quæ animata eſſe, tum Plato, tum plurimi Doctores arbitrati ſunt: & ſic patet, quid per Deum intelligat; rem enim corpoream intelligit. Quare Porphyrius dixit, quòd animal rationale eſt genus hominis & Dei.

Dicunt alij, quòd Porphyrius Stoicos in hoc ſequens, animal rationale genus hominis & Dei poſuit, intelligens nomine Dei, animalia quædam aerea, quę Apuleius deſcribit dicens, ea eſſe mente rationalia, tempore æterna, animo paſſiua. Huiuſmodi autem animalia ponere Peripatetici figmentum putant: & ideo ſecundum præſentem doctrinam animal rationale genus non eſt, ſed exempli gratia ſuſcipitur; nam alio modo Deus non eſt eiuſdem rationis vniuocæ nobiſcum.

Quas etiam determinantes dicũt, differentia eſt, qua abundat, ſpecies à genere. Homo enim plus habet quàm animal rationale & mortale; animal enim nihil horum eſt.

Hæc eſt ſecũda pars principalis huius capitis, in qua intentio Porphyrij eſt definire, vel deſcribere differentias maxime proprias inſeparabiles per ſe, & ſpecificas. Cauſa huius intentionis eſt, quia id volebat a principio facere, ſcilicet has quinque voces deſcribere, quoniam vnumquodque maxime cognoſcitur, cum quid ſit cognoſcitur.

Continuatio patet, cum per regulam Ariſtotelis omne multiplex prius eſt diſtinguendum, quam definiendum. Propterea, cum prius Porphyrius diſtinxerit nomen differentiæ, & deinde illam acceperit, de qua ſermo facturus erat, quæ differentia fuit differentia ſpecifica, & magis propria. Hanc igitur vult hic deſcribere, & hic habetur prima deſcriptio, quoniam plures, vt videbimus, aſſignantur differentiæ ſpecificæ deſcriptiones.

Diuiditur hæc particula, in qua traditur prima deſcriptio in duas partes: in prima deſcribit, in ſecunda dubitat de definitione data, & ſoluit.

Ideo

Ideo dicit, *Quas etiam determinantes*, ſeu deſcri- A bentes Philoſophi differentias ſpecificas dicũt, quòd differẽtia ſpecifica eſt illa, *qua ſpecies abundat a genere*, ideſt qua genus a ſpecie ſuperatur, declarat hanc deſcriptionẽ exemplo. *Homo enim plus habet quàm animal rationale & mortale*: ideſt, homo habet plus quam animal, ſcilicet habet rationale, & mortale, *animal verò nihil horũ habet*, videlicet nihil horũ habet, & ſic ſpecies cũ habeat differentiã ſpecificam, quam nõ habet genus, ſequitur quòd differẽtia ſpecifica ſit illa, in qua habenda, & participanda ſpecies, quia illã participat, & non genus dicitur in hoc ſuperare genus. B

Nã vnde ſpecies haberẽt differentias: neq; verò oẽs oppoſitas haberẽt, quoniã idẽ ſimul habebit oppoſita.

Hæc eſt ſecunda particula, in qua affert quandam dubitationem ortã ex deſcriptione nuper data de differentia: quam dubitationẽ, vt rectè pernoſcatur, animaduertendum eſt, quod dubitatio, & ratio in conſequentiam prędictæ definitionis fabricandæ, innititur duabus propoſitionibus, velut duobus maximis fundamentis. C

Prima propoſitio eſt, duo contraria non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

Secunda eſt, ex nihilo nihil fieri.

Primum fundamentum deſumitur ex Ariſtotele in prædicamentis cap. de Quantitate, & in poſtprædicamentis cap. de oppoſitis.

Secundum fundamentum ponitur ab eodem Philoſopho 1. Phyſ. tex. 34.

His itaque iactis fundamentis arguitur: Dictum eſt in definitione, quòd differentia ſpecifica eſt per quã genus a ſpecie ſuperatur, quia ſpecies habet differentiã ſpecificã, genus verò non. D

Cõtra probatur, quòd genus habeat illas differentias, quoniam niſi haberet differẽtias, ſequeretur, quòd ex nihilo aliquid fieret, quod eſt abſurdum. Probatur conſequentia; ſpecies habet differentias ſpecificas, ſed vnde, & a quo habet illas, non a genere, quia aperte genus non habet illas, non ab alio, quia inter genus, & ſpeciẽ nihil mediat niſi differentia, & differẽtia eſt quæ habet: ergo ſpecies habet differentias a nullo alio, E ergo ex nihilo aduenient differentiæ iſtæ ſpeciebus, & ſi ex differẽtijs fiunt ſpecies, ex nihilo aliquid fiet, ideſt ſpecies, quæ eſt aliquid, fiet ex differentijs, quę vel ſunt nihil, vel a nihilo habẽt ortum, & ex nihilo ſpeciei adueniunt, quod eſt abſurdum, quia in naturalibus entibus cum compoſitum recipit formam; vel recipit ab aliquo, puta ab agente, vel a materia, in cuius gremio in potentia latet illius compoſiti forma.

Quod ſi conceſſeris, quod genus habeat illas F differentias cõtra definitionem, adhuc ſequitur abſurdum, quia eodem tempore oppoſita ſimul erunt in eodem. Opponuntur namq; rationale, & irrationale, mortale, & immortale, nec valet ſi dicas, dicit Boetius, quod ſicut in eodem tempore plura ſunt contraria ſecũdum diuerſas partes talis corporis, puta idem corpus humanum habebit calorẽ in corde, deinde habebit frigus in pedibus, & hoc non inconuenit, ita in genere erũt duo oppoſita ſecundũ diuerſas partes. Hoc dicit Boetius, nõ põt dici, quia genus per ſe cõſideratum non habet partes, niſi ad ſpecies referatur, quę dicũtur partes ſubiectiuæ generis; quicquid igitur habet genus, non partibus, ſed tota ſui magnitudine retinebit; quod ſi dicas, genus in ſuis partibus, ideſt in ſpeciebus, ſimul habet contraria, quia animal in homine habet rationale, in boue irrationale.

Nunc non quæritur de ſpeciebus, ex quibus genus conſtat, ſed quærimus an ipſum genus per ſe cõſideratũ habeat illas differẽtias, quas habet ſpecies, eaſq; intra ſuæ ſubſtãtiæ ambitũ cõtinere poſſit. Hæc eſt qõ hic mota a Porphyrio, quã ſoluit in ſubſequentibus verbis, quando dicit.

Sed quemadmodum cenſent, poteſtate quidẽ habet omnes eorum, quæ ſub ſe ſunt differentias, actu verò nullam, ac ſi neque ex ijs, quę non ſunt, aliquid fit, neque oppoſita circa idem erunt.

In his verbis Porphyrius ſoluit prędictã difficultatem, & dat vnam diſtinctionẽ, quæ talis eſt, quod duo oppoſita eſſe in eodem dupliciter contingit vel actu, vel potentia; ſecũdo Porphyrius dicit, quod aliquid fieri poteſt dupliciter, vel ex ente, vel ex non ente, vel ex actu, vel ex potẽtia, tũnc dicit, quòd duo contraria non poſſunt eſſe ſimul in eodem actu, ſed bene potentia, vt Socrates ſtans, ſedet & non ſedet, non actu ſimul hæc ambo, ſed potentia, actu nõ ſedet, potẽtia ſedet. Similiter ouum eſt animal, & non animal, non ambo ſimul, ſed eſt vnum actu, aliud vero potentia habet: eſt ouum actu, quia adhuc ouum eſt, & non habet viuificationẽ animalis, ſed eſt animal potẽtia, quia poteſt effici animal, cum formam, ac ſpeciem animalis, ac viuificationis acceperit; in vna ergo met re, & eodem tempore duo oppoſita ſimul eſſe non poſſunt, at potentia poſſunt ineſſe, illud namq; dicitur eſſe in potẽtia, & eſſe poteſtate, quod imperfectum eſt, nec deductum eſt ad rem ipſam, commode tamen reducitur ad actum, vt puer potentia Grammaticus eſt, quia poteſt fieri Grammaticus, actu tamen non eſt Grammaticus. Similiter aliquid fieri ex aliquo actu non poteſt, quia iam eſſet antequam fieret, ſed bene ex aliquo in potẽtia poteſt fieri aliquid, vt homo fit ex ſemine, quod quidẽ ſemẽ nõ actu homo eſt, ſed potẽtia, & nõ fit homo ex nihilo in potẽtia, ideſt ex nullo prorſus ſubiecto, qđ prius eſſet in potentia, ſed bene fit ex nihilo actu, quia fit ex ſemine, qđ actu nõ eſt homo ſed potẽtia.

Ad propoſitũ reſpondet Porphyrius, quòd genus poteſtate, & potentia cõtinet, & habet differentias oppoſitas, non autem actu, & ſic differentiæ adueniunt ſpeciei, non ex nihilo in potentia, quia ſunt in potentia in genere, ſed bene ex

nihilo actu, quia adueniũt ſpeciei a genere, quod A ipſas in potentia continet: & ſic patet, quòd ſpecies actu habet differentias, genus verò potẽtia: & ſic non fit aliquid ex nihilo, neque ſequitur quòd duo oppoſita ſint, ſimul in eodem ſubiecto; non enim actu, ſed potentia ſunt, quod non eſt inconueniens.

Alio modo poteſt intelligi, quòd genus in ſe conſideratum habeat differentias conſtituentes ipſum actu, vel potentia, aut cõſideratur genus, quod actu habeat diuidentes differentias, ſicut etiam actu habet ſuas differẽtias ipſum conſti- B tuentes, puta ſicut actu habet ſenſibile, ita actu hoc modo habet differentias oppoſitas, ipſum diuidentes vt rationale, & irrationale, & nihil inconuenit hoc modo duo oppoſita vt diuidentia ſimul ineſſe alicui generi, non autem vt conſtituentia. Si verò conſideratur vt diuiditur per illas differentias, quia diuidere, nihil aliud eſt quam dicere per quod contrahitur, & ſpecificatur genus, vt quale animal ſit, tunc dicatur, quòd ineſſe tale habet vt cõtrahitur per oppoſitas differentias actu. Si verò conſideretur, vt contra- C ctum eſt, & ſecundum ea, in quibus contrahitur; ſic eſt in ſpeciebus, & ſic non habet actu plures differentias oppoſitas. Verùm ſi conſideretur vt in ſpeciebus eſt ſecundum rationem communẽ, potentia habet plures differentias, tunc nõ actu: & aduertas, cum dicitur differentias eſſe actu in ſpecie, nõ intelligitur de vna ſpecie, quæ habeat in ſe plures oppoſitas differentias, ſed vna oppoſita eſt in vna ſpecie, alia verò in alia ſpecie. Prętereà notatur illam propoſitionem duo contraria non poſſunt eſſe in eodem, eſſe veram in pa- D ce, & concordia, ſed bene in diſcordia & pugna.

Vlterius notandũm, quòd tres ſunt actus, vel tria ſunt munera differentiæ ſpecificæ. Primum eſt diuidere genus, ſecundum conſtituere ſpeciem, tertio facere ſubiectum in quo eſt ſpecie differre ab alio, & a tertio munere ſortita eſt nomen ſuum, ſcilicet differentiæ.

Inſuper notandum eſt, quòd cum dicitur, differentia eſt, qua ſpecies abundat a genere, intelligitur hoc modo, quòd includat differẽtias qui- E ditatiuè, & eſſentialiter, & ſic non ſolum dicitur ſuperare genus, quia includit differentias, quas non includit actu genus, & prædicata ſubſtãtialia generis, ſed propter hoc, quod includit differentias eſſentialiter, & ideo dixi ſupra, quòd ſpecies eſt magis collectiua, quàm genus, & indiuiduum quàm ſpecies, & genus, quia plura includit. Abundare ergo ſpeciem a genere, eſt plura includere quiditatiue, quàm includat genus.

Poſtremo cum dicitur, quòd ſpecies ſuperat genus, videtur hoc non eſſe verum, quia genus F eſt communius ſpecie; ergo genus excedit ſpeciem. Conſequẽtia probatur, quoniam commune excedit, & ſuperat minus commune.

Reſpondetur, quòd aliquod excedere aliud, contingit dupliciter, vel quo ad cõmunitatem, & prędicationem, vel quoad entitatem & perfectionem. Primo modo genus excedit ſpeciem, A ſecundo modo ſpecies excedit genus, quia ſpecies continet actu differentiarum entitatẽ, quas differentias non cõtinet genus, quia ſpecies conſtituntur intrinſece ex differentijs, & ratione illarum differentiarum dicitur ſpeciem plus continere, quã genus, ſpecies etiã dicitur magis perfecta, quam genus, quia differentia eſt perfectior genere, vt forma eſt, perfectior materia, actus eſt nobilior potentia, & cõtrahens ipſo cõtrahibili:

Definiunt autem eam, & hoc mo- B do differentia eſt, quæ de pluribus, & differentibus ſpecie in eo, quod quale quid eſt prædicatur; rationale enim & mortale de homine prædicantur in eo, quod quale quid eſt homo dicitur, ſed non in eo, quod quid eſt. Quid eſt enim homo, nobis interrogatis, conueniens dicere ani- C mal; quale autem animal inquiſitis, quod rationale, & mortale eſt conuenienter aſſignabimus.

Ammonius dicit, quòd Porphyrius hic perfectam differentiæ deſcriptionem tradit ex diuiſione vocum, quæ eſt, quòd vocũ alię ſunt ſignificatiuæ, aliæ non ſignificatiuæ, & quę ſignificatiuæ ſunt, vel prędicãtur de pluribus, vel de vno ſolo, vult dicere, quòd definit differẽtiam, vt eſt D vox prædicabilis de pluribus, & definit ipſam per reſiduum ad ea, de quibus prædicatur, & vt refertur ad ſpeciem ex ipſa cõſtitutam. Hæc eſt intentio. Cauſa intentionis patet, quia debebat deſcribere differẽtiam, & vt reſpicit genus, & vt reſpicit ſpecies, de quibus prædicabilis eſt.

Continuatio patet, nam prima deſcripta differẽtia prout reſpicit ſpeciẽ, & genus ſimul, quod eſt id, quo in habẽdo ſpecies ſuperat genus; nam ſpecies habet illam differentiã, genus verò minime, nunc definit eã, vt prædicatur in quid de illa E ſpecie, & hæc definitio eſt declaratio ſuperioris, ſcilicet qua ſpecies continet differentiam quiditatiue; ergo differentia erit prędicamentũ quiditatiuum ſpeciei. Primo verò dat aliam deſcriptionem differentiæ; ſecundo, exemplo illam manifeſtat; tertio, ponit vnum notabile, & vt dicunt Boetius & Ammonius reddit cauſam cuiuſdam dicti in tali deſcriptione.

Primo igitur dicit, *quòd differentia ſpecifica eſt*, vox ſecundum Ammoniũ, *quæ de pluribus & differẽtibus ſpecie in eo, quod quale quid eſt prędicatur.* F Senſus eſt, quòd differentia eſt illa vox, vel illud prædicabile, quod prædicari poteſt de pluribus, quæ plura differunt ſpecie; ideſt ſunt ſpecies differentes, de quibus prædicatur in quale quid, ideſt eſſentialiter, & quiditatiue, per modum tamen qualitatis determinantis; & ſpecificantis. Dat exemplum; & capit duas differen-

tias

tias ſpecificas, ſcilicet rationale, & mortale, & dicit, quòd rationale & mortale prædicatur in quale quid, per quod reſpondetur ad interrogationem factam per quale quid: ſed cũ interrogamus, quid eſt homo, reſpondetur animal, quod eſt genus, interroganti quale quid eſt homo, ideſt quale animal ſit, conuenienter reſpondetur, quòd eſt rationale, quod mortale; ergo rationale & mortale prædicatur in quale quid: ſed iſtæ ſunt differentiæ ſpecificæ; ergo differentia ſpecifica prædicatur in quale quid eſt, non autem in quid tantum.

Hic notandum eſt, quòd hæc probatio non eſt demonſtratiua, ſicut nec illa, quæ habetur in cap. de genere, ſed eſt oſtenſio logica; melius namque logice hoc probari non poteſt, quàm hoc modo.

Illud prædicatur in quid quod eſt ſumptum ab eo, quod eſt pars, & quiditatiua. Similiter illud prædicatur in quale quid, quod ſumitur ab eo, quod eſt eſſentiale rei ipſam determinans, & qualificans. Primo modo ſe habet genus, ſecundo modo differentia; & hanc probationem inſinuat Porphyrius, cum loquitur de interrogatione, quia cum interrogamus, vel interrogamus de prædicato quiditatiuo contrahibili, vel contrahente, & modificante, quod eſt differentia.

Rebus enim ex materia & forma coſtantibus, vel ſecundum proportionem ad materiam, & formam, conſtitutionem habentibus, quemadmodum ſtatua, ex materia quidem eſt ære, ex forma autem figura, ſic & homo communis, & ſpecialis ex materia quidem proportionaliter conſiſtit ex genere; ex forma autem differentia: totum autem hoc animal rationale mortale, homo eſt, quemadmodum illic ſtatua.

Porphyrius in pręſenti intendit dicere, quòd genus habet rationem materiæ, differentia verò formæ. Cauſa huius intentionis eſt, vt dicunt Ammonius & Boetius, vt hinc doceat, quòd vt genus prædicatur in quid, ita differentia in quale quid; ex hoc enim quod genus habet rationem materiæ, differentia verò formæ, ſequitur quòd genus prædicatur in quid, & differentia in quale quid.

Aliam rationem aſſigno ex textu, & eſt vt doceat, quòd ſpecies, quæ eſt natura communis, conſtat ex genere & differentia tanquam ex materia & forma, ſicut compoſita naturalia & artificialia conſtant, ſiue oriuntur ex vna natura, quæ habet rationem materiæ, & ex altera, quæ habet rationem formæ. Dicit ergo, quòd res omnes quæ ſunt, vel conſtant ex materia & forma, quæ ſunt vera materia & forma, & extra in-

A tellectum, vt ſunt ſingularia naturalia, & elementa, & mixta: vel habent materiam & formam ſecundum proportionem, ideſt conſtant ex aliquo, quod habet rationem materiæ, & ex aliquo, quod habet rationem formæ, vti ſingularia artificialia. Sic apud intellectum homo communis, ideſt homo ſpecificus, & ſpecies conſtat ex materia & forma ſecundum proportionem: nam genus habet rationem materiæ, differentia verò formæ: ſed in rebus naturalibus, & artificialibus forma eſt qualitas, quia qualificat B materiam: in rebus enim artificialibus æs eſt materia, figura autem adueniens æri eſt forma, quæ eſt qualitas; ergo & in intellectualibus idem erit.

Ex Ammonio hic primo colligitur, quòd materia eſt de eſſentia, & quiditate rei: ſecundo colligitur, quod ſicut ex materia & forma artificiali conſtat compoſitum artificiale, ita apud intellectum ex materia & forma proportionali, ſcilicet ex genere, & differentia reſultat compoſitum intellectuale, & commune, & ſpecificum, C & hoc eſt quod dicit Porphyrius, cum dicit, *totum autem hoc animal rationale mortale homo eſt*, ideſt ex rationali & mortali conſtat homo, qui eſt ſpecies, ſicut ſtatua Cæſaris ex ære & figura Cæſaris conſtat.

Notat hic Ammonius, quòd in rebus naturalibus eſt materia, quæ de ſe informis eſt, & indeterminata; forma verò eſt, quæ adueniens materiæ, ſcilicet ſuo ornatu materiam exornat, & ſic in naturalibus eſt vere materia, & vere forma: ſic etiam eſt in artificialibus, quæ ſi compa- D rentur ad naturalem materiam, & formam, dicuntur materia, & forma ſecundum proportionem: nam æs per caſum non eſt proprie materia, quia habet ſuam formam æris, at materia de ſe informis eſt.

Et aduerte, quòd dictum Ammonij intelligitur de materia prima, quoniam materia ſecunda vt corpus habet formam aliquam, per quam habet eſſe, cui comparatur materia, quæ eſt æs, & hæc eſt materia ſecunda, vel recipit formam naturalem, vt corpus animatum, vel artificialem, E vt quis formam Cæſaris ſuſcipit.

Præterea dicit Ammonius, quòd ſicut per materiam res non diſtinguuntur, ſed per formam, vt patet de elementis, quę habent eandem materiam, ſed diſtinguuntur per ſuas formas, quia forma eſt qualitas determinans, ita eſt in artificialibus. Propterea quod per genus ſpecies non differunt, vt homo, & equus, ſed diſtinctio eorum eſt per formam, ideſt differẽtias, quæ ſunt qualitates, quæ determinant. Sequitur F ergo quòd differentia habet vicem formæ: præterea eſt conſideranda communis, & vtilis dubitatio, ex cuius reali intelligentia, & ſolutione pendet cognitio differentiæ deſcriptę a Porphyrio hoc in loco.

Dubitatio ea eſt, quam mouet inter cæteros Magnus Albertus hoc in loco cap. 6. ſuper tradita deſcriptione differentiæ.

Eo quoniam Ariſtoteles, & Auerroes in com. in 7. primæ Philoſophiæ expreſſe dicunt, & probant, quod vltima differentia cuiuslibet ſpeciei conſtitutiua conuertibilis eſt cum ea: itaq; non conuenit eam niſi de illa ſpecie prædicari. Differentia ergo illa cum tantum de ſpecie vna prędicetur, non poteſt de pluribus differentibus ſpecie prędicari, vt hic habetur a Porphyrio.

In hac difficultate ſi interpretum altercationes attendamus, difficile eſt reperiri quid dicendum, ſi tamen verba Porphyrij obſeruabimus, clara & aperta erit ſolutio, & ne longius procedam poſthabitis omnibus alijs, duas reſponſiones in medium afferre intendo.

Prima eſt Domini Honorati de Robertis dicentis, quòd Porphyrius ex eo, quod non cognoſcimus vltimas differentias ſpecificas, definiuit genericas.

Hæc ſolutio eſt apertè contra Porphyrij dicta, qui dum diuidit differẽtias, quæ per ſe ſunt, quod aliæ ſunt generum diuiſiuæ, aliæ ſpecierum conſtitutiuæ, addit, ex quo eædem aliquo modo acceptæ fiunt conſtitutiuæ; aliquo modo autem diuiſiuæ, omnes ſpecificas appellari, has immediatè duplici definitione deſcribit, videlicet, quòd differentia eſt, qua ſpecies abundat a genere; & alio modo, differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie in quale quid, ex cuius dictis apertè videtur, Porphyrium ſpecificas differentias deſcripſiſſe, cuius cõtrarium aſſerit ipſe Dominus Robertus.

Porphyrius etenim per ſpecificas differentias intelligit non vltimas differentias, ſed eas differentias, quæ ſecundum alium, & alium reſpectũ, modo ſunt diuiſiuæ, modo conſtitutiuæ. Propterea cum Magno Alberto dicẽdum eſt, quòd cum differentia in ſe tria habeat: Primo, quòd eſt ſimplex diuiſiua, quo modo eſt differentia, cum diuiſio ſit ſeparatio, & ſeparatio ſit cauſa differentię ſeparatorum: Secundo, quod eſt ſimplex conſtitutiua, & hoc habetur ab eo, quod eſt diuiſiua, quoniam diuiſio ex eo, quod ſegregat, & diſtinguit ſeparata, genus cõtrahit, & hoc eſt cõſtituere ſub genere, & generis communitate; & tertio, quod eſt ad certam ſpeciem determinatiua, & hoc habetur non ex quo ſit diuiſiua, & conſtitutiua, ſed ex propria forma, & eſſentiali & ſpeciali natura, per quam ex conſequenti differt ab alijs, cum dicitur, quod differẽtia eſt, quę prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, intelligendum eſt de eis differentijs, prout ſimpliciter diuidunt, & ſub genere diuidendo conſtituunt, non de eis, quæ determinant, & certificant ſpeciem: eas autem Porphyrius communi nomine appellauit ſpecificas.

Hanc ſolutionem licet videatur impugnare Balduinus ex eo, quod vt aſſerit, cõſtituere ineſſe, nil aliud ſit, quam determinare ad vnam naturam, tamen redargutio eſt nulla. Aliud enim eſt diuidendo conſtituere, & genus contrahere, & aliud eſt ſpeciem appropriare, & determinare; ſiquidem dum conſtituimus ſub genere diui-
A dendo, generaliter differentiam conſideramus, hoc eſt nedum vt eſt in ſubſtantia eius, de quo prædicatur, & eſt eiuſdem completiua: verum vt in plus eſt, & de pluribus differẽtibus dicitur; conſiderare vero differentiam vt determinatiua, eſt vt peculiarem ſpeciem aliquam certificat, quæ in tantum dicitur differentia, in quantum cum alijs cõparata, poteſt differre per quod illa natura in alijs non inuenitur. Nec eſt dicendum vt Balduinus, quòd tunc Porphyrius eſſet diminutus, cum hunc tertium modum de-
B terminatiuum omiſerit, cum non differentia dicatur ab Ariſtotele 7. Diuinorum, ex clara Diui Thomæ expoſitione, quo loci differentias vltimas, & conuertibiles non differentias appellat. Sat fuit Porphyrio eas ſpecificas definire differentias, quæ veræ differentiæ ſunt, nempe eæ, quæ quoquomodo ſunt diuiſiuæ, & eædem alio modo acceptæ conſtitutiuæ.

Ex quibus patet, Dominum Honoratum de Robertis non referre propriam Alberti reſponſionem, quando aſſerit hic ex Alberto definire
C genericas, non ſpecificas differentias, eundemq; negare dari differentias vltimas, quod nec aſſeruit, nec negauit Albertus, qui per differentiam generalem, non genericam differentiam vt ſenſibile intellexit, ſed generalem modo declarato, & dum dicit, quod differentia, quæ definit, & appropriat ſpeciem, non eſt vera differentia, concordat cum Ariſtotele loco citato.

Differentia itaque ſpecifica prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid eſſentiale, quicquid dicat Balduinus contra Por-
D phyrium.

Deſcribunt autem & hoc modo, differentia eſt, quòd aptum natum eſt diuidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt: rationale enim, & irrationale hominem & equum, quæ ſub eodem genere ſunt, quod eſt animal diuidunt.

E Hic dat tertiam definitionem differentię ſpecificæ, & datur hæc deſcriptio de ipſa, quatenus per ipſam differũt inter ſe ſpecies, quarum ſunt differentiæ conſtitutiuæ, & dicit, quòd differentia eſt, quòd eſt aptum natum diuidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt, id eſt ſpecies; nam in genere conueniunt ſpecies; differunt autem differentijs. Dat exemplum, rationale enim & irrationale diuidunt, & diſtinguunt hominem, & equum adinuicem, qui in genere conueniunt,
F ſcilicet in animali, quarum differentiarum altera hominem conſtituit, altera verò equum, & huiuſmodi differentię non diuidunt genus diuiſione reali, quæ eſt in duas partes reales, ſed diuidunt diuiſione logicali.

Aſſignant autem & hoc modo, differentia eſt, qua differunt a ſe ſingula

gula; namque & homo, & equus ſecundum genus nõ differunt. Sumus enim animalia nos & equi, ſed additum rationale diſiũxit nos ab illis, & rationales ſumus & nos, & Dij, ſed mortale appoſitũ diſiũxit nos ab illis

Hic dat aliam deſcriptionem non valde, ſeu nimis differentem a nuper data, & dicit, quòd differentia ſpecifica eſt, qua ſingula inuicem differunt ſingulæ ſpecies: nam homo & equus nõ differunt genere, quia ſunt animalia, ſed differunt per differentias: nam per rationale, homo differt ab equo, per mortale, homo differt a Dijs, nos enim ſumus rationales, ſicut & Dij analogice.

Exactius enim pertractantes ea, quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet diuidentium ea, quæ ſub eodem genere ſunt, eſſe differentiam, ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat eſſe, & quod rei pars eſt. Neque enim quod natum eſt nauigare, eſt hominis differentia, & ſi ſit proprium hominis; dicere enim poſſumus animalium hæc quidem apta eſſe ad nauigandum, illa verò minime, diuidentes hominem ab alijs, ſed aptum natum eſſe ad nauigandum, non eſt ſubſtantiæ completiuum, nec eius pars, ſed aptitudo ſolum ipſius; iccirco quia non eſt talis differentia, qualis ſunt, quæ ſpecificæ dicuntur differentiæ, erunt ergo ſpecificæ differentiæ quæcumque alteram faciunt ſpeciem, & quęcumque in eo, quod quid erat eſſe accipiuntur.

Hic completam, & magis exactam deſcriptionem differentiæ tradit, & dicit, quòd exactius rem hanc de ſpecifica differentia pertractantes dicunt, quod non quodlibet diuidẽtium ea, quæ ſub eodem genere ſunt, eſt differentia ſpecifica, ſed id ſolum, quod diuidit genus, & cõſtituit ſpeciem, vt pars eſſentialis, intrinſeca, quiditatiua, & conducit ad eſſe rei, & quod quid erat eſſe, ideſt ad definitionẽ, vel ad quiditatem expreſſam a definitione: reddit rationem ſui dicti, quòd non quodlibet, quod diuidit genus, eſt differentia ſpecifica, quia quæ diuidunt acciden taliter, non ſunt differentiæ ſpecificæ, nam animal poteſt ſic diuidi, quod ſcilicet animalium, alia ſunt nauigabilia, alia verò non, & ſic diuiditur homo ab alijs, ſed poſſe nauigare, non eſt differentia ſpecifica, quia non eſt completiuum ſubſtãtiæ hominis, & pars hominis, ſed eſt ſolùmodo quædam aptitudo, quare ſpecifica differentia eſt, quæ facit alteram ſpeciem ab alia eſſentialiter differre, & accipitur in quod quid erat eſſe, ideſt in definitione, quæ exprimit quiditatem, & eſſentiam rei.

Prętcrea nota verbum Porphyrij, dicit namque, *differentiam ſpecificam conducere ad eſſe*, non dicit quod ſit totum eſſe, & dicit, *quod ſumitur in definitione*, non dicit quòd ſit tota definitio.

Sed hic dubitatur, dixit namque differẽtiam ſpecificam eſſe partem definitionis, & eſſentiæ rei, ſed eſſe rei eſt indiuiſibile; ergo non eſt pars eſſe.

Reſpondetur, quòd eſſentia rei eſt indiuiſibilis in partes quantitatiuas, & integrales; eſt autem diuiſibilis in partes eſſentiales.

Vel dicendum, quòd eſſe rei vt complementum ab vltima differentia veniens, & cauſatum, dicitur indiuiſibile, & ſic ceſſat argumentum.

Quod ſi dicas, differentia eſt pars, & pars non prædicatur de toto; reſpondetur quod prędicatur per modum totius, non partis.

Et ſic eſt finis Capitis de Differentia.

Super Capite de Differentia pro Iuris Studioſis.

DVo potiſſimum habemus in Capite de Differentia.

Primum diuiſionem differentię, in Communem, Propriam, & magis Propriam.

Secundum, quinque magis propriæ differentiæ deſcriptiones.

Quo ad primum caput, illa dicuntur differre communiter, quæ differunt ob aliquod accidẽs ſeparabile quocumque modo, vel à ſe ipſo, vel ab alio.

Quod accidens dicitur communé, quia communiter pluribus, vel omnibus ineſt; vel poteſt ineſſe, ſeparatur tamen, quia non ſemper ineſt, ſed modo ſic, modo non, vt Socrates puer differt a ſe ipſo ſene, & Socrates ſedens differt à Platone iacente.

Illa dicuntur differre proprie, quæcumque diuerſa ſunt ob aliquod accidens inſeparabile, quod eſt in vno, quod non in alio, vt ſi quis haberet naſum ſimum, vel cicatricem, quæ obcalluerit, quæ ſunt accidentia inſeparabilia, differret a non habente.

Illa verò dicuntur differre proprijſſime, quando vnum differt ab altero per differentiam, quæ ſpecifica eſt, vt homo differt ab equo per rationale, a Dijs per mortale.

Quo ad ſecundum caput quinque tradit deſcriptiones ſpecificæ differentiæ.

Prima, Differentia eſt, qua ſpecies abundat a genere, ideſt qua genus à ſpecie ſuperatur: homo enim, quod eſt ſpecies, plus habet quàm animal, quod eſt genus, rationale, & mortale.

Secunda, Differentiæ deſcriptio eſt, quòd differentia ea eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod quale quid eſt, hoc eſt quæ prædicari poteſt de pluribus, quæ ſpecie differunt, quæ ſunt ſpecies differentes, & de quibus prædicatur eſſentialiter, & quiditatiue, per modum tamen qualitatis, determinantis, & ſpecificantis, vt rationale & mortale prædicatur de homine in eo, quod quale quid eſt.

Tertia, Deſcriptio eſt, quòd differentia eſt, quòd eſt aptum natum diuidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt, ideſt ſpecies; nam rationale & irrationale diuidunt hominem, & equum ad inuicem, quia conueniunt in genere, nempe in animali, quarum differentiarum altera vtputa rationale conſtituit hominem, altera vtputa irrationale conſtituit equum.

Quarta, Deſcriptio differentiæ eſt, quòd differentia eſt, qua differunt a ſe ſingula, vt homo, & equus differunt nõ per genus, nempe animal, ſed per differentiam, ſcilicet per rationale, & irrationale, mortale, & immortale: per rationale differt ab equo; per mortale a Dijs.

Quinta, Differentiæ deſcriptio eſt, quod differẽtia eſt, quæ cõducit ad eſſe rei ad quod quid erat eſſe, & eſt pars rei, hoc eſt, differentia illud dicitur eſſe, quod diuidit genus, & conſtituit ſpeciem vt pars eſſentialis, intrinſeca, quiditatiua, & accipitur in definitione, quę exprimit quiditatem, & eſſentiam rei.

Modo his de habitis applicamus ad propoſitum Iuris ſtudioſi.

Quo ad primum caput omiſſis communibus, & proprijs differentijs, de ſpecifica, & magis propria, cuius deſcriptio traditur, exemplificandum intelligo in corpore iuris.

Proprium, & omnino accommodatum exemplum ad rem pręſentem habetur in §. adeo. Inſt. de locat. & cond. vbi emphyteoſis differre dicitur, magis propria differentia a conductione, & locatione, venditione, & emptione, ita vt propriá habeat naturã, per quã ab illis diſtinguatur.

Siquidem, vt ibi legitur, periculum partis rei conductæ non ſpectat ad conductorem; at periculum partis rei in emphyteoſim traditę ſpectat ad emphyteoticarium. Pariter in emptione, periculum totius rei venditæ pertinet ad emptorem: at periculum rei totius in emphyteoſim traditæ non pertinet ad emphyteoticarium.

Inſuper in conductione non transfertur dominium vtile. l. non ſolum. ff. locati. in emphyteoſi verò transfertur. l. 1. ff. ſi ager vectig. vel emphyteoticarius petatur. Translatio itaque dominij vtilis dicitur magis propria differentia, qua emphyteoſis a conductione differt.

Dicuntur autem locatio & cõductio, emptio & venditio, & emphyteoſis, ſpecies differentes

A ſub eodem genere poſitæ, & contentæ, vtputa ſub contractu. §. ſequens diuiſio. Inſt. de obligationibus.

Quo ad ſecundum caput, accipiendę & conſiderandæ ſunt prima, & tertia in ordine deſcriptiones differentiæ traditæ a Porphyrio, vt ad rem noſtram præcipue facientes, alijs poſthabitis non nimis ab his differentibus, ſeu diuerſis.

Prima deſcriptio differentiæ eſt, quòd differentia ea eſt, qua ſpecies abundat a genere.

Et hunc in modum dicimus, quòd pactum pu-
B blicum, quod fit per Principem, & belli Duces, vti gratia exempli, Tregua, eſt ſpecies, quæ ſuperat genus, nempe conuentionem per differentiam, quatenus ſcilicet actu Tregua quæ eſt ſpecies, continet Principis, & belli Ducum pactionem, quæ eſt differentia, quam non habet actu conuentio, nempe genus. Patet namque conuentio in genere accepta abſque illa pactione Principum, & belli Ducum vera conſiſtere.

Alia deſcriptio differentiæ, quæ conſideranda venit, ea eſt, quòd differentia eſt, qua diffe-
C runt a ſe ſingula, nempe res a rebus diſtinguuntur, & exemplum de hoc clarum habetur Inſtit. tit. de mandato. §. fi. de mandato & conductione, quę dicuntur ſpecies differentes, quoniam in conductione merces eſt conſtituta, in mandato vero minime, ſed gratuitum eſt. Merces itaque eſt magis propria differentia, qua mandatum a conductione differt, facitque mãdatum in aliam formam deuenire, hoc eſt differentem ſpeciem eſſe a conductione, in qua merces requiritur, & reperitur.

D Et hæc de differentia dicta ſufficiant.

De Proprio. Caput Quintum.

Hic aggreditur Porphyrius ſermonem de Proprio, quod eſt quartum prædicabile. Cauſa huius intẽtionis eſt, quoniam eſt vnum de propoſitis prędicabilibus. Continuatio patet,
E quod cum egerit de tribus prædicabilibus, quæ rei ſubſtantiam complent, reliquum erat aggrediea prædicabilia, quæ rei accidunt, quæ duo ſunt, Propriũ ſcilicet & Accidens. Prius autem de proprio agit, quia proximus eſt rei ſubſtãtiæ, quam accidens, quia prædicatur per ſe in ſecundo modo, non ſic accidens.

Ammonius hic dicit, quòd proprium habet quandam conuenientiam cum prædicabilibus ſubſtantialibus, ſcilicet cum Genere, Specie, & Differentia: nam ſicut illa tria totis ſuis inferio-
F ribus inſunt, & ſemper, ita proprium toti ſuæ ſpeciei, & ſemper ineſt. Conuenit etiam cum accidentibus, quia ſicut accidentia per intellectum euelluntur a ſubiectis ſuis, ita & propriũ. Medium ergo eſt proprium inter accidens, & cætera prædicabilia, & hac ratione recte ordinatur in hoc loco.

Diui-

Diuiditur hoc caput in quatuor partes,ſecundum quatuor ipſius proprij ſignificata,& vtitur regula conſueta. Diſtinguit enim Porphyrius hoc nomen Proprium prius,poſtea vero ſignificatum logicum accipit.

Proprium verò quadrifariam diuidunt; nam & id, quod ſoli alicui ſpeciei accidit, etſi non omni proprium dicitur, vt homini Medicum eſſe,vel Geometram. Et quòd omni B accidit ſpeciei,etſi non ſoli, quemadmodum homini eſſe bipedem, & quòd ſoli, & omni,& aliquando, vt omni homini in ſenectute caneſcere. Quartum autem id,in quo conuenerunt & omni, & ſoli, & ſemper, quemadmodum homini eſſe riſibile; C nam etſi non ſemper rideat, tamen riſibilis dicitur, nō quòd rideat ſemper, ſed quod ſemper aptus natus ſit,vt rideat. Hoc autem ei ſemper cōnaturale eſt, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem & propriè propria dicuntur, quoniam etiam conuertuntur, ſi quid enim D equus hinnibile eſt, & ſi quid hinnibile eſt,equus eſt.

Inquit Porphyrius proprium quatuor modis dici,& capi ſolet. Primo modo pro eo,quod conuenit ſoli alicui ſpeciei,ſed non omni indiuiduo illius ſpeciei. Exemplum ſoli ſpeciei humanę, ſoliq; homini ineſt, & competit Medicum eſſe, vel Geometram; non tamen conuenit omni indiuiduo humano,id eſt nō omnia indiuidua humana habent ſcientiam Geometriæ,& Medici- E næ;vel ſi habent in potentia, non ſunt in proxima diſpoſitione,quia aliqui ſunt ita rudes,vt vel nihil ſcientiæ Geometriæ addiſcant, vel ſumma cum difficultate, non vt aptitudo proprij quarto modo dicta, quæ naturalis, & facilis eſt, & proxima vnicuique indiuiduo.

Secundo modo,capitur propriū pro eo,quod accidit omni ſpeciei, ideſt omni indiuiduo alicuius ſpeciei,ſed nō ſoli ſpeciei,ideſt non ſolum illius ſpeciei indiuiduis, ſed etiam competit in- F diuiduis alterius ſpeciei vt homini, & omnibus competit bipedem eſſe, ſed non ſoli, quoniam competit & auibus. Et nota, quòd hoc propriū ſemper conuenit ei cuius eſt proprium.

Tertio modo,capitur proprium pro eo,quod competit ſoli alicui ſpeciei, & ſolis indiuiduis illius ſpeciei, ideſt omnibus indiuiduis illius ſpeciei,ſed aliquando,nō autem ſemper,vt ſoli ho- A mini, vel ſolis hominibus contingit in ſenectute caneſcere, ſed non contingit ſemper, quod omnes caneſcunt, ſed ſecundum Auerroem in aliquo tempore, vt in ſenectute; vel quia aliqui vel non ſeneſcunt,vel aliquando cōtingit,quòd quis ſit ſenex,& caniciem non habeat, ſed puto nullum talem reperiri: ſolis ergo omnibus indiuiduis competit, ideſt ſi ſeneſcunt, non tamen ſemper,quia in ſenectute,& aliqui non ſeneſcūt.

Quarto modo, capitur propriū pro eo, quod conuenit ſoli alicui ſpeciei,& ſolis indiuiduis il- B lius ſpeciei,& omni indiuiduo illius ſpeciei, ita vt non reperiatur aliquod indiuiduum, quod illo careat,& ſemper conuenit,ideſt pro omni tēpore. Dat exemplum pro eſſe riſibile, ideſt eſſe aptū natum ad ridendū; nam id cōuenit ſoli homini, & omni homini, & ſemper, ſiue pro omni tempore. Nec valet ſi dicas, quòd nō ſemper rideat homo,quoniā reſpondet Porphyrius,quòd etſi non ſemper rideat,vel licet reperiat aliquis, qui nunquā riſerit, vt dicūt aliqui de Saluatore, tamen iſti ſunt apti ad ridendum,& ab ipſa apti- C tudine ſumitur proprium hoc modo,non autem ab actu, & hoc modo riſibile dicitur proprium; ſemper enim conuenit cuilibet homini hęc aptitudo ad ridendum, ſicuti etiam competit equo aptitudo ad hinnitum. Et hæc propria quarto modo dicta proprijſſime, ac veriſſime dicuntur propria,quoniam conuertūtur cum ijs, quorum ſunt propria: omnis enim homo eſt riſibilis, & omne riſibile eſt homo, ideſt omni, quod eſt aptum natum ad ridendum eſt homo, & omnis equus eſt hinnibilis,& è conuerſo, & ſic de alijs.

D Circa textum notandum eſt primo,quòd hoc nomen proprium diuiditur in ſua ſignificata,& eſt nomen analogum, quia per prius dicitur de proprio quarto modo dicto, quam de cæteris.

Secundo notandum, quod Proprium ab Ariſtotele 1. Topicorum definitur ſic. Propriū eſt, quod non indicat quid eſt eſſe rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur de re, ideſt proprium non eſt ſumptum a re ſubſtantiali, ſed ſoli ſpeciei ineſt, & omni indiuiduo illius ſpeciei, & conuerſim prædicatur de re, hoc eſt de ſubie- E cto,& ſubiectum de ipſo.

Dubitatur primo de ordine: non enim videtur, quòd proprium præcedat accidens; nam proprium eſt accidens,& ſpecies accidentis,ſed genus eſt prius ſpecie; ergo accidens præcedit proprium.

Reſpondetur,quòd accidens dupliciter capitur,vel pro hoc communi nomine accidēs,quod prædicatur de proprio,& accidente. Et hoc modo proprium eſt quaſi ſpecies iſtius accidentis, F ſed hoc eſt æquiuocum, & non capitur hic hoc modo. Secundo modo capitur, vt eſt accidens diſtinctum contra proprium, & ſic accidens non præcedit proprium.

Secundo dubitatur,quoniam Porphyrius videtur diminutus, quia prætermiſit proprium ad aliquid, de quo Ariſtoteles 1. Topicorum egit; nam a dexteris eſſe,competit homini,cum eſt in

magi-

magiſtratu, & dicitur proprium ad aliquid; ſimi A
liter eſſe bipedem, competit homini ad aliquid,
non reſpectu ad aues, ſed ad canem, & equum.
Hæc ſunt ergo propria ad aliquid.

Reſpondetur primò a quibuſdam, quòd ſicut
erant plures ſignificationes generis, ſufficit tamẽ
aliquas ex illis enumeraſſe, vt oſtenderet genus
habere multa ſignificata, ita dicatur de proprio.
Secundo reſpondere poſſumus, quòd talia pro-
pria ſunt ſecundum quid; ideo ea omiſit.

Tertio dubitatur, quoniam Porphyrius vide-
tur diminutus, quoniam non meminit de pro- B
prio, quod duabus vocibus exprimitur, vt par, &
impar, quæ ſunt propria numeri.

Reſpondent nonnulli, quòd recenſuit pro-
prium hic, quod vnica voce dicitur, vt riſibile,
quoniam vult vnum prædicabile hic inueſtiga-
re. Vnitas autẽ prædicabilis magis ſtat cum hoc
proprio, quod vnico termino dicitur, quàm cum
illo, quod duabus vocibus.

Vel ſecundo reſpondetur, quòd ſub iſto quar-
to ſubintellexit & illud, quoniam etſi duabus
vocibus exprimatur, tamen illæ duæ voces fa- C
ciunt vnum coniunctum.

Dubitatur quarto, quia Porphyrius adhuc vi-
detur diminutus, quia non declarat an proprium
prædicetur in quid, vel in quale.

Reſpondetur primo, quod tacite innuit præ-
dicationem proprij, quando in capit. de Genere
dixerat accidens prædicari in quale. Conſtat
autem proprium eſſe accidens, & propterea ibi
in c. de Genere tacite innuit prædicari in quale.

Vel ſecundo, & verius reſpõdetur, quod cum
Porphyrius dixit, quòd proprium conuenit om- D
ni, ſoli, & ſemper, idem eſt ac ſi dixiſſet, prædica-
tur per ſe, quia tale prædicatum eſt in ſecundo
modo dicendi per ſe, vt expreſſit Ariſtoteles 1.
Topicorum, cap. de proprio, & 1. Poſt. tex. com.
30. & cum Porphyrius dixit, quod proprium prę
dicatur conuertibiliter, ſubintelligit, quòd præ-
dicatur in quale per ſe, quia tale eſt prædicatum
per ſe, & in quale per ſe, ideſt in ſecundo modo
dicendi per ſe.

Hinc eſt, quòd particulariter proprium non
definiuit, vt facit cætera prædicabilia tradita E
nominis diſtinctione; quoniam ex cognitione,
& diſtinctione ſignificatorum aliorum prædica-
bilium non reſultabat illorum definitio. At ex
quarto proprij ſignificato reſultat definitio inte
gra ipſius proprij: Hinc ei ſatis eſt illud accepta-
re vti logicum.

Quinto dubitatur, cur dixit Porphyrius pro-
prium quarto modo captum conſiderari ſecun-
dum nomen, & aptitudinẽ, modo potentia nihil
eſt; quia quod eſt in potentia, nondum habet eſ-
ſe: ergo hoc prædicabile non eſt reale. F

Reſpondetur primo, quòd licet potentia non
ſit ens in actu, nõ propter hoc ſequitur, quòd nõ
ſit ens ſimpliciter, imò Com. 1. de anima, cap. 6.
dicit, actum, & potentiam eſſe differentias entis
oppoſitas; quare ſequitur, quòd proprium hoc
modo ſit ens.

Secundo reſpondetur, quod potentia, & apti-
tudo capitur dupliciter, vel formaliter pro ſola
aptitudine, vel materialiter, ſcilicet pro ſubie-
cto apto nato, primo modo eſt aliquid non poſi-
tiuum, ſecundo modo eſt aliquid poſitiuum. Pro
prium ergo quarto modo dictum ſumitur ſecun
dum talem aptitudinem, qua conſtat ipſum ſub-
iectum, quod quidem eſt ens poſitiuum.

Sexto dubitatur, quoniam videtur, quòd de-
finitio proprij quarto modo ſumpti conueniat
vltimæ differentiæ.

Nonnulli reſpõdent, quòd differẽtia vltima
eſt ignota, & ideo nõ habetur in conſideratione.

Secundo ab alijs reſpondetur, quòd licet vlti
ma differentia cum ſpecie conuertatur, prædi-
catur tamen in quale quid, proprium vero in
quale tantum.

Propterea ſtat vera reſponſio, quòd differen-
tia vltima eſt ſubſtantia, & prædicatur in primo
modo dicendi per ſe, proprium vero non eſt de
ſubſtantia rei. Patet 1. Topicorum, cũ dicat Ari-
ſtoteles, quòd proprium nõ indicat quid eſt eſſe
rei, & prædicatur in ſecundo modo dicendi per
ſe; patet itaque, quòd definitio proprij recte in-
tellecta ſolum ſpeciei competit.

Septimo dubitatur, quoniam proprium eſt
accidens: ergo proprium, & accidens non diſtin
guuntur. Probatur, quia vel eſt ſubſtantia, vel
accidens, non primum, ergo ſecundum.

Reſpondetur, quod duplex eſt accidens, per
ſe in ſecundo modo, & accidens per accidens,
proprium eſt accidens primo modo, non autem
ſecundo modo.

Et hic ſit finis Proprij.

Super Capite de Proprio pro Iuris Studioſis.

Porphyrius in hoc Cap. de Proprio, qua-
tuor tradidit Proprij ſignificata. Quar-
tumq; vti logicum acceptauit in quo
eiuſdẽ definitio implicite includitur,
& continetur, vt vidimus.

Primum ſignificatum illud eſt, quod cõuenit
ſoli alicui ſpeciei, ſed non omni indiuiduo illius
ſpeciei, vt ſoli ſpeciei humanæ competit Medi-
cum eſſe, vel Geometram, non tamen conuenit
omni indiuiduo humano.

Secundum ſignificatum illud eſt, quod cõue-
nit omni indiuiduo alicuius ſpeciei, ſed non ſoli
illi ſpeciei, verum etiam alijs indiuiduis alterius
ſpeciei, vt omnibus indiuiduis ſpeciei humanæ
competit eſſe bipedem, verum conuenit etiam
auibus.

Tertium ſignificatum illud eſt, quod conue-
nit ſoli alicui ſpeciei, & omni indiuiduo illius
ſpeciei; ſed non ſemper, vt ſoli ſpeciei humanæ,
& omni indiuiduo illius ſpeciei, conuenit in ſe-
nectute caneſcere.

Quartum ſignificatum proprij illud eſt, quod
conuenit ſoli alicui ſpeciei, & ſolis indiuiduis il-
lius

lius ſpeciei, & ſemper, vt aptitudo ad ridêdum, conuenit ſoli ſpeciei humanæ, & ipſius indiuiduis, omnibus indiuiduis, nempe omnibus hominibus, & ſemper, ideſt in omni tempore.

Et hoc eſt ſignificatum Logicum proprijſſime dictum quod conuertitur cum eo, cuius eſt propriu, & quod clare, & aperte definitũ dicitur.

Proprium illud eſt, quod non indicat quid eſt eſſe rei, & conuerſim prædicatur in quale quid de re, cuius eſt proprium.

Exempla clara habentur in iure Ciuili.

De primo ſignificato proprij exemplum habemus Inſt. tit. de Propria poteſtate, §. 1. quo loci habetur, quod ius poteſtatis, quod habent Romani Ciues, ergo ſuos liberos proprium eſt ciuium Romanorum: ſoli enim homini conuenit ius Patriæ poteſtatis erga liberos.

Minime verò cæteris animãtibus, cum de iure naturali non fuerit introductum, quod commune eſt cunctis animantibus, quæ in cælo, terra, mariq; naſcuntur Inſtit. tit. de iur. nat. gen. & ciu. in princ. Verum ſicuti non competit patria poteſtas cunctis animantibus, ſed ſolis hominibus ita non conuenit omnibus hominibus, ſed ſolum ciuibus Romanis, cum alij populi vel teneant filios vt ſeruos, veluti populi ſclaui, vel vt penitus liberos vt francigenæ. Notat glo. ſing. in d. §. 1. de patria poteſtate in verſ. Romanorũ. Propterea iure optimo ius patriæ poteſtatis quale eſt ciuium Romanorum dicitur proprium in primo ſignificato, quod conuenit ſoli, vtputa ſoli ſpeciei humanę, ſed non omnibus hominibus, quia non ſclauis, & francigenis.

De ſecundo proprij ſignificato, exemplum manifeſtum ponitur in principio tituli ſupra allegati. Inſt. de iur. nat. gen. & ciu. quo loci dicitur coniunctionem maris & fœminæ, & liberorum procreationem eſſe proprium hoc ſecundo modo, quatenus conuenit omni Indiuiduo ſpeciei humanæ, nempe omnibus hominibus, ſed non ſolis, eò quoniam conuenit etiam cæteris animantibus, hoc proprium, & ipſorũ proprium appellatur. Hinc 2. de anima, dicitur ab Ariſtotele maximum naturę opus ſibi ſimile generare. Hinc 1. Politicorum vnumquodque animal, tale appetit poſt ſe relinquere quod ipſum eſt.

De tertio Proprij ſignificato, videtur figuraliter exemplum habere Inſt. titu. quibus non eſt permiſſum facere teſtamẽtum, quo loci dicitur, quod acquiſitũ a filiofamilias milite proprium eius eſt. Hoc enim ſoli militi conuenit omni militi, ſed non ſemper, ſed cum in caſtris acquirit.

Ad cuius ſimilitudinem deinceps acceſſerũt bona quaſi caſtrenſia, vt ponitur in l. cum opponitur, in fine C. de bonis quæ liberis.

Pro quarto Proprij ſignificato, nempe quod conuenit ſoli, omni, & ſemper exemplificatur in hæredis inſtitutione. Ea enim conuenit ſoli, & omni, & ſemper, hoc eſt ſoli ſpeciei humanæ, omnibus indiuiduis illius ſpeciei, & ſemper, elicitur ex Conſtantino Imperatore, qui in l. habetur. C. de ſacroſanct. eccleſ. promulgauit, cum li-

A cet homini ſemper, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum licere de bonis ſuis diſponere, & ſic omnibus indiuiduis ſpeciei humanæ concedit liberam teſtandi facultatem in omni tempore.

Et de hæredis inſtitutione verificatur definitio Proprij quarto modo accepti, quæ cõuerſim prædicatur de homine, & non eſt de eſſentia ipſius. Verũ eſt enim dicere, quòd homo eſt aptus ad hæredem inſtituendum, & è conuerſo, aptus ad hęredem inſtituendum homo eſt, nec tamen inſtitutio hæredis eſt pars eſſentialis ipſius hominis, B cum non ſit nec materia, nec forma eiuſdem, ex quibus definiri poſſit, de hæc Proprio quarto modo capto habetur in l. omnes populi, ff. de iuſt. & iure vbi iuriſconſulti proprium vocant id, quod commune vſu cum alijs non eſt, commune tamen omnis, qui eius ſpeciei eſt populi, apud iuriſconſultos etiam quædam conſiderantur naturali iure cõmunia omnium, quædam vniuerſitatis, quædam nullius, quædam ſingulorum, l. 2. ff. de rerum diuiſione.

Verum hæc de Proprio dicta ſatis.

C

De Accidente. Caput Sextum.

PORphyrius vltimò loco ſermonem aggreditur de Accidente, quod eſt quintum prędicabile ex propoſitis.

Cauſa intẽtionis patet, cum enim de quatuor egiſſet, reliquum erat agere de quinto prædicabili, vt Tra- D ctatum de quinque vocibus abſolueret.

Continuatio patet, & cauſa ordinis, & continuationis primò manifeſtatur, quoniam ſi de cæteris omnibus egit, videtur ſecundum ſufficientem enumerationem, quod de vltimo prædicabili agere debebat, ſecundo cum prædicabilia ſubſtantialia, & per ſe primo, & ſecundo modo tractauerit, cum iure optimo accidentalia eſſent omnibus poſteriora, erat de his agendum.

Hoc cap. communiter diuiditur in quinque E particulas. Primo definit Accidens; ſecundo dat quandam diſtinctionem accidentis cum ſolutione alicuius inſtantiæ; tertio definit aliter Accidens; quarto rurſus alio modo deſcribit ipſum; quinto epilogat, & continuat ſermonem ſuum ad dicenda inferius, ſiue proponit quæ deinde ſit acturus. De primo dicitur.

Accidens autem eſt, quòd adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

F Secundum Auerroem. ſenſus verborum eſt, quòd illud eſt accidens, quod exiſtimatur eſſe, & euaneſcere abſque eo, quod exiſtimetur corrumpi ſubiectum eius, & generari.

Hæc verba textus prima fronte videntur de ſe nota; poſſunt tamen exponi per verba primarum intentionum, & ſecundarum.

Per

Per verba primæ intentionis ita exponuntur, quòd accidens, idest accidentia ita ſe habent, *quod adſunt*, idest ſunt in ſubiecto, & adueniunt ſubiecto abſque quod eſſentiam, & ſubſtantiam compleant; *& abſunt*, idest recedunt a ſubiecto, abſque quod deſtruatur eſſentia ſubiecti. Exemplum, ſi Socrati adueniat albedo, non producitur Socrates, nec ſubſtantia Socratis; ſi verò a Socrate recedat albedo, nō deſtruitur, ſed remanet Socrates, & eius ſubſtantia, ſiue eſſentia.

Secundo modo poſſunt hęc verba exponi per verba ſecundarum intentionum, ſcilicet quod prædicentur accidentaliter.

Accidens eſt quod adeſt, idest ſiue intelligatur ineſſe ſubiecto, & prædicari de ſubiecto, non prædicatur eſſentialiter, vt ſubſtantiam rei compleat, ſiue abſit, idest negetur, vel nō prędicetur, non deſtruitur eſſentia ſubiecti, vel non negatur aliquod, quod ſit de eſſentia ſubiecti, & melius eſt vt hæc verba exponantur per prædicari, vt fuit Auerrois intentio.

Vt ſenſus ſit, quod accidēs eſt, *quod adeſt*, idest affirmatiue prædicatur, & non conſtituitur eſſentia ſubiecti, idest non eſt prædicatum ſubſtantiale, *& abeſt*, idest negatur de ſubiecto abſque quod deſtruatur eſſentia ſubiecti, & quod dicitur in hac definitione, expreſſius dicitur in duabus ſequentibus definitionibus.

Diuiditur autem in duo; hoc enim ipſum ſeparabile eſt, illud verò inſeparabile, dormire quidem ſeparabile accidens eſt: nigrum verò eſſe inſeparabiliter Coruo, & Aethiopi accidit; poteſt enim intelligi & coruus albus, & Aethiops abijciens colorem, præter ſubiecti corruptionem.

In hac ſecunda particula tradit vnam diuiſionem de duplici accidente. Cauſa intentionis eſt, vt declaret, de quo nam accidente detur prima accidentis deſcriptio, & ſimul ſoluat quandam inſtantiam de accidente inſeparabili. Et dicit, Accidens eſt duplex, aliud ſeparabile re, & intellectu, vt dormire, vigilare, ſtare, ſedere, & currere, quæ modo adſunt, modo abſunt a ſubiecto: aliud eſt inſeparabile de facto & re, ſeparabile tamen per intellectum, vt nigredo in coruo, & Aethiope; ex quo colligitur, quòd definitio data de accidente intelligitur de vtroque accidente: & ſi dicas, non videtur quod nigredo abeſſe poſſit a coruo; reſpondetur, quòd nigredo in coruo licet de facto non ſeparetur a coruo, poteſt tamen intellectu ſeparari, & per intellectum ſeparantur accidentia inſeparabilia de facto, ex quo colligitur, quòd definitio accidentis data, intelligitur de vtroque accidente, & ſeparabili, & inſeparabili.

A Definiunt autem ſic quoque accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe.

In hac tertia particula tradit ſecundam accidentis deſcriptionem, quæ iudicio meo non eſt alia a prima, ſed eſt quaſi prioris declaratiua, & dicit, quod Philoſophi etiam deſcribunt accidens, quod ſit illud, quod contingit eidem ſubiecto ineſſe, & non ineſſe, idest poteſt adeſſe, & abeſſe, idest ſiue contingat quod abſit, non eſt prædicatum ſubſtantiale, & de ſubſtantia rei, ſiue
B adſit non complet ſubſtantiam rei.

Et quod neque genus eſt, neque differentia, neque ſpecies, neq; proprium, ſemper autem eſt in ſubiecto ſubſiſtens.

Hic quarto loco rurſus aliter deſcribit accidens, vt priores deſcriptiones declaret, & dicit, quod accidens illud eſt, quod nō eſt, *neque genus*, idest non prędicatur vt genus in quid, *neque differentia*, idest non prędicatur in quale quid vt differentia, *neque eſt ſpecies*, idest non prædicatur in
C quid vt ſpecies, *neque eſt proprium*, idest non prædicatur vt proprium per ſe in ſecundo modo, & conuertibiliter vt omni, & ſoli, & ſemper inſit, *ſed ſemper eſt in ſubiecto ſubſiſtens*, idest accidit ſubiecto, & accidit ei, vt ſeparatum a ſubiecto non ſubſiſtat, *& accidit*, idest non eſt de eſſentia, ac ſi diceret prædicatur in quale, quia eſt prædicatum accidentale, cum exprimat accidens, cuius natura eſt vt ſubſiſtat in ſubiecto, & nō abſq;
D ſubiecto; idem eſt ergo ac ſi diceret prædicatur non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter.

Omnibus autem determinatis quę propoſita ſunt, dico autem genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidente, dicendum eſt quæ eis communia, & quæ propria.

E Cum explicauerit abunde, quæ propoſuit dicere, ſcilicet de quinque vniuerſalibus, inquit, quòd reliquum eſt aliqua dicere, in quibus explicetur id, quod commune habent inter ſe.

Hic ſunt aliqua notanda, & in dubium reuocanda.

Primo notat Boetius, quòd prędicata ſubſtantialia ſunt, quæ cum adueniunt, complent ſubſtantiam rei, cum verò remanent eſſe per intellectum, deſtruitur eſſentia, & ſubſtantia rei, a tac
F accidentia cum non ſint talia, vel ab huiuſmodi rebus non formantur, cum adſunt, non informant rem, & cum abſunt, non corrumpunt eſſe rei.

Secundo notat Boetius, damnando tertiam deſcriptionem accidentis, quod competat alteri a definito; nam genus ſic poſſet definiri, quod ſcilicet genus non eſt ſpecies, nec differētia, nec pro-

proprium, nec accidens, idem dicitur de cæteris. Animaduertendum quod Porphyrius addit vnum verbum, per quod illa deſcriptio negatiua contrahitur ad accidens, & eſt tale; ſemper autem eſt in ſubiecto ſubſiſtens, ac ſi diceret prædicatur accidentaliter, & hæc particula non competit cæteris.

Ammonius dicit, quòd ob id Porphyrius definiuit accidens in tertia definitione per verba negatiua, quoniam prius voces, quæ deinceps ſequebantur nondum cognitæ nobis erant: nunc verò omnibus declaratis, hanc merito accidenti tribuit definitionem.

Primo dubitatur cur Porphyrius non diſtinxerit prius nomen accidentis, quam definierit; videtur enim male feciſſe, & oppoſito ordine inceſſiſſe, quo proceſſit in alijs declaratis prædicabilibus, & confirmatur, quoniam 5. Metaphy. cap. vlt. Ariſtoteles diſtinxit hoc nomẽ accidẽs; ergo & ipſe Porphyrius hoc debebat facere.

Reſpondet Ammonius, quod Porphyrius ſolita regula non eſt vſus, qua in cæteris prædicabilibus; non enim prius enumerauit ſignificata accidentis, vt ex pluribus illud, de quo Philoſophi ſermonem habẽt, acciperet, & ſeligeret, ſed multis accidentis ſibi propoſitis ſignificationibus, de primo ſignificato cœpit diſputare, quoniam ſciebat nullam eſſe accidẽtis ſignificationem, de qua Philoſophi non diſputarent.

Ad Ariſtotelem in 5. Metaphy. dicitur, quòd largius ibi ſumitur accidens quam hic: nõ enim eſt idem accidens hic, & ibi definitum. Cum igitur vniuoce hic ſumatur accidens, quod Ammonius teſtatur, non tenebatur Porphyrius ipſum diuidere: inſecutus eſt enim Ariſtotelem 1. Topicorum, qui cum ageret de accidente, ſtatim definitionem accidentis in principio tradidit; & hoc modo ſaluatur ſicuti & ibi Ariſtoteles.

Vnde ſciendum eſt, quòd intellectus capit omnia accidentia cõmunia, quæ pluribus ſubiectis inſunt, & non propria, quę vni tantum, & eà conſiderat, non vt prædicantur de ſuis inferioribus, ſed vt prædicantur de ſuis ſubiectis; & omnia hæc colligit in vnum, & definit, quòd ſcilicet illis competat hæc ratio communis, *quod adſunt, & abſunt*, ideſt affirmant, & negant accidentaliter.

Dubitatur ſecundo contra primam deſcriptionem, & ſecundam: videtur enim, quòd prima & ſecunda definitio ſit falſa, quoniam dantur per duo contradictoria, quæ eidem non poſſunt conuenire; nam adeſſe, & abeſſe, ineſſe, & non ineſſe cõtradictoria ſunt, vt ſit impoſſibile; quòd accidens aliquod ſimul adſit, & abſit.

Reſpondetur, quòd vtque iſtę deſcriptiones dantur per duo contradictoria, quæ licet ſimul vni ineſſe non poſſunt; ſucceſſiue tamen ineſſe poſſunt: nam idem accidens adeſt, & abeſt a ſubiecto non ſimul, ſed ſucceſſiue. Ita natura definitur 2. Phyſic. quòd ſit principium motus, & quietis eius, in quo eſt: hoc namque dictum intelligitur nõ ſimul, ſed ſucceſſiue, quia impoſſibile eſt, quòd idẽ ſimul moueat, & quieſcat, quiete oppoſita illi motui; opponũtur autem motus, & quies priuatiue, quæ tamen reducuntur ad contradictoria, vt motus, & non motus.

Tertio dubitatur contra primam definitionem; nam definit accidens per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia: quod quidem videtur erroneum, quoniam accidentia cum habeant ſuum genus, & proprias differẽtias per ſua genera, & per ſuas differentias habent definiri, & non per ſubſtantiam. Vnde ſciendum, quòd nonnulli tenent, quod inhærentia accidentis ſit de intrinſeca ratione accidentis, ideo dicerent, quòd quiditatiue definitur per habitudinem ad ſubſtantiam: Zimara verò & Scotus tenent, quòd inhærentia non ſit de quiditate accidentis, de hoc alias.

Reſpondet Excellentiſſimus Dominus Fauſtinus Summus, quem aliquãdo audiui & honoris gratia nominis ex Simplicio 2. de anima, quòd accidens definitur formaliter ex proprio genere, & differentijs, & ſic non definitur per ſubiectum, cauſaliter verò definitur per habitudinem ad ſubiectum, & ſubſtantiam, & hoc modo definit Porphyrius hic.

Quarto dubitatur contra illud dictum, ſcilicet quòd coruus poſſit intelligi ſine nigredine: Hoc videtur falſum, quoniam ſi ſic eſſet, tũc falſum imaginaremur, cum intelligeremus aliter quàm ſit, quod eſt abſurdum: res enim ſicut ſe habent adeſſe, ita & ad cognoſci.

Breuiter & facile reſpõdeo, quòd Porphyrius non loquitur de veritate, & falſitate intellectionis, ſed de potentia logica, quę dicitur potentia non repugnantiæ, ſecundum quam intelligere poſſumus coruum album, quoniam coruo formaliter non repugnat, vt poſſit intelligi albus.

Secundo reſpondetur, quòd poteſt intelligi coruus ſine nigredine, ideſt poteſt conſiderari coruus non conſiderata nigredine, & hæc eſt abſtractio præciſiua, non diuiſiua; & in præciſiua abſtractione non eſt mendacium, poſſumus intelligere coruum non eſſe nigrum, abſq; quod auferamus eſſentiam eius.

Quinto dubitatur contra illud, quod dictum eſt; accidẽs ſemper in ſubiecto ſubſiſtere. Primo, quoniam ſubſiſtere proprie cõpetit primis ſubiectis, vt habetur in prædicamentis: ſecundò, quia videtur contradicere cum ſupradictis, dixit, quòd accidens poteſt adeſſe, & abeſſe; ergo non eſt ſemper in ſubiecto.

Reſpõdetur, quòd ſubſiſtere quãdoque intelligitur pro eſſe, & exiſtere quandoque pro per ſe ſtare, ſubſiſtere per ſe competit primis ſubſtantijs; at pro eſſe & exiſtere competit etiam accidentibus, & hoc modo capitur hoc in loco. Accidens verò dicitur ſemper eſſe in ſubiecto, ideſt quàm diu remanet accidens, tandiu ſemper eſt in àliquo ſubiecto, non vult dicere, quòd non poſſit non remanere.

Sexto dubitatur, cõtra primam definitionem accidentis, dicit enim accidens eſt, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

Contra,

Contra, plura ſunt accidentia, quæ ſubiectis A adueniẽtia, ipſa ſubiecta perimut, & deſtruũt. Probatur, febris, immoderatus calor, ſiccitas vehemẽs, combuſtio, mors, & huiuſmodi ſunt accidentia, & cum ſubiecto ſuo adueniunt, illud corrumpunt, & deſtruunt. Confirmatur, nam cum caluicium aduenit capillis perdit capillos; ergo accidens aliquod adueniens ſubiecto, ſubiectum perdit.

Reſpondet Ammonius, quòd febris, & quodlibet aliud immoderatum accidens, duplex eſt, & dupliciter poteſt aduenire, vel moderatum, B & non deſtruit ſubiectum, vel immoderatum, & deſtruit ſubiectum, febris, & alia ſupradicta accidentia; primo modo ſunt qualitates, & accidentia; ſecundo modo non ſunt accidẽtia, ſed tranſmutatio ſubiecti, puta corruptio ſubiecti, definitio autem loquitur de accidentibus.

Vel ſic reſpondetur, quòd febris, mors, combuſtio, & huiuſmodi dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo materialiter, vt dicunt alterationem, quæ præcedit corruptionem viuẽtis, & ſic ſunt accidentia, & poſſunt adeſſe, & abeſſe præ- C ter ſubiecti corruptionẽ, alio modo formaliter, ſcilicet pro ſubiecti mutatione, qua mutatur de non eſſe, adeſſe, & hoc modo non ſunt accidentia, ſed mutationes ſubſtantiales, quæ reductiue ſunt de genere ſubſtantiæ, ſicuti motus eſt reductiue in genere ſui termini ad quem.

Vel tertio dicatur, quòd combuſtio febris, & cætera accidentia, quamuis adueniant, & corrumpant ſubiectum, cum ſubiecto adueniunt, tamen per aduentum non conſtituunt eſſentiam ſubiecti, imò deſtruunt, & non ſunt de eſſentia D ſubiecti; nam per licet, *adeſſe*, non vult dicere, quod per aduentum non corrumpãt ſubiectum, ſed hæc & huiuſmodi accidentia, ſiue intelligantur, & prædicentur, de ſubiecto, non prædicantur eſſentialiter, vt fiat eſſe rei, ſi vero negentur, vel non intelligantur, non tollitur eſſentia ſubiecti.

Ad illud de caluicio dicitur, quòd ſiue crines ſit ſubiectum caluicij, ſiue caput, caluicium ſui præſentia non conſtituit eſſe ſubiecti, nec per abſentiam deſtruit eſſentiam ſubiecti. Caluicium enim nec eſt de eſſentia capillorum, nec capitis. Sunt qui dicunt, quòd Porphyrius loquitur de accidentibus poſitiuis, non autem priuatiuis, modo mors, febris, & combuſtio, & alia huiuſmodi ſunt accidentia priuatiua, nõ autem poſitiua: verum ſuperior ratio verior eſt.

Et hic ſit finis capituli de Accidente.

Super Capite de Accidente pro Iuris Studioſis.

BReuiter habetur in cap. de Accidente, quòd cum accidens duplex ſit; aliud ſeparabile, vt dormire; aliud inſeparabile, vt nigredo in coruo. Definitur Accidens, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

De Accidente ſeparabili exemplum habetur in l. quod licet. ff. de contrah. empt. & vend. quo C loci dicitur, conuentionem in emptione, & venditione ſtare ſine arrba: emptioni itaque & venditioni arrha adeſſe & abeſſe poteſt pręter illius contractus interitum.

De Accidente inſeparabili textus eſt in §. pretiũ. Inſt. tit. de empt. & vend. vbi habetur, quòd emptio ſine pretio ſtare non poteſt.

Verùm notandum, quod in corpore iuris accidẽs inſeparabile ſæpiſſime coincidit cum ſubſtantia rei, & eſſentia; nam ſcientia ciuilis verſatur circa actiones humanas, circa leges, & conſti- D tutiones, quæ varię ſunt apud diuerſas nationes, & ciuitates, & propterea non conſiderantur entia realia, quę neceſſaria, & perpetua ſunt, etiamque ſubſtantias, quę per ſe ſubſiſtunt, & vere ſunt entia, apud omnes eadem, ſed ea accidentia, quę dicuntur exiſtere, & eſſe, & vt plurimum euenire. l. 3. ff. de leg. & ea impropriè ſubſtantiam appellant Iuriſtæ, quæ dant eſſe rei in corpore iuris conſideratæ.

Et hæc de Accidente pro Iuris Studioſis.

Finis Primi Tractatus.

PETRI MARTAE
PHILOSOPHIAE, ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
COMMENTARIA IN LIBRVM Prædicamentorum Ariſtotelis, ad vſum Iuris Ciuilis accommodata.

TRACTATVS SECVNDVS.

EXPLICITIS cum Dei auxilio Commentarijs ſuper quinque Vniuerſalibus ſeu Prædicabilibus Porphyrij libri Prædicamentorum interpretationem ſum aggreſſurus. Idcirco antequam verba Ariſtotelis explanem, eadem capita conſiderabo à Græcis Prolegomena nuncupata, à Latinis Prælectiones; quæ pariter fuerunt à me præmiſſa, in Vniuerſalium Commentarijs antedictis, quæ erunt æquali, & pari numero vt ea, nempe octo.

Primo videbimus intentionem, ſiue ſubiectũ libri Prædicamentorum.

Secundo, Vtilitatem.

Tertio, An liber Prædicamentorum ſit legitimus Ariſtotelis, & inter libros Logicæ connumerandus.

Quarto, Conſiderabitur libri inſcriptio.

Quinto, Diuiſionem afferam.

Sexto, Viam doctrinæ.

Septimo, Ordinem libri.

Octauo, Nomen Auctoris.

Quo ad primum, quatuor circumferuntur opiniones de intentione libri Prædicamentorum, Ammonio, & Simplicio referentibus.

Prima opinio eſt quorundam dicentiũ intentionem, ſiue propoſitum Ariſtotelis eſſe, pertractare de vocibus abſolute, ideſt vt voces sũt,

A confirmabant hanc ſuam opinionem quatuor rationibus.

Prima eorum ratio eſt, quia dicunt illa decẽ genera ſimplicia, de quibus ſermonem facit Ariſtoteles eſſe quaſdam voces; ergo intentio ſua eſt agere de vocibus ſimpliciter.

Secunda ratio eſt. Dicunt enim Ariſtoteles ipſemet hoc manifeſte fatetur in Antepraedicamentis cap. 2. in princ. quando dicit, *eorum, quæ dicuntur*, alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur, ſed dici, eſt de vocibus; ergo
B eius intentio eſt pertractare de ſolis vocibus.

Pariter in cap. vlt. Antepredicamentorũ, in fine decẽ generibus enumeratis, ſequitur *ſingula eorũ, quæ dicta ſunt*, ſed dici eſt de vocibus; ergo.

Tertia eorum ratio eſt; liber de interpretatione eſt de propoſitionibus, ſeu de vocibus compoſitis, & non eſt de rebus; ergo iſte liber Prædicamentorum cum ſit de partibus propoſitionis, debet eſſe de ſolis vocibus.

Quarta eorundem ratio eſt, Logica eſt ſcientia verbalis; ergo debet tractare de ſolis vocibus;
C ergo & quælibet eius pars, nempe liber Prędicamentorum.

Verum iſta opinio falſa eſt, quoniam tractare de ſolis vocibus, vt voces ſunt, ſpectat ad Grãmaticum, & non ad Logicum: Grammaticus enim eſt, qui conſiderat voces prout caſibus, & temporibus poſſunt diſtribui, variari, & inflecti

quæ conſideratio eſt conſiderare voces, vt voces ſunt, vnde ſi Logicus ageret de vocibus ſimpliciter, tunc non videretur differre ab ipſo Grãmatico, quod eſt falſum; ergo falſa eſt opinio.

Ideo ad rationes adductas reſpondendo.

Ad primam negatur conſequentia, quia licet illa decem genera ſint voces, non tamen vt voces ſunt, ea conſiderat Ariſtoteles.

Ad ſecundam dico, Admiſſo quod dici ſit de vocibus, & non de rebus, non propterea inferendum eſt; ergo agit de ſolis vocibus, quia licet rerum vocabula ſint illa, quæ dicuntur, vt placet Boetio, & Græcis in expoſitione illius loci, tamen per verbum illud *dicuntur*, non debemus intelligere dictiones ſimpliciter, ideſt quatenus voces ſunt, ſed debemus intelligere dictiones ſignificatiuas, quarum aliæ cum cõplexione, aliæ ſine complexione dicuntur.

Non defuerũt tamen aliqui ex veteribus, qui dixerunt, Per licet *dicuntur*, debere intelligi proprie ſignificata per orationes, & abſiue etiam illa, quæ per ſimplicem dictionem ſignificantur, vt res ipſæ.

Alij Per licet *dicuntur*, non tantum res intellexerunt, de quibus oratio eſt, ſed etiam conceptiones de ipſis rebus; ideo ſi quis loquitur, & nihil eorum quę dicit intelligatur, conſueuimus dicere, nihil dicis, licet aliquam proferat orationem, ſeu dictionem.

Alij dixerunt, quòd licet *dicuntur*, non ſolum rebus, & conceptionibus conuenit, verum etiã, & orationi, & ſimplici dictioni, quatenus ſunt ſignificatiuæ; ſolemus enim dicere quando quis loquitur, iſte dicit orationem, ſeu dictionem.

Quidam alij dixerunt, quòd licet *dicuntur*, nõ ſolum rebus, conceptionibus, orationibus & dictionibus ſignificatiuis conuenit, verum etiam dictioni non ſignificatiuæ, vt chimera, vt blitiri: hæc enim nihil ſignificant, & tamen ſunt de numero eorum, quæ dicuntur, ideſt proferuntur.

Verbum itaque *dicuntur*, rebus, conceptionibus, orationibus, & dictionibus conuenit, & capi poteſt in hunc ſenſum, *res dicuntur*, ideſt res ſignificantur, *conceptus dicuntur*, ideſt quaſi enunciantur, *voces dicuntur*, ideſt proferũtur: Philoſophus vere accepit verbum *dicuntur*, prout conuenit vocibus ſignificatiuis.

Ad tertiam rationem dico, quòd liber de interpretatione eſt de vocibus compoſitis, quæ aliquid ſignificant, ita liber prædicamentorum debet eſſe de vocibus ſimplicibus aliquid ſignificãtibus, vnde non magis debet inferri, quàm de rebus, & aggregato.

Ad quartam negatur aſſumptum, quòd ſcilicet Logica ſit ſcientia verbalis, ideſt quòd ſolũ agat de verbis, & puris vocibus; quia tunc liber iſte grammaticalis eſſet, & non pars logicæ. Præterea reflectendo rationes adductas in contrarium dicere poſſumus. Quo ad primam, decem genera, de quibus ſermo eſt, voces ſunt; ergo voces ſignificatiuæ; ergo ſermo habetur de vocibus ſignificatiuis, non ſimpliciter. Probatur con-

A ſequentia, quoniam duplex eſt vox, ſignificatiua vt Socrates, non ſignificatiua vt blitiri, decem genera non ſunt ſecundi modi, vt patet, ergo erunt primi modi, quinimo nulli Philoſopho eſt ſermo de vocibus ſignificatu carentibus.

Secundam rationẽ reflectendo dicamus cum Ariſtotele in fine Antepraedicamentorũ, *vnumquodque eorum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantũ, aut quale*; ſignificare eſt proprium vocis ſignificantis; ergo intentio eſt de vocibus ſignificatiuis,

B non vocibus ſimpliciter.

Tertiam poſſumus reflectere hunc in modũ. liber de interpretatione eſt de vocibus ſignificantibus conceptum compoſitũ; ergo liber Prædicamentorum, qui antecedit, erit de vocibus conceptum ſimplicem ſignificantibus.

Quartam rationem reflectendo dicamus, Logica eſt ſcientia verbalis; ergo & quælibet eius pars, ſed verbum & vox ſignificant aliquid, vt habetur 1. Perier. ergo liber prędicamentorum, qui eſt pars logicæ, erit de voce aliquid ſignifi-

C cante: & hoc modo videre poſſumus quantum à veritate eſt aliena hæc prima opinio, tum ob facilitatem redargutionis, tum etiam cum eędem rationes fundantes eam, ſint, & quæ eandem deſtruant.

Præterea eſt ſecunda opinio eorum, qui aſſerunt, propoſitum Ariſtotelis eſſe, tractare de rebus, vt res sũt, ideſt de rebus abſolute, inter quos eſt Antonius Mirandulanus, qui cum teneat librum iſtum non eſſe logicum, ſed metaphyſicũ; opinatur etiam quòd intentio Ariſtotelis in hoc

D libro ſit agere de rebus, & ab iſtis adducuntur nonnullæ rationes.

Prima ratio eſt, Ariſtoteles in Antepraedicamentis cap. 2. ibi *eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto dicuntur, alia non*, diuidit res, & nõ voces; ergo intendit tractare de rebus.

Secunda ratio eſt, habet Philoſophus in 4. Metaphyſicæ, quòd circa idem verſantur Metaphyſicus, Dialecticus, & Sophiſta, ſed Metaphyſicus verſatur circa ens, ens autem res eſt, ergo Dialecticus verſatur circa res; ergo iſte liber, cũ

E ſit Dialecticæ pars, erit de rebus.

Tertia ratio eſt, ſermo in Prædicamentis eſt de ſubſtantia, quãtitate, & reliquis, que ſunt entia, & res. Verum eſt enim dicere, ſubſtantia eſt, quantitas eſt, & ſic de alijs; ergo intentio ſua eſt agere de rebus.

Quarta ratio eſt, Auicenna in t. ſuæ logicæ, & inſuper Latini dicunt, Logicam eſſe de ſecundis intentionibus primis applicatis, quod videtur ſentire Auerroes in Paraphraſi ſuper Porphyrium, quando logicam rationalem ſcientiã

F appellauit. Alexander etiam Aphrodiſæus ſtatim in principio primi Priorum, logicam ratiocinatricem facultatem appellauit, ſed ſecundæ & primæ intentiones ſunt res, & entia; ergo de rebus intendit Ariſtoteles agere.

Hæc quoque opinio falſa eſt, ſiquidem de rebus agere, vt res ſunt, ad Metaphyſicum, non ad

Logicum

Logicum ſpectat, & reſpondendo rationibus adductis.

Ad primam dicitur, quòd verum eſt, quòd Ariſtoteles res ipſas diuidit, non tamen ſolas res, ſed etiam voces ipſas conſiderat, & diuidit.

Ad ſecundam dico, quòd Logicus verſatur circa ens, & circa rem aliquam, ſed non eodem modo, quo Metaphyſicus, quia in Metaphyſica conſiderantur res, vt res ſunt; Logicus autem conſiderat illas, quatenus ordinantur ad ſecundas intentiones, vt habēt eſſe intellectuale, quod à Latinis eſſe rationis nuncupatur.

Ad tertiam pariter reſpondeo, quòd licet quæ in prædicamentis conſiderantur, res ſint, non tamen vt res ſimpliciter eas conſiderat Ariſtoteles, ſed in ordine ad ſecundas intentiones, quatenus ordinantur ad ſyllogiſmum.

Ad quartam, concedo notiones eſſe entia, & intellectualia, non tamen ſunt res, ſiue entia realia, vt argumentum procedit, quia ſi eſſent entia realia tunc non eſſent per opus intellectus, ſed ſunt entia rationis, circa quæ Dialectica verſatur, Metaphyſica autem circa entia realia.

Obijcies, ſi intentiones eſſent per ſe intellectuales, tunc caderent ſub obiecto noſtri intellectus: conſequens eſt falſum, ergo, Subtiles reſpondent ad hoc, negando falſitatem conſequentis, probatur, quia obiectum noſtri intellectus per Scotum in quol. quæſt. 3. eſt ens reale, ſecundæ autem intentiones ſunt entia rationis; ergo reſpondent Subtiles, quòd ſecundæ intentiones per ſe virtualiter continentur ſub obiecto adæquato noſtri intellectus, ſcilicet in primis intentionibus, virtute quarum itelliguntur.

Tertia fuit opinio eorum, qui dixerunt intentionem Philoſophi eſſe de ſolis conceptibus differere.

Prima ratio eſt, volebant enim decem iſta genera conſiderari, quæ ſunt in multis, poſteriusq; genita, & quatenus ſcilicet in animo noſtro inhærent.

Secunda ipſorum ratio eſt huiuſmodi, Logica eſt de ſecundis intentionibus, quæ ſunt conceptus; ergo iſte liber, qui eſt logicæ pars, erit de conceptibus.

Tertia ratio eſt, intentio in hoc libro non eſt de rebus neque de vocibus, ergo eſt de conceptibus: Conſequentia probatur, quia non eſt de rebus, quæ ſpectant ad Metaphyſicum, neque de vocibus vt ſupra etiam oſtenſum eſt, ergo reſtat, quòd ſit de conceptibus.

Probatur, illud de quo pertractatur in hoc libro eſt per ſe pars ſubiecti libri enuntiationis, & enuntiatio eſt per ſe pars ſubiecti libri Priorum, ſcilicet ſyllogiſmi, ſed ſyllogiſmus habet omnes ſuas proprias paſſiones ſibi inhærentes etiam nulla voce exiſtente, vt puta in mente, ſimiliter & enuntiatio habet ſuas; ergo quod conſideratur in hoc libro eſt naturaliter prius quacunque voce ſignificatiua, ſicu-

A ti pars integralis ſuo toto, cum & eorum vtrumque ſit naturaliter prius eadem voce ſignificatiua, & quod hic conſiderat, ſit vtroque prius naturaliter; ergo intentio Ariſtotelis non eſt de voce, ſed de aliquo priori, prior voce conceptus eſt; ergo.

Quarta ratio pro hac opinione formari poteſt hunc in modum, nulla proprietas vocis ſignificatiuæ hic oſtenditur de ea; nec in aliqua parte logicæ; ergo de ipſa non eſt intentio, ſed de aliquo priori, nempe de conce-

B ptu ipſo.

Verum etiam hæc opinio eſt falſa, quoniam de conceptibus tractare, vt conceptus ſunt, ad Animaſticum ſpectat, non ad Logicum.

Vnde ſciendum, quòd conceptus dicuntur eſſe paſſiones animæ vt 1. Perier. docuit Ariſtoteles; & quoniam paſſio eſt tertia ſpecies qualitatis, ideo conceptus qualitas quædam eſt, non quidem corporea; ſed incorporea, quæ poteſt ad intellectum referri. Dici-

C mus enim conceptum eſſe animæ concipientis conceptum; ideo dicit Simplicius, qui librum hunc de conceptibus eſſe conſtituunt, conſiderare debent, quod conceptus, quatenus conceptus ſunt, & paſſiones animæ, ſiue ad animam relatiue referuntur, non attinent ad Logicum, ſed ad tractationem de anima; propterea ad rationes adductas.

Ad primam, & ſecundam rationem, vnica reſponſione ſatisfacere poſſumus dicendo, quòd duplex eſt conceptus, alter eſt, qui ab ipſis re-

D bus proxime producitur, vt ſi intellectu concepero ſimilitudinem lapidis, & hæc cognitio a Latinis realis, ſeu prima intentio vocatur, & tales conceptus reales ad Dialecticum pertinere negamus, alter conceptus eſt, qui ſecunda intentio vocatur & hæc non immodiate res ſignificat, licet fundamentum habeat in rebus, quia ſecundæ intentiones fundamentum habent in primis.

Hac ſtante diſtinctione, non nego Logicam tractare de conceptibus iſtis ſecundis, & de his

E ſecundum aliquos intellexerunt Auicenna, & Boetius, cum dixerunt Logicam tractare de ſecundis intentionibus primis applicatis.

Ad tertiam rationem ſimili modo reſpondetur, quòd dato, quòd in hoc loco agat de aliquo priori quàm ſit vox, quòd reſpectu vocis ſignificatiuæ tantum habet rationem ſignificantis hoc nil aliud eſt, niſi conceptus ſumptus pro ſecunda intentione attributa rebus, vel vocibus.

Ad quartam rationem reſpondetur cum Boetio, quòd voces ſignificatiuæ poſſunt dupliciter

F conſiderari vno modo, vt imponuntur ad ſignificandum, & ſic conſiderantur a Logico hoc in loco, & ſic non eſt neceſſe aſſignare eorum proprietates, alio modo; vt illis vocibus ſignificantibus inſunt proprietates cauſatæ ab intellectu, & hoc modo conſiderantur a Grammatico.

Quarta eſt denique opinio, quam Ammonius

attribuit Iamblico, & eam idem Ammonius, A & Simplicius ſequuntur, quam ego veriorem iudico,& omnes moderni recipiunt.

Ammonius enim, & Simplicius hoc in loco ſuprapoſitis opinionibus recenſitis, & reiectis aſſerunt intentionem Ariſtotelis eſſe, hic conſiderare voces ſimplices, quatenus ſunt per medios, & ſimplices conceptus rerum ſignificatiuæ, non de vocibus ſimpliciter, quoniam eſſemus Grammatici, neque de rebus ſimpliciter, quoniã eſſemus Metaphyſici, neque de conceptibus ſimpliciter, quoniam hoc ſpectat ad librum de anima. B

Dicunt igitur, quòd intentio Ariſtotelis eſt conſiderare prima decem genera, prout ſunt voces ſignificatiuæ rerum, ad differentiam eorum, qui dicebant, propoſitum Philoſophi eſſe tractare de vocibus abſolute, dicitur autem poſtea per medios cõceptus, quoniam dicit Ammonius, illa vox ſubſtantia, ſignum eſt, ſeu ſignificatiua eſt ſubſtantiæ, ſiue primo illius ſubſtantiæ, quæ eſt penes intellectum, id eſt conceptũ. Vox itaque ſignificat rem, per hoc medium, videlicet per cõceptum: oportet enim quòd ſi res eſſe C debet, eius quoque nomen exiſtat, & ante nomen oportet exiſtere notionem, quam habemus de ipſa re. Exemplum, nomen Platonis eſt iſta vox Plato, res autem eſt ipſe Plato; cognitio verò & conceptus, quem habemus de Platone, eſt notio illa, quæ hæret in animo noſtro, ſiue in noſtro intellectu; & ita patet, quomodo voces ſignificant rem per medios conceptus; cum itaque agatur de terminis, quatenus ſunt rerum ſignificatiui, & de illis ſit conſideratio: oportet, ait Ammonius, etiam è contrario D dicere quod conſiderat res, & conceptiones pro ut ſignificantur ab illis, non tamen ob id intentio principalis eſt tractare de rebus, ſed de vocibus ſignificatiuis, hoc namque ad Logicum, illud ad Metaphyſicum ſpectat. Et ideo diuiſio, quæ datur in Antepradicamentis in decem prima genera, accipitur ſecundum ſignificatiuas dictiones, quod eſt proprium Logicæ tractationis, illa eadẽmet diuiſione vtitur Philoſophus in 5. Metaphyſicæ, & in libris de moribus ad Nicomachum, ſed in his locis, & alibi accipitur talis E diuiſio ſecundum ſubſtantiam rerum, vt eſt proprium contemplationi de rebus, vt eſt proprium Metaphyſicæ.

Non eſt itaque intentio Philoſophi agere de his vocibus abſolute, vt voces ſunt, & prorſus à rerum natura ſeparatæ, neque de rebus vt res ſunt, id eſt vt ſunt ſegregatæ, & alienæ ab his vocibus, & nominibus, quæ ſunt apta ſignificare illas; neque intẽdit agere de conceptionibus abſolute, id eſt vt ſunt extra vtraque rerum F naturam, id eſt vt ſunt extra voces, & res ipſas.

Sed propoſitum eius aſt agere de vocibus ſimplicibus, ſiue de primis rerũ vocabulis, quatenus ſunt ipſarum rerum per ſimplices, & medios cõceptus ſignificatiuæ.

Hæc eadem opinio Boetio quoque attribuitur, qui ſuam intentionẽ aperiens inquit, quòd cum res in principio mundi eſſent, & in ſua prima conſtitutione manerent, ſolum genus humanum repertum eſt, quod vnicuique rei nomen imponeret, & aptaret. Hinc factum eſſe, vt hoc corpus hominem vocaret, illud lignum, aliud colorem, aliud vero lapidem, menſuras itidem ſingulas proprio nomine vocauit; & ideo hoc bipedale aliud tripedale dicitur: & cum tandem ipſum genus humanum ſingulis rebus ſingulum nomen, ſeu vocabulum adaptaſſet, conuertit ſe ad proprietates, & formas ipſorum vocabulorum, ex quibus ſane vocabulorum formis, quæ poſſent caſibus inflecti, nomina vocauit, quæ verò temporibus diſtribui verba.

Vnde primum nomen fuit ipſius rei vocabulum, vt gratia exempli, quod quælibet res homo dicatur, quod autem ipſum vocabulum, ſcilicet homo nomen diceretur, non ad ſignificationem ipſius nominis refertur, ſed ad figuram, idcirco quod poſſit caſibus inflecti. Vnde homo eſt primum nomen, ſeu vocabulum rei; nomen verò eſt nomen nominis, ſeu vocabuli.

Quibus poſitis, concludit in hoc opere intentionem Ariſtotelis eſſe, diſputare de primis rerum nominibus, & vocibus res ſignificantibus, non in eo, quod ſecundum aliquam proprietatem, figuramque formant, ſed in eo, quod ſignificantes ſunt, & ſic conuenit cum Iamblico, Ammonio, Simplicio, & alijs ſupra poſitis.

Cauſa intentionis (vt iidem Ammonius, & Boetius aſſerunt) fuit adunare ad iſta decem genera generaliſſima omnia entia diſperſa, & infinita.

Cum enim intentio ſit diſputare de primis vocibus prima rerum genera ſignificantibus, medio conceptuũ in eo, quod ſignificantes ſunt, & iſtarum rerũ multitudo infinita eſſet, quoquomodo rerum ipſarum vocabula, & nomina infinita eſſe putandum eſt.

Vnde Ariſtoteles rerum naturaliũ maximus indagator, cognoſcens infinitum non poſſe ſub ſcientiam cadere, cum incomprehenſibile ſit, multitudinem illam, illumq; numerum infinitũ ad finitum numerum redegit, colligens omnia ſub his decem generibus, omnes namque ſubſtãtiæ ad vnam ſupremam ſubſtantiã reducuntur, & ita fit vnum prædicamentum, ſingulæ ſimiliter quantitates, cum ad vnam ſupremam quantitatem fuerint reductæ, aliud conſtituunt prædicamentum, & ſic de ſingulis alijs dicatur.

Poteſt etiam dici, quòd cauſa intentionis fuit propter conſtitutionem ſyllogiſmi: ſyllogiſmus enim conficitur ex propoſitionibus, de quibus in libro Perier. in quo etiam de nomine, & verbo agitur, nomen autem & verbum non valemus recte perdiſcere, & cognoſcere, abſque cognitione primarum ſimplicium vocum, de quibus in hoc libro tractat Philoſophus: homines enim ſuum cuique rei nomen impoſuere, id ſolum curantes, vt res per voces ſignificarentur, non tamen dicerent quid nomen ſit aut verbum.

Et pro maiori dilucidatione huius quartę opinionis, non erit ab re dubitare de ipſa.

Primo enim quis dicere poſſet ſi hæc quarta opinio eſſet vera, ſequeretur, quod triplex eſſet Ariſtotelis intentio. Probatur, quia intentio eius ſumitur a tribus rebus, ſcilicet a voce, a re, & a conceptu: & cum ex tribus fiat vnum aggregatum accidentale, tunc intentio ſua eſſet circa accidentale aggregatum, quod a ſcientifica facultate nõ conſideratur.

Reſpondetur, quòd illa tria conſiderantur à Philoſopho cum æquali proportione, & non principaliter omnia, quia ſic intentio non eſſet vna, ſed fieret aggregatum accidentale, ſed id, quod principaliter conſideratur, eſt vox, cæteræ vero particulæ adduntur, vt oſtendatur, quòd conſiderandum non eſt de vocibus, vt voces ſunt, vt Grammatici in hoc libro eſſemus; ſic etiam dicit Ariſtoteles in 1. Poſter. tex. com. 12. numerum armonicum eſſe ſubiectum Muſicæ, non quia numerus & armonia æqualiter conſiderentur, nam vt ſic accidentale aggregatum conſtituunt, ſed numerus principaliter conſideratur, ordinabilis tamen in Armoniam. Ita in propoſito, prima Ariſtotelis intentio eſt de vocibus, non vt voces ſunt, ſed vt ſignificant decem rerum genera, mediantibus ſimplicibus conceptibus.

Secundo vlterius quis inſtare poſſet contra hanc opinionem, quoniam ſi intentio eſt agere de vocibus, prout ſunt ſignificatiuæ rerum; ergo oportet Logicum definite cognoſcere rẽ, quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur per Ariſtotelem in cap. de Relatione, vbi habetur, quod cognito vno correlatiuorum, definite neceſſe eſt cognoſcere alterum, ſed vox eſt relatiua ad rem, quia eſt ſignum rei; ergo ſi primo conſiderantur voces, etiam & res.

Reſpondeo, quod iſta ſe habent per ordinem, vox, conceptus, & res, quoniam vox eſt primo ſignum conceptus & non rei, & conceptus eſt ſignum rei: vnde ad argumentum dicitur, quod vox non eſt primo ſignum rei, ſed conceptus, & conceptum oportet Logicum conſiderare, non principaliter; ſed propter cognitionem primi ſubiecti, ideſt vocis.

Contra opponitur, hæc ſolutio non euadit argumentum, quia ſi Logicus conſiderat conceptum, & conceptus eſt ſignum rei; ergo oportet ens, & rem conſiderare.

Reſpondetur, quòd relatiuum cognoſci contingit dupliciter, vel quantum ad omnia, quæ ſunt in ſe, vt cognoſcendo ipſum definite, & proprietates eius, vel quantũ ad ea, quę inſunt ei, quatenus refertur ad aliud, & hunc in modũ res cognoſcuntur, & conſiderantur in Logica, non definite, vt res ſunt, ſed in quantum ſunt per conceptus, & voces ſignificatæ.

Tertiò inſtare poſſet quiſpiam contra eandem opinionem, ſi intentio eſſet de vocibus ſignificatiuis, ſequeretur, quod inter voces nullus eſſet ordo, quod eſt falſum. Falſitas probatur,

A quia prædicamenta, & quæ in prædicamentis reponuntur ordine ſe habent. Conſequentia probatur, omnis vox ſignificatiua in genere vocis ſignificantis eſt ſingularis, quia quælibet vox eſt vna ſimplex vox; ergo non magis aliæ voces ſignificatiuæ ad illas reducuntur, quàm iſte ad alias, quod eſt abſurdum, quia prædicamenta ad alia non reducuntur, ſed bene alia ad ipſa. Reſpondetur, quod licet inter voces ſignificatiuas in genere vocis non ſit aliquis ordo, tamen eſt ordo inter illas ratione conceptuũ, ideſt qua

B tenus ſignificant conceptus, veluti omnis propoſitio in genere propoſitionũ eſt ſingularis, quia quælibet eſt vna tantum propoſitio, tamen alia eſt ſingularis, alia vniuerſalis ratione conceptus ſignificati. Stat itaque vera hæc quarta opinio Boetij, Simplicij, Ammonij, Iamblici, & aliorum, qui eos ſequuntur, vt vidimus.

Quo ad ſecundum caput, vtilitas huius libri maxima eſt, quoniam cum munus logici ſit ſyllogizare, vt verum a falſo diſtinguatur, ſyllogizari autem non poſſit, niſi ex propoſitionibus, quæ

C affirment, aut negent, & propoſitiones non poſſint affirmare, & negare, niſi cõſtent ex nomine, & verbo quæ ſunt ſimplicia, & propria ipſarum propoſitionum principia; ideo de his agitur in libris de interpretatione: verũ quia ibi nomina, & verba conſiderantur, vt ſunt ſigna rerum, & omnes ſecũdę notiones innituntur generibus rerũ, vt fundamẽtis; ideo tanquam fundamenta, & tã quã ea, quę nominibus, et verbis ſunt demonſtanda, et de quibus formantur prędicationes, præcognoſcenda ſunt prædicamenta, quę ſunt genera pri-

D ma rerum mortalium: ideo iſte liber, cum talem nobis afferat cognitionem, eſt maxime vtilis.

Sequitur tertium caput, an iſte liber ſit legitimus Ariſtotelis, ad quod dicimus, ipſum eſſe ex libris Ariſtotelis duplici ratione, tum ex ſtylo, tum ex veterum Philoſophorum auctoritate; ex ſtylo hoc patet, quoniam eſt copioſus, & vberrimus ſententiarum, ac verborum partim ſtudioſus; auctoritate veterum Philoſophorum idem patet; eſt enim auctoritas Simplicij, Ammonij, Boetij, Diui Thomæ, Sueſſani, & aliorum, qui

E omnes hunc librum Ariſtotelis eſſe fatentur, in modo inter libros Logicæ connumerandus ſit, tradendum eſt.

Sunt nonnulli, qui defendunt librũ hunc prædicamentorum Ariſtotelis non eſſe Logicũ, vt Andronicus (teſte Ammonio) Balduinus, Antonius Mirandulanus, & hoc potiſſimum duabus rationibus; quarum prima eſt, liber iſte agit de rebus, ſed res non ſunt de conſideratione logici: ideo liber iſte non eſt logicus. Confirmatur

F auctoritate Boetij dicentis, logicam eſſe de ſecundis intentionibus applicatis primis, inſuper de prædicamentis agit Ariſtoteles in 5. diuinæ Philoſophiæ; ideo videtur hic ſuperfluus.

Alia eſt ratio, Dicitur, quòd agitur in hoc libro de prima operatione intellectus, quæ eſt ſimplicium apprehẽſio: cõtra, quoniã de ſimplicium

cognitione alibi quam in libro prædicamentorum egit Ariſtoteles: igitur liber iſte eſt ſuperfluus. Probatur, quoniam 1. Perier. de nomine & verbo egit Ariſtoteles, quæ ſunt ſimplicia: ergo illa cognitio pro prima operatione animę ſufficiens eſt, ergo liber iſte non erit pars logicæ.

Pro diſſolutione huius difficultatis ſciendum eſt, primo quòd de rebus duobus modis tractare poſſumus, vel vt res ſunt, puta conſiderando hominem, vt animal eſt, vt rationale, vt mortale, & hæc cognitio proprie realis eſt. Similiter de prædicamentis contingit: ſi enim ſubſtantia conſideratur vt finita, vel infinita, ſimplex, vel compoſita, corporea vel incorporea, dependens, vel independens, ęterna, vel corruptibilis, tota hęc conſideratio realis, & Metaphyſica eſt. Si verò ſubſtantia vt genus generaliſſimum conſiderabitur, vt prima, & ſecunda, vt indiuiſibilis, ſpecifica, generica, hęc cōſideratio erit ſecundum aliquod attributum merito rationis, & hęc cognitio logica, & non realis dici poterit.

Secundo notandum, quod omnis cognitio, aut confuſa, aut diſtincta eſt, diuiſio, quæ ſumitur ab Ariſtotele 1. Phyſ. cap. 1. eſt autem confuſa ſecundum quid, imperfecta, vniuerſalis, in potētia, diſtincta verò ſimpliciter, particularis, perfecta, actualis, vt quando cognoſco Socratē in eo quod corpus eſt, hęc notitia confuſa eſt; in eo verò, quòd Socrates, eſt diſtincta.

His poſitis pono duas concluſiones.

Prima eſt, liber prędicamētorum agit de decem generibus rerum, non vt res ſunt, ſed penes aliquod attributum illis à ratione; & per hoc Logicus à Metaphyſico ſeparatur, quia licet ambo conſiderent res, non tamen eodem modo, ſed diuerſimode, quia Logicus nō agit de rebus vt res ſunt, ſed agit de ipſis ſecundo intentionaliter ſumptis.

Secunda concluſio, liber prædicamentorum agit de vocibus ſimpliciter, diſtincte, et perfecte: ſed liber Perier. agit de ipſis confuſe, & imperfecte. His ſtantibus reſpondetur modo formaliter ad rationes.

Ad primam dicitur, Ariſtotelem non tractare de prædicamentis eadem ratione, vt in Metaphyſica; ibi enim vt res ſunt, conſiderantur; hic vero in ordine ad ſecundas intentiones, ſiue notiones.

Ad ſecundam dicitur, quòd notitia illa ſimplicium, de qua diſtincte in hoc libro tractat, & quatenus ſunt fundamenta ſecundarum intentionum, cōfuſe habetur in 1. Perier. per modum continuationis, & vt ſunt ſigna rerum, quemadmodum 1. Prior. definita eſt propoſitio, quam tamen diſtincte explicauerat in libro de interpretatione, ſic in propoſito dicimus, non ſufficere illam cognitionē vniuerſalem de nomine, & verbo, niſi eam diligentius in libro prædicamentorum declaraſſet Ariſtoteles. Cōcludimus itaque librum prędicamentorum logicum eſſe, & inter libros Logicæ connumerandum, cum non agat de decem generibus rerum, vt res ſunt, ſed penes

A nes aliquod iis a ratione attributum.

Quartum caput erat inſcriptio; Qui tenent librum hunc non eſſe logicum, dixerunt inſcribi de rebus, vel de decem generibus rerum. Quam opinionem cum improbauerimus, minime inſcriptionem approbare debemus.

Alij vero, vt referunt Simplicius, & Boetius, inſcripſerunt librū hunc Antetopica, quaſi topicam præcederet, & ante librum Topicorum immediate ordinādum, cuius opinionis fuit Adraſtus (referente Simplicio) quæ inſcriptio ab eo- B dem Simplicio reijcitur, quoniam ſimplices voces immediate & proxime pręcedūt propoſitiones, quæ ab ipſis proficiſcuntur, & illos ſyllogiſmos, qui ex ipſis propoſitionibus conſtant.

Hanc impugnationem reprehendit hoc in loco Dominus Honoratus de Robertis, dicit enī Simplicium non percepiſſe, quare inſcribatur hunc in modum; ſiquidem non dicitur Antetopica a loco viciniori, ſed propter maximam vtilitatem, quam topico negotio confert.

Verùm iniuria redarguit Simplicium, quoniā C non video cur ab vſu potius, quam a vicinitate Antetopica dicatur. Quinimo video Boetium idem dicentem, qui reprobando eandem inſcriptionem, quęrit, cur non magis hic liber vel Anteperihermenias, vel Anteresolutorius inſcribatur, cum primi reſolutorij ante topicam legantur, & ante primos reſolutorios liber Perihermenias. Verùm addit, quod ſi ab vſu, & vtilitate dicatur Antetopica, non videt cur potius non inſcribatur Antephyſica, cū in ipſam non minor ſit huius libri, & vſus, & vtilitas, quicquid ſit, hęc D inſcriptio eſt repudianda.

Eſt vera interpretatio, quæ communiter approbatur, videlicet quòd liber inſcribitur Prædicamentorum Ariſtotelis, ſiue liber Categoriarum metaphorice.

Cum enim genera ſint in duplici differentia, vt viſum eſt in prædicabilibus quędam generaliſſima, quæ genera ſunt duntaxat, quędam ſubalterna, quæ genera ſunt inferiorum, ſpecies ſuperiorum, generaliſſima ſolum prędicantur, ſubalterna ſunt quoque generaliſſimis ſubiecta. Hic E autem ſermo fit de decem generibus generaliſſimis, quæ prædicantur ſolum nunquam ſubijciuntur, ob id inſcribitur liber prædicamentorum, hoc eſt eorum, quæ tantummodo prædicantur.

Et Metaphorice inſcribitur liber Categoriarum, nam Categoria proprie ſignificat accuſationem: vnde ſicuti in accuſatione ſemper apponitur aliquod ſubiecto, vt cum Cæſar accuſatus eſt de ambitu, ambitus eſt quod apponitur Cæſari, ſic euenit in propoſitione, vt cum F dico, homo eſt albus, album eſt illud, quod apponitur ſubiecto; & propterea per tranſlationem Categoria dicitur prædicamentum.

Sequitur diuiſio, quæ maxime vtilis eſt; diuiſio igitur, quam habet Ariſtoteles, ab ipſo aſſignatur ſecundum ritum Mathematicorum: nam ſolent Mathematici in ſuis operibus tractare

illam

illam partem, quæ docet ea, quæ ad tractatum pertinent, vt quid ſit linea, quid punctum, quid linea recta, quid curua, quid angulus, & ſimilia: poſtea ad tractatum deſcendunt, in quo ſua præcepta docent, vt quòd omne totum eſt maius ſua parte, & ſi ab æqualibus æqualia demas, ea quę remanent, ſunt æqualia a centro ad circumferentiã omnes lineæ ductæ ſunt æquales: idem videtur aduiguem obſeruare Ariſtoteles; nam in prima parte docet, quid æquiuocũ, quid vniuocum, quid denominatiuum, quid complexum, quid incomplexum, & quod aliqua ſunt in ſubiecto, aliqua non, aliqua accidentia, alia ſubſtantiæ, & quòd omnia prædicamenta ſunt aut ſubſtantia, aut quantitas, aut qualitas, & reliqua: poſtea ad tractatum deſcendit, vbi docet, quid ſit ſubſtantia, quid quantitas, quid qualitas, & reliqua.

Opus igitur diuiditur in tres partes, in Antepredicamenta, Prædicamenta, & Poſtprædicamenta. In prima parte agit de quibuſdam, quæ tractatũ prędicamentorũ præcedunt. In ſecunda de ipſis prędicamentis. In tertia de quibuſdã, quæ tractatum prædicamentorũ conſequuntur.

Cur verò quæ tractantur, poſtprædicamenta, & antepredicamenta, cum illis, quę docentur in prædicamentis non reponantur, videbimus, quando poſtprædicamenta ipſa declarabimus.

Viam doctrinæ, quam obſeruabit Ariſtoteles in hoc libro erit triplex, Definitio, ſiue Deſcriptio, Diuiſio, & Declaratio per proprietates, his enim duobus inſtrumẽtis, & vnica declaratione per proprietates omnia decem prædicamenta abſoluit.

Septimo ordo libri prouehit declarandus; nam ordo, vt vidimus in prædicabilibus cadit inter prius & poſterius, & vbi eſt ordo, ibi eſt prius, & poſterius, & è conuerſo.

Liber igitur iſte, cum habeat ordinem, poteſt comparari vel ad priores, vel ad poſteriores libros; ſi comparetur ad priores, dicunt aliqui quod eſt ſecundus, quoniam ſubſequitur librum Porphyrij de quinque vniuerſalibus. Alij autem voluut, vt ſit primus, vti Auerroes in hoc loco, quæ diſcordia facile conciliatur, quoniam ſi accipiamus libros logicos tam vtiles; quam neceſſarios, dicimus quod eſt ſecundus: ſi autem accipiamus libros Ariſtotelis tantum, libros neceſſarios dicimus quòd eſt primus, & ſic antecedit omnes alios libros ordine compoſitiuo, quoniam Ariſtoteles in ſuis operibus ſemper exorditur ordine compoſitiuo, à ſimplicioribus ad magis compoſita.

Ordo enim duplex eſt, Compoſitiuus, & Reſolutiuus; ordo compoſitiuus eſt, cum quis vult ædificare domũ aliquã, incipit à ſimplicioribus, ideſt à lapidibus, lignis, calce, & huiuſmodi, & procedit ad ea, quę ſunt magis cõpoſita, ideſt ad parietes, & tectum. Ordo autem reſolutiuus contrario modo procedit, ideſt à compoſitis ad ſimplicia, vt ſi quis vellet deſtruere domum, inciperet a tecto ad parietes, & inde ad fūdamenta

A procederet: Ariſtoteles igitur in omnibus ſuis operibus ordine compoſitiuo procedit.

Hic etiam hoc modo, & ordine procedens præponit librum Prædicamentorum libro Perier. & ratio eſt, quoniam liber prædicamentorũ agit de ſimplicibus vocibus res ipſas per medios conceptus ſignificantibus; nam intellectus habet tres operationes; prima ſimplicia colligit; ſecunda componit, diuidit, affirmat, negat, componit nomen cum verbo, vt Socrates currit, homo eſt animal, & ſimilia; tertia operatio
B eſt diſcurſus, vt cum ex hac affirmatione homo eſt animal, Cicero eſt homo, infero Ciceronẽ eſſe animal. Cum igitur tres ſint operationes intellectus, merito Ariſtoteles auſpicatus eſt a prima, quę ſimplicia cognoſcit. Ideo primo loco de prædicamentis agit, quæ ſunt ſimplicia cognita.

Vltimũ caput ex dictis, & precipuè ex inſcriptione habetur, videlicet nomẽ Auctoris. Eſt autem Ariſtoteles, quod nomen Ariſtotelis fuit appoſitum ad excludendum librum prædicamentorum Architæ veteris Philoſophi, vt volunt
C multi, qui fuit ante Ariſtotelem: is enim librum Prædicamentorum conſcripſit, in quo valde ab Ariſtotele differt, quoniam quædam neceſſaria prætermiſit, quædam verò ſuperflua addidit. Vt itaque excluderetur liber Architę Tarentini; additum eſt nomen Ariſtotelis in hac inſcriptione. Sequitur textus.

De Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis. Caput Primum.

D

IN exponendis Ariſtotelis verbis, eundem ordinem ſeruabo, quem obſeruaui in Commentarijs libelli Porphyrij.

Primo nãque Auctoris intentio, ſeu propoſitũ declarabitur.

Secundo, Intentionis illius cauſa.

Tertio, Vtilitas rei intentę, ſed non ſemper.

Quarto, Quõ vna pars alteri continuetur.

Quinto, Diuiſio textus.

E Præterea notanda, & dubitationes.

Intentio itaque Ariſtotelis, antequam prædicamẽta pertractet, eſt quaſdam regulas declarare, nõnullas diuiſiones, quaſdamq; definitiones, & ſic de regulis, definitionibus, diuiſionibus quibuſdam agere.

Cauſa intentionis aſſignatur, cũ quęritur cur Antepredicamenta, agat de Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis. Dubitant ergo nonnulli (referente Simplicio) cur cuius de Prædicamentis ſit intentio, ſtatim nõ de ipſis, ſed de enarratis
F agit. Videtur enim, dicit Porphyrius, eſſe ſimilis illi, qui cum vnum promiſit, aliud dat.

Reſpondent Porphyrius, & Simplicius, quòd Ariſtoteles non eſt ob id ſuperuacaneus, neque propoſitę rei oblitus, ſi prius agit de his, quàm de prædicamẽtis, quoniã iſta ſunt neceſſaria ad prędicamentorũ doctrinã, & ne inter diſputandum

de prædicamentis ea, quæ hic tractat, docere cogatur, & ita continuam diſſerendi ſeriem interrumpat; dicit igitur Ariſtoteles prius de illis.

Diuiditur hoc caput in tres principales partes, ſecundum quod de tribus agit, de Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis: quarum quælibet pars habet duas particulas; in vna definit; in altera definitioné exemplo declarat. Dicit itaque in prima parte.

Aequiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomé verò ſubſtantiæ ratio diuerſa.

Ideſt æquiuoca dicuntur eſſe illa, quę habent vnum commune nomen, *& rationem*, ideſt definitionem ſecundum illud nomen commune importatam, diuerſam, quia illud nullam rationem communem ſignificat, ſed diuerſam.

Vt animal & homo, & quod pictum eſt: horum enim ſolum nomen commune eſt. Secundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa.

Hæc eſt ſecunda particula huius primæ partis, in qua exemplo declarat prædictam definitionem æquiuocorum, & dicit, Exemplum ſumas de animali vero, & picto, ſimiliter de homine vero, & homine picto; nam homo verus, & homo pictus ſunt æquiuoca, quia ita ſe habent, quod conueniunt in hoc nomine communi, ſcilicet homo: at non conueniunt in ratione communi ſignificata, hoc nomine homo, quia homo vt dicitur de vero & picto habet nomen tantũ commune, ſed non ſignificat naturam communem, quæ ſit communis homini vero, & homini picto, quia homo verus eſt in prædicamento ſubſtantiæ, homo pictus in prædicamento qualitatis: at id, quod eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & id, quod eſt in prædicamento qualitatis non habent naturam communem, in qua cõueniant, quia nec habere poſſunt rationem, ſiue definitionem communem illius naturæ communis, quia nulla datur natura talis, ſed hæc vox homo ſicut ſignificat hominem verum, & pictum, ita ſignificat duas rationes diuerſas, puta rationem hominis veri, puta Socratis, & rationem hominis picti, puta imaginis Socratis: habent ergo ſolum nomen commune, vel animalis, vel hominis, nullam verò rationem communem ſignificatam tali communi nomine. *Si quis enim aſſignet*, hoc eſt ſiquis definiat, ſeu deſcribat, hominem verum, & pictum in quantum ſunt animalia, vel homines, non aſſignabitur communis definitio, vel deſcriptio, quia nomen animal, & homo non ſignificant naturam communem vtrique, nec poteſt aſſignari communis ratio ſignificata nomine animalis, vel hominis, ſed propria ratio aſſignabitur vtriuſque, quia homo ſicut ſignificat hominem verum, & pictum, ita ſignificat rationes hominis veri, & picti; nullam verò rationem

A communem dicit, dico rationem communem non ſignificare talia nomina, non vt æquiuoca ſunt, quia ſic dicunt rationem communem æquiuocorum, ſed vt animalia ſunt, vel vt homines ſunt: æquiuocum ergo nomen nõ ſignificat rationem communem, ſed propriam rationẽ ęquiuocatorum, & diuerſam, ideſt ſignificat plures rationes, & diuerſas, ſecundum tale nomen. Hęc eſt tota ſententia textus, circa quem ſunt quædã notanda, & quædam in dubium reuocanda.

Primo notandum eſt, vt notant Porphyrius,
B Simplicius, Ammonius, & Boetius, quòd cũ intentio Philoſophi ſit agere de vocibus ſimplicibus res ipſas per medios conceptus ſignificantibus, res ipſæ ita ſe habent, quòd quælibet habet vel vocẽ vnam, vel plures, ſiue quælibet res habet nomẽ, vel definitionem, ſeu deſcriptionem, vt hæc res homo exprimitur, vel per hoc nomẽ homo, vel per ſuam definitionem, vt puta, quòd ſit animal rationale mortale, nam per nomen tãtum res indicatur, vt per totum, & confuſum ſimul; per definitionem verò exprimitur diſtin-
C cte, quia 1. Phyſ. 5. habetur, quòd definitio diuidit in ſingula: cum igitur res omnis & nomen, & definitionem, ſeu deſcriptionem habeat, quinque oriuntur reſpectus in rebus ipſis in nomina & orationes ſiue definitiones: nam res vel in nomine, & definitione conueniunt, vel in nomine, ideſt in voce, & non in definitione vel in definitione & non in nomine, vel neque in definitione, neque in nomine, vel partim in nomine, & in definitione conueniunt, & partim differunt.

Quando res conueniunt in nomine, & non in
D definitione, dicuntur æquiuoca: cum autem conueniunt in nomine, & definitione communi dicuntur vniuoca, hoc eſt (vt inquit Porphyrius) dicuntur ſynonima: quando verò conueniunt in definitione, & differunt in nomine, dicuntur multiuoca, quæ apud nos dicuntur ſynonima, vt enſis, gladius, mucro. At cum neque nomen idem habent, nec eandem rationem, dicuntur diuerſiuoca: Ammonius, & Simplicius addunt quæ nam dicantur diuerſa, & dicunt quòd
E diuerſa, & diuerſiuoca differunt: nam diuerſiuoca ſunt res, quę circa vnum, idemq́; ſubiectum cõſiderantur; nomine autem impartiuntur diuerſo, vt aſcenſus in ſcalis, & deſcenſus: aliter enim definitur aſcẽſus, aliter verò deſcenſus, & habẽt diuerſa nomina. Diuerſa verò ſũt quæ nec nomine, nec ſubiecto, nec definitione propria conueniunt, vt homo, & linea. Quæ vero in nomine & in definitione partim conueniunt, & partim differunt, ſunt ea, quæ denominatiua dicuntur, vt ab albedine album, à Grammatica Grammati-
F cus; nam album partim conuenit cum albedine in nomine & definitione, non tamen omni ex parte. Cũ igitur hæc quinque ſint æquiuoca, vniuoca, multiuoca, diuerſiuoca, & denominatiua, addatur ſextũ & diuerſa. Ariſtoteles ſolũ de tribus egit, videlicet de ęquiuocis, vniuocis, & denominatiuis. Et hac de cauſa de his tribus egit Ariſtoteles ſecundũ Porphyrium, Simpliciũ, &

1 Ammo-

Ammonium, quia his tribus ſolum ei opus erat, & nō alijs: eorū enim quæ ad rem faciebāt, mentionem tantūmodo fecit; nam dicit Ammonius in hoc Ariſtoteles æmulatur geometricū genus docendi: nam geometrę ſolū ea, à quibus in propoſito libro iuuantur, proponere conſueuerunt.

Verùm quia hæc reſponſio non videtur eſſe tuta, quoniam etiam aliquo modo notitia diuerſorum, & diuerſiuocorum iuuat ad prædicamenta, quoniam oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & vnum prodeſt ad cognitionē alterius; ideo cū in prædicamentis ſint aliqua, quæ ſunt æquiuoca, vniuoca, & denominatiua, ita ſunt aliqua, quæ ſunt diuerſa, & quæ etiam diuerſiuoca ſunt; quare ob eandem rationem debebat & illa non ommittere.

Ideo ſecundo reſpondent Ammonius, & Simplicius, quòd illa ommiſit breuitatis cauſa; cum præſertim his tribus cognitis reliqua duo cognoſcere poſſimus, cum oppoſitorū ſit eadem ſcientia, & ſic hæc tria actu tradit potentia reliqua; nam qui nouit æquiuoca, nouerit etiam multiuoca: ſi enim æquiuocum eſt, quod communicat cum alijs nomine, ratione autem differens eſt ab alio, multiuocum huic oppoſitum erit, quod ratione, idē eſt, nomine verò diſcrepat, ita de alijs dicatur.

Sed hic dubitatur, cur ab æquiuocis inceperit Ariſtoteles, videtur enim quòd male procedat, cum denominatiua ſint nobis notiora, & à notioribus nobis ſit inchoandum, 1. Phyſ. cap. 1. probatur, quòd denominatiua ſint nobis notiora, quoniam & Grammaticus ipſa cognoſcit, non autem æquiuoca.

Reſpondetur breuiter, quòd Ariſtoteles ſeruat ordinē a ſimplicioribus; nam vt dicunt Simplicius, & Ammonius, prædicamenta conueniunt æquiuoce, deinde diſtinguūtur vniuoce. Ad argumentum dico denominatiua non cognoſci à Grammatico definitiue, vt hic conſiderantur, ſed vt primitiua, & deriuatiua ſunt, & procederet ordine quo ad nos, non naturæ.

Secundo notandum ſecundum Ammonium, cur dixit Ariſtoteles *æquiuoca*, in plurali, & non æquiuocum.

Reſpondit Ammonius, quòd dixit æquiuoca in plurali, quoniam æquiuocum non eſt unum. Nō enim idem ſibi ipſi æquiuocum eſſe dicitur, ſed plura ſunt æquiuoca; nam aliud alij æquiuocum eſt; quoniam ergo vnum eſt nomen æquiuocum, quod multas res declarat, idcirco in plurali loquitur; nam æquiuoca ad minus debent eſſe duo, & ſic definiuntur æquiuoca æquiuocata, non autem æquiuoca æquiuocantia, vt dicunt alij; vnde æquiuocum æquiuocans eſt dictio plura importans æquiuoce; æquiuocum verò æquiuocatum ſunt res ipſæ æquiuocæ importatæ.

Tertio notat Ammonius, cur Grçce ſcriptum ſit, *æquiuoca dicitur*, & non dicuntur; dicitque, quòd cauſa huius lectionis eſt, quia ęquiuoca etſi multa ſunt, quatenus tamen æquiuoca, ſunt vnū, quia conueniunt in vno nomine: vnum enim eſt

A nomen, quod de multis prædicatur, ob id in ſingulari dicit dicitur, quia ſunt vnum in quantum conueniunt in vno nomine communi. Secunda cauſa eſt, inquit Ammonius, quod loquitur in ſingulari, quia Græcis mos eſt, in neutris nominibus ſi tertiæ perſonæ verbis iungantur ſingularem numerum pro plurali vſurpare, & pulcherrime Ariſtoteles dicit dicuntur, inquiunt Ammonius & Simplicius, quoniam ſermo hic non eſt de rebus ipſis, ſed de ſignificatiuis dictionibus; quia vt dicit Boetius, ęquiuoca non à rebus, B ſed a communi vocabulo nomen trahunt, propterea dicuntur æquiuoca, vel dixit ęquiuoca dicuntur ſecundū Ammonium, ac ſi dixiſſet æquiuoca nomina dicuntur eſſe illa, ideſt dicunt Philoſophi eſſe illa, *quæ habent*. idem dicatur de vniuocis, & denominatiuis.

Quarto notant Porphyrius, Ammonius, Simplicius, & Boetius, quod illud vocabulum *ſolum* in definitione æquiuocorum capitur dupliciter vno modo, prout cum dicimus ſolus Sol, ideſt vnicus Sol, ſolus mundus, ideſt vnus, ſola Luna C ideſt, vnica tantum Luna in hoc mundo reperitur: ſecundo modo capitur ſolum, vt dicit diſtinctionem vnius ab altero determinato, & præ definito, vt cum dicimus, aliquem relictum in prælio aſtam ſolum habere, quamuis poſſit etiā habere calceos, & veſtes, ſed id dicitur ad differentiam ſcuti, vel aliorum armorum. Similiter dicimus aliquos in prandio habere ſolum panē ad diſtinctionem obſoniorum, in hoc loco capitur licet ſolum ſecundo modo, vt dicit diſtinctionem ab alio determinato.

D Quinto iſti viri notant, illud verbum *commune*, quod poteſt multipliciter accipi.

Primo pro eo, quod diuiſibile eſt, & ſecundū partes poteſt participari, vt in eodem prandio, panis & vinum dicuntur communia, quia communiter omnes comedunt de eodē pane, & de eodem vino bibunt, ſecundū partes, ſicut apud nonnullos ſcribitur, quòd illis erat pecunia communis, ſinguli tamen ſingulā partē recipiebant.

Secundo dicitur commune, quod licet in partes diuidi non poſſit, E in vſum tamen a multis ſumitur, ſed non ſimul, & ſemel, vt ſeruus, & equus; nam ſeruus non eſt diuiſibilis, a pluribus tamen ſumitur in vſum.

Tertio dicitur commune, quod præoccupatione alicuius fit proprium, & poſt vſum iterū reddit commune cuiuſmodi eſt theatrum, vel ſedes in theatro, in quo locus communis eſt, fit tamen proprius præoccupantis, & ſic locus ille aſſumitur vti proprius, ſed illico remittitur in cōmunem vſum, ſcilicet etiam aliorum.

Quarto modo dicitur commune aliquod, cū F totum ſimul in vſum multorum euadit abſque vlla diuiſione, & ſimul a participibus ex æquo participatur, & non ſecundum partem, vt vox Excellentiſſimi Bernardini Petrellæ mei pręceptoris in Logica, & Excellentiſſimi Franciſci Piccolominei præceptoris mei in Philoſophia, dum legebant, communis erat omnibus condi-

ſcipulis

ſcipulis exiſtentibus in Scholis: ſimiliter vox cō A cionatoris, vox præconis dicitur cōmunis, quia tota ſimul ab omnibus auditur, & hoc ſi non adſit impedimentum, & ſit indebita diſtantia, & non ſit tumultus, & hoc modo genus dicitur commune ſpeciebus, & ſpecies indiuiduis, quia reperitur genus participatum ſecundum ſe totum, & ſecundum illud, quod requiritur ad eſſe eſſentiale generis, vt quod animal ſit ſubſtantia animata ſenſitiua, a ſpeciebus ſic & definitio, & aliquo modo ratio ſubſtātiæ dicitur communis.

Sumitur in textu illud verbum commune pro B eo, quod indiuiſibiliter ineſt.

Sexto iſti viri notant, quare Ariſtoteles dixit *ſecundum illud nomen ratio ſubſtantiæ eſt diuerſa* cur non dixit tantummodo ratio ſubſtantiæ diuerſa, non ne ſat erat abſque quod adderet *ſecundum illud nomen?*

Reſpondent quòd non, quia non poteſt eſſe vera definitio, niſi iuxta nomen aſſignetur, ideſt dari debet ſecundum illud nomen, vt rem catenus explicet, quatenus eo nomine ſignificatur, vt res hæc, homo. Alio modo explicatur vt ho- C mo, vt quod eſt animal rationale. Et alio modo quatenus vocatur animal, vt quod eſt ſubſtantia animata ſenſitiua. Hæc igitur res, ideſt homo exprimitur, & vt ſcilicet homo, & vt animal, & exprimitur duplici definitione iuxta duplex illius nomen aſſignata, nec vt dicitur, homo definitur per definitionem, quæ ei competit vt animal eſt, nec vt animal dicitur, definitur definitione, quæ competit ei vt dicitur homo. Dicit ergo Ariſtoteles *ſecundum illud nomen*, quia æquiuoca non poſſunt definiri definitione data iuxta D nomen commune, quia non habent eam, cum nec naturam communem habeant, nec realem, nec intentionalem: ideo debet dari eadem definitio communis iuxta nomen quando poteſt dari; quando verò non poteſt dari, ſed iuxta nomē datur diuerſa definitio, tunc diuerſa aſſignabitur definitio. Quoniam igitur definitio aſſignatur ſemper iuxta nomen, ideo dixit *ſecundum illud nomē*, & quia etiam ſecundum aliud, & aliud nomen poteſt aſſignari æquiuocorum definitio, E & tunc æquiuoca euadunt vniuoca, vt duo mei familiares amici & patroni nobiles Vicentini, Aeneas Comes Clericatus, & Aeneas Comes de Luſcis, in quo ſunt homines, vniuoci ſunt, quoniam hominis nomen, definitionemq; ambo ſibi vendicant, cū vterque ipſorū ſit animal rationale, in quo verò Aeneas, æquiuoci dicuntur; ſiquidem vnus eſt Clericatus vir in literis doctiſſimus, & Iuris vtriuſq. peritiſſimus; alter verò eſt de Luſcis in arte militari ſtrenuus, & dux equitū fortiſſimus, in vniuocis datur definitio iuxta nomen commune, & hæc eſt illa, quæ conuertitur cum definito: in æquiuocis autem datur definitio diuerſa iuxta nomen commune, quę non conuertitur cum definito.

Septimo notant iſti viri, illud vocabulū *ratio*, & dicunt, quòd ratio capitur multipliciter.

Primo modo capitur ratio pro ratione calculandi, ſiue pro ſupputatione, vel calculo, ſiue expenſa quæ vulgo dicitur computum.

Secundo modo capitur pro ratiocinatione, ſeu animi diſcurſu ad inueſtigandum verum, & accipitur ratio pro toto ſyllogiſmo, & pro tota argumentatione.

Tertio modo ſumitur ratio à Dialecticis pro medio inferente concluſionem, & hoc modo ſumitur ratio in definitione argumenti, cum dicitur, argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem.

Quarto modo capitur pro forma materiæ, & hoc dico de forma rei artificialis, vt in gladio ferrum eſt materia; diſpoſitio verò inducta in ferro eſt forma; capitur etiam pro forma rei naturalis, & hæc definitur a Gilberto Porretano, cum dicit, ratio, ſiue forma eſt id, quod ſuperuenit compoſito ſimplici, conſtans ex inuariabili eſſentia.

Quinto modo capitur ratio pro oratione oſtē dente aliquid, ſic ſunt propoſitiones, vel rationes diſputandi.

Sexto modo capitur pro intellectu, quæ virtus animæ appellatur.

Septimo modo pro eſſentia communi prædicabili de pluribus, qualis eſt eſſentia generis, vel ſpeciei, vel differentiæ.

Octauo modo pro conſilio, & propoſito, vnde Cicero, Mea quidem ratio, cum in præteritis rebus eſt cognita, tum in reliquis explanata, atque prouiſa eſt, & Terentius, Veſtrā nequeo admirari rationem.

Nono modo capitur pro reſpectu & cura, vnde Cicero, Peto à te vt mei rationem habere velis, & ſalutis, & dignitatis meæ.

Decimo modo capitur pro negotio, ſicuti dici ſolet habere rationem cum aliquo, ideſt habere quod cum illo agas.

Vndecimo modo capitur ratio pro proportione, & analogia, vt ita ſe habent duo ad quatuor, ſicut tres ad ſex.

Vltimo modo capitur pro definitione, ſiue deſcriptione, & ſic duplex eſt definitio, altera eſſentiæ, altera verò, quæ deſcriptio dicitur, ſic ratio ſignificat, vel definitionem eſſentialem, vel deſcriptiuam, & hoc vltimo modo accipitur ratio in textu.

Octauo notant Græci, quare Ariſtoteles addidit *ratio ſubſtantiæ*, nonne ſufficiebat ita ſimpliciter dicere *ſecundum illud nomen ratio diuerſa*, dimittendo ſcilicet *ſubſtantiæ?* Dicunt, quod dixit *ratio ſubſtantiæ*, vt comprehenderet definitionē, & deſcriptionem: nam ratio deſcriptiua & proprietatem ſubſtantiæ deſcribit, nam genera generaliſſima deſcribuntur, non definiuntur, F ſimiliter & indiuidua.

Sed quis dicet, male Ariſtoteles dixit *ratio ſubſtantiæ* quia videtur ponere æquiuocationem in ſola ſubſtantia, cum dicat in ęquiuocis rationem ſubſtantiæ eſſe diuerſam.

At falſum eſt, quòd in ſola ſubſtantia ſit ęquiuocatio, quia ſit etiam & in accidentibus, vt patet in

tet in qualitate: nam dicitur color albus, & alba, claraq; vox, & ſic album eſt nomen æquiuocum: ſimiliter acutum prædicatur de ſapore, & voce: dicitur enĩ vox acuta, & ſapor acutus; ergo acutum eſt nomen æquiuocum; ergo non ſolum in ſubſtantijs eſt æquiuocatio.

Ad hoc reſpondet Ammonius, quòd hoc nomen ſubſtantia capitur dupliciter, vno modo pro ſubſtantia, quod diſtinguitur contra accidẽtia, & quæ per ſe ſubſiſtit: accidẽtia enim habent eſſe in alio, puta in ſubſtantia. Secundo modo capitur ſubſtantia pro eſſentia cuiuſcumque rei, & hoc modo accipit Ariſtoteles ſubſtantiam in textu, ideſt pro eſſentia.

Ad argumentum patet, quod Ariſtoteles non negat æquiuocationẽ eſſe in accidentibus, quia non capit ſubſtantiam, vt diſtinguitur contra accidentia, ſed pro eſſentia, quæ eſt etiam in accidentibus, nedum in ſubſtantia proprie dicta, & ſic exponitur *ratio ſubſtantiæ*, ideſt ratio explicans eſſentiam rei, quæ explicatur vel per definitionem, vel per deſcriptionem, vt dicunt Simplicius, & Boetius.

Nono notant, ſiue dubitant contra illud verbum *ſolum nomen*; videtur enim Ariſtoteles tollere, quòd in verbis ſit æquiuocatio, quod eſt falſum. Conſequentia probatur, quando dicit *ſolũ nomen cõmune eſt*, at nomina nõ ſunt verba; ergo falſitas probatur, quoniam hoc verbum, Fero, ſignificat portare, & dicere, & ſic de alijs.

Boetius, & Ammonius reſpondent, q̃ nomen dupliciter capitur, vel vt diſtinguitur cõtra verbum, et eſt vna ex octo partibus orationis, Secundo modo capitur, vt dicitur de omni dictione; ſimiliter & communiter de omni voce ſignificatiua, quomodo in libro Periet. cap. de verbo, dicebat Ariſtoteles. Ipſa igitur per ſe dicta verba nomina ſunt, atque aliquid ſignificant, vbi Ariſtoteles capit nomen large pro omni dictione ſignificatiua.

Hic itaque capit nomen, non pro ea voce, & dictione, quæ diſtinguitur contra verbum, ſed capit nomen, quòd communiter prædicatur de omni voce ſignificatiua; quare fero, vt illa duo ſignificat, ęquiuocum eſt, habet enim fero nomen cõmune, rationẽ verò diuerſam, & ſic in verbis eſt ęquiuocatio, & in alijs partibus orationis; quare accipit Ariſtoteles nomen in textu pro voce ſignificatiua ad placitum, quæ impoſita eſt ad ſignificandum res plures habentes diuerſas rationes.

Prætereа dubitant nonnulli (referente Simplicio) contra id, quod dixit Ariſtoteles in definitione æquiuocorum, quod in æquiuocis dicitur eſſe *nomen commune*, Probant quòd æquiuoca non habent nomen commune; nam nomen eſt vox ſignificatiua: at ęquiuoca non habent talem vocem communem ſignificatiuam; ergo non habent commune nomen. Probant minorem exemplo de cane; nam qui dicit canem, manifeſtauit quòd neque bouem, neque equum, neque hominem, neque aliquid talium dicat, ſed quod A vult ſignificare nondu expreſſit, hoc eſt per licet canis nihil ſignificatur, nam quem nam canem velit, & intelligit, dicendo canis non exprimitur non ſtellare, non terrenum, nec marinum: ergo

Reſpondet Simplicius, quòd hoc nomen ęquiuocum, puta canis duo dixit, dicit res ęquiuocas, & dicit nomen communne vt canis, tunc ęquiuocum prout nomen, eſt commune, & poteſt pluribus differentibus competere; at non ſic ſe habet ęquiuocum ſumptum pro re, quia res ſunt diuerſæ, & pluribus non competunt, vt latrabilis ca-B nis non competit cani marino, nec cęleſti, ſed ſolum hoc nomen commune canis, & cum hoc nomẽ canis ſit commune, eſt indefinitum, et incertum de quo dicatur, quouſque determinatum fuerit de quo pręcicetur; quod quidẽ cum fuerit determinatum per latrabile vel marinum, non amplius eſt hoc nomẽ commune, ſed peculiare, quia aſſumit differentiam, ſcilicet latrabile, quæ non eſt vera differetia, ſed quaſi differentia, quia æquiuocum non eſt verum genus, tunc dico ad argumentum, quòd commune nomen æquiuo-C corum ſignificat, & qui dicit canem intelligit omnes res, quæ appellantur nomine canis, & illas omnes communiter; indifferenter, & indefinite ſignificat, vt dictum eſt.

Vlterius dubitant nonnulli (referente Simplicio) contra definitionem æquiuocorum, ex qua videt ſequi æquiuoca eſſe vniuoca, quoniã vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eadem: at æquiuoca, & habent cõmune nomen æquiuoci, quia omnia dicuntur æquiuoca, & habent communem definitionem D æquiuocorum, quia de vno quoque verum eſt dicere, quòd habent nomen commune, & rationẽ ſubſtantiæ diuersã; ergo ęquiuoca ſunt vniuoca.

Reuerendus admodum Sacræ Theologię doctor Frater Ioannes Maria Euſtocius de Spinelis ordini Seruorũ, à quò Grammaticæ rudimẽta accepi, & per biennium antequam Patauium me conferrem, Logicam audiui in Patria mea Caſtri Franci, reſpõdere ſolebat ad hanc difficultatem ingenioſe, quòd ſicuti vera genera non ſunt niſi in prædicamentis, & non omne com-E mune eſt genus, vel ſpecies, ſed aliqua ſunt vera genera, veræ ſpecies, & veræ differentiæ; aliqua verò, quæ ſe habent vt genera, vt ſpecies, vt differentię. Ita reperitur duplex vniuocatio, altera per ſe, & vera, ſiue propria, vel magis propria, & eſſentialis, in qua nomen commune ſignificans naturam communem realem, & definitio communis explicans illam naturam communem realem per ſe inquam, & quiditatiue conueniunt ijs, de quibus prædicantur, & hoc mo-F do ſolum vera genera, veræ ſpecies, veræque differentiæ dicuntur vniuoca, & hæc vniuocatio dicitur prædicamentalis, & realis ſecundum prædicata realia. Altera eſt vniuocatio tranſcendens, & magis communis, quæ eſt in prædicamentis, ſecundum prædicata accidentalia, & intentionalia, & etiam extra predicamẽta, in qua nomen idem, & ratio eadem prædicatur,

tur, licet non per ſe; & hæc etiam eſt ſecundum prædicata intentionalia, nedum accidentalia, & hæc eſt in vocibus, & ſecundis intentionibus, & competit generaliſſimis, & iis, quæ ſunt in genere, & in verbis, & in nominibus, & hæc vocatur a Latinis vniuocatio, quia conuenit ſecundum quid, & minus propria eſt. Tunc dicebat iſte vir doctiſſimus, ſplendor Patriæ meæ, æquiuoca poſſe dici vniuoca, quia habent idem nomen æquiuoci, & eandem rationem æquiuoci, vniuocatione ſecundo modo, non autem primo modo dicta. A B

Inſuper notant Porphyrius, Simplicius, Ammonius, & Boetius, quod æquiuoca ſunt multiplicia; ſunt enim æquiuoca a fortuna, ſiue à caſu, & a conſilio, æquiuoca primo modo dicta, ſunt plura æque ſignificantia, vt canis, æquiuocum a conſilio eſt analogum, quod ſignificat vnum per comparationem ad aliud, vt animal ſignificat animal pictum, per comparationem ad animal viuum, æquiuoca a fortuna ſunt illa, cum forte fortuna, & ſine animaduerſione, ſineq; vllo noſtro conſilio, res diuerſæ, & in diuerſis locis ſitæ idem nomen habuerint. C

Aequiuoca verò a conſilio dicuntur ea; quæ ſunt talia ſecundum prælectionem, cogitationem, & intellectionem noſtram, & non temere, & fortuito, ſed ſecundum aliquod conſilium, ſecundum aliquam conſiderationem intellectus imponentis nomina aliqua ratione, & aliqua de cauſa, vt homo verus, & homo pictus dicuntur æquiuoca a conſilio. Alia dicuntur æquiuoca a conſilio ſecundum proportionem, & analogiam, vt punctum vnitas, fons, & cor ſunt æquiuoca, & conueniunt in hoc nomine principium ſecundum proportionem: nam ſicut ſe habet punctum ad lineam, quia eſt eius principium, ita etiam vnitas ad numerum, quia vnitas eſt principium numeri, ita fons eſt principium fluuij; ſic cor ſe habet ad animalia: eſt enim quod primo viuit, & vltimum quod moritur, & hæ dicuntur rationes ſecundum proportionem, & analogiam, & ſic habetur, quód analogia, & proportio ſunt idem ex Simplicio, Ammonio, & Porphyrio, & æquiuoca analoga ſunt æquiuoca ſecundum proportionem. D E

Alius eſt æquiuocorum modus à cogitatione noſtra, & eſt eorum, quæ ab vno dicuntur, vt cum ab vna medicina, cum vna ſit, & librum, & medicamentum, & ſcalpellum medicum appellare conſueuimus. Alius modus æquiuocorum a cogitatione noſtra eſt eorum, quæ dicuntur ad vnum, ideſt cum diuerſa ad vnum finem tendentia, ab eo communem appellationem, & nomen ſortiuntur, vt a ſanitate, cibus dicitur ſanus, deambulatio ſana, vrina ſana. Sanum ergo nomen eſt æquiuocum, quia eſt tantum commune, & nihil præter nomen commune eſt, & differt hic modus a primo, eo quia illa, quę ſunt in primo modo, dicuntur talia ab aliquo principio. Hæc vero vltimo modo dicta, dicuntur talia, quia ad vnum finem tendunt. F

Porphyrius, et Simplicius dicunt, quòd aliqui hos duos modos prædictos ſimul coniungunt, & ex duobus modis vnum efficientes, vnum æquiuocorum tantum genus, et modum conſtituũt, qui modus eſt eorum, quę ab vno, & ad vnum dicuntur, & Simplicius hunc modum appellat analogum, & illum reponit in æquiuoca.

Aliqui verò ſtatuunt hunc modum mediũ inter æquiuoca, & vniuoca, ſecundũ tamen aliquã cõuenientiam. Similia enim hæc ſunt vniuocis, quia non ſólũ habent cõmune nomen, ſed etiam rationẽ communem aliquo modo: nam cum diuerſæ res ſint eiuſdem rationis medicinæ participatione, communi etiam nomine appellantur, ſcilicet medicinalia, ſi de his, quę ab vno dicunt, loquamur, Si verò de his, quæ ad vnum dicuntur, hæc dicuntur ſana, communiter ob acquiſitionem eiuſdem ſanitatis; a medicina enim medicinalia proficiſcuntur, & a ſanitate ſana, differunt verò ab vniuocis, quatenus non participant æqualiter ea, quæ participare debent, quoniam non ſimiliter medicinalis liber eſt, qui continet ſcientiam de curanda ægritudine, & curata ſeruanda, & aliter ſcalpellum dicitur ſanum; ſimiliter remedium, & pharmacum dicitur ſanum alio modo, & alio modo deambulatio, & exercitium, & ob id non ſunt vniuoca, ſed ęquiuoca potius ob hunc diuerſum modum participandi illam rationem communem, & ſic partim ſunt æquiuoca, partim vniuoca, & veluti in medio ſunt conſtituta.

Vnde notandum eſt ex his, quæ ſuperius diximus, quod ſecundum aliquos, illi, qui dicunt ex his, quæ ab vno, & ad vnum dicuntur, fieri vnum modum, dicunt recte, quoniam Ariſtoteles hoc idem dicit 4. Metaph. 2. vbi quærit an de ente ſit ſcientia, & dicit, quód ens dicitur multipliciter, ſed non æquiuoce, ſed eſt de numero eorum, quæ ab vno, & ad vnam naturam dicuntur, & dat exemplum de ſano, & de medico.

Vlterius nota, quód inter Scotum, & Auerroem eſt diſſentio, nunquid analogum ſit mediũ inter æquiuocum, & vniuocum. Vult enim Scotus nullum inter ea medium cadere, ſed vult omne analogum vel eſſe vniuocum, vel æquiuocum, vt animal eſt æquiuocum analogum ad animal viuum, & ad animal pictum; ens verò eſt vniuocum analogum ad Deum, & creaturam, ſic cenſet Scotus in 1. Sent. diſt. 3. quæſ. 3. quod verò analogum ſit medium, & non ſtet nec cum vniuoco, nec cum æquiuoco. Declarat, & ponit Auer. 4. Metaph. 5. & 5. Metaph. 14. & 7. Metaph. 15. & 12. Metaph. 21. & 22. & 1. Phiſ. 13. & de anima lib. 2. tex. 13.

Sed circa definitionem ęquiuocorum dubitatur primo, dixit Ariſtoteles, quód homo prędicatur ſecundum nomẽ tantũ. De homine vero, &

de homine

de homine picto, contra probo, quod prædicatur etiam ſecundum rationem, nam regula topica eſt, de quo prædicatur definitum, prædicatur & definitio: ſimiliter de quo prædicatur nomẽ, prædicatur & ratio, ſed nomen homo prædicatur de homine verò, & de homine picto; ergo & ratio hominis, ſeu definitio prædicabitur de illis, idem dicatur de animali. Confirmatur, quia ſicut homo pictus dicitur homo, quia eſt imago hominis, ita dicitur animal rationale, quia eſt imago animalis rationalis: ergo ſicut homo prædicatur de homine picto ſecundum nomen, prædicatur etiam ſecundum rationem, & non valet ſi dicas, non prædicatur vniuoce, quia prædicari vniuoce, eſt prædicari eſſentialiter.

Reſpondetur, quòd hoc nomen homo dupliciter capitur, primo vt eſt nomen ſignificans naturam vnam, quæ humana dicitur. Secundo modo capitur prout eſt vox tantum, non ſignificans naturam vnam, ſed indifferenter, vt dicitur de vera natura ſpecifica, & de imagine illius naturæ. Ariſtoteles intelligit de homine ſecundo modo capto, non autem primo modo, quia tale dicit naturam quandam, quæ habet definitionẽ cõmunem; at homo ſecundo modo dictus non habet definitionem cõmunem, ſed eſt pura vox. Idem de animali dicatur.

Secũdo dubitatur, an homo dicatur vniuoce de natura vera, et imagine illius, et videtur quòd non, quia filius eſt imago patris etiam in humanis, nam naturaliſſimũ opus eſt, & præſertim hominũ generare ſibi ſimile, vt habetur 1. Politic. & 2. de anima: ergo de patre, & filio predicabitur homo æquiuoce.

Reſpõdetur, quòd duplex eſt imago rei, altera vniuoca, et eiuſdem prędicamẽti, altera ęquiuoca, & alterius prædicamenti, at filius eſt imago vniuoca patris.

Sequuntur nonnulla dubia Latinorum conſideranda.

Primo dubitatur contra definitionem æquiuocorum nullum concretum definitur, cum careat genere, per Ariſtotelem 1. Topicor. cap. 1. ſed quod hic definitur, eſt concretum: ergò minor probatur, nam æquiuocatio eſt abſtractum, ęquiuocum verò eſt concretum, ſiue denominatiuum, quoniam per æquiuoca intelliguntur res, quæ habent æquiuocationem, ſicut per album intelligitur res habens albedinem.

Scotus reſpondet dupliciter; primo defendendo, quòd ſit vera definitio, negat quòd concretũ non definiatur, imò dicit, quòd concretum habet genus, & differentiam, reſpectu quorum eſt quid, ideſt reſpectu ſuorum inferiorum, vt albũ reſpectu huius albi, vel reſpectu ſuperiorum, vt reſpectu coloris, licet reſpectu ſubſtantiæ ſit concretum, & denominatiuum, quia in omni genere eſt reperiri quid per Ariſtotelem, & ſic per ea, quæ ſunt ſui generis, poteſt definiri. Scotus exponit *dicuntur*, ideſt concipiuntur, & dicit, quod cõceptus eſt de eſſentia æquiuocatorũ, & ſic poteſt dici, quòd ſit vera definitio, quia per licet *dicun-*

A *tur*, ponitur genus, per reliqua correlatiuum definiti, & differentia.

Secundo reſpondet Scotus, quod hæc non eſt definitio, ſed eſt notificatio, & conceptus, qui intelligitur per *dicuntur*, & non eſt de eſſentia æquiuocati, ſed ſubiectum eius.

Tertio arbitror poſſe reſpõderi, quòd hæc eſt deſcriptio, & dicere, quod æquiuocum ſi eſt concretum, non eſt concretum prædicamentale, ſed quaſi traſcendens, & tale concretum licet non definiatur, deſcribitur tamen, nec B etiam concretum prædicamentale definitur, quia definitum eſt res conflata ex rebus duorum prædicamentorum, licet vnum principaliter ſignificet, tamen non poteſt habere verum genus commune.

Propterea negatur æquiuocum eſſe verum concretum, & æquiuocationem eſſe abſtractum, quia æquiuocatio venit à rebus, nominibus, & æquiuocatis, non è contrario, quamuis ſi ſumatur pro reſpectu formaliter æquiuoca ab æquiuocatione dicuntur, vt pater a paternita- C te, tamen non eſt abſtractum, ſed relatio, nam concretum dicitur tale à principali ſignificato, vt ab albedine album.

Vel ſi conceditur, quòd paternitas ſit abſtractum, & pater concretum, ita æquiuocum ſit coucretum, & æquiuocatio abſtráctum, tamen hæc non poſſunt vere definiri, cum careant vero genere, veraq́; differentia.

Secundo arguitur contrà definitionem, probando, quòd non definiuntur, quia totum copulatum non eſt vnum definibile, quia non D eſt vnun, nam copulatio ponitur inter diuerſa, quæ non ſunt vnum, ſed definitum hic eſt vnum copulatum; ergo non definitur. Probatur minor, quia datur in plurali, vt patet, ſed plurale per Priſcianum nihil aliud eſt quam ſingulare geminatum; ergo æquiuoca non ſunt aliud, niſi æquiuocum; ergo ſunt vnum copulatum ex pluribus, & diuerſis; ergo non definiuntur, & ſic poteſt argui de omni definitione data in plurali de aliquo, quæ non ſit conueniens.

E Reſpondet Scotus, quòd omnia relatiua æquiparantiæ conuenienter definiuntur in plurali, vt patet 5. Metaph. ubi multa huiuſmodi relatiua definiuntur in plurali, quia ſic eorum intellectus eſt magis finitus, in quantum denominatur vtrumque extremum. Quod autem dixit Priſcianus de plurali, intelligendum quo ad naturam conſtructionis, non quo ad vnitatem formæ ſignificatæ.

Vel reſpondetur, quòd deſcribuntur hîc æquiuoca, & conuenienter, quia per reſpe- F ctum, vnum æquiuocum dicitur ad aliud: ad minimum enim ſunt duo æquiuoca, igitur conuenienter in plurali deſcribuntur.

Sed dices, poterat ne dicere in ſingulari æquiuocum, quo nomine intelligeret omnia æquiuoca, ſicut nomine generis, vel ſpeciei, intelligit omnes naturas communes? Dico,

quod

quod poterat ſic dicere, *æquiuocum dicitur quod cum alio, vel alijs eodem nomine ſolo participat, non item ratione ſubſtantiæ eadem*, & quidem ſatis conuenienter poterat ſic dicere, cum tamen locutus eſt in plurali, etiam recte fecit.

Sed quis dicet, cur non definitur æquiuocum æquiuocans, Dicitur quòd definitio æquiuoci æquiuocantis colligitur ex definitione æquiuoci æquiuocati.

Adhuc etiam inſtatur contra definitionem æquiuocorum, quoniam in ea non ponitur genus & differentia; ergo non eſt definitio. Conſequentia patet per Ariſtotelem, quod ſi dicas, eſt deſcriptio, contra, deſcriptio eſt oratio ſignificans eſſe rei per accidentalia, vt animal riſibile diſciplinabile eſt deſcriptio hominis; vel ſic deſcriptio eſt oratio conſtans ex genere & proprio, & ſemper fit per genus, & per aliquod, qđ eſt loco differentiæ, ſed hæc non eſt huiuſmodi; ergo, nam licet *dicuntur* non eſt genus, quia dici non eſt commune, ſub quo reponantur res, quia commune debet eſſe eiuſdem rationis cum inferioribus, vt hæc: vox cum voce, hoc nomen cum nomine, hoc animal cum animali, hic homo cum homine, quare

Reſpondet Scotus primo, & dicit, quòd non eſt vera definitio, Vel poteſt dici, dicit Scotus, quòd in definitione accidentis concreti; primo poni debet ſubiectum vt hic, nomen eſt vox, ſic eſt in propoſito.

Secundo reſpondetur, quod non eſt vera definitio, ſed deſcriptio, & quod non quælibet deſcriptio datur per verum genus, & per aliquod loco differentiæ, ſed aliqua, ſic aliqua non. Et ſufficit quod aliqua detur per aliquid commune, quòd ſit quaſi genus, & per aliquid quòd ſit quaſi differentia, ſic eſt hæc definitio, vel deſcriptio, quia definiuntur æquiuoca æquiuocata, ſic *æquiuoca æquiuocata dicuntur eſſe illa, quæ habent ſolum commune nomen*, prima particula ponitur loco generis, cæteræ loco differentiæ.

Denique pro complemento huius Tractatus de ęquiuocis, ſciendum eſt, quòd duplex eſt ęquiuocum, æquiuocum purum, & æquiuocum impurum; æquiuocum purum eſt illud, quod dicitur æqualiter de æquiuocatis, vt canis; idem dicantur de æquiuocis æquiuocantibus At æquiuocum impurum eſt illud, quod dicitur æquiuocum à conſilio, in quo ſemper reperitur aliquid prioritatis, & poſterioritatis, vt homo prius dicitur de homine vero; per poſterius autem de homine picto. Et hęc de æquiuocis ad Dei laudem, multa alia ſubtiliter diſputat Scotus, quæ quilibet Lector poterit legere penes ipſum.

Sequitur expoſitio vniuocorum.

VNiuoca dicuntur.

Intẽtio Ariſtotelis eſt poſt tractationẽ ęquiuocorũ agere de vniuocis, et ea definire, & ſecundam definitionem antepręedicamentale tradere. Cauſa intentionis eſt quia vtile eſt prædicamentis nomine vniuoca: nam dicit Simplicius cum ens æquiuoce decem prædicamentis ineſſe videatur, & ob id egerit de æquiuocis; deinde infert ſermonem de vniuocis, nã nobis opus eſt cognitione de vniuocis propter prædicamenta cognoſcenda: nam prædicamenta prædicantur vniuoce, & ſunt prædicata vniuoca de ijs, quæ vniuoce ponuntur ſub eis: nam ea, quę ſunt vniuoca ſub vno, eodemq; genere reponuntur, in cap. namque de ſubſtantia, Ariſtoteles ſæpe mentionem facit de vniuoce prædicari, & prædicamenta ſunt genera, & continent genera ſubalterna, ſpecies ſubalternas, & ſpecialiſſimas, & indiuidua, quorum omnium, aliqua ſunt vniuoca vniuocantia, aliqua vniuoca vniuocata. Continuatio patet, nam cum egerit de æquiuocis, hic agit de vniuocis.

Diuiditur hæc ſecunda pars in duas partes: in prima definit, in ſecunda definitionem exemplis declarat.

Sed hic oritur dubium: videtur enim, quòd poſt æquiuoca debuiſſet agere de denominatiuis, quoniam denominatiua ſunt media inter æquiuoca, & vniuoca; ergo debuiſſent declarari in ſecundo loco. Conſequentia nota eſt, antecedens probatur, auctoritate Ammonij, & aliorum Græcorum dicentium, denominatiua partim habere eandem rationem, partim diuerſam, partim idem nomen, partim diuerſum; ergo.

Ad hoc dico, quod denominatiua participant partim naturam vniuocorum, partim æquiuocorum; quo ſtante patet denominatiua non poſſe cognoſci niſi per habitudinem ad illa; ideo illa ſemper præcedunt, quæ faciunt ad cognitionem aliorum, & licet ſecundum eſſe denominatiua, ſint media, ſecundum tamen cognitionem debent vltimo loco reponi, & declarari.

Vniuoca verò dicuntur, quorum & nomen commune eſt, et ſecundũ nomen eadem ſubſtantiæ ratio, vt animal & homo, atque bos: communi enim nomine horum vtrũque animal nuncupatur, & eſt ratio ſubſtantiæ eadem.

Senſus eſt primę particulę vſque ibi *vt animal*. Illa dicuntur eſſe vniuoca, quæ habent commune quoddam nomen, & ratio ſubſtantiæ, ſiue definitio, & deſcriptio data iuxta tale nomen eſt eadem, & æqualiter participata.

Deinde in ſecunda particula, vbi dicitur *vt animal, & homo, atque bos*, & quæ ſequuntur exẽplo declarat definitionẽ vniuocorum, & dicit, ſumas has duas ſpecies quæ ſunt homo, & bos, hæc dicuntur vniuoca, *quia habent commune nomen*, ſcilicet animal, *& ſimiliter habent eandem rationem ſubſtantiæ communem; & æqualiter participatam datam iuxta illud nomen animal*; nam animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua,

quæ

quæ definitio competit æqualiter homini,& boui,ita vt ſi quis definiat hominem, & bouem, vt ſunt animalia, habent æqualiter rationem,& definitionem animalis: nam homo vt animal definitur,quòd ſit ſubſtantia animata ſenſitiua,ſimiliter & bos. Hæc eſt tota ſententia textus, circa quem ſunt aliqua notanda, & quædam in dubium reuocanda.

Primo notat Porphyrius, quòd nomen ſumitur, vt dicitur, de omni parte orationis, vel dicas, tu pro omni voce ſignificatiua, & vel pro vna tantum, vel pro pluribus; & hoc dico propter voces definitionis, de quibus dixi in æquiuocis,quòd de homine picto ipſæ ſolæ voces prędicantur, & non res ſignificata de ipſo homine picto prædicatur:at in vniuocis nomen definiti, & nomina definitionis, quæ ſunt vnum, vt definitio intelligitur vna,communiter, & æqualiter de vniuocis vniuocatis prædicantur.

Secundo dicit Porphyrius, quòd licet *communiter* ſumitur, prout capiebatur in definitione æquiuocorum,ſcilicet ſecundum ſimilitudinem a voce,quare illuc confugiatis,vnde in vniuocis & nomen & definitum eſt commune, & æqualiter participatur, & de omnibus prædicatur nõ ſecundum prius,& poſterius: ſimiliter definitio eſt eadem & communis,& communiter,& ęqualiter tota participatur,quia omnia vniuocata habent idem nomen, & eandem definitionem datam iuxta illud nomen, ita vt verificetur illa maxima,de quo prædicatur definitum, prædicatur & definitio.

Præterea exponit Porphyrius licet ratio *ſubſtantiæ*,ideſt eſſentiæ, vt ſit ſenſus ratio eſſentiæ, & ratio definitiua, ſeu deſcriptiua, & ſic patet quod capitur ratio, ſicut in definitione æquiuocorum,ſcilicet pro definitione in cõmuni capta, vt comprehendit definitionem ex genere,& differentia conſtantem,& deſcriptionem eſſentialem,& accidentalẽ, vnde deſcriptio duplex eſt, vel eſſentialis,& propria, vel accidentalis. Simplicius notat hic,quòd vniuoca,& æquiuoca differunt,& conueniunt.

Primo vniuocum conuenit cum æquiuoco, quia vtrumque habet commune nomen; differunt verò,quia in vniuocis, non ſolum eſt nomẽ commune,ſed etiam *ratio ſecundum nomen*, ideſt definitio, & deſcriptio communis eſt vniuocis, vbi patet quod exponitur licet ratio ab eodem Simplicio pro communi aliquo ad veram definitionem,& deſcriptionem.

Secundo differunt,quoniam in vniuocis,vnũ nomen vnius rei eſt indicatiuum, ſed in æquiuocis, vnum nomẽ commune plures res ſignificat.

Sed dices, hoc dictum videtur falſum,quoniã ſicut in æquiuocis vnum nomen commune ſignificat plura ęquiuocata, ita nomen commune in vniuocis ſignificat plura vniuocata;ergo male dicit, quòd ſignificat vnã rem, & quòd vnius rei ſit indicatiuum.

Reſpondetur,quòd vult dicere,quòd in æquiuocis illud commune nomen ſignificat plures

A res, quia non ſignificat vnam naturam communem,quæ ſit communis, & æqualiter inſit pluribus ęquiuocatis,ſed ſignificat plures naturas particulares, vt patet at in vniuocis, vnum nomen commune ſignificat rem vnam, ideſt vnam naturam communem,ideſt vnam rationem.

Tertio differunt, quia æquiuocum recipit cõtradictionem, nam animal pictum eſt animal,& non animal; at vniuocum non ſuſcipit contradictionem: nam dici non poteſt hominem eſſe animal,& non eſſe animal.

B Sed dices, videtur quòd Simplicius contradicat Ariſtoteli, qui dicit 1. Perier. quòd in æquiuocis non eſt contradictio.

Reſpondetur,quòd Ariſtoteles loco citato 1. Perier. cap. 6. loquitur de contradictione propriè dicta, quæ eſt eiuſdem de eodem, & ſecundum idem,ſed Simplicius loquitur de contradictione,quæ non eſt eiuſdem ſecundum idem, & de eodẽ:ideo dicit, quòd animal pictum eſt animal & non animal, pro quanto dicitur animal pictum,& non animal verum, ſed vniuocum, vt

C homo verus non eſt animal verum, & non animal verum.

Præterea quærunt Ammonius,& Simplicius, cur Ariſtoteles exemplo de homine, & animali vſus eſt in æquiuocis & vniuocis,& dicũt, quòd id fecit,non quòd deeſſent ſibi alia exempla,ſed vt oſtenderet, quòd idem nomen, & res eadem ſecundum diuerſa,alia,& alia ratione,eſt vniuocum, & æquiuocum; nam homo reſpectu picturæ eſt æquiuocum, reſpectu verò bouis eſt vniuocum in animali.

D Præterea notant,quòd ſicut dictum eſt, quod in accidentibus, nominibus, & verbis eſt æquiuocatio, ita etiam in accidentibus, nominibus, & verbis,eſt vniuocatio.

Et accipitur ſic illud verbum, *ſolum*, & illud verbum, *nomen*, in hac definitione ſicut dictum eſt in definitione æquiuocorum, *& ratio ſubſtantiæ*, tã in definitione ęquiuocorum,quàm vniuocorum capitur pro definitione & oratione exprimente eſſentiam rei, & pro deſcriptione etiam, ſiue eſſentiali,ſiue accidentali.

E Sed contra definitionem vniuocorum inſtatur ſic, album prædicatur de homine,& de equo ſecundum idem nomen albi, & ſecundum eandem rationem albi; aliter enim eſſet æquiuocũ, & tamen non eſt vniuocũ prædicatum reſpectu iſtorum,quia eſt denominatiuum;ergo non omne,quòd prædicatur ſecundum idem nomen, & ſecundum eandem rationem,de pluribus vniuoce prędicatur; ergo nõ omnia,quæ habent idem nomen,& eandem rationem ſunt vniuoca; ergo definitio vniuocorum competit alteri à defini-

F to,quia competit etiam denominatiuis.

Confirmatur; ſic enim arguitur de omni prædicato denominatiuo, & maxime de intentionibus, quia hoc prædicatum genus dicitur ſecundum idem nomen,& eandem rationem,generis de ſubſtantia,& quantitate,& tamen nõ eſt vniuocum,quia eſt denominatiuum, & vniuocum,

& deno-

A & denominatiuum ſunt oppoſiti modi prædicandi ſicut æquiuocum,& vniuocum;ergo genera omnia conueniunt in ratione generis, & nomine generis non vniuoci, ſed denominatiue; ergo definitio vniuocæ cōpetit denominatiuis.

Ad hoc reſpondet Scotus,negando quòd homo, & equus vniuocentur in albo; idem negat de alijs quibuſcumque, quæ ſunt ſub aliquo communi prædicato denominatiuo, quia vniuoca ſunt;quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ vniuocantis eadem, quæ ratio eſt etiam B eis ſubſtantię ratio,ideſt eſſentialis,licet non propria: ratio autem albi, vel cuiuſcumque denominatiui,vt generis, ſpeciei, & omnium ſecundarum intentionum,non eſt ratio ſubſtantiæ, ſiue eſſentialis denominatiuorum,& rerum, quæ dicuntur denominatiua; ſed quia ratio ſic eſt de denominatiuo, qđ prędicatur ſecundū idem nomen,& eandē rationē ſubſtantię denominantis.

Verùm hæc ſolutio Scoti nō videtur eſſe peripatetica,quoniam videtur velle Scotus,quòd ſolum in prædicamentis ſit vniuocatio, & in his, C quæ ſunt in vno genere vt ſpecies, & genus, & ſic licet *ratio* exponitur ab ipſo, ideſt definitio, & ratio eſſentialis, ſed eſt error, quia Græci dicunt, & in verbis, & in accidentibus eſſe vniuocationem, & dicunt, quòd *ratio ſubſtantiæ* exponitur hic,ſicut in cap. de æquiuocis, ſcilicet pro rei expreſſione, quæ eſt & definitio propria,& etiam deſcriptio, vnde illa ſunt vniuoca, quæ habent idem nomen, & eandem rationem communem, ſiue ſit eſſentialis expreſſa genere, & differentia, ſiue alio modo, ſiue ſit ratio deD ſcriptiua,& accidentalis.

Propterea dicamus, quòd homo, & equus vt conueniunt in ratione albi, & nomine albi ſunt vniuoca,& vt conueniunt in nomine,& ratione generis,ſunt etiam vniuoca.

Et ſi dicat Scotus, ſunt denominatiua, dico quod verum eſt, ſed non ſub hoc reſpectu, ſed ſunt denominatiua, quatenus vnumquodque dicitur album ab albedine, vt verò conueniunt in eodem nomine albi,& eadem ratione,ſic vniuocantur:nam dicebat Simplicius aliquem haben-E tem colorem nigrum, eſſe vniuocum cum alio habēre colorem nigrum,quare id fit diuerſis modis. Cum dicit album prædicatur de corpore, non autem ratio albi,reſpondetur,quòd ſicut duplex eſt vniuocatio alia eſſentialis, altera accidentalis,ita etiam duplex eſt prædicatio; vna, in qua nomen prædicatur in recto, & ratio ſimiliter nominis,vt Socrates eſt homo, & eſt animal rationale, altera verò eſt, in qua ſolum nomen prædicatur in recto,non autem ratio illius nominis, vt album ſi ſumatur pro principali ſignifica-F to, cum ſignificet albedinem, & rationem albedinis, hæc non prædicatur in recto de homine, vt homo ſit color diſgregatiuus viſus, ſicut nec dicitur,homo eſt albedo,ſed in concreto prædicatur, vt quòd homo habeat colorem diſgregatiuum uiſus,vt genus & ratio generis prædicantur in recto de prædicamentis.

Ad maiorem dico,quòd album prędicatur de corpore in recto,ratio uerò albi in recto minime poteſt prædicare, & hoc eſt quod negatur, ſed non negatur quin prædicetur in obliquo de corpore,et illa,quæ prędicātur denominatiue,ideſt accidentaliter de aliquibus ſunt vniuoca uniuocantia reſpectu illorum,ſi ratio ſignificata per illa ſit etiam eadē illis uel in recto, uel in obliquo; at ſi conſiderentur, ut oriuntur ab alio nomine, & per illud alijs competunt, ſic dicuntur denominatiua uere,& non uniuoca; nam homo dicitur albus reſpectu albedinis,non reſpectu alterius, qui dicitur albus:ſed ſi duo ſint albi uniuocantur in hoc nomine album ſecundum nomē, & etiam rationem,quia ambo habent albedinē, & rationem albedinis, non quod prædicetur albū,& ratio albi de illis in recto, ſed bene in obliquo, & ſic non omnino diſtinguuntur vniuoca, & denominatiua.

Secundo dubitatur, omnia æquiuoca habent idem nomen,ideſt hoc nomen æquiuocū,& eandem rationem ſubſtantię ſcilicet eſſentialem ſecundū illud nomen, ſcilicet rationem ęquiuocorū; ergo omnia æquiuoca ſunt uniuoca, quod eſt falſum,quia oppoſitū de oppoſito non prędicatur; at ęquiuoca, & uniuoca ſūt oppoſita;ergo

Reſpondetur, quod hoc modo ęquiuoca ſunt vniuoca,cum dicis, oppoſitum non prædicatur de oppoſito, verum eſt, eodem modo & ſecundum eundem reſpectum: at æquiuoca ſunt æquiuoca vno modo, vt conueniunt in nomine canis, & differūt in ratione ſignificata per canem; ſunt vero vniuoca, vt conueniunt in nomine æquiuoco, & in ratione æquiuoci, & ſic non inconuenit oppoſitum de oppoſito prædicari, diuerſimode tamen, vel vt dicit Scotus non inconuenit in reſpectiuis, vt ſūt vniuoca,& æquiuoca.

Tertio dubitatur, illa quorum ſubſtātia, ideſt ratio eſſentialis eſt eadem, ſunt eadem eſſentialiter, ſed vniuoca vniuocata habent eandem rationem ſubſtantiæ uniuocantis; ergo omnia uniuoca eſſent eadem eſſentialiter, quod eſt falſum, quia ſic homo,& aſinus eſſent eadē eſſentialiter.

Reſpondet Scotus,quòd illa, quorum eſt ratio eadem ſubſtantiæ propria,& completa, ipſa ſunt eadem, ſed uniuocatorum non eſt ratio eadem propria,licet ratio uniuocantis ſit eadē eis, quia ea nulli uniuocato eſt propria.

Vult dicere, quòd homo, & equus ut conueniunt in ratione animalis, ſic ſunt eſſentialiter eadem in ratione communi,ſed in propria non, quia habent duplicem rationem eſſentialem, alteram communem, puta generis, alteram propriam,puta differentiæ,& ſic non ſunt eadem in ratione propria,ſed bene communi.

Et hæc dicta ſint de vniuocis.

De Denominatiuis.

INtentio Ariſtotelis in tertia parte huius capitis eſt definire denominatiua quid ſint. Cau

ſa huius

ſa huius intentionis eſt, dicit Ammonius, quia hæc cognitio vtilis eſt ad cognitionem prædicamentorum habendam, quam vtilitatem exprimens Simplicius dicit, quòd vtilis eſt horum denominatiuorũ doctrina, vt cognoſcamus, quod denominatiua, plerunque cadunt ſub eodẽ prædicamento cum ſuis antecedentibus, ſiue abſtractis, à quibus ſcilicet denominãtur. Exemplum, quale eſt denominatiuũ ſub qualitate, de quo in cap. de qualitate. Præterea ſtare, & accumbere, ſub ſtatione, & accubitu ſunt, quæ quidẽ ſunt in prædicamẽto poſitionis, & denique in vnoquoque nouem prædicamentorum fit mentio de denominatiuis, vt quantum a quantitate, & quale à qualitate, & ſic de alijs.

Continuatio huius capitis cum præcedẽti patet, nam cum egerit de æquiuocis & vniuocis, reliquum erat de denominatiuis agere, & ſic etiam patet cauſa intentionis.

Diuiditur hæc tertia pars in duas particulas; in prima definit, in ſecunda definitionem exemplo declarat. Dicit itaque.

Denominatiua verò dicuntur, quęcumquæ ab aliquo differentia caſu ſecundum nomen habent appellationem, vt à Grammatica Grammaticus, & à fortitudine fortis.

Sẽſus eſt, *quòd* illa *dicuntur denominatiua*, quæ ita ſe habent, *quæ habent appellationẽ, & denominationem ſecundum nomen*, ideſt habent nomẽ quoddam ſumptum ab aliquo alio nomine, *à quo ſecũdũ illud nomen illorum* ſumptum ab illo principali nomine, *differunt ſolum caſu, & tranſmutatione*, in fine vocis, & nominis.

Vel ſic, *denominatiua illa nomina eſſe dicuntur*, quæcumque ab aliquo nomine deducta, & ortũ habentia, *ab eo habent appellationem*, & differunt ab illo nomine *in caſu*, ideſt in fine vocis, & nominis.

Vel ſic dicas, *denominatiua*, ideſt concreta *differunt ab aliquo*, ideſt ab abſtractis, a parte vocis, *ſolo caſu*, hoc eſt ſola cadentia, ſeu finali terminatione vocis, cũ conueniat in principio ipſius vocis.

Deinde in ſecunda particula in illis verbis *à Grãmatica Grammaticus, à fortitudine fortis* declaexemplo definitionem datam.

Vnde ſciendum eſt, quòd circa hoc aliter dicendum ſecundum Grammaticum, & aliter ſecundum Logicum; nam Grammaticus conſiderat nominum impoſitiones; ideo ſecundum ipsũ abſtarctum deſcendit a concreto, vt iuſti additia fit iuſtitia; at Logicus, quia magis conſiderat ipſas res, in quantum ſunt fundamenta ſecundarum intentionum; ideo ſecundum ipſum concretum denominatur ab abſtracto, vt paries denominatur albus ab albedine ſibi inhærente. Concretum igitur venit ab abſtracto, quia prius eſt rem eſſe ſecundum ſe, ſicut ſignificatur per abſtractum, quàm ipſam ineſſe alteri, ſicut ſigni

A catur per concretum.

Circa textum primo notãdum eſt ſecundum Græcos, & Boetium, quòd ad hoc, quod aliquod ſit denominatiuum.

Primo requiritur ei, quod ab aliquo denominatur, vt habeat rem aliquam ſibi inexiſtentẽ, vt Socrates denominatus Grammaticus oportet quod habeat virtutẽ, vel artem Grãmaticę.

Secundo quòd illa res habeat nomen, vt puta Grammatica, & Socrates recipiat nomen à nomine illius artis, puta a Grammtica, & cõueniat B in nomine artis in principio, & in medio vocis. Vlterius requiritur, quod hæc duo nomina differant in fine vocis, & habeant diuerſam terminationem, quoniam vt dicunt Simplicius, Porphyrius, Ammonius, & Boetius, *per caſum*, capit Ariſtoteles transfigurationem, ſiue tranſmutationem factam in fine vocis, & non capit *caſum* pro caſu nominum, & licet aliqui caſus habeant eundem finem, aliqua tamen differẽtia oſtenditur, vel per articulum, vel per accentum, vel ob aliquod aliud: præterea requiritur communitas C in re participata, ideſt requiritur, quòd res participetur, & inſit rei, quæ dicitur denominatiuum, aliter non erunt denominatiua, & hanc communitatẽ dicit Simplicius, Ariſtotels aperit in exẽplis in textu, quia is, qui Grammaticus dicitur, non ſolum habet nomen Grammatici, ſed etiam artem Grammaticam, & hanc conuenientiam, & cõmunitatem nominis, vel appellationẽ ſecũdum nomen indicat, cũ dicit, *iuxta nomen habent appellationem*, & etiam in exemplo, vt dixi, id inſinuat, & hoc neceſſario requiritur, nam defectu D huius condictionis, ſtudioſus non dicitur denominatiuum à virtute: virtute enim præditus ſtudioſus dicitur, & hic adeſt res, ſcilicet virtus, cuius communitatem homo habet, quia eſt in homine: ſed quia hic non eſt participatio nominis; ſtudioſus enim & virtus diuerſa procul dubio ſunt nomina, & apud Græcos, & apud Latinos; ideo ſtudioſus non dicitur denominatiue à virtute, & ſi petas cur ſtudioſus non dicitur à ſtudio potius quàm à virtute.

Reſpondet Porphyrius, quòd hæc eſt cauſa, E quia ſi ex ſtudio, quod habet homo, ſtudioſus diceretur, omnes qui ſtudium aliquod alicui rei adhiberent, ſtudioſos appellaremus, ſed non ita res ſe habet; non enim qui alicui rei ſtudẽt (quia ſtudium dicitur etiam de vitio) ſed qui prędictus eſt tantum virtute, ſtudioſus vocatur, ſed nõ denominatiue; & quia dixi quod ad denominatiua requiritur hæc conditio, quod differant in fine, & terminatione vocis, quod ſi non adſit, nõ eſt denominatiuum; ideo dicimus, quòd mulier muſica non dicitur denominatiuum per hoc no F men Muſica, quia non differt in fine vocis, ſcilicet res, & nomen Muſica, ideo mulier & muſica nõ dicũtur denominatiue, ſed ęquiuoce, Muſicus quia omnes has conditiones habet, ideo dicitur denominatiuum, & hæc eſt ſententia omnium Græcorũ, Ammonij, ſcilicet Porphyrij, & Simplicij, & ſic patet ſolutio, ad argumentum, quod

poſſet fieri contra hanc denominatiuorum defi-
nitionem, quòd mulier muſica dicatur denomi-
natiue à Muſica, & tamẽ nõ differt in fine vocis.

Reſpondent Græci, quòd non dicitur deno-
minatiue, ſed æquiuoce; ſed dices ergo cum di-
citur mulier eſt muſica, eſt prædicatio æquiuo-
ca, ſicut cum dicitur ſydus cęleſte eſt canis, reſpõ
deo quòd licet *muſica* poteſt capi, vel pro nomi-
ne cõmuni ad artem muſicã, & ad rem habentẽ
muſicã, vel pro nomine tantũ ſignificante rem
habentẽ muſicã artem, ſi fiat ꝓpoſitio in primo
ſenſu, eſt ęquiuoca: at ſi ſumatur ſecundo modo,
in ſecundo ſenſu eſt prædicatio accidentalis, ſi-
cuti iſta mulier eſt alba, non tamen eſt denomi-
natiuum à muſica, ſicut alba eſt denominatiuum
ab albedine. Facit ergo propoſitionem acciden-
talem, & tunc licet Muſica eſt concretum, ſed
non denominatiuum; vnde ſciendum, quòd nõ
omne concretum eſt denominatiuum, quoniam
cum dicitur mulier eſt muſica, non dicitur deno
minatiue à Muſica, quia Muſica eſt concretum.

Excellentiſſimus Sũmus dicere ſolebat, quòd
Scotus motus fortaſſe his argumentis de ſtudio-
ſo, & mulier muſica, aliter denominatiuorum
definitionem exponit dicens, *denominatiua*, ideſt
cõcreta habent appellationẽ *ab aliquibus*, ſcilicet
ab abſtractis, *& differunt à ſuis principalibus*, ideſt
abſtractis, *ſolo caſu*, ideſt ſola cõcernẽtia ſubiecti.

Et ex hoc ſoluitur argumentũ de muliere mu
ſica, quia licet non differat in fine vocis, nihil re-
fert, quia *per caſus* non intelligitur finis vocis,
ſed concernentia ſubiecti; muſica verò & muſi-
cus differunt ab abſtracto, quia hoc denomina-
tiuum eſt ſignificans, & concernens ſubiectum,
& abſtractum ſignificat rem in ſe.

Et huic expoſitioni idem Summus vir addi
poſſe dicebat, quòd denominatiua habent appel
lationem ab illo nomine principali *ſecundum no-
men*, ſiue conueniant in toto nomine, ſiue in par-
te nominis, vt albus & albedo, ſiue in nullo con-
ueniant, vt ſtudioſus cum virtute, ſat eſt quòd
conueniunt in re ſignificata, & ſic, *licet habere ap
pellationem ſecundum nomen*, non eſt conditio ſẽ-
per neceſſario requiſita, & hunc in modum ſol-
uebat argumentum de ſtudioſo, quod eſt deno-
minatiuum, quia dicit rem concernentem ſubie-
ctum, quoniam Scotus vult, quòd denomina-
tiuum principaliter ſignificet accidens, & con-
cernentia ſubiecti dicitur caſus; nam nomen ab-
ſtractum ſignificat accidens in ſe, vt albedo: at
concretum, vel denominatiuum vt album ſigni
ficat albedinem, quaſi cadentem, & delabentem
ad ſubiectum, & eam eſſe in ſubiecto, & ſubiectũ
concernere.

Verùm arbitror cum Gręcis eſſe neceſſarium
in denominatiuis tsansfigurationem, ſiue trans-
mutationem factam in fine vocis, nec credo vl-
lo modo proprie ſtudioſum denominatiue dici
poſſe a virtute, vt iſte vir tenere videtur, quini-
mo contrarium habetur ab eodem Ariſtotele in
cap. de qualitate, vbi expreſſe habetur, quòd ſtu-
dioſus eſt quale procedens a virtute, eo quod vir

A tutem habet: verùm negat Ariſtoteles, quòd à
virtute denominatiue dici poſſit.

Præterea notant Scotiſtæ, quod triplex eſt de
nominatio. Prima eſt ſecundum vocem tantũ.
Secunda eſt ſecundum rem tantum. Tertia ſecũ
dum rem, & vocem ſimul. Denominatio ſecun-
dum vocem tantum eſt, cuius denominatiuum,
ſeu concretum conuenit cum abſtracto in prin-
cipio dictionis, & differt in fine, non tamen ſigni
ficat idem cum eo in ſignificato principali, quẽ-
admodum ſunt ſtudioſus, & ſtudium; ſtudio-
B ſus enim ſignificat virtuoſum, & ſtudium ſigni-
ficat exercitium et laborem.

Denominatio verò ſecundum rem tantum
eſt, cuius denominatiuum conuenit in principa-
li ſignificato cum abſtracto, ſed non in principio
dictionis, vt ſtudioſus, & virtus: ſed denomina-
tio ſecundum rem, & vocem ſimul eſt, cums con
cretum & abſtractum conueniunt in principali
ſignificato, & in principio vocis, ſed differunt in
fine, & iſta definiũtur in textu, & dicuntur deno
minatiua propriiſſime capta, ad quæ requirun-
C tur propriæ conditiones ab eis denominatiuis
attributæ, vt puta quod conueniant in ſignifica-
tione formali cum ſuis abſtractis, quòd conue-
niant in principio vocis, & differãt in fine quòd
abſtractũm importet aliud ab illo, pro quo ſup-
ponit concretum.

Preæterea denominatiuum duplex eſt, vt ha-
bet Scotus 16. quæſt. vniuerſalium, denomina-
tiuum, quod denominat ſuppoſita, & denomina
tiuum denominans ſubiecta, vt homo eſt albus,
eſt denominatiuum denominãs ſubiecta, homo
D eſt animal, eſt denominatiuum denominans ſup
poſita, ideſt inferiora, quia de inferioribus prædi
catur, vnde propoſitio denominatiua, denomi-
natiue ad ſubiectum, eſt accidentalis propoſitio,
vt homo eſt albus. Propoſitio verò denominati-
ua, denominatiue ad ſuppoſitum, eſt eſſentialis,
vt homo eſt animal, ideo non valet hæc propo-
ſitio eſt denominatiua; ergo accidentalis.

Adhuc notandum, quòd in qualibet denomi-
natione proprie dicta, tria reperiuntur, ſcilicet
denominans, quod non eſt aliud quam abſtra-
E ctum denominatiuum, quod eſt ipſum concre-
tum, & denominatum, quod eſt ſubiectum, vt Pe
trus eſt albus, albedo eſt denominans, albus de-
nominatiuum, & Petrus denominatum.

Vlterius quærunt Græci, an Patronymica,
Comparatiua, Superlatiua, Deriuatiua, & Dimi-
nutiua ſunt denominatiua. Reſpondent quòd
ſic, dummodo habeant priores conditiones aſ-
ſignatas ſuperius, & non inconuenit, idem reſpe
ctu diuerſorum eſſe comparatiuum, & denomi-
F natiuum, & ita de alijs dicatis.

Sed contradicta dubitatur, an æquiuocatio,
vniuocatio, & denominatio ſint res, vel voces; ſi
res, igitur liber non erit de vocibus; ſi voces, er-
go male iſtæ definitiones ſunt traditæ per exem
pla ſumpta à rebus.

Reſpondent nonnulli, quòd licet æquiuoca-
tio, vniuocatio, & denominatio ſecundum Am-

n,omuin

moniũ ſint res, tamen dicere etiam poſſumus cũ Simplicio, quòd ſunt voces, quatenus hic conſiderantur voces, vt ſunt rerum ſignificatiuæ, & res quatenus ſunt à vocibus ſignificatæ: & ideo voces exemplificantur in rebus tanquam in ſuis ſignificatis.

A

Secundo dubitatur, quoniam videtur, quòd æquiuocatio, vniuocatio, & denominatio nihil ſint, nam ſi aliquid eſſent, vel eſſent reſpectiua, vel abſoluta; non reſpectiua, quia eſſent relationes vel reales, vel rationis, ſed neutrum iſtorum ſunt, ergo quia voces nec ſunt res, nec conceptus. Cum igitur vniuocatio in voce conſiſtat, & etiam cætera, videtur quod non poſſint facere relationem, nec realem, nec rationis. Confirmatur, quia relatio ſtat inter vnum terminum, & vnum fundamentum, ſiue inter duo extrema tantum. At æquiuocatio habet ad minus tria extrema, ſcilicet animal viuum & pictum; ſimiliter vniuocatio habet tria extrema, ſcilicet animal, hominem, & bouem. Quod verò non ſint entia abſoluta probatur, quia æquiuocatio eſt inter æquiuocum, & æquiuocatum, & per conſequens ens abſolutum eſt ad aliud; ergo non eſt ens abſolutum, ita de alijs.

B

C

Reſpondetur, quòd æquiuocatio, vniuocatio, & denominatio ſunt relatiua, & cum dicitur quòd relatio non vult niſi duo extrema, hoc expreſſe negatur, quia idem pater poteſt referri ad plures filios, imò poſſunt eſſe plures paternitates in eo, & ſic non eſt neceſſarium, quòd duo extrema faciant tantum relationem: æquiuoca autem, vniuoca, & denominatiua non ſunt ſimplices voces, ſed rerum ſignificatiuæ, vt dictum eſt.

D

Tertio dubitatur, quia omnis definitio, vel deſcriptio eſt vnius, ſed iſtæ tres ſcilicet æquiuocationis vniuocationis & denominationis ſunt multorum, quia definiuntur æquiuoca in numero plurali, ſimiliter vniuoca, & denominatiua; ergo

Reſpondetur, quòd iſtæ non ſunt definitiones, ſed deſcriptiones, & negandum eſt, quod deſcriptio non poſſit eſſe multorum, quia definiuntur ſignificata æquiuoca, puta homo viuus, & pictus, non autem æquiuoca ſignificantia.

E

Quarta eſt dubitatio, cur non tractauerit de multiuoco, & diuerſiuoco.

Ad hanc difficultatem iam per me reſponſum eſt ſupra in explanatione æquiuocorum de mente Ammonij, nempe quòd multiuoca intelliguntur per habitudinem æquiuocorũ cum ſint contraria: nam æquiuoca habent idem nomen, & diuerſam definitionem; multiuoca verò è cõuerſo diuerſa habent nomina, & eandem definitionem: contrariorum autem eadem eſt diſciplina, & ſcientia; ideo hæc ſimul ſtant, pariter diuerſiuoca ſunt contraria vniuocis, cum habeant diuerſum nomen, & diuerſam rationem.

F

Boetius hoc in loco definit multiuoca hunc in modum. *Multiuoca ſunt*, quorum plura nomina, vna definitio eſt, vt ſcutum, clypeus; his enim plura nomina vna definitio eſt, & Marcus Portius Cato: his enim tot nominibus res vna ſubiecta eſt.

Pariter definit diuerſiuoca tali pacto, *diuerſiuoca ſunt*, quorum neque eadem definitio nequeidem nomen eſt, vt homo & color, quæ omnino & nomine, & definitione diſiunguntur.

Et hæc ſuper hoc primo capite.

Super Capite Primo Antepraedicamentorum pro Iuris ſtudioſis.

QVæ potiſſimum docentur à Porphyrio in hoc capite, vt vidimus, ea ſunt.

Quæ dicuntur æquiuoca.

Quæ vniuoca.

Quæ inſuper denominatiua.

Aequiuoca illa dicuntur, quorum nomen commune eſt, ſecundum verò illud nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa, vt animal, & homo, & quod pictum eſt.

Vniuoca dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eadem, vt animal, & homo, atque bos.

Denominatiua dicuntur quæcumque ab aliquo differentia caſu, ſecundum nomen habent appellationem, vt a Grammatica Grammaticus, & a fortitudine fortis.

Explicaui quod in æquiuocis & vniuocis nomen capitur large non prout a verbo contra diſtinguitur, quod commune accipitur pro eo, quod indiuiſibiliter poteſt à pluribus participari, vt vox Lectoris in Scholis, quod ratio ſubſtantiæ accipitur communiter pro eſſentia cuiuſlibet rei.

Præterea notaui ſecundum mentem Græcorum, & Boetij, quòd requiruntur nonnullæ conditiones ad denominatiua, puta quòd res habeat nomen, vt Grammatica, quod ſit in ſubiecto, vt in Petro, quod denominetur ſecundum talem rem, vt Grammaticus, quod conueniat in principio vocis, & differat in fine, vt à Grammatica Grammaticus.

Secundo principaliter conſideraui æquiuoca alio & alio reſpectu poſſe dici vniuoca, & è contrario.

Exemplificaui in duobus Magnificis Comibus Vicentinis, amicis, & patronis meis colendiſſimis, quibus commune nomen erat Aeneas. Qua conſideratione dicuntur æquiuoci; ea verò conſideratione, qua homines ſunt, dicuntur vniuoci.

Hæc omnia modo ſunt applicanda ad vſum Iuris ciuilis.

In corpore Iuris exemplum de æquiuocis ſit ſolutio vera, & ſolutio imaginaria; quæ quidem

nomine conueniunt, definitione verò diſcrepant; nã ſolutio uera eſt pollicitationis executio. l. ſol. ff. de uerb. ſign. quæ definitio imaginariæ conuenire minime poteſt, ſed de ea dicendum, quod definitur potius, quod ſit ficta, vel excogitata cõfeſſio executę pollicitationis. §. iter. Inſt. tit. quib. mod. tollitur oblig.

Eodem modo neceſſitudo, & æquum, & bonum ſunt æquiuoca, quatenus cõmuni nomine Iuris nuncupantur, at ſecundũ nomen illud, eandem non habent definitionem. l. ius pluribus. l. nonnunquam. ff. de iuſt. & iu.

De vniuocis exemplum habetis manifeſtũ, Inſt. tit. de oblig. in princ. nã omnes obligationes ex contractu, vel quaſi ex maleficio, uel quaſi de quibus improprijs. tit. Inſt. vniuocantur in communi nomine obligationis, & definitione communi ſecundum illud nomen; ſiquidem de ipſarum qualibet uerum eſt dicere, quòd ſit obligatio, & quod pariat actionem, & exceptionẽ.

Et breuiter genera ſpeciebus, & ſpecies ſpeciebus ſunt vniuoca, declaro exemplis, & in Logica, & in Iure.

In Logica genera ſpeciebus ſunt vniuoca, vt animal atque homo; nam cum hominis animal ſit genus, dicitur homo animal; ergo & animal, & homo, animalia nuncupantur. Secundum igitur commune nomen ſi vtrumque definias, dices, animal eſſe ſubſtantiam animatam, atque ſenſibilem, hominem quoque ſecũdum id quod animal eſt, ſubſtantiam animatam ſenſibilem dixeris cum veritate.

Sic in iure ſe habent ius priuatum, & ius naturale, cum iuris naturalis genus ſit ius priuatũ; ergo & ius naturale, & ius priuatum appellantur ius priuatum.

Si itaque ſecundum commune nomen vtrũque Iuriſta definiet, dicet ius priuatum eſt, quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet, pariter ius naturale ſecundum illud nomen eſt, quod ad ſingularem vtilitatem pertinet, quod verum eſt. §. fin. Inſt. tit. de iuſt. & iure.

Similiter ſpecies ſpeciebus ſunt vniuocę, quę vno atque eodem genere continentur, vt homo, equus, atq; bos. His commune genus eſt animal, & communi nomine animalia nominatur; ergo ſecundum illud nomen animalis eis commune, vna illius ratio definitionis eis aptabitur; omnia enim ſunt ſubſtantiæ animatæ, atque ſenſibiles.

Eodem modo in iure, ius naturale, ius ciu. ius gen. ſunt ſpecies, quibus commune genus ius priuatum eſt, & communi nomine nominantur ius priuatum; quare ſecundum illud nomen iuris priuati eis commune, vna illius ratio definitionis aſſignabitur: omnia enim ſunt iura, quæ ad ſingularem vtilitatem pertinent. l. 1. ff. de iuſt. & iure. §. huius ſtudij.

De denominatiuis in iure plura paſſim poſſumus tradere exempla, in ſingulis tit. vt ab vſufructu vſufructuarius. Inſt. de vſufructu. §. item finitur, à conductione conductor. Inſt. de

A locat. & cond. §. conductor. & ſic de ſimilibus.

In his enim quatuor ad denominationes requiſita reperiuntur, vt puta res, nempe vſufructus, conductio, ſubiectum, vt gratia exempli Petrus. Denominatio a tali re, vti vſufructuarius, conductor, conuenientia in principio, & diſcrepantia in fine, vt a Grammatica Grammaticus, ſic ab vſufructu vſufructuarius, a conductione conductor.

Quo ad ſecundum, quòd principaliter cõſiderau, pariter dico in iure æquiuoca alio, & alio
B modo, & reſpectu, poſſe dici vniuoca, & è contrario. Exemplum habemus clarum, de actione reali, & actione perſonali, quæ ſi conſiderantur vti conueniunt in communi nomine actionis, & quatenus diſcrepant definitione, vt quod actio realis eſt, qua ago in rem, vt eam mihi vendicare poſſim; actio verò perſonalis eſt, qua ago contra perſonam, quæ mihi aliquid ex aliquo contractu debet. §. omnium. Inſt. de act. ſic æquiuoca dicuntur; eadem verò actiones conſideratæ, vt conueniunt in com-
C muni nomine actionis, & in definitione ſecundum illud nomen, nempe quòd actio realis quatenus actio, eſt ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur pariter actio perſonalis, quatenus actio eodem modo definitur, quod eſt ius proſequendi in iudicio quod ſibi debetur, ſic ſunt uniuoca. Et hæc ſufficiant.

De complexis, atque Incomplexis. Caput Secundum.

D

INtentio Ariſtotelis in hoc capite eſt diuidere voces, & res; & primo tradere diuiſionem vocum poſtea rerum. Cauſa intentionis eſt, vt dicunt Simplicius, & Porphyrius, quia propoſitum eſt Ariſtoteli agere de decem ſimplicibus vocibus ſignificãtibus decem genera rerum per medium conceptus.

Continuatio patet, quoniam cum Ariſto-
E teles egerit de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, nunc vult diuidere voces, & poſtea res, quoniam ęquiuoca, vniuoca, & denominatiua, quædam ſignificant voces, quædam res.

Hoc cap. diuiditur in duas partes ſecundum quod in prima diuidit voces, in ſecunda res.

Prima pars adhuc ſi partibilis eſt, habet duas particulas; in prima diuidit, in ſecunda membra diuidentia declarat exemplo.

Primo itaque tradit diuiſionem vocum, *quod aliæ dicuntur cum complexione, aliæ verò ſine*
F *complexione*: illæ, quæ ſine complexione dicuntur inferius diuidet. Ariſtoteles in decem prædicamenta, ſiue in decem voces ſignificãtes decem genera rerum, & decem prædicamenta, cum dicit, *eorum quæ ſine complexione dicuntur, ſingulum ſignificant, aut ſubſtantiam, aut quantitatem.* Dicit igitur.

Eorum,

Eorum quę dicuntur alia quidem ſecundum complexionem dicuntur, alia uerò ſine complexione. Ea igitur quæ ſecundum complexionem dicuntur, ſunt ut homo currit, homo uincit; ēa uerò quæ ſine complexione dicuntur, ut homo, bos, currit, uincit.

In hac parte, Senſus verborum eſt, *illa, quæ dicuntur*, ideſt voces, *vel dicuntur, ſiue proferuntur cum complexione, vel ſine complexione*, ideſt aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ voces, quæ complexæ dicuntur, ſunt hæ, *vt homo currit, homo vincit*, quæ verò ſine complexione, ſunt, *homo currit, vincit.*

Vnde ſciendum eſt, quòd voces complexæ triplici modo fiunt, vel cum addimus nomen nomini, vt homo albus, vel cum addimus verbum verbo, vt currere eſt, vel cum addimus nomen verbo, & hæc eſt vera, & recta compoſitio, vt ſi dicam, homo currit, voces verò per ſe ſumptæ, & ſine vlla coniunctione dicuntur incomplexæ, & ſimplices.

Circa textum notant Ammonius, & Simplicius vnam regulam firmam, ad cognoſcendum quando vox eſt ſimplex, & quando compoſita, & dicunt quòd ſemper reſpiciendum eſt ad rem ſignificatam, & ad conceptum, ſi res ſignificata eſt vna, & conceptus eſt vnus, etiam illa vox dicitur ſimplex, ſiue ſit vna numero vox, vt Plato, ſiue plures, vt Reſpublica, & Marcus Tullius, hę ſunt plures voces, ſed res ſignificata eſt vna, ideſt re ſunt ſimplices voces, & ſic non omnis vox ſimplex rem, ſimplicem notat, nec compoſità compoſitam, nec ex ſimplicitate, vel compoſitione vocū res ſimplices, vel compoſitas exiſtimare oportet, ſed ex ipſis ſignificantis, nam voces ſi ſint compoſitæ, licet rem ſimplicem oſtendant, ſimplices ſunt appellandæ, ſimiliter ſimplices ſunt appellandæ compoſitæ, ſi rem compoſitam ſignificent: ſi enim imitaremur Grammaticos, & ſecūdum illos ageremus de ſyllabarum quantitate, poneremus compoſitionem vocum, iuxta quantitatem earum; at quoniam de vocibus ſignificatiuis agimus, oportet ſignificationem earum, & ſimplicitatem, quo ad ſignificatum indicare.

Prætereà notandum eſt, quòd in Logica tria ſunt verba, quæ ſuis ſignificatis attribuuntur, dici, fieri, & eſſe, dici propriè accommodatur vocibus, quoniam voces dicuntur, fieri accommodatur conceptibus, quoniam conceptus fiunt in intellectu noſtro, eſſe verò proprium eſt ipſarum rerum. Et ideo in ſecunda diuiſione rerum, Ariſtoteles illis attribuit hoc verbum eſſe.

Circa dicta primo dubitatur, cur Ariſtoteles mentionem faciat de vocibus complexis, & incomplexis, cum tantum in hoc libro conſideren

A tur voces ſimplices, compoſitæ verò in libro Perierum.

Communiter reſpondetur, quòd Ariſtoteles mentionem facit de vocibus complexis, quoniam, vt ait Boetius in libro de diuiſione, omnis bona diuiſio debet dari per membra contraria, ac contraditoria, & quoniam Ariſtoteles non vult aliquid declarare niſi per ſuum oppoſitum, quoniam contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Et hæc eſt ratio, cur Ariſtoteles de compoſitis vocibus agit.

B Ex Simplicio poſſumus elicere aliam reſponſionem, quòd Ariſtoteles mentionem fecit de complexis, quoniam per negationem eorum, quæ dicuntur ſecūdum complexionem, debuit ſimplicia ſignificare, eo quoniam perfectè negatio non cognoſceretur, niſi prius cognoſcatur id, cuius eſt negatio.

Secundo dubitatur; videtur enim quod diuiſio Ariſtotelis de vocibus nō ſit bona, cum præpoſuerit compoſita ſimplicibus, nam ſimplicia compoſita pręcedunt, ordine compoſitiuo, quia
C prius eſt id, ex quo fit aliquid, quam id, quod fit: prius enim ſunt elementa, quam mixtum, prius lapides, quàm domus, & prius literæ, quàm dictiones; ergo debebat præponere ſimplicia compoſitis, & non è conuerſo.

Reſpondetur primo, quòd duplex eſt ordo, vt aliàs docui, ordo compoſitiuus, & ordo reſolutiuus, verum eſt, quòd ordine compoſitiuo debebat auſpicari à ſimplicibus, ſed voluit ordinem reſolutiuum ſeruare, & ſic eſt exorſus a complexis ordine reſolutiuo.

D Ratio huius ordinis habetur ex Simplicio, quoniam Ariſtoteles reſeruauit vltimo loco ſimplicia, vt continuaret ad tractationem illorum.

Tertia ex Ammonio accipitur reſpōſio, nēpe quod ordo duplex eſt, doctrinæ, & cognitionis.

Ordo doctrinæ eſt, quando cum ęque ignota, ſimplicia, atque compoſita nobis ſint, & non valemus rectè compoſita cognoſcere, niſi ſimplicia nouerimus, à ſimplicioribus exorditur. Quo iure prius de ſimplicibus vocibus hoc in loco de propoſitionibus, nempe de compoſitis in ſe-
E quenti, & de ſyllogiſmo in prioribus reſolutorijs pertractat Ariſtoteles.

Ordo cognitionis eſt, quando compoſitiora ſunt nobis notiora, quàm ſimplicia, quo caſu cōpoſita præcedere debent, at hoc in loco compoſita ſunt nobis notiora; prius enim ſenſibilia cōgnoſcimus, quæ ſunt compoſita; poſterius verò eorū principia inuenimus. Rectè itaque Ariſtoteles ſeruando ordinem cognitionis ex Ammonio compoſita, & complexa, præpoſuit ſim-
F plicibus, & incomplexis.

Tertio dubitatur, videtur enim, quòd in ſimplici verbo ſit aliqua complexio; nam dicendo curro, videtur quòd ſubintelligatur ego, ſed ego curro eſt complexum, ergo & verbum curro; videtur enim virtualiter ſaltem habere aliquam ſignificationem complexam.

Reſpondetur, quòd verbum poteſt conſide-

rari dupliciter, abſolute, & comparatiue, ſeu relatiue, ſi hoc verbum, *curro*, abſolute conſideratur, non ſignificat niſi ſolum verbum; ſi vero cóparatiue, etiam ſignificat primam perſonam, puta ego, & hoc modo poteſt tueri omnia verba eſſe compoſita, Ariſtoteles autem accipit verbum primo modo, argumentum verò procedit de verbo ſecundo modo dicto.

Expedictus de prima parte capitis, ſequitur ſecunda pars, in qua poſtquam Ariſtoteles diuiſit voces incomplexas, & ſimplices, diuidit res. Cauſa intentionis patet, quoniam in prædicamento ſubſtantiæ mentionem faciet de eſſe in ſubiecto, de dici de ſubiecto, de non eſſe, de non dici, ideſt de ſubſtantia, accidente, vniuerſali, & particulari, ideo de his ſermonem facit. Continuatio patet ex dictis.

Hæc pars habet quatuor particulas, ad quas omnia entia, quę intellectus humanus excogitare poteſt, reducuntur, & ſunt iſtę, Subſtãtia, Accidens, Vniuerſale, Particulare; quapropter hic ſciendum eſt, quod duo membra iſtius diuiſionis ſunt Metaphyſica, ideſt ſubſtantia, & accidẽs: duo verò Logicalia, ideſt vniuerſale, & particulare: nam hæ ſecundæ intentiones conſiderantur à Logico; & ideo volens Ariſtoteles in Logica agere de ſubſtantia, & accidente, quæ conſiderantur à Metaphyſico, nunquam in toto hoc cap. nominabit ſubſtantiam, neque accidẽs, ſed vtitur ſuis proprietatibus: nam proprium eſt ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto; proprium verò accidentis, eſſe in ſubiecto. Cum dicet igitur ea, quæ ſunt in ſubiecto, intelliget accidentia; cum verò ea, quæ non ſunt in ſubiecto, intelliget ſubſtantiam.

Quare egregie allucinantur Andronicus, Balduinus, & Antonius Mirandulanus, volentes librum hunc agere de rebus, & non eſſe logicum, ſed metaphyſicum! Ratio eſt, quia ſi ageret de ſubſtantia, & accidente, vt entia ſunt, vtique illa nominaret, vt facit in 5. Metaph. ſed hic ipſa nõ nominat, ſed tantum ſuis proprietatibus deſcribit; ergo hic liber non eſt cenſendus metaphyſicus, hæc licet non ſit demõſtratio, poteſt tamen eſſe ſatis apta perſuaſio, vt credamus librum hunc eſſe logicum: Ariſtoteles igitur vult diuiſionem entium tradere.

Propterea ſciẽdum eſt, vt inquit Ammonius, entium duplex eſt diuiſio, Maxima, & Minima: Maxima, vt ſi dicamus entia, vel ſunt ſubſtãtia, vel accidens; ſi accidens quantitas, vel qualitas, & etiam reliqua. Minima verò eſt quadrimembris, quam hic tradit Ariſtoteles: nam omnia entia vel ſunt ſubſtantia vniuerſalis, vel particularis, vel accidens vniuerſale, vel particulare, & omnes res, quæ factæ ſunt a Deo, & a natura, in hanc quadrimembrem diuiſionem rediguntur.

Dicit igitur Ariſtoteles.

Eorum quæ ſunt alia de ſubiecto aliquo dicuntur; in ſubiecto verò

A nullo ſunt, vt homo de ſubiecto quidem dicitur quòddam homine, in ſubiecto verò nullo eſt.

Per hæc verba deſcribit Ariſtoteles primum membrum diuiſionis, quæ eſt ſubſtantia vniuerſalis, vt homo: homo namque non eſt in aliquo ſubiecto, quia proprium eſt ſubſtantiæ nõ eſſe in ſubiecto, ſed dicitur de ſubiecto, & de particularibus hominibus, quia proprium eſt vniuerſalis

B prædicare de ſuis particularibus.

Alia autem in ſubiecto quidem ſunt, de ſubiecto vero nullo dicuntur.

Vti accidentia particularia, quæ cum ſint accidentia, ſunt in ſubiecto; cum ſint verò particularia non prædicantur de ſubiecto, vt hæc iuſtitia, quæ eſt in Socrate.

C In ſubiecto vero eſſe dico, quod cum in aliquo ſit, non ſicut quædam pars, impoſſibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt, vt quædam Grammatica in ſubiecto quidem eſt in anima; de ſubiecto verò nullo dicitur; & hoc album in ſubiecto quidẽ eſt corpore; de ſubiecto autem nullo dicitur.

D Ariſtoteles exemplificat ſecundum membrũ diuiſionis, nempe de accidenti particulari: vnde aduerte, quod ſumit hic concretum pro abſtracto, & ponit duo exempla, vnum de accidente incorporali, alterum de corporali.

Alia verò de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, vt ſcientia in ſubiecto quidem eſt in anima; de ſubiecto

E verò dicitur vt Grammatica.

Hic ponit tertium membrum diuiſionis, nempe accidens vniuerſale, accidens enim vniuerſale, vt ſcientia, eſt in ſubiecto, ſcilicet in anima, & de ſubiecto dicitur, ideſt de inferioribus prædicatur, vt de Grammatica, Rhetorica, & Poetica: propterea nota, quod hic capit ſcientiam ſueſo vocabulo.

Alia verò neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto aliquo dicuntur,

F vt quidam homo, quidam equus; nihil enim talium neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur.

In quarto membro diuiſionis ponitur ſubſtantia particularis, quę non eſt in ſubiecto, quia non

eſt accidens, ſed per ſe ſubſiſtit, neque de alijs prædicatur, quia particularis.

Simpliciter autem quæ ſunt indiuidua, & vnum numero de ſubiecto nullo dicuntur; in ſubiecto autem nihil aliqua prohibet eſſe: quędã enim Grammatica in ſubiecto eſt, de ſubiecto verò nullo dicitur.

Hic dat regulam vniuerſalem de indiuiduis, an prædicentur de aliquo, & dicit, quòd vniuerſaliter ita ſentiendum eſt, *quòd indiuidua*, quæ vnum numero appellantur, *de nullo ſubiecto*, ſcilicet de ſibi inferiori prædicantur, & hoc competit indiuiduo ſubſtantiali, & accidentali: *at non eſſe in ſubiecto*, non competit vtrique, ſed ſolum ſubſtantiali, & hoc, quia nihil prohibet aliqua indiuidua accidentalia eſſe in ſubiecto, imò neceſſario ſunt ſemper in ſubiecto; nam quędam Grammatica, quæ particularis, & indiuidua eſt, *eſt in ſubiecto*, ſcilicet in anima, *non tamen prædicatur de ſubiecto*, vt de hac, vel illa Grammatica, quia eſt ſingularis.

Cum igitur quatuor ſint membra huius diuiſionis, videlicet ſubſtantia, accidens, vniuerſale, particulare; quatuor etiam ſunt iſtorum proprietates: nam proprium ſubſtantiæ eſt non eſſe in ſubiecto, proprium accidentis eſſe in ſubiecto, proprium vniuerſalis prædicari de ſuis particularibus & inferioribus, proprium particularis non prædicari de aliquo.

Præterea notandum eſt, quòd illa, quæ ſunt in ſubiecto, habent tres conditiones, vt habet etiã Ariſtoteles in textu; primo vt ſint in aliquo; ſecundo vt ſint in ſubiecto, nõ ſicuti partes ſubiecti; tertio vt non poſſint eſſe ſine ſubiecto, vt albedo, cum neceſſaria ſit in ſubiecto, habet has tres conditiones; primo eſt in corpore, puta in pariete; non enim poteſt actu exiſtere niſi ſit in ſubiecto; vnde dicebat Ariſtot. 7. Metaph. accidentis eſſe eſt inhærere; ſecundo eſt in pariete non ſicut pars parietis; nam paries poteſt exiſtere ſine albedine; tertio non poteſt eſſe niſi ſit in aliquo ſubiecto. Neceſſe igitur eſt, illud quod eſt in ſubiecto, has tres conditiones habere, quæ omnes tantum accidenti conueniunt.

Præterea notant Græci, *quòd eſſe in aliquo*, contingit eſſe vndecim modis.

Primo, vt eſſe in loco, vt in lyceo, vel foro.

Secundo, vt vinum in vaſe.

Tertio In tempore, vt quando bellum contra Cartaginenſes geſſerunt Romani.

Quarto, vt pars in toto, & hęc pars eſt duplex, vel eſſentialis, vt materia, & forma in toto compoſito, vel integralis, vt manus, & caput in toto corpore.

Quinto, vt ſpecies in genere: homo enim in animali continetur, vt pars ſubiectiua, & contenta ſub continente, vt inferius ſub ſuo ſuperiori.

Sexto, vt totum dicitur in ſuis partibus, pro

A quanto ex omnibus ſuis partibus ſimul acceptis conſtitutum eſt.

Septimo, vt genus in ſpecie eſſe dicitur, vt animal in homine reperitur; reperitur enim vt pars ſpeciei conſtitutiua.

Octauo, dicitur aliquid eſſe in fine, vt militem in re militari, & in victoria ſpem omnem collocare.

Nono, forma dicitur eſſe in materia.

Decimo, Subditi in Principe dicuntur poſiti.

Vndecimo, vt accidens in ſubiecto, & hoc vl-
B timo modo capitur eſſe in aliquo in diuiſione aſſignata.

Ariſtoteles autem 4. Phyſ. enumerans ſignificata eſſendi in aliquo, enumerat tantum octo, quoniam eſſe in ſubiecto, vt accidens in ſubſtantia, & formam eſſe in materia, redegit ſub vno modo, & ex duobus vnum fecit: ſimiliter eſſe in vaſe, & eſſe in loco coniunxit ſimul, & ſic remanent nouem de eſſe in tempore nihil dixit, & ſic remanent tantum octo modi.

Sed circa textum occurrunt nonnullæ dubi-
C tationes.

Prima dubitatio eſt, omnis diuiſio vel eſt generis in ſpecies, vel totius in partes, vel vocum in ſignificata; at illa ſuperius aſſignata, non eſt huiuſmodi; ergo non eſt bona diuiſio, ſed potius enumeratio.

Maior patet, minor probatur, per ſingulas partes: & primo, quòd nõ ſit generis in ſpecies, quia genus diuiditur in ſpecies per differentias, ens autem non diuiditur in ſubſtantiam, & accidens per differentias: ſecundo, non eſt diuiſio totius
D in partes, neque ſimilares, neq; diſſimilares; non ſimilares, quia vnaquæque pars ſimilaris de altera prædicatur, vt quælibet pars aquæ eſt aqua; nulla autẽ ſubſtãtia eſt accidens, nec è cõuerſo; neque diſſimilares, quia non denominatur pars diſſimilaris a toto, vt caput, vel manus Socratis non eſt ipſe Socrates, ſed dicimus ſubſtantia eſt ens, & accidens eſt ens, non eſt diuiſio vocis in ſua ſignificata, quia eſſet diuiſio æquiuoca, quæ fit in ſimplicibus vocibus, vel in orationibus amphibologicis, modo ſubſtantia & accidens non
E ſunt ſignificata æquiuoca eorum, quæ ſunt, id eſt entium; ergo

Confirmatur, nam videtur quòd ſit alicuius æquiuoci in ſua ſignificata; nã diuidere ens per ſubſtantiam, & accidens, eſt æquiuoca diuiſio, vt habet Ammonius in cap. de Specie, ſed potius videtur hæc diuiſio Metaphyſica, quam Logica; nam diuidere ens per ſubſtantiam, & accidens, non videtur eſſe diuiſio vocis.

Reſpondetur, quòd diuiſio vocis per ſubſtan-
F tiam, & accidens, eſt duplex; altera vt ſubſtantia, & accidens res ſunt; altera verò vt ſubſtantia, & accidens, voces ſunt, talem vel talem rem indicantes. Primo modo diuiſio entis eſt Metaphyſica. Secundo modo eſt diuiſio Logica; & cum quæritur quæ diuiſio ſit eorum, quæ ſunt, dico quòd eſt diuiſio æquiuoci analogi in ſua ſignificata, non autem æquiuoci puri ...

Quód diuiſio entis logica eſſe poſſit, cõfirmo auctoritate Simplicij, & Ammonij dicentium, ſubſtantiam, & accidentia cõſiderari, vt ſunt voces ſignificatiuæ rerum, mediantibus conceptibus, cui ſententiæ aſſentit Auerroes, cum dicit ſubſtantiam conſiderari ſimul cũ alijs vt genus, vt differentiam continet, vt de ſpeciebus prædicatur, quod nil aliud eſt quam dicere, ſubſtãtiam conſiderari non vt res eſt, ſed in ordine ad ſecundas intentiones, vel vt dicũt Subtiles, ſecundum aliquod ei a ratione attributum.

Secundo dubitatur contra diuiſionem traditam eorum quæ ſunt ab Ariſtotele hoc in loco, ſiquidem omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris, vt ſæpius ex Boetio dicimus, hæc tamen eſt quadrimembris; ergo

Reſpõdetur, quod hęc diuiſio licet ſit quadrimembris, poteſt tamen facile ad bimembrem reduci hoc modo. Omne quod eſt, vel eſt in ſubiecto, vel non eſt in ſubiecto, & horum quodlibet vel dicitur de ſubiecto, uel non dicitur de ſubiecto, hoc eſt res omnis, vel ſubſtantia, vel accidẽs eſt, & horum aut vniuerſalis, aut par..cularis.

Tertio dubitatur, cur in ſecundo loco conſtituit Ariſtoteles accidens particulare, nam videtur hoc perperam fieri, cum omnis ſubſtantia præcedat accidens 7. Diuinorum; igitur ſubſtantia particularis debebat præcedere.

Inſuper vniuerſale nobilius eſt particulari, & prius eo, 1. Poſter. ergo accidens vniuerſale deberet præcedere particulare. Confirmatur auctoritate Auerrois in Epitom. Logic. vbi faciẽs eandem diuiſionem rerum, primo loco ſtatuit vniuerſalem ſubſtantiam; ſecundo loco vniuerſale accidens; tertio loco ſubſtantiam particularem; quarto loco accidens particulare: igitur uel temere Auerroes, uel male Ariſtoteles diuiſit.

Reſpondetur, quód duplex eſt ordo, Regularis, & Coactus. Regulariter illa præcedunt, quæ ſunt notiora, uel ſimpliciora, uel communiora, uel priora ſecundum naturam, uel ſecundum cognitionem noſtram; & demum quæcunque quę uel ordine compoſitiuo, aut diuiſiuo, aut definitiuo, aut reſolutiuo præcedere ſolent.

Ordo autem Coactus fit, quotieſcumque extrinſecus aliquod obſtat, ut apud Porphyrium quando poſt caput de Genere, quia mentionem fecerat in eo de Specie, de ipſa pertractauit immediate, ſic dico in præſenti loco, quód ordo, quem ſeruat Ariſtoteles, eſt coactus, & hoc, quia ponens diuiſionem, eam uoluit eſſe per contraria, quemadmodum bona diuiſio eſſe debet: maior autem diuerſitas eſt inter ſubſtãtiam uniuerſalem, & accidens particulare, quam inter ſubſtantiam uniuerſalem, & ſubſtantiam particularem, eũdem ordinem ſeruauit Ariſtoteles in diuiſione uocum, quando præpoſuit uoces complexas ſimplicibus: coactus enim fuit ſimplices ultimo loco ponere, ut uidimus ex Simplicio, quia eas ſubdiuiſurus erat, & de eis continuare intendebat. Quód ueró uniuerſale accidens hic

A præponatur ſubſtantiæ particulari, dico hoc fieri: præterea quód accidens præcedit ſubſtantiam, non ratione, qua accidens eſt, nam ſic poſterius eſt, ſed ratione, qua vniuerſale eſt; vniuerſalia enim ſunt particularibus priora, & nobiliora, quoniam corrumpuntur particularia, vniuerſalia vero æterna ſunt. Ad confirmationem dicimus, Auerroem noluiſſe diuiſionem iſtorum eſſe diuiſionem, ſed enumerationem ſolã; ideo alium ordinem ſeruauit.

Quarto dubitatur, quia dictum eſt ſingulares
B ſubſtantias non eſſe in ſubiecto; contra dicunt Græci, quia ſingularia ſunt in loco, & tẽpore, & impoſſibile eſt, quód ſingularia, & cætera corpora non ſint in aliquo loco, & tempore: ergo

Reſpondetur, quod eſſe in aliquo multis modis accipitur, vt locatum in loco, vt pars in toto, & ſimilibus, & vt accidens in ſubiecto; vnde dicimus, quód vinum ſtat in amphora, plantę ſunt affixæ terræ tanquam locatum in loco, vel ſicut conſeruatum in conſeruante, vel contentum in ſuo continente; non tamen ſicut accidẽs in ſub-
C iecto, & ſic dico, quód ſingularia corpora ſunt in loco, & tempore, ſicut locatum in loco, non autem ſicut accidens in ſubiecto, & licet ſingularia nõ ſint in vno loco, ſunt tamen in alio, non propterea intereunt; & ſic definitio accidentis non competit ſingularibus, cum nec locus, nec tempus ea informent; accidentia veró ſine illis nequaquam conſiſtere valeant.

Quinto dubitatur, quoniam videtur quód definitio accidentis competat alteri a definito, nã totum eſt in partibus, & totum non eſt pars par-
D tium, & impoſſibile eſt, quód ſit ſine partibus, & ſeorſum exiſtat a partibus; ergo deſcriptio eſſendi ipſorum accidentium competit alteri.

Reſpondetur, quód totum non eſt in aliquo, ſed in aliquibus, ſcilicet in partibus: at id, quod eſt in ſubiecto, dicitur eſſe in aliquo, non autem in aliquibus, hoc pacto in cap. de Specie, in fine, dicebat Porphyrius, quód ſpecies erat totũ non alterius, ſed in alijs, quoniam plurium indiuiduorum eſt pars: cum enim eſt totum, refertur ad pluralitatem; at ſpecies cum eſt pars, eſt pars
E alterius, vnius ſcilicet generis.

Sexto, hæc eadem deſcriptio cõpetit formæ; nam forma eſt in materia, & non eſt pars materiæ, & non poteſt ſeorſum exiſtere (naturaliter loquendo) a materia, in qua eſt: ergo

Reſpondetur, quód forma nõ eſt in materia, vt in ſubiecto. Et nota, ſi ſubiectum capiatur communiter pro materia ſubiecta formę, & pro ſubſtantia ſubiecta accidenti, forma dicitur eſſe in materia, vt in ſubiecto: at ſi capiatur ſubiectũ pro ſubiecto accidentis, tunc forma non eſt hoc
F modo in materia, vt in ſubiecto, ſed ſolummodo accidens, cum dicis, forma non eſt pars partium, verum eſt, cum dicis, non poteſt ſeparari á materia, dico formam poſſe ſeorſum ſubſiſtere, & exiſtere a materia. Contingit dupliciter, uno modo vt ſubſtantia eſt, & ſic dico, quód ipſi non repugnat hæc ſubſiſtentia; ſecundo modo ſecun

dum

dum ordinem a natura ſtatutum, & ſic non poteſt ſeorſum exiſtere; at accidenti repugnat (naturaliter loquendo) per ſe ſubſiſtere abſq; quod ſit annexum ſuo ſubiecto. Dixi naturaliter loquendo, quoniam in Sacramento Altaris miraculiter accidentia panis ibi per ſe ſubſiſtunt, nulli ſubiectæ ſubſtantiæ annexa. Præterea eſt alia differentia, quia accidens eſt in ſubiecto, & illud accidētaliter informat; at forma eſt in materia, & per ſe informat materiam, vt inde oriatur per ſe compoſitum ſubſtantiale.

Septimo dubitatur, illa, quæ complent ſubſtantiam, ſunt partes ſubſtantiæ, ſeu ſubiecti; ergo male dicitur, quòd accidens non eſt pars ſubiecti, in quo eſt. B

Reſpondetur, quòd complere ſubſtantiam alicuius dupliciter contingit, vel eſſentialiter, vel accidentaliter, color, figura, magnitudo, dicuntur complere corpus accidentaliter, non autem eſſentialiter: at Ariſtoteles in textu intelligit, quòd accidens non eſt pars eſſentialis, non tamen negat, quin poſſit eſſe pars accidentalis.

Octauo, videtur quòd illa accidentis deſcriptio, quando dicit, *in ſubiecto vero eſſe, dico quòd cum, &c.* ſit diminuta, quoniam videtur competere tantum accidentibus inſeparabilibus, non autem ſeparabilibus, cum dicit, quòd nō poteſt ſeparari ab eo ſubiecto, in quo eſt. C

Reſpondetur, quòd competit accidenti & ſeparabili, & inſeparabili, quoniam quodcumque accidens quomodolibet ſit illud non poteſt ſeorſum exiſtere a ſubiecto illo præciſe cui annexum eſt.

Nono dubitatur contra eam particulam, in qua dicit Ariſt. in textu, *Accidens non eſſe partem ſubiecti, & non poſſe eſſe ſine eo, in quo eſt*, Contra primam partem arguimus; nam partes quantitatiuæ, ſunt partes totius, & tamen ſunt de genere quantitatis; quantitas verò eſt accidens; ergo accidens eſt pars ſubiecti. D

Reſpondetur, partes quātitatiuas eſſe partes totius, in quantum totum eſt, & non totius in quantum ſubiectum.

Nono dubitatur contra illam particulam, in qua dicitur, *quod accidens non poteſt eſſe ſine eo, in quo eſt*, & hæc dubitatio eſt Græcorū omnium, & etiam Latinorum: nam ipſi dicunt, quòd accidens poteſt eſſe ſine eo, in quo eſt, & afferunt exemplum de pomo, accipiatur pomum, ſi diu manibus cōtrectetur, vel in veſte aliqua diu ſeruetur, pomum ipſum amittit odorē, & manus, vel veſtis recipit eum, & tamen pomum eſt ſubiectum odoris; ergo odor cum ſit accidēs, poteſt eſſe ſine eo ſubiecto, in quo eſt, ideſt ſine pomo, quia ſi abijciatur pomū, adhuc ſeruabitur odor in manu, vel in veſte; ergo E

Reſpondet Boetius huic difficultati, & dicit, quòd verum eſt, quod odor eſt in pomo, tamen ſi pomum contrectetur aliquantiſper prę manibus, vel in veſtimēto retineatur, pomum ipſum amittit odorem; ergo eſt ſine eo, in quo eſt. Negatur conſequentia, inquit Boetius, quia licet F

A odor amplius non ſit in pomo, quia pertranſijt odor ille in manum, ſiue in veſtem, tamē odor eſt in manu, vel in veſte, & Ariſtoteles nō dicit, quòd accidens nō poſſit eſſe ſine eo, in quo fuit, vel erat, ſed ſine eo, in quo eſt: itaque licet odor amplius non ſit in pomo, ſat eſt quòd ſit in eo, in quo eſt, ideſt in manu, vel in veſte, & ſic tollitur iſta difficultas ſecundum Boetium.

Secundo reſpondent Græci, quòd ſcilicet odor pomi non eſt in pomo, ſed in quibuſdam corpuſculis, & particulis ipſius pomi, quæ ſunt puriores, & difflabiles, ex quibus difflat odor, & tranſit de pomo in manum, ſiue in veſtem, quia licet abijciatur pomum, odor tamen pomi remanet in partibus illis purioribus, quæ cum ſint difflabiles, odorem emittunt, & ſic ſemper odor eſt in ſuo ſubiecto, nempe in ijs particulis pomi, & huius rei illud ſit argumentum, inquiunt Gręci, quòd ſi aliquod pomū diu ſeruetur in aliquo veſtimento, pomum illud euadit rugoſum, imminuitur, & odorem ammittit: ratio, quia particulæ illæ, quæ ſunt odoris ſubiectum, cum ſint expirabiles, effluxerunt ex pomo, quia odor eſt ſemper in ſubiecto. Solutio itaque eſt, quòd odor non eſt in toto pomo, ſed in quibuſdam minimis particulis, quæ cum ſint expirabiles emittūt odorem, & ita licet pomum abijciatur, odor tamen vel in manu, vel in veſte ſeruatur, quoniā eſt in illis particulis pomi ſpirabilibus.

Vndecimo dubitatur contra illud verbum, *vt in aliquo ſit*, quæ eſt tertia conditio accidētis; videtur enim accidēs poſſe permanere ſine ſubiecto: nam accidentia ſecundum eorum formalem eſſentiam poſſunt intelligi ſine ſubſtantia; igitur poterunt permanere ſine ſubiecto, eo maxime cum dicat Simplicius ſuper 2. de anima, accidentia definiri per proprium genus, & proprias differentias citra ſubiectum.

Reſpondetur, accidens eſſe in aliquo, non quòd forma accidentalis ſit ſubſtantia, vt quidā exiſtimant; nam accidens propriam habet formam, & eſſe formale citra ſubſtantiam, & ſi refeatur ad ſubſtantiam, refertur in genere cauſę materialis, quæ Zimara diligenter animaduertebat in 2. Theorem. Et ideo dico accidens ſecundum ſuum eſſe formale, poſſe à ſubſtantia ſtare diuiſum, ſecundum vero ſuum eſſe materiale minime, & hoc modo ſententia textus intelligitur.

Duodecimo, & vltimo dubitatur, nam Ariſtoteles 1. Prior. cap. 22. vbi agit de abundantia medij, & copia propoſitionum, dicit, quòd indiuidua poſſunt aliter prædicari, vt ſi dicamus Socrates eſt album, Plato eſt hic currens, Cicero eſt hic Sophronici filius, quod etiam Porphyrius dicebat in Prædicabilibus, tamen hic vniuerſaliter dicit Ariſtoteles nulla indiuidua tam ſubſtantialia, quam accidentalia poſſunt prædicari de aliquo; ergo videtur quod ſit contradictio.

Reſpondetur, quòd nulla eſt contradictio; nam aliquid prędicari, & maxime accidentia dupli-

dupliciter contingit, vel quòd prædicentur de ſubiecto, vel quòd prędicentur de ſuo inferiori, vt ſi dico Socrates eſt album, in hac propoſitione indiuiduum accidentale prædicatur de ſubiecto, in quo eſt ipſum album, non autem poteſt prædicari de ſuo inferiori, quoniam hoc album nihil ſub ſe continet. Dico igitur, quòd 1. Prior. dicebat Ariſtoteles, aliqua indiuidua prædicari de ſuo ſubiecto, non de ſuo inferiori. Hic autem negat indiuidua non de ſuo ſubiecto prædicari, ſed de ſuo inferiori; nam cum ſub hoc albo non cõtineatur aliquid inferius, merito dicitur quòd indiuidua non prædicantur de ſuo inferiori. Et ſic explicit Caput Secundum.

Super Capite ſecundo Antepradicamentorum pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc ſecundo Capite de Complexis, & Incomplexis, duæ breuiter traduntur ab Ariſtotele diuiſiones, prima de vocibus, poſtrema de rebus.

Prima diuiſio vocum eſt huiuſmodi, *eorum quę dicuntur*, ideſt vocum, *alia cum complexione dicuntur, alia ſine complexione dicuntur*, nempe aliæ ſunt compoſitæ, vt homo currit, leo vicit; aliæ ſunt ſimplices, vt homo, leo currit, vicit.

Secunda rerũ traditur diuiſio in hunc modũ: *Eorum quæ ſunt*, nempe rerum, *alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto vero nullo ſunt, & eſt ſubſtantia vniuerſalis.*

Alia de ſubiecto nullo dicuntur, & in ſubiecto ſunt abſque quod ſit pars ſubiecti, & poſſit exiſtere ſine eo, ut accidens particulare.

Alia de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, & eſt accidens vniuerſale.

Alia de ſubiecto nullo dicuntur, & in ſubiecto nullo ſunt, & eſt ſubſtantia particularis.

Pariter in iure dantur voces compoſitę, & voces ſimplices, & ſine complexione.

De vocibus incomplexis exemplum habemus Inſt. tit. de iuſt. & iure, in principio, de ipſa iuſtitia, in principio tit. Inſt. de actionibus, de actione ipſa.

De compoſitis exemplum traditur in eo. tit. Inſt. de iuſt. & iure. §. iuris præcepta, quando dicit honeſte viuere, alterum non lędere, ius ſuum vnicuique tribuere, eſſe iuris præcepta.

Similiter in iure datur modo legali, ſubſtantia uniuerſalis, vt in l. ſtipul. ff. de act. & oblig. in princ. obligatio ad aliquod dandum, vel faciendum, vel præſtandum dicitur omnium obligationum ſubſtantia.

De particulari habetur in §. pretium. Inſt. tit. de empt. & vend. vbi dicitur, quòd pretium eſt de ſubſtantia particularis contractus emptionis, & venditionis.

De accidente vniuerſali in principio Inſt. de empt. & vend. quo loci arrha in omni emptione & venditione de accidenti eſt.

De accidente particulari in l. hac conſultiſ-

A ſima, in princ. C. qui teſt. facere poſſ. vbi inter cętera datur forma teſtandi alicui, cui ex accidẽti vel per naturam cæcitas accideat.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc ſecundo capite pro Iuris ſtudioſis.

Regula in Prædicatis eſſentialibus. Caput Tertium.

B INtentio Ariſtotelis in hoc cap. eſt aſſignare quandam regulã, quæ dicitur regula de ratione prædicandi.

Cauſa intentionis eſt quoniã dixit ſupra, aliqua entia, dici de ſubiecto, modo quis poſſet petere, an ſicut aliqua entia, quæ ſunt vniuerſalia, dicũtur de ſubiecto ſibi inferiori; ita etiã omnia, quæ prædicãtur de tali vniuerſali prædicato, prædicentur etiam de illo ſubiecto inferiori.

Adeſt alia cauſa, & eſt, quoniam de huiuſmo-
C di prædicatione ſermonem habebit in prædicamentis, & ſic patet duplex cauſa, & patet ſimul etiam continuatio huius partis ad antedicta, & ad ſequentia.

Textus habet duas partes; in prima ponit regulam; in ſecunda prædictam regulam exemplis declarat. Dicit igitur.

Quando alterum de altero prędicatur, vt de ſubiecto, quæcumque de
D eo, quod prædicantur, dicuntur, omnia de ſubiecto dicentur, vt homo de homine quoddam prædicatur; animal verò de homine; ergo & de quoddam homine animal prædicabitur: quidam enim homo eſt, & animal.

Senſus verborum eſt talis; quòd quotieſcumque reperitur aliquod, quod eſt vniuerſale, quod
E prædicetur per ſe, & vniuoce de aliquo inferiori, vt de ſubiecto, quæcumque prędicantur de tali vniuerſali ſubiecto, etiam prædicantur de ſubiecto illi prędicato vniuerſali. Dat exemplum, homo prædicatur de Socrate, vt de ſubiecto per ſe, vniuerſaliter, & vniuoce, & animal prædicatur de homine; ergo Socrates cum ſit homo, erit etiam animal, & ita animal ſicut prædicatur de homine, ita prædicabitur de ſubiecto etiam inferiori ipſius hominis, puta de aliquo homine, vt de Socrate, & cæteris.

F Hic colligitur aduerſus aliquos recentiores, quòd iſte liber eſt logicus, quoniam hic agit de ratione prædicandi, & prædicari eſt res pertinens ad Logicum, ſed circa textum occurrunt nonnullæ dubitationes.

Prima dubitatio, ſi regula iſta eſſet vera.

Primo ſequeretur, quòd valeret hoc argumẽtum,

tum, animal eſt album, homo eſt animal; ergo homo eſt albus, quòd eſt falſum, quia vt placet nonnullis, videtur eſſe fallacia conſequentis; nã accidens poteſt eſſe verum ſine conſequenti.

Secundo ſequeretur, quòd iſta valeret, animal eſt triſyllabum, homo eſt animal, ergo homo eſt triſyllabum, quod eſt falſum.

Tertio ſequeretur, quòd iſta valeret, animal eſt genus, homo eſt animal; ergo homo eſt genus; quod eſt falſum.

Quarto valeret, animal eſt prædicatum, homo eſt animal; ergo homo eſt prædicatũ, quod eſt falſum.

Quinto valeret, homo eſt niger, nigrum eſt qualitas; ergo homo eſt qualitas, quod eſt falsũ.

Sexto valeret, homo eſt ſpecies, Socrates eſt homo; ergo Socrates eſt ſpecies, quod eſt falsũ.

Reſpondetur ſecundum Subtiles, Boetium, Simplicium, Ammonium, & Auerroem, quòd regula propoſita intelligitur de prędicatis eſſentialibus, ſcilicet cum in illis eſt ordo ſubſtantialis, & per hunc modum, & hanc gloſſam ſoluuntur omnia argumenta in oppoſitum facta.

Præter vltimum, & tertium, pro quibus eſt notandum, vt addunt Subtiles, quòd vltra conditionem aſſignatam, hæc regula eſt vera, quando non variantur termini, & ſuppoſitiones terminorum.

Propterea cum dicitur, homo eſt albus, & ſic de alijs, non valet, quia eſt prædicatio accidentalis. Vltimum verò tollitur, & tertium, quia cum dicitur, homo eſt ſpecies, fit mutatio in terminis; nam fit proceſſus à terminis ſecundæ ad terminos primæ notionis; eodem modo ſoluitur tertium argumentum.

Secundo dubitatur, an ſub hac regula contineatur definitio, necne; ſi dicatur quòd non, contra, nam animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua, homo eſt animal, ergo homo eſt ſubſtantia animata ſenſitiua; ſi dicas quòd ſic, cõtra inſtat Simplicius; nam definitio idem eſt quod definitum; regula tamen dicit, *quando alterum de altero, &c.* ergo non videtur definitionem contineri ſub hac regula.

Nonnulli reſpondent, regulam illam continere definitionem, & ad argumẽtum dicitur, quòd definitio, & definitum, licet realiter idem ſint ſiue ſubiecto, tamen habitu, & ratione ſeparãtur;

A. nam alterum diſtinctum eſt, alterum confuſum, alterum explicans, alterum explicatum: & ideo iuxta hanc diuerſitatem continetur ſub hac regula definitio ipſa, ex ſententia Simplicij, ſecũdum horum opinionem.

Ex quo elicio, quòd liber Prædicamentorum non eſt de vocibus incomplexis abſolute, ſed de his, quę ſimplicem conceptum habent, quoniam definitio eſt complexa complexione vocum, licet ſimplex ſit ſimplicitate ſignificanti, vt 2. Perier. ſcribitur, & 7. Metaph. ab Ariſtotele.

Præterea corpus animatũ eſt vox complexa; ſed quia ſignificatum vnum eſt, ideo in prædicamento includitur. In ſumma dicatur, quòd quẽadmodum non omnis vox ſimplex eſt in prædicamento, vt voces æquiuocæ, puta canis, ſic nec omne cõplexum excluditur à prędicamẽto.


Finis tertij Capitis.

Super capite Tertio Antepraedicamentorum pro Iuris ſtudioſis.

C Regula, quam docet Ariſtoteles in hoc tertio capite, eſt vnica & breuis, nempe quòd quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de ſubiecto, vt homo de Socrate prędicatur, animal de homine; ergo & de Socrate prædicatur.

Hanc eandem regulam in iure ciuili veram eſſe oſtendi ſupra in Porphyrium ſuper capite de Specie, ex arbore ibi per me figuraliter deſcri-
D pta de iuſtitia. Conſimilem hic figurare intendo, tum vt monſtrem vſum clarum huius regulæ etiam alio exemplo, præter quam tradito in libello Porphyrij, vnde videat lector non deficere in iure quamplurima exempla de rebus logicis, vt & alias dixi, & etiam quia ex hac figura, quam hic deſignabo, & ex ſupradicta facile cognoſcemus quoque veritatem regulæ ſubſequentis traditæ in cap. ſubſequenti proximo in his Antepraedicamentis.

Sit itaque figura ſequẽs deſumpta ex tit. Inſt. de iure perſonarum; ſit namque homo ſub homine liber, ſub libero libertinus, ſub libertino manumiſſus, ſub manumiſſo, Sticcus, & Pamphilus, vt in figura ſequenti.



Ex hac ſupradicta figura cognoſcere valemus modum prædicandi traditum ab Ariſtotele in hoc capite tertio Antepręſdicamentorum, etiam in iure vſum habere, ſiquidem homo in hac arbore, qui eſt ſuperius prædicatur de libero, liber de libertino, libertinus de manumiſſo, manumiſſus de Sticco, & Pamphilo: nã verũ eſt dicere, Sticcus, & Pamphilus eſt manumiſſus, manumiſſus eſt libertinus, libertinus eſt liber, liber eſt homo. Quia ergo manumiſſus prædicatur de Sticco & Pamphilo ſibi ſubiectis, & libertinus prædicatur de manumiſſo, quod prædicatur de Sticco, & de Pamphilo: propterea per hanc regulam libertinus de manumiſſo non ſolum, verum etiam de Sticco, & Pamphilo prædicabitur; pariter liber de libertino, & manumiſſo, & Sticco, & Pamphilo, & homo de omnibus ſibi inferioribus.

Et ſic patet vſus verus huiuſcemodi regulæ in corpore iuris.

Et hæc ſint dicta circa hoc caput.

Super quarto Capite Antepradicamentorum.

QVoniã Ariſtoteles docuit, quòd quicquid prædicatur de prædicato, predicatur & de ſubiecto. Idem nunc docet euenire in generibus ſubalternis, quòd ſcilicet differentiæ conſtitutiuæ, & aliquando diuiſiuæ generis ſuperioris, cũ de illo ſuperiori genere prędicentur, & de inferiori genere, de quo prædicatur ſuperius genus prædicantur; & ſic patet quomodo hæc regula cum ſuperiori coniungitur, nec ab ea diſtat, ſed in hac proſequitur declarationem primæ regulæ, de ratione ſcilicet prædicandi.

Adeſt alia cauſa cur ponat hanc regulam, quoniam ex hac cognoſcere poterimus quæ ſint diuerſa genera, & quæ ſubalterna, nam ſubalterna habent eaſdẽ differentias, diuerſa verò non habent, & ſic patet intentio huius partis, & continuatio cum ſuperioribus, & ad ſequentia.

Sed pro notitia ſenſus regulæ notandum eſt, quòd duplex eſt genus ex Porphyrio. Hinc videmus librum Porphyrij maximam afferre vtilitatem, aliud generaliſſimum, aliud eſt genus ſubalternum, generaliſſimum eſt, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas; ſubalternum eſt, vt animal ſub corpore.

Secundo notandum eſt, quòd aliqua dicuntur reponi ſub diuerſis prædicamentis, alia verò ſub eodem reponuntur prædicamento.

Tertio ſciendum, quòd duplex eſt differẽtia, alia eſt conſtitutiua, alia eſt diuiſiua, & eædem differentiæ, quæ diuiſiuæ ſunt, ſunt etiam conſtitutiuæ, diuerſimode tamen, vt dictum eſt in vniuerſalibus. Tunc dicit Ariſtoteles.

Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt

A **ſpecies, & differentiæ, ut animalis, & ſcientiæ: animalis enim differentiæ ſunt, greſſibile, bipes, & uolatile, & aquatile; ſcientiæ uerò nulla eorum eſt: neque enim ſcientia a ſcientia differt in eo, quod bipes eſt; ſubalternorum uerò generum nihil prohibet eaſdem eſſe differentias: ſupe-**
B **riora enim de ijs, quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicantur. Quare quæcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem & ſubiecti erunt.**

Dicit Ariſtoteles, quòd diuerſa genera, & nõ ſubalterna genera habent differẽtias ſpecificas, conſtitutiuas, addas & diuiſiuas diuerſas; & ſic illa, quæ reponuntur ſub diuerſis huiuſmodi generibus ita ſe habent, quód habent diuerſas diffe-
C rentias ſpecificas, & eſſentiales, ita vt differẽtiæ, quæ competunt vni generi, non poſſunt alteri competere, cum illud aliud genus non reponatur ſub illo genere priori, nec poſſunt competere ſubiecto alterius generis.

Dicuntur autẽ genera non ſubalternatim poſita, quorum vnum non ponitur ſub altero, & ſunt diuerſa prædicamenta. Dat exemplum Ariſtoteles, animal & ſcientia ſunt duo genera diuerſa, & vnum ſub alio nõ ponitur, nec vnum prædicatur de alio, vt de ſubiecto. Quare nec
D differentiæ animalis competunt ſcientiæ, nec inferioribus ſcientiæ: differentiæ autem conſtitutiuæ animalis ſunt, verbi gratia, greſſibile, bipes, diuiſiuæ ſunt aquatile, & volatile, & nulla iſtarum competit ſcientiæ, nec ſubiectis ſcientiæ, differentiæ ſcientiæ ſunt morales, naturales, & ſermocinales; at in generibus ſubalternis res aliter ſe habet, quod videlicet differentiæ conſtitutiuæ ſemper, & aliquando diuiſiuę generis ſuperioris competut, & prędicantur de genere inferiori, & de ſubiecto ge-
E nere inferiori, quoniam genus ſuperius prædicatur de inferiori genere, vt conſtitutiuæ differentię animalis, gratia exempli ſunt ſenſitiuum, iſta differentia competit animali, & animali rationali, ponendo quòd animal rationale ſit vnum genus, vt docuit Porphyrius, & ſic differentia conſtitutiua animalis, cum animal prædicetur de animali rationali, prædicatur etiã eadẽ differentia de animali rationali. Exẽplũ de diuiſiuis, Animal diuiditur per mortale & immortale, ſi-
F militer animal rationale diuiditur per mortale & immortale, & hoc ſit dictum gratia exempli.

Contingit ergo aliquando, quòd differentiæ diuiſiuæ generis ſuperioris, ſint etiam diuiſiuæ generis inferioris, & de inferiori genere, vt de ſubiecto prædicẽtur, ſicuti & de ſuperiori. Dixi aliquando, quia differentiæ diuiſiuæ corporis, ſunt ſenſitiuum, & non ſenſitiuum; at iſtæ non com-

competunt animali, quia animal eſt tantummodo ſentiens: quare concludit Ariſtoteles, quod in generibus ſubalternis contingit tot eſſe differentias ſubiecti, quot & prædicati; nam tot differentiæ prædicantur de inferiori genere, vt de ſubiecto, quot prędicantur de genere ſuperiori, vt de prędicato vniuerſali; & ſic patet, quod iſtę regulæ ſunt vna regula, quia prima in ſecunda magis exprimitur.

Nota in textu duo verba poſita primum licet *&*, nam ſic dicit Ariſtoteles, *ſi ſint diuerſa genera, & non ſubalternatim poſita, &*, ideſt etiam differentiæ erunt diuerſæ. Secundum verbum eſt licet, *ſpecies*, idem enim eſt ac ſi diceret, differentiæ ſpecificæ, ac ſubſtantiales, ſubintelligendo tamen diuiſiuas, quoniam eædem ſunt diuiſiuę, & conſtitutiuæ differentiæ.

Ex hoc dubitat Scotus, an idem poſſit reponi ſub diuerſis prædicamentis, ad quod reſolute dicit, quod idem numero, ideſt indiuiduum, eadem ſpecies, idem genus, ſecundum idem formaliter quiditatiue, vel ſecundum vnam conſiderationem non poteſt poni niſi in vno prædicamento. At idem conſideratum ſecundum diuerſas conſiderationes, & ſecūdum plura prędicata poteſt eſſe in diuerſis prędicamentis, imò Socrates eſt in omnibus prædicamentis, vt ſubſtantia eſt in genere ſubſtantiæ, vt longus, latus in quantitate, vt albus, & ſtudioſus in qualitate, vt pater in relatione, vt facit, vel patitur in agere, & pati, vt ſtat, vel recumbit in ſitu, vt eſt ſurſum, vel deorſum in vbi, vt viuit hoc tempore in prædicamento quādo, vt eſt indutus palio eſt in prædicamento habitus, & ſic eſt in omnibus prædicamentis ſecundum diuerſa prædicata eſſentialia, & accidentalia. Idem dicatur de pluribus alijs, nam corpus diuerſimode eſt in ſubſtantia, & quantitate, quoniam corpus dupliciter conſideratur, ſeu duplex eſt, alterum ſubſtantiale, alterum quantitatiuum, illud in prædicamento ſubſtantię, hoc quantitatis reponitur. Similiter ſcientia vt eſt habitus eſt in prędicamēto qualitatis, vt verò refertur ad ſcibile eſt in prædicamento ad aliquid, motus vt eſt actio, & paſſio eſt in prædicamento paſſionis, tamen ſecundum durationem reponitur ab Ariſtotele 5. Metaph. in prædicamento quantitatis ſimul cum tempore, & ſic idem ſecundum diuerſos reſpectus poteſt eſſe in diuerſis prædicamentis.

Sed contra prædicta occurrit dubitatio. Primo, quia ait Ariſtoteles, quod quotieſcunque vnum genus ſubalternatim ponitur ſub altero, differentia vnius eſt differentia alterius. Hoc videtur falſum de differentijs tam cōſtitutiuis, quàm diuiſiuis, nam differentię conſtitutiuæ inferiorum non conueniunt ſuperioribus, ut rationale, quod hominem conſtituit, non conuenit corpori, nec animato corpori. Item diuiſiuæ vnius non ſemper ſunt alterius; nam auis eſt genus ſubalternum animalis, differentiæ tamen animalis, quæ ſunt rationale, & irrationale, mortale, & immortale non cōueniunt aui, quoniam

A auis per illas non diuiditur.

Reſpondetur, quod textus debet intelligi de differētijs diuiſiuis, non ſemper, ſed aliquando, vt Simplicius, & Boetius longa expoſitione confirmant. De conſtitutiuis verò regula eſt vniuerſalis, vt ſi comparentur inferiora ſuperioribus, differentiæ omnes ſuperiorum conſtitutiuę ſunt inferiorū, & ſic intelliguntur ea verba textus dicētis, *quare quæcunque erunt differentiæ prædicati, totidem erunt & ſubiecti*.

Præterea nota, quòd licet rationale ſit ſcien-
B tiæ, & animalis differentia, non tamen vniuoce, ſed æquiuoce. Et ſic explicit quartum Caput.

Super Capite quarto Antepraedicamentorum pro Iuris ſtudioſis.

IN quarto Capite Antepraedicamentorum habemus ab Ariſtotele, quòd diuerſa genera, & non ſubalternatim poſita diuerſas habent ſpecificas differentias: ſubalterna verò nihil prohibet habere eaſdem.

C Hoc idem clare patet in figuris per nos in iure deſignatis; vna in proximo ſuperiori capite tertio horum Antepraedicamentorum; altera in capite de ſpecie in vniuerſalibus Porphyrij.

Siquidem ius Romanorum, & libertinus, quę ſunt genera diuerſa, ſub diuerſis generibus poſita: alterum nempe ſub iuſtitia, alterum ſub homine diuerſas habent ſpecificas differentias; nā iuris Romanorum differentiæ ſunt, ius ſcriptū, & non ſcriptum per quas diuiditur; eę verò non ſunt differentiæ libertini, ſed maior, minor, &
D inferior libertas. Similiter ius Romanorum conſtituitur per ius ciuile. Libertinus autem per cōſequutionē libertatis; ſubalterna verò nihil prohibet habere eaſdem, vt iuris humani differentia, videlicet ius ciuile, poteſt etiam competere iuri Romanorum, eo quoniam cum prædicetur de iure humano, prædicatur etiam de iure Romanorum eidem iuri humano ſubiecto.

Et hæc quo ad quartum Caput.

E

Super Capite Quinto Antepredicamentorum.

IN hoc quinto Capite Ariſtoteles ſubdiuidit alia diuiſione voces ſimplices, & quæ dicuntur ſine complexione, diuidit inquam maiori quæ poſſit dari diuiſione, ſcilicet in decem voces.

F Cauſa huius intentionis eſt, quoniam intētio eius eſt agere de decem prędicamentis, quę ſunt decem voces ſignificantes rerum genera.

Continuatur hęc pars cum ſuperioribus, nam diuiſa voce ſignificatiua, in compoſitam, & ſimplicem, poſtea diuiſa voce ſignificatiua ſimplici, in duo, vel in quatuor, nunc diuidit in decem, & continuatur ſic ad ſequentia, quoniam antequam

quam pertractet prædicamenta, enumerat ipſa A prius.

Hæc pars habet duas partes; in prima diuidit; in ſecunda notat vnum, quod declarat quomodo hæ voces prædicamentales conſiderentur a Logico, & quomodo ordinetur ad librum Perier. & ad cæteros logicales libros. Dicit igitur.

Eorum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut ſubſtantiam ſignificat, B aut quantum, aut quale, aut aliquid, aut vbi, aut quãdo, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere, aut pati; eſt autem ſubſtantia quidem, vt in figura dicatur, vt homo, & equus; quantum autem, vt bicubitum, tricubitum; quale, ut album, Grammaticum; ad aliquid, ut duplum, dimidium, maius, C ubi uero, in foro, in lyceo; quando autem, ut heri, ſuperiori anno; ſitum uerò eſſe, ut iacet, ſedet; habere autem, ut calceatum eſſe, armatum eſſe; agere uero, ut ſecare, urere; pati, ut ſecari, uri.

Dicit Ariſtoteles, quòd vocum ſimplicium, aliæ ſignificant ſubſtantiam, vt homo, & equus. D Hæc duo exẽpla appoſuit, vt manifeſtaret ſubſtantiam perfectam, quæ eſt homo, & imperfectam, quæ ſunt bruta, & equus: aliæ ſignificant quantitatem, vt bicubitum, & tricubitum, cum numerus ſit par vel impar: idcirco voluit vtramque quantitatem his duobus exemplis complecti, aut qualitatem, vt album, Grammaticum, etiam qualitatẽ duplici exemplo declarat, quoniam vel qualitas eſt in anima, vt ſcientia. Dicebat enim Commentator, quòd ſicut materia de ſui natura eſt ſubiectum cuiuſcumque com- E poſiti, ita anima noſtra intellectiua eſt ſubiectũ omnium ſcientiarum; capit autem ſcientiam nõ pro habitu per denominationem acquiſito, vt proprie accipitur, ſed communiter pro quocumque habitu animæ noſtræ; vel qualitas eſt in corpore, & hanc declarat exemplo, vt album, quoniam ſubiectũ coloris eſt corpus; aut ad aliquid, vt duplũ, dimidiũ, maius, declarat ad aliquid tribus exẽplis, qm̃ relatiua triplicia ſunt, ſuppoſitionis, ſuperpoſitionis, & æquiparantiæ, vt æquale F ęquali ęquale, ſimile ſimili ſimile; vbi vero, vt in foro, in lyceo, etiam per hæc duo exẽpla declarat duplicem locum: aut enim eſt propter bona corporis, vt forum, vbi venundantur, quę ad corporis beneficia attinent, vnde ſolemus dicere, quod ſacerdotum vox eſt in Choro, cor autem eorum eſt in foro, quoniam forum eſt propter commoda corporis, aut propter bona animi; vt lyceum, locus proprius vbi legebat, & diſputabat Ariſtoteles. Per quando autem, vt heri, ſuperiori anno, quoniam tempus vel eſt propinquum, vel eſt remotum; ideo prædicamentum quãdo duplici exemplo declarat; heri ſignificat tempus propinquum, ſuperiori anno tempus remotum; ſitum verò eſſe, vt iacet, ſedet; illę enim voces ſignificant prædicamentum ſitus, quod triplex eſt; vel enim ſtamus, & ſic vocatur ſtatus; uel prorſus recumbimus, & ſic dicimus iacere; vel partim ſtamus, partim recumbimus, & eſt quando ſedimus: ideo duplici exemplo Ariſtoteles hoc prædicamentum declarat, iacet, & ſedet, tertius ipſius ſitus modus intelligitur qui eſt ſtatus; habere autem, vt calceatum eſſe, armatum eſſe, hoc prædicamentum duobus exemplis declarat, quoniam habemus aliquid, vel tempore pacis, vel tempore belli; tempore pacis, vt cũ ſimpliciter calceati ſumus; tẽpore belli, vt cum arma geſtamus; agere verò, vt ſecare, vrere; pati, vt ſecari, uri. Hæc poſtrema prædicamenta dupliciter declarat, quoniam actio, vel paſſio, uel eſt conſtructiua, ut ſecare ſecari, uel deſtructiua, ut urere uri, & ſic duobus exemplis rem hanc declarat: quare non eſt ſuperfluus in hac breui declaratione horum decem prædicamentorum, ſed omnia iure fecit.

Super hac diuiſione nonnulli dicunt, uti Boetius, quòd hæc potius dicitur enumeratio, quam diuiſio, uel dicamus, quòd dicitur diuiſio largo modo, quatenus eſt reducibilis ad bimembrem, ut uox ſignificatiua, uel ſignificat ſubſtantiam, uel non ſubſtantiam, quæ non ſubſtantiam ſignificat, uel ſignificat abſolutum, uel non abſolutũ, ſed reſpectiuum; ſi abſolutum, uel eſt quantitas, uel qualitas; ſi non abſolutum, ſed reſpectiuum, proprie, uel ſecundario; primo modo, eſt ad aliquid; ſecundo modo, cætera prædicamenta.

Sequitur textus. 2

Singula igitur eorum, quæ dicta ſunt, ipſa quidem ſecundum ſe in nulla affirmatione dicuntur, uel negatione: horum autem ad ſe inuicem complexione, affirmatio, uel negatio fit; omnis enim affirmatio, aut negatio uidetur uel uera, uel falſa eſſe; eorum autem, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque uerum, neque falſum eſt, ut homo, album, currit, uincit.

Hæc eſt ſecunda pars, in qua Ariſtoteles declarat, imò potius, ut inquit Ammonius, ſeparat intentionem ſuam in hoc libro prædicamentorum ab ea, quam habet in ſequenti libro Perier. Hic enim intendit agere de uocibus ſimplicibus ſignificatiuis rerum; quæ neque affirmant,

neque negant, in libro Perier. agit de vocibus ſimul compoſitis, quæ erunt vel affirmationes, vel negationes; vt autem oſtendat ſe acturum in hoc libro de vocibus ſimplicibus, quæ nullam ſignificant affirmationem, vel negationem, vtitur hoc argumento: Omnis affirmatio, vel negatio vel eſt vera, vel falſa; ſed iſtæ decem voces hic conſideratæ non ſunt neque veræ, neque falſæ, ſi per ſe & ſeparatim ſumantur; ergo hic conſiderantur voces ſimplices, quæ neque affirmãt, neque negant. In libro autem Perier. agitur de vocibus complexis, quæ erunt affirmatiuæ, vel negatiuæ, nam ibi agetur de propoſitione, quare non eſt eadem intentio in hoc libro, & in libro Perier. ſed diuerſa.

Contra prædicta dubitatur. Primo, quoniam videtur hanc diuiſionem æquiuocam eſſe, quoties prædicamenta diuidimus, amplius omnis diuiſio fit per differentias, ſed prædicamenta carent ſuperuenientibus differentijs; igitur hæc nõ poteſt eſſe diuiſio, cuius tamẽ oppoſitũ defendunt Græci, & Auerroes dicẽtes, hãc eſſe maximam rerum diuiſionẽ, ſicut ſuperiorẽ minimã.

Reſpondetur, quòd iſta eſt diuiſio æquiuoci analogi in ſua ſignificata.

Et hæc de Antepræedicamẽtis dicta ſufficiãt.

Super Capite Quinto Antepraedicamentorum pro Iuris Studioſis.

VIdimus in capite quinto diuiſionem maximam vocum incomplexarum in decem, quæ videlicet ſunt ſubſtantia, quantitas ad aliquid, qualitas, habitus agere, pati, vbi, quando, ſitum eſſe. Quæ omnia conſiderantur etiam in iure, tractanturque, vt diſtinctius videbimus ſuo loco, pro nunc ſat ſit breuiter tangere.

Quod de ſubſtãtia agitur in l. obligationum. ff. de act. & oblig. de quantitate, in l. ſancimus. C. de don. de qualitate in l. dolus. C. de reſcind. vend. de ad aliquid, in l. ſi cum dies. §. pen. ff. de reſcep. arbit. de habitu, in l. veſtis. ff. de auro, & arg. leg. de actione, in l. ſi cõgruit, ff. de offic. præſid. de paſſione, in l. ſi quis. ff. de iuriſd. omn. iud. de vbi, in l. fi. ff. de teſt. milit. de quando, §. planè, §. ſed & ſi. Inſt. de teſt. milit. de ſitu, in l. diuus. ff. de in integ. reſtit.

Et ſic videtur in iure de his omnibus agere iuriſconſultum, quæ tamen indiſtinctè proprijs locis conſiderabimus.

Et ſic eſt finis huius capitis pro Iuris Studioſis.

Super Prædicamentis De Subſtantia. Cap. Primum.

ARiſtoteles expletis his, quæ antepręedicamenta dicuntur, & quę ſunt veluti procœmiũ libri prædicamentorum, & hoc notatur aduerſus moderno s dicentes hunc librũ non eſſe logicum, quoniam eſt ſine procœmio, &

A cæteri libri logici habent procœmium; quare vel non eſt logicus, vel nõ eſt Ariſtotelis, vel eſt imperfectus. Quo argumento inter cætera viſus eſt Balduinus, qui iudicio meo grauiter defecit, quoniam hæc, quæ ſunt antepręedicamenta, ſunt procœmium libri Prædicamentorum: nam teſtibus Græcis, Ariſtoteles imitatur Geometras, vt etiam diximus in principio expoſitionis æquiuocorum.

Ariſtoteles inquam expleto procœmio aggreditur agere de decem prędicamentis, ſiue de de-
B cem vocibus exprimentibus decem genera generaliſſima.

Cauſa intentionis eſt, quia hæc eſt ſua prima, & principalis intentio, quia non ſat erat enumeraſſe hæc prædicamenta, ſed oportebat exactius de vnoquoque agere, quomodo facit in præſentia. Et primo pertractat de ſubſtantia, vt dicunt Græci, & Boetius, ſeruans ordinem naturę, quia ſubſtantia eſt prior natura, cæteris omnibus accidentibus, cum ſit baſis, & fundamentum omnium accidentium, & ſic cauſa exiſtẽtiæ, & ſub-
C ſiſtentiæ ipſorum, & quoniam ipſa ſublata auferuntur accidentia, non è contrario; quinimo addit Dominus Honoratus de Robertis, & rectè in hoc, ſubſtantia præcedit accidens, & tempore, & cognitione, vt habetur 7. Metaph. in quantum eſt cauſa accidentis, eſt natura prior, dicit ipſe de mente Græcorum, in quantum verò poteſt ſine accidente reperiri, minime autem accidens ſine ea, eſt tempore prior, & in quantum perfectius cognoſcitur res per ſubſtantiã, quàm per accidens etiam prior eſt cognitione, & vere
D hæc eſt doctrina Ariſtotelis loco ſupra citato.

Cum itaque ſubſtantia præcedat omne accidens, omni qua poteſt prioritate natura; tempore, & cognitione; propterea iure merito priori loco de ipſa pertractat Philoſophus.

Hoc caput habet duas partes; in prima Philoſophus vtitur duobus inſtrumentis aptiſſimis, diuiſione ſcilicet, & definitione; in ſecunda aſſignat quaſdam ſubſtantiæ proprietates, numero ſex, ex quibus poſtea vnam tãtum eliget. Prima pars habet multas particulas, in quarum prima
E ſimul, & ſemel diuidit & definit, ſubſtãtiam diuidit in primam & ſecundam, & vtramque definit. Hoc miro artificio vtitur ſæpe. De primo igitur definit primam & ſecundam ſubſtãtiam, & ſupponit diuiſionem ſubſtantiæ in primam & ſecundam: primam ſubſtantiam appellat ſubſtantiam particularem, ſecundam appellat ſubſtantiam vniuerſalem, quæ eſt duplex, genus, & ſpecies. Dicit igitur.

Subſtantia autem eſt, quæ pro-
F prie, & principaliter, & maxime dicitur, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt, vt quidam homo, & quidam equus.

Senſus eſt, *ſubſtantia, quæ proprie, principaliter, & maxime dicitur, eſt illa, quæ neque de ſubiecto aliquo*

quo dicitur, ideſt non eſt vniuerſalis, ſed particu-
laris; & eſt ſubiectum prædicationis ſecũdarum
ſubſtantiarum, *neque in ſubiecto aliquo eſt*, veluti
accidens, ſed eſt ſubiectum accidentis. Dat exẽ-
plum, *vt quidã homo*, puta Socrates, *quidã equus*,
& hæc eſt prima ſubſtantia, quam Primam ap-
pellat, quia eſt prima apud nos; nam primo ſeri-
mur naturaliter in ſingularia, deinde ex ſingula
ribus colligimus vniuerſalia.

Hanc indiuidualem ſubſtantiam dicit Ariſto
teles, dici proprie ſubſtãtiam, quia ea per ſe ſub-
ſiſtit, inquit Simplicius: alię verò de hac ſubiecta
dicuntur; & principaliter, quoniam accidens, vt
aſſerunt Boetius, & Magnus Albertus prius in
indiuidua, poſtea in ſecundas ſubſtantias venit;
& maxime, quoniam ex Græcis, & Boetio maxi
me ſit ſubiectum inhæſionis; ſubſtat enim gene-
ribus, ſpeciebus, & accidentibus.

Præterea Philoſophus dicit licet, *dicitur*, hoc
eſt apud communiter opinantes, nam teſte Am-
monio, loquitur Ariſtoteles ad introductorios
in principio logicæ, & in pluribus ſe accommo-
dat animis adiſcentium, & communi opinioni,
ac ſententiæ. Sequitur textus.

**Secundæ autem ſubſtantiæ dicun
tur ſpecies, in quibus eæ, quæ princi
paliter ſubſtantiæ dicuntur, inſunt.
Et hæ quidem, & harum ſpecierum
genera, vt quidam homo in ſpecie
quidem eſt homine; genus verò ſpe
ciei animal. Secundæ igitur, hæ ſub-
ſtantiæ dicuntur, vt eſt homo, atque
animal.**

Hic deſcribit ſecundam ſubſtãtiam, & dicit,
quòd ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur eſſe ſpecies,
*in quibus prima, & quæ principaliter dicuntur ſub-
ſtantiæ*, ideſt in quibus primæ, & particulares
ſubſtantiæ inſunt, inſunt inquam, vt pars ſubie-
ctiua, & inferius ſub ſuo ſuperiori, & in ſuo toto
vniuerſali: & non ſolum ſpecies ſunt ſecundæ
ſubſtantiæ, *ſed etiam genera ſpecierum*, ſunt ſecun
dæ ſubſtantiæ, in quibus generibus vt ſub toto
vniuerſali inſunt ſpecies; ſpecies verò, & genera
ſunt in indiuiduis. Dat exemplum, *vt homo*, qui
eſt ſpecies, *& animal*, quod eſt genus ſpeciei, ſci-
licet hominis, ſunt ſecundę ſubſtantię, addit Ari
ſtoteles verba illa, *in quibus eæ, quæ principaliter
ſubſtantiæ dicuntur, inſunt*. quoniam non omne
genus, neque omnis ſpecies eſt ſubſtantia ſecun
da, ſed eę tantum, quę indiuidua, & ſubſtantias
primas cõtinent, vt homo, atque animal. Homo
enim ſub ſe continet particulares ſubſtantias, vt
Socratem, & Platonem; animal autem continet
primas ſubſtantias, vt Socratem, & Platonem,
& etiam continet ſpeciem, vt hominem. Dicit
Philoſophus hic, quòd ſubſtantię ſecundę ſunt
genera, & ſpecies, non inquam omnia genera, &
ſpecies ſunt ſubſtantię ſecundę; quia ſi hoc eſſet

A verum, ſequeretur, quòd Album, & color eſſent
ſecundę ſubſtantię, quoniam ſunt ſpecies & ge-
nera; ſed eę, in quibus primę inſunt.

Sed circa dicta dubitatur primo, cur Philoſo-
phus exemplum dederit, quidam homo, & qui-
dam equus; non autem dixerit, ut Cicero, vt So-
crates.

Magnus Albertus reſpondet, quòd quidam
homo, quidam equus eſt indiuiduum vagum,
quòd magis aſſimilatur ſpeciei; Cicero autem
& Socrates ſunt indiuidua particularia. De par-
B ticularibus verò non habetur ſcientia.

Secundo & aliter poſſumus reſpõdere, quòd
Ariſtoteles vtitur vago indiuiduo pro ſignato,
& pro ſingulari, quia aliquis homo nõ eſt aliud,
quam Plato, vel Cicero, & ſic de alijs. Vt igitur
ſuo exemplo comprehendat omnia ſingularia
humana, dicit quidam homo, & omnia ſingula-
ria equina, dicit quidam equus, vt oſtẽdat idem
dicendum eſſe de omnibus particularibus, & ſin
gularibus ſubſtantijs compoſitis.

Secundo quæritur, cur Philoſophus definit
C primam ſubſtantiam per negationem, quia de
prima ſubſtantia habemus ſolum quid non ſit;
non autem quid ſit. Hoc autem eſt contra Ari-
ſtotelem, qui in 2. Poſter. cap. 3. dicit, quòd defi-
nitio debet eſſe vniuerſalis, & affirmatiua.

Reſpondetur, quòd definitio duplex eſt; alte-
ra quæ proprie eſt definitio; altera quæ vocatur
deſcriptio. Hic Philoſophus ſubſtantiam pri-
mã non definiuit, ſed deſcripſit. Definitio enim
conſtat ex generibus, & differẽtijs, & indiuidua
non habent differentias; ergo non eſt definitio,
D ſed deſcriptio. Cum autem Ariſtoteles 2. Poſt.
dicit, quod definitio debet eſſe vniuerſalis, &
affirmatiua, loquebatur de definitione propria,
& non de deſcriptione, quoniam deſcriptio po-
teſt fieri per negationem, & hoc duabus de cau-
ſis, vel propter maximam excellẽtiam rei, quam
deſcribere volumus, vel è conuerſo, propter im
perfectionem, & depreſſionem. Propter maxi-
mam excellentiam vtimur deſcriptione nega-
tiua, quando aliquid nobilius definire neſcimus,
propter imperfectionem aliquid per aliud defi-
E nimus, vt fecit Porphyrius capit. de Accidente,
cum dicit Porphyrius, *Accidens eſt, quod non eſt
genus, neque differentia, &c. ſemper eſt autẽ in ſubie-
cto ſubſiſtens*, huiuſmodi tamen definitionibus
negatiuis ſemper ſolet addi, vel ſubintelligi ali-
quod affirmatiuum: nam Socrates apud Plato-
nem interrogauit Thimeum quid eſſet Deus,
Thimeus reſpondit, quid nõ ſit Deus noui, quid
verò ſit non noui: nã nec corpus, nec color eſt,
nec Angelus, nec aliquid huiuſmodi, ſed aliquid
eſt ijs præſtantius, quid verò ſit non intelligo.
F Hæc Thimeus; in quibus verbis deſcriptionis
reperitur negatio, & affirmatio, vt patet. Hoc
etiam modo per negationem definitur materia
prima ab Ariſtotele 7. Diuinorum 8. cum dicit,
*Materia prima non eſt quid, nec quale, nec quantum,
ſed eſt de quo omnia alia prædicantur, & eius eſſe eſt
aliud ab eſſe cuiuſcunque categoriæ.*

Simi-

Similiter in hac deſcriptione ſubſtantiæ, quę eſt quid in ſuo genere perfectiſſimum, adeſt negatio & affirmatio ſimul, nam intelligitur affirmatio, cum dicit namque, *ſubſtantia prima non dicitur de ſubiecto*, ſubintelligitur affirmatio ſcilicet, ſed eſt ſubiectum prædicationis: cum verò dicit, *non eſt in ſubiecto*, ſubintelligitur, ſed eſt ſubiectum accidentis.

Vel dicitur, quòd hæc affirmatio exprimitur, cum dicit, *quæ proprie, principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de ſubiecto dicitur, neque eſt in ſubiecto*, huius deſcriptionis ſecunda pars eſt negatiua, prima verò eſt affirmatiua, vt ſit ſenſus, ſubſtantia prima eſt, quæ proprie, principaliter, & maximæ dicitur.

Tertio quæritur, cur loco ſubſtantiæ non dixit ſubiectum, quoniam hucuſque facta eſt mentio de ſubiecto, non de ſubſtantia.

Reſpondetur, quòd dixit ſubſtantiam, & non ſubiectum, quia vere ſubſtantia diſtinguitur ab accidentibus, ſubiectum autem aliquando accidens eſt.

Quarto dubitatur, quoniam Ariſtoteles 2. de anima, aliter diuiſit ſubſtantiam: dicebat enim quòd triplex eſt ſubſtantia, ſcilicet materia, forma, & compoſitum, materia vt animal, forma vt anima, compoſitum vt homo. Dubitatur inquã, quoniam Ariſtoteles ſibi contrariatur, cum eandem rem diuerſis modis diuidit.

Item Porphyrius cap. de ſpecie, diuiſit aliter ſubſtantiam, ſcilicet corpoream, & incorporeã, vt patet in eius arbore. Videtur ergo quòd diuiſiones iſtæ diſſentiant cum hac, quam in preſenti loco aſſignat Philoſophus.

Reſpondetur, quòd illa diuiſio Ariſtotelis in 2. de anima, non eſt logica, ſed realis, & Metaphyſica, & illa, quam tradit Porphyrius in cap. de ſpecie, eſt analoga. Hæc autem, quam hic aſſignat Philoſophus, eſt vniuoca, & intelligitur de ſubſtantia compoſita; nam ſubſtantia duplex eſt, ſimplex, & compoſita; ſimplex, vt Deus, cœlum, elementa, anima; compoſita ex materia & forma duplex; prima, vt Cicero, Socrates; ſecunda, genus, ſpecies. Loquitur igitur hic Philoſophus non de ſubſtantia ſimplici, vt eſt Deus, cœlum, ſed loquitur de ſubſtantia cõpoſita, hancq́; dicit duplicem eſſe, primam ſcilicet, & ſecundam; prima, vt indiuidua; ſecunda, vt genus, & ſpecies: & hæc eſt opinio Græcorum, Boetij, & etiam Auerrois, qui in cap. de ſpecie, in digreſſione illa, in qua determinat ſubſtantiam non eſſe genus generaliſſimum, ſed corpus compoſitum ex materia, & forma, dicebat, quod tantum ſubſtantiæ compoſitæ ingrediuntur hoc prædicamentum.

Quinto quæritur quæ ſit hæc diuiſio.

Reſpondetur, quòd diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam, eſt diuiſio vocis æquiuocæ in ſua æquiuocata. Si verò conſideratur quatenus nomine ſubſtantiæ indicatur hęc ratio communis, ſiue hic communis modus eſſendi omnium ſubſtantiarum, ſcilicet primarum, & ſecun-
A darum, qui eſt non eſſe in ſubiecto, ſed per ſe ſtare, & ſubijci accidentibus; dico, quòd talis modus vniuoce conuenit, ſcilicet nomine, & ratione primis, & ſecundis ſubſtantijs, & ſic hæc diuiſio poteſt eſſe æquiuoca, & vniuoca.

Sequitur textus.

Manifeſtum eſt autem ex ijs, quę dicta ſunt, quòd eorum, quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſt & nomen,
B & rationem de ſubiecto prædicari, vt homo de ſubiecto quidem homine dicitur; prædicatur etiam & nomen; hominem enim de quoddam homine prędicabis, & ratio quoque hominis, de quoddam homine prædicabitur: quidam enim homo, & homo eſt, & animal; qua-
C re nomen, & ratio de ſubiecto prædicabitur.

Hic Ariſtoteles probat, quòd genus & ſpecies ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, hoc argumento, genus, & ſpecies de primis ſubſtantijs vniuoce prædicantur; ergo ſunt ſubſtantiæ non primæ, ergo ſecundæ. Antecedens manifeſtum eſt, quoniam vniuoce prædicari, eſt prędicari ſecundum idem nomen, & eandem rationem, vt ho-
D mo cum ſit ſpecies, prædicatur de Socrate, & Platone, ſecundum nomen; quia verum eſt dicere, quod Socrates eſt homo, & ſecundum rationem; nam definitio, & ratio hominis recte accõmodatur Socrati: dicimus enim; Socrates eſt homo, & eſt animal rationale mortale.

Item animal, quòd eſt genus, prædicatur etiã vniuoce de homine, ideſt de ſpecie, & de particularibus, & indiuiduis ſubſtantijs; de eiſdẽ etiã prædicatur ratio animalis: verum eſt enim dicere, homo eſt animal, Socrates eſt animal, pariter-
E que homo eſt animatum ſenſibile, Socrates eſt animatum ſenſibile.

Eorũ verò, quæ in ſubiecto ſunt, in plurimis quidem, neque nomen, neque ratio prædicatur de ſubiecto: in aliquibus autem, nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de ſubiecto; rationem verò impoſſi-
F bile eſt, vt album cum in ſubiecto ſit corpore, prædicatur de ſubiecto: dicitur enim corpus album, ratio verò albi, nunquam de corpore prędicabitur.

Hic Ariſtoteles vtitur argumento per modũ à contrarijs,& probat,quod accidẽs non eſt ſubſtantia,quoniam accidens nõ prędicatur de primis ſubſtantijs vniuoce, ſed tantum ſecundum nomen:aliquãdo autem neque nomen accidentis prædicatur, genus autem & ſpecies non ſunt accidentia; ergo ſunt ſubſtantiæ,non prima,ergo ſecũda. Probat Ariſtoteles in textu, quod accidentia non prædicantur ſecundum nomen,& rationem,ſed ſolummodo ſecundum nomen,vt album eſt accidens, & eſt in ſubiecto, nempe in prima ſubſtantia, vt in hoc pariete; prædicatur autem album ſecundum nomen tantũ:dicimus enim hic paries eſt albus, & ratio albi nunquam prædicabitur de ſubiecto: abſurdum enim eſſet dicere, paries eſt color diſgregatiuus viſus; aliqua etiam accidentia ſunt, quorum neque nomen, neque ratio de ſubiecto prædicatur, vt albedo eſt accidens,& nõ prædicatur de ſubiecto, neque ſecundum nomen,neque ſecũdum rationem:nam abſurdũ eſt dicere, paries eſt albedo, & etiam dicere eſt color diſgregatiuus viſus.

Alia verò omnia aut de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantijs, aut in ſubiectis eis ſunt. Hoc autem manifeſtum eſt ex ijs, quę per ſingula proponuntur, vt animal de homine prædicatur; ergo & de quoddã homine animal prędicabitur:nam ſi de nullo quorundam hominum, neque omnino de homine,rurſus color in corpore eſt;ergo & in quoddam corpore:nam ſi non in aliquo eſſet ſingulorum,nec omnino in corpore.

Hic eadem, quæ ſuperius propoſuit Ariſtoteles,confirmat: dicit enim, quòd cætera omnia præter ſubſtantiam primam aut prędicantur de primis ſubſtantijs,vt ſubſtantiæ vniuerſales, ſcilicet genera,& ſpecies,aut in ipſis ſunt, tãquam in ſubiecto,vt accidentia omnia,quę per ſe ſubſiſtere non poſſunt, ſed in primis ſubſtantijs inſunt; nam animal prædicatur de homine, & de aliquo particulari homine,vtputa de Socrate,& Platone; ſi enim non prædicatur animal, quod eſt genus, de primis ſubſtantijs indiuidualibus, ideſt de particularibus hominibus,neque etiam prædicabitur de ſpecie, ideſt de homine, nam homo eſt,quia particulares homines ſunt;ſecundæ igitur ſubſtantiæ ſunt,quæ fundantur in primis,de quibus prædicantur. Pariter exemplum ſit de accidentibus, quæ inexiſtunt primis ſubſtantijs tanquam in ſubiecto, vt color: accidens enim eſt,& eſt in corpore,ergo & in aliquo corpore,vt in pariete,nam paries eſt corpus,& cum color ſit in corpore, erit & in pariete, per illam regulam antepraedicamentalem,*quando alterum de altero prædicatur,&c.* Si enim color non eſſet in particularibus ſubſtantijs, neque eſſet in corpore, cum ſubſtantia prima ſit omnium rerum fundamentum.

Quare alia omnia aut de ſubiectis primis dicuntur ſubſtantijs, aut in ſubiectis eis ſunt; non ergo exiſtentibus primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere.

Modo concludit Philoſophus, quod cætera omnia vel prædicantur de ſubiecto,ideſt de primis ſubſtantijs,vel in ipſis inſunt vt in ſubiecto, ita vt ſubſtantiæ primæ omnibus alijs rebus vſum præbeant, quibuſdam ad prædicationem, vt ſubſtantijs vniuerſalibus,quibuſdam ad inexiſtentiam,vt accidentibus. Ex quibus verbis eligit hanc concluſionem, quod ſi deſtruerentur omnia indiuidua, deſtruerentur cætera omnia: ſubſtantiæ enim primæ ſunt omnium aliarum rerum fundamentum, ſublato namque fundamento tollitur fundatum; igitur ſi tollantur indiuidua, particularesq; ſubſtantiæ, neceſſe eſt cætera omnia tollere, quoniam ſpecies eſt ſimilitudo,& collectio omnium particularium:ſi autem non ſint particularia,non erit neque ſimilitudo,neque collectio;ergo nõ erit ſpecies. Similiter genus eſt ſimilitudo omnium ſpecierum, ſublatis itaque ſpeciebus amplius nõ erit genus; quare manifeſtum eſt, quòd non exiſtentibus primis ſubſtantijs, eſt impoſſibile aliquid aliorum remanere.

Secundarum verò ſubſtantiarum magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm genus, Propinquior enim eſt primæ ſubſtantiæ: ſi quis enim aſſignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentius & conuenientius aſſignabit ſpeciem,quàm genus aſſignans, vt hominem quendam aliquis aſſignans, manifeſtius aſſignabit hominem, quàm animal aſſignans: illud enim proprium magis cuiuſdam hominis; hoc autem communius,& cum quãdam arborem aſſignauerit, manifeſtius aſſignabit aſſignãdo arborem, quàm plantam.

Huculque Ariſtoteles ſubſtantiã in primam, & ſecundam diuiſit, & adinuicem comparauit, nempe primam ſubſtantiam ad ſecũdam,quoad prædicationem nunc autem comparat ſecundas ſubſtantias inter ſe, quæ non ſit magis ſubſtantia.

Vnde dicit Ammonius, quòd comparatio ſubſtantiarum fit quatuor modis,vel cum comparamus ſubſtantiam primam ad ſecũdam, vel

ſpecies ad genus; vel cum comparamus ſpeciem ad ſpeciem, vel primam ad primam; primo modo ſuperius comparata fuit ſcilicet prima ad ſecundam: nunc autem vtitur ſecundo modo comparationis, comparat ſecundas ſubſtantias inter ſe, ſcilicet genus ad ſpeciem, & oſtendit, quòd ſpecies eſt magis ſubſtantia, quam genus, & hoc duobus argumentis, altero ex affinitate, & vicinitate deducto, altero verò à ſimili.

Primum eſt huiuſmodi, illa eſt magis ſubſtantia, quæ vicinior eſt primæ ſubſtantiæ; ſed ſpecies eſt vicinior primæ ſubſtantiæ, quam genus; ergo ſpecies eſt magis ſubſtantia, quam genus: illud enim, quod propinquius eſt alicui rei, magis participat illam rem, vt qui vicinior eſt igni, magis participat ignis qualitates, ſcilicet magis calefit: ſic etiam ſpecies idcirco magis eſt ſubſtantia, eo quod magis ad primam ſubſtantiam accedit. Probat Philoſophus minorem, illud eſt propinquius primæ ſubſtantiæ, per quod conuenientius reſpondetur interroganti quid eſt prima ſubſtantia, ſed conuenientius reſpondetur per ſpeciem, quàm per genus; ergo ſpecies eſt vicinior primæ ſubſtantiæ. Si ſic ergo eſt magis ſubſtantia quàm genus, & hoc eſt quod ait Philoſophus: *Si quis enim aſſignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentius & conuenientius aſſignabit ſpeciem, quàm genus aſſignans*. Philoſophus non ponit integrum argumentum, ſed tantum ponit minorem propoſitionem. Hoc enim verum eſt, ſi quis interrogaret quid eſt Socrates, aptius & conuenientius reſpondebitur, quòd eſt homo, quàm quòd eſt animal, quoniam animal eſt quoddam cõmunius, quod continet ſub ſe omnes ſpecies; at homo eſt quoddam magis proprium, idem dicitur de arbore: ſi enim quiſpiam indiuiduam arborem velit aſſignare, propinquius aſſignabit, quid ſit id, quod definiuit dicendo arborem, quam dicendo plantam; planta enim eſt genus arboris, ſiquidem planta prædicatur etiam de ijs, quæ arbores non ſunt, ſiquidem prædicatur de caulis, lactucis, & huiuſmodi. Patet igitur, quòd ſpecies eſt magis ſubſtantia, quàm genus, quoniam vicinior eſt primæ ſubſtantiæ, & magis declarat naturam primæ ſubſtantiæ, quam genus.

Amplius primæ ſubſtantiæ, ideo quòd alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia, vel de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propter hoc maxime ſubſtantiæ primæ dicuntur, quemadmodum autem primæ ſubſtantiæ, ad alia omnia ſe habent, ſic & ſpecies ad genus ſe habet: ſubijcitur enim ſpecies generi; genera enim de ſpeciebus prædicantur: ſpe-

A cies autem cum generibus non conuertuntur; quare & ex his ſpecies genere magis ſubſtantia eſt.

Nunc vtitur argumento, quod quidem eſt à ſimili, vt probet ſpeciem eſſe magis ſubſtantiam, quam genus, & tale eſt, illa eſt magis ſubſtantia, quæ pluribus ſubijcitur, ſed ſpecies pluribus ſubijcitur quàm genus; ergo ſpecies eſt magis ſubſtantia, quàm genus. In hoc eſt ſi-

B militudo, quia ſicuti ſubſtantia prima omnibus ſubijcitur, & propter hoc maxime ſubſtantia vocatur, quoniam maxime ſubiecta eſt; ita etiam ſpecies eſt magis ſubſtantia, quam genus, quia ſimilior eſt primæ ſubſtantiæ, & magis ſubijcitur quàm genus. Hoc autem perſpicuum eſt, quoniam ſpecies ſubijcitur generibus, & accidentibus, non tamen genus ſubijcitur ſpeciebus, licet enim dicatur animal eſt album, nõ tamen dicitur animal eſt homo; ſpecies verò ſubijcitur & generi, & accidentibus: dicimus

C enim homo eſt animal, & homo eſt albus. Sunt igitur magis ſubſtantiæ ſpecies, quam genera, quoniam ſpecies habent maiorem ſimilitudinem cum ſubſtantia prima, quàm genera: patet igitur hoc verum eſſe duplici argumento.

Ipſarum verò ſpecierum quæcumque non ſunt genera, nihil magis, alterum altero ſubſtantia eſt; nihil enim familiarius aſſignabis, de

D quoddam homine, hominem aſſignando, quàm de quoddam equo equum.

Nunc Ariſtoteles ſecundum membrum comparat ſecundarum ſubſtantiarum inter ſe, nempe ſpeciem ad ſpeciem, dicens, *ſpecierum quæ non ſunt genera*, idest ſpecierum ſpecialiſſimarum, nulla eſt magis ſubſtantia, quam altera, ſed æqualiter ſunt ſubſtantiæ, vt homo, bos, formica, ca-

E melus, & cæteræ ſubſtantiæ ſunt æquales; nam ſi quis definiet hominem, quatenus ſubſtantia eſt, dicet homo eſt animal; ſimiliter dicet bos eſt animal, & ſic de alijs. Hæ enim ſpecies ex æquo ſubſtantiæ ſunt. Vtitur autem Ariſtoteles hoc argumento, vt probet, quòd nulla ſpecies ſpecialiſſima eſt magis ſubſtantia, quàm altera, omnis ſubſtantia, quæ magis ſubſtantia eſt, alia, magis indicat naturam primæ ſubſtantiæ, & quiditatẽ, ſed nulla ſpecies ſpecialiſſima magis indicat naturam ſubſtantiæ primæ, quàm al-

F tera; ergo una non eſt magis ſubſtantia, quàm altera. Maior propoſitio ſuperior demonſtrata eſt; minor per ſe patet, quoniam ex æquo omnes ſpecies ſpecialiſſimæ naturam declarãt ſubſtantiæ primæ: natura enim, & quiditas ſubſtantiæ primæ, ita per ſpeciem ſpecialiſſimam declaratur, quæ eſt homo, ſicuti natura, & eſſentia

Bucephali per ſuam ſpeciem ſpecialiſsimam, quæ eſt equus. Et ita æqualiter, & apte omnes ſpecies ſpecialiſſimæ declarant naturam ſuæ ſubſtantiæ primæ, quoniam ſi quis interrogetur quid eſt Bucephalus, apte & conuenienter reſpondebit, eſt equus, ſicuti interroganti quid eſt Socrates, reſpondebit, quòd eſt homo.

Similiter autem & in primis ſubſtantijs, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt; nihil enim magis quidam homo ſubſtantia eſt, quàm quidam bos.

Nūc comparat quartum membrum, ſcilicet primam ſubſtantiam ad primam ſubſtantiam, ideſt indiuidua, & particularia inter ſe, & probat, quòd indiuidua quamuis diuerſarum ſint ſpecierum, non tamen vnum eſt magis ſubſtantia altero; nam omnis ſubſtantia, quæ eſt magis ſubſtantia, quàm alia, pluribus ſubijcitur, quam alia, ſed primarum ſubſtantiarum vna non eſt magis ſubſtantia, quàm altera; ergo, &c. Sicuti enim aliquis homo ſubijcitur ſpeciebus, generibus, & accidentibus, ita etiam aliquis equus, & aliquis bos; quare manifeſtum eſt, quod primarum ſubſtantiarum vna non eſt magis ſubſtantia, quàm altera.

Merito igitur poſt primas ſubſtantias ſola aliorum omnium ſpecies, & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. Sola enim hæc, eorum quæ prędicantur, primam ſubſtantiam indicant; quendam enim hominem ſi quis aſſignauerit quid eſt, ſpeciem quidem, quæ genus aſſignando, familiarius demonſtrabit, & manifeſtius faciet hominem aſſignando, quàm animal; aliorum verò omnium quicquid aſſignauerit quis, aſſignabit extranee, veluti album, aut currit, aut aliud quodcumque talium aſſignans: quare merito hæ ſolæ aliorum ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur.

Dictum eſt Ariſtotelem quadruplicem feciſſe ipſius ſubſtantiæ comparationem, nunc vnicam, & ſimpliciſſimam concluſionem oſtendit, in qua deducit hoc argumentum, quod genus & ſpecies meritò ſecundæ ſubſtantiæ appellantur. Et quamuis ſuperius id probauit, probat etiam hoc in loco, duas aſſignans rationes, quòd merito genus, & ſpecies ſecundæ ſubſtantiæ nuncupantur.

A Prima ratio eſt iſta, illud eſt ſecunda ſubſtantia, quod indicat naturam, & eſſentiam primæ ſubſtantiæ, ſed genus & ſpecies indicant naturam primæ ſubſtantiæ; ergo genus & ſpecies ſunt ſecundæ ſubſtantiæ. Maior patet, quia indicare naturam rei, pertinet ad ſubſtantiā rei. Probatur minor, illud naturam alicuius indicat, quod prædicatur in quid de primis ſubſtantijs, genus & ſpecies prædicantur in quid de primis ſubſtantijs; ergo genus & ſpecies indicant naturam & eſſentiam primæ ſubſtantiæ, quòd
B genus & ſpecies prædicentur in quid de primis ſubſtantijs manifeſtum eſt, quoniam ſi interrogaueris quid eſt Socrates, apte reſpondebis per genus, vel per ſpeciem eſt homo, vel eſt animal; verùm ſi interrogeris quid eſt Socrates, conuenientius reſpōdebis, quòd eſt homo, quàm quòd eſt animal; quoniam animal continet ſub ſe multas ſpecies; homo autem de ſolis indiuiduis ſubſtantijs prædicabitur.

Sed quis dicet, quòd hic eſt cōtradictio inter Ariſtotelem, & Porphyrium. Dicit enim Ariſto-
C teles hic, quòd ſpecies & genus prædicantur in quid de prima ſubſtantia; Porphyrius autem cap. de ſpecie, dicit, quòd ſola ſpecies prædicatur in quid de prima ſubſtantia, & ſic adinuicem contrariantur.

Reſpôdetur, quòd prædicatio de primis ſubſtautijs ſolet fieri dupliciter, vel propinque, vel remote, Porphyrius intellexit de prædicatione propinqua; Ariſtoteles autem hic de prædicatione remota, vel ſic poteſt dici, quòd genus prædicatur de prima ſubſtantia mediate, ſpecies
D immediate. Ariſtoteles in his verbis, ***quendam enim hominem ſi quis aſſignauerit, quid eſt, &c.*** diluit dubitationem inter ſe & Porphyrium, quoniam dicit, quòd ſpecies prædicatur aptius, & conuenientius de prima ſubſtantia, quoniam interroganti quid eſt Socrates, aptius reſpondebitur per ſpeciem, quòd eſt homo, quàm per genus, quòd eſt animal. Quare autem conuenientius? quia prædicatio ſpeciei de prima ſubſtantia eſt propinqua; prędicatio autem generis eſt
E remota: & ideo prędicatio ſpeciei eſt conuenićtior, & aptior. Si autem interroganti per quid de prima ſubſtantia, reſpondebitur per aliquod aliud quàm per ſpeciem, & genus, puta per accidens, ut eſt album; iſta aſſignatio erit extranea, & hoc eſt quod ait, ***aliorum verò omnium quicquid aſſignauerit, aſſignabit extranee:*** aſſignare extranee, eſt aſſignare prædicationem per accidens, vt interroganti quid eſt Socrates, ſi quis reſponderet eſt Philoſophus, ſiue albus, vel currês, iſta erit aſſignatio extranea, quoniam non aſſi-
F gnat prædicatum ſubſtantialiter, vt facit ſpecies & genus, ſed aſſignat prædicatum per accidens.

Ex his verbis colligitur, quòd prædicatio eſt duplex, intrinſeca, & extrinſeca: prędicatio intrinſeca eſt generum, vel ſpecierū de prima ſubſtantia, vt Socrates eſt homo, uel eſt animal; iſta prędicatio eſt intrinſeca, quoniā aſſignat prędi-

catum

catum ſubſtantialiter:prædicatio autem extrinſeca eſt accidentium, quæ accidentia aſſignant prædicatum per accidens, vt Socrates eſt albus, vel currit.

Concludit igitur Philoſophus,quòd aliorum omnium ſola genera,& ſpecies dicuntur eſſe ſecundæ ſubſtantiæ,quando dicit, *quare merito hæc ſola aliorum dicuntur eſſe ſecundæ ſubſtantiæ.*

Amplius primæ ſubſtantiæ eo, quod alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipſis ſunt, proprijſſimæ ſubſtantiæ dicuntur. Sicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum,ad reliqua omnia ſe habent. De his enim reliqua omnia prædicantur;quendam enim hominem dices Grammaticum eſſe; ergo & hominem, & animal Grammaticum dices; ſimiliter autem & in alijs.

Probat altera ratione Philoſophus ſpecies & genera ſecundas eſſe ſubſtantias, argumento a ſimili,& dicit: Dic mihi,inquit Ariſtoteles,quid eſt in cauſa,quòd indiuidua ſunt primæ ſubſtantiæ? certe nulla alia cauſa eſt, præterquam quòd indiuidua maxime ſubijciuntur,ex eadem ſimilitudine, & pari iudicio genus & ſpecies erunt ſecundæ ſubſtantiæ,quoniam ſubijciuntur a ccidentibus. Sicut enim ſubſtantia à Græcis tripliciter diuiditur in indiuidualem, genericam, & ſpecificam, vt Socrates, animal, & homo; ita etiam accidentia triplicia ſunt,indiuidualia, generica, & ſpecifica. Accidens indiuiduale erit in ſubſtantia indiuiduali, accidens genericum in ſubſtantia generica, accidens ſpecificum in ſubſtantia ſpecifica. Modo arguit Philoſophus, ſicuti ſubſtantiæ primæ, ideo maxime ſunt ſubſtantiæ,quia maxime ſubijciuntur, ita & genera & ſpecies erunt ſecundæ ſubſtantiæ, quoniam & ipſa ſubijciuntur, non temere addit Philoſophus illas particulas, licet *primarum ſubſtantiarum*, cum dicebat paulo ante,*ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum*, quoniam ſi hoc non dixiſſet,crediſſet aliquis,quòd color eſſet genus, & album ſpecies,ſcilicet de prædicamento ſubſtantiæ, quod eſt falſum: dicit enim quòd ſpecies,& genera non omnia,ſed tantum,*primarum ſubſtantiarum*, idest quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ,& prædicantur de primis,ſunt ſecundæ ſubſtantiæ.

Sed circa prædicta occurrunt nonnullæ dubitationes,&

Primo dubitatur contra illam propoſitionē, in qua dixit Ariſtoteles,quod deſtructis primis ſub-

A ſtantijs,impoſſibile eſt aliquid aliorū remanere.

Primo inſto ſic, ex corruptione alicuius corruptibilis,non ſequitur corruptio alicuius æterni,ſed ſpecies,& genera ſunt æterna,& incorruptibilia, & particulares ſubſtantiæ ſunt corruptibiles; ergo non ipſis ablatis, vniuerſalia tolluntur.

Secundo ad idem arguitur, quoniam licet potentia diuina deſtrueret omnia indiuidua, adhuc hæc propoſitio,Socrates eſt animal, in eius mente eſſet vera; ergo non ablatis primis ſub-

B ſtantijs,cætera tolluntur.

Tertio videtur falſum,quòd deſtructis particularibus tollantur ſpecies, quoniam non reperitur roſa particularis, ſed ſpecies roſæ reperitur, aliter nunquam amplius expectaremus roſas,ergo

Quarto non reperitur eclipſis particularis,tamen ſpecies eclipſis eſt, ergo non ablatis primis ſubſtantijs auferuntur ſecundæ.

Ad primam inſtantiam reſpōdetur, quòd incorruptibile capitur dupliciter,vno modo abſo

C lute,hoc eſt ex toto,& ſecundum partes, & hoc modo Deus eſt incorruptibilis. Secundo modo capitur pro eo,quòd eſt incorruptibile ex ſuppoſitione,hoc eſt pro quanto ſeruat aliquod, quod impedit corruptionem illius, & ſic vniuerſales ſpecies de genere ſubſtantiæ corporeæ dicuntur incorruptibiles, quoniam conſeruantur ſemper aliqua indiuidua,& ſic ad argumentū dico,nullum corruptibile eſſe cauſam corruptionis alicuius incorruptibilis, ſi accipiatur incorruptibile primo modo,fallit tamen regula ſi ſit ex ſuppo-

D ſitione.

Alij dicunt,quòd vniuerſalia, ſcilicet pro ſecunda intentione corrumpi dupliciter contingit, vel quantum ad eſſe exiſtentiæ, vel quantum ad eſſe eſſentiale.

Tunc dicunt, quod corruptis primis ſubſtantijs,& ſingularibus, corrumpuntur & vniuerſalia,quantum ad eſſe exiſtentiæ, idest ſecundum quod habent eſſe in illis ſingularibus,ſed non deſtruuntur poſtea vniuerſalia,quantum ad eſſe eſſentiale,ideſt ſecūdum habitudinem, quam ha-

E bent ad ſua principia eſſentialia, & ad ſuas paſſiones,quia illa habitudo remanet ſemper; ideò dicitur,quòd ſcientia ſempiternorum eſt.

Vnde alij dixerunt,quòd aliud eſt vniuerſale corrumpi, & aliud eſt aliquid in vniuerſali corrumpi, quia corrumpitur vniuerſale quātum ad eſſe exiſtentiæ, non tamen corrumpitur in vniuerſali,ideſt ſecundum habitudinem ſuam.

Ad ſecundam,cum dicitur,quòd quamuis diuina potentia deſtrueret omnia indiuidua, in

F mente tamen eius eſſent indiuidua.

Reſpondetur, quod indiuidua illa in mente diuina ſunt intelligibilia,& non realia: quare argumentum non valet,quia Ariſtoteles loquitur de ſingularibus realibus.

Vel dicas, quòd licet diuina potentia deſtrueret omnia indiuidua, tamen adhuc vniuerſalia eſſent quantum ad ſuum eſſe eſſentiale.

Ad tertiam reſpondetur, quòd Ariſtoteles cū dicit, quòd deſtructis primis ſubſtantijs amplius non eſt quicquam, intelligitur deſtructis particularibus, cum eorum principijs, & cauſis: cum verò dicit, non reperitur roſa particularis, & tamē eſt ſpecies roſæ, reſpondeo, quod quamuis non ſit particularis roſa, tamē eſt principium, & cauſa roſæ ſcilicet in illa planta, quæ tempore ad id conſtituto emittet roſas.

Vel dic, quòd licet aufferetur principium, & cauſa particularis roſæ, tamen adhuc ſpecies roſæ eſſet, quantum ad eſſe eſſentiale.

Ad quartam reſpondetur, quòd ſi non eſt particularis eclipſis, eſt tamen in potentia, quoniam fit per interpoſitionem terræ.

Secundo dubitatur, quia habetur in textu, accidens aliquando prædicari de ſubiecto ſecundum nomen, ſæpe verò nec nomine, nec ratione. Quæ particularia communiter intelliguntur de accidentibus concretis, & abſtractis.

Contra obijcio, quia tot ſunt concreta, quot ſunt abſtracta; ergo male dixit Ariſtoteles in pluribus, vel aliquibus; & confirmatur auctoritate Philoſophi in capit. de qualitate, dicentis, quòd aliquando ſubiectum eſt nominatum, non autem qualitas abſtracta. Quo in loco expreſſe patet, non ſemper eſſe maiorem numerum accidentium abſtractorum, quàm concretorum.

Dicamus cum Excellentiſſimo Bernardino Petrella præceptore meo, qui dum publice in ſtudio Patauino Logicam in primario loco profitebatur, dicere ſolebat, hoc argumentum concludere: & propterea ipſum non accipere illam communem expoſitionem Latinorum, ſed ille locus aliter interpretabatur, ac à Latinis, & a nobis eos ſequentibus ſupra fuit interpretatum.

Dicebat, inquam, iſte uir doctiſſimus, quòd accidentia (vt teſtatur Ammonius capit. de qualitate) ſunt duplicia; quædam enim replent totum ſubiectum, vt albedo niuis, quædam autem non replent niſi particulas ſubiecti, vt albedo in dēte Aethiopis: & ideo quādo dicit Ariſtoteles in textu, *in pluribus neque nomen, neque ratio prædicatur*, intelligit de accidentibus non replentibus totum ſubiectum. Hæc enim multo plura ſunt, quàm alia. Cum vero dicit, *in aliquibus vero nihil prohibet*, intellexit de accidentibus replentibus totum ſubiectum, & ſic difficultas redditur nulla.

Tertio dubitatur, quia Ariſtoteles proponit vnam regulam hic dicens, color eſt in corpore; ergo & in aliquo corpore, videtur quòd hæc regula ſit reprehendenda, quia videtur procedere a maiori ad minus affirmatiue, quod fieri non poteſt. Non enim verum eſt dicere, animal eſt, ergo homo eſt: item non valet ſpecies dicitur de homine; ergo & de quoddā homine.

Reſpondetur, quòd illa regula tradita ab Ariſtotele intelligitur a maiori ad minus. Quotieſcunque aliquid ineſt alicui toti, eo quoniam ineſt ſuis partibus, vt color, ideo eſt in

A corpore, quia eſt in aliquo corpore. Non autem valet illud argumentum, quod communiter accipitur in cap. de ſpecie, cum dicit valere argumentum a ſpecie ad genus, non autem a genere ad ſpeciem affirmatiue.

Ad confirmationem reſpondeo, quòd regula Ariſtotelis intelligitur vbi aliqua diſpoſitio ineſt toti, mediantibus partibus, vt color qui ineſt corpori, quoniam ineſt huic, uel illi corpori, modo etſi ſpecies competat homini, non tamen ratione huius, vel illius hominis; & ideo in

B talibus non tenet regula.

Quarto dubitatur, quia dicitur in textu, quòd principales ſubſtantiæ ſunt indiuidua. Contra, nam illud prius, & principale eſt. Quo corrupto alia corrumpuntur: alijs verò ablatis non ipſum tollitur, ſed corrupto homine, interit Cicero, non è contrario; ergo homo videtur eſſe principalis, & prior ſubſtantia.

Reſpondet Boetius, quòd argumentum peccat, quoniam procedit ab vno indiuiduo ad ſpeciem, quoniam ſi omnia indiuidua corrumpuntur,

C tunc ſpecies non erit prior natura.

Quinto dubitatur, quoniam æternum, & vniuerſale perfectius eſt corruptibili, & ſingulari, ſecundæ ſubſtantię ſunt æternæ, & vniuerſales; primæ verò ſingulares, & corruptibiles; ergo ſecundæ ſubſtantiæ ſunt magis ſubſtantię quam primæ.

Reſpondetur, quòd vnam ſubſtantiam eſſe perfectiorem alia, dupliciter contingit; vno modo ſecundum quod perfectio fit ab aliquo gradu nobilioris naturæ ſecundum eſſe, & hoc

D modo ſpecies eſt prior, & magis ſubſtantia indiuiduis, quia habet nobiliorem gradum eſſentiæ ſecundum rem. Alio modo capitur ſubſtantia perfectior, vt perfectio reſultat à maiori gradu ſubſiſtendi, & hoc modo indiuidua ſunt magis ſubſtantiæ, quia magis ſubſtant, & ſic conſiderantur ſubſtantiæ in hoc prædicamento.

Sexto dubitatur, quomodo indiuiduum ſit magis ſubſtantia ipſa ſpecie, & ſpecies genere, quoniam ſubſtantia nō recipit magis & minus,

E teſte Porphyrio, cap. de differentia, & Ariſtotele paulo infra.

Reſpondetur, ſubſtantiam poſſe comparari ſubſtantiæ, dupliciter contingit, vno modo in eadem coordinatione, verbi gratia, comparando particulare particulari, ſpecialiſſimum ſpecialiſſimo, & hoc modo ſubſtantia non recipit magis & minus. Alio modo capitur ſubſtantia extra eandem coordinationem, puta comparando indiuidua ſpeciei, & ſpeciem generi, tunc una ſubſtantia poteſt eſſe magis & minus

F ſubſtantia alia. Sumitur hæc reſolutio ex Ammonio capit. de differentia, non longe à principio.

Septimo dubitatur, quoniam dicitur, quòd manifeſtior aſſignatio eſt dicēdo Ciceronē eſſe hominem, quàm dicendo Ciceronem eſſe animal. Contra, vniuerſaliora ſunt nobis notiora, animal eſt homine communius, & vniuerſalius;

ergo

ergo manifeſtius aſſignabitur de indiuiduo genus,quam ſpecies.

Ex Ammonio elicitur ſolutio,qui dicit,quòd manifeſtior aſſignatio non intelligitur notior, & euidentior,ſed exponit ipſe, *manifeſtior*, ideſt magis propria, conueniens,apta , & commoda, & ſic ceſſat ratio.

Octauo dubitatur,quoniã non videtur, quòd prima ſubſtantia ſit magis ſubſtantia, quam ſecunda;quoniam Deus eſt maxime ſubſtantia,& dicitur prima forma; ergo indiuidua ſubſtantia non eſt prima;ergo male dixit Ariſtoteles.

Reſpondetur, quod Deus eſt ſubſtantia prima in ſimplicibus, & æternis, non eſt prima in compoſitis, ſed eſt prima, ideſt omnium perfectiſſima;eſt prima, per quam cæteræ dicuntur ſubſtantiæ;eſt prima, a qua communicatum eſt eſſe cæteris;eſt prima,a qua pendent cætera; eſt prima,continens perfectionem omnium, & per quam cætera dicuntur ſuam habere perfectionem. Non eſt autem prima in compoſitis ſubſtantijs, quia non eſt ſubiectum inhæſionis, nec prædicationis.

Nono dubitatur, quoniam videtur quod magis ſubſtantia ſit Socrates,quam aliquis bos,quoniam Socrates eſt animal rationale, aliquis autem bos nequaquam.

Reſpondetur,quòd duplex eſt ſubſtantię conſideratio,ſcilicet,alia perfectionis,alia prædicationis: primo modo Socrates eſt magis ſubſtantia,ſed non ſecundo modo.

Decimo dubitatur, an Deus ſit in prædicamento, & videtur quòd ſic, quoniam Deus eſt ſubſtantia;ergo eſt in prædicamento.Conſequẽtia patet,quoniam omnis ſubſtantia eſt in prædicamento. Secundo Deus habet rationem ſuppoſiti,ſpeciei; ergo eſt ſpecies, ergo eſt in genere. Antecedens probatur, quoniam Deus prædicatur de tribus ſuppoſitis, de Patre, Filio, & Spiritu ſancto:ergo

Reſpondeo,quòd Deus non eſt in genere vniuoco cum his corruptibilibus, eadem ratione, qua nec alia æterna ſunt in eodem prædicamento, in quo ſunt corruptibilia: & ſi forte daretur prædicamentum ſubſtantiæ vniuoce ſuperioribus æternis,adhuc Deus eſſet extra tale prædicamentum, cum ſit maxime diuerſæ naturæ à cæteris,niſi quis diceret, Deum cõuenire in aliqua natura communi cum alijs intelligentijs, quod tamen difficile videtur.

Aliqui dicunt,quòd Deus, & cæteræ intelligentiæ, & cælum ſunt in prædicamento analogo cum his inferioribus,ſed falſum dicunt,quoniam ſermo eſt de prædicamento vniuoco, & quod eſt verum genus, & non de illis, quia hoc modo etiam ens eſſet prædicamentum analogum,& ſic daretur vnum prædicamentum omnium entium realium:imò ens,quod eſt commune enti reali, & enti rationis eſſet genus analogum, vel æquiuocum; quare Deus non eſt genus. cum non prædicetur de pluribus ſpeciebus, nec eſt ſpecies, cum non prædicetur de

A indiuiduis, quia maxime repugnat eſſe plures Deos. Non igitur eſt genus, nec ſpecies, nec indiuiduum prædicamenti ſubſtantiæ, de quo hic ſit ſermo.

Ideo ad primum argumentum dico, quòd Deus eſt ſubſtantia, ſed non compoſita,& corporea,& corruptibilis,de qua hic eſt ſermo,ſed dicitur ſubſtantia ſimplex,quę non dicitur ſubſtãtia a ſubſtando accidentibus,ſed ſolum Deus dicitur ſubſtantia a perſeſtando,quæ ratio ſubſtantiæ non competit alijs à Deo.

B Ad ſecundum dico,quòd Deus non prædicatur de tribus ſuppoſitis, vt deitas in illis multiplicetur vt ſint tres Dij indiuiduales ; ſed alio modo prædicatur:dicitur enim Pater eſt Deus, Filius eſt Deus,Spiritus ſanctus eſt Deus,ſed nõ tres Dij, ſed vnus Deus; quam prædicationem ignorauit Ariſtoteles:non ergo Deus eſt ſpecies modo quo ſumitur ſpecies hic.

Sed dices aliquid dictum de Deo eſt in prædicamento;ergo & Deus. Antecedẽs probatur, ſapientia, iuſtitia, bonitas, relatio,dicuntur de

C Deo,& hæc ſunt in prædicamẽto;ergo & Deus ſaltem ſecundum hæc dicitur eſſe in prædicamento,ſicut Socrates ratione albi dicitur eſſe in prædicamento qualitatis.

Reſpondetur negando antecedens, & conſequentiam,quoniam iuſtitia,bonitas,quę de Deo dicuntur,& reliqua non ſunt in aliquo prædicamento hic. Declaro, quia ſunt alterius rationis, & non conueniunt niſi in nomine cum his, quæ ponuntur in prædicamento,& in nobis, vt ſunt ſub ratione dependentiæ ſic ſunt in prædica-

D mento; vt verò reperiũtur in Deo, & ſine omni imperfectione, & dependentia non ſunt in prędicamento.

Vndecimo dubitatur, an materia & forma reponantur in hoc prædicamento ſubſtantiæ; videtur enim quòd ſic, quia ſunt ſubſtantiæ; ex alio latere videtur,quòd non, quoniam hic agitur de ſubſtantia compoſita, non autem de ſubſtantia ſimplici.

Reſpondetur,quòd ſunt in hoc prędicamento pro quanto ſunt partes ſubſtantiæ compoſi-

E tæ, & dicuntur eſſe in hoc prædicamento reductiue.

Duodecimo dubitatur, quoniam Ariſtoteles 7. Metaph. appellat formam, primam ſubſtantiam ; hic autem primam ſubſtantiam appellat indiuiduum;ergo videtur ſibi contradicere.

Reſpondetur, quod Ariſtoteles 7. Metaph. text.com. Alexan. 34. appellat formam eſſe primam ſubſtantiam,quia eſt perſectior,& dignior pars ſubſtantiæ compoſitæ: hic autem appellat ſubſtantiam compoſitam eſſe primam , quia

F pluribus ſubſtat quàm ſecunda.

Sequitur textus.

Commune autem eſt omni ſubſtantiæ in ſubiecto non eſſe; prima namque ſubſtantia nec in ſubiecto

eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur: ſecundarum verò ſubſtantiarum conſtat quidem etiam ſic, quòd nulla eſt in ſubiecto; homo enim de ſubiecto quidem quoddam homine dicitur, in ſubiecto verò non eſt: neque enim in quoddam homine homo eſt. Similiter autem & animal de ſubiecto quidem dicitur quoddam homine; non eſt autem animal in quoddam homine; amplius eorum, quæ in ſubiecto ſunt, nomen quidem de ſubiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem verò impoſſibile eſt: ſecundarum verò ſubſtantiarum de ſubiecto, & ratio prædicatur, & nomen; rationem enim hominis de quoddam homine prædicabis, & animalis ſimiliter: quare non erit eorũ ſubſtantia, quę ſunt in ſubiecto.

Compleuit Philoſophus ſermonem de ſubſtantia, quantum attinet ad inſtrumẽta duo; declarauit enim ſubſtantiam per inſtrumentum diuiſionis, ac definitionis, remanet nunc ſecũda pars, in qua vult colligere ſex proprietates ſubſtantiæ; ſubſtantia enim nõ poteſt definiri, ergo vt cognoſcantur, debet deſcribi: cum autem deſcribitur aliquid, debet dari eius proprietas, & communitas, cõmunitas loco generis, proprietas verò loco differentiarum, vt ſi fingamus, quòd homo non poſſit definiri, debemus eum deſcribere per eius communitates, & proprietates hoc modo. Homo eſt, qui recta facie procedit, aptus ad nauigandum, ad conſultãdum, primus actus aſſignat communitates, quia communia præcedunt propria; ſecundus verò actus in hac deſcriptione hominis aſſignat proprietates, quę ſunt loco differentiarum.

Philoſophus igitur pronunciat primam ſubſtantiæ cõmunitatem, quæ eſt *non eſſe in ſubiecto*, hanc communitatem eſſe ſubſtantiæ proprietatem vidimus in Antepredicamentis cap. 2. Modo probat Ariſtoteles, quòd ſubſtantiæ competit hæc communitas, ſcilicet, non eſſe in ſubiecto, & hoc argumentatione, quæ vocatur inductio, quæ eſt argumentum a ſingularibus ad vniuerſale progreſſio, vt homo eſt, quia Socrates, Plato, Cicero, & alij particulares homines ſunt.

Probat igitur ſic, omnis ſubſtantia eſt prima, vel ſecunda, ſed neque prima, neque ſecunda eſt in ſubiecto; ergo nulla ſubſtantia eſt in ſubiecto. Quod ſubſtantia prima non ſit in ſubiecto, probatur per ſuam definitionem, quoniam ſubſtantia, quæ proprie, principaliter, & maxime dici-

A tur eſt, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur.

Probatur etiam quòd ſecunda ſubſtantia non ſit in ſubiecto, quoniam quicquid eſt in ſubiecto, non poteſt prædicari vniuoce de ſubiecto, ſed ſecundæ ſubſtantiæ, ideſt animal, & homo prædicantur de prima ſubſtantia vniuoce; ergo non ſunt in ſubiecto, quoniam ſi eſſent in ſubiecto, prædicarentur æquiuoce vt accidentia. Accidens enim prædicatur æquiuoce, quia in ſubiecto eſt, ideſt prædicatur ſolummodo ſecundum
B nomen; ſecundum autem rationem impoſſibile eſt prædicari. Prædicatur inquam ſecundæ ſubſtantię de primis vniuoce; ergo non ſunt in ſubiecto, vt homo, pariter & animal prædicatur de Socrate, nomine, & ratione: verum eſt enim dicere Socrates eſt homo, & eſt animal, eſt rationale, & eſt animatum, atque ſenſibile. Patet igitur, quod neque ſubſtantia prima, neque ſecunda eſt in ſubiecto.

Non eſt autem proprium ſubſtan
C tiæ hoc, ſed & differentia eorum eſt, quæ nõ ſunt in ſubiecto; bipes enim, & greſſibile, de ſubiecto quidem quoddam homine dicitur; in ſubiecto verò non eſt: neque enim in homine eſt bipes, neque greſſibile; ratio quoque differentiæ de illo prædi
D catur, de quocumque ipſa differentia dicitur, velut ſi greſſibile de homine prædicatur, & ratio greſſibilis de homine prædicabitur; eſt enim homo greſſibilis.

Hic Philoſophus remouet hoc proprium, vtpote quòd non vere ſit proprium, quoniam competit etiam alijs præter ipſam ſubſtantiam, & dicit, quod hæc proprietas non eſſe in ſubiecto eſt
E proprietas, quæ non conuertitur cum ſubſtãtia, quoniam communis eſt; & quod eſt commune non conuertitur. Hoc igitur non eſt proprium ipſi ſubſtantiæ, quoniam competit etiam alijs præter ſubſtantiam: competit namque differentijs, quę non ſunt ſubſtantię. Probatur quòd differentiæ nõ ſint in ſubiecto, quoniam ea, quæ de ſubiecto vniuoce prædicantur, non ſunt in ſubiecto, ſed differentiæ de ſubiecto vniuoce prædicantur. Maior ſuperius abunde declarata eſt, minor etiam, ipſa vera eſt, quòd ſcilicet differen
F tiæ prædicentur de ſubiecto ſecundum nomen & rationem; nam bipes eſt differentia, & prædicatur de Socrate ſecũdum nomen & rationem, quoniam verum eſt dicere Socrates eſt bipes, & etiam Socrates eſt, qui habet duos pedes. Item Socrates eſt greſſibilis; & eſt etiam pedibus per terram gradiens: hæ enim ſunt rationes differentiarum. Differentia igitur non eſt in ſubiecto,

ergo

ergo non eſſe in ſubiecto non eſt proprium ſubſtantiæ.

Non conturbent autem nos ſubſtantiarum partes, quę ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint, ne forte cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri: Non enim ita ea, quæ ſunt in ſubiecto, dicebantur, quaſi ut partes ineſſent alicui.

Ariſtoteles in his verbis reſpondet tacitę obiectioni, quia diceret quiſpiam; ſi omnis ſubſtantia hoc proprium habet, quod non eſt in ſubiecto; ergo partes ſubſtantiarum non erunt ſubſtantiæ, quod eſt falſum, quia partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ, cũ ex ſubſtantia ſubſtantia fiat. Probatur conſequentia, quia partes ſunt in ſubiecto, puta in toto remouet hanc difficultatem Philoſophus, quoniam non eſt verum, quod partes ſubſtantiæ ſint in ſubiecto, ſed ſunt in ſuo toto, tanquam partes conſtituentes ipſum.

Et hic ſermo eſt de partibus eſſentialibus, integralibus, ſimilaribus, & diſſimilaribus. Pars enim eſt de eſſentia totius, ſed accidens in ſubiecto eſt vti forma in ſuo toto, nô vt pars ſubiecti, ſiue totius: pars verò ſubſtantię non eſt in ſuo toto tanquam in ſubiecto, quoniam ſi eſſet tãquam in ſubiecto, non eſſet pars totius, ſed vti forma in materia, quia materia pars eſt, ſic pars ſubſtantiæ, vt manus eſt in ſuo toto, ut pars conſtituens ipſum totum, & ſic illa difficultas eſt nulla; manus enim, & caput ſunt in corpore, non vt in ſubiecto, ſed vti partes in toto conſtituentes, & integrantes illud.

Sed oritur hic difficultas, quoniam in fine huius communitatis, docet Philoſophus, quòd nõ eſſe in ſubiecto, idcirco non eſt proprium ſubſtantiæ, quoniam competit etiam alijs præter ipſam ſubſtantiam, nempe differentijs; ideo in his verbis ſeiungit differentias à ſubſtãtijs: nam ſi dicimus album non competit ſolum niui, quoniam competit etiam lacti; ergo ſequitur cõcluſio, quòd lac non eſt nix, ita etiam ſi non eſſe in ſubiecto, non eſt proprium ſubſtantiæ, quoniam competit etiam differentijs; ergo hinc elicitur concluſio, quòd differentia non ſit ſubſtantia, ſi non eſt ſubſtantia, quid ergo eſt? Accidens non eſt, quia differentia de ſubiecto prædicatur ſecundum nomen & rationem; ſed ea, quę vniuoce prædicantur de ſubiecto, non ſunt accidẽtia. Quid ergo erit? cum omnis res vel ſit ſubſtantia, uel accidens, & neutrum iſtorum eſt, ut uiſum eſt, hoc eſt quod exclamat Boetius; & dubitant Simplicius, & Ammonius.

Reſpondet Ammonius, & affert in medium opinionem quandam de ipſis differentijs, & dicit, quòd antiqui conſueuerunt differentias tripliciter appellare, quædam ſunt magis ſubſtantiales, quàm accidentales, quædam magis accidentales, quàm ſubſtantiales; quædam verò me-

A diæ, quæ ad neutram partem ſe habent. Exemplum differentiarum magis ſubſtantialiũ, quam accidentalium ſunt, vt rationale, irrationale, animatum, inanimatum, ſenſibile, inſenſibile. Quæ verò magis accidẽtales, quàm ſubſtãtiales ſunt, vt bipes, volatile, aquatile; quæ verò mediæ, & ad neutram partem vertentes ſunt, vt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum in elementis. Dicit itaque Ammonius, quòd veteres iſti opinati ſunt, Philoſophum hic ſegregare differentias, quæ neque magis accidentales, neque ſubſtan-

B tiales magis ſunt.

Sed Ammonius non tolerat hanc reſponſionem, & dicit, quòd hæc reſponſio non poteſt ad textum accommodari.

Propterea Dominus Honoratus de Robertis hoc in loco & ſi non approbet opinionem Ammonij, quo ad cauſam, & rationem per eundem redditam, tamen aſſerit, & meo iudicio verè, melius eſſe dicere cum Scoto, quòd cum ſubſtantia duplex ſit, ſimplex, & compoſita, ſubſtantiæ compoſitæ ſunt, quæ in media linea prædi-

C camentali conſiſtunt, ut corpus, corpus animatum, animal, animal rationale, homo, ſubſtãtiæ ſimplices ſunt, quæ ponuntur a lateribus, vt rationale, & irrationale. Cum igitur dicit Philoſophus, quòd ſubſtantiæ non eſt proprium nõ eſſe in ſubiecto, quoniam competit etiam alijs, nempe differentijs, intelligitur de ſubſtantijs compoſitis, quæ conſtitutæ ſunt in recta linea prædicamentali, nempe in ſubſtantia compoſita, quæ quidem ſubſtantię compoſitę ſeparantur a differentijs, quoniam differentię ſunt ſubſtantię ſim-

D plices. Vult igitur Philoſophus, quòd differentię ſint ſubſtantię, non quidem compoſitę, ſed ſimplices.

Et hęc reſponſio vt ſentio, non eſt alia, ac ſit tradita hic ab Ammonio, reiecta ea antiquorum opinione.

Propterea fruſtra idẽ Dominus Honoratus reprehendit Ammonium dicentem, differentias eſſe reponendas in prędicamento ſubſtãtię, uti completiuas ſubſtantię; eo quoniam inquit ipſe, accidentium quoque differentię complent

E eorundem eſſentiam, & non reponuntur in prædicamento ſubſtantię.

Siquidem hęc obiurgatio eſt inanis, cum expreſſe Ammonij ſermo ſit de differentijs, quę ſubſtantialem ſpeciem conſtituunt, & ſubſtantialibus, non accidentalibus, ut apud ipſum eſt legere.

Secũdo dubitatur, quia dixit Ariſtoteles partes ſubſtantiarum eſſe ſubſtantias. Contra, ſubſtantia, quę hic conſideratur, eſt totũ quoddam

F ex materia & forma compoſitum, ut Gręci, & Auerroes tenent, ſed pars ſubſtantię non eſt tota ſubſtantia; ergo pars ſubſtantię non eſt ſubſtantia.

Reſpondetur, quòd partes ſubſtãtiarum ſunt ſubſtantię ſimplices, non compoſitę, quia partes ſcilicet vnitę ſunt ſubſtantię compoſitę, ſeiunctę vero ſimplices. Sequitur textus.

Ineſt

licet, *hoc*, eſt apta denotare rem ſingularem, vt
hic homo; eſt enim articulum, & articula habẽt
vim ſingularizandi, quoniam cum dicimus, hic
homo, innuimus ſingularem hominem. Particu
la autem, licet, *aliquid*, eſt particula valde ſingu-
laris, quoniam rem ſingularem determinamus,
cum dicimus, aliquis homo currit. Si igitur iſtæ
particulæ ſeparatæ, *hoc, & aliquid*, rem particu-
larem determinant, quanto fortius ſignificabũt
ſi erunt ſimul iunctę? Vt igitur Ariſtoteles oſten
deret ſubſtantiam maxime rem ſingularem ſi-
gnificare, voluit iſtas duas particulas ſimul vni-
re. Dicit igitur Philoſophus, quòd omnis ſub-
ſtãtia videtur hoc aliquid ſignificare, tamen ſe-
cunda ſubſtantia, ſcilicet genus, & ſpecies, vt
homo, & animal non ſignificant re ipſa hoc ali-
quid, ſed potius quale quid ſignificare hoc ali-
quid, & ſignificare quale quid, maxime diſtant;
nam ſignificare hoc aliquid, eſt ſignificare rem
particularem; ſignificare autem quale quid, eſt
ſignificare quoddã vniuerſale circa omnes ſpe-
cies; animal enim nõ ſignificat quod vnum, ſed
quandam ſubſtãtialem qualitatem circa omnes
ſpecies, hoc aliquid pertinet ad indiuidua; quale
autem quid ad ſpecies, & genera pertinet, quo-
niam genera, & ſpecies prædicantur de multis;
ergo non ſignificant hoc vnum, ſed vniuerſale
quoddam pluribus commune, & ſubſtantiam
pluribus communicabilem.

Nõ autem ſimpliciter quale quid ſignificant, quemadmodum album (nihil enim aliud ſignificat album, quàm qualitatem) At ſpecies, & genus circa ſubſtantiam qualitatem determinant: qualem enim quandam ſubſtantiam ſignificant; plus autem in genere determinatio fit, quàm in ſpecie; dicens enim, animal plus complectitur, quàm qui hominem.

Hic Ariſtoteles remouet ſuperuenientem du
bitationem, quæ oriri poterat: nam quis dicere
poſſet hoc modo; ſi homo, & animal ſignificant
quale quid; ergo ſunt qualitates, ergo non ſignifi
cant quale quid. Eſt argumentum, quod retroce
dit in ſeipſo.

Hæc dubitatio diluitur diſtinctione; nam no
men qualis & qualitatis duplex eſt, proprium, &
improprium: quale proprium eſt accidens, vt pu
ta nigrum, album) improprium autem quale eſt
ſubſtantiæ, vt rationale. Qualitas proprie acci-
dentalis eſt albedo, nigredo: rationalitas autem
eſt qualitas ſubſtantialis, non proprie. Ad argu-
mentum homo & animal ſignificãt quale quid;
ergo ſunt accidentia. Negatur conſequens; nam
homo, & animal non ſunt qualitates, ſed deter-
minant qualitatem circa ſubſtantiam. Cum au-
tem genera, & ſpecies de pluribus prędicentur

A per prædicationem eſſentialem, oſtendit Philo-
ſophus, quòd ſpecies, & genus diſtinguuntur
ſecundum magis & minus, & dicit, quòd ſpe-
cies, & genus determinant qualitatẽ circa ſub-
ſtantiam: at diſtinguuntur ſecundum magis &
minus; nam maior determinatio eſt generis,
quam ſpeciei, quoniam genus complectitur ſub
ſe omnes ſpecies, & indiuidua; ſpecies autem
ſolummodo continet indiuidua: maior igitur
eſt generis determinatio, quam ſpeciei.

Primo oritur dubitatio, nã non videtur, quod
B genus in plus ſe habeat, quàm ſpecies; ergo non
eſt maior determinatio in genere, quam in ſpe-
cie; imò è contrario, videtur maiorem determi-
nationem eſſe in ſpecie, quàm in genere.

Argumentor ſic, Plura ſunt indiuidua, quàm
ſpecies, vt habet Porphyrius in capit. de ſpecie,
qui dicit, quòd indiuidua infinita ſunt, ſpecies
autem finitæ. Indiuidua autem ſub ſpecie conti
nentur, ſpecies verò ſub genere; ergo maior eſt
determinatio in ſpecie, quam in genere.

Reſpondetur, quòd iſta determinatio non
C comprehenditur quo ad numerum, ſed quo ad
magnitudinem formę; forma autem indiuidua-
lis nõ diuiditur, forma verò ſpecifica diuiditur,
& quod poteſt diuidi in plus ſe habet, quàm id
quod non poteſt diuidi: igitur maior eſt in ge-
nere determinatio, quàm in ſpecie.

Secundo dubitatur, nam dictum eſt, quòd ter
tia proprietas ſubſtantiæ eſt, *quod videtur hoc ali
quid ſignificare*, vel iſta proprietas eſt bona, vel
mala; ſi mala, non debebat à Philoſopho recen-
ſeri; ſi bona, ergo debebat eſſe vltima.

D Reſpondetur, quòd quamuis hæc proprietas
non ſit vera, non tamen id temere factum eſt, vt
inter alias eã recenſeret: vult enim Philoſophus
plures ſubſtantiæ proprietates enumerare, vt
tandem ex ijs veram proprietatem eligat, qua
ſubſtantiam dignoſcere poſſimus.

Tertio dubitatur, quia videtur, quòd hæc ter
tia proprietas ſit bona, & vera ſubſtantiæ pro-
prietas, & probatur à ſimili. Vltima proprietas
eſt bona proprietas, quoniam ſoli indiuiduali
ſubſtantiæ competit, ſcilicet quòd cum ſit vna
E numero capax ſit contrariorum. Hæc inquam
proprietas idcirco eſt bona, quoniam competit
ſoli ſubſtantiæ indiuiduali. De hac enim loqui-
tur Ariſtoteles, & iſtam definiebat, quòd eſſet
proprie, principaliter, & maxime ſubſtantia: ſed
iſta tertia proprietas uidetur hoc aliquid ſignifi
care, competit ſolis primis ſubſtantijs: ergo
eſt bona.

Pro ſolutione dicendum eſt, quòd Porphy-
rius in cap. de proprio, definiens proprium da-
bat tres conditiones proprio: illud enim eſt ve-
F re proprium, quod prædicatur de omni, ſolo, &
ſemper, ut riſibilitas eſt uera proprietas homi-
nis, quoniã prædicatur de omnibus hominibus,
de ſola ſpecie humana, & ſemper.

Quãdo Ariſtoteles primã ſubſtantię damna-
bat proprietatem, quę erat, quòd proprium ſub-
ſtantiæ eſt non eſſe in ſubiecto, non damnabat
illam

illam ex hoc, quoniam competeret omni ſubſtantiæ. Verum enim eſt, quod competit tum primis, tum ſecundis ſubſtãtijs, ſed Philoſophus eam damnabat, quoniam non competeret ſoli ſubſtantiæ, ſed etiam differentijs, quoniam differentiæ non ſunt in ſubiecto.

Secundam autem proprietatem, quę erat vni uoce de ſubiecto prædicari, duabus de cauſis repudiauit. Primo, quia non accommodatur omni ſubſtantiæ, quoniam prima ſubſtantia non prædicatur vniuoce de ſubiecto, imò nullo modo: indiuiduum enim de nullo prædicatur, cum ſub ſe nihil contineat. Secundo, quia competit etiam alijs, nempe differentijs præter ſubſtantiam, quæ de ſubiecto nomine, & ratione prædicantur. Primam igitur & ſecundam reiecit, quoniam in prima deficiebat vna conditio, & erat vnum vitium, in ſecunda verò duo.

Tertia autem hæc proprietas, quæ eſt, *hoc aliquid ſignificare*, quamuis competat ſolis indiuiduis ſubſtantialibus, vt vltima proprietas; non tamen ob id eſt vera proprietas, quoniam deeſt in hoc, quod non competit ſoli ſubſtantiæ; competit enim & accidentibus particularibus, hæc albedo eſt accidens ſingulare, & participat hãc proprietatem, quoniam etiam illa ſignificat, *hoc aliquid*, ideſt vnum numero, & rem particularem. Sexta autem proprietas ſubſtantię, quæ eſt vere proprietas, nõ erit ita vitioſa: nulli enim alij competet; patet ergo quòd meritò Ariſtoteles iſtam tertiam proprietatem, vti malam repudiauit, quoniam vitioſa eſt, cum cõpetat etiam accidentibus particularibus.

Quarto quæritur, cum qualitas ſit duplex, altera ſubſtantialis, vt homo eſt animal, altera accidentalis, vt albedo, quomodo vnam ab alia ſecernere poſſumus.

Reſpondetur, quòd illa eſt qualitas accidentalis, quę ſi remouetur a ſubiecto, non tamen remouetur ſubiectum qualitatis, vt albedo in pariete eſt qualitas accidentalis, quoniam quamuis remoueatur albedo, non tamen remouetur ſubiectum, ſcilicet paries; & propterea dicebat Porphyrius in libro Prædicabilium, cap. de accidente, quod accidens eſt, quod adeſt, & abeſt pręter ſubiecti corruptionem. Qualitas autem ſubſtantialis eſt illa ad cuius interitum ſequitur corruptio ſubiecti, vt rationalitas eſt qualitas ſubſtantialis hominis; ſi autem auferatur rationale, ſtatim corrumpitur homo, qui erat ſubiectum; corrupta enim rationalitate non amplius erit homo. Differentia igitur maxima eſt inter qualitatem ſubſtantialem, & accidentalem; cumq; ſatis manifeſta ſit ipſa verborum continuatio, ideo dabo operam, vt diligentia ſententia verborum explicetur. Sequitur textus.

Ineſt autem ſubſtantialis nihil illis eſſe contrarium; primę enim ſubſtantiæ quid erit contrarium, vt cuidam homini, vel cuidam animali: at

A verò nec homini, nec animali aliquid eſt contrarium; non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, vt quantitati: bicubito enim, vel tricubito nihil eſt contrarium; at verò nec decem, nec alicui talium, niſi forte quis multum pauco dicat eſſe contrarium, vel ma

B gnum paruo, determinatorum verò quantorum, nullum nulli eſt contrarium.

Nunc Ariſtoteles ponit quartam proprietatem ſubſtantiæ, & probat quòd ineſt omnibus ſubſtantijs, & facit argumentum ex inductione hoc modo; ſubſtantia triplex eſt, ſcilicet indiuidua, ſpecifica, & generica, & nullum iſtorum recipit contrarietatem; ergo ſubſtantia non reci

C pit contrarium. Probat Philoſophus minorem propoſitionem exemplo; nam Socrati, aut Platoni nihil eſt contrarium: item neque homini, neque animali quicquam eſt cõtrarium. Verum eſt igitur dicere, quod nulla ſubſtantia recipit contrarium, aſſignata hac ratione, ſubiungit Ariſtoteles in textu iſtam proprietatem non eſſe veram proprietatem, quoniam competit etiam alijs præter ipſam ſubſtantiam, quoniam competit etiam quantitati, vt iſta quantitas, decem, viginti bicubitum, nihil habet contrarij, &

D quamuis hęc inter ſe diuerſa ſint, nõ tamen ſunt oppoſita, & facta iſta concluſione. Dubitat Ariſtoteles contra ſe ipſum dicens, quòd magnum, & paruum, multum, & paucum ſunt contraria, & iſta ſunt quanta; ergo quantitas habet cõtrarium; ergo non eſt verum, quod quantitas non habeat contrariũ. Defendit Philoſophus, quod quantitati nihil eſt contrarium, & vtitur diſtinctione; nam quantitas duplex eſt, determinata, & indeterminata; quantitas determinata, & definita eſt, vt bicubitum, tricubitum, quoniam

E iſtæ quantitates præfiniuntur certo quoddam termino, indefinitæ, aut indeterminatæ, quæ nullis finibus certis clauduntur, vt multum, paucum, magnũ, paruum, &c. *ſi ſunt quantitates, &c.* Dubium eſt enim, vt videbimus in cap. de quanto, an ſint quantitates, tamen quantitates definitæ, ac determinatæ non recipiunt contrarium vllum, ſed contra declarata occurrent dubitationes.

Primo dubitatur, quoniam in ſubſtantia vide

F tur eſſe contrarietatem, primo auctoritate Philoſophi 1. Cœli, quicquid generatur, & corrumpitur, a ſuo contrario corrumpitur; ergo ſubſtantia habet contrarium; in generatione enim fit tranſitus de non eſſe ad eſſe, & in corruptione ab eſſe ad non eſſe.

Secundo, Ariſtoteles 1. Phyſic. 7. dicit, quòd in omni genere eſt vna prima contrarietas; ſed

ſubſtan-

ſubſtantia eſt genus, imò eſt omnium genus, cum ſit genus generaliſſimum; ergo ſubſtantia habet contrarium.

Tertio, contrarietas in effectibus contrarijs arguit contrarietatem in cauſis illorum effectuum, ſed in effectibus ſubſtantię reperitur contrarietas, patet in frigore, vt calore; ergo & in ſubſtantia.

Quarto, elementa ſunt contraria, quia mutuo ſe perimunt, & ſunt ſubſtantiæ; ergo

Quinto, illud eſt cõtrarium, quod corrumpit alterum, ſed homo hominem interficit; ergo

Sexto, cæcitas & viſio, affirmatio, & negatio recipiuntur in ſubſtãtijs, & hæc ſunt contraria; ergo in ſubſtantia eſt aliqua contrarietas, cum ſæpe ſubſtantia ſit aliquod prædictorum contrariorum.

Septimo, adduco Alexandri auctoritatem; quanti autem ſit faciendus Alexander, teſtantur antiqui, cum apud eos poſitum fuerit in vſu, neminem poſſe eſſe bonum Peripateticum, niſi eſſet optimus Alexandreus, ſed dices nihil curo auctoritati Alexandri, niſi hęc ſua auctoritas nitatur aliqua ratione. Ratio Alexandri erat iſta, ſubſtantia habet cõtrarietatem maximam, quoniam calidum, & frigidum ſunt contraria: item humiditas, & ſiccitas, ſed hæc ſunt ſubſtantiæ; ergo ſubſtantia habet cõtrarium. Quod ſint ſubſtantiæ probat, illud eſt ſubſtantia, quod eſt forma ſubſtantialis aliarum rerum, ſed caliditas eſt forma ſubſtantialis ignis, humiditas aquæ; ergo hæc ſunt ſubſtantiæ.

Pro ſolutione iſtorum argumentorum dandę ſunt duæ diſtinctiones: prima diſtinctio erit de ſubſtantia, ſecunda de contrarietate.

Subſtantia duplex eſt, ſimplex & compoſita; ſimplex vocatur imperfecta, vt elementa; compoſita verò perfecta, Plato, Socrates, Cicero ſunt ſubſtantiæ compoſitæ, quia componuntur ex membris, & partibus organicis; ſubſtãtia ſimplex eſt imperfecta, vt elementa, ignis, aer, aqua, terra, quæ ſunt ſimpliciſſima; & propterea etiam literæ A, B, C, & reliqua vocantur elemẽta, quoniam ſunt quædam ſimpliciſſima, ex quibus conficiuntur dictiones, & orationes; ita etiam ignis, aer, aqua, terra, ſunt ſimpliciſſima, quoniam ex ipſis ſolummodo conſtant mixta, & ex ipſis conficiuntur omnia compoſita. Stante igitur hac prima diſtinctione, dicendum eſt, quòd Ariſtoteles loquebatur de ſubſtantia compoſita, cum dicebat, quòd ſubſtantia nihil habet contrarium; non autem de ſimplicibus ſubſtantijs, vt dicebat Alexander, qui intelligebat de ſubſtantijs ſimpliciſſimis, quod ipſæ habeant cõtrarium, vt elementa. Et ſic etiam opinabatur admodum Reuerendus frater Ioannes Maria Euſtochius pręceptor meus, quoniam tenebat opinionem Alexandri contra Auerroem, qui dicit caliditatem, & frigiditatem eſſe qualitates.

Secunda diſtinctio eſt, cõtrarietas multis modis dicitur. Primo dicitur contrarietas priuatiua, vt cæcitas, & viſio; & hæc datur in quolibet

A prædicamento, etiam in ſubſtãtia ipſa, quoniam dicitur hominem habere habitum vel priuationem, vt Socrates vel eſt cæcus, vel eſt videns. Alia eſt cõtrarietas oppoſita, vt album, nigrum, quæ ſunt contraria oppoſite; adhuc iſta vel eſt interna, vel externa, ideſt vel attingit tantum extrinſecam ſuperficiem, vel intrinſecam medullam ſubſtantiæ, vt cygnus albus, & coruus niger intrinſece non contrariantur, ideſt vt ſubſtãtiæ, ſed extrinſece, quoniam eorum ſuperficies contraria eſt, quia cygnus albus, & coruus niger.

B Præterea datur oppoſitio rerũ, & nominum: ſed nomina opponuntur, quia ſunt, vel ſignificãt res oppoſitas; oppoſitio verò differentiarum alicuius generis ita ſe habet, quòd ſi ſignificentur nomine relatiuo, vel priuatiuo, vel contrario, vel cõtradictorio, ſunt oppoſita relatiua, vel priuatiua, vel contraria, vel cõtradictoria: ſi exprimuntur nomine poſitiuo, ſunt diſperata, & diuerſa, nullam inuicem conuenientiam habentia; vnde materia & forma ſunt diuerſa; habent tamen aliquam cõuenientiam, quia poſſunt ſimul

C & eſſe, & vniri: inſuper contrarietas duplex, naturalis, & voluntaria, ſi alter occidat alterum, non ob id ſubſtantia habet cõtrarium, quoniam illa contrarietas non eſt naturalis, ſed voluntaria, his ſtantibus.

Ad primum argumentum reſpondetur, quòd quicquid generatur, & corrumpitur a ſuo contrario corrumpitur, quòd hæc contrarietas eſt priuatiua, & non cõtraria oppoſitio; nam omne quod generatur, fit ex non ente, vt Muſicus generatur ex non muſico; quod autem corrumpi-

D tur, priuatur ex ente; quare non negatur, quòd ſubſtantia poſſit habere contrariũ priuatiue, ſed affirmamus ſubſtantiam non habere cõtrarium oppoſitiue; de priuatiua autem loquitur Ariſtoteles 1. Phyſic. hic autẽ eſt ſermo de oppoſitiua.

Ad ſecundũ reſpondet Diuus Thomas, quòd verum eſt, quòd in quolibet genere eſt cõtrarietas, ſed illa contrarietas attenditur ratione differentiarum, quæ diuidũt genus, vt in genere ſubſtantiæ eſt contrarietas, quoniam ſunt differentiæ contrariæ, quæ diuidũt genus, vt corporeũ,

E & incorporeum. Iſta igitur contrarietas non eſt ratione ſubiecti, ſed ratione differentiarum.

Ad tertium reſpondetur, quòd contrarietas in effectibus formaliter arguit contrarietatem in cauſis virtualiter, non actualiter.

Ad quartum dicitur, quòd elementa proprie non contrariantur ad inuicem, ſed bene qualitates elementorum.

Ad quintum reſpõdetur, quòd duplex eſt contrarietas, ſecundum naturam, & ſecundum electionem, ideſt voluntaria, & naturalis, tũc dico,

F quòd illa contrarietas non eſt naturalis, ſed eſt voluntaria, & ſecundum electionem.

Ad ſextum dicitur, quòd aliqua oppoſita, & omnia recipiuntur in ſubſtantijs, ſed aliud eſt ſubſtantiam habere contrarium, aliud recipere contrarium: ſubſtantia habet oppoſitũ priuatiuum, relatiuum, contrarium, contradictorium, habet etiam

A etiam oppoſitum poſitiuum virtualiter, non autem formaliter.

Ad ſeptimum, quod erat Alexandri, ſcilicet quòd caliditas, & frigiditas ſunt formæ ſubſtantiales elementorum; elementa autem ſunt ſubſtantiæ, & hæc ſibi inuicem aduerſantur.

Reſpondetur, quòd ſubſtantia eſt duplex, ſimplex & compoſita; ſimplex nullam habet formam, vt ignis, aer, aqua, & terra, quæ ſunt elementa, ſed bene habent contrarietatē, quoniam vnum aduerſatur alteri, ſed Philoſophus loquitur de ſubſtantia compoſita, quæ conſtat ex B materia & forma, & iſta non habent contrarium; & hæc reſponſio eſt ſecundum opinionem Alexandri.

At Latini aliter reſpondent, quòd elementa non inuicem ſunt contraria ſecūdum ſuas ſubſtantias, ſed bene ſecundum qualitates, quas habent, & ſic dicunt Latini ſubſtantiam non habere contrarium poſitiuum, & a ratione propria, hoc eſt ſecundum aliquem intrinſecum gradū, licet contradictionem habeant priuatiuam, & C ſecundum affirmationem, & negationem, & extrinſecā, hoc eſt merito qualitatis, vt caliditas, & frigiditas igni, & aquæ comparata: quæ duo contraria ſunt ob qualitates in ipſis exiſtētes, & ſic patet reſponſio ex Latinis.

Præterea alio argumento inſtatur contra hāc proprietatem, ignis contrariatur aquę; ergo ſubſtantiæ eſt aliquid contrarium.

Reſponſio ſtat, quòd contrariantur per qualitates, & non per ſubſtantiam.

Contra dupliciter inſto, primo per Ariſtotelem 7. Metaph. tex. com. 71. dicētem, quòd ſub- D ſtantia non definitur per accidētia, ſed ignis definitur per caliditatē: ergo caliditas eſt ſubſtātia.

Secūdo, illud per cuius ablationem aufertur, ſubſtātia eſt de eſſentia illius, à quo aufertur, ſed ad ablationem caliditatis aufertur ignis; ergo caliditas eſt de eſſentia ignis. Minor probatur per Auerroem 3. Cœli com. 67. dicētem, quòd ignis non inuenitur in actu, niſi in ſummo caliditatis, & ſiccitatis; ergo

Ad primum dicitur, quòd ſubſtantiam defini- E ri per accidens dupliciter contingit, vel per accidens neceſſarium, vel per accidens commune; primo modo poteſt definiri, ſecundo modo nō.

Ad ſecundum dicitur, quòd aliquid eſſe de eſſentia alicuius dupliciter contingit, vel de eſſentia, vel eſſentiale; caliditas eſt eſſentiale, non autem de eſſentia.

Contra, definitio datur per eſſentialia, ſed ignis definitur per caliditatem; ergo caliditas eſt de eſſentia illius.

Reſpondetur ad maiorem, quòd definitio da- F tur per eſſentialia, vel per proprias paſſiones, quæ circūloquuntur nobis vltimas differentias.

Videtur autem ſubſtantia non ſuſcipere magis & minus: dico autem non quòd ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis, & minus ſubſtantia (hoc enim dictum eſt, quod eſt) ſed quòd vnaquæque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt non dicitur magis & minus, vt ſi eſt eadem ſubſtantia homo, non erit magis & minus homo, neque ipſe ſe ipſo, neque alter altero; non enim eſt alter altero magis homo, ſicut eſt album alterum altero magis & minus album, & bonum alterum altero, magis & minus bonū, ſed & ipſum ſe ipſo, magis & minus dicitur, vt corpus cum ſit album, magis nūc albū eſſe dicetur, quàm prius; & cum calidum ſit magis, & minus calidum dicitur, ſubſtantia verò non dicitur magis, neque minus: nihil enim homo magis nūc homo quàm prius dicitur, nec aliorum quicquā, quæcumque ſubſtantiæ ſunt.

Hic Ariſtoteles declarat quintam ſubſtantiæ proprietatem, quæ eſt non ſuſcipere magis & minus alio modo non intendi, neque remitti; quod enim magis vel minus fit, id intenditur, ſiue remittitur, vt aqua intenditur ſecundum calorem, quia caleſit, & remittitur ſecundum calorem, quia frigeſit: nam dicebat Ammonius in Prædicabilibus, cap. de differentia, quod intēdi, & remitti ſunt voces propriæ cithariſtis, qui intendunt, & remittunt chordas, & per metaphoram accipiuntur, prout habent maiorem, vel minorem vim. Albedo enim dicitur intenſa, quoniam habet minus de ſuo contrario; remiſſa verò quando multum habet de ſuo contrario.

Igitur vt ad rem redeamus, Propriū eſt ſubſtantiæ non recipere magis & minus, quoniam homo non dicitur magis ſubſtantia, quam leo, vel quam bos; neque Socrates eſt magis homo, quam Plato.

Hæc proprietas non ſuſcipere magis & minus, ſequitur priorem proprietatem, quæ eſt nō habere contrarium; nam vbi ponitur prior proprietas, ponitur etiam altera: vbi enim eſt non ſuſcipere contrarium, ibi eſt non ſuſcipere magis & minus; nam omne, quod habet magis & minus, habet etiam cōtrarium; dicebamus enim ſuperius, quod intenſa vocatur albedo, cum minus habeat de ſuo contrario; ſubſtantia autem non habet contrarium, ergo neque ſuſcipit magis & minus; vnde patet, quòd iſtæ duę proprietates mutuo ſe habent. Verùm quia quis potuiſſet dicere contra Ariſtotelem, quòd ſuperius dicebat, quòd prima ſubſtantia eſt magis ſubſtantia

tia

tia quàm ſecunda; item ſecundarum ſubſtantiarum ſpecies eſt magis ſubſtantia quàm genus; ergo videtur ſibi ipſi aduerſari, cum hic aſſerat ſubſtantiam nõ ſuſcipere magis & minus. Ideo in his verbis, licet, *dico autem quòd ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minus ſubſtantia*, gerit offi cium expoſitoris, quod raro facit; ſe ipſum enim declarat, & dicit, quod poſſumus cõparare ſubſtantiam dupliciter, vel in proprio ordine, vel in diuerſo, ſi comparamus ſubſtantiam primam ad ſecundam, vel ſecũdam ad primam, & inter ſe, verum eſt, quod ſuſcipiunt magis & minus, quoniam ſubſtantia non comparatur in proprio ordine, ſed in diuerſo: ſubſtãtia verò in propria coordinatione comparata non recipit magis & minus, vt ſi comparetur indiuiduum ad indiuiduum, vel ſpecies ad ſpeciem, vel genus ad genus, hoc modo in propria claſſe ſubſtantia non recipit magis & minus; oportet enim accipere ſubſtantiam in proprio ordine, vt ſi cõparemus indiuiduum ad indiuiduum, vel ſpeciem ad ſpeciem, verum erit tunc dicere, quod Socrates nõ eſt magis homo, quam Plato: item homo nõ eſt magis animal, quam equus; & hæc eſt ſententia Philoſophi dicentis, *vnaquæque ſubſtantia, hoc ipſum quod eſt nõ dicitur magis & minus*, hoc ipſum quod eſt, ideſt in proprio ordine cõparata ſubſtantia: & ſic patet, quòd ſubſtantia in propria coordinatione comparata non ſuſcipit magis & minus, exagerat Philoſophus hoc in ijs verbis, *ſicuti eſt album alterum altero magis & minus albũ.* Et dicit, quòd ſubſtantia non recipit magis & minus, ſicuti facit accidens, & qualitates, quę recipiunt magis & minus: vnus enim homo probus poteſt eſſe magis & minus probus. Item corpus calidum eſt magis & minus calidum, ſecundũ quod habet plus & minus contrarij. Hæc proprietas etiam competit alij à ſubſtãtia, quoniam competit quantitati, vt patet in eo cap.

Maxime verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, cum vnum & idem numero ſit contrariorũ ſuſceptiuum eſſe; quare in alijs quidem non habet quiſquam, quod proferat tale, quæcumque non ſunt ſubſtantiæ; quod cum ſit vnum numero, ſuſceptibile contrariorum ſit; veluti color, qui eſt vnus, & idem numero, non dicitur albus, & niger, neque eadem actio, & vna numero praua, & ſtudioſa. Similiter autem & in alijs, quæcumque nõ ſunt ſubſtantię: ſubſtantia vero, cum vnum, & idem numero ſit, ſuſceptiua contrariorum eſt, vt quidam homo cũ vnus & idẽ A ſit, aliquando quidem albus, aliquando ſit niger, & calidus, & frigidus, & prauus, & ſtudioſus; in alijs autẽ nullis aliquid tale uidetur.

Pars iſta, quę vltima eſt huius capitis, continuatur cum præcedentibus hunc in modũ, cum decreuiſſet Philoſophus determinare, & declarare nobis ſubſtantiam, tribus inſtrumentis uſus eſt, ſcilicet diuiſione, definitione, & proprietati- B bus: nam quando ſubſtantia eſt definita, quando eſt diuiſa, quando eſt expoſita ſuis proprietatibus, tũc optime dicitur explicata, vt homo cum dicatur eſſe animal rationale, mortale, riſibile, ſenſitiuum, corporeum, tunc dicitur homo eſt recte explicatus. Primo diuiſit Ariſtoteles ſubſtantiam in primam & ſecundam, dicẽs primam eſſe indiuiduum, ſecundam verò genera & ſpecies. Secundo definiuit ſubſtantiam illis verbis, ſubſtantia eſt, quæ proprie, principaliter, & maxime dicitur, quæ neque in ſubiecto eſt, ne- C que de ſubiecto dicitur. Tertio explicauit ſubſtantiam per ſuas proprietates. Adducit autem ſex proprietates, quarum quinque a nobis abſolutæ ſunt. Prima ſubſtantiæ proprietas erat non eſſe in ſubiecto; ſecunda prædicari vniuoce de ſuis inferioribus; tertia ſignificare hoc aliquid; quarta non habere contrarium; quinta non ſuſcipere magis & minus: hæ enim duæ proprietates mutuo ſe conſequũtur, & iſtę quinque proprietates aliquo deficiunt, vel quia aliquæ non competunt omnibus, vel quia non ſolis.

D Cogitur igitur Ariſtoteles legitimã proprietatem afferre, quæ ſoli, omni, & ſemper ſubſtantiæ competat: idcirco dicit, *maxime propriũ ſubſtantiæ eſt, cum vna, & eadem numero ſit, vt contrariorum ſit ſuſceptibilis*, Illæ particulæ licet, *cum vna, & eadem numero ſit*, non temere apponuntur, quia quicquid eſt in rerum natura, quod ſit in prædicamentis, poteſt recipere contrarium, quoniam color poteſt eſſe albus, & niger, habitus moralis poteſt recipere contrarium: eſt enim virtus vel vitium: ecce quòd iſtæ qualitates re- E cipiunt contrarium, quando non ſunt vnæ numero; nam quælibet prædicamenta in vniuerſali accepta poſſunt recipere contrarium, vt color in genere poteſt recipere cõtraria, vt album & nigrum; color autem in particulari non poteſt recipere contrarium, vt hoc album non poteſt recipere nigredinem, neque è conuerſo: ſola igitur ſubſtantia, cum ſit vna numero, eſt ſuſceptibilis contrariorum, huiuſmodi vox licet, *maxime*, oſtendit hanc proprietatem eſſe veriſſimã, & hæc vox licet, *ſuſceptiuum*, denotat vim, & po- F tentiam ſuſcipiendi, & non ſuſcepti, non quòd ſuſcipiatur ab aliquo tanquam contrario. Vera igitur proprietas non eſt in alijs prędicamentis, præterquam in prædicamento ſubſtantiæ.

Circa quod notandum eſt, ad hoc quod ſubſtantia ſit ſuſcipiens contraria, oportet quòd mutetur ab vno in aliud, cum ipſa non poſſit eidem

ſimul

ſimul ineſſe; & ideo debet addi, quòd eſt ſuſceptibilis contrariorum ſecundũ ſui mutationem; & hoc eſt proprie proprium ſubſtantię, quia conuenit omni, ſoli, & ſemper, licet hoc conueniat primo primis ſubſtantijs, quia primo ſubſtãt accidentibus, & ſecundario ſecundis ſubſtantijs.

Niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem, & opinionem contrariorum eſſe ſuſceptibilia; eadem enim oratio vera, & falſa videtur eſſe, veluti ſi vera ſit oratio, ſedere quempiã, eo ſurgente, ipſa eadem falſa erit. Similiter autem & de opinione: ſi quis enim verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo, falſo putabit, eandem de ipſo opinionem habens.

Ad maiorem explanationem iſtius proprietatis Ariſtoteles dubitat contra ſe, & dicit, *niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem, & opinionem contrariorũ eſſe ſuſceptibilia*. Argumẽtatur Ariſtoteles contra iſtam extremam proprietatem, & dicit, videtur quod hæc proprietas, ſcilicet ſuſcipere contraria, ſit inutilis: nam qualitati & quantitati etiam competit, oratio autem eſt quanta, & opinio eſt qualis: hæ cum ſint vnæ numero, ſuſceptibiles ſunt contrariorum. Exemplo hoc patet; ſit oratio, Ioannes ſedet, ſi Ioannes re vera ſedeat, hæc oratio eſt vera; ſi autẽ currit, eſt falſa, & verum, & falſum ſunt cõtraria; ergo oratio ſuſcipit contraria. Item ſi opinor diem exortum eſſe, ſi re vera exortus ſit dies, hæc opinio eſt vera, ſi autem adhuc nox ſit, falſa erit opinio mea; ergo & opinio ſuſceptibilis eſt contrariorum: oratio igitur & opinio ſuſcipiunt contraria; ergo iſta proprietas ſubſtãtiæ, cum competat alijs præter ſubſtantiam, nempe quantitati, & qualitati, inutilis eſt; nec aliquis negare poteſt verũ, & falſum eſſe contraria, eſſet enim abſurdum dictum, quoniam ſunt maxime contraria, ſunt enim contradictoria; contradictoria autem maximam habent contrarietatem.

Sed & ſi quis & hoc ſuſcipiat, tamen modo differt; nam ea, quæ in ſubſtantijs ſunt, ipſa quidem mutata, ſuſceptibilia ſunt contrariorum; frigidum enim ex calido factum mutatur (Alteratur enim) & nigrum ex albo, & ſtudioſum ex prauo. Similiter autem & in alijs vnumquodque eorum mutationem ſuſcipiens, ſuſceptibile contrariorum eſt. Oratio autem & opinio ipſa quidem immobi-

A lia omnino perſeuerant; cum verò res mouetur, contraria circa ipſa fiunt: oratio namque eius, quòd ſedeat aliquis, permanet eadem: cum verò res mota ſit, aliquando quidem vera, aliquando autem falſa dicitur. Similiter autẽ eſt in opinione; quapropter ſaltem modo proprium ſub-
B ſtantiæ eſt, vt ſecundum mutationem ſui ipſius ſuſceptibilis ſit contrariorum.

Si quis autem recipiat etiam hęc, orationem, & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum. Non eſt hoc verum, oratio namque & opinio nõ
C eò quòd ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur, ſed eò quòd circa alterum aliqua paſſio facta ſit, nam eò quòd res eſt vel non eſt, eò etiam oratio vera, vel falſa eſſe dicitur, nõ eò quòd ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum; ſimpliciter enim a nullo, neque oratio, ne-
D que opinio mouetur; quapropter nõ erunt ſuſceptibilia contrariorũ, cum nulla contrarij ſit paſſio in eis facta, verùm ſubſtantia eò quòd ipſa contraria recipiat; hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur. Languorem enim, & ſanitatem ſuſcipit, & candorem, & nigredinem, & vnumquod-
E que tălium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtãtiæ, hoc cum unum, & idem numero ſit, ſecũdum ſui ipſius mutationem, ſuſceptibilem contrariorum eſſe. De ſubſtantia quidem hæc dicta ſufficiant.

F Suprapoſito argumento Ariſtoteles duplicem aſſignat reſponſionem; nam argumentum falſum poteſt ſolui duobus modis, ſcilicet per inſtantiam, & per fiduciariam reprobationem, ſeu ex inſtantia, & fiduciarie, vtrumque modum obſeruat Philoſophus ex inſtantia, negando quòd oratio, & opinio ſuſcipiant contrarium, verum, & falſum: nam verum, & falſum conſiderantur

deratur tripliciter, in mente, in voce, & in re, A veritas & falſitas in mente eſt per modum conceptus, ſicut animo concipitur, & hæc vocatur mentalis; in voce, ſicut pronunciatur, & exprimitur, & dicitur vocalis; in re, ſicut realiter exiſtit, vt ſi dixero Sol exortus eſt, & eſt realis; quę veritas, & falſitas realis vtrumque habet locum, in mente ſcilicet & in voce; in mente, & ſic eſt conceptus mentalis, & in voce ſicuti à nobis profertur. Hæc propoſitio, Sol exortus eſt; eſt etiam tertio modo in re, vt eſt effectus rei, quæ ita eſt; & quamuis non ſit veritas, & falſitas in mente, vel B in voce, tamen eſt ſemper effectus in re; nam exēpli gratia, ſi nemo cogitaret, neque pronunciaret Solem oriri, tamen oriretur. Veritas igitur, & falſitas cum eſt in mente, eſt per apprehenſionem, in voce per explicationem, in re per effectum; quoniam veritas, & falſitas eſt effectualiter in re ipſa ſecundum rei præſentiam. Philoſophus itaque dat regulam, & præceptum, quòd oratio non eſt vera, vel falſa, ex noſtro more proferendi, vel animo cōcipiendi, vt verificemus res, quas proferimus, aut mēte agitamus, aut C non verificemus eas; nam veritas, & falſitas dicitur, ſecundū quòd res eſt, ex re ipſa, quæ patitur.

Cum igitur dicat Philoſophus, veritatem, vel falſitatem eſſe in tribus, in mēte, in voce, & in re ipſa, non negat Ariſtotels veritatem, vel falſitatem, mentalem, vel prononciatiuam eſſe in mente, vel in voce, ſed negat eam, quæ eſt effectualiter in re, dicens, quòd falſum eſt, quòd oratio, & opinio ſuſcipiant veritatem, vel falſitatem, quatenus eſt effectualiter in re; nam opinio comprehendit veritatem, & falſitatem in animo conce D ptam, non autem in re. Quamuis igitur oratio, & opinio non ſuſcipiant contraria in re, quatenus contraria ſunt effectualiter in re ipſa, ſuſcipiunt tamen in voce, & opinione, & hęc eſt ſecunda ſolutio, quam dat Ariſtoteles in textu incipiens ab illis verbis, *ſi quis autem recipiat & hæc, orationē, et opinionē, eſſe ſuſcetibilia contrariorū, nō eſt hoc verū.*

Datur & alia reſponſio, quæ eſt prima tradita hic ab Ariſtotele ibi, *ſed & ſi quis & hoc ſuſcipiat*, & eſt reſponſio propter fiduciariam reprobationem, quæ fit cum gratia differendi. E Concedimus maiorem propoſitionē; & tamen oſtendimus, quòd illud argumentum nihil eſt. Concedimus, dicit Ariſtoteles, gratia differendi, quòd veritas & falſitas ſit in opinione: ſed diſtinguo, quòd recipere contraria dupliciter cōtingit, vel cum ſui mutatione, vel ſine ſui mutatione; quamuis enim mutetur res, oratio, & opinio, recipiunt contraria ſine ſui mutatione, quia non mutātur, imò remanent; ſubſtantia autem ſuſcipit contraria cum ſui mutatione, vt aqua quando eſt frigi- F da, fit calida, alteratur, & mutatur: ſic corpus quādo eſt ægrū, fit ſanū, & ſic hæc eſt differentia inter ſubſtātiam, orationem, & opinionem; oratio namque & opinio, cum non ſint ſubiectum alterationis, neque mutationis, nō poſſunt vere dici, quòd ſuſcipiant contraria. Intelligit itaque Philoſophus, quòd ſubſtantia capax eſt contrariorū viciſim & cū ſui mutatione; & ſic iſta ſexta proprietas non poterit accommodari quantitati, neque qualitati, ideſt orationi, & opinioni.

Sed ſi quis diceret, videtur quòd hę duę reſpōſiones ſint contrariæ; altera enim concedit maiorem propoſitionem, quòd oratio, & opinio ſuſcipiunt veritatem, vel falſitatem; altera verò inficiatur, quæ eſt ergo eligenda?

Reſpondetur, quòd quando quis ſoluit argumentum fiduciarie, & inſtanter, ſemper ſolutio per inſtantiam eſt firmior: fiduciaria enim ſolutio ferè ſemper proponitur gratia diſputādi: melius eſt igitur tenere, quòd oratio, & opinio non habent contraria per inſtantiam. Sed circa dicta occurrunt, & oriuntur difficultates.

Primo enim dubitatur, quoniam dictum eſt ab Ariſtotele, quòd hæc eſt vera ꝓprietas, quòd ſubſtantia cum ſit vna numero, eſt ſuſceptibilis contrariorum; ergo hac proprietate excludūtur ſubſtantię vniuerſales, ſcilicet genera, & ſpecies, quoniam hæ non ſunt vnæ numero, ſed quoddā vniuerſale, & commune, genus ſpeciebus, & ſpecies indiuiduis; ergo eſt proprietas vitioſa, qm̄ non competit omni ſubſtantiæ, ſed ſoli ſubſtantiæ primæ, & indiuiduę. Confirmatur iſta dubitatio ex præcedentibus; nam ſuperius cum recēſeretur tertia proprietas ſubſtantiæ, quæ erat ſignificare hoc aliquid, ipſam repudiauit Ariſtoteles, quoniam competeret ſoli ſubſtantiæ particulari, non autem ſubſtantiæ vniuerſali; ergo cum iſta vltima conueniat ſolum primis ſubſtantijs, & non ſecundis, iure debet reijci; ergo male Ariſtoteles eam vti ligitimam, & propriſſimam in medium adduxit.

Secundo addo aliam dubitationem, quam mouet Ammonius; nam dictum eſt, quòd quælibet ſubſtantia cum ſit vna numero, poteſt recipere contraria. Contra, cælū eſt ſubſtantia, & vna numero, & tamē non recipit contrarium, quia ſi reciperet contrarium, corrumperetur. Ariſtoteles antem 2. cœli, probat quòd eſt ęternum, & nō habet contrarium; ergo hæc proprietas vitioſa.

Tertio coruus eſt ſubſtantia vna numero, tamē non recipit contrariū albedinem, neque cygnus nigredinem, ergo.

Quarto ignis eſt ſubſtantia corporea; conſtat enim ex materia & forma, eſt generabilis, & corruptibilis, & tamen nō recipit contrarium; ergo videtnr hæc proprietas vitioſa, ac falſa.

Quinto non conuenit hæc proprietas Deo, & tamen eſt ſubſtantia; ergo.

Sexto, Angeli, & corpora cæleſtia nō ſunt ſubſtantię ſuſceptibiles contrariarū qualitatū, & tamē ſunt ſubſtātię; ergo hęc proprietas eſt falſa.

Septimo, iſta proprietas competit quantitati, cum ſuperficies ſit ſuſceptiua albedinis, & nigredinis, quæ ſunt qualitates contrariæ; ergo.

Octauo, hæc proprietas cūpetit colori, qui recipit contraria, quia color eſt genus, & aſſimilatur materiei, & diuidit per albū, & nigrū, quæ ſunt cōtraria, & modo color eſt albus, modo eſt niger

Nono, hæc proprietas competit actioni, quo-

niam actio recipit contraria, quia modo eſt praua, modo eſt ſtudioſa, ergo.

Decimo, cōpetit ſubſtantiæ ſimplici, puta animæ, quæ mutatur de ignorātia ad ſcientiā, voluptas trāſit de bono ad malū: ſimiliter & materia modo calida, modo frigida; ergo falſa ꝓprietas.

Quo ad primum, cum diximus, quod iſta proprietas eſt vitioſa, quoniam competit ſolum indiuiduis, non autem ſubſtantiæ vniuerſali, vt generi, vel ſpeciei. Inuenio diſcordiā apud Expoſitores, video Boetium altercātem cum Græcis: dicit enim Boetius, quòd hæc proprietas competit omnibus ſubſtātijs, & indiuiduis, & vniuerſalibus, ſtat difficultas in illis verbis, licet *cū ſit vna numero*: nam genus, & ſpecies nō ſunt vnū numero, ſed quoddā cōmune, & vniuerſale pluribus.

Reſpondet inquam Boetius, quod & genera & ſpecies poſſunt fieri vnum numero, vt homo eſt ſpecies, ſi iūgatur cum aliquo pronomine, fiet vnum numero, dicēdo aliquis homo, & aliquod animal, particula illa adiecta, facit particulare, & vnū numero genus, & ſpecies: ſicut enim Socrates recipit contrarium, ita & aliquis homo, & aliquod animal; ergo hæc proprietas vera eſt, quoniam competit vtrique ſubſtantiæ. Iſta eſt expoſitio Boetij, quę an vera ſit, nec ne, erit iudicium legentis: ego nō acciperem hanc expoſitionem, quia cum dicimus aliquis homo, homo ſic acceptus non eſt amplius ſpecies, quoniā aliquis, quidam ſunt termini particulares, ſic nō eſt ſpecies, ſed particularis; ergo ſpecies, neque genus non includuntur in hac proprietate.

Proinde accipio Ammonij reſponſionem: nulla enim, iudicio meo, eſt purior, fidelior, ac ſincerior. Animaduertendum, quòd Ariſtoteles dicit ſubſtantias duplicēs eſſe, aliquæ, quę in primo ordine ſunt, & hæ ſubſtantiæ ſunt indiuidua: aliæ verò quæ in ſecundo ordine ſunt, vt genera, & ſpecies. Sermonē habet Philoſophus hic de ſubſtantia non vniuerſali, et in ſecundo ordine, ſed ex noſtro modo apprehendendi: declarat enim eam ſubſtantiam, quæ maxime noſtrum ſenſum afficit; nā Ariſtoteles loquitur magis ſēſū, quam intellectum: indiuidua autem ſunt omnibus nobis maxime nota. Dialecticus ergo conſiderat principaliter ſubſtātiam primam, & Ariſtoteles deſcribit ſubſtantiam in primo ordine, & ei proprietates aſſignat; nō autem deſcribit ſubſtantiā in ſecūdo ordine, neque ei proprietates aſſignat. Intendit igitur Philoſophus principaliter agere de prima ſubſtantia in primo ordine.

Ad argumentū reſpondetur, ꝙ iſta proprietas eſt veriſſima, qm̄ cōpetit ſolū primis ſubſtantijs, de quibus principaliter intendit agere: hę enim sūt nobis familiares, & cadunt ſub ſenſū noſtrū.

Ad confirmationem dicitur, quòd primam ſubſtantiam elegit, quia ſenſum noſtrū attingit, & aſſignat illi tertiam proprietatem, quę eſt hoc aliquid ſignificare, & etiam aſſignat ſextam, quæ eſt cum vna numero ſit, &c. cum competat ſolū indiuiduis, non autem ſubſtantijs vniuerſalibus; tertiam vero proprietatem repudiat, non quia

A non competat ſubſtantiæ ſecundæ, ſed quia non conuenit ſolum ſubſtantijs primis; verum etiam conuenit particularibus accidentibus; particularia enim, & concreta accidentia ſignificant hoc aliquid, vt hoc album.

Ad ſecundū reſpondet Ammonius, quòd ſubſtantia, de qua hic loquitur Ariſtoteles, non eſt quælibet ſubſtātia in communi; nam ſunt aliquę ſubſtantiæ, quæ ſunt extra ordinem prædicamentalem, quę non dignantur venire ſub prędicamēto ſubſtantiæ, vt ſubſtantiæ diuinæ, corpora cęleſtia; B quoniam rebus ęternis, & corruptibilibus nihil poteſt dari commune vniuocū: vnde peripatetici ſubterfugiunt illud prædicamentum ſubſtantiæ, quod ſit commune Deo, & his corruptibilibus, ſicut facit Porphyrius, qui in ſua arbore poſuit ſubſtantiam corpoream, & incorpoream, per incorpoream intelligens diuinam. Notat Auerroes in Porphyrio in quadam digreſſione, quod prædicamentum dupliciter dicitur, vniuoce, & analogice; Platonici, & Academici ponūt ſubſtantiam diuinam ſub prædicamento analogo: C dicunt enim, ſub prædicamento analogo cōtineri ſubſtantias diuinas, & ſub vniuoco mortales. Peripatetici autem contrariū ſentiunt; propterea dicitur quòd ſubſtātia, de qua loquitur in præſenti loco Ariſtoteles, debet eſſe ſubſtantia corporea, compoſita ex materia & forma, generabilis, & corruptibilis, ſed cælum eſt ſubſtantia compoſita, & eſt vnum numero. Cōcedo, ſed non ob hoc recipit contrarium, quia hic non loquitur de eo Ariſtoteles.

Ad tertium dicitur, quòd Ariſtoteles non in- D telligit de ſubſtantia, quòd recipiat omnem contrarietatem, ſed loquitur Ariſtoteles de contrarietate indefinita, quæ nō eſt neque particularis, neque vniuerſalis prorſus, ſed mediū quoddam: ſubſtantia enim non recipit omnem contrarietatem dicit Philoſophus, ſed ſi non hanc, tamen illam cōtrarietatem recipit, coruus quamuis non recipiat albedinē, quę eſt contraria nigredini, recipit tamen alias cōtrarietates, puta calidum, frigidum, eſſe ſanum, ægrum. Non eſt enim neceſ- E ſarium, quòd coruus, & alię ſubſtantiæ recipiant omnes contrarietates, idem dicatur de cygnò.

Ad quartum reſpondetur, quòd ignis non eſt ſubſtantia prædicamentalis, cū ſit ſubſtantia ſimplex, & elementum; elementa autem excluduntur ab hoc prædicamento; nam agit hic Philoſophus non de ſubſtātia ſimplici, ſed de ſubſtantia cōpoſita ex materia & forma, generabili, & corruptibili: ignis enim eſt elementū per ſe ſimplex, & ſic nō cadit in prædicamento ſubſtantiæ.

Item Gręci dicūt, quòd Philoſophus agit hic F de ſubſtantia mixta; ignis enim non eſt in prædicamento proprie accepto, ſed reductiue; nam eſſe in prædicamēto dicitur dupliciter, proprie, & reductiue: illæ ſubſtantiæ, quas ſuperius recenſuimus, quæ ſunt compoſitæ, mixtæ, conſtantes ex materia & forma, generabiles, & corruptibiles, ſunt in prædicamento ſubſtantiæ & vere, & proprie: quæ autem reducuntur ſub prædicamen-

dicamento ſubſtantię, ſunt partes componentes ipſa compoſita, ſcilicet materia, & forma, & quatuor elementa. Hæ igitur partes poſſunt eſſe in prędicamento non proprie, ſed reductiue: at Ariſtoteles loquitur hic de ijs ſubſtantijs, quę proprie continentur ſub prædicamento ſubſtantiæ, non autem de illis, quæ reductiue, vt elementa: quare nihil officit & ſi ignis cum ſit ſubſtantia, & vna numero reciperet contrarietatem.

Ad quintum reſpondetur, ꝙ cũ Deus nõ ſit in genere, non poteſt ei hæc proprietas conuenire.

Ad ſextum reſpondetur, ſicut ad ſecundum reſponſum eſt, vide ibi.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd ſuperficies ſuſcipit contraria tanquam ſubiectum immediatum, ſed non tanquam ſubiectum vltimatum, & principale, quia non vltimate determinat dependentia albedinis, & nigredinis.

Ad octauum reſpondetur, quod color eſt genus, & non eſt ſubſtantia ſubſtentans album, & nigrum, quia ipſum eſt accidens; nam album & nigrum ſunt ſpecies coloris, ſpecies non inſunt generi, ita vt genus recipiat ſpecies, & ipſas ſubſtentet, nec genus mutatur de albo in nigrum de vna ſpecie in aliam, ſed intelligitur color, modo contrahi per differentiã albi, modo per differentiã nigri; in diuerſis tamen ſubiectis, & color eſt genus, cũ eſt pars ſpeciei, non recipit ſpeciẽ, quia idẽ ſe ipſum reciperet, & in ſe ipſum mutaretur.

Ad nonum reſpondetur, quòd actio eadem numero manens non eſt ſubiectum ſubſtentans hęc, ſcilicet prauum, ſtudioſum, bonum, malum; actio namque, vel operatio, & excercitatio alicuius fundatur in agente vt in ſubiecto, quòd agens eſt ſubſtantia, & ſi accidẽtibus competat aliqua actio, dico quòd illis actionibus competit fundari in accidente pro quãto ambo alteri inhærent, & accidunt; at hic ſermo eſt de ſubiecto proximo ſubſtentante, vt eſt ſubſtantia.

Ad decimum reſpondetur, quòd anima eſt ſubſtantia ſimplex, non prædicamentalis, & Philoſophus agit hic de ſubſtantia compoſita, generabili, & corruptibili: anima namque non eſt in prædicamento proprie, ſed reductiue, & licet anima tranſeat de ignoratia ad ſcientiã, hoc fit ſine ſui mutatione, & ſucceſſiue: ſubſtantia verò compoſita, licet tranſeat ab vno contrario ad aliud ſucceſſiue, non tamen ſine ſui mutatione. Idem dicatur de voluptate, cum tranſit de bono ad malum; de materia dicatur, quòd eſt ſubſtantia ſimplex, & non ponitur in hoc predicamento niſi reductiue: nos autem loquimur de ſubſtantia compoſita, generabili, & corruptibili. Et hæc de prædicamento ſubſtantiæ dicta ſufficiant.

Super Capite de Subſtantia pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc capite de Subſtantia, duo præcipue docet Ariſtoteles.

Primo, definit ſubſtantiam, eamq; diuidit in primam & ſecundam.

A Secundo, ſex aſſignat ſubſtantiæ proprietates.

Quo ad primum, inquit, quòd ſubſtantia eſt, quæ proprie, principaliter, & maxime dicitur, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt, vt quidã homo, quidã equus.

Secundæ vero ſubſtantiæ ſunt ſpecies, in quibus primæ inſunt, & harum genera, vt eſt homo, atque animal.

Quo ad ſecundum, Ariſtoteles aſſignat ſex proprietates ſubſtantiæ.

Prima proprietas eſt, non eſſe in ſubiecto.

B Secunda proprietas eſt, prædicari vniuoce de ſubiecto.

Tertia proprietas eſt, ſignificare hoc aliquid, vel quale quid.

Quarta proprietas eſt, non habere contrariũ.

Quinta proprietas eſt, non ſuſcipere magis & minus.

Sexta, & vltima vera, & proprie propria proprietas eſt; quòd ſubſtantia cum vna, & eadem numero ſit, contrariorum eſt ſuſceptibilis ſecundum ſui mutationem: & hæc ex Ammonio ſolũ C primæ ſubſtantiæ cõpetit, non genericæ, & ſpecificæ, vt ei, de qua principaliter eſt ſermo Philoſophi in Cap. de Subſtantia.

In iure ciuili, ſolum vſum ſubſtantiæ primæ indiuidualis habere locum, docet Bart. in ſuo tractatu teſtimoniorum, cap. de Subſtantia. Quatenus verò vel generica, vel ſpecifica: & vt ſecũda intentio, teſte eod. Bart. loco citato, non eſt ſermo apud Legisperitos.

Quod fuit in cauſa, vt arborem nõ curaui deſcribere de ſubſtãtia, ex qua cognoſci poſſit quæ D ſit generica, quæ ſpecifica: ſi quis tamẽ vult eam cognoſcere, videat deſcriptam in cap. de ſpecie, quę huic de ſubſtantia accommodari poteſt, ſed fruſtra ad vſum vt in hoc loco, niſi quatenus cõſtitutiua ſpeciei; ſubſtantiã tamen rerum conſiderandam eſſe ſcribit Paulus Iuriſc. in l. 4. §. ſi ex lana. ff. de vſucap.

Verum dixi in cap. de accidente, quòd ſubſtãtiam indiuidualem nõ conſiderat Iuriſta eo modo, quo à Logico conſideratur, quatenus ſit ſecunda intentio, & ſubiectum prædicationis.

E Sed ſubſtantiam appellat id, quod dat eſſe rei, & eſt veluti forma eſſentialis, ex qua aliquid in eſſe producitur, & productum conſeruatur, ſicut differẽtia ſpecifica dat eſſe ipſi homini, & hominem conſeruat. Ea enim dempta, aufertur homo, pariter pretium apud legales dicitur ſubſtãtia, quia dat eſſe emptioni, & ſine eo non poteſt exiſtere emptionis cõtractus, §. pretiũ, de empt. & vend. Sic interrogatio, & reſponſio eſt ſubſtantia ſtipulationis, quia abſque eis non poteſt exiſtere ſtipulatio, & quatenus interrogatio, & F reſponſio, conſtituit in eſſe ſtipulationem. l. 1. §. qui præſes. ff. de verb. oblig. eodem modo conſenſus dicitur ſubſtantia nuptiarum. l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. Statim enim ac adeſt cõſenſus, etiã nuptię adeſſe dicuntur abſque concubitu, & ſine conſenſu cõcubitus nuptias nõ producit in eſſe.

Huiuſcemodi ſubſtantiæ tali pacto in iure cõ

ſideratæ conueniunt tres proprietates ſubſtan- A
tiæ traditæ a Philoſopho in hoc capite, nempe
primam,quartam,& quintam.
Conuenit ei prima proprietas,nempe non eſ-
ſe in ſubiecto, quia licet pretium ſit in emptio-
ne,interrogatio & reſponſio in ſtipulatione,con
ſenſus in nuptijs;non tamen ſunt in eis,vti acci-
dens in ſubiecto, nempe vt aliquod extrinſecus,
vel intrinſecus adueniens in ſuo toto, ſed vt
pars ſubiecti, vt pars ſubſtantialis totius, nempe
emptionis,ſtipulationis,& nuptiarum.
Similiter ſubſtantiæ hoc modo legali conſi- B
deratę conueniunt duæ illæ proprietates,quę ſe
mutuo conſequuntur, nempe quarta proprietas
non habere contrarium,& quinta proprietas nõ
ſucipere magis & minus, eo quoniam nõ minus
eſt ſubſtantia pretium ducatorum centum, aut
mille in emptione,quam ſit interrogatio, & ſti-
pulatio ſubſtantia in ſtipulatione qualibet,& cõ
ſenſus in quibuscũque nuptijs. Quodlibet enim
pretium emptionem,interrogatio, & reſponſio
ſtipulationem, conſenſus nuptias ineſſe produ- C
cit,producta conſeruat.
Et hæc ſint dicta de ſubſtantia.

De Quanto Caput Secundum.

EXplicato capite de Subſtantia,
ſequitur caput de quantitate.
Huius continuationis ratio tri
plex aſſignatur ab Expoſitori-
bus. Prima,ratione ſimilitudi
nis; ſecũda ordine verborum, D
& ordine dicendi; tertia ex natura rei. Ratione
ſimilitudinis, quia quãtitas eſt valde ſimilis ſub-
ſtantiæ: ſimilitudo autem habetur ex illis dua-
bus penultimis proprietatibus ſubſtantiæ, quas
Philoſophus aſſignat,ſcilicet non haberi contra
rium,& non ſucipere magis & minus,quę exqui
ſitiſſime verificantur etiam de quantitate; nam
quantitas non habet contrarium, neque ſuſcipit
magis & minus,& ſic eſt ſimilitudo. Secũda cau
ſa eſt ordine verborum; nam in Cap. de ſubſtan
tia mentionem fecit Ariſtoteles de quantitate, E
cum dicebat, quòd quãtitas alia eſt definita, alia
indefinita,loquens de magno & paruo,quod ma
gnum & paruum ſunt contraria: ne igitur nos
naturæ quãtitatis teneret ſuſpenſos, ſtatim agit
de quãtitate; ſed iſtę duæ rationes ſunt leuiores.
Tertia ratio eſt ex natura rei,quia cum primũ
ſubſtantia generata eſt, accidens primum quod
illi superuenit,eſt magnitudo, poſtea eſt corpus,
deinde qualitatibus exornatur,vnde Boetius di-
cit, quòd prius eſt corpus, quam corpus album;
corpus inquam hic accipitur pro magnitudine, F
quæ conſtat tribus dimenſionibus, ſcilicet lon-
gitudine, latitudine, & profunditate. Prius au-
tem eſt corpus,quàm corpus album, quia quam-
uis omnia accidentia remoueantur à ſubſtantia,
tamen ſubſtantia ſemper habebit quantitatem
corpoream: hæc nunquam dimouetur à ſubſtan
tia, his rationibus informati, quòd poſt ſubſtan-
tiam,ſtatim ſequitur quantitas, non autem quali
tas,vel aliud quoduis prædicamẽtum, facile erit
introducere quid Ariſtoteles agat in hoc prædi-
camento: verùm primo inſurgunt nonnullę dubi
tationes circa ordinem.
Primo, videtur quòd erat tractandum de rela
tione ante quantiatẽ,qm̃ ſubſtantia,quamprimũ
eſt,eſt magna, vel parua; ſed magnum et paruum
sũt relatiua; ergo prius de relatione agẽdũ erat.
Secundo, videtur quòd prius erat agendum
de qualitate,quia ſubſtantia nulla eſt,quę non ſit
colorata, ſed color eſt qualitas; ergo videtur
quòd prius erat trctandum de qualitate.
Tertio, omnis ſubſtantia quãprimum eſt, eſt
in loco;ergo prius de loco,& vbi,videbaĩ agẽdũ
Ad primum reſpondetur quod magnum &
paruum ſunt per ſe paſſiones quantitatis; ſecun-
dario verò ſunt ad aliquid, vt patet 5. Metaph.
cap. de quanto, vel ſecundo dicitur, quòd ma-
gnũ & paruum inſunt rebus propter quantitatẽ.
Ad ſecundum dicitur, quòd color ſequitur
ſubſtantiã,nõ immediate,ſed mediãte quãtitate
Ad tertium dicitur, quòd ſubſtantia ſit in lo-
co,ſed mediãte quantitate, nam etiam locus eſt
quantitas: & primo ſubſtantia eſt quanta ante-
quam recipiat vbi.
Caput iſtud in tres partes diuiditur; in prima
Philoſophus diuidit quantitatem; in ſecunda il-
lam deſcribit; in tertia quaſdã proprietates ipſi-
us quantitatis enumerat. Dicit itaque.

Quanti autẽ aliud quidẽ eſt diſcre
tum,aliud autẽ continuũ,et aliud qui
dem ex habentibus poſitionẽ ad ſe in
uicẽ in ipſis partibus conſtat;aliud au
tem ex non habentibus poſitionem.

In hac prima parte Ariſtoteles duplicem dat
diuiſionem quantitatis.
Prima eſt,quòd quantitas alia eſt cõtinua,alia
diſcreta.
Secunda eſt,quòd quantitas alia cõſtat ex par-
tibus poſitionem habentibus; alia verò ex parti-
bus non habentibus poſitionem.
Prima quantitatis diuiſio datur ſecundum or
dinem naturæ, quia quantitas ipſa diuiditur per
diſcretũ,& continuũ, quæ ſecundũ aliquos ſunt
differentiæ,non autem genera ſubalterna.
Latini inueſtigant differentiã inter hæc nomi
na,ſcilicet quãtũ,quantitas,& dicunt,quòd quã-
tũ denotat concretũ coniunctum cum ſubiecto,
ſicuti quale,vt hoc album: quãtitas autem,quod
eſt nomen abſtractum à ſubiecto, indicat puram
et nudam quantitatem. Alij verò non ponunt ta
lem differentiam,quia re vera non eſt talis diffe-
rentia ad ſenſum inter quantum, & quantitatẽ,
vt inter quale,& qualitatem.
Secundo notandum eſt, quòd inter Latinos
fuerunt huius mentis, qui opinati ſunt iſtud præ
dicamentum debere ſcindi in duo, ita vt non
ſint ſolum prædicamenta decem, ſed vndecim.
Dicebant enim, quòd continuum eſt vnum præ
dicamen-

dicamentum ex ſe, & diſcretum eſt alterum, & argumentabantur hoc modo.

Si iſta duo genera eſſent vnum prædicamentum, tunc conuenirent ſub eode genere; ſed hoc eſt falſum; ergo ſunt duo prædicamenta.

Minorem propoſitionem probat auctoritate Ariſtotelis 1. Poſt. dicentis, quod continuum, & diſcretū non conueniunt ſub eode genere; ergo quantum cōtinuū toto genere diſtat a diſcreto.

Hæc ratio videtur valde apparens, ſed eſt falſa, quoniam ipſi argumentantur a genere ſcientiarum ad genus prædicamenti, quando Ariſtoteles dicit, quod continuum, & diſcretum non cōueniunt ſub eodem genere, capit genus pro ſubiecto in ſcientia: ideo tenendum eſt cū antiquis, quod Ariſtoteles ſcilicet enumerat decē prædicamenta ſolum, non autē vndecim: Porphyrius etiā dicebat, quod ſunt decē generaliſſima; ide dicebat Ariſtoteles in Antepredicamētis: quare dicendū, quòd ſunt decē generaliſſima; & quod diſcretum, & continuum ſunt differentiæ quanti, & poſſunt contineri ſub vno prædicamento.

Secunda quantitatis diuiſio eſt, quòd quantitas alia conſtat ex partibus poſitionem habentibus, alia ex non habentibus poſitionem.

Poſitio eſt nomen æquiuocum: interdū enim poſitio accipitur pro propoſitionibus, ideſt principijs, vt habetur ex Ariſtotele 1. Poſt. tex. com. 14. Secūdo accipitur pro ſitu, vt cū dicimus, hoc habet poſitionem talem, vel talem, ideſt habet ſitū, & hoc modo eſt in prædicamento ſitus. Tertio accipi ſolēt poſitio a Logicis, quæ habet tres conditiones. Prima, quòd partes eius ſint alicubi; ſecunda, quòd habeant continuitatem; tertia, quòd habeant firmitudinem, & cōſtantiam, & de hac vltima loquitur Ariſtoteles.

Declaro has tres conditiones. Prima cōditio, quę requiritur in poſitione, eſt, vt partes eius ſint alicubi, ideſt vt dicere poſſimus, vbi nam ſit quęlibet eius pars. Secūda, quòd eius partes habeāt continuitatem, ſcilicet quod habeant partium conſtantiam. Tertia quòd poſitionis partes ſint firmæ, atque cōſtantes, & non labantur, ſed permaneāt, vt aqua currentis fluuij non habet poſitionem partium, quia corrumpitur, & prætereit. Item numerus non habet partium poſitionem, quia non habet conſiſtentiam: nam cum numeramus quinque, exempli gratia vt dicimus vnū, duo, tria, antequā ad quinariū numerū deueniamus, illi numeri ſcilicet vnū, duo, tria euaneſcūt.

Sed primo videtur oriri dubitatio, quoniam vnius rei ſolet eſſe vnica diuiſio, & definitio; ergo male Ariſtoteles diuiſionem duplicem tradit quantitatis.

Reſpondetur, quòd vnius rei non eſt niſi vna diuiſio prima, ſed poſſunt eſſe plures, dūmodo ſequātur per ordinem; exempli gratia, Poſſum diuidere corpus in quatuor elementa, & hæc erit diuiſio prima; deinde poſſum illud diuidere in membra, & erit diuiſio ſecunda; cū dicitur quantitas alia continua, alia diſcreta, hęc eſt prima diuiſio: cum verò dicitur quantitas, alia conſtat ex

A partibus poſitionē habentibus, alia ex non habētibus, hæc eſt ſecunda diuiſio. Quare illa regula, quod vnius rei nō datur niſi vnica diuiſio, intelligit de vnica re, & vnico modo accepta, & ſic vnius rei, & vnico modo acceptæ nō eſt niſi vnica diuiſio, diuerſimode tamen poteſt eſſe multiplex.

Pręterea ſecundo dubitatur, cur quantum, & non quantitatem appellauerit Ariſtoteles, eo maxime, quoniam videtur quantum eſſe ad aliquid de genere ſubſtantiæ.

Reſpondetur, quantitatem aliquam poſſe du-
B pliciter conſiderari, ſcilicet vt cōcretum quoddam eſt, & vt quoddam abſtractum: concretum eſt quātitas in ſubiecto, quod cum ſit notius abſtracto, eo quoniam habet maiorem ſenſibilitatem, & inſcriptiones apponantur gratia manifeſtandi propoſitum: ideo inſcriptum eſt Cap. de Quanto, & non de Quantitate.

Eſt autem diſcretum quidem, vt numerus, & oratio; cōtinuum verò, vt linea, ſuperficies, corpus: amplius
C **autem præter hæc locus, & tempus.**

In hac parte Ariſtoteles exponit membra primæ diuiſionis: & pro intelligentia notandū eſt, quòd continuum differt a diſcreto, quoniam in continuo non datur interuallum; in diſcreto autem datur, ſi deducatur linea a puncto ad alterū punctum, illa dicitur quantitas cōtinua, quia inter illa duo puncta nihil cadit interualli, neque intercapedinis, numerus ternarius eſt quantum diſcretum, quoniam vnitas ter aſſumpta conſti-
D tuit ternarium, numerus iſte eſt diſtinctus, & diſcretus, quoniā conſtat ex partibus, quæ ſunt diſgregatæ, & diſcretæ: tres illæ namque vnitates ſunt diſcretæ, & diſiunctæ. Idē dicatur de quaternario numero, qui eſt quātum diſcretū, quoniam conſtat ex partibus diſcretis, ideſt ex quatuor vnitatibus, quę nulli termino communi copulantur; linea autem, ſuperficies, & corpus non recipiunt interuallum: item tēpus, & locus recipiunt communitatem, quoniam locus eſt continuus reſpectu corporis; tēpus autē reſpectu mo-
E tus; nam tēpus eſt mēſura motus ſecundū prius & poſterius, & habet tres partes, præſens, præteritum, & futurum. Tēpus igitur eſt quātitas continua, quia partes tēporis ſunt præſens, quod eſt actu exiſtens, pręteritum & futurum ad communem terminum tempus copulat partes, nempe ad præſens: actu enim exiſtens tempus eſt terminus communis, qui coniungit & præteritum, & futurum. Cum itaque partes temporis coniungantur alicui termino communi; idcirco tempus eſt quantum continuum.

F Iſtę quinque ſpecies ſub quanto connumeratæ, nempe linea, ſuperficies, corpus, locus, & tempus, ſunt quantitates, quæ recipiunt continuitatem; ergo ſunt quantitates continuæ, & ratio continuationis harum ſpecierum, eſt cauſa communiſſima, quòd partes eiſdem terminis copulentur, & coniungantur: nam diſſignetur li-

nea duorum digitorum, hæc linea habet partes cuidam communi termino coniunctas, ſcilicet puncto; linea enim iſta terminatur duobus terminis; nam duo puncta lineam terminant, alteram lineam incipiens, alteram lineam claudens, & finiens, diuidatur linea iſta in tres partes, adhuc eius partes communi termino copulantur, quoniam eius vnaquæque particula duobus punctis claudetur: punctum ergo eſt terminus communis lineæ, ad quem partes lineæ coniunguntur, & copulantur.

Illa vero eſt quantitas diſcreta, quæ nõ habet terminos coniunctos, neque continuos alicui communi termino.

Sumatur exempli gratia numerus denarius, qui eſt quantitas diſcreta, eius partes erunt, puta ſeptenarius, & ternarius; numerus ſeptenarius non coniungitur alicui termino communi, ſed in proferendo ſeptem vnitates, quæ conſtituũt numerum ſeptenarium, ſingulæ vnitates ſimul atque prolatæ, ſunt diſcreta, & euaneſcunt, & pereunt. Item neque numerus ternarius alicui communi termino copulatur. Eſt igitur numerus quantitas diſcreta, & non continua, quia eius partes non coniunguntur alicui communi termino, ſed diſcretæ, & diſiunctæ ſunt.

Illa verò eſt quantitas continua, quæ habet terminos communes, ad quos copulantur, & cõiunguntur eius partes, ſed iſta quinque poſtrema ſunt ſic, ergo iſta quinque ſunt quantitates continuæ: illa autem, ſcilicet numerus, & oratio non habent communem terminum ad quem copulentur eius partes; ergo ſunt diſcreta.

Sed ſciẽdum, quòd numerus duplex eſt, alius in anima, alius extra animã; numerus in anima eſt ratio ſupputandi, & numerandi, & vocatur à Latinis numerus numerans; numerus extra animam eſt numerus re ipſa conſiſtens, & vocatur à Latinis numerus numeratus, & ſic eſt qualitas.

Oratio etiam ipſa eſt quantitas diſcreta, quoniam eius partes nulli communi termino copulantur, & coniunguntur, & eſt duplex in anima, & extra animã, ideſt explicata per vocẽ, oratio explicata voce hic intelligitur ab Ariſtotele, ad contrarium numeri, de quo ſuperius: nã hic Philoſophus de numero in animam, & nõ de numero extra animã loquitur; ſed non ſic de oratione in anima, ſed voce explicata, vt ore profertur, & hęc non habet continuitatem, quoniã eius partes nulli cõmuni termino copulantur, imo ſeiunctæ, & ſegregatæ ſunt: cum enim proferimus aliquam orationẽ, antequam vltimæ eius ſyllabę exprimantur, priores elapſæ ſunt, & perierunt.

Inſuper notandũ, quòd non temere dicit Ariſtoteles, *Amplius autem præter hæc locus & tẽpus*, eſt enim vſus hoc loquendi modo Ariſtoteles, quoniam quantitas continua duplex eſt, manifeſta, & obſcura: manifeſta ſunt linea, ſuperficies, & corpus; obſcura locus, & tempus: nam tempus non eſt continuum ex ſe, & ſuapte natura, ſed ratione motus, motus autem fit in magnitudine: locus ſimiliter non eſt quantitas continua

A ex ſe, ſed ratione ſuperficiei, quæ dat illi continuitatem, ſicut motus dat continuitatem tempori. Vſus eſt igitur Ariſtoteles hoc dicendi genere, *amplius autem*, vt oſtenderet differentiam inter lineam, ſuperficiem, corpus, & inter locũ, & tempus; nam illa tria ſunt cõtinua ex ſua natura. Hęc vero duo non ex ſe, ſed ratione aliorũ.

Partium etenim numeri nullus eſt communis terminus, ad quem copulentur partes eius; vt quinque, ſi ſunt
B denarij partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque, & quinque, ſed ſemper diſcreta ſunt, & tria, & ſeptem ad nullum cõmunem terminum copulantur, nec omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, ſed ſem-
C per diſcretæ ſunt: quapropter numerus quidem diſcretorum eſt.

Hic declarat Ariſtoteles quę ſit quantitas diſcreta, & dicit, quòd illa eſt quantitas diſcreta, quæ nulli cõmuni termino copulatur, vt numerus denarius eſt quãtitas diſcreta, quoniam eius partes nulli communi termino coniunguntur, ſed diſcretæ, & ſeparatæ ſunt: nam diuidamus numerum denarium in duas partes æquales, in duos quinarios, numerus quinarius nulli communi termino copulatur, ſed per ſe diuiſus, &
D ſegregatus eſt. Rurſus diuidamus numerum denarium in ſeptenarium, & ternarium, adhuc iſti numeri nulli cõmuni termino copulantur. Numerus igitur eſt quantitas diſcreta, eo quoniam partes eius non copulantur alicui communi termino, ſed diſgregatæ, & diſiunctæ ſunt.

Similiter autem & oratio diſcretorũ eſt. Quod etenim quantum eſt oratio, manifeſtum eſt: menſuratur
E enim ſyllaba breui, & longa; dico autem cum voce orationem factã, ad nullum enim communẽ terminum particulę eius copulantur: non enim eſt cõmunis terminus, ad quem ſyllabæ copulentur, ſed vna quęque diuiſa eſt ipſa ſecundum ſe ipſam.

F Hic oſtendit pariter vocem eſſe quantitatem diſcretam, cumq; duæ ſint ſpecies quantitatis diſcretæ, numerus, & oratio, Ariſtoteles nõ probauit numerum eſſe quantitatem, quia hoc perſpicuum erat, cum numerus ſit prima quantitas; ſed probat, quod numerus ſit quãtitas diſcreta, idem nõ facit hoc in loco de oratione, ſed de ea probat, quòd ſit quanta, & quòd ſit quãta diſcreta,

ta,quoniam nó erat ita manifeſtum, orationem eſſe quantitatem,& loquitur Ariſtoteles de oratione in voce,ſicuti voce profertur.

Sed pręaccipiendū,quòd oratio non ſumitur hic pro ea,quæ conſtat ex nomine, & verbo, vt Socrates legit,quomodo accipitur in lib. Perier. ſed hic ſumitur pro qualibet re,quę voce exprimitur; quicquid enim voce profertur, dicitur oratio hoc in loco,& ſic dictio vna pura, vt Socrates eſt oratio.

Quòd oratio ſit quantitas probat hoc argumento,ſcilicet quicquid menſuratur,eſt quantitas; ſed oratio menſuratur, ſcilicet ſyllaba longa,& breui;ergo oratio eſt quantitas.

Cur autem apponatur illa verba, *Dico autem cum voce orationem factam.* Latini duas afferunt cauſas,alteram propriam ipſorum,alteram vſurpant à Græcis.

Prima reſpōſio eſt,quòd oratio eſt triplex,vel in mente,vel in ſcripto, vel in voce. Oratio in mente eſt illa,quæ in anima cōcipitur; oratio in ſcripto eſt,quę ſcriptura explicatur;oratio in voce eſt, quæ ore profertur. Ariſtoteles ergo per illa verba ſignificat ſe ſermonem habere non de oratione mentali,neque de oratione ſcripta,ſed de oratione pronūciatiua,vt voce profertur: & ideo illa verba adiecta ſunt,vt diſtingueret orationem pronuntiatiuam ab alijs duabus.

Alia reſpōſio,quæ ſumitur a Græcis,eſt,quòd Ariſtoteles adiecit illa verba,vt remoueret difficultatem huius particulæ, *Logos*, quæ Græce ſignificat orationem,& ſignificat ſermonē quemlibet. Cū igitur Ariſtoteles Gręce loquatur,quoniam omnia ſua opera Græca lingua cōpoſuit, voluit diſtinguere ipſam vocem,*Logos*,& dicit, quòd loquitur de oratione,quæ voce profertur, vtraque expoſitio poteſt admitti,& parū diſtat.

Linea vero continua eſt;eſt enim ſumere communem terminum, punctum,ad quem partes eius copulentur,& ſuperficiei lineam; plani namque partes ad aliquem communem terminum copulantur. Similiter autē & in corpore habeas ſumere communem terminum,lineam,vel ſuperficiem, ad quam corporis partes copulantur.

Explicat nunc Ariſtoteles quid ſit continua quantitas:& primo dicit, quòd quantitas continua eſt illa, cuius partes communi termino copulantur,vt linea, ſuperficies, & corpus: linea enim eſt longitudo ſine latitudine,quæ ſi in latitudine moueatur,fit ſuperficies, & linea extenditur à puncto ad punctum ſine intercapedine, cuius partes ſunt continuæ, quoniam clauduntur communi termino, videlicet puncto.

Superficies eſt longitudo cum latitudine,quę terminatur à linea,& ipſa terminat corpus;quæ

A ſuperficies ſi in profunditate moueatur, fit corpus:quod quidem eſt quantitas tribus dimenſionibus cōſtans,ſcilicet longitudine, latitudine, & profunditate, cuius partes terminantur à linea,ſiue ſuperficie. Non eſt mirum,ſi ſuperficies terminatur a linea,& ipſa terminat corpus,quoniam aliqua ſunt,quæ terminant, & non terminantur,vt punctus; aliqua,quæ terminantur, & non terminant, vt corpus; quædam verò quæ terminant, & terminantur, vt linea, & ſuperficies.

B Noto etiam,quòd quantitas continua, & diſcreta, ſicut ſunt diuerſæ naturæ, ſic procedunt ratione contraria.

Oſtendo exemplo,Magnitudo continua non poteſt creſcere in infinitum, bene poteſt diminui in infinitū,vt hæc tabella,cui inhæreo, cum hæc Commentaria ſcribo,eo quoniam eſt quantitas continua,idem ſuperficies, vel corpus non poteſt extendi in infinitum, quoniam in plures partes poteſt ſecari,& comminui. Numerus per contrarium,cum ſit quantitas diſcreta, differt à
C continua, quoniam numerus non poteſt diuidi, & diminui in infinitum; poteſt tamen creſcere in infinitum: habebimus enim quinque,decem, viginti,centum,&c. & ſic procedere poterimus in infinitum. Cum igitur continuum,& diſcretum ſint inter ſe diuerſa,procedunt etiam oppoſita ratione.

Reliquum eſt attingere nonnulla,quæ habet Ammonius in digreſſione ſuper hoc loco, Ammonius ibi duo facit.

Primo procedit annotando quæ faciunt ad
D quantitatem exponendam;in expoſitione nihil differt ab expoſitione noſtra. In digreſſione aliud facit; nam diſputat vir ille de termino, & determinato: nam omne corpus finitum eſt; & cum ſit finitum à termino clauditur. Alius eſt ergo terminus ab eo,quod terminatur, quandoquidem non terminos ambo,aut ambo terminata,dicere neceſſe eſt; vel igitur eſt terminus, vel terminatum.

His perſcrutatis eſt intelligendum, cur quan
E titas daretur a Philoſophis. Philoſophi illi rudes,& primi,cum inciperent philoſophari, admirati ſunt dicentes,Res aliæ ſunt per ſe, alię in alio,aliæ ad aliud,& aliæ circa aliud,liber,quem præ manibus habeo, eſt ſubſtantia, quia per ſe ſubſiſtit, color vt albedo iſtius libri non ſubſiſtit per ſe,ſed eſt circa aliud, quoniā albedo eſt qualitas reſpectu ſuperficiei,circa quam eſt;res aliæ ſunt ad aliud, vt ſi non eſſent ſcholares,qui legerent libros,non eſſent libri;ergo libri, & ſcholares ſunt correlatiua;nam libri ſunt, quia habent
F reſpectus ad ſcholares,qui illos legunt;libri ergo ſunt ad aliud; res aliæ ſunt in alio, vt in libro, quem præ manibus habeo, ſunt tres dimenſiones,longitudo,latitudo,& profunditas,iſtę quātitates ſunt in corpore,nempe in hoc libro. Hinc eſt orta conſideratio quantitatis;ſed quia quantitas habebat numerum, ideo orta eſt diuiſio illius,quòd quātitas,alia eſt cōtinua,alia diſcreta.

Dicebant antiqui etiã quòd quantitas diſcreta eſt menſura continui, vt liber quatenus habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, eſt corpus, & eſt quantitas continua, & menſuratura diſcreta; nam vel ſunt duo, vel plures libri; vnum, & duo ſunt quanta diſcreta, quæ menſurant continuum. Liber igitur cadit ſub numero, quia vel eſt vnus, vel plures; ergo diſcretum eſt menſura continui: menſura habet rationem formæ, forma eſt perfectior materia; ergo diſcretum nobilius eſt continuo, ſed prętermittamus quantitatem diſcretam.

Continua quantitas habet quinque ſpecies, lineam, ſuperficiem, corpus, locum, & tempus.

Linea eſt longitudo, & extenſio pũcti ad punctum ſine latitudine: ſic enim Mathematici definiunt eam, & ſic ſeparant eam ab omni materia. Si autem ponamus lineam in materia, hæc definitio de ipſa non verificatur; nam cum primum eſt in materia, ſtatim habet latitudinẽ; ſine enim latitudine non videretur, ſicut euenit duobus pictoribus, qui inter ſe certabant, vterque credẽs alterum excellere peritia illius artis; periculum fit de vtroque, ambo quidem pinxerunt lineam ita exilem, vt vix videretur: volebãt enim pingere ſecundum quod Mathematici definiunt lineam ſine latitudine, & ita inquam exilem, & ſubtilem deſignarunt, vt quaſi inuiſibilis eſſet; afferuntur iſtæ duæ tabellæ in iudicium, in quibus vterque ſuam lineam depinxerat, iudices inquirunt vbi ſint lineæ, neque vnquam eas videre potuerunt, propterea quod admodũ erant exiles, vt fere ſine vlla latitudine eſſent, & ita pictores dimiſſi ſunt, quoniam iudex neſciuit iudicare.

Dat exemplum Ammonius, quòd datur linea in natura, quæ non habet latitudinem, & dat exemplum de linea ſolari, illa terminatio, quæ ſeparat lucidum a tenebroſo, eſt longitudo abſque latitudine.

Præterea ſciendum, quòd duplex eſt pũctum in linea, ſcilicet in actu, & in potentia; punctum in actu eſt punctum lineam terminans, diſtinguens, ac ſeparans, ſicut differentia diſtinguit vnam ſpeciem ab alia; punctum in potentia, eſt punctum continuans partes lineæ ad inuicem, quia inter duas partes ſemper eſt punctum in potentia medius, & iſtud punctum non eſt in fine lineæ, nec in principio, ſed in tota linea vbique per totum; dicitur autem in potentia, vt potentia opponitur actu diſtinguendi, & ſeparandi, non eſſendi, quia vere eſt aliquid poſitiuum exiſtens extra nihil, ſicut partes lineæ habent ſuam entitatem in linea, & ſic apparet quomodo partes lineæ copulantur ad punctum, non in actu, quia illud eſt tantum in fine lineæ, vel in principio, ſed in potentia, quia illud eſt inter quaſlibet partes lineæ continuæ, non vnum numero, ſed plura, non in actu, ſed in potentia, quæ per actionem diuidentis cõtinuum reducuntur ad actũ.

Superficies definitur à Mathematicis, quòd ſit longitudo cum latitudine ſine profunditate,

A Agrimenſores conſiderant ſolum ſuperficiem agri, ideſt longitudinem cum latitudine, non autem altitudinem, ſi ponatur ſuperficies in materia, amplius hæc definitio ſuperficiei non competit, neque de ipſa verificari poteſt, hoc patet in folio paginæ, pagina eſt ſuperficies longitudinem habens latitudinem, & profunditatem; quamuis parua ſit profunditas, nihilominus habet profunditatem, vel ſuperficies eſt longitudo cũ latitudine, cuius extrema ſunt duæ lineæ.

Mathematicus cum conſiderat lineam, conſi-
B derat ſolum longitudinem, cum conſiderat ſuperficiem, conſiderat longitudinem cum latitudine ad partem, ſcilicet leuam, vel dexteram: cum verò conſiderat corpus, conſiderat longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Corpus ſcilicet ſumptum pro trina dimenſione, non pro habente trinam dimenſionem; quia tunc eſſet in prædicamento ſubſtantiæ, & non quãtitatis, gratia exempli, ſi protrahatur filum, eſt linea; ſi creſcat filum, tunc fiet ſuperficies, imaginemur quòd filum fiat tela, erit corpus,
C quoniam erit longum, latum, & profundum.

Si velis cognoſcere quid ſit corpus, ſuſcipe tres calamos, vel tres candelas, appone vnam alteri, & videbis manifeſte, quomodo fiat longitudo, quomodo latitudo, & quomodo profunditas. Hæc ſunt Mathematicæ conſiderationis; quapropter partes corporis copulantur ad ſuperficiem, immediate, & ad lineam mediate.

Sequitur textus.

Eſt autem talium, & tempus, & lo-
D cus; præſens enim tempus copulatur ad prætęritum, & ad futurum.

Si quæramus continuationem huius textus, non erit difficile eam inuenire, nam cœpit Ariſtoteles examinare, quæ quantitates ſint diſcretæ, quæq; continuæ, & inter continuas recẽſuit tempus, & locum, de tribus ſuperius determinauit, ſcilicet de linea, ſuperficie, & corpore. Reſtat nunc vt probet tempus, & locum eſſe ex numero harum quantitatum continuarũ: & oſten-
E dit primo de tempore, & argumentatur hunc in modum. Illud eſt quantum continuum, cuius partes extremæ, & dexteræ & ſiniſtræ coniunguntur cum parte media, ſed temporis partes, quæ ſunt præteritum, præſens, & futurum copulantur cum parte media, nempe præteritum, & futurum cum præſenti: quare tempus eſt quantitas continua.

Sed quis dubitabit, quomodo conſtat, quòd tempus præſens copulet præteritum & futurũ,
F & dicit, quòd præſens eſt illud, quod media ratione procedit inter prętęritum & futurum ſine vlla intercapedine. Vnde dixit Ariſtoteles loco citato 4. Phyſ. quòd de tempore nõ habemus niſi præſens; nam prętęritũ cum elapſum ſit, amplius non eſt, futurũ autẽ adhuc non eſt, præſens tẽpus copulat hoc modo prętęritũ & futurũ; nã prǽſens eſt finis præteriti, & principium futuri.

Rurſus

Rurſus locus continuorum eſt; locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur; ergo & loci partes, quæ obtinent ſingulas corporis partes, ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes, quapropter continus erit locus; ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur.

Vult Ariſtoteles locum eſſe quantitatem continuam, ſed difficilem ratioñe facit, quia recurrit ad ipſam rationem corporis dicēs, omne corpus eſt in aliquo loco, & ſicut corpus non eſt ſine loco, ſic nō eſt locus ſine corpore; digitus manus meæ eſt corpus; habet enim longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Eſt igitur in loco, nam aer eſt locus, qui circumiacet digito, & ſicut poteſt diuidi digitus in tres partes, vt diuidunt Medici, ſic etiam locus diſtinguitur in tres partes, & vna pars aeris ambit vnam, ſecunda aliam, tertia tertiam. Ex hac ratione videtur eſſe eadem continuatio loci locantis corpus, ſicut corporis locati: nam locum quendam partes corporis obtinent, nam manus mea obtinet locum particularem, ideſt aerem ambientē illam, ita pedes, ita caput, & alia membra: aer enim circumiacens pedibus, & capiti, locus eſt. Partes itaque loci copulantur ad eundem terminum, ad quem corporis partes copulantur non immediate, ſed mediate.

Amplius autem alia quidem conſtant ex partibus, quæ in eis ſunt, poſitionem habentibus, ad ſe inuicem; alia autem ex non habentibus poſitionem, vt lineæ quidem partes poſitionem habent ad ſe inuicem, ſingulæ namque earum ſitæ ſunt alicubi, & habeas vnde diſtincte ſumas, & aſſignes vbi ſingulæ ſitæ ſint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur. Similiter autem & partes plani poſitionem habent aliquã: ſimiliter namque aſſignaretur vnaquæque vbi iacet, & quæ copulantur ad ſe inuicem, ſed & ſolidi partes ſimiliter & loci.

Ariſtoteles duas dedit diuiſiones quanti, ſuperius declarauit primam, quæ erat, quòd quãtum aliud continuum eſt, aliud diſcretum, & quanto continuo quinque ſubiecit ſpecies, diſcreto ve- A ro duas; nunc aggreditur ſecũdam diuiſionem, quæ eſt, quod quantum aut habet partium poſitionem, aut partium poſitione caret, & quia dictum eſt ſuperius quod ad poſitionem habēdam requiruntur tres conditiones; prima eſt, vt alicubi ſitæ ſint partes eius; ſecunda, quòd firmæ ſint, & non labantur; tertia, quòd in ipſis poſſimus oſtendere partium continuationem: propterea cum in diſcretis quantis ſcilicet in numero, & oratione non reperiantur hæ conditiones; idcirco non dicuntur eſſe quanta, quæ cōſtent ex par- B tibus poſitionem habentibus. Cum itaque oſtenderit Philoſophus, quod quãta in vniuerſo ſunt ſeptem, ex quibus duo ſunt diſcreta, ſcilicet numerus, & oratio; reliqua verò quinque ſunt continua. Alio modo diuidit Philoſophus, quòd ex his ſeptem quantitatibus, tres non habent partium poſitionem, ſcilicet tempus, numerus, & oratio: quatuor autem habent partium poſitionem, ſcilicet linea, ſuperficies, corpus, & locus: & probat hoc Philoſophus, quoniam hæ quatuor quantitates habent illas tres conditiones poſi- C tioni requiſitas, vt linea eſt quantitas habens poſitionem partium, quoniam eſt alicubi, in aliquo loco. Item remanet firma, nec labitur; tertio habet partium continuationem.

Linea eſt in loco, nãque protrahatur linea, partes lineæ erunt in loco; aliquæ enim erunt anteriores, aliæ poſteriores, aliæ mediæ, aliæ dexteræ, aliæ ſiniſtræ habent firmitudinem, & permanentiam, quoniam non labuntur, neque prætereunt, ſed permanent ſemper. Habent etiam ter- D tiam conditionem, quòd partes lineæ habent continuationem, quia continuant, & copulantur ad punctum.

Superficies etiam ipſa eſt quantitas, cuius partes habent poſitionem; nam ſunt alicubi, nempe in corpore, & eius partes firmæ ſunt, & permanentes, neque prætereunt, quo ad vſque corpus permanet; habent etiam continuationem, quoniam partes ipſæ clauduntur a linea.

Corpus, quod Ariſtoteles vocat ſolidum, etiã ipſum habent partium poſitionem; nam, vt ante- E diximus, omne corpus eſt in loco, etiam eius partes habent permanentiã, & firmitudinem: item habent continuationem, quoniam copulantur ad ſuperficiem.

Dubitatio eſt de loco; nō enim videtur, quòd locus ſit ex his quantis, quæ habent partium poſitionem, cum videatur, quòd loco deſit prima conditio, ſcilicet eſſe alicubi: locus enim non eſt in loco; nam ſi locus eſſet in loco, & ille locus eſſet in loco, & ſic procederetur in infinitũ, quod eſt abſurdum.

F Dicendum tamen eſt locum habere partium poſitionem, quia cætera omnia quanta habent propter ipſum poſitionem, & regula eſt Ariſtotelis, quòd vnumquodque per quod tale, illud eſt maxime tale, ſed locus eſt cauſa, vt cætera omnia quanta habeant partium poſitionem; ergo locus habebit poſitionem. Patet exemplo; nam ignis eſt cauſa, vt homo calefiat; ergo eſt ma-

maxime calidus. Item Sol eſt cauſa, vt omnia ſint lucida; ergo ipſe Sol eſt maxime lucidus. Similiter itaque locus eſt cauſa, vt omnia alia quãta habeant poſitionem; ergo locus maxime habebit poſitionem.

Ad rationem in contrariũ reſpondetur, quod locus eſt in loco per accidens, quia locus ſequitur aliquod corpus; nã locus collocatur in aere tanquam corpus, & ſic patet, quod etiam locus eſt de numero quantorum habentium poſitionem.

Ex verbis Ariſtotelis in textu eliciuntur tres illæ conditiones poſitioni requiſitę, quæ ſunt ſitum eſſe alicubi, habere permanentiam, & continuationem, cum dicit, *ſingulæ namque earum ſitæ ſunt alicubi*, ſignificat Ariſtoteles primam conditionem, quæ eſt vt ſitæ ſint alicubi. Ex illis autem verbis, *vt habeas vnde diſtinctè ſumas, & aſſignes*, colligo ſecundam conditionem, quæ eſt vt partes habeant permanentiam, & digito commoſtrari poſſint. In illis autem, *licet vbi ſingulæ ſitæ ſint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur*, ponit tertiam conditionem, quæ eſt vt partes habeant continuationem.

In numero autẽ non poterit quiſquam oſtendere, quemadmodũ partes eius poſitionem aliquam habent ad ſe inuicem, aut vbi iacent, aut quę partes ad ſe inuicem connectuntur, neque eæ, quæ temporis ſunt; nihil enim permanent partes temporis, quod autẽ non eſt permanens, quomodo poſitionem aliquã habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere, eo quod aliud quidem prius ſit tẽporis, aliud verò poſterius, ſed & in numero ſimiliter, eo quod prius numeratur vnus, quàm duo, & duo quàm tria, & ſic habebunt aliquem ordinem; poſitionem verò non omnino accipies, ſed & oratio ſimiliter; nulla enim remanet partium, ſed dictũ eſt ſimul, & non eſt hoc amplius aſſumere; quapropter non erit ulla poſitio partium eius; ſiquidem nihil permanet: igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtat, alia ex non habentibus poſitionem.

Expoſuit Philoſophus quatuor ſpecies quantitatis, quæ conſtant ex partibus poſitionem habentibus, exponit nunc reliquas quantitates poſitione carentes, quæ ſunt tres; oratio eſt quan- A titas, quæ non habet partium poſitionem, quoniam illi deſunt omnes illæ tres conditiones poſitioni requiſitæ; & primo non eſt alicubi, neque occupat locum, nam ſi vox occuparet locum, in hoc ſtudio, & in hoc thalamo, tot verba, & orationes habitæ fuerunt a nobis, & a clientibus, vt non poſſet dari ingreſſus in ipſum; neque habet oratio ſecundam conditionem, ſcilicet permanentiam, quoniam labitur, & cum primum ore profertur, ſtatim euaneſcit, iuxta illud: *Nequit vox miſſa reuerti*. neque habet continuationem, B quoniam oratio nulli communi termino copulatur, vt ſuperius probatum eſt. Oratio igitur eſt quantitas non habens partium poſitionem, numerus etiam ipſe eſt quantitas non habens partium poſitionem, & intelligitur hic de numero numerante, ideſt in intellectu humano, de ipſa ratione diſſerendi, numeri partes non habent partium poſitionem, quia non ſunt in loco, neque habent permanentiam, quoniam cum numeramus, fluunt numeri, vt dicẽdo vnum, duo, tres, quatuor, priuſquam dicam quatuor, nume- C rus binarius, & ternarius corruptus eſt, neq; habent continuationem, quoniam nulli communi termino coniunguntur.

Tempus etiam habet partes poſitione carentes, quoniam quamuis eius partes habeant tertiam conditionem, ideſt quòd coniunguntur communi termino, deſunt tamen reliquæ duæ, quoniam tempus non eſt in loco; ſi enim eſſet in loco, corpus eſſet; ergo non habent ſitum, nec eſt in loco.

Deeſt etiam in tempore illa ſecunda cõditio, D quoniam eius partes non habent permanentiã, neque firmitudinem; tempus enim continuo labitur more fluentis aquæ: quamquam igitur tempus habeat vnam conditionem poſitioni requiſitam, hoc tamen non ſufficit, quoniam ſi deſunt omnes conditiones, vel vnam tantum, amplius adeſt partium poſitio.

Propterea dicit Ariſtoteles, quòd quamuis hę quantitates, ſcilicet tempus, numerus, & oratio non habeant partium poſitionem, habẽt tamen partium ordinem; ordo autem, vt alibi dixi, eſt E relatio quædam, quæ conſiſtit inter prius, & poſterius; vbi namque non datur prius & poſterius, ibi non eſt ordo. Patet itaque quod habet hic Ariſtoteles.

Primo, quòd tempus habeat partium ordinẽ, quoniã habet prius & poſterius; definitur enim tempus, quod ſit menſura motus ſecũdum prius & poſterius.

Numerus etiam habet partium ordinem, quoniam primum numeramus vnum, duo, tres, quàm quatuor, quinque, ſex, & ſic de alijs nu- F meris.

Item in oratione ſunt prius elementa, poſtea ſyllabæ, deinde dictiones; & in oratione prius eſt ſubiectum, quam prædicatũ, prius exordium, quàm narratio.

Vnde ſciendum eſt, quòd oratio (vt ad propoſitum ſpectat) diſtinguitur à numero, quia nume-

rus

rus eſt menſura diſcretorum permanentiū. Oratio autem diſcretorum ſibi ſuccedentium, diſtinguitur etiam a tempore, quoniam tempus eſt menſura continuorum ſucceſſiuorum; oratio verò diſcretorum. Quia igitur menſura eſt paſſio quātitatis, vt patet 5. & 10. Metaph. ideo numerus, oratio, & tempus, quæ habent ratione menſuræ, ponuntur in genere quantitatis, licet menſurata ponantur in alijs generibus, vt motus, quia menſuratur tempore, ponitur in generibus rerum, ad quas eſt motus, & ſic de alijs. Tempus igitur, numerus, & oratio, licet non habeant partium poſitionem, habent tamen partium ordinem. Sed circa dicta occurrunt quædam dubia.

Primo dubitatur, an quantitas ſit vniuocum genus, & videtur quod non, quoniam continuū, & diſcretum non conſiderantur ab eodem artifice, quoniam continuum a Geometra, diſcretū verò ab Arithmetico conſideratur; ergo cum nulla ſit ſcientia cōſiderans vtrumque, videtur quòd quantitas non ſit vna, & per conſequens ſub ea vniuoce non conueniant.

Cōfirmatur auctoritate Ariſtotelis 1. Perier. quo in loco habet nō eſſe nominatam naturam corporis, & numeri, temporis & lineæ.

Reſpondetur tenendo quantitatem eſſe vniuocum genus, quod non valet hæc ratio, duo ſubiecta non conſiderantur ab eodem artifice; ergo non conueniunt vniuoce ſub eodem prædicamento, quoniam corpus humanum vt ſanabile conſideratur a Medico; elementa verò a Philoſopho naturali, & tamen humanum corpus, vnà cum elementis ſunt in genere ſubſtantię, ſic diſcretum & continuum poſſunt eſſe vniuoce in genere quantitatis; cum tamen à duobus artificibus diuerſis conſiderentur.

Ad confirmationem dico, quòd cum dicit Ariſtoteles non eſſe nominatam naturam corporis, numeri, temporis, & lineæ, negabat naturam illam, quæ conuenit iſtis, conuenire etiam qualitatibus. Et ideo dixit non eſſe nominatam naturam iſtorum, hoc eſt quantitatis, & qualitatis.

Secundo dubitatur, cur Ariſtoteles diuidendo quantum, prius enumerauit quantum diſcretum, quàm continuum, cum continuum ſit perfectus, & perfectior eſt ſcientia, quæ de continuo eſt, ſcilicet Aſtrologia, quàm quæ de diſcreto, vt Arithmetica; videtur etiam quòd prius debuiſſet agere de quanto continuo, eo quoniā vt dici ſolet, quantum diſcretum cauſatur ex diuiſione continui: prius autem eſt id, ex quo aliquid cauſatur, quàm id, quod ex illo cauſatur; tamen in contrarium proceſſit Ariſtoteles, quod etiam fecit 5. Metaph. prius enumerando multitudinem, quæ eſt quantum diſcretum, quàm magnitudinem.

Reſpondetur, quòd etiam aliqua ſcientia de diſcreto reperitur, quæ eſt perfectior ſcientia alicuius continui, vt Arithmetica eſt nobilior perſpectiua: ratio tamen cur proponatur diſcretum

A continuo eſt, quia hic pertractat quanta rerum corruptibilium, quæ ita ſunt a natura diſpoſita, vt prius ſenſui offerantur quanta diſcreta, quàm continua, quia vt plurimu prius multitudo offertur ſenſui, quam magnitudo, & hoc modo diſcretum præcedit continuum, & hoc præſertim in ſenſu viſus.

Vel dici poteſt, quòd diſcretum continuo præponitur, quia eſt naturaliter prius, quoniam etſi diſcretum conſideratum quatenus ex diuiſione continui cauſatur, ſit poſterius diſcreto.

B Tamen ſi conſideretur, quòd omnis ſubſtantia, quæ continua eſt, cadit ſub numero, ſed non omnis ſubſtantia cadens ſub numero eſt continua, hac conſideratione diſcretum antecedit cōtinuum, veluti natura prius. Illa enim vere priora ſunt ſecundum naturam, a quibus nō conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, vt alibi diximus.

Tertio dubitatur an omnis numerus ſit quantitas, & videtur quod non.

Primo, datur vnus numerus hominum, qui eſt aggregatus plurium indiuiduorum, & tamē C homines ſunt ſubſtantiæ; ergo non omnis numerus eſt quantitas.

Secundo, Anima eſt numerus, quia eſt numerus ſe ipſum mouens, & anima eſt ſubſtantia; ergo non omnis numerus eſt quantitas.

Tertio in Angelis, & æternis reperitur numerus, & angeli ſunt ſubſtantiæ; ergo.

Reſpondetur, quòd hic definitur numerus prædicamentalis, vnde duplex eſt numerus, vel numerus numerans, vel numerus numeratus. Numerus numerans eſt duplex, vel eſt anima, D quæ numerat, vel eſt numerus, quo anima numerat, & iſte numerus eſt in anima. Pariter datur etiam numerus extra animā, & talis eſt duplex, vel quo numeramus, vt cadus, modium, ſunt numeri, quibus menſuramus, vel capitur numerus pro numero numerato, vt triticum in modio, vinum in cado, menſuratur, & numeratur, & ſic res mēſuratæ ſunt quoque numerus numeratus.

Præterea res menſuratæ dupliciter conſiderantur, vel materialiter, id eſt pro rebus numeratis, & vt ſunt decem homines, vel formaliter E pro illo numero exiſtente in re numerata.

Tunc ad argumentum dico, quòd decem homines ſunt numerus numeratus, & talis poteſt eſſe ſubſtantia, ſi ſubſtantia numeretur, poteſt etiam eſſe accidens, ſi accidentia numerentur, & ſic conſideratur numerus materialiter.

At numerus formaliter eſt quantitas, cum ſcilicet res numerata formaliter conſideratur.

Ad ſecundum dico, quòd anima eſt numerus numerans, vel dico, & melius, quod anima appellatur numerus, id eſt armonia, & concentus F quidam.

Ad tertium dico, in angelis eſſe numerum numeratum materialiter, non formaliter; & de his non eſt hic ſermo, quoniam ſicut angeli non ſūt in prædicamento, ita nec numero prædicamentali numerantur, ſed tranſcendenti.

Quarto dubitatur; videtur enim quòd numerus

rus

rus non ſit quãtitas diſcreta. Primo, quoniam ex non quantis non ſit quantitas, ſed vnitates non ſunt quantæ, cum ſint indiuiſibiles; ergo numerus ex ipſis conſtitutus non eſt quantitas. Secundo, definitio quantitatis diſcretæ non conuenit numero; ergo numerus non eſt quantitas diſcreta. Conſequentia patet a definitione ad definitũ. Antecedens probatur, quia duo numeri quinarij copulantur ad denarium, quẽ conſtituunt. Tertiò, numerus non eſt ens reale; ergo non eſt ſpecies quantitatis, quæ eſt ens reale. Conſequẽtia eſt nota; probatur Antecedens, quia accidens reale habet vnum ſubiectũ, vt albedo, numerus autem non habet vnum ſubiectum, ſed plura, vt numerus ternarius eſt in tribus ſubiectis, id eſt in tribus rebus numeratis.

Ad primum reſpondetur, cum dicitur ex non quantis non ſit quantitas, concedo, ex non quantis aut actu, aut potentia, ſed vnitates licet non ſint quantæ actu, ſunt tamen quantæ in potẽtia.

Ad ſecundum, cum dicitur, quod duo quinarij copulantur ad denarium, dico quod non copulantur, id eſt non continuãtur, ſed bene aggregantur ad conſtitutionem ipſius.

Ad tertium dicitur, quod numerus eſt vnus ſaltem vnitate aggregationis, per quam vnitatem habet vnum ſubiectum. Et ſi dicas, quòd vnitas aggregationis eſt minima vnitas, eſt enim minor vnitas, quàm ſit vnitas entis per accidens vt habet Scotus.

Reſpondetur, quòd conſiderare vnitates in numeris, contingit dupliciter, nam quædã ſunt vnitates materiales, quædam vero formales. Exemplum in numero ternario ſunt tres vnitates materiales; ex quibus materialiter integratur, & eſt vnitas, à qua numerus ternarius eſt vnus ſpecie, quæ eſt eius forma ſpecifica, vel paſſio conſequens ipſam, & ſic numerus non tãtum habet vnitatem aggregationis, ſed etiam ſpecificam, & tunc

Ad argumentum, quando dicebatur, quòd numerus ternarius non habet eſſe in vno ſubiecto, ſed in tribus, dico quòd illa tria habẽt rationem vnius ſubiecti, reſpectu numeri, quę eſt forma diſcreta, quia hæc eſt ratio formę diſcretę, quòd habeat eſſe in ſubiecto in actu diuiſo in plures part[illegible] non copulatas in aliquo termino communi, & ſic non eſt inconueniens accidẽs diſcretũ, cuiuſmodi eſt numerus eſſe in diuerſis ſubiectis ſecu[illegible]dum ſuas partes; nec propterea numerus diſtinguitur a ſuis vnitatibus, a quibus componitur

Quinto dubitatur, an numerus binarius, cum ſit vnus (ita de alijs dicatur) ſit vnus a prima vnitate, vel vltima.

Reſpondetur, quòd vnitas in numero duplex eſt, vna materialis & intrinſeca, ex qua componitur talis numerus, & ab hac non dicitur vnus; alia eſt vnitas extrinſec[illegible], & formalis, & iſta habetur a ſe[illegible] & a ſu[illegible] propria natura, & a tali dicitur forma[illegible]ter vnus.

Sexto dubitatur, quoniam videtur, quòd nu-

A merus binarius habeat tres vnitates, & nõ duas; quia primam vnitatem appellamus vnum, vel vnam; ſecundam vero nomine duo, ſed duo, & vnum ſunt tria; ergo

Reſpondetur quòd cum ſecundam vnitatem appellamus nomine duo, non eſt hoc quo ad numerum, vt ſit duplex vnitas, ſed quo ad ordinẽ, quia eſt, ſecunda vnitas in ordine poſt primam; idem dicatur de cæteris numeris.

Sed aliquis quæret, an partes numeri ſint partibiles, ad quod reſpondetur, quòd numerus bi-

B narius non eſt partibilis; cæteri verò ſi conſiderentur vt conſtant ex vnitatibus ſic ſunt impartibiles, vt verò conſtant ex numeris, ſic habent partes partibiles, vt denarius, qui ex quinque, & quinque conſtat, ſeu ex tribus & ſeptem.

Septimo dubitatur, an numerus diſtinguatur à re numerata, Reſpondetur, quod numerus materialiter captus, ſcilicet pro numero numerato, non diſtinguitur a re numerata, ſed eſt res numerata; at formaliter captus, vt eſt in re, diſtinguitur a re numerata, ſed non ſubiecto, quia eſt acci-

C dens, quod eſt in re numerata.

Octauo dubitatur, cur Ariſtoteles præpoſuit numerum orationi, Dicitur cũ Ammonio, quod numerum orationi antepoſuit, quoniam per illum orationem metimur. Sic autem metimur, quia oratio eſt aggregatum dictionum, & ſyllabarum, & tale aggregatum capit numerum.

Nec valet, ſi dicas oratio menſuratur breui & longo, quæ ſunt paſſiones quanti continui; ergo non menſurantur in numero: quoniam reſpondeo, quod longum & breue poſſunt bifariam ſu-

D mi, vno modo pro paſſione longitudinis, & ſic capitur 5. Metaphyſicæ, & hoc modo non competunt orationi. Alio modo capiuntur pro multo & pauco, quę ſunt paſſiones diſcreti, & ſic capitur hic, quoniam ſyllabæ longæ ſe habent vt duo breues; at vnum & duo ſunt numeri.

Nono dubitatur, quoniam videtur, quòd oratio non ſit quantitas diſcreta, quoniam longum & breue 5. Metaphyſicę cap. de quanto, ſunt per ſe paſſiones quanti, id eſt longitudinis, ſed longitudo eſt quantitas continua; ergo oratio cum

E habeat longitudinem, eſt per ſe quantitas continua.

Reſpondetur, vt dictum eſt ad octauum dubium, quòd longum & breue poſſunt bifariam capi, vno modo pro paſſione longitudinis, & ſic ſumuntur 5. Met. & hoc modo non competunt orationi. Alio modo capiuntur pro multo & pauco, quæ ſunt paſſiones diſcreti, & ſic ſumuntur hic.

Vnde notandum eſt, quòd oratio hac ratione

F dicitur quanta, quia habet ſyllabas longas, vel breues: at ſyllabæ longæ & breues ita ſe habent, ſicut duo ad vnum, longæ ſe habent vt duo breues, duo breues vt vna longa; vnum autem & duo pertinet ad numerũ, qui eſt qualitas diſcreta, & ſic Ariſtoteles non capit longum & breue proprie, ſed tranſumptiue, ſicut nec Grammatici, ſed pro multo & pauco.

Decimo

Decimo dubitatur, quoniam videtur, quòd A oratio non ſit diſcreta, ſed continua; nam eſt in vſu hic modum dicendi, Socrates eſt eloquentiſſimus Orator; habuit enim hoc mane perfectam & cõtinuam orationem; ergo videtur, quòd oratio ſit continua. Secundo, ſicut præſens copulat præteritum, & futurum, ita narratio vnit exordium cum epilogo; ergo oratio eſt continua. Tertio, Cicero eſt nomen, & videtur eſſe continuum, quia ſyllabæ coniunguntur ad ſignificandum eſſentiam Ciceronis; ergo.

Reſpondetur ad primum, quod quando di- B cimus, quod aliquis Orator habuit elegantem & continuam orationem, ſenſus eſt, non quod oratio ſit ex numero quantitatis continuę, quia hoc falſum eſt; ſed ſenſus eſt, quòd ille Orator habuit orationem continuam, id eſt ſine vllo temporis interuallo.

Ad ſecundum dicitur, quòd orationi deficit vna conditio, quæ requiritur quantitati continuæ, quæ eſt habere terminum communem.

Ad tertium dicitur, quòd illa debet vocari coniunctio, & non continuatio; nam ſi eſſent C continuæ iſtæ tres ſyllabæ Ci, ce, ro, ſequeretur, quòd aliquæ ipſarum non poſſet accommodari alteri dictioni; ſed hoc eſt falſum, quoniam videmus, quòd quamuis Ci, ſit principium huius dictionis Ciceronis, eſt etiam principium huius dictionis cito. Sunt igitur hæ ſyllabæ non continuæ, ſed coniunctæ.

Vndecimo dubitatur, in quo prædicamento ſit oratio, Reſpondetur, quòd oratio triplex eſt, vocalis, ſcripta, & mentalis. Vocalis eſt in illo prædicamento, in quo eſt ſonus: vnde notan- D dum, quòd nomina, verba, & orationes, vt ſunt ſoni, ſunt in prædicamento qualitatis, quia ſonus eſt in prędicamento qualitatis, in quo etiam ſunt qualitatis audibiles. Vt verò menſurantur ſyllaba breui & longa, ſunt in prædicamento quantitatis. Oratio ſcripta ſi ſumatur pro tanta ſuperficie, vel longitudine characterum eſt quãta continua: ſi verò capiatur pro multitudine characterum eſt quanta diſcreta, ſi pro illa figuratione, vel deſcriptione, ſiue deſignatione capiatur, eſt de quarta ſpecie qualitatis. E

Oratio mentalis ſi capiatur vt eſt paſſio animæ, & vt eſt conceptus, ſic eſt qualitas, vel habitus, vel diſpoſitio: ſi autem capiatur vt eſt diſcurſus tempore diſcreto prolatus, tunc eſt diſcreta; diſcurſus enim fit in tempore a nobis, & vt partes intrinſecus prolatæ, non copulantur vni termino, ſic eſt diſcreta. Ariſtoteles tacuit mentalem, & ſcriptam, quoniam ex vocali iſtas accipere valeamus.

Duodecimo dubitatur, quoniam Ariſtoteles F 5. Metaphyſicæ non poſuit orationem inter ſpeciem quantitatis; ergo non eſt quanta.

Reſpondetur, quòd rationem ſatis expreſſit ponendo duas ſpecies quantitatis, ſcilicet multitudinem, & magnitudinem; quoniam per multitudinem non ſolum intellexit numerum, qui eſt menſura diſcretorum permanentium, ſed etiam orationem, quæ eſt menſura diſcretorum ſibi ſuccedentium.

Decimotertio dubitatur, an linea & ſuperficies ſint quanta continua, & videtur quod non; quoniam linea curua, vel recta, eſt in prędicamẽto qualitatis; ergo non ſunt quanta continua.

Reſpondetur, quòd linea & ſuperficies ſunt quantitates ſumẽdo illas pro magnitudine; ſunt tamen qualitates, vt quædam formæ & figuræ; nam linea ſi conſideretur vt longa ſine latitudine eſt quantitas; ſi verò cõſideretur vt recta, vel curua, eſt qualitas. Item ſuperficies eſt quantitas quatenus ſuperficies, in eo verò, quod eſt plana, ad qualitatem referenda eſt.

Decimoquarto dubitatur, an linea & ſuperficies ſint quantitates per ſe, & ſpecies quantitatis ab inuicem diſtinctæ, & videtur quòd non; quoniam omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi adæquatum; ſed linea & ſuperficies nõ ſunt huiuſmodi, quia non datur aliquod ſubiectum, habens tantum vel latitudinem, vel tantum longitudinem, vel tantum profunditatem; ergo linea, & ſuperficies non ſunt quantitates ab inuicem diſtinctæ.

Reſpondetur, quòd quantitas hic conſiderata, ab intellectu conſideratur: intellectus namque ſeparat has ab inuicem, licet non ſint vnquã diſtinctę ſubiecto, & licet naturaliter vna non ſit ſine alia ſubiecto, re vera tamen formaliter diſtinguuntur, ſicut etiam dulcedo, & albedo, ſunt naturaliter in lacte, tamen formaliter diſtinguũtur, ita iſtæ tres dimenſiones ſunt ſimul, & corpus nõ reperitur ſine aliqua iſtarum, non tamen valet; ergo non ſunt ſpecies diſtinctæ, quia accidentia ſunt in ſubiectis, & quædam ſibi commune ſubiectum determinant, diſtinguuntur tamẽ ſpecifice & formaliter.

Decimoquinto dubitatur, cur prius de linea, quam de ſuperficie, & corpore egerit Ariſtoteles.

Reſpondetur, quòd ſeruat ordinem à ſimplicioribus, præſertim quoniam hæc ita ſe habent, quòd vnum præſupponit aliud; nam corpus eſt compoſitum ſuperficie, & ſuperficies linea, quia habet duas lineas.

Decimoſexto dubitatur de termino partium lineæ, qui eſt punctum, an ſit formaliter in linea an per imaginationem.

Reſpondetur, quòd linea cauſatur ex fluxu puncti, & extrema actu ſunt duo puncta; in medio autem, id eſt inter extrema puncta, ſunt puncta per deſignationem per totam lineã, ita quod ibi ſunt potentia, non actu, & dicitur potentia ineſſe, quia ſi diuidatur linea, ibi ſunt duo puncta; eſt verò vnum per deſignationem, & imaginationem noſtram.

Decimoſeptimo dubitatur, nam dixit Ariſtoteles, quòd linea, & ſuperficies ſunt termini corporis, & adhuc ſunt partes corporis, cum corpus conſtet ex trina dimenſione; ergo idem eſt copula, & copulatum.

Reſpondetur, quòd partes corporis ſunt profunditates, termini verò corporis ſunt linea, vel ſuper-

ſuperficies; ita dicitur, quòd partes ſuperficiei A
ſunt latitudines, terminus eſt linea, ita partes li-
neę ſunt longitudines; terminus verò eſt pun-
ctum, & hoc patet per Ariſtotelem 5. Metaph.
cap. de quanto, vbi dicit, profunditas eſt corpus,
latitudo eſt ſuperficies, & ſic idem non eſt copu-
la, & copulatum.

Et ſi quis dicat, ſi corpus actu habet ſuperficiẽ
pro termino, cur linea actu punctũ non babebit?

Rſpondetur, quòd nõ eſt par ratio, quia linea
ſupponit punctum potentia, quia iam facta eſt
ex fluxu puncti, qui fluxus eſt continuus, ſcilicet B
& diuiſibilis.

Decimooctauo dubitatur in quo differat defi
nitio data de continuo hic, cum illa, quæ datur
ab Ariſtotele 1. cœli vbi definiens continuum,
dicit, *continuum eſt, quod eſt diuiſibile in ſemper diui
ſibilia*: bic verò dicit *continuum illud eſt, cuius par-
tes copulantur ad vnum terminum communem*, non
cõmunẽ per definitionẽ, ſed per continuationẽ.

Reſpondetur, quòd definitio data in 1. cœli
ſupponit hanc, quæ hic datur, quoniam niſi con-
tinuum baberet partes copulatas, non poſſet di- C
uidi in partes diuiſibiles, vnde 5. Metaph. cap. de
quanto, dicit Ariſtoteles, multitudo eſt, quæ po-
tentia diuiſibilis eſt in nõ continua; magnitudo
verò quæ in continua diuiſibilis eſt. Hic autem
definit continuũ quo ad partium conſtitutione,
quia hoc eſt de ratione continui, & eſt quaſi paſ-
ſio continui. In hac tamen definitione ſubintelli
gitur illa, quæ datur 1. cœli: in illa verò ſubintel
ligitur bæc, quæ bic traditur ab Ariſtotele.

Vnde notandum eſt, quòd continuum poteſt
tripliciter definiri, vel per relationem ad motũ, D
& ſic definitur 5. & 10. Metaph. quod continuũ
eſt vbi motus vnus eſt, vel per relationem ad di-
uiſionem, & ſic definitur loco citato 1. cœli, & 3.
Phyſic. quòd ſit diuiſibile in infinitũ, vel per rela
tionem ad compoſitionem, vt hoc in loco.

Sed dicet aliquis, quæ eſt eſſentialis definitio?
dico, ꝙ bęc, quæ hic datur, eſt aſſignata quaſi per
materiam ea, quæ 1. cœli datur quaſi per formã.

Decimonono dubitatur, corpus eſt generaliſ-
ſimum in ſubſtantia; ergo non poteſt eſſe ſubal-
ternum quantitatis. E

Reſpondetur, quòd poteſt corpus dupliciter
conſiderari, vno modo pro corpore trinæ dimẽ-
ſionis, & ſic eſt de genere quanti. Alio modo, pro
eo, quod ex materia & forma generatur, & ſic
eſt de genere ſubſtantiæ.

Vigeſimo dubitatur an locus ſit quantus per
ſe, reſpondetur, quòd locus eſt quantus ratione
corporis, quia locus ex ſe non habet continuatio
nem, cum ſit terminus, & vltimum corporis am-
biẽns, & hic ratione corporis locus eſt cõtinuus.

Et ſi quis diceret, locus eſt ſuperficies; ergo erit F
continuus ex ſe; reſpondet Ammonius, quòd lo-
cus eſt terminus corporis ambienns, & quatenus
eſt terminus corporis ambientis, dicitur ſuperfi-
cies, & non locus, & ſic continuus eſt ex ſe: quate
nus verò ambit, dicitur locus, & hoc modo dici-
tur continuus ratione corporis.

Vigeſimoprimo dubitatur, nam dicit Ariſto-
teles locum eſſe quantitatem habentem poſitio-
nẽ partium. Contra, habere poſitionem partiũ,
eſt alicubi locari; ergo locus locabitur in loco,
quòd eſt falſum.

Reſpoudetur ad hanc difficultatem, vt ſupra
etiam dictum eſt, quòd id quod per ſe primo eſt
in loco, eſt corpus, 6. Phyſic. At eodem modo,
quo linea & ſuperficies dicũtur ab Ariſtotele eſ-
ſe in loco, ita & locus cum ſit ſuperficies, dicitur
eſſe in loco: ea verò dicuntur eſſe ſita alicubi ra-
tione corporis, quòd per ſe primo dicitur eſſe in
loco, quando locus habet poſitionem partiũ mo
do, quo linea & ſuperficies habent illam, quia lo-
catur ratione ſubiecti corporis: quapropter dici-
tur, quod Ariſtoteles capit eſſe alicubi vel per ſe,
vel ratione alterius, puta ſubiecti, vel corporis.

Pręterea locus eſt in prædicamento vbi; ergo
non eſt in prædicamento quantitatis, cum prędi
camenta ſint in permixta, vt habetur 1. Poſter.

Reſpondetur, quòd locus captus pro ſuperfi-
cie locante, vt locat, atque continuitatem habet
a corpore, & abſolute vt eſt locus, non reſpicien
do aliquid, nec aliquam differentiam loci eſt in
prædicamento quantitatis.

Eſt verò in prædicamento vbi, quando ſignifi
cat ſubſtantiam locatam, ſecundum talem diffe-
rentiam loci, vt eſſe in foro, nam forum non dici
tur ſolum illa vltima ſuperficies, quæ circundat
ſubſtantiam.

Vigeſimoſecundo dubitatur, quoniam proba
uit Ariſtoteles orationem eſſe quantitatem per
hoc quia menſuratur: videtur enim quod falſum
ſit, quòd illud, quod menſuratur, ſit quantitas; nã
cum tempus ſit omnium menſura, omnia ſublu-
naria tempore menſurãtur; ergo omnia ſubluna
ria ſunt quantitates, quod eſt falſum.

Reſpondetur, quòd tempus omnia mẽſurare
dupliciter contingit, vel ratione interna, vel ex-
terna, & accidentali: oratio autem menſuratur
tempore ratione intrinſeca; & de hac loquitur
Philoſophus, quod quicquid menſuratur ſcilicet
ratione intrinſeca quantitas eſt, nõ autem ratio-
ne extrinſeca, & ſic nihil officit, quod ſubluna-
ria menſurentur tempore per accidens, & ratio-
ne extrinſeca, quoniam de bac menſurationę nõ
eſt ſermo.

Vigeſimotertio dubitatur, quoniam dictum
eſt, *quòd tempus eſt quantitas continua, non babens
partium poſitionem*, occurro buic ſententiæ, argu
mento ſumpto ab Ariſtotele 5. Metaph. cap. de
quanto; nam loco illo 5. Metaph. repetit decem
prædicamenta, licet alia ratione, dum illic age-
ret de quanto dixit, quod tempus non eſt quan-
titas per ſe, ſed beneficio motus.

Tunc argumentor ſic, tempus eſt quantitas
propter motum; ergo eſt quantitas accidentalis,
quoniam eſt beneficio alterius: dicit enim Ari-
ſtoteles in boc. cap. quòd illud eſt quantum per
accidens, quod eſt per aliud, vt oratio mea eſt
quanta propter tempus, quo menſuratur, puta
per horam; ergo tempus eſt cauſa, vt oratio ſit

quanta,

quãta, ſic tempus eſt quantum propter motum; ergo quantum per accidens; ergo male dixit Ariſtoteles, quòd tẽpus eſt quantum cõtinuum, nam deberet locari ſub quanto per accidens.

Secundo vlterius dicit Philoſophus, quòd tempus eſt quantum propter motum; ergo motus eſſet maxime quãtum; nam 1. Poſter. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Cum igitur Ariſtotels non agat de motu, videtur quòd fuerit diminutus.

Ad primum reſpondetur, quòd tempus eſt quãtum propter motum, ergo eſt quantum per accidens. Notandum eſt, quòd iſtud præceptum, videlicet illud, quod eſt tale per aliud, eſt tale per accidens, debet intelligi cum limitatione quadam, tunc verum eſt, quòd illud per accidens eſt quod fit ex alio, quando illud, quòd cauſat aliud, non eſt de eſſentia primi; quando vero eſt de eſſentia primi, non eſt verum præceptum.

Vnde ſi dicamus homo viuit propter animal; ergo homo eſt per accidens viuens: hoc abſurdũ eſſet dictu. Item ſi dicamus, tempus eſt quantum propter motum; ergo tempus eſt quantum per accidens, falſum eſt, quoniam motus eſt de eſſentia temporis: ponitur enim in eius definitione, & ſic formaliter ad argumentum negatur conſequentia, quoniam motus eſt de eſſentia temporis. At Ariſtoteles loquitur de ijs, quæ non ſunt de eſſentia primi.

Ad ſecundum, tempus eſt quantum propter motum; ergo motus eſt magis quantus; ergo male fecit Ariſtoteles, qui de ipſo motu nullam mẽtionem fecit.

Primo nonnulli reſpondent, quòd motus eſt quantitas indefinita, & eſt in quatuor prædicamentis, videlicet in prædicamento ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, & vbi. Quia igitur motus eſt communis pluribus prædicamentis, idcirco non eſt ſibi vendicare locum proprium. Hæc ſolutio eſt ſatis apparenter excogitata, verùm neſcio, an ſit vera.

Ideo ex opinione Commentatoris aliter reſpondeo, quòd motus a Phyſicis ſumitur vel pro fluxu formæ, vel pro forma fluente, quando accipitur motus pro forma fluente; ſic verum eſt, quòd eſt communis, & eſt in illis quatuot prædicamentis; ſed quando capitur pto fluxu formæ, ſic occupat ſolum vnum prædicamentum, imò eſt ſola quantitas. Accepto itaque motu pro fluxu formæ, cur Ariſtoteles prætermiſit illum, & nihil de eo tractauit, dicetur, quòd Ariſtoteles nullam babuit mẽtionem de motu, quia hic agitur de ijs quantitatibus, quæ menſurantur proprijs partibus, vt linea, ſed motus menſuratur à tempore, aut a magnitudine, in qua fit motus; ergo non menſuratut ex ſe; & ſic intentio Ariſtotelis non eſt agere de ipſo, quoniam loquitur de ijs quãtitatibus, quæ menſurãtur proprijs partibus.

Tertio mihi videtur poſſe reſponderi, quòd Philoſophus non eſt hic diminutus, nam in 5. Metaph. tractat de tempore & motu, ut oſtẽdat, quomodo ſunt quantitates per accidens. Hic au-

A tem ponit tempus inter ſpecies quantitatis, non autem motum, quia tẽpus formaliter importat quantitatem quam motus, cum ſit eius menſura; motus autẽ formaliter eſt actus imperfectus, ſeu forma in fluxu, ſecundũ Ariſtotelẽ 3. Phyſic. & ideo ponitur ibidẽ in eodẽ genere cum rebus, ad quas eſt motus, quia tamen in acquiſitione eius formæ, quæ per motum acquiritur, eſt ſucceſſio, & continuitas; ideo quo ad hoc motus reductiue poteſt poni in eodem genere cum tempore, cum ſit eadem quantitas realiter vtriuſque. Non B eſt autem inconueniens, ſi aliqua in aliquibus libris ommittat, & illa in alijs exprimat, maxime cum ommiſerit motum, quia illum ſub tempore comprehendit Philoſophus.

Vigeſimoquarto dubitatur, quia dixit Ariſtoteles, quod tempus eſt quantum cõtinuum, quia præſens tempus copulatur ad præteritum & futurum; ergo copulatur ad duos terminos, quòd eſt contra id, quod dixit, quòd continui partes copulantur ad vnum terminum. Secundo dixit continuũ habere partes copulatas. At pręſens tẽ C pus eſt inſtãs, & indiuiſibile; ergo caret partibus.

Reſpondetur, quòd cum Ariſtoteles dixit, pręſens tempus copulari ad pręteritum & futurum, idem eſt ac ſi dixiſſet (vt ait Pophyrius) quòd præſens tempus coniungit præteritum cum futuro, ſicut enim futuri nunc eſt initium, ita & finis erit præteriti.

Vigeſimo quinto dubitatur, quomodo tempus habeat partes, ſi verum eſt quod dixit Ariſtoteles, quod tempus non habet niſi nunc, & inſtans, 4. Phyſic. quod eſt indiuiſibile; ergo tem- D pus non habet partes.

Reſpondetur, quòd partes temporis ſunt præteritum & futurum, quæ ſunt in anima, & extra animam non habet niſi nunc; & illa quæ ſunt in anima coniunguntur per inſtans, & præteritum & futurum dicuntur eſſe in anima, quia iam præterijt illud; hoc verò nondum eſt. Et ſi quis quæret, quomodo quod eſt in anima iungitur per id, quod eſt extra animam alteri exiſtẽti in animæ: reſpondetur ob id, quia illa, quæ ſunt in anima, E habent a re, quod fuerint, vel ſint futura.

Vel reſpondetur ſecundo, quòd tempus dupliciter conſideratur, vel conſideratione logicali, vel naturali. Primo modo habet tres partes: ſecũdo modo habet ſolum inſtans, & ſic locutus eſt Ariſtoteles 4. Phyſic.

Vigeſimoſexto dubitatur, cur dixit Ariſtoteles in textu *præter hæc autem locus, & tempus.*

Reſpondetur, quòd hoc dixit hac de cauſa, quia ſuperficies & linea ſunt coniuncta corpori; at locus & tẽpus extrinſecus corpus inſequũtur.

F Vel reſpondetur ſecũdo, quòd hoc dixit, quia locus & tempus habent continuitatem ab alio, non ſic linea, ſuperficies, & corpus.

Vigeſimoſeptimo dubitatur, quoniam dixit Ariſtoteles, quod tempus eſt quantum per ſe, ſed oppoſitum habetur 5. Metaph. vbi dicit tempus eſſe quantum per accidens, quia eſt quantum ratione motus, & motus ratione ſpatij, vnde ibidẽ

appellat

appellat tẽpus,& motũ eſſe quanta per accidens.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles hic illud appellat quantum per ſe, quod eſt formaliter quantum;ratione cuius aliud dicitur formaliter quantum,ſic tempus eſt quantum per ſe, quia ratione illius motus ſecundum menſuram dicitur quantus;nam tempus eſt menſura motus.

At 5.Metaph.conſiderat quantũ per ſe,quòd nullo modo eſt ratione alterius formaliter quantum, & ſic ibi enumerat tãtum magnitudinem, & numerum, & alio modo appellat quãtum per ſe hic alio modo 5.Metaph.

Vigeſimooctauo dubitatur,tempus eſt in prædicamento quando; ergo non eſt in hoc prædicamento.

Reſpondetur, quod tempus ſi conſideretur abſolute vt eſt continuum,eſt in prædicamento quantitatis: ſi verò conſideretur res ſecundum has differentias temporis, vt ſit in tempore, vel præſenti,vel præterito,vel futuro,ſic eſt in prædicamento quando.

Vigeſimonono dubitatur, poſitio eſt vnum prædicamentum per ſe; ergo non eſt in prædicamento quantitatis.

Reſpondetur, quòd eſſe in prædicamento poſitionis vel ſitus, eſt eſſe in aliquo loco ſecũdum has differentias, vt recumbere, quod eſt habere totum corpus reclinatum; vel ſedere, quòd eſt habere partim corpus reclinatum, & partim erectum; vel ſtare, quòd eſt habere totum corpus erectum.

At poſitio eſt in prædicamento quantitatis, quando aliquid ſitum eſt abſolute,alicubi,vel ſupra,vel infra,vt digito mõſtrari poſſit, ita vt partes maneant,& ſint copulatæ, ac totæ ſimul exiſtẽtes,ſiue ſint in loco per ſe primo,vel per aliud.

Trigeſimo dubitatur,an quantitas ſit accidẽs abſolutum,& videtur quòd non, quia omne accidens,vt accidens,accidit;ergo omne accidens reſpectiue conſideratur. In oppoſitum eſt quod communiter dicitur,quòd quantitas,& qualitas dicuntur entia abſoluta.

Reſpõdetur,quòd omne accidens in eo,quod accidẽs eſt,reſpectiuum eſt,quia refertur ad ſubſtantiam.At ſunt aliqua,quæ conſiderantur in eſſe proprio,& in ſe primario; ſecundario verò reſpectu ſubiecti ad aliud conſiderantur,vt eſt quãtitas & qualitas. Aliqua verò ſunt quę totum id, quod ſunt,& ſecundum proprium modum aliorum eſſe dicuntur, vt pater. Quantitas ergo & qualitas habent aliquam notionem abſolutam, & aliquam reſpectiuam, & vtraque ſimul complent totam rationem quiditatiuam eorum, ſic eſt & ſubſtantia,quæ prius ad ſe intelligitur, deinde refertur ad alia.

Trigeſimoprimo dubitatur,cum duplex ſit quantitas,alia molis, alia virtutis, cur non dedit huiuſmodi diuiſionem.

Reſpondetur,quia ſermo ipſius eſt tantummodo de quantitate molis,non autem virtutis.Quãtitatem molis intelligo quantitatem ſecundum magnitudinem,vel multitudinẽ, quæ eſt quantitas molis,vt lignum, lapides dicuntur eſſe quanta. Huiuſmodi quantitate quantitatem virtutis appello, quantitatem in perfectione ; vnde ſolemus dicere,iſte eſt maximus vir,id eſt in virtute, potentia,robore,ſapientia, prudentia ,& breuiter ſecũdum perfectionem vel intrinſecam , vel extrinſecam.

A Proprie autem quanta hæc dicuntur ſola , quæ dicta ſunt ; alia verò omnia ſecundum accidens : ad
B hæc enim aſpicientes , & alia dicimus quanta, vt multum dicitur album , eo quod ſuperficies multa ſit ; & actio longa,eo quod tempus multum ſit, & motus multus : neque enim horum ſingulum per ſe quantum dicitur, vt ſi quis aſsignet quan-
C ta actio eſt , tempore definiet annuam,vel ſic aliquo modo aſsignans, & album quãtum quid ſit aſsignans, ſuperficie definiet;quanta enim fuerit ſuperficies , tantum album eſſe dicet ; quare ſola proprie eſt, & ſecundum ſe ipſa dicuntur quanta,quę dicta ſunt: aliorum verò nihil per ſe,
D ſed ſi forte per accideus.

Continuatio textus eſt iſta,diuiſerat Philoſophus quantitatem;primo,in cõtinuam,& diſcretam;ſecundo, quantitas alia conſtat ex partibus poſitionem habentibus ,alia ex non habentibus poſitionem. Declarauit quantitates eſſe ſeptem, numerus, oratio, linea , ſuperficies, corpus, locus ,& tempus ; quarum duæ , nempe numerus, & oratio ſunt diſcretæ, aliæ quinque ſunt continuæ:inſuper harum, quatuor conſtant ex parti-
E bus poſitionem habentibus,vt linea, ſuperficies, corpus,& locus; tres verò non habent poſitionẽ partium,numerus,oratio,& tempus.

Modo quia quis poſſet quærere nunquid vltra poſita quanta ab Ariſtotele dentur & alia ; nunc accedere videtur ad tertiam diuiſionem , quæ eſt, quòd quantitas alia eſt per ſe, alia per accidens; quantitates per ſe ſunt ſeptem nominatæ, videlicet numerus,oratio,linea,ſuperficies, corpus, locus,& tempus,quoniam ſunt quantitates proprię ſimpliciter dictæ, & quæ menſurantur
F ſuis partibus,& ſic ſunt quanta per ſe ; quantitates per accidens ſunt,quæ non menſurantur ſuis proprijs partibus,ſed menſurantur ex alio, vt ſolemus dicere multam albedinem,ſic lectio iudicialis proceſſus dicitur multa, quoniam menſuratur non ex ſe,ſed a tempore: dicimns enim lectionem eſſe vnius horæ, vel duarum. Lectio igitur cum ſit actio,& menſuretur ex alio,eſt quantitas

titas per accidens. Item albedo dicitur longa, & multa non ex ſe, ſed ratione ſuperficiei in qua eſt, quoniam ab ea menſuratur. Albedo igitur erit quantitas per accidens, quoniam menſuratur a ſuperficie: quanta enim erit ſuperficies, tanta etiam erit albedo ſecundum alios. Dicit Ariſtoteles, quòd album, motus, & actio, quamuis connumerentur inter quanta, & menſurentur, non tamen ſunt quanta, ſed ſi ſunt, ſunt per accidens, quoniam alterius beneficio ſunt quanta, vt album eſt quantum propter ſuperficiem, & actio propter tempus, quo menſuratur, vt dicimus, lectionem proceſſus iudicialis eſſe vnius horæ, quoniam in hoc legendo vnius horæ tempus impenditur. Itẽ motus eſt multus, paucus, beneficio tẽporis; motus enim eſt quantitas vel per magnitudinem, vel per tẽpus, in quo fit motus.

Et propterea Ariſtoteles iure merito ponit motum inter quantitates per accidens; non autem voluit recẽſere illum inter illas ſeptem ſpecies quantitatis, quæ per ſe ſunt quãtitates, quoniam motus non menſuratur proprijs partibus, ſed aut tempore, aut magnitudine, in qua eſt; ergo iuſta de cauſa Ariſtoteles mentionem non facit de ipſo.

Ex dictis colligitur vna diſtinctio, quòd quantitas, alia per ſe, alia per accidens eſt; albedo eſt quantitas per accidens, quoniam eſt propter ſuperficiem, & ſic de alijs duobus, motu ſcilicet & actione.

Nec obſtat ſi quis diceret, quòd regula eſt, quòd qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur; ergo albedo cum ſit quantitas per aliud, videtur etiam quòd ſit per ſe: nam verbum, *videtur*, non denotat exiſtentiam realem, ſed apparentiam quandam.

Primo dubitatur, quoniam hic dicit Ariſtoteles, motum eſſe quantum propter tempus: oppoſitum habetur 5. Metaph. vbi dicit, tempus eſſe quantum propter motum.

Reſpondetur primo, quòd reſpectu diuerſorum tempus eſt quantum ratione motus, & motus eſt quantum ratione temporis; nam motus eſt quantus propter tempus in ratione menſuræ; at tempus eſt quantum ratione motus, quatenus eſt diuiſibile propter motum.

Secundo, & iudicio meo melius, & verius reſpondetur, quòd hic non dicit Ariſtoteles motum eſſe quantum propter tempus, ſed dicit actionem eſſe longam propter tempus, & motum, quia tempus multum eſt, & motus multus, idcirco actio dicitur longa.

Secundo dubitatur, quia dixit Ariſtoteles, quòd actio dicitur multa propter tempus, vel propter motum; actio eſt motus, quomodo ergo dicitur eſſe multa propter tempus, & motum? vel quomodo dicitur, motũ eſſe lõgum propter tempus? Idem enim videtur repetere, quomodocumque ille locus exponatur, videtur contradictio.

Reſpondetur, quòd per actionem capit pugnam, vel bellum, & ſimilia. Per pugnam capit transmutationem, quæ fit ad quantitatem, quali tatem, & vbi. Vel Reſpondetur, quod capit actionem pro motu, vt eſt in prædicamento actionis, & capit motum pro duratione quadã.

Amplius autem quanto nihil eſt contrarium; in definitis enim manifeſtum eſt, quòd nihil eſt contrarium, vt bicubito, vel tricubito, vel ſuperficiei, vel alicui talium: nihil enim illis eſt contrarium.

Nunc tranſit ad tertium principale propoſitum. Cum enim Ariſtoteles in hoc capite declarando, tribus inſtrumentis vtatur, diuiſione, deſcriptione, & proprietatibus, & diuiſerit quãtitatem, & illarum diuiſionum membra expoſuerit, modo reſtat eius proprietates recenſere, vnde ipſius quantitatis tres enumerat proprietates: prima, quòd quantitas non habet contrarium: ſecunda, quòd non ſuſcipit magis & minus: tertia, quod æqualis & inæqualis dicitur: iſtarum proprietatum duæ priores non ſunt veræ proprietates, quoniam competunt etiam ſubſtantijs, vt ſuperius viſum fuit: & propterea dicebam, quòd inter ſubſtantiam, & quantitatẽ eſt ſimilitudo propter duas iſtas proprietates, quæ conueniunt & ſubſtantiæ, & quantitati.

Prima proprietas quantitatis eſt, quòd non habet contrarium, diſtinguit Philoſophus, quòd quantitas alia eſt definita, alia indefinita. Quantitas definita eſt, quæ certo, & præſcripto quodam termino clauditur, vt magnũ, & paruum, quod transfertur ad lineam, & multum, & paucum ad numerum. Dicit Ariſtoteles, quòd quantitati definitæ, & indefinitæ nihil eſt contrariũ: nam bicubito, & tricubito, & alijs quantitatibus definitis nihil eſt cõtrarium, neque etiam indeterminatis, vt lineæ, ſuperficiei; ergo quantitas non habet contrarium.

Niſi quis forte dicat multum pauco eſſe cõtrarium, vel magnũ paruo.

Ariſtoteles mouet ſibi ipſi obiectionem, dicens, quòd forte in quantitatibus erunt contraria; nam magnum & paruum, multum & paucum ſunt contraria; at iſta ſunt quanta; ergo habebunt contraria.

Ariſtoteles interpoſuit hoc dubium, non tamen vt dubium eſſet admodum difficile, ſed vt traderet præcepta ſoluendi argumenta contrariorum. Ex ſolutione enim iſtius argumenti colligitur præceptum, quod argumentum falſum poteſt dilui duobus modis, vel per inſtantiam, vel per fiduciariam reprobationem.

Solutio per inſtantiam eſt, cum negamus aſſumptum, & fundamentum aduerſarij. Solutio autem per fiduciariam reprobationem eſt cum concedimus fundamẽtum aduerſarij, & tamen oſtendimus, quòd argumentum illud nobis non officit, & vtimur diſtinctione.

Vt ſi quis probare vellet mortalitatem animæ, vteretur hoc argumento; quicquid informat corpus, mortale eſt, anima informat corpus; ergo anima mortalis eſt. Poſſumus hoc argumentum ſoluere vtroque modo, per inſtantiam negando aſſumptum, in quo conſiſtit fundamentum argumenti, ideſt negando, quod anima informet corpus. Et per fiduciariam reprobationem, concedendo quòd anima informet corpus, ſed tamen diſtinguendo formã, quòd forma duplex eſt, informãs, & aſſiſtẽs, anima nõ informat corpus, vt forma informans: ſic enim verum eſt, quod forma materialis eſt, vt patet de forma plantarũ; ſed anima informat corpus, vt forma aſſiſtens, ſicuti nauta non eſt forma informans nauim; nam non valet nauis corrupta eſt; ergo nauta corruptus eſt; ſed nauta eſt forma aſſiſtens, quia aſſiſtit naui, & ipſius gubernator eſt, ſic anima eſt forma aſſiſtẽs corpori: & ſic quamuis corpus pereat, remanet tamen immortalis anima.

Cum ratio igitur ſoluendi argumenta duplex ſit, fiduciarie, & inſtãter, primo ſoluit per inſtantiam dicendo.

Horum autem nihil eſt quantum, ſed magis eorum, quæ ſunt ad aliquid: nihil enim ipſum per ſe ipſum, magnum, vel paruum dicitur, ſed in eo, quod ad alterum refertur, ut mons quidem paruus dicitur, milium verò magnum, quod hoc ijs, quæ ſunt ſui generis, maius ſit; illud verò ijs, quæ ſui ſunt generis minus; ergo ad alterum eſt eorum relatio; nam ſi per ſe ipſum magnum, vel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando paruus; milium verò magnum diceretur, rurſus in vico quidem plures homines eſſe dicemus, Athenis verò paucos, cum ſint illis multo plures, & in domo quidem multos, in theatro uerò paucos, cum ſint plures.

Ariſtoteles ſoluit per inſtantiam, negando, quòd multum & paucum, magnum & paruum ſint quanta, ſed potius ſunt de numero eorum, quæ ſunt ad aliquid, ideſt relatiuorum: oſtendit autem quod ſint relatiua, quoniam magnum dicimus in comparatione ad aliud, ſeu ad alterũ, vt dicimus aliquando montes eſſe paruos reſpectu aliorum montium, cum tamen mons per ſe ſit magnus, erit magnus ſi comparetur ad alium minorem, vt Caucaſus ſi comparetur ad mõtes noſtros erit magnus. Item granum milij erit ma-

A gnum ſi comparetur ad aliud granum minus: ſi autem ad maius granum milei erit paruum, ecce quòd magnum, & paruum dicuntur reſpectu aliorum. Si igitur referuntur ad aliud; ergo ſunt relatiua; ergo non ſunt quanta.

Idem dicetur de multo & pauco, cur eſt, quòd Athenis dicimus paucos homines eſſe, in vico verò multos; quoniam ſi comparemus Athenas ad aliam ciuitatẽ, verum erit dicere, quòd Athenis ſunt pauci, & maximè temporibus noſtris, cũ ibi paucisſimi homines vitã degant; erunt enim B plures homines in aliquo vico alicuius ciuitatis, quam Athenis, in vico eius dicemus eſſe multos homines reſpectu aliorum vicum, & Athenis eſſe paucos reſpectu aliarum ciuitatum, cum tamen videatur eſſe plures homines in vrbe, quam in vico. Comparatio enim fit inter Athenas, & aliam vrbem, & vicum, & alium vicũ. Dat quoque aliud exemplum, in theatro namque dicuntur eſſe pauci homines, in domo verò multi, & hoc dicimus, comparando theatrum theatro, & domum domui; reſpectu enim alterius theatri, C theatrum dicitur habere paucisſimos homines, & reſpectu alterius domus, domus dicitur habere multos homines.

Amplius bicubitum quidem & tricubitum unumquodq; taliũ quantum ſignificat; magnum uerò uel paruum non ſignificat quantum, ſed magis ad aliquid, quoniam ad alte- D rum conſideratur & magnum & paruum; quare manifeſtum eſt, quòd ipſa ſunt eorum, quę ſunt ad aliquid.

In his verbis Philoſophus colligit concluſionem ex dictis, quòd magnum & paruum non ſignificant quantum, ſed ad aliquid, quoniam dicuntur talia non per ſe, & abſolute, ſed ad aliud, & ad aliud relata, & propterea non ſunt quanta. Quæ verò ſunt quanta, quantitatem abſolute ſignificant abſque comparatione, & relatione ad E aliud, vti ſe habet de bicubito, & tricubito, ſic duo, tres, linea, & ſuperficies, & reliqua quantitatem ſignificare dicuntur.

Amplius ſiue aliquis ponat, quanta eſſe hæc, ſiue non ponat, nihil eſt in illis contrariũ. Quod enim poteſt ſumi per ſe ipſum, ſed ad alterũ refertur, qũo huic aliquid eſt contrariũ?

Nunc Ariſtoteles reſpondet per fiduciariam F reprobationem, quæ eſt gratia diſputandi, dato & non conceſſo, inquit Philoſophus, quòd multum & paucum, magnum & paruum ſint quanta, tamen non ſunt contraria, vt probet iſtud, facit Ariſtoteles tres rationes.

Prima ratio eſt iſta, magnũ & paruum, multũ & paucum ſunt relatiua, ſed relatiua nõ habent con-

contrarium, quoniam contraria debent eſſe per ſe, & ſimpliciter, non autem ad alterum relata; ergo magnum & paruum, multum & paucum non habent cõtraria, & hoc eſt quod volebat innuere in his verbis, *Quod enim non poteſt ſumi per ſe ipſum, ſed ad alterum refertur. quomodo huic aliquid erit contrarium?* quaſi dicat, quod contraria ſunt ſimpliciter, & abſoluta, & non referuntur ad aliud, vt album contrariatur nigro, quoniam album eſt ſimpliciter, & abſolutum, & non refertur ad aliud, ſed per ſe intelligi poteſt.

Vnde notandum, quòd res ſunt in duplici differentia; aliæ quæ abſolute ſunt, & ſimpliciter; aliæ quæ referuntur ad alterum, res abſolute vocantur; quæ ex ſe ipſis ſunt, vt album, &c. nigrum, &c. relatiue vero quæ ad alterum referuntur, vt pater & filius, magnum & paruum. Magnum igitur & paruum, multum & paucum, quamuis concedatur, quòd ſint quanta, non tamen erunt contraria, quoniam iſta non ſunt abſolute, & ſimpliciter quanta, neque ex ſe poſſunt exiſtere, ſed ad aliud referuntur.

Amplius autem ſi ſunt magnum & paruum contraria, cõtinget idem ſimul contraria ſuſcipere, & ea ipſa ſibimet eſſe contraria. Contingit enim ſimul idem paruum eſſe & magnum: eſt enim ad hoc quidem paruum, ad aliud verò id ipſum magnũ. Quare idem & magnum & paruum eodem tempore eſſe contingit; quare ſimul contraria ſuſcipiet; ſed nihil eſt quod videatur ſimul contraria ſuſcipere poſſe, vt in ſubſtantia quidem ſuſceptibilis enim contrariorum eſſe videtur, ſed nullus ſimul ſanus eſt, & æger, neque album & nigrum eſt ſimul, nihilque aliud ſimul contraria ſuſcipiet, & eadem ſibi ipſis contingit eſſe contraria: nam ſi eſt magnum paruo contrarium, ipſum autem idem ſimul eſt magnum & paruum, ipſum ſibi erit contrarium: ſed impoſſibile eſt aliquid ſibi ipſi eſſe contrarium. Non erit igitur magnum paruo contrarium, neque multum pauco; quare niſi & eorum quæ ad aliquid hæc quis dicat, ſed quanti nihil contrarium habebunt.

Tractatus Secundus.

A Subiungit Ariſtoteles ſecundam, & aliam rationem, quæ probat multum & paucum, magnum & paruum non eſſe contraria.

Prima ratio eſt, quòd ſi eſſent contraria, ſequeretur primo hoc incongruum, quòd duo contraria eſſent ſimul in eodem, ſecundum inconueniens, quod inde eueniret, eſſet hoc, quod idem eſſet ſibi contrarium, & ſic dat hanc ſecundam rationem per deductionem ad abſurdum.

Probatur primum inconueniens, quòd duo B contraria eſſent ſimul in eodem ſubiecto. Exemplo, Ioannes eſt magnus ſi comparetur ad Socratem, quoniam Socrates eſt paruulus; ſi autem Ioannes comparetur ad Platonem, Ioannes erit paruus; ecce quòd vnum continebit in ſe duo contraria, quod eſt abſurdum.

Affert exemplum Ariſtoteles, quòd ſcilicet duo contraria eſſent ſimul, vt aliquod corpus ſi ad vnum referatur, magnum eſt, ſi ad aliud paruum: aſſignetur enim aliquis homuncio, iſte homuncio erit paruus, ſi comparetur ad maiorem, C & etiam erit magnus ad minorem relatus; ergo ſimul contraria recipit, quod deſtruit Ariſtoteles per locum topicum a maiori ad minus, probando quòd nihil ſuſcipit contraria ſimul, hoc modo. Si ſubſtantia non poteſt recipere contraria ſimul & ſemel, & tamen illius vera & legitima proprietas eſt ſuſcipere cõtraria; ergo multo minus ſuſcipiet contraria quantitas. Probatur hoc exemplo, nam ſubſtantia non ſuſcipit ſimul ſanitatem & ægritudinem, neque ſimul nigredinem & albedinem, ſed viciſſim & ſucceſ- D ſiue, nam aliquo tempore albus, aliquo niger, aliquando æger, aliquando ſanus exiſto; ergo ſubſtantia non poteſt ſuſcipere contraria ſimul & ſemel; ergo multo minus quantitas recipiet contraria ſimul; ergo multum & paucum, magnum & paruum non ſunt contraria, quoniam ſi hoc eſſet verum, duo contraria eſſent ſimul in eodem ſubiecto.

Quinimo ſequeretur maius inconueniens, quòd aliquid ſibi ipſi eſſet contrarium, quod eſt impoſſibile, quia quicquid contrariatur al- E teri, vel corrumpit, vel corrumpitur. Si hoc autem eſſet, ſequeretur, quod aliquid ſe ipſum corrumperet, quod eſt falſum, quoniam natura ita comparatum eſt, vt res ſe conſeruent quantum poſſunt; nihil enim eſt, quod non appetat bonum, & quod non cupiat conſeruari.

Vnde Ariſtoteles in Moralibus, eos ſolet admirari, qui ſibi ipſis mortem conſciuerunt, ne ad manus inimicorum peruenirent, eoſq; vocat puſillanimes, & timidos, qui naturæ leges F violauerint, contra Hiſtoricorum opiniones, qui ſolent eos maximis laudibus extollere, quaſi egregium & præclarum facinus effecerint. Legitur apud Liuium de Annibale illo famoſiſſimo Duce Cartaginénſe, quòd proditus hoſpitio à Pruſia Rege Bithyniæ, veneno mortem ſibi conſciuit, ne a dicto Rege daretur

Herminius, referente Porphyrio, dicit, quòd ſurſum & deorſum ſunt differentiæ loci, & faciunt prædicamentum vbi, & non ſignificant locum abſolute, & ſic Herminius a quantitate remouet contrarietatem, & ponit illam in prædicamento vbi, ſecundum illas duas differẽtias.

Dubitatur primo, quoniam videtur, quòd quantitati definitæ ſit contradictio; nam numerus binarius, eſt quantitas definita, & numerus ternarius etiam eſt quantitas definita. Et hi numeri opponuntur inter ſe, quoniam numerus binarius eſt par, ternarius aut impar: par autem & impar opponuntur, vt habet Ariſtoteles 1. Poſt. ergo quantitas habet contrarium.

Secundo idem probatur, nam linea alia curua, alia recta, alia finita, alia infinita; ergo linea habet oppoſitionem. Superficies eſt curua, recta, finita, infinita, alba & nigra; ergo habet contrarium. Corpus aliud rectum, aliud flexum; ergo habet contrarium. Tempus aliud longum, aliud breue; ergo habet contrarium. Locus alius magnus, alius paruus; ergo habet contrarium. Numerus alius par; alius impar, alius finitus, alius infinitus; ergo habet contrarium. Oratio alia vera, alia falſa; ergo iſtæ ſeptem ſpecies habet contrarium; ergo ineſt quantitati contrarietas.

Tertio, & facio generalem ſyllogiſmum de quantitatibus in vniuerſo; quantitas generatur, illud quod generatur, corrumpitur, & quod corrumpitur, a ſuo contrario corrũpitur; ergo quantitas habet contrarium.

Confirmo iſtam rationem per proprietatem vltimam ipſius quantitatis, quæ eſt, quòd quantitas æqualis & inæqualis eſt, ſed æquale & inæquale ſunt contraria; ergo habet quantitas contrarium; ergo male dixit Ariſtoteles proprium eſſe quantitatis non habere contrarium.

Ad iſtas rationes reſpondendum eſt eadem ratione, qua reſponſum fuit ad ſimile argumentum in cap. de ſubſtantia, & primo diſtinguendum eſt, quòd contrarium eſt duplex ab intrinſeco, & extrinſeco. Contraria intrinſece ſunt, quæ ſua propria natura ſunt contraria: extrinſece verò quæ ſunt contraria non ſua natura, ſed ratione qualitatum, quibus afficiuntur.

Item cõtrarietas duplex, habitus, & priuatio. Habitus eſt vt viſio, priuatio vt cæcitas. Inter viſionem & cæcitatem eſt contradictio priuatiua, de qua hic non loquitur, ſed de contrarietate oppoſita. His ſtantibus.

Ad primum reſpondetur, quòd illi duo numeri non contrariantur vt numeri ſunt, ſed ratione ſuarum proprietatum, ſicut aqua non opponitur igni, vt ſubſtantia eſt, ſed vt afficitur contraria qualitate, ſic numeri opponuntur adinuicem, nõ quatenus quantitates ſunt, ſed ratione quantitatum accidentalium, ideſt ab extrinſeco, non autem ab interno, & eſſentiali.

Ad ſecundum argumẽtum, per inductionem diſcurro etiam ſoluendo per omnes ſpecies quãtitatis; nam de linea dico, quòd habet cõtrarietatem A ab extrinſeco, ideſt ratione qualitatũ; nam rectum, & curuum ſunt qualitates, non autem habet contrarium ab intrinſeco.

Superficies & corpus ſunt recta, curua, &c. eodem modo reſpondetur, quòd iſta contrarietas eſt ab extrinſeco.

Ad illud de loco dicitur, quòd magnitudo & paruitas ſunt relatiua, non contraria, vt dictum eſt ſupra.

Pro quo etiã poteſt addi alia ratio, quoniam illa non ſunt vere contraria, quorum vnum po- B nitur & continetur ſub alio, vt calidum & frigidum ſunt contraria, quoniam vnum non continetur ſub alio: calidum enim non cõtinetur ſub frigido, neque è conuerſo, quoniam ſunt abſoluta; ſed paruum continetur ſub magno, & paucum, ſub multo ideſt ſub viginti & centum, vti ſub multo continetur numerus binarius & ternarius, qui ſunt pauci, & ſic multum & paucum, magnum & paruum, cum vnum ſub altero contineatur, non ſunt contraria.

Ad aliud de tempore, quòd aliud ſit longum, C aliud breue, &c. nego pariter, quòd hæc ſint contraria, ſicut & magnum, & paruum; nam ſi longum & breue eſſent contraria, ſequeretur quòd idem ſimul & ſemel haberet contrarium; vnum milliare eſt longum & breue reſpectu diuerſorum: nam ſi dicerem, domus mea differt a palatio Prætorio, exempli gratia, per vnũ milliare, omnes certe dicerent magnam eſſe diſtantiam: ſi autem dicerem me facturum longum iter per vnum milliare, omnes riderent, & videretur minima diſtantia. Vnum igitur reſpectu diuerſo- D rum eſt magnum & paruum, & longum & breue; ergo non ſunt cõtraria, quoniam ſequeretur hoc abſurdum, quòd contraria ſimul & ſemel ineſſent.

Ad illud de numero dicitur, ſicut dictum eſt ad primum principale argumentum.

Ad aliud de oratione dicitur, quòd oratio nõ eſt vera, vel falſa, quoniam veritas, & falſitas eſt contradictio in re, non autem in voce.

Ad tertium argumentum generale reſpon- E detur, quòd illud contrarium eſt priuatiuum; de qua contrarietate non loquitur hic Ariſtoteles, ſed de contrarietate oppoſità, & hanc non ſuſcipit quantitas.

Ad confirmationem dicitur, quòd æquale & inæquale ſunt contraria priuatiue, non autem oppoſitiue.

Non videtur autem quantum ſuſcipere magis & minus vt bicubi- F tum; neque enim alterum altero magis bicubitum, neque in numero vt tria, quàm quinq; nihil magis quinque aut tria dicuntur, neque quinque quàm tria, nec tempus alterum altero magis tempus dicitur, nec in

vllo eorum quæ dicta ſunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum non ſuſcepit magis & minus.

Hæc eſt ſecunda proprietas quantitatis, quæ dependet a prima: ſe enim mutuo conſequuntur, nam quicquid habet contrariũ, habet etiam magis & minus.

Probat quód quantitas non habeat magis & minus inductiue; nam bicubitum non eſt magis, vel minus bicubitum altero. Item neque numerus ſuſcipit magis & minus; ergo nulla quantitas ſuſcipit magis & minus.

Verùm hæ duæ proprietates ita ſe habent, quòd harum vlla ſit proprietas vera quãtitatis, quoniam & conueniunt alteri, nempe ſubſtantiæ, vt ſupra viſum eſt; & ideo eas reprobat tanquam non veras & proprias.

Notandum, quod vna quantitas eſt maior quàm alia quantitas, ſed non magis quantitas.

Proprium autem maxime quanti eſt, quòd ęquale & inęquale dicitur; vnumquodque enim eorum, quę dicta ſunt quantorum: ęquale & inęquale dicitur, vt corpus æquale & inęquale dicitur, & numerus & tempus ęquale, & inęquale dicitur. Similiter autem & in alijs quę dicta ſunt, vnumquodque æquale & inæquale dicitur: in cæteris verò quæcumque quanta non ſunt, non prorſus videbitur æquale & inæquale dici, vt diſpoſitio a qualis & inæqualis non omnino dicitur, ſed magis ſimilis & diſſimilis; & album æquale & inæquale non omnino dicitur, ſed ſimile vel diſſimile. Quare quanti maxime ſit proprium æquale & inæquale dici.

Hic Philoſophus aſſignat tertiam, & proprie propriam quantitatis proprietatem, & probat, quód quantitas diſcreta & continua habet hanc proprietatem, quòd dicitur ęqualis & inęqualis, vt linea bipedanea eſt æqualis alteri lineæ bipedaneæ, & inæqualis lineæ tripedaneæ, & ſic de corpore, & de reliquis quantitatibus continuis. Item quantitas diſcreta habet hãc proprietatẽ, vt numerus binarius eſt æqualis alteri numero binario, & eſt inæqualis alteri numero ternario.

Et ſi quis dicat, quód iſta proprietas non ſit vera proprietas, quia competit alij, quam quantitati, vt puta ſubſtantiæ & qualitati.

Reſpondet Philoſophus, non eſſe verum, nam Ioannes non eſt æqualis Petro, & inæqualis Ciceroni per ſe, quatenus eſt ſubſtantia, ſed

A quatenus habet quantitatem, puta longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quoniam dicimus hominem eſſe æqualem & inæqualem: propterea quod eſt quantus, & ratione quantitatis dicitur æqualis & inæqualis, quoniam ſi loqueremur de homine quatenus eſt ſubſtantia, non diceremus quód eſt æqualis & inęqualis.

Item corpus album non dicitur alteri corpori albo, æquale & inæquale per ſe, ſed ratione quantitatis; verùm potius album dicetur ſimile vel diſſimile alteri albo. Igitur concludendum B eſt, quod iſta poſtrema proprietas eſt vera & legitima proprietas, quoniam competit quantitati ipſi ſoli, omni, & ſemper. Sed inſtatur nonnullis rationibus contra prædicta.

Primo, æquale & inæquale ſunt quantitates, vt teſtatur Ariſtoteles, & tamen ſuſcipiunt magis & minus, vt dicet Philoſophus in ſequenti capite, quód æquale, ſimile, & diſſimile recipiunt magis & minus.

Reſpondetur, quòd æquale & inæquale dupliciter capiuntur, primo modo pro ipſa relatio C ne, hoc eſt pro æqualitate vel inæqualitate: ſecundo modo pro fundamento, & tũc ſunt quantitates ſecundum quod, fundamentum, & ipſius relatio, realiter diſtinguuntur, & de ipſis poteſt verificari prædicatio oppoſita, quod probo exẽplo; nam inter ſex & quatuor ſtat relatio, quę eſt diſſimilitudo, augeatur quatuor, & fiat quinque, creuit fundamentum, & decreuit diſſimilitudo. Dico modo, quód ęquale & inæquale pro relatione ſuſcipiunt magis & minus, non autem pro fundamento.

D Secundo arguo contra tertiam proprietatem dupliciter. Primo aliquid dicitur æquale ſecundum æqualitatem, ergo non ſecundum quantitatem. Patet Antecedens, quia concretum denominatur ab abſtracto. Probatur conſequentia, quoniam æqualitas non eſt quantitas, ſed relatio; ergo. Secundo in diuinis eſt æqualitas perſonarum, & tamen ibi non eſt quantitas, cum Deus non ſit in genere; ergo non eſt hoc proprium quantitatis.

E Ad primum reſpondetur, quòd aliquod eſſe ęquale alteri, ſecundum aliquos dupliciter poteſt intelligi, vel formaliter, vel fundamentaliter, tunc dico, quod quęlibet res eſt æqualis alteri per æqualitatem formaliter, quia æqualitas eſt a forma, a qua aliquod denominatur quale. Secundum verò quantitatem aliquod dicitur æquale, vel inæquale fundamentaliter, quia quantitas nata eſt fundare relationem æqualitatis, & inæqualitatis; res enim habentes eandem quantitatem ſunt æquales; haben- F tes autem quantitatem differentem ſunt inæquales.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd duplex eſt quantitas, molis, & virtutis, ſiue perfectionis. Prima eſt in genere quantitatis; ſecunda verò eſt tranſcendens, cum competat his, quæ non ſunt in genere. Sic etiam duplex eſt æqualitas, quædam de genere relationis, & fundamentum

huius

huius eſt quantitas de genere quantitatis, & de
hac intelligitur hæc proprietas. Alia eſt æquali-
tas tranſcendens, & hæc fundatur in quantitate
virtutis, & reperitur in diuinis.
Hæc ſatis de Quantitate.

Super Capite de Quantitate pro Iuris ſtudioſis.

TRia ad rem noſtram attinentia declarã-
tur in cap. de Quantitate.
Primum, quòd quantum, aliud eſt di-
ſcretum, aliud continuum.
Secundum, quod quantitas diſcreta ea eſt,
quæ non habet partes alicui communi termino
copulatas, vt numerus in anima, & oratio extra
animam.
Quantitas verò continua ea eſt quę habet par
tes alicui termino communi copulatas, vt linea,
ſuperficies, corpus, locus, tempus.
Tertium, quòd habetur eſt harum ſingula-
rum quantitatum deſcriptio.
Linea eſt longitudo, & extẽſio puncti ad pun-
ctum ſine latitudine.
Superficies eſt longitudo cum latitudine ſine
profunditate.
Corpus eſt trina dimenſio, longitudo ſcili-
cet, latitudo, & profunditas.
Locus eſt vltima ſuperficies corporis con-
tinentis.
Tempus eſt menſura continuorum ſucceſ-
ſiuorum.
Numerus eſt menſura diſcretorum perma-
nentium.
Oratio eſt menſura diſcretorum ſibi ſucce-
dentium.
De linea ſermo eſt in iure, in l. inter eos. ff. de
acquir. rer. domin. quo loci dicitur, quòd inſula
nata in flumine publico nõ eſt eorum omnium,
qui habent prædia iuxta flumen, ſed quantum
ante cuiuique eorum ripam eſt, tantum veluti
linea indirectũ per inſulam tranſducta quiſque
eorum in ea habebit, hoc eſt cuiuſlibet pro diui-
ſo, qui habet prædium ante frontem inſulæ.
De ſuperficie habetur in l. 1. ff. de ſuperficieb.
& in l. ſi fundum. §. qui fundũ. ff. de ſuperfic. qui-
bus in locis, quæ ſupra ſunt ſituata in ſolo, velu-
ti ædificiũ ſine ſolo, ſuperficies appellatur, quaſi
longitudo cum latitudine abſque profundita-
te, cum profunditas vſque in ſolum penetret.
De corpore habetur in l. rerum. ff. de vſucap.
quo loci dicitur, quòd tria ſunt genera corporũ:
verùm ibi non trina dimenſio, ſed conſtans ex
trina dimenſione potius conſideratur.
De loco,
De tempore dicam in prædicamentis vbi, &
quando, quoniam ea potius, quam hac conſide-
ratione vſum habent in iure.
De numero in iure, eſt locus in Inſt. de vſucap.
in prin. vbi ternario mobilia præſcribuntur, im-
mobilia inter præſentes numero annorum de-

A cem, inter abſentes numero annorum viginti.
Iuſtinianus appellat numerum quantitatem
clare in l. ſancimus. C. de don.
De oratione ſermo eſt in l. cũ quis. ff. de verb.
oblig. vbi qui ſibi, & alteri decem ſtipulatur, ve-
riſimile eſt vna decem, non viginti ſibi & alteri
ſtipulari.
Pariter de numero & oratione fit ſermo, &
ea locum habent in Subſtitutionibus, §. ſubſtitui
tur, §. maſculo. Inſt. de ſubſt. quibus in locis ſub-
ſtituitur impuberi aut nominatim, aut generali-
B ter ſubſtituitur maſculo vſq; ad annos quatuor-
decim, fœminę vſque ad duodecim. De quan-
titate in genere habetur in l. 6. ff. de rebus
creditis.
Et hæc ſatis de Quantitate pro Iuris Stu-
dioſis.

De his, quæ ad aliquid. Cap. Tertium.

ABſoluta examinatione ſecun-
C di prædicamenti quantitatis,
aggreditur nunc Ariſtoteles
tertium, quod eſt de ijs, quæ
ad aliquid dicuntur; vocatur
autem prædicamentum rela-
tionis.
Dixi ſuperius, quòd quicquid eſt in rerum na
tura, vel eſt per ſe ſubſiſtens, vt ſubſtantia, vel eſt
in alio, vt quantitas, vel eſt ad aliud, vt relatio,
quæ ad aliud refertur, vel eſt circa aliud, vt qua-
litas: & quoniam iſtud prædicamentum repu-
D tatur difficilimum, non erit inconueniens quaſ-
dam dubitationes præmittere, quas mouet Am-
monius, quæ apprime faciunt ad huius prędica-
menti textum facilius intelligendum.
Inter alia quærit doctus iſte vir quinque.
Primum, vtrum relatiua recto ordine fuerint
expoſita poſt prædicamentum quantitatis.
Secundum, Inſcriptionis cauſam, quia ſic in
plurali numero titulum inſcripſerit, non autem
in ſingulari, quemadmodum ſuperius.
Tertium, quot modis dicuntur hæc relatiua:
E nam habent diuerſas ſpecies.
Quartum, an omnia ſint relatiua, vt aliqui vo
lebant.
Quintum, an detur relatiuum: nam fuerunt
aliqui, qui è contrario dicebant non dari rela-
tionem. His dubitationibus expoſitis, poſtea ag-
grediemur textum ipſum.
Primo quæritur, an relatiua habeãt debitum
locum poſt quantitatem, & videtur quòd non:
nam qualitati deberent poſponi; nam dicit Am
monius, quòd quicquid eſt, aut abſolutum eſt,
F aut ad aliud abſoluta ſunt, quæ ad neminem
pertinent, nèque ad aliquid referuntur, vt ho-
mo eſt abſolutum ens, quoniã per ſe exiſtit, & ad
neminem pertinet. Ad aliud autẽ ſunt relatiua,
quæ per ſe ſubſiſtere nõ poſſunt, ſed alterius in-
digent auxilio, & ad aliud pertinẽt, vt veſtimen
tum eſt relatiuum, quoniam pertinet ad corpus;

libri ſunt relatiua, quoniam pertinent ad ſtudentes, domus eſt relatiuum, quoniam pertinet ad conſeruanda ſupellectilia.

Cum igitur qualitas ſit prædicamentum abſolutum, relatio autem non, ſed ſit prædicamentum, quod ad aliud refertur, & quòd ſuam eſſentiam habeat in alijs prędicamẽtis, videtur, quòd tertius locus debetur qualitati, tanquam prædicamento abſoluto, nobiliori, & perfectiori, cum relatiua fundentur in ipſis rebus abſolutis, & prius ſit fundamentum, quam fundatum.

Ammonius reſpondet, & concedit, quòd relatio deberet poſtponi qualitati, ſed inquit, quod euenit impedimentum, quoniam in ſuperiori capite de quanto, facta fuit mẽtio de relatione, cum dicebatur, *quòd multum & paucum, magnum & paruum non ſunt quanta, ſed potius relatiua, quoniam vnum refertur ad alterum*, & propterea vt eſſet continuatio operis, Ariſtoteles cumprimũ abſoluit prædicamentum quantitatis, ſtatim ſermonem inſtituit de relatiuis.

Dicit igitur Ammonius, quòd Ariſtoteles ſubdidit tractatum de relatiuis, non quòd prædicamentũ de ad aliquid præcedat prędicamentum qualitatis ex ſua natura; ſed hoc fecit Ariſtoteles propter nexum & copulationẽ operis; quoniã ſuperius habita fuit mentio de relatiuis; & quamuis relatio præcedat qualitatem in hoc tractatu, tamen ordine naturæ deberet ſuccedere qualitati, non præcedere.

Secundo reſponderi poteſt, quòd poſt quantitatem ſtatim egit de relatiuis, quoniam poſita quantitate, illico ponuntur maius & minus, quæ ſunt relatiua.

Tertio credo reſpondere poſſe, relationem non ſolum præcedere in hoc tractatu qualitatẽ dicta de cauſa, ſed etiam ex ſua natura, quoniam quamprimum ſubſtantia eſt quantitate affecta, ratione ſubiecta eſt accidentibus, & refertur ad ea. Exemplo hoc patet, quoniam natura primo fecit hominem ſubſtantiam, poſtea fecit, vt ſubſtantia, puta homo quãtitatiuus efficeretur, quoniam corpus habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Subſtantia igitur eſt ſubiectum accidentium, vt quantitatis, & qualitatis; ſed omne ſubiectũ refertur ad id, cuius eſt ſubiectum; ergo cumprimũ ſubſtantia eſt quanta, ſtatim eſt ſubiectum, ergo poſt quantitatem ex ſua natura ſequitur relatio, & hoc pacto præcedit relationem.

Et quando dicitur, relatiua ſunt poſteriora aliquo abſoluto, dico quòd eſt verum de illis, à quibus dependent, ſed non de omnibus.

Et ſi abſoluta ſunt nobiliora, reſpondetur, quòd non ſeruatur ordo nobilitatis, ſed generationis.

Secundo, quærendum eſt de inſcriptionis cauſa, cur ſcilicet Ariſtoteles huic prædicamento nomen poſuerit, *De his, quæ ad aliquid dicuntur*, cur in plurali numero, non autem in ſingulari, ſicuti fecerat duobus ſuperioribus.

Græci huic quæſtioni ſatisfaciunt, dicentes, A quod Ariſtoteles titulum in plurali numero poſuit, non vt ſignificaret hoc prędicamentum eſſe duo vel quatuor, quoniam vnũ duntaxat eſt, ſed hoc fecit propter terminos ipſius relationis.

Vnde notandum eſt, quòd quælibet relatio habet duo extrema, fundamentum a quo fit, & terminum ad quem refertur. Capiatur exempli gratia hæc relatio Dominatus, Dominatus habet duo extrema, vt Dominum & ſeruum. Fundamentum huius relationis eſt Dominus; terminus eſt ſeruus, ad quem fit relatio hoc modo, Do- B minus ſerui Dominus.

Item hæc relatio, Paternitas habet duo extrema, videlicet patrem, qui eſt fundamentum, & filium, qui eſt terminus. Cum igitur relatio non poſſit eſſe ſingularis, ſed opus ſit vt habeat duo extrema, inter quæ fiat relatio, meritò Philoſophus inſcriptionem dedit huius prædicamenti in numero plurali. Et nota, quòd terminus dicitur correlatiuum pro quanto terminat relationem relatiui, ideſt fundamenti. Vnde dicendum, quòd prædicamẽtum dicitur ſimplex, pro C quanto formaliter non cõſtat ex rebus duorum prædicamentorum abſolutorum ſine reſpectu, & ſi fiat cum reſpectu, iam ibi reſpectus adeſt, tanquam medium, copula, & ligamen, & facit vnũ, & licet in relatione reali extrema poſſunt eſſe duo, tamen in ratione relationis reperitur tantum vnum extremum prædicamentum, & hoc non eſt vnum propter extrema, quoniã ipſa non ſunt vnum prædicamentũ, ſed ipſa relatio.

Inſcripſit autem Ariſtoteles, *de his, quæ ad aliquid*, quoniam inſcriptiones fiunt de rebus nõ- D tioribus; notiora autem ſunt relatiua, quam ipſa relatio: idcirco de his, quę ad aliquid caput inſcribitur; cum tamen ipſa relatio ſit prędicamentum.

Sed dicet quis, hoc videtur falſum, quòd ſcilicet relatio faciat prædicamentum, quoniam relatio non eſt ipſa extrema, puta pater & filius, ſed ipſa paternitas (vt ita loquar) vel ipſa filiatio, quæ ſunt mutuæ habitudines ab intellectu formatæ: quare videretur, quòd relatio ſit res in ratione tantum conſiſtens: ſed prædicamenta hęc E non ſunt ab intellectu formata, ſed ſecundum rem naturaliter exiſtunt.

Confirmatur, quia datur relatio rationis, quæ non eſt realis. Itẽ eſt ſententia Auerrois 1. Poſt. quòd relatiua non videtur habere eſſe, & Diuus Thomas teſtatur relatiua eſſe difficilima cognitu, quia habent minimam entitatem.

Reſpondetur negando, quòd relatio tota in ratione conſiſtat, imò eſt res, licet habeat minimam entitatem.

Ad primam confirmationem dicitur, quòd re- F latio rationis non formaliter cõtinetur ſub hoc prædicamento, ſed reductiue tantum.

Ad ſecundam confirmationem, Auerroes ipſemet reſpondet loco citato, quòd relatiua quaſi habent eſſe in mente, quia partim in re, partim in ratione conſiſtunt; non tamen, quod penitus in intellectu ſint.

Ad vltimam cõfirmationem dicitur, Diuum Thomam intellexiſſe obſcuram habere eſſentiam & paruam, non autem nullam.

Tertio quæritur, quomodo diuiduntur relatiua in ſpecies. Ad quod dicitur, omiſſa diuiſione, quam tetigit Diuus Thomas ſuper hoc capite, nempe quod relatiua, alia ſunt realia, alia ſecundum rationem, omiſſaq; pariter allata hic ab Ammonio, dico, quòd celebratiſſima relatiuorum diuiſio eſt duplex, vel Metaphyſica, vel Logica. Metaphyſica traditur ab Ariſtotele lib. 5. Metaph. vbi rurſus agit de decem prædicamentis: diuidit namq; relatiua, quòd aliqua ſunt inæqualitatis, alia æqualitatis. Quæ inæqualitatis ſunt, rurſum diuiduntur duobus modis, quoniam vel ſunt ſuppoſitionis, vel ſuperpoſitionis. Relatiua æqualitatis vt ſimile ſimili ſimile, diſſimile diſſimili diſſimile. Relatiua inæqualia dupliciter, vel per ſuperpoſitionem, cum alterum eſt maius, vt pater ad filiũ, Dominus ad ſeruum, magiſter ad diſcipulum; vel per ſuppoſitionem, cum alterum eſt minus, vt è conuerſo, filius ad patrem, ſeruus ad Dominum, diſcipulus ad magiſtrum.

Logica autem eſt iſta, quam ponit Ariſtoteles in textu, *quòd relatiua ſunt quæ ad aliud referuntur, vel in genitiuo, vel in quolibet obliquorũ caſu.*

Ideo ſciendum, quod relatiua poſſunt referri ad aliud, vel in genitiuo, vel in datiuo, vel in accuſatiuo, vel in ablatiuo caſu. Relatiuum, quod refertur inter nominatiuum, & genitiuum, eſt vt Dominus ſerui Dominus, & cum retrocedimus ſeruatis etiam ijſdem caſibus, vt ſeruus Domini ſeruus; aliquando non retrocedimus eodẽ caſu, quoniam in reflexione mutamus caſum. Item in datiuo, vt æquale æquali æquale, ſimile ſimili ſimile: interdum in accuſatiuo, vt magnus mons refertur ad paruum montem; aliquãdo in ablatiuo, vt ſcibile ſcientia ſcibile, & ſumit Philoſophus opem à Grammaticis in his caſibus declarandis, in quibus fiunt relationes.

Quarto quærendum eſt, an omnia ſint relatiua, vt putarunt quidam dicentes, quod quicquid eſt relatiuum, eſt ſecundum noſtrum imaginandi modum. Ij enim qui hoc aſſerebant, mouebantur aliquibus fundamentis, quæ confirmata fuerunt experientia. Exemplum tibi propono pro ratione iſtorum: putat aliquis ſe beatiſſimũ, & fœliciſſimum fore, ſi habeat prædium, ſi habeat centũ aureos: eſt alius, qui habet omnia hęc bona, quæ alter deſiderat, & hic non conquieſcit, ſed cupit habere maiora bona fortunæ; nam, vt inquit Ouidius:

Creſcit amor nummi, quãtum ipſa pecunia creſcit.

Bona iſta, videlicet habere prædium, habere centum aureos quietant animum huius, qui ea deſiderant; at hic, qui ea poſſidet non contentus eſt propter hæc. Ecce igitur, quòd iſta bona ſunt relatiua, nam reſpectu illius, qui ea non habet, & ea deſiderat, optima ſunt, imò credit ille totam eius fœlicitatem in ijs conſiſtere; at reſpectu alterius, qui eis fruitur, nullius momenti eſſe vi-

A dentur. Patet igitur exemplo quòd quicquid eſt, in reſpectu eſt.

Aliud exemplum, video columbam nigram in Sole, erunt tres, aut plures, qui eius collũ contemplabuntur, aliquibus videtur eius collũ cœruleum, alijs purpureum, & alijs viride. Igitur quòd vni videtur eſſe vnius coloris, & alteri aliã ſpeciem coloris præſeferre, hoc procedit ex varijs opinionibus hominum; ergo res ſunt in reſpectu ſecundum hominum commenta.

Aliud exemplum, ſi exhibeamus mel infirmo, B ſanè amarum ſibi videbitur, quod tamen ſanus non dicet eſſe amarum, ſed dulce, vt eſt eius natura. Quare manifeſte patet aliquod ſecundum diuerſas opiniones eſſe relatiuum; ergo iure dicebant iſti, omnia eſſe in reſpectu quo ad nos.

Iſta opinio venit a nobis confutanda, quoniã hoc ſequeretur inconueniens, ſi verũ eſſet, quòd omnia eſſent relatiua, quòd omnia eſſent accidentia, & quòd non eſſet ſubſtantia; deinde ſequeretur, quòd aliqua res ſecundum diuerſas hominum ſentẽtias, & opiniones diceretur eſſe C vera, vel falſa. Cum tamen in rei veritate, & falſitate non ſit reſpicienda opinio, ſed recta ratio, quoniam opinio eſt ratio ſuſpecta, & dubia, quæ mouetur ex ſuſpicione aliqua, ſed non mouetur certiſſima argumẽtatione, quæ facit neceſſaria, ſicuti recta ratio. Propterea dicitur, quòd quanquam multa ſint, quę ſecundum opinionem hominum videantur eſſe vera, vel falſa, & proinde eſſe relatiua, tamẽ dicitur, quòd multa ſunt, quæ ſecundum rectam rationem non ſunt relatiua, vt exempli gratia, opinatur aliquis ob malã opi- D nionem, quòd Sol habeat magnitudinem bipedaneam, iſta eſt opinio mala, quæ fit ex quadam ſuſpicione, quoniam ille videt Solem, & ſibi videtur, quòd ſit magnitudinis bipedanę; at ſi recta ratione cogitet, hic videbit ſane ſcientia opinionem eius eſſe falſam.

Et procedatur hoc argumento, quando obiectum aliquod diſtat ab oculo, iſtud videtur eſſe minus propter diſtantiam; at Sol maxima diſtantia diſtat à nobis; ergo videtur eſſe multo minor quàm ſit; ergo opinio illius erit falſa; ſic eſt pro- E cedendum recta ratione: igitur non valet dicere, quòd res ſit in reſpectu quo ad nos, quia oportet vt ſit recta ratione, nõ autẽ noſtra opinione.

Quando dicebãt iſti, quòd bona fortunæ ſunt alicui ſummæ fœlicitatis, alteri verò nullius, dicitur, quòd hoc eſt ſecũdum eorum opinionem, & imaginationem: ſi autem diceret aliquis, fœlicitas noſtra nõ conſiſtit propter ea, quod habeamus vel prædia vel nummos, ſed cõſiſtit in contemplatione, ſic recta ratione procederet.

Ad ſecundam rationem, mel eſt amarum in- F firmo, dulce autem ſano; ergo mel eſt relatiuum ſecundum diuerſas hominum opiniones.

Reſpondetur, quòd mel eſt amarum infirmo ſecundum eius opinionem, & eſt dulce ſano, ſecundum rectam rationem.

Ad aliud exemplum de collo columbæ in Sole exiſtentis, quòd alicui videtur purpureum,

ali-

licui cærul eum,& alicui diuerſi coloris.

Reſpondetur, quod iſta apparētia,eſt propter varietatem reflexionis Solis, ſic Phyſici dicunt, quod ſignum cæleſte illud, quod vocatur Iris,videtur eſſe album, rubeum, viride, tamen non ita eſt ſecundum rei exiſtentiam.

Quinto, & vltimo videndum eſt, an dentur relatiua ſecundum eſſe;nam aliqui negabant relationem eſſe,& argumentabantur ſic; Ecce habeo ſeruum,tu dicis quòd ſeruus refertur ad Dominum,dico quòd iſta conſideratio eſt à te,non à natura;nam natura neminem facit ſeruum,ſed ſi eſt ſeruus, eſt caſu; tunc argumentantur ſic; quicquid eſt à fortuna, & a caſu non eſt a natura. Afferunt iſta exemplum de dextero & ſiniſtro: dexterum enim & ſiniſtrura non ſunt ſic re ipſa natura, ſed caſu; nam puta tabella eſt locus dexter, & locus ſiniſter, hæc videntur eſſe relatiua,& nō ſunt:nam ſi vertatur tabella, amplius locus dexter nō erit dexter, ſed immutatus erit. Patet igitur quòd nihil eſt relatiuum.

Reſpondet Ammonius, quòd oportet contra argumentantem falſum,eiſdem laqueis,quibus conatur nos circumuenire, eum implicare. Dicit igitur,quòd iſti allucinantur, & decipiuntur,quoniā Deus imperat ſolus,nos verò omnes ſubditi eius imperio ſumus: inſuper dexterum & ſiniſtrum natura nō poſſunt immutari, vt lien eſt in parte ſiniſtra animalis, iecur verò in parte dextera. Hęc cum ſint natura,non poſſunt immutari: nū enim poteſt liens tranſire in partem dexterā, neque iecur in ſiniſtram. Patet igitur eodē argumento,quòd opinio iſtorum, qui negabant dari relatiua,falſa eſt.

His habitis ſequitur Capitis huius diuiſio.

Diuiditur caput hoc in quatuor partes.

In prima parte definit relatiua,in ſecunda diuidit,vel ſubdit genera ſubalterna.

Huius prædicamenti in tertia proprietates aſſignat, in quarta diſputat contra veterum opinionem de ipſis relatiuis, & diſputando colligit ſuum propoſitum. In cæteris prædicamentis nō obſeruauit hanc regulam,vel viam, ſed tantum definiuit, diuiſit, & proprietates aſſignauit, ex ſua ſententia certa: at hic aſſignat definitionem ſecundum veterum opinionem, ſed poſtea demonſtratis abſurditatibus, quę illam ſequuntur, ipſam repudiat, & ſuam ex certa ſententia adducit.

Sed notandum, quòd relatiua alio modo definiuntur ab antiquis, & alio modo ab Ariſtotele. Ab antiquis conſiderantur relatiua, ſecundum verbum *dici*, ab Ariſtotele verò ſecundum verbum *eſſe*. Ariſtoteles differit de relatiuis ſecundum antiquorum opinionem, & illorū proprietates aſſignat ex veterum opinione. At poſtea oſtendet iſtam definitionem relatiuorum ab antiquis traditam, malam eſſe, & vitioſam, & de ipſis aget ex ſua certa ſententia.

Primo igitur Philoſophus tractat de relatiuis ſecundum opinionem antiquorum, qui ipſa definiunt ſecundum verbum *dici*,& inquit.

A Ad aliquid verò talia dicuntur, quæcumque hæc ipſa quæ ſunt aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur: aliquo enim maius dicitur, & duplum alterius dicitur hoc ipſum quod eſt; alicuius enim duplum dicitur. Simi- B liter autem & alia quæcumque huiuſ modi ſunt.

Dicit Ariſtoteles, Relatiua ſunt quæ dicuntur reſpectu alterius, vt pater reſpectu filij, & filius reſpectu patris, duplum reſpectu dimidij, & dimidium reſpectu dupli. Pater non eſt ex ſe, ſed vt refertur ad filium; duplum non eſt per ſe, ſed vt refertur ad dimidium; verbum licet *dicuntur*, denotat definiri relatiui hic, per hoc verbum *di-* C *ci, vel quomodolibet aliter ad alterum*. Senſus verborum eſt, quòd ad aliquid ea dicuntur, quæcumque ad alterum referuntur, vel in genitiuo caſu, vel in alio caſu obliquo. Conſiderātur igitur hic relatiua, vt referuntur ad alterum in caſibus diuerſis, vel in genitiuo, vt pater filij pater, duplū dimidij duplum, vel in datiuo, vt ſimile ſimili ſimile, vel in accuſatiuo, vt mons magnus ad mōtem paruum. Alia autem referuntur a recto ad ablatiuum, vt ſcientia ſcibile ſcientia, &c.

Dicit itaque Philoſophus, quòd ad aliquid di- D cuntur quęcumque aliorum eſſe dicuntur *vt duplum dimidij duplum*, ecce relatio in genitiuo caſu, *& maius dicitur maiore maius*, ecce relatio in ablatiuo.

At verò ſunt etiam, & hæc ad aliquid, vt habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, poſitio. Hæc enim omnia, quæ dicta ſunt, hoc ipſum quod ſunt, E aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quidam: habitus enim alicuius habitus eſſe dicitur, & ſcientia alicuius ſcientia, & poſitio alicuius poſitio, & alia quoque ſimiliter. Ad aliquid igitur ſunt quæcumque hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quo- F modolibet aliter ad alterum, vt mōs magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & ſimile alicui ſimile, & cætera talia ſimiliter ad aliquid dicuntur.

In

In hac ſecunda parte enumerat Ariſtoteles genera ſubalterna, ſic etiam fecit in cap. de quanto; ibi enim poſteaquam declarauit genus generaliſſimum quanti, & illius appoſuit definitionem, recenſuit quanti genera ſubalterna, quæ erant ſeptem, linea, ſuperficies, corpus, tempus, locus, numerus, & oratio; pari ratione hoc in loco, definitis relatiuis, enumerat relatiuorum genera ſubalterna, quę ſunt quinque, habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, & poſitio. Habitus enim eſt in numero relatiuorum, quoniam refertur ad habentem habitum: dicimus enim habitus rei habitæ habitus. Non intelligit Philoſophus habitũ, vt vulgo accipitur, pro veſtimento, ſed pro qualitate, quæ difficulter dimoueri poteſt à ſubiecto, vt puta aliquis diu laborem paſſus eſt in aliqua ſcientia, puta tribus, aut pluribus annis verſatus eſt in Dialectica, quare difficulter huius ſcientię obliuiſci poteſt. Refertur igitur habitus ad habentem habitum.

Diſpoſitio item eſt ad aliquid, non intelligas diſpoſitionem, vt vulgo dici ſolet, cum quis non prorſus ſanus eſt; dicitur enim illum habere malam diſpoſitionem, ſed accipitur diſpoſitio ab Ariſtotele pro præparatione ad habitum, vt aliquis ſtuduit duobus annis Dialecticæ, videtur quòd talis ſit diſpoſitus ad percipiendam iſtam facultatem. Diſpoſitio igitur & ipſa eſt relatiuũ, quoniam refertur ad rem diſpoſitam: dicimus enim dſpoſitio rei diſpoſitæ diſpoſitio, & res diſpoſita diſpoſitione diſpoſita.

Senſus quoque eſt ad aliquid; nam dicimus ſenſus rei ſenſibilis ſenſus: & quoniam relatiua non ſunt niſi etiam conuertantur. Conuertitur etiã relatio iſta; nam dicimus reflectẽdo, ſenſibile ſenſu ſenſibile, cũ ſenſus ſit in hoc prędicamẽto ad aliquid. Erunt etiã ſpecies ſenſus quinque, ſcilicet viſus, auditus, guſtus, tactus, & olfactus.

Scientia & ipſa eſt relatiuum, quoniam ad alterũ refertur, ut ſcientia dicitur rei ſcibilis ſcientia, & è conuerſo ſcibile ſcientia ſcibile.

Poſitio & ipſa eſt inter genera ſubalterna prædicamẽti ad aliquid, quoniam ad alterũ refertur

Sed ſciendum eſt, quòd poſitio multipliciter accipitur: interdũ poſitio ſignificat propoſitionem, ideſt principium, & ſic accipiebatur ab Ariſtotele lib. 1. Poſter. interdum pro quantitate habente poſitionem, quæ debet habere tres conditiones, ſcilicet ſitum, permanentiam, & continuationem. Interdum ſignificat prædicamentũ ſitus. Vltimo, poſitio ſignificat relationem, quæ eſt inter ſitum & ſituatum, inter locum & locatum; & de hac ſermo habetur ab Ariſtotele in præſenti capite; nam dicimus poſitio rei poſitæ poſitio, & è conuerſo, res poſita poſitione poſita. Hæc videntur eſſe obſcura, ſed inferius declarabuntur.

Hæc igitur quinque dicuntur eſſe genera ſubalterna prædicamenti ad aliquid, quæ referuntur vel in genitiuo caſu, vel in alio obliquorum; oſtenſo quòd hæc quinque ſunt relatiua ſubalterna oſtẽdit Philoſophus, quòd relatiua vel re-
A feruntur ad alterum in genitiuo caſu, vel in alio obliquorum, dicens, *quod totum eſſe quod habent; habent per reſpectum, & comparationem ad alterum;* quæ comparatio fit vel in genitiuo caſu, vt pater filij pater, vel in datiuo, vt ęquale ęquali æquale, vel in accuſatiuo, vt mons magnus ad montem paruum, vel in ablatiuo, vt ſcibile ſcientia ſcibile.

Et ita Philoſophus ſub contextu verborum duo perſoluit. Attulit primo definitionem relatiuorum; ſecundo ea diuiſit, vel genera ſubal-
B terna enumerauit.

Sed ad maiorem intelligentiam eorum, quæ diximus, notandum eſt, quod facile eſt in prædicamento ſubſtantiæ reperire genus generaliſſimum; ſed non ita facile eſt in prędicamento quãtitatis, & ad aliquid. Nam ſi quis nos interrogaret, quòd nam eſt genus generaliſſimum in prædicamento ſubſtantiæ, ſtatim reſponderemus, eſt ſubſtantia, vel corpus, quæ nam ſunt genera ſubalterna, corpus, corpus animatũ, animal, animal rationale; quæ nam ſpecies, homo, leo, bos,
C equus; quæ nam indiuidua, hic homo, hic leo, hic bos, hic equus.

Si quis nos interrogaret de ijs in cap. de quanto, quodnam eſt genus genariliſſimum, reſponderemus eſt quantum, quę nam ſunt genera ſubalterna, diceremus ea eſſe ſeptem, linea, ſuperficies, corpus, locus, tẽpus, numerus, & oratio, quæ nam ſpecies, linea curua, linea recta, ſuperficies recta, ſuperficies curua; quæ nam indiuidua, hæc linea recta, hæc linea curua, hic numerus binarius, hic numerus ternarius.

D Pari ratione dicendum eſt in prædicamento ad aliquid; genus generaliſſimum relatiuorum eſt ad aliquid. Si verò interrogemur quæ ſint genera ſubalterna, oportet diſtinguere relatiua; vel ſecundũ dici, vel ſecundum eſſe. Nunc agetur de relatiuis ſecundum dici. Dicimus igitur quòd eorũ genera ſubalterna ſunt illa quinque ab Ariſtotele ſuperius enumerata, videlicet habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, poſitio; ſpecies ſpecialiſſimæ in habitu erunt Grammatica, Rhetorica: in diſpoſitione ſimiliter ſpecies erũt Grã-
E mttica, Rhetorica, ſi accipiatur diſpoſitio prout eſt præparatio ad habitum, quod facile remoueri non poteſt; particularia habitus & diſpoſitionis erunt, hæc Grmmatica, hæc Rhetorica, & ſic de reliquis relatiuis. Ecce quòd in omni prædicamento reperiendum eſt genus generaliſſimũ, ſubalterna genera, ſpecies, & indiuidua. Hoc totum Ariſtoteles fecit ſuperius.

Sunt autem & accubitus, & ſtatio, & ſeſſio, poſitiones quædam. Poſi-
F tiones verò ad aliquid ſunt; iacere autem, & ſtare, vel ſedere ipſa quidem non ſunt poſitiones. Denominatiue uerò dicuntur ab ijs, quæ dictæ ſunt; poſitionibus.

Videns

Videns Ariſtoteles occurrentem difficultatem; propterea intendit per hæc verba eam dilucidare. Difficultas autem hinc emanabat, quod dixit ſuperius Ariſtoteles, ſubalterna genera prędicamenti ad aliquid eſſe quinque, & inter hæc enumerabat poſitionem.

At videtur inconueniens, quòd dicat poſitionem eſſe relatiuum, cum poſitio ſit prædicamentum ſitus, qui à Latinis poſitio vocatur. Situs habet tres ſpecies, ſcilicet accubitum, ſtationem, & ſeſſionem; nam nō poſſumus habere niſi tres ſtatus, quoniam aut corpus totum reclinatum eſt, & vocatur accumbere, aut ex parte recumbit, & ex parte reclinatum eſt, & vocatur Sedere, aut totum erectum manet, & vocatur ſtare. Si igitur iſta tria ſunt ſpecies prædicamenti ſitus, quomodo hic Ariſtoteles dicit eas eſſe relatiua? ergo prædicamenta ſunt inter ſe confuſa.

Diſtinguit Ariſtoteles, quòd poſitio capi poteſt vt abſtractum, & vt concretum. Abſtractum eſt, quod caręt materia, vt albedo, nigredo, iuſtitia; cōcretum verò quod eſt in materia, vt albū, nigrum, iuſtum. Poſitio in concreto ſunt accumbere, ſtare, ſedere; quæ ſic accepta reponuntur ſub prædicamento ſitus; ſi autem poſitio conſideretur vt abſtractum, vt accubitus, ſtatio, ſeſſio, ſic erunt in prædicamento ad aliquid. Non eſt igitur mirum, quòd vna res diuerſo modo conſiderata ſit in diuerſis prædicamentis; & ſic per iſtam diſtinctionem tollitur obiectio; nam hic agit de ſpeciebus poſitionis, ſcilicet de accubitu, ſtatione, & ſeſſione, vt ſunt quædam abſtracta, at vt concreta ab eis denominantur, ſcilicet accumbere, ſtare, & ſedere, quæ ſunt concreta, ſunt ſpecies prædicamenti ſitus.

Vnde aduertendum eſt, quòd textus iſte eſt aduerſus aliquos Doctores ſubtiles, qui volunt, quòd nomina concreta, vt album, & iuſtum ſint eiuſdem rationis cum abſtractis, vt albedo, iuſtitia.

Dicūt namque, quòd iuſtum, & iuſtitia idem ſunt, ſed differunt in hoc ſolum, quòd alterum eſt in materia, alterum ſine materia.

Probat Ariſtoteles contra, quòd ſcilicet concretum & abſtractum non ſolū differunt in hoc tantum, quòd concretum eſt in materia, ſed etiā differunt, quoniam ſunt diuerſa ratione, nam ponuntur in diuerſis prædicamentis, nempe nomina concreta in vno, & abſtracta in alio. Eſt igitur inter concretum, & abſtractum alia differentia, præter quam quòd vnus expers eſt materiæ, alterum vero non, quoniam hæc ſunt etiam diuerſa ratione, & diuerſa ratione reponuntur in diuerſis prædicamentis.

Ineſt autem & contrarietas in ijs quæ ſunt ad aliquid, vt virtus vitio contrarium, cum ſit vtrumque eorum, vt aliquid, & ſcientia ignorantiæ, non autem omnibus ijs, quę ſunt ad aliquid, inſunt contraria: duplici enim nihil eſt contrarium, neque triplici, neque vlli talium.

Hæc eſt tertia pars, in qua ponit Philoſophus quatuor proprietates eorum, quæ ad aliquid dicuntur, & quidem facilimas.

Prima proprietas eſt, quòd relatiuis ineſt contrarietas. Probat Ariſtoteles, quod relatiuis inſit contrarietas, & probat exemplo, nam virtus eſt relatiuum, quoniam refertur ad ſtudioſum, & vitium eſt relatiuum, quoniam refertur ad vitioſum, & ſibi inuicem ſunt contraria; nam virtus contrariatur vitio, & vitium virtuti.

Item ſcientia eſt relatiuum, quoniam eſt rei ſcibilis ſcientia, & hæc habet contrarium, quoniam contrariatur ignorantiæ, & inſcitia ſcientiæ, imò ſunt maxime contraria, quoniam priuatiue oppoſita ſunt contraria; ſed hęc ſunt priuatiue oppoſita; nam ſciētia eſt habitus, inſcitia verò priuatio; ergo iſta ſunt maxime contraria; ergo relatiuis ineſt contrarietas.

Verum Ariſtoteles reijcit hanc proprietatem in ijs verbis, *non autem omnibus ijs, quæ ſunt ad aliquid, inſunt cōtraria.* Vult enim Ariſtoteles, quod iſta non ſit vera proprietas, tum quia competit etiam qualitatibus, vt poſterius ſuo loco videbimus, nam album contrariatur nigro, & è conuerſo; ergo non ſoli relationi: tum etiam alia ratione, quam aſſignat Ariſtoteles, quoniam iſta proprietas non competit omnibus quæ ſunt ad aliquid. Probat exemplo, nam duplo, vel triplo, vel quadruplo nihil eſt contrarium, & hæc ſunt relatiua; nam conſiderantur in comparatione ad alterum, vt veſtis dupla conſideratur ad ſimplicem, qua vtimur tempore æſtatis, iſta ſunt relatiua, & tamen non contrariantur. Item pater & filius ſunt relatiua, & tamen non contrariantur: cauſam non reddit Ariſtoteles, cur hæc relatiua non habeant contrarium.

Ego tamen declaro, quando relatiua habent contraria, & quando non: nam conſiderandum eſt fundamentum, in quo fiunt relationes; quoniam ſi fundamentum, in quo fiunt iſtæ relationes habet contrarium, etiam relationes illæ habebunt contrarium: ſi autem fundamentum illud non habet contrarium, neque relationes, quæ in eo fundantur habebunt contrariū, exempli gratia: iſta relatio paternitas, quæ eſt inter patrem, & filium fundatur in prædicamento ſubſtantiæ: at prædicamentum ſubſtantiæ non habet contrarium; ergo neque hæc relatiua, videlicet pater & filius habebunt contrarium. Duplum & dimidium ſunt relatiua, & fundantur in prędicamento quantitatis; at quantitas non habet contrarium; ergo nec iſta habebunt contrarium.

Dubitatur contra ea, quæ dicta ſunt. Et primo contra illud, quod dicit Ariſtoteles, quòd ſcilicet habitus & diſpoſitio ſint in prædicamento relatiuorum, hoc videtur falſum, quoniam po-

nuntur

nuntur in prædicamento qualitatis. Confirmatur per illam regulam antepræ dicamentalem, ſcilicet diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ; ergo

Reſpondetur, habitum, & diſpoſitionem pro fundamento eſſe qualitates, pro relatione vero eſſe in hoc genere.

Secundo dubitatur, quia dicit in textu, quòd relatiua recipiunt contrarietatem, videtur hoc eſſe falſum, quoniam contrarietas ſtat in rebus abſolutis. Confirmatur auctoritate Ariſtotelis cap. de quanto, vbi dixit magnum & paruum non poſſe eſſe contraria, quoniam relatiua ſunt.

Reſpondetur, quòd contrarietas ineſt relationibus ratione fundamentorum, non autem ex ipſa relatiuorum natura.

Et ita ad argumentum dico, Ariſtotelem ſuperius intellexiſſe relatiua non eſſe contraria a natura propria, licet ratione fundamenti interdum relationes contrarietatem recipiant. Sequitur textus.

Videntur autem & magis & minus ea, quæ ad aliquid ſunt ſuſcipere: ſimile enim, & diſsimile magis, & minus dicitur, & æquale, & inæquale magis, & minus dicitur, cum vtrunque ſit ad aliquid. Simile enim alicui ſimile dicitur, & inæquale alicui inæquale; non autem omnia, quę ſunt ad aliquid, ſuſcipiunt magis & minus: duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.

Hic tradit ſecundam proprietatem, quæ eſt prioris pediſſequa: vbi enim eſt contrarietas, ibi etiam eſt magis & minus; vbi non eſt contrarietas, ibi nō eſt magis & minus; ideo Expoſitores vocant iſtas duas proprietates ſorores, quoniam ſemper ſe mutuo conſequuntur. Notabat namque Ammonius cap. de ſubſtantia, quòd illud eſt magis calidum, quod minus habet de ſuo contrario, & illud minus calidum, quod magis habet de ſuo contrario. Dicit itaque Ariſtoteles, quòd ſuſcipere magis & minus eſt ſecunda proprietas relatiuorum; nam relatiua dicuntur eſſe magis & minus, vt figura iſta Cæſaris eſt magis ſimilis Cæſari, quàm alteri; æquale etiam & inęquale ſuſcipiunt magis & minus, quoniam aliquid eſt magis æquale, quam alterum.

At hęc non eſt vera proprietas, quoniam non competit omnibus relatiuis: relatiua enim quæ fundantur in prædicamento ſubſtantiæ, & quæ in prædicamento quantitatis non ſuſcipiunt magis & minus, vt pater & filius, duplum & dimi-

A dium, quoniam non dicitur magis pater vel minus neque filius. Item duplum non dicitur magis vel minus duplum, neque dimidium magis vel minus dimidium.

Sed circa textum oriuntur dubitationes.

Primo dubitatur, nã ponit Ariſtoteles exemplum de æquali & inæquali dicens, hæc dici vel magis vel minus. At hoc videtur aduerſari ei, quod ſuperius diximus: nam dicebamus, quòd relatiua ſunt eiuſdem naturæ cuius ſunt prædicamenta, in quibus fundantur: ſi enim prædica-
B menta in quibus fundantur aliqua relatiua non habebunt contrarium, neque magis & minus, neque etiam relatiua in ipſis fundata habebunt cõtrarium, aut magis & minus, ſed prædicamentum quantitatis non habet contrarium, neque ſuſcipit magis & minus; ergo neque etiam relatiua, quæ fundantur in prędicamento quantitatis, ſed æquale & inæquale per Ariſtotelem in textu ſuſcipiunt magis & minus, & fundãtur in quantitate; ergo eſt contradictio.

Reſpondet Ammonius, quòd vel textus adul-
C teratus eſt, vel hoc Ariſtoteles dicit parum diligenter.

Iſta reſponſio videtur potius Ariſtotelē damnare, quam excuſare.

Ideo aliter reſpondetur cum Boetio, quòd æquale & inęquale non ſunt quãtitates, ſed proprietates quantitatis ſequentes quantitatem; & propterea non ſunt quantitatęs, quãuis ſint proprietates quantitatis. Affero exemplum, Riſibile eſt proprietas hominis, & non eſt homo, quoniam riſibile eſt proprietas, & proprietas eſt ac-
D cidens; ergo falſum eſſet dicere, quòd riſibile eſſet homo, quia ſequeretur, quòd homo eſſet accidens; ſic æquale & inæquale non ſunt quantitates, ſed proprietates quantitatis; & ſic non eſt inconueniens, quòd poſſint eſſe relatiua, & recipere contrarium.

Præterea nota, quòd ſimile & diſſimile dicuntur ſuſcipere magis & minus ratione fundamentorum ſuorum, quæ ſunt contraria ob admixtionem contrarij; ideo dicuntur ſuſcipere magis & minus per admixtionem contrarij.

E Et breuiter illa relatiua, quę fundantur in prędicamentis per admixtionem contrarij ſuſcipientibus magis & minus, ſuſcipiunt magis & minus admixtione contrarij.

Vlterius nota, quòd non eſt incõueniens ſubiectum eſſe in vno prædicamento, & eius paſſio in altero, quoniam ſimile & diſſimile ſunt paſſiones qualitatis, & tamen ſunt etiam in hoc prędicamento.

Secundo dubitatur; nam ſuperius Ariſtoteles in cap. de quanto, dicebat, quòd impoſſibile eſt
F relatiua habere contraria. Cum enim volebat negare, quòd multum & paucum magnum & paruum non ſunt contraria, dicebat, quia relatiua ſunt: relatiua autem cũ per ſe ſubſiſtere non poſſint, ſed ad alterum referantur, nõ habebunt contraria.

Verba ipſius Ariſtotelis hæc erant. *Amplius ſine*

ſiue aliquis ponat quanta eſſe hæc, ſiue nõ ponat, nihil eſt illis contrariũ. Quod enim non poteſt ſumi per ſe ipſum, ſed ad alienũ refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? ergo ſi Ariſtoteles dicit, quòd multũ & paucum, magnum & paruum non ſunt cõtraria, quoniam ſunt relatiua; relatiua autem non poſſunt eſſe contraria; ergo videtur Ariſtoteles ſibi ipſi aduerſari, cum hic aſſerat proprium relatiuorum eſſe habere contraria.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles volebat, quòd quæ referuntur inter ſe, non haberent contrarium, vt pater & filius non ſunt contraria, ſi loquamur de contrarietate naturali: nam ſi de voluntaria, verum eſt, quod aliqui fuerunt, qui patrem occiderunt, & pater occidit filium; neque Dominus & ſeruus ſunt contraria, quoniam iſta referuntur inter ſe: quæ enim referuntur inter ſe, non poſſunt eſſe contraria.

Cum autem dicit, quòd relatiua habent contraria, non capit hic relatiua vt inter ſe comparantur, ſed vt ad aliud, vt ſcientia eſt contraria inſcitiæ; ſcientia & inſcitia non comparantur inter ſe; non enim dicimus ſcientia inſcitiæ ſcientia, ſed ſciẽtia refertur ad ſcibile: dicimus enim ſcientia rei ſcibilis ſcientia: & ſic ſcientia non habet contrarium, ſed ſi comparetur ad aliud, quòd non ſit terminus ſcientiæ, hoc pacto poterit habere contrarium. Item virtus ſi comparetur ad ſtudioſum non habebit contrarium; ſi verò comparetur ad vitium habebit contrarium; nam virtus aduerſatur vitio, & è conuerſo.

Reſponſio igitur ſtat in duobus verbis, videlicet quòd relatiua vt inter ſe referuntur, non habent contraria; vt verò referuntur ad ſua oppoſita, habent contraria; & ſic accipitur hoc in loco.

Sequitur tertia proprietas.

Omnia autem quę ſunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur, vt ſeruus Domini ſeruus, & Dominus ſerui Dominus eſſe dicitur, & duplum dimidij duplum, et dimidium dupli dimidium, et maius minore maius, et minus maiore minus. Similiter et in alijs; ſed caſu aliquotiens differunt ſecundum locutionem, ut ſcientia ſcibilis ſcientia dicitur, et ſcibile ſcientia ſcibile, et ſenſus ſenſibilis ſẽſus, et ſenſibile ſenſu ſenſibile.

Nunc Ariſtoteles intendit tertiam proprietatem relatiuorum deſcribere, quæ eſt, quòd relatiua dicuntur ad conuertentia, & affert diuerſa exempla, vt Dominus & ſeruus ſunt relatiua, & dicuntur ad conuertentia; nam dicimus, Dominus ſerui Dominus, & ſeruus Domini ſeruus, dimidium dupli dimidium, & duplum dimidij duplum. Item dicimus, maius minore maius, & minus maiore minus: & ſic patet in hac reflexione,

A quòd illa dicuntur relatiua, quæ conuertuntur, & reflectuntur mutuo.

Notant Expoſitores, quòd eſt differentia inter verſionem, conuerſionem, & cõuertentiam. Verſio vocatur, cum res mutant, & vertuntur ſitũ, vt ſi pars dextera fieret ſiniſtra, & ſiniſtra dextera. Conuerſio, cum conuertuntur propoſitiones ipſę, quando prædicatum fit ſubiectum, vt homo eſt riſibilis; hæc propoſitio ſi conuertatur, prædicatum erit ſubiectum, dicendo, riſibile eſt homo, hęc conuerſio pertinet ad propoſitiones.

B Dici autem ad conuertentiam reſpicit mutuam reflexionem relatiuorum, vt pater filij pater, & è conuerſo reflectendo, filius patris filius, & Dominus ſerui Dominus, & ſeruus Domini ſeruus.

Vnde ſciendum eſt, quòd in omni relatione fit principium a caſu recto: incipimus enim aſſignare à nominatiuo caſu, vt pater filij pater; pater eſt principium relationis, & eſt in caſu recto; ſic reflectendo, filius patris filius, ſemper principiũ relationis ſiue ſit in aſſignatione, ſiue in reflexione, ſemper incipimus a caſu recto, qui eſt
C nominatiuus, vt æquale æquali æquale, & ſic de alijs. Verùm in illis verbis, licet *ſed caſu aliquotiens differt ſcundum locutionem, ut ſciẽtia ſcibilis ſciẽtia dicitur & ſcibile ſcientia ſcibile.* Dicit Ariſtoteles, quòd quando facimus relatiua, incipimus à nominatiuo, vt pater & filius, Dominus & ſeruus: & quòd hæc relatiua ſeruant vt plurimum eoſdem caſus in cõuerſione, namque in reflexione reflectimus nominatiuũ ad genitiuum: quod enim in aſſignatione erat nominatiuum, in reflexione erit in genitiuo.

D Verùm, inquit Ariſtoteles, quòd interdum in reflexione mutamus caſum aliqua enim relatiua non conuertuntur ijſdem caſibus, in quibus aſſignata fuerunt, vt ſcientia ſcibilis ſcientia, & ſenſus ſenſibilis ſenſus; fit enim mutatio in reflexionẽ genitiui cum ablatiuo. Quamuis igitur aliqua relatiua conuertantur in diuerſis caſibus, quam aſſignata fuerint; hoc tamen nihil refert.

At verò aliquoties non videbitur
E conuerti, niſi conuenienter ad quod dicitur, aſſignetur, ſed peccet is, qui aſſignat, vt ala ſi aſſignetur auis, non conuertitur, vt ſi auis ala: non enim prius conuenienter aſſignatum eſt ala auis; neque etenim quatenus auis eſt, eatenus ala ipſius dicitur, ſed eo quod alata eſt. Multorum enim
F & aliorum alæ ſunt, quæ non ſunt aues; quare ſi aſſignetur conuenienter, & conuertitur, vt ala alati ala eſt, & alatum ala alatum.

Ariſtoteles aſſignata iſta proprietate relatiuorum occurrit ſibi ipſi tribus rationibus, probans,

quòd

quòd hæc proprietas non eſt vera proprietas relatiuorum, quoniam non omnia relatiua habent iſtam conditionem, quoniam plura ſunt, quæ nõ dicũtur ad conuertentiam; nam ala & auis ſunt relatiua, & tamen non conuertuntur; quamuis enim dicamus quòd auis ſit alæ auis, non tamen valet reciprocatio, ala auis ala, quoniã ſunt quædam animalia, quæ habent alam, & tamen non ſunt aues, vt Strucius habet alas, & tamen non eſt auis, quoniam Strutius eſt quoddam medium inter capram, & auem; habet enim Strutius pedes caprinos. Auis igitur & ala non conuertuntur; ſiquidem ala eſt quoddam cõmunius, quàm auis, & tamen ala & auis ſunt relatiua; ergo non omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam.

Hoc idem probat duabus alijs rationibus. Verùm prius inquit, quòd hęc prima ratio nil facit; quoniam cum dicit ipſe Ariſtoteles, quòd relatiua dicuntur ad conuertentiam, intelligitur de relatiuis rectè aſſignatis; ſed ala & auis non ſunt rectè aſſignata; quia cum dicitur auis eſt alę auis, aſſignatio eſt incongrue & inepte facta: eſt enim facta ad communius, debet fieri ad æquale; nam ala maius quoddam eſt, & in plura diffunditur, quàm auis: at relatiua vt conuertantur, opus eſt vt aſſignentur conuenienter, quod fiet ſi adęquale aſſignentur, vt dicendo, ala alati ala, & alatum ala alatum.

Aliquotiẽs autem forte et nomen fingere neceſſe erit, ſi non fuerit nomen impoſitum ad quod conuenienter aſſignetur, vt Temo ſi aſſignetur nauigij, non eſt aſſignatio conueniens: neque enim eo quod nauigium eſt, eò ipſius Temo dicitur; ſunt enim nauigia, quorum temones non ſunt; quare non couertitur: nauigium enim non dicitur temonis nauigium, ſed forte conuenientior aſſignatio erit, ſi ſic quodammodo aſſignetur, temo temonatę rei temo eſt, aut quomodocumque aliter: nomen enim non eſt poſitum, & conuertitur ſi conuenienter aſſignetur; temonatum enim temone temonatum eſt.

Affert Ariſtoteles ſecundam rationem, & dicit, quòd temo & nauigium ſunt relatiua, & ab omnibus reputantur relatiua, tamen non conuertuntur. Dicimus enim temo nauigij temo; at non dicimus conuertendo, nauigium temonis nauigium, quoniam videmus, quòd ſunt quã plurimæ nauiculæ, vt cymba, & piſcatoriæ, quę temone carent; ergo ſi eſt nauis ſine temone, nõ

A conuertetur nauis cum temone; ergo iſta relatiua non dicuntur ad conuertentiam.

Huic ſecundæ rationi reſpondet Ariſtoteles eodem modo, vt ſupra primæ relatæ, quòd relatiua non ſunt conuenienter aſſignata: ſunt enim aſſignata ad communius, propterea ſunt referenda ad æquale; & cum non eſt nomen, valemus nomen fingere, vt ſi dicamus temo temonati temo, & temonatum temone temonatum.

Similiter autem & in alijs caput B conuenientius aſſignabitur capitati caput, quàm ſi animalis aſſignetur; neque enim eò quod eſt animal caput habet; multa enim animalia ſunt capita non habentia. Sic autem facilime quis ſumet, quibus poſita nõ ſunt nomina, ſi ab ijs, quæ prima ſunt, & ijs, ad quæ conuertuntur, nomina po C nantur, vt in ijs, quę prędicta ſunt, ab ala alatum, à temone temonatum.

Tertia ratio, qua probat iſtam proprietatem non eſſę veram, quoniam omnia relatiua non cõuertuntur, traditur hoc in loco. Et eſt quoniam caput & animal ſunt relatiua, & ab omnibus reputantur relatiua, & tamen non dicuntur ad cõuertentiã, quoniã quamuis caput dicatur animalis caput, nõ tamẽ reflectitur dicendo, animal capitis animal, quoniam ſunt quædam animalia, D quæ non habent caput, vt oſtreæ, ſpongiæ marinæ, & huiuſmodi, & tamen ſunt animalia; ergo non omnia relatiua dicuntur ad cõuertentiam. Huic dubitationi ſatisfacit Ariſtoteles pari ratione, vt ſupra dictis, quòd nõ ſunt rectè aſſignata, caput & animal, quoniam inæqualia ſunt. Vt itaque hæc conuertantur, ſunt exequanda, quod fiet ſi augebimus id, quod minus eſt. Exemplum in his, & prædictis relinquendo auem faciemus denominationem ab ala, ſcilicet alatum, & ſic verum erit dicere, vt ſupra etiam dictum eſt, ala E alati ala, alatum ala alatum, caput & animal non rectè ſunt aſſignata, quoniam inęqualia ſunt, exequamur ea, & diminuamus id, quod eſt maius: maius autem eſt animal, relinquamus animal, & effingamus aliud nomen, quòd ſit minus; fiet autem iſtud nomen capitatum, faciendo denominationem à capite, & ſic iſta erunt relatiua rectè aſſignata, & ad conuertentia dicentur, vt caput capitati caput, & capitatum capite capitatum; & ſic etiã dicitur temo temonati, temo, & temonatum temone temonatum. Oportet igitur quã F do relatiua ſunt inęqualia, ea circumſcribere, vt loco animalis dicere capitatum, loco auis alatũ, loco nauigij temonatum, & ſic conuertentur.

Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur, ſi conuenienter aſſignentur, ad conuertentia dicuntur; quoniam

ſi ad

ſi ad quodlibet aliud aſsignantur, et non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem quoniam neque eorum, quæ in confeſſo ad conuertentia dicuntur, & nomina eis poſita ſunt, nihil conuertitur, ſi ad aliquid eorum, quæ ſunt accidentia, aſſignentur, & non ad id, ad quod dicuntur, vt ſeruus ſi non Domini aſsignetur, ſed hominis, vel bipedis, vel cuiuſcumque talium non cōuertitur; neque enim dici poteſt, homo eſt ſerui homo: non enim conueniens eſt aſſignatio, amplius ſiquidem conuenienter aſsignent ad quod dicitur, omnibus alijs ſublatis, quæcumque accidentia ſunt, relicto autem ſolo illo, ad quod aſsignatum eſt conueniēter, ſemper ad ipſum dicetur, vt ſi ſeruus ad Dominū dicitur, circūſcriptis omnibus, quæ accidentia ſunt Domino, vt eſſe bipedem, vel ſcientiæ ſuſceptibilem, vel hominem, relicto vero ſolo, quòd Dominus eſt, ſemper ſeruus ad ipſum dicetur: ſeruus enim Domini ſeruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur, aſsignetur, circūſcriptis omnibus alijs: relicto autem eo ſolo, ad quod aſsignatum eſt, non dicetur ad ipſum. Aſsignetur enim ſeruus hominis, & ala auis, & circumſcribatur ab homine eſſe Dominum, non ſanè amplius ſeruus ad hominem dicetur; cum enim Dominus non ſit, neque ſeruus eſt. Similiter & de aue, ſi adimatur eam alatam eſſe; non enim amplius erit ala ad aliquid: cū enim non ſit alatum, nec ala erit alicuius; quare oportet aſsignare ad id, ad quod conuenienter dicitur, & ſi ſit nomen poſitum, facilis erit aſsignatio: ſi autem non ſit, fortaſſe neceſſarium erit nomen fingere. Si autem

A ſic aſsignentur, manifeſtum eſt, quoniam omnia, quæ ad aliquid ſunt, ad conuertentia dicuntur.

Cauſa quare tria illa exempla ſuperius adducta non dicantur ad conuertētia, eſt vitio illius, qui aſſignat, quia non aſſignat recte & conueniēter, quoniam ſi recte & conuenienter aſſignarentur, ideſt ad æqualia, tunc mutuo recipro carentur, & conuerterentur.

B Propterea in hac parte Ariſtoteles vult vnicā afferre regulam, vt doceat nos quomodo debeamus recte aſſignare relatiua, & dicit, quòd quando volumus conuenienter aſſignare relatiua, oportet aſſignare relatiuum ad ſuum principale, non autem ad ſuum acceſſorium. Exemplum, Aſſignes ſeruum ad hominem, homo eſt acceſſorium, non principale huius relationis ſeruitus, quoniam accedit Domino, vt ſit homo. Ad cognoſcendum autem ſi relatiuum aſſignetur principali vel acceſſorio, *circumſcribantur ab homine*, C ideſt detrahantur ab homine omnes proprietates ipſius, vt eſſe bipedem, rationalem, Dominū, &c. & aſſignetur ſeruus ad hominem, ſi ſeruus & homo conuertuntur, cum fuerint omnes iſtę proprietates circumſcriptę, & fuerit relictum ſolummodo homo, illa aſſignatio eſt conuenienter facta, ſed ſeruus non conuertitur cum homine; ergo iſta eſt aſſignatio inconuenienter facta, è conuerſo, circumſcribas, & auferas omnes alias proprietates, vt eſſe riſibile, bipedem, hominem rationalem, & relinquatur ſolummodo eſſe Domi-
D num, tunc ſeruus cōuertitur ad Dominum, quoniam dicimus, Dominus ſerui Dominus, & è cōuerſo, ſeruus Domini ſeruus; ergo iſta aſſignatio erit conuenienter & apte facta, & ſic de alijs.

Quandocumque igitur volueris cognoſcere, vtrum relatiua ſint aſſignata ad ſua principalia, circumſcribas ab altero relatiuorū omnes alias proprietates illius relatiui, & relinquatur ſolummodo illa, ad quam refertur; ſi relatiua conuertā tur; aſſignatio eſt conuenienter facta; ſin minus aſſignatio non eſt cōuenienter facta, ſed inepte,
E vt fac iſtam relationem, Dominus ſerui Dominus; fac periculū an iſta aſſignatio ſit conuenienter facta, nec ne, hoc modo poteris cognoſcere ſi circumſcribatur, & demantur per intellectum noſtrum omnes proprietates ſerui, vt eſſe hominem, riſibilem, bipedem, rationalem, &c. relinquatur ſolummodo eſſe ſeruum, ſi ſeruus conuertitur cum Domino, aſſignatio Domini cum ſeruo erit apte & conuenienter facta: ſeruus autem cōuertitur cum Domino; nam dicimus, Dominus ſerui Dominus, fiat reflexio, ſeruus Domi-
F ni ſeruus; iſta ergo aſſignatio erit conuenienter facta, & ſic de alijs.

Videntur autem ipſa ād aliquid ſimul eſſe natura, & in plurimis quidē verum eſt, in aliquibus verò non verum;

rum;

rum; ſimul enim duplum, & dimidium ſunt, & cum ſit dimidium, duplum eſt, & cum ſit Dominus, ſeruus eſt, & cum ſit ſeruus, Dominus eſt. Similiter autem his & alia; ſimul autem hæc auferunt ſeſe inuicem: ſi enim non ſit duplum, non erit dimidium, & ſi non ſit dimidium, non erit duplum. Similiter autem & in alijs quæcumque talia ſunt.

Nunc Ariſtoteles non contentus prima, ſecunda, & tertia relatiuorum proprietate, quas ſuperius enumerauit, aſſignat quartam, & vltimam proprietatem, quæ eſt, quòd relatiua ſunt ſimul natura.

Vnde notandum, quòd omnes iſtæ proprietates relatiuorum, quas recenſuit Ariſtoteles, eſt relatiuorum ſecundum dici, non autem relatiuorum ſecundum eſſe, quoniam adhuc non tractauit Ariſtoteles de relatiuis ſecundum eſſe.

Dicit igitur, proprium relatiuorũ eſſe, quòd ſunt ſimul natura, vt pater & filius ſunt ſimul natura, & hæc ſimul ſunt. Particula illa, *ſimul*, denotat aut res, quæ eodem tempore fiunt, aut res, quæ eadem ratione exiſtunt, ſeu ſunt ſimul natura. Simul & prius contraria ſunt; nam ſi aliqua non ſunt ſimul; ergo ſunt prius natura. Aliud eſt etiam prius tempore, & aliud eſt prius natura. Similiter ſimul dupliciter accipitur, ſimul tempore, & ſimul natura. Simul tempore reſpicit tempus, in quo illa fiunt, vt actio mea & actio alterius Iuriſconſulti, ſunt ſimul tempore; ſi in eodem tempore fiant, in eadem hora; ſimul natura ea ſunt, quæ non reſpiciunt tempus ſolum; ſed quæ recipiunt eandem generationem, & corruptionem: quęcunque enim ſe ſimul conſtituunt, & ſe ſimul auferuntur, dicuntur eſſe ſimul natura, vt pater eſt filij pater, poſito patre ſtatim neceſſe eſt poni filium, & poſito filio ponitur pater. Simili modo ſi corrumpitur pater, aufertur etiam filius; & è conuerſo. Relatiua igitur ſunt ſimul natura, quia ſeſe mutuo conſtituunt, & ſeſe mutuo perimunt.

Alij aliter exponunt hanc proprietatem dicentes, relatiua ſunt ſimul natura, id eſt ſimul naturaliter intelliguntur, quia cognito vno, cognoſcitur & reliquum, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci. 2. Metaph.

Dicit præterea Ariſtoteles, quòd hæc proprietas relatiuorum, ſcilicet eſſe ſimul natura, in aliquibus vera eſt, in aliquibus non videtur, quamuis appareat in aliquibus relatiuis non eſſe veram hanc proprietatem, tamen hæc proprietas ſeruatur in omnibus. Dicit autem Ariſtoteles, quòd relatiua ſunt ſimul natura, quæ ſeſe ſimul conſtituunt, & ſimul ſe auferũtur, vt ſi eſt

A duplum, neceſſario eſt dimidium, & è conuerſo.
Item ſi auferatur duplum, aufertur etiam dimidium, & è contrario. Relatiua ſeſe mutuo conſtituunt, & auferũt ratione ipſius relationis, non autem ratione ipſius fundamenti.

Vnde notandum eſt, quod ſibi velit relatio, & fundamentum, Dominus & ſeruus ſunt relatiua; alterum enim refertur ad alterum, & poſito vno, ponitur & alterum, & ſi auferatur vnum, aufertur & alterum. Iſta relatiua poſſunt conſiderari dupliciter, videlicet Dominus & ſer-
B uus, & ratione relationis, & ratione fundamenti. Relatio eſt ſeruum eſſe, & Dominum eſſe; fundamentum eſt ipſa ſubſtantia; hæc relatio ſeruum & Dominum eſſe innititur communi fundamento, quod eſt ſubſtantia, tamen nõ conſiderantur ratione fundamenti, ſed ratione relationis. Vult igitur Ariſtoteles, quòd relatiua quando ſeſe inuicem conſtituunt, & ſeſe inuicem auferunt, conſiderentur ſecundum relationem, & non ſecundum fundametum, quoniam ſi conſiderarentur ſecundum fundamentum,
C non ſeſe inuicem conſtituerent, neque auferent.

Ex hoc ſoluitur dubitatio eorum, qui dicunt relatiua non eſſe ſimul natura, quoniam quamuis vnum corrumpatur, remanet tamen alterum; non autem tollatur, vt pater & filius ſunt relatiua, non autem ſeſe ſimul auferunt, quoniã quãuis deficiat pater, remanet adhuc filius, imò videmus vt plurimum hoc contingere; nam ratione naturali prius interit pater, quam filius.

Reſponſio ex dictis colligitur, quòd pater &
D filius ſunt ſimul natura ratione relationis, non autem ratione fundamẽti, quoniam mortuo patre, deperditur nomen filij, & non vocatur amplius filius: filius enim eſt patris filius; ſi autem deſit pater, non amplius erit filius quo ad relationem, quamuis ſit filius quatenus ſubſtantia, quatenus homo animal rationale.

Non autem in omnibus his, quæ ad aliquid verum videtur eſſe ſimul
E natura; ſcibile enim ſcientia prius videbitur eſſe, namque in pluribus præexiſtentibus rebus, ſcientias accipimus; in paucis enim vel nullo quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam, amplius ſcibile ſublatum ſimul aufert
F ſcientiam: ſcientia verò ſimul non aufert ſcibile; nam ſi ſcibile non ſit, non erit ſcientia; nullius enim erit ſcientia, ſcientia vero ſi non ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile, vt circuli quadratura ſi eſt ſcibilis,

ſcientia quidem eius nondum eſt, ipſa verò ſcibilis eſt; amplius animali quidem ſublato non erit ſcientia; ſcibilium verò plurima eſſe contingit.

Incipit Ariſtoteles differere, & diſputare contra ſe ipſum oſtendens, quod relatiua non ſemper talia ſunt, vt ſint ſimul natura, & vtitur hoc proprio argumento. Illa non ſunt ſimul natura, quorum vnum præcedit alterum, ſed dantur relatiua, quorum vnum præcedit alterum; ergo dantur relatiua, quæ non ſunt ſimul natura. Minor propoſitio, quòd ſint aliqua relatiua, quorũ vnum antecedit alterum, probatur ab Ariſtotele tribus rationibus.

Prima ratio eſt iſta, ſcibile & ſcientia ſunt relatiua, hoc perſpicuum eſt, quoniam ſcibile refertur ad ſcientiam, & ſcientia ad ſcibile. Hæc enim ſunt relatiua fundata in qualitate; ſed ſcibile eſt prius natura quàm ſcientia; ergo ſcientia & ſcibile non ſunt ſimul; quòd ſcibile præcedat ſcientiam, hoc clarum eſt; nam in acquirendis ſcientijs prius ſunt res ſcibiles, quam ſcientiæ, exempli gratia. Si quis vult percipere Philoſophiam, vel aliam ſciẽtiam, nonne prius ſunt res ſcibiles, vt Philoſophia ante eius ſcientiam, & cognitionem eius, qui eam percipere vult? Patet igitur, quòd ſcibilia præexiſtunt, quàm ipſa ſcientia: quod autem præexiſtit, præcedit, & quod præcedit non eſt ſimul. Dicit itaque Ariſtoteles in ijs verbis, licet, *In paucis enim vel nullo quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam*, quod vt in pluribus ſcibilia præcedũt ſcientiam, & ſcibile eſſe cum ſcientia in paucis reperitur, vel in nullo. Cauſa huius loquendi modi affertur ab Ammonio, Ariſtotelem propterea dicere; *quod vel numquam ſimul ſunt ſcibilia cum ſcientia, vel rariſſime*; nam ſcibilia, vt res naturales, quæ prius ſunt, quam ſcientia, ſunt antiquiſſimæ, & vetuſtiores noſtra ſcientia. At illud verbum, *in paucis*, dicit Ammonius, refertur ad res artificiales, quaſi dicat, ſcibilia numquã ſunt ſimul cum ſcientia, vt res naturales, quæ prius ſunt, quàm ſcientiæ: ſed ſunt aliqua quorum ſcibilia, & ſcientia ſimul ſunt; & hæc ſunt res artificiales, quæ ſimul ſunt cum ſciẽtia; nam vidimus figulum conficere vaſculum illud, adſunt multi ſpectatores, & iſti cognoſcunt ſimul ſcibile, & ſcientiam illius. Generatur enim & illud vaſculum, quod eſt ſcibile, & ſimul de eo acquirimus ſcientiam; ergo ſcibile & ſcientia raro in rebus naturalibus ſunt ſimul; at in rebus mechanicis, & artificialibus aliquãdo ſcibile & ſcientia ſunt ſimul.

Secunda ratio, qua vtitur Ariſtoteles, vt probet ſcibile, & ſcientiam non eſſe ſimul, ſed ſcibile præcedere, eſt in illis verbis, *Amplius ſcibile ſublatum ſimul aufert ſcientiam, ſcientia verò ſimul non aufert ſcibile*. Argumentatur Ariſtoteles exẽ

A plo ſumpto à Geometris de tetragoniſmo, de quadratura circuli, dicit Ariſtoteles, quòd illud præcedit alterum, neque eſt ſimul cum eo; quod ſecum aufert, at non ſimul aufertur. Dat exemplum de tetragoniſmo, ideſt de quadratura circuli.

Hoc eſt theorema diu agitatũ a Geometris. Dubitant enim iſti, quomodo circulus dicatur quadratus; nam difficilimum eſt inuenire proportiones inter lineas rectas, & curuas: iſta dubitatio ita difficilis extitit, vt tempore Ariſtotelis B non fuerit inuenta. Dicit igitur Ariſtoteles, quod circuli quadratura eſt res ſcibilis, quia poteſt ſciri; eſt enim theorema, tamen ſuis temporibus adhuc non erat eius ſciẽtia. Item corrupta ſcientia, non corrumpitur ſcibile, vt in exemplo prædicto: quamuis enim non ſciatur tetragoniſmus, tamen adhuc tetragoniſmus eſt ſcibilis.

Et ſi quis quærat, an hæc quadratura circuli temporibus noſtris inuenta ſit, necne; aliqui ſentiunt, quod inuenta ſit, aliqui non; ſed hic non eſt locus huius quæſtionis tractãdæ, ſat eſt, quòd C tempore Ariſtotelis non fuit inuenta, ita vt verum eſſet dicere, quòd ſcibile non eſſet ſimul cũ ſcientia: nam ea tempeſtate quadraturæ circuli ſcientia non habebatur, tamen erat ſcibilis; negatio igitur vnius, non eſt negatio alterius; quoniã quamuis negemus tetragoniſmi ſcientiam, non tamen eſt negandum, tetragoniſmum eſſe ſcibilem, in illis verbis, *Amplius animali quidem ſublato*. Ponit tertiam rationem, qua probat Ariſtoteles ſcibile eſſe prius ſcientia: nam imaginemur corruptionem animalis, corrupto animali, corD rumpitur homo, ablato homine, corrumpitur ſcientia: nam homo eſt ſubiectum omnium ſciẽtiarum, quoniam ſcientiæ ſunt in anima rationali; ergo de primo ad vltimum patet, quòd corrupto animali, corrumpuntur omnes ſcientiæ; tamen quamuis non ſint ſcientiæ, contingit adhuc plura eſſe ſcibilia, vt elementa, plantæ, corpus cœleſte, & reliqua, quæ dicuntur eſſe ſcibilia. Manifeſtum eſt igitur, quòd corrupto animali, corrumpitur & homo, atque adeo anima ratioE nalis, & ſcientia, & remanet adhuc ſcibile. Iſta ſunt argumenta, quæ adducuntur ab Ariſtotele, vt probet rationem primam de ſcibili, & ſcientia, quòd ſcilicet ſcibile ſit prius ſcientia, atque ideo non ſint ſimul; & ſic non habent hanc proprietatem omnia relatiua, videlicet eſſe ſimul natura.

Similiter autem his ſeſe habent ea, quæ de ſenſu ſunt; ſenſibile enim F prius, quàm ſenſus eſſe videtur: ſublato enim ſenſibile, ſimul aufert ſenſum; ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert; ſenſus enim circa corpus, & in corpore ſunt, ſenſibile autem ſublato, aufertur & corpus; ſenſibile

enim

enim corpus eſt. Cum autem corpus non ſit, aufertur & ſenſus; quare ſimul aufert ſenſibile ſenium; ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert; ſublato enim animali, ſenſus quidem aufertur; ſenſibile autem erit corpus, vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcumque ſunt ſenſibilia.

Amplius ſenſus quidem ſimul cũ ſenſitiuo fit; ſimul enim fit animal, & ſenſus; ſenſibile verò ante animal aut ſenſum eſt: ignis enim & aqua, & alia huiuſmodi, ex quibus ipſum animal conſtat, ante ſunt, quàm animal omnino ſit, aut ſenſus; quare prius ſenſibile, quàm ſenſus eſſe videbitur.

Nunc Ariſtoteles ſubnectit alterum argumẽtum de ſenſu & ſenſibili, dicens, quòd iſta relatiua non ſunt ſimul, ſed quòd ſenſibile ſit prius, & dicit, *Similiter autem his ſeſe habent ea, quæ de ſenſu ſunt*. Dicit Ariſtoteles, ſenſus & ſenſibile ſunt relatiua, tamen ſenſibile & ſenſus non ſunt ſimul, quoniam ſenſibile eſt prius; ergo non omnia relatiua ſunt ſimul. Quòd ſenſibile & ſenſus ſint relatiua, patet ex principio huius capitis, cum dicebat, relatiuum ad alterum referri, & aſſignabat exemplum de ſenſu & ſenſibili, quę cõuertuntur; nam dicimus ſenſus ſenſibilis ſenſus, & ſenſibile ſenſu ſenſibile.

Quòd ſenſibile præcedat ſenſum, probatur primum hoc pacto. Illud quod ſecum aufert, & non ſimul aufertur, eſt prius, ſed ſenſibile ſi auferatur ſimul aufert ſenſum, non autem è conuerſo. Si enim auferatur ſenſus, non tamen aufertur ſenſibile; ergo ſenſibile eſt prius ſenſu. Minor propoſitio patet, quòd ſi auferatur ſenſibile, auferatur etiam ſenſus; nam ſi corrumpatur ſenſibile, corrumpitur animal, & ſenſus, quod eſt in animali; corrupto autem ſenſu, non tollitur ſenſibile, quoniam adhuc remanebunt ſenſibilia, vt plantæ, elementa, & reliqua, & hoc eſt quod vult dicere in ijs verbis, *Senſus verò ſenſibile non ſimul aufert, ſublato enim animali, ſenſus quidem aufertur.* Eſt pulcherrimum argumentum, quòd ſenſibile eſt prius ſenſu, quoniam ſi ſenſus auferatur, non tamen tollitur ſenſibile, quoniam erunt hæc, ſcilicet calidum, dulce, amarum, quæ ſunt ſenſibilia.

Alterum argumentum, quo probatur ſenſibile præcedere ſenſum, ponitur ab Ariſtotele in his verbis: *Amplius ſenſus quidem cum ſenſitiuo ſimul fit, ſimul enim fit animal & ſenſus*. In A his inquàm verbis affert ſecundam rationem, vt probet ſenſibile prius eſſe quàm ſenſus: ſenſus & animal ſimul ſunt, quoniam ſenſus ſunt in animali, ſed ſenſibile præcedit animal; ergo ſenſibile prius eſt animali, atque adeo ſenſu. Minor propoſitio probatur, quoniam illud eſt prius altero, quod eſt cauſa ipſius, ſed elementa ſunt cauſa animalis, quoniam animal conflatur ex quatuor elementis, & elementa ſunt ſenſibilia; ergo ſenſibile eſt prius etiam animali & ſenſu: ergo concludendum eſt, tum argumento de B ſcientia, & ſcibili, tum etiam de ſenſu, & ſenſibili, & rationibus ſuper idem adductis, quòd non omnia relatiua ſunt ſimul natura, quoniam ſcibile eſt prius ſcientia, & ſenſibile ſenſu.

Sed oritur difficultas ex duabus præcedentibus proprietatibus relatiuorum; quarum vna eſt, quòd relatiua dicuntur ad conuertentia; altera, quòd relatiua ſunt ſimul natura. Primo enim colligitur Ariſtotelem voluiſſe dari circulum, ſeu circularem demonſtrationem. Eſt autem circulus, cum maior, vel minor propoſitio C ſyllogiſmi demonſtratiui, fit concluſio, exempli cauſa, Omnis homo eſt riſibilis, omne animal rationale eſt homo; ergo omne animal rationale eſt riſibile. Si conuertatur minor huius ſyllogiſmi, & concludatur maior, fiet circulus, vt omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale; ergo omnis homo eſt riſibilis, ecce quòd maior eſt facta concluſio. Aliud exemplum, Mulier, quæ peperit, habet lac, hæc peperit; ergo habet lac. Conuertatur maior, Mulier, quæ habet lac, peperit, hęc habet D lac; ergo hæc peperit: iſte eſt circulus, vel circularis demonſtratio.

Cum itaque Ariſtoteles dicit, quòd relatiua mutuo reflectuntur, videtur concedere circulum, qui tamen ab eo refutatus eſt, 1. Poſt. tex. com. 22. quia facit eadem priora & poſteriora; ſed relatiua conuertuntur ſecundum Ariſtotelem; ergo videtur hic concedere circulum.

Reſpondetur, quòd dupliciter poſſumus ſatisfacere huic difficultati.

E Primo, Ammonius reſpondet, qui in cap. de ſpecie in Prædicabilibus Porphyrij, volebat genus & ſpecies eſſe relatiua, quoniam vnum definit alterum: dicimus enim genus ſpeciei genus, & è conuerſo: & propterea ibi etiam videbatur dari circularem demonſtrationem.

Dixit Ammonius, quòd demonſtratio circularis in ſolis relatiuis poteſt concedi; in alijs autem rebus non dari: & propterea cum dicebat Ariſtoteles 1. Poſt. loco citato non dari circulũ, reſpondendum eſt, non dari in rebus per ſe, quæ F ſunt abſolute, ſed bene dari poſſe in rebus, quæ referuntur ad inuicem, ideſt in relatiuis.

Hanc reſponſionem ego arbitror eſſe ad aures Philoſophi: ſiquidem eod. libro primo Poſt. tex. com. 26. concedit dari demonſtrationem circularem in conuertibilibus. Inſuper etiam ſecundo Poſter. dicit Ariſtoteles in his, quæ relatiua ſunt, & quæ fiunt per mutuam refle-

xionem, demonſtrationem eſſe circularem, & dat exemplum de madefactione terræ, & de pluuia; & dicit, quod madefactio terræ, eſt propter pluuiam, & pluuia propter madefactionem terræ.

Secundus modus reſpondendi eſt Commentatoris diſputantis contra Auicennam. Vult enim iſte vir, quòd in relatiuis non ſit circulus, & quòd relatio non eſt demonſtratio circularis; quamuis enim iſta relatio, pater filij pater, & filius patris filius, mutuo reciprocetur, & reflectatur, non tamen habet circulum: iſta enim mutua reciprocatio non eſt circularis, quia circulus eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, ſed ex relatione non demonſtratur, quia relatio non eſt ſyllogiſmus, nudæ tantum conſequentiæ inuicem conuertuntur, & ſi pater eſt, filius eſt, ſi filius, ergo pater; quare relatio non eſt demonſtratio, neque ſyllogiſmus, ſed eſt tantum nuda conuertentia; ergo in relatiuis non datur demonſtratio circularis.

Secunda difficultas eſt, quòd videtur Ariſtoteles parum fuiſſe cautus, neque negligentiæ excuſari poſſe, quoniam probauit non omnia relatiua eſſe ſimul natura, illis argumentis de ſcibili & ſcientia, de ſenſibili, & ſenſu, & ipſa non ſoluit; ergo videtur diminutus.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles non poteſt accuſari negligentiæ, quoniam prætermiſerit ſolutionem illorum argumentorum, ſed cur ab ipſo fuerint prætermiſſæ cognoſcendum eſt ex Græcis expoſitoribus; nam dicit Porphyrius, quòd cauſa cur Ariſtoteles prætermiſit ſolutiones iſtas, fuit ad ſummam vtilitatem noſtram, & dat exemplum, quod fecit Ariſtoteles ad inſtar bonæ nutricis, quæ ſuis puellulis mandit aliquando cibum, vt aſſueſcant, neque ſemper exhibet lac; ſic Philoſophus facit, nam aliquando demonſtrat, aliquando inſtruit falſitatem, vt iuuenes aſſueſcant: quare hoc prætermiſſum eſt ab Ariſtotele maximo ſtudio, & arte, quoniam volebat vt etiam nos exerceremus noſtra ingenia in ſoluendis argumentis.

Ideo ad argumentum Ariſtotelis reſpondebat Porphyrius, quòd ſcibile & ſcientia, ſenſus & ſenſibile trifariam conſiderantur, vel quo ad actum vtrumque, vel quo ad potentiam vtrumque, vel alterum quo ad actum, alterum quo ad potentiam, tunc dicebat, relatiua eſſe ſimul natura, quando comparantur vel omnia in actu, vel omnia in potentia; non autem quando vnum comparatur in actu, & alterum in potentia. Et ad argumenta ab Ariſtotele allata dicit, quòd peccant in æquiuocatione, quoniam procedunt de ſcibili in potentia ad ſcientiam in actu, pariter à ſenſibili in potentia ad ſenſum in actu. Confirmo hanc reſponſionem auctoritate Ariſtotelis ſecundo de anima, vbi dicit, quòd relatiua actu ſimul exiſtunt, quorum verò vnum eſt actu, alterum potentia, illa non ſunt ſimul natura.

A Admodum Reuerendus Frater Ioannes Maria Euſtochius præceptor meus in patria, dicere ſolebat, hanc ſolutionem melius applicari tribus prioribus ratiocinationibus de ſcibili & ſcientia, quam duobus poſtremis de ſenſu & ſenſibili.

Et ad illa duo vltima reſpondebat, quòd ſenſibile accipitur duobus modis, vel pro ſentiente, vel pro eo quod habet ſentiri, verbi gratia, Animal dicitur ſenſibile, quia ſentit; aqua verò ſenſibilis, quia ſentitur, vel ſenſu percipitur. B Dicebat itaque ſenſum & ſenſibile relatiua eſſe ſumendo pro ſentiente ſenſibile, nam hoc pacto ſi ponitur ſenſus, ponitur ſenſibile, & è conuerſo, & vno ablato alterum auferatur; peccant autem illa duo argumenta, quoniam non ſunt in propoſito; nam procedunt de ſenſibili paſſiuo, apto ſenſum mouere, quod habet ſentiri, & non de actiuo, quod ſentit.

Ego arbitror poſſe, & rectè aliter ſolui præſentem difficultatem; cur iſthoc Ariſtoteles omiſerit ipſo ſolutionem, reputa quia ex iam C dictis clara & manifeſta exiſtit.

Cum enim ſupra dixerit, relatiua ſeſe mutuo conſtitui ratione ipſius relationis, non ratione fundamenti, vt Dominus & ſeruus, non vt ſubſtantiæ ſunt, ſed prout vnum ad alterum refertur, ex prædictis apparet reſ argumenti obiectionis: nam ſcibile & ſcientia, ſenſus & ſenſibile, ſi conſiderentur vt relatiua ſunt, & vnum refertur ad alterum, eſt neceſſe, vt etiam ſint ſimul natura, & poſito vno, & alterum ponatur, & vno ablato, & alterum auferatur. Si verò D conſiderentur ratione fundamenti, vt pura entia ſunt, tunc ſenſibile erit prius ſenſu, ſcibile prius ſcientia; & ſic argumentatus fuit Ariſtoteles, vt nos doceret ex propoſito, ex præceptis ab eo traditis dubitationes ſoluere & auferre.

Tertio oritur adhuc difficultas contra tertiam proprietatem, quoniam prius natura, & poſterius natura videtur, quod accipi poſſunt, & dici eſſe relatiua, tamen non poſſunt eſſe ſimul natura; ergo. Secundò prius tempore, & E poſterius tempore ſunt relatiua, & tamen non ſunt ſimul natura, quantum ad actualem exiſtentiam, quia prius tempore exiſtit prius, quam poſterius tempore.

Reſpondetur ad primum, quòd prius natura, & poſterius natura, dupliciter ſumuntur, vel fundamentaliter, vel ratione relationis. Primo modo non ſunt relatiua, neque ſimul natura. Secundo modo poſſunt dici ſimul natura, & relatiua eſſe.

F Ad ſecundum, primùm reſpondetur, quòd iſta proprietas debet intelligi de relatiuis permanentibus, & non ſucceſſiuis, cuiuſmodi ſunt prius & poſterius tempore. Secundo poteſt reſponderi, quòd prius & poſterius tempore non ſunt relatiua huius prædicamenti, cum non ſint realia, cum quodlibet extremum ſecundum eſſe reale non referatur ad aliud.

Habet

Habet autem dubitationẽ, vtrum nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, ſi hoc contingat ſecundum quaſdam ſecundas ſubſtantias: nam in primis ſubſtãtijs verum eſt; nam neque tota, neque partes primarum ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid: nam quidam homo non dicitur alicuius quidam homo, neque quidam bos alicuius quidam bos. Similiter autem & partes; quædam enim manus non dicitur alicuius quędam manus, ſed alicuius manus, & quoddam caput, non dicitur alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput. Similiter autem & in ſecundis ſubſtantijs, atque hoc quidem in pluribus, vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio dicitur. In huiuſmodi ergo manifeſtum eſt, quòd non ſunt ad aliquid: in aliquibus verò ſecundis ſubſtantijs habet dubitationem, vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius dicitur manus, & ſingula huiuſmodi. Quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe videbuntur. Si igitur ſufficienter eorum, quæ ſunt ad aliquid, definitio aſſignata eſt, aut omnino difficile, aut impoſſibile eſt oſtendere, quòd nulla ſubſtantia eorum, quæ ſunt ad aliquid, dicitur.

Hucuſque Philoſophus ex antiquorum ſententia egit de relatiuis ſecundum dici, quæ ab antiquis definiebantur, quòd, *ad aliquid ea eſſent, quæ aliorum dicerentur eſſe*. Sed quia hæc definitio relatiuorum eſt nimis ampla, & pluribus cõmunis, quoniam competit & multis ſubſtantijs.

Idcirco in hac quarta parte vult Ariſtoteles eam tractare & corrigere, quoniam ſi ea definitio relatiuorum ſtaret, ſequeretur quòd ſubſtantia, quæ aliorum dicitur eſſe, eſſet relatiuum & accidens, quod prorſum abſurdum eſt: nam cum definierint antiqui, quòd *relatiua illa ſunt, quę aliorum eſſe dicuntur*, manus & caput aliorum dicuntur; ergo erunt relatiua: & per conſequens definitio erit vitioſa.

A Vnde ſciendum eſt, quòd definitio vitioſa ſolet reprehendi duabus rationibus, vel quia non competit omnibus, vel quia non ſoli. Definitio non competit omnibus, quando nimis eſt reſtricta; non competit ſoli, cum extenditur alijs. Vt ſi quis interroget, quid eſt homo, & reſpõdeatur homo eſt animal ſenſitiuum, hæc definitio eſt vitioſa, quoniam excedit humanam ſpeciem: competit enim & brutis, & hoc modo eſt vitioſa definitio relatiuorum tradita ab antiquis, quoniam etiam ſubſtantia aliorum dicitur, vt caput, & B manus aliorum eſſe dicuntur, tamen ſubſtantia non eſt relatiuum. Propterea vult iſtam definitionem corrigere tanquam ſuperfluam, & vt cognoſcamus etiam quæ ſunt relatiua ſecundum eſſe.

Argumentum verò Ariſtotelis non percipitur, niſi ſciatur prius diſtinctio, quã ipſe facit de ſubſtantia, nam omnis ſubſtantia aut eſt prima, aut eſt ſecunda. Item ſubſtantia prima, aut eſt tota, aut eſt pars. Pariter ſubſtantia ſecunda aut eſt C tota, aut eſt pars. Subſtãtia prima tota eſt, vt Plato, Ioannes. Subſtantia prima pars eſt, vt hęc manus, hoc caput, hoc eſt, manus Ioannis, caput Platonis, & ſimilia. Subſtantia ſecunda tota eſt, vt homo, leo, bos; ſubſtantia ſecunda pars eſt, vt caput, manus. Quando volo denotare ſubſtantiam primam vti partẽ, vtor his pronominibus, hic, hæc, hoc, exempli gratia, hæc manus, hoc caput. Hæc enim pronomina nobis denotant particularia. Quando volo denotare ſecundam ſubſtantiam, quæ eſt pars, non vtor his pronominibus, D ſed dico caput, manus; & ſic indico caput, manum totius ſpeciei humanæ: & ſic etiam cum dico homo, ſignifico ſpeciem humanam: cum verò dico hic homo, indico particularẽ, & primam ſubſtantiam. Sicuti igitur ſpecies, cum ſit ſecũda ſubſtantia, poteſt accipi vel pro toto, vel pro parte; ſic induiduum vel pro toto, vel pro parte.

Ex hac diſtinctione probat Ariſtoteles, quòd aliqua ſubſtantia ſit ad aliquid, & dicit, quòd ſubſtantia prima totalis non eſt alicuius: non enim eſt in vſu dicere aliquem hominem eſſe E alicuius quendam hominem; ſic etiam oſtendit de partibus, quòd ſubſtantia prima partialis non dicitur alicuius, quoniam non eſt in recto vſu dicendi, dicere quoddam caput alicuius eſt quoddam caput, nec dicimus quandam manum eſſe alicuius quandam manum: neque etiam ſecundæ ſubſtantiæ totales dicuntur aliorum, quoniam non dicimus hominem eſſe alicuius hominem, nec bouem alicuius eſſe bouem; ſed ſi bos dicitur alicuius eſſe, non dicitur eſſe vt relatiuum, ſed vt poſſeſſio, vt ab aliquo poſſidetur. F At dubiũ eſt de ſubſtantia ſecunda partiali, quoniam videtur quòd caput dicitur alicuius caput, & manus alicuius manus. Dicimus enim manum alicuius manum, & caput alicuius caput. Ecce quomodo Ariſtoteles argumentatus eſt, quod manus, & caput ſunt relatiua, quoniam dicuntur alterius, ſed hæc eſt ſub-

ſtantia; ergo ſubſtantia eſt relatiuum, quod eſt A abſurdum: relatiuum namque accidens eſt.

Si autem non ſufficienter, ſed ſunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſt eſſe ad aliquid quodammodo ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior verò definitio ſequitur quidem omnia ea, quæ ſunt ad aliquid, B non tamen in ipſis idem eſt cum eo, quod eſt eſſe ad aliquid, ipſa quę ſunt aliorum dicantur.

Hic Ariſtoteles, vt ſoluat illud argumentum, corrigit definitionem ab antiquis traditam de relatiuis, cumq́; oſtenderit, quòd inconueniens ſequatur, ſi laudauerimus primam definitionem ab antiquis datam; ſequeretur enim, quod ſubſtantia eſſet accidens, vt iſtam dubitationem tollat, eam corrigit hunc in modum. Quòd *ea ſunt* C *ad aliquid, quibus hoc ipſum, eſt eſſe ad aliquid quodammodo ſe habere*, hoc eſt relatiua, inquit Philoſophus, ſecundum eſſe ea ſunt quę ad alterum ſe habent; eſſe autem ad alterum competit ipſi eſſentiæ, non competit huic verbo, *dici*.

Ecce quòd amplius manus & caput non erũt relatiua, quoniam Ariſtoteles dicit, quòd, *relatiua ſunt, quæ ſecundum ſuam eſſentiam ad aliud ſe habent*, ſed manus & caput ſecundum ſuam eſſentiam non ſe habent ad aliud, ſolummodo dicuntur aliorum: igitur hæc non erunt relatiua, rela- D tiua inquam ſecundum eſſe. Definitio antiquorum non erat vitioſa, quòd non competeret omnibus relatiuis, ſed erat vitioſa, quoniam tranſcenderet relatiua: non enim ſolis relatiuis competebat, ſed etiam alijs, vt ſubſtantiæ: Concludendum eſt igitur, quòd illa definitio antiquorum de relatiuis eſt repudianda, quoniam relatiua tranſcendit: & eſt accipiéda definitio ab Ariſtotele tradita, qui definit relatiua ſecundum eſſe, & non ſecundum dici: qua definitione ſolui- E tur illa difficultas, quòd ſubſtantia ſecunda partialis non eſt relatiuum, quoniam quamuis alterius dicatur, non tamen ad aliud ſe habet ſecundum ſuam eſſentiam: habere enim ſe ad aliquid pertinet ad eſſentiam relatiuorum, & ad ea relatiua, quæ ſunt ſecundum eſſe, dici verò aliorum, eſt quoddam vagum, & commune, quod pluribus competit, tum relatiuis ſecundum eſſe, tum etiam alijs præter ipſa.

Ex his autem manifeſtũ eſt, quòd F ſi quis aliquid eorum, quæ ſunt ad aliquid, definite ſciet, & illud, ad quod dicetur, definite ſciturus eſt. Manifeſtum igitur & ex ipſis eſt: ſi enim nouit aliquis hoc, quod ad aliquid eſt (eſt autem eſſe ijs, quæ ad aliquid ſunt, idem ac ad aliquid aliquo modo ſe habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquo modo ſe habet: ſi enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo ſe habet, neq; ſi ad aliquid hoc aliquo modo ſe habet, noſcet, ſed & in ſingulis palam hoc eſt, vt ſi quid nouit quis definite, quod duplum eſt, & cuius duplum eſt, mox definite nouit: ſi enim nullius definitorum nouit ipſum duplũ eſſe, neque ſi ſit duplum omnino nouit.

Habita definitione relatiuorum de mente antiquorum, ipſaque correcta, & reſtricta vt ſolis cõ- C petat relatiuis ſecundum eſſe, tradit modo Ariſtoteles vnicam proprietatem relatiuorum ſecundum eſſe, quæ eſt, quòd quando duo ſunt ręlatiua, ſi vnum diſtinctè cognoſcitur, & alterum neceſſario diſtinctè cognoſcitur, & dat exemplum, Dominus & ſeruus ſunt relatiua, ſi tu cognoſcis diſtinctè ſeruum, diſtinctè cognoſces etiam Dominum; & ſi quis cognoſcat diſtinctè patrem, neceſſario etiam diſtinctè cognoſcet & filium, & è contrario. Et ſi quis dicat non videtur hoc neceſſarium, vt cognito vno, alterum co- D gnoſcatur, quoniam cognoſco te filium, & tamen non noui patrem tuum.

Reſpondetur, quòd poſſumus conſiderare relatiua, vt ſunt relationes mutuo ſe habentes; & vt fundamentum, in quo fundatur relatio, cum dicis, cognoſco te filium, quamuis non noueris patrem meum, loqueris de fundamento relatiõnis, quod conceditur, ſed Ariſtoteles dicit, quòd cognito altero relatiuorum, non vt fundamentum, ſed vt relatio, neceſſario cognoſcitur & alterum. E

Ex hac proprietate colligitur hoc corollarium, quòd relatiua ſunt ſimul, ſimulq́; cognoſcuntur.

Similiter autem & hoc aliquid, ſi nouit quis quod melius eſt, & quo melius eſt, ſtatim definite neceſſariũ eſt noſſe. Propter hęc autem nõn indefinite hoc cognoſcet, quod hoc eſt F peiore melius; ſuſpicio enim hęc eſt, non ſcientia; non enim adhuc ſciet exacte, quod eſt peiore melius; ſi enim ſic accidit, nihil eſt deterius ipſo. Quapropter palam eſt quod ne-

ceſſa-

ceſſarium eſt, ſi nouerit quis aliquod relatiuorum definite, & id ad quod dicitur definite neceſſe eſt noſſe.

In his verbis Ariſtoteles de medio tollit obiectionem quandam: poſſet enim quis dicere, cognoſco te meliorem eſſe aliquo peiore, tamen non cognoſco aliquem quo es melior.

Dicit Ariſtoteles, quòd hæc non eſt cognitio diſtincta, & definita, ſed eſt cognitio ſuſpecta, & dubia. Definita cognitio eſt, cum cognoſco te meliorem eſſe Franciſco, Aenea, hæc eſt cognitio diſtincta, & determinata, & ſic cognito vno diſtincte, alterum etiam cognoſci neceſſe eſt. Sic occurrit Philoſophus huic dubitationi, & ita conſumit hanc partem vſque ibi, *caput vero.* Sequitur textus.

Caput verò & manus, & eorum ſingula, quæ ſubſtantiæ ſunt, ea ipſa, quæ ſunt ſciri definite poſſunt. Ad quod verò dicantur, non eſt neceſſarium ſcire. Cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus ſit, non eſt ſcire definite; quare non erunt hæc ad aliquid: ſi verò non ſunt hæc eorum, quæ ſunt ad aliquid, verum erit dicere, quòd nulla ſubſtantia eorum eſt, quæ ſunt ad aliquid.

Deſcendit Ariſtoteles in hac parte ad ſolutionem illius argumenti, videlicet, quòd ſubſtantia eſt in numero relatiuorum, quoniam manus dicitur alicuius manus, caput dicitur alicuius caput, ſed quæ aliorum dicuntur, ſunt relatiua; ergo ſubſtantia eſt relatiuum; quę ſolutio faciet ad corroborationem ſuæ definitionis. Ex hoc apparet calliditas Ariſtotelis, qui voluit primum afferre ſuam definitionem, poſtea illud argumentum ſoluere.

Cum itaque adduxiſſet Philoſophus inſtantiam contra antiquos, quòd caput & manus ſunt relatiua, quoniam alterius dicuntur, & propterea eorum definitionem dixerit malam eſſe, & vitioſam, ſtatimq; ſubiecerit primā definitionē, quæ eſt, *quòd ad aliquid ea ſunt, quæ ſecundū eorum eſſentiam ad aliud ſe habent.* Soluit modo hoc argumentum de capite & manu, oſtendens, quòd ſi ſtet illa prior definitio antiquorum de relatiuis, non poterimus euitare, quin ſubſtantia ſit accidens: at ſecundum iſtam definitionem ab Ariſtotele traditam facile erit reſpondere; nam dicit Philoſophus, quòd caput & manus non ſunt vere relatiua, quoniam vnum poteſt diſtincte cognoſci ſine altero. Fingamus namque manum præciſam eſſe a corpore, manus pręciſa diſtincte cognoſcitur eſſe manum, licet nō cognoſcamus cuius ſit; nam dicimus hanc manum eſſe, nam

A manus eſt inſtrumentum dandi, & recipiendi. Hæc manus abſciſſa a corpore eſt inſtrumentum dandi, & recipiendi; ergo eſt manus; ergò diſtincte cognoſcitur ſine eo, cuius eſt manus; ergo ſubſtantiæ ſecundæ partiales non ſunt relatiua ſecundum eſſe, quoniam poſſunt vnum cognoſci ſine cognitione alterius.

Fortaſſe autem difficile ſit de huiuſmodi rebus vehementer aſſerere, B niſi ea ſæpe pertractata ſint, dubitaſſe autem de horum vnoquoque non eſt inutile.

Concludit nunc Philoſophus totum caput, & dicit, quòd iſta relatiua ſunt difficilia, fortaſſe propter variationem linguarum, non eſt ſic de ſubſtantia, & quantitate; vbicumque enim, & apud quaſcumque nationes eadem erūt iſta prędicamenta, ſed relatiua ſunt difficilia propter varia idiomata linguarum. Aliquę enim nationes C habent aliquem caſum, quo aliæ carent, vt hæc relatiua maius & minus a Latinis referuntur in ablatiuo caſu, apud Græcos, quoniam carēt ablatiuo in genitiuo, & ſic vario modo apud alias gentes referuntur.

Vel ſe excuſat cur proceſſerit in hoc capite dubitatiue, pluſquam in reliquis, quod dicit feciſſe propter maximam difficultatem ipſorum relatiuorum. Hoc verò adeo aſſerit, vt nos ad frequentiorem, & maiorem exercitationem in his adhortaretur. Reliquum eſt conſiderare D quædam dubia, quæ ad præſens negotium faciunt.

Primo dubitatur contra Ariſtotelem, qui dicebat manum & caput non eſſe relatiua ſecundum eſſe, quoniam nec manus, nec caput ſe habent ad aliquid, ſed ſunt ſecundum dici: videtur namque hæc relatiua eſſe ſecundum eſſe, quod probatur, quoniam manus & caput ſunt partes ſui totius, nempe corporis; & ad corpus vt ad ſuum totū ſe habent; ergo manus & caput ſunt E relatiua ſecundum eſſe.

Pro ſolutione huius argumenti cognoſcamus ſophiſticam, & latentem rationem, quæ eſt, quòd in iſta ratione accipitur manus & caput modo pro fundamento relationis, modo pro ipſa relatione. Pater & filius ſunt relatiua, & poſſunt conſiderari dupliciter, vel pro fundamento, vel pro relatione. Conſiderabuntur pro fundamento, ſi accipiantur vt ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, vt pater eſt homo, eſt animal, & ſic pro fundamento accepta non ſunt re- F latiua, quoniam poſſumus cognoſcere patrem quatenus hominem ignorato filio, ſed debēt accipi vt ſunt relationes ad inuicē reciprocātes, & ſic poſito patre, ſtatim ponitur filius, & cognito patre, immediate cognoſcimus filium; ſic manus & caput ſi conſiderentur vt fundamenta, ſunt partes totius, ideſt corporis, & ad corpus tanquam ad ſuum totum ſe habēt; ſed quic-

quid ad aliquid ſe habet, eſt relatiuum ſecũdum eſſe, manus & caput ad aliquid ſe habent: ſunt enim partes, & ſe habent ad ſuum totum, quod eſt corpus; ergo manus & caput ſunt relatiua ſecundum eſſe. Nego minorem, quoniam modo accipis manum, & caput pro fundamento, modo pro relatione, cum dicis manus & caput ad corpus ſe habent, hoc nihil obſtat, quoniam ſe habent vti fundamenta, non vti relationes, & propterea ſi ſe habent vti fundamenta, vti partes ad ſuum totum non erunt relatiua ſecundum eſſe.

Secundo dubitatur contra Ariſtotelem, quoniam videtur ſibi ipſi contradicere, nam ſuperius dixit, caput & animal non eſſe relatiua, quoniam non reciprocãtur, ſed caput & capitatum eſſe vere relatiua, quoniam iſta conuertuntur: attamen nunc reclamat in contrarium dicens, quod manus & caput nullo modo ſunt relatiua, quoniam ſi hoc eſſet, ſubſtantia eſſet relatiuum, conceſſerat prius caput & capitatum, manus & manuatum eſſe relatiua, nunc id expreſſe negat.

Pro reſponſione eſt aduertendum, quòd non inconuenit aliud eſſe relatiuum ſecundum dici, tamen illud non eſſe relatiuum ſecundum eſſe, & ſic reſpondetur, quòd Ariſtoteles conceſſit ſuperius caput & capitatum, manus & manuatum eſſe relatiua ſecundum dici, quoniam caput dicitur alterius, nempe capitati. At inferius in textu negat iſta, ſcilicet caput & manum eſſe relatiua ſecundum eſſe, ſuperius cum dicebat illa eſſe relatiua, intelligebat de relatione ſecundum dici; nunc cum negat illa eſſe relatiua, loquitur de relatiuis ſecundum eſſe.

Præterea notãdum, ne incidamus in errorem Latinorum, qui dicunt, quòd ſuperior definitio relatiuorum ab antiquis tradita fuit Platonis, & ſic dicunt, quòd Ariſtoteles contra eum inuehitur, & hoc pacto videtur, quòd Ariſtoteles loquatur contra præceptorem ſuum Platonem.

Ammonius dicit, quòd ſuperior definitio eſt aliorum veterum ante Platonem: Plato enim non definiuit relatiua ſecundum dici, ſed definiuit relatiua ſecundum eſſe, eodem ferè modo, quo ipſe vtitur Ariſtoteles: dicit enim quòd ad aliquid ea ſunt, quæ ad aliquid ſe habent.

Præterea notandum, quòd ad relatiua ſecundum eſſe, tria requiruntur, terminus, fundamentum, & comparatio. Capiamus hanc relationem ſeruitus. In hac relatione ea omnia conſiderantur, terminus vt eſt Dominus, fundamentum ſeruitutis vt eſt ſeruus, & comparatio, quæ eſt ſeruitus, quæ eſt relatio, & comparatio: quæ quidem relatio non ſenſu attingitur ſicuti terminus, & fundamentum, ſed ratione percipitur. Video enim Ioannem ſeruum, & Petrum Dominum; at non video ſeruitutem, quoniam mente apprehenditur. Ecce ergo quòd ſunt tria relationi ſecundum eſſe requiſita; comparatio, quæ intercipitur inter fundamentum, & terminum, nec non ipſum fundamentum, & terminus: terminus aliquando poteſt fieri fundamentum, & fun-

A damentum terminus, vt Cicero eſt Dominus, & Lelius eſt ſeruus; dicimus, Dominus ſerui Dominus, & etiam conuertimus ſeruus Domini ſeruus; relatio ſeruitutis fundatur in ſeruo, Dominatus verò relatio in Domino fundatur.

Nonnulli notant, quòd relatiua ſecundum eſſe ſunt, quæ de principaliori ſignificato important relationem, vt pater & filius; ſed relatiua ſecundum dici, quæ de ſignificato minus principali important relationem ſibi annexã, vt ſcientia & virtus.

B Præterea ſciendum, quod duplex eſt relatio, ſcilicet rationis, & realis. Relatio rationis eſt, quæ fit per actum comparatiuum intellectus, vt ſunt ſecundæ intentiones. Sed relatio realis eſt duplex, ſcilicet aptitudinalis, & actualis. Relatio aptitudinalis eſt, in qua non requiritur terminũ actu exiſtere, ſed ſolum in aptitudine, cuiuſmodi ſunt omnes propriæ paſſiones, omnes aptitudines, & omnes inclinationes, & tales ſunt in illo prædicamento reductiue ad mentem Scoti, in quo ſunt illa, quorum ſunt propriæ paſſiones:

C ſed relatio actualis eſt duplex, intrinſecus adueniens, & extrinſecus adueniens. Intrinſecus adueniens eſt, quæ neceſſario ponitur poſitis extremis, in quacunque etiam diſtantia ponantur, vt ſimilitudo, paternitas, ęqualitas: extrinſecus adueniens eſt, quæ neceſſario non ponitur poſitis extremis, ſed requiritur debita approximatio extremorum, cuiuſmodi ſunt ſex vltima prædicamenta, ſcilicet actio, paſſio, quando, vbi, ſitus, & habitus.

Scotus 1. Sent. diſt. 31. dicit, quòd ad relatio-

D nem realem tria requiruntur. Primo oportet, quòd extrema relationis ſint realia, ſcilicet fundamentum, & terminus. Secundo, quod ſint realiter diſtincta. Tertio, quod ex natura extremorum ſequatur talis relatio abſque operatione alicuius potentiæ comparantis vnum alteri, & quælibet relatio, in qua deeſt aliqua harum conditionum eſt relatio rationis.

Propter primam, oppoſitio cõtradictoria eſt relatio rationis, quia vnum contradictorium nihil ponit.

E Propter ſecundam, relatio eiuſdem ad ſe eſt relatio rationis, quia ibi non ſunt extrema realiter diſtincta.

Propter tertiam, relatio Dei ad creaturam eſt rationis, quia eſt per intellectum comparantem Deum ad creaturam, licet creaturę ad Deũ ſit relatio realis. Poteſt enim creatura fundare relationem ad Deum non è conuerſo; quoniam cum Deus ſit ita ſimplex, quòd eſt quicquid habet, non poteſt fundare relationem realem ad creaturam, quia tunc illa relatio eſſet Deus: ex

F quo ſequeretur cum relatio exigat extremum ad ſui eſſe, quòd Deus non poſſet eſſe ſine creatura, quod eſt abſurdum, nec eſſet ſumme neceſſarius, quoniam excluſa creatura poſſet nõ eſſe.

Vlterius notandum, quòd tres ſunt modi relatiuorum, ſeu relationum; quædam enim fundantur ſuper vnum, & numerum ſuper numerum,

rum, vt ſunt proportiones numerales, vt duplū, dimidium, quadruplum. Super vnum autem in ſubſtantia fundatur relatio idētitatis; ſuper vnū verò in quantitate relatio æqualitatis; ſuper vnum autem in qualitate relatio ſimilitudinis. Quædam fundantur ſuper potentia actiua, & paſſiua, ut paternitas fundatur ſuper potentia actiua patris, & filiatio ſuper potentia paſſiua filij: Quædam fundantur ſuper menſura, & menſurabili, vt ſcientia refertur ad ſcibile, & intellectio ad intelligibile. Quod verum eſt non de mēſura quiditatiua, ſed de menſura ſecundum eſſe, B & veritatem. Actus enim intelligendi eſt aptus natus menſurari, ideſt actualiter depēdere in veritate, & cognoſcibilitate ab obiecto participando ipſum, ſicuti ſimilitudo participat illud, cuius eſt ſimilitudo.

In primis duobus modis relatiuorum, eſt mutua dependentia. Duplum enim realiter refertur ad dimidium. Similiter pater refertur ad filium, & è conuerſo; non ſic in tertio modo; licet enim ſcientia realiter referatur ad ſcibile, non C tamen è conuerſo.

Ex quo patet, quòd illa proprietas, ſcilicet relatiua dicuntur ad conuertentiam; proprie non conuenit niſi relationibus primi & ſecundi modi, loquendo de conuenientia reali: licet enim ſcientia realiter referatur ad ſcibile, non tamen è conuerſo; ſed ſcibile ad ſcientiam refertur relatione rationis tantum. Hæc ex Scoto.

Inſuper notandum eſt, quòd relatio eſt nomē æquiuocum ad relationem realem, & ad relationem rationis, ſicut ens ad ens rationis, & ad ens D reale: ideo relatio rationis non eſt de hoc genere, cum prædicamenta ſint realia.

Tertio principaliter dubitatur, vtrum Socrates habens plures filios, habeat tot paternitates, quot filios.

Primo arguitur quòd non, quia ſequeretur, quòd idem homo eſſet plures patres, ſed hoc eſt falſum; ergo conſequentia probatur; quia ſicuti pater vna paternitate dicitur pater, ita etiam & alia paternitate dicitur pater; & cum ſint plures paternitates, ſequitur, quòd dicet plures patres.

E Ex aduerſo videtur in oppoſitum, quoniam relatiua ſunt ſimul natura, & poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt; ergo deſtructo vno filio, ad quem pater refertur, deſtructa eſt vna paternitas, ſed ipſe eſt pater reſpectu alterius filij; ergo in ipſo erunt plures paternitates.

Ad hanc difficultatem reſpondetur, quòd tot ſunt paternitates in Socrate, quot habet filios, ſicuti albedo habet tot ſimilitudines, quot ſunt albedines, & non eſt inconueniens; nam in eodē fundamento, vel termino dicuntur plures eſſe F relationes, quæ quidem non differunt ſpecie, ſed numero tantum: omnes enim filij referuntur ad patrem.

Ad argumentum in cōtrarium dicitur, quòd licet ſint plures paternitates, non tamen eſt plures patres.

Et ponitur talis regula.

A Ad multiplicationem concretorum non ſufficit multiplicatio formarum, ſed requiritur plurificatio ſuppoſitorum; & quia Socrates non eſt plura ſuppoſita, ideo licet habeat plures paternitates, non tamen dicitur plures patres, ſicuti licet Socrates habeat plures ſcientias, non tamen propter hoc eſt plures ſcientes.

Ponitur adhuc alia regula, quòd ad multiplicationem concretorum non requiritur multiplicatio formarum, ſed ſufficit multiplicatio ſuppoſitorū, vt ſi vna albedo eſſet in plures res, B illæ res dicerentur plura alba.

Quarto dubitatur, an prædicamentum ad aliquid ſit vnum genus. Primo, videtur quòd non, quoniam ad aliquid eſt commune enti, & non enti; ergo ad aliquid non eſt vnum genus. Conſequentia probatur, quoniam nullum datur prædicamentum enti, & non enti, quòd ſit vniuocū genus. Antecedens probatur, ens & non ens cōtradicuntur, cōtradictio eſt relatio; ergo. Secundo nullum datur commune genus vniuocum enti reali, & rationis, ſed reperitur ad aliquid C reale, & intentionale; ergo ad aliquid non eſt vnum genus.

Ad hoc dubium reſpōdetur, quòd ad aliquid eſt vnum genus prædicamētale, quod intelligitur de relatiuis, quæ referuntur relationibus poſitiuis, & realibus; & præſertim quando fundamenta, & termini ſunt, vel ſubſtantia prædicamentalis, vel quantitas, vel qualitas.

Ad primum dicitur, quòd contradictio eſt relatio non prædicamentalis, ſed tranſcendens, quia fundamentum & terminus illius non ſunt D ſubſtantia, nec quantitas, nec qualitas, nec eſt relatio poſitiua entis poſitiui; nam non ens non eſt poſitiuum.

Ad ſecundum dicitur, quòd hic agitur de relatiuis relationibus realibus relatis ad terminos reales, quare ad aliquid eſt vnum generaliſſimum, non tamen ad aliquid commune enti reali, & enti rationis.

Quinto dubitatur de ſpeciebus huius prædicamenti ad aliquid, an ſint diſtinctæ à ſpeciebus E aliorum prædicamentorum. Et

Primo videtur quòd non, quia ſtatio, ſeſſio ſunt ſpecies poſitionis, & poſitio eſt aliud prædicamentum; ergo

Secundo, habitus & diſpoſitio ſunt ſpecies qualitatis; ergo

Tertio, omnis res poteſt intelligi in habitudine ad aliquid; ergo non differunt ſpecies huius prædicamenti à ſpeciebus aliorum.

Reſpondetur, quòd genus ad aliquid habet diſtinctas ſpecies formaliter.

Ad primum dicitur, quòd ſeſſio, ſtatio, accu- F bitus, & poſitio pro relatione ſunt in hoc prædicamento.

Ad ſecundum dicitur, quòd habitus & diſpoſitio pro fundamento non ſunt ad aliquid.

Ad tertium dicitur, quòd omnis res poteſt conſiderari, quòd ſit ad aliquid, vel ſecundum dici, vel ſecundum eſſe, vel prædicamentaliter,

vel

vel tranſcendenter, vel poſitiue, vel priuatiue, vel negatiue; & tunc omnis res erit ad aliquid. Vel res conſideratur, quod ſit ad aliquid prædicamentaliter, & ſecundum eſſe; & hunc in modum non ſequitur, quòd omnia formaliter ſint ad aliquid, ſicut nec ſubſtantia, nec quantitas, nec qualitas, nec aliud abſolutum formaliter, & quiditatiue, ſecundum eſſe abſolutum ſunt ad aliquid, ſed ſecundum eſſe reſpectiuum.

Sexto dubitatur, an prima & ſecunda definitio relatiuorum differant.

Reſpondetur, quòd prima datur per dici alicuius; ſecunda datur per eſſe ad aliquid. Relatiua ſecundum eſſe ſunt relatiua ſecundum dici, non tamen è contrario. Probo, quoniam Ariſtoteles poſtquam dedit primam definitionem, enumerat quædam relatiua ſecundum eſſe, vt duplum & dimidium, magnum & paruum: omne enim, quod ad aliquid quodammodo ſe habet, dicitur eſſe illius, non tamen omne, quod dicitur alicuius, ad aliquid ſe habet; vnde partes ad totum referuntur, non tamen ſunt ad aliquid.

Septimo dubitatur, vtrum quātitas, & quodlibet aliud accidens referatur ad ſubſtantiam.

Reſpondetur, quòd ſic, relatione ſecundum dici, non autem relatione ſecundum eſſe, & referuntur tanquam ad ſuum terminum, a quo dependent, vt ſunt accidentia, & vt referuntur, non ſunt ſecundum eſſe, quia ſunt relata in duobus prædicamentis.

Et hæc ſufficiant de his, quæ ad aliquid.

Super Capite tertio De his, quæ ad aliquid pro Iuris ſtudioſis.

IN capite de ad aliquid, ſex ad noſtram attinentia præcipue fuerunt conſiderata.

Primum, Definitio relatiuorum ſecundum dici.

Secundum, Eorum proprietates.

Tertium, Definitio relatiuorum ſecundum eſſe.

Quartum, eorum proprietates.

Quintum, Vnum primum notabile pro requiſitis ad relatiua.

Sextum, Aliud notabile pro communitate relatiuorum.

Quo ad primum, Definitio relatiuorū ſecundum dici fuit huiuſmodi. Ad aliquid talia dicūtur, quæcunque hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius minore maius, duplum dimidij duplum.

Quo ad ſecundum, cæteris omiſſis, ad rem noſtram attinentes proprietates relatiuorum ſecūdum dici duæ ſunt. Prima, quod relatiua dicuntur ad conuertentia. Secūda, relatiua ſunt ſimul natura, vno poſito, alterū poni neceſſe eſt; vno ablato, alterum quoque auferri neceſſe eſt.

Quo ad tertium, Ad aliquid ſecundum eſſe, A ea ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere.

Quo ad quartum, Vnica & conuertibilis proprietas relatiuorum ſecundum eſſe hæc eſt, Vt vno relatiuorum diſtinctè cognito, & alterum cognoſci neceſſe ſit.

Quo ad quintum, Notaui, quòd in relatiuis tria requiruntur, Terminus, Fundamentum, & Comparatio, vt in hac relatione ſeruitus. Terminus eſt Dominus, Fundamentum ſeruus, Comparatio ſeruitus, ipſa relatio.

B Quo ad ſextum, Notaui, quòd ſi ad aliquid accipiatur late videlicet vel ſecundum dici, vel ſecundum eſſe, vel prædicamentaliter, vel tranſcendenter, vel poſitiue, vel priuatiue, vel negatiue, omnia ſunt ad aliquid, quoniam omnis res habet reſpectum quendam.

Modo applicamus ad Ius Ciuile.

In Iure frequens eſt vſus relatiuorum, ita vt omnia recenſere, eſſet arenam menſurare.

De relatiuis habetur in tit. de emptione, & venditione: emptio namque & venditio ſunt C relatiua, quod clare conſtat.

Eis enim conuenit definitio relatiuorum, vel ſecundum dici, vel ſecundum eſſe.

Siquidem emptio & venditio ſe mutuo reſpiciunt, & vtriuſque eſſe, eſt ad aliud dici, & ſe habere: quoniam venditio dicitur, & eſt rei emptæ venditio, & emptio dicitur, & eſt rei venditæ emptio.

Emptioni & venditioni conueniūt proprietates relatiuorum ſecundum dici, & ſecundum eſſe.

D Competit dici ad conuertentia, vt viſum eſt; præterea eſſe ſimul natura, nam poſita venditione, ponitur emptio, & è contrario, & vna ablata, pariter & altera aufertur.

Poſtremo diſtinctè cognita emptione, & venditio cognoſcatur, eſt neceſſe, & è contrario.

Denique in emptione & venditione ſunt, & reperiuntur ea tria in relatiuis requiſita, videlicet Terminus, Fundamentum, Comparatio.

In emptione, vt dicendo, emptio eſt rei vendi-E tæ emptio: emptio eſt fundamentum & principium relationis; venditio, ſeu res vendita eſt terminus, ad quem fit relatio; comparatio eſt ipſa relatio.

In venditione pariter, vt dicendo, venditio eſt rei emptæ venditio; venditio eſt fundamentum, a quo incipit relatio; emptio, ſeu res empta eſt terminus, ad quem relatio tendit; comparatio eſt ipſa relatio.

Pariter locatio & conductio, de quibus in tit. de locat. & conduct. ſunt relatiua, quoniam & F ipſis conuenit definitio relatiuorum, & ſecundum dici, & ſecundum eſſe; quoniam in locatione & cōductione eſt mutuus reſpectus, & vtriuſque eſſentia eſt ad aliud ſe habere.

Locationi & conductioni competunt proprietates relatiuorum ſecundum dici, & ſecundum eſſe.

Primo eis competit dici ad conuertētia, quoniam

niam valet,conductio eſt rei locatæ conductio, & reciprocatur, locatio eſt rei conductæ locatio.

Sunt quoque ſimul natura; nam poſita locatione, ponitur conductio, & è conuerſo, & locatione ablata, aufertur conductio, & è contrario.

Præterea conuenit eis proprietas relatiuorum ſecundum eſſe, quoniam diſtincte cognita conductione, neceſſe eſt cognoſcere & locationem,& è contrario.

In locatione & conductione exiſtunt tria requiſita in relatione, vtputa Terminus, Fundamentum,Comparatio,vt in locatione, dicendo, locatio rei conductæ locatio. Locatio eſt fundamentum, quod eſt principium relationis; conductio, ſeu res conducta eſt terminus, ad quem relatio tendit; comparatio eſt ipſa relatio.

Similiter in conductione, vt dicendo, conductio eſt rei locatæ conductio; conductio eſt fundamentum,a quo incipit relatio;locatio, ſeu res locata eſt terminus,ad quem perficitur; comparatio eſt ipſa relatio.

Quamplurima alia exempla de relatiuis in Iure reperiuntur,vt debitor & creditor,fideiuſſor,& is,pro quo quis ſe obligat,quæ omitto breuitatis gratia, ſatis ſit videre in l. 77. ff. de hær. inſt.in l.18.ff.de conditionibus, vbi Papinianus & Martianus dicunt relatiua eſſe eiuſdem naturæ,& ſimul referri,& pariter videbis in l.1.ff.de his qui ſunt ſui vel alieni iu.in §.1.Inſt.tit.de tutelis in l.qui accuſare,ff.de accuſat.§.1.l.Pomponius, §.ſed & his, ff. de procuratoribus, quibus locis habetur quod cognito diſtincte vno correlatiuorum,cognoſcitur & alterum.

Reliqnum eſt cōſiderare ſextum caput, quod erat relatiuorum notabile, nempe quòd ad aliquid late conſideratum ſe extendit in omnibus rebus,in omnibus prædicamentis.

In vno quoque enim prędicamento reperiuntur res,quæ mutuo ſe reſpiciunt,quæ habent habitudinem ad aliud,vt percunctanti in Iure quoque ciuili notum ſit.

In ſubſtantia conferuntur eius actiones; quarum aliquæ conſtant iure naturali,aliquę vigent iure humano.

Iure naturali,vt cauſa,quæ gignit,nempe pater confertur cum effectu,qui gignitur videlicet cum filio,in tit.de iure nat.in princ.

Iure humano conferuntur inter ſe res,quę in noſtro patrimonio ſunt, & quæ ſunt extra noſtrum patrimonium. Inſt.de rer.diuiſ.in princ.

Iure naturali conferuntur res & perſonæ.

Res { Communes. / Publicæ. / Vniuerſitatis. / Singulorum. }

Communes,Aer,Aqua,Mare, Litora Maris, & conſimilia.

A Publicæ,Flumina,Portus,& huiuſmodi.

Vniuerſitatis, vt in Ciuitatibus, Theatra, Stadia.

Singulorum, quæ iure gentium aut ciuili ſingulis fuerunt acquiſita. Inſt.de rer.diuiſ.in prin. & §.ſingulorum.

Perſonæ { Publicæ. / Priuatæ. }

Publicæ,Conſul, Tribunus Plebis, Aediles,
B Decuriones,Dictator,Magiſter equitum, Dux, Miles, Qui etiam Magiſtratibus publicis miniſtrant,perſonæ publicæ ſunt,vt Lector,Satelles, & huiuſmodi.

Priuatæ,Dominus,Seruus, Patronus, Libertus,Tutor,Pupilus,Curator,Adultus,Dominus, Vaſſalus.

Iure humano conferuntur Contractus:eſt autem contractus vltro, citroque obligatio.l. Labeo 2..ff.de verb.ſignif.

C Contractus ſunt in duplici differentia. { Innominati. / Nominati. }

Innominati ſunt quatuor. { Do, vt des. / Do,vt facias. / Facio,vt des. / Facio,vt facias. }

De his in l.iuris gen.in prin.ff.de pact.in l.naturalis.ff.de præſcr.verbis.

Nominati ſunt duplicis generis.

D Vel enim in eis dominium transfertur, vel vſus rei.

In primis ſunt emptio, & venditio. §. venditio. Inſt.de rer.diuiſ.

Donatio,l.1.ff.præcario.

Permutatio,§.item pretium.Inſt. de empt.& vend.

Mutuum,l.2.ff.ſi certum petatur.

In ſecundis eſt commodatum. Prędicta l.2.ff. ſi certum petatur.

E Locatio, & Conductio { l.non ſolet.ff.locati. }

Præcarium.l.1.ff.præcario.

Emphyteuſis.§.adeo. Inſt. de locat. & conduct.

Depoſitum.l.dies ſponſaliorum. §. qui pecuniam.ff. depoſiti.

Pignoratio.Inſt.quib. alien. licet, vel non. §. contra.

F Quæ omnes relationes ex ſubſtantia oriuntur.

In quantitate,numerus par,& impar.§. hæreditas.Inſt.de hæred.inſt.

In qualitate conferuntur cauſa & effectus, vt Magiſtratus, Populus, Lex: nam cauſa legis efficiens eſt tam Magiſtratus, quàm Populus. §. lex eſt.Inſt.de iure naturali.

Ratio

Ratio & ius naturæ, ſeu gen. nam vtrumque A
ius ex ratione procedit.

Ius naturę,& ius ſcriptum;nam ius naturę cau
ſa eſt omnium legum ſcriptarum.

Sic cõfertur contractus,& obligatio, & actio,
§.ea obligatio.ff. de procuratorib.

Ex prima ſpecie qualitatis, quæ eſt habitus &
diſpoſitio conferuntur Iuſtitia humana, Iuſtitia
diuina, Ius ſcriptum,Ius non ſcripium. Inſt.tit.
de iure natur. gen.§.conſtat,Ius diuinum,Ius hu
manum,Ius publicum,Ius priuatum.

Ex ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt poten- B
tia,& impotentia naturalis; Victoria cauſæ fo-
renſis, Lætitia,Senectus,Moroſitas, Aetas, Mo-
res, Iuuentus,Alacritas,Fortuna,Actiones

Ex tertia ſpecie qualitatis, quæ eſt paſſio, &
paſſibilis qualitas;Amor,Delectatio, Iracundia,
Erubeſcentia.

Pariter in cæteris prędicamentis reperiuntur
relationes.

In actione,& paſſione immitere Stillicidium
in aream alterius,l.ſeruitutes.§.Stillicidium. Pa
ſcere pecora in prato alterius. Ducere aquã per C
fundũ alienv. Vehere currum per agrũ alienum.
l.ſeruitutes.§. Stillicidiũ.ff.de ſeruit. Vrb.præd.

Ex vbi pariter relationes ſumuntur, vt Eſſe
ruri. Verſari in Vrbe. Verſari in templo. Agere
domi ſuæ. Verſari in Curia. Agere intra dome-
ſticos parietes.

Ex quando { Nox,dies,hora, Semihora,minutum.

Ex ſitu { Recte ſcribere. Prone ſcribere. D

Ex habitu { Veſtitus Græcus, Italus,Hiſpanus.

Ex quibus omnibus conſtat in Iure, late ſu-
mendo relationem nil aliud eſſe, præterquam
comparationem rerum,quæ in alijs prædicamẽ
tis complectuntur. Et hæc ſuper his, quæ ad
Aliquid, pro Iuris ſtudioſis.

De Quali, & Qualitate. Caput quartum. E

HOc eſt quartum prædicamen-
tum, quod aggreditur Ariſto-
ſteles explicandum, poſtquam
abſoluit tractatum de ijs, quæ
ſunt ad aliquid.

In iſto prædicamento vtitur
hoc ordine. Primo agit de qualitate, eiusq́; enu-
merat quatuor ſpecies, & ſic diſtinguit qualita-
tes inter ſe.

Secũdo,diſtinguẽdo deſcribit iſtas qualitates. F

Tertio,de ſubiecto quali determinat.

Quarto dat quaſdam proprietate,tum qualis,
tum etiam qualitatis.

Quod vero,qualitas præcedat ſex vltima præ-
dicamenta patet, quia hoc prædicamentum ſim
plicius eſt,& abſolute conſideratur:illa vero cõ-
poſitiora ſunt,& ex complicatione horum prio-
rum fiunt,& adhuc includunt reſpectus, quibus
formaliter ſunt talia.

Verùm circa ordinem dubitatur. Non enim
videtur qualitatem præcedere prędicamentum
habere; nam omne ſubiectum, quod habet qua-
litatem, prius ſub habere continetur, poſtea ta-
lem, vel talem rem habet; quare videtur qualita
tem non recte eſſe diſpoſitam.

Reſpondetur,quòd illud habere, quo aliquid
qualitatem habet,in eodem tempore fit, in quo
ipſa qualitas in ſubiecto introducitur,& ſic dato
etiam prædicamentum habere non præcedit
qualitatem,quoniam ſimul ſunt,ideſt ſimul cum
ſubiecto & qualitate: vel prius eſt ſubiectum, &
qualitas, quatenus ſunt abſoluta: vel præcedit
ſubiectum generatione, & deinde ſimul cum
qualitate introducta, habetur habere in ſubie-
cto,& ſi ratio valeret,ſic etiam habere præcede-
ret quantitatem,quod eſt falſum. Conſequentia
patet, quoniam ſubiectum habet quantitatem.

Secundo dubitant aliqui circa inſcriptionem
huius capitis:nam caput iſtud inſcribitur de
Quali,& Qualitate; ſed cum duplicem habeat
titulum, videtur quòd duo ſint prædicamenta,
& non vnum tantum,quod eſt falſum,quoniam
unum tantum eſt prædicamentum.

Reſpondetur, quòd iſtud prædicamentum
qualitatis eſt vnum ſolum, non duo, neque plu-
ra; & nihil obſtat duplex inſcriptio de Quali, &
Qualitate; nam quale, & qualitas non differunt
re ipſa,ſed tantum ratione,nam idem ſunt re ip-
ſa; differunt verò ratione, quoniam qualitas eſt
obiectum intellectus: quale autem eſt obiectum
ſenſus. Cum ergo quale cognoſcatur a ſenſu,qua
litas ab intellectu, dicuntur differre ratione, li-
cet ſint vnum re ipſa.

Hoc etiam confirmant Latini,qui dicunt cõ-
cretum, & abſtractum eſſe idem re ipſa, quo-
niam ſunt in eodem prædicamento; ſed ſi diffe-
runt,ſola ratione diſtinguuntur.

Tertio quæritur, quare in titulo propoſuerit
quale qualitati. Dicit enim titulus de Quali, &
Qualitate; in ſequentibus autem totum oppoſi-
tum ſeruat, quoniam prius agit de qualitate in
abſtracto, poſtea de quali in concreto:ergo vide
tur quod etiam in titulo debuiſſet præponere
qualitatem quali.

Reſpondetur,quòd nulla eſt diſſonantia,quo
niam interdum ſeruamus ordinem a notioribus,
ideſt ab ijs, quæ maxime ſunt ſenſibilia, inter-
dum ſeruamus naturæ ordinem.

Vtrumque ordinem ſeruat hic Ariſtoteles;
nam in inſcriptione ſeruat ordinem quo ad nos,
ideſt ordinem a notioribus: qualia enim cum
ſint a ſenſu cognita, ſunt nobis notiora, quam in-
telligibilia,& quæ ab intellectu percipiuntur; &
propterea in titulo præpoſuit quale qualitati,
quoniam ſenſibilia ſunt nobis notiora, & ſeruat
ordinem quo ad nos. In tractatu autem prius
agit de qualitate, quam de quali, quoniam ſer-
uat ordinem naturæ, & ſic non eſt contradictio,
ſed recta ratio.

Ariſto-

Ariſtoteles autem ordinat prædicamentum qualitatis ad ſuas ſpecies, & ordinat diuerſo modo, quam fecerit in prædicamento ſubſtantiæ: nam prædicamentum ſubſtantiæ ordinatur deſcendendo à genere generaliſſimo ad ſuas ſpecies. At in reliquis tribus prædicamentis, ſcilicet in quantitate, qualitate, & relatione non hoc modo ordinat, ſed tranſuerſo ordine vtitur.

In quantitate enim genus ſupremū eſt quantitas; genera vero ſubalterna ſunt illa ſeptē, linea, ſuperficies, corpus, locus, tēpus, numerus, oratio.

In relatione ſimili modo vtitur, nam in ſuprema parte ponit ad aliquid; genera verò ſubalterna dicit eſſe, habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, poſitio.

Simili etiam ordine vtitur in hoc prædicamento; enumerat enim genera ſubalterna, nō deſcendendo vt facit in ſubſtātia, ſed ex trāuerſo.

In ſupremo genere ponit qualitatem, poſtea ſubalterna genera enumerat eſſe quatuor.

Primum, genus ſubalternum eſt habitus, & diſpoſitio.

Secundum, potentia, & impotentia.

Tertium, paſſio, & paſſibilis qualitas.

Quartum, figura, & forma.

Ammonius reddit cauſas, quare iſta genera ſubalterna non poſſunt eſſe plura, neque pauciora: & facit quandam diuiſionem qualitatis, vt probet genera ſubalterna qualitatis eſſe ſolummodo quatuor.

Et dicit, Qualitas vel ſuſcipitur ab actu vel à potentia, & impotentia rei: qualitas, quæ ab actu apprehenditur, eſt quæ obtinet præſens tempus; qualitas autem, quæ ſuſcipitur à potentia, & impotentia rei, poteſt eſſe etiam in futuro, vt puellulus potentia eſt Grammaticus, id eſt poteſt eſſe, quoniam eſt in futuro: equus impotens Grammaticæ, quia nullo tempore poteſt eſſe potens percipiendæ Grammaticæ. Hæc qualitas potentiæ & impotentiæ conſtituit ſecundam ſpeciem, vel ſecundum genus ſubalternum qualitatis, quod eſt potentia, & impotentia.

Nunc diſtribuo vniuerſam rationem Ammonij; qualitas, quæ ab actu percipitur, adhuc ſcinditur in duas partes; vel enim perficit; vel corrumpit ſubiectum, vel nec perficit, nec corrumpit; ſi perficit, vel perficit animum, vel corpus; perficit animum, vt ſcientia quædam, leges, Philoſophia, Grammatica, Rhetorica; perficit corpus, vt ſanitas, harmonia elementorum, recta temperies humorum temperata caliditas, temperata ſiccitas; qualitas ab actu, quæ corrumpit ſubiectum eſt, febris, immoderata ſiccitas, immoderata caliditas; nam iſtæ qualitates corrumpunt harmoniam corporis humani.

Hæc rurſus perfectiua, deprauatiuaue ſit, vel alterat ſenſum, vel non alterat ſenſum: alterat ſenſum perfectiua, vt in igne caliditas, aut dulcedo in melle: alterat ſenſum deprauatiua, vt vini acor, putredo in fructibus; hæ qualitates actuales pertinent ad tertiam ſpeciem, quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas. Si autem non alterat ſenſum, aut diu perdurat, & perficitur habitus, aut breui finitur, & eſt diſpoſitio, & conſtituitur tertium genus qualitatis, quod eſt habitus, & diſpoſitio.

Actualis qualitas, quæ nec perfectiua, nec deprauatiua eſt, vel habet in inanimatis, & imaginarijs, imaginarijs vt in Mathematicis omnibus triangulis, circulis, & reliquis, quæ in ſola imaginatione conſiſtunt: inanimis vero, vt lapidibus, lignis, & huiuſmodi, & appellatur figura, vel in animatis exiſtit, vt in animalibus omnibus, & appellatur forma, quæ circa ſolam ſuperficiem conſideratur, & hæc forma, & figura conſtituit quartum genus qualitatis.

Hanc diſtributionem ampliori modo poteſt videri in figura ſubſequenti, ex doctrina tamen Ammonij.

Qualitas

- Per potentiam, impotentiam: ſecunda ſpecies qualitatis
- Per actum
  - Aut perfectiua, aut deprauatiua ſubiecti.
    - Aut non generat affectum in ſenſum noſtrum:
      - Aut facile mobilis, — Diſpoſitio,
      - Aut difficile, — Habitus,
      - Prima ſpecies quantitatis.
    - Aut generat
      - Paſſiua qualitas, quæ vel facile, vel difficile mobilis — Paſſio, Paſſibilis qualitas. Tertia ſpecies qualitatis, quæ verificatur in inanimatis
  - Aut nec perfectiua, aut nec deprauatiua ſubiecti.
    - Aut in profundum penetrat,
      - Aut facile mobilis, — Paſſio, quę aut diu permanet, niſi remoueatur, & eſt qualitas, aut ſtatim tranſit, & facit prædicamentum pati.
      - Aut difficile, — Paſſiua qualitas
    - Aut per ſumma diffunditur
      - Aut in imaginarijs & inanimis, — Figura
      - Aut inanimatis, — Forma. Quarta ſpecies qualitatis.

Iſta fuit pręparatio ad ſequentem textum di- A
lucidius intelligendum. Modo ſequitur textus.

Qualitatem autem dico, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur.

Ariſtoteles deſcribit qualitatem; in qua deſcri-
ptione notandum eſt illud uerbum *Dico*, nã per il
lud verbum oſtẽdit, quòd ipſe eſt primus auctor
huiuſcemodi definitionis, & quòd ipſam ab alijs
nõ accepit; cum enim ipſe primus ſit auctor, vti- B
tur his verbis, *Dico*, *Voco*.

Definit itaque qualitatem, quòd ea ſit, *ſecundũ quam quales quidam eſſe dicuntur*, ideſt qualitas eſt,
quæ denominat ſubiectum quale, vt ſi interroge
mur qualis eſt Petrus, reſpondemus eſt Philoſo-
phus, qualis eſt Bernardinus, eſt Iuris peritus, qua
lis eſt Zabotinus amicus noſter; eſt notarius, qua-
lis paries eſt albus, vel niger.

Eſt autem qualitas eorũ, quę multipliciter dicuntur. Vna quidem igi- C tur ſpecies qualitatis, habitudo & diſpoſitio dicuntur.

Hic Ariſtoteles incipit diſtinguere genera
ſubalterna prædicamenti qualitatis, quæ ſunt
quatuor.

Et primum eſt habitus & diſpoſitio. Sed quo-
niam ſunt aliqui, qui in iſtis primis verbis argu-
mentantur contra Ariſtotelem; idcirco non erit
abſurdum aliquas dubitationes declarare.

Prima dubitatio eſt, quoniã dicit Ariſtoteles, D
quòd *qualitas eſt, ſecundum quam quales quidam eſ-
ſe dicuntur*, ideſt quòd qualitas reddit ſubiectum
quale.

At hoc videtur falſum, quoniam qualitas eſt
genus, ſed genus denominat in quid; ergo nulla
qualitas, cum ſit genus, poteſt prędicari in quale.
Probatur minor ex Porphyrio in Prędicabili-
bus, qui dicit, Genus eſſe quod prædicatur in
quid de pluribus differentibus ſpecie.

Reſpondetur, quòd aliud eſt accipere qualita
tem comparatam ſuo ſubiecto, aliud eſt accipere E
qualitatem, vt eſt genus, quod præeſt ſuis ſpecie-
bus: nam ſi accipiamus qualitatem ſuo ſubiecto
comparatam, vt color qui eſt in ſubiecto, ideſt in
pariete, ſic color prædicatur in quale: dicimus
enim interroganti, qualis eſt paries? albus. Si au-
tem conſideretur qualitas vt eſt genus, quòd con
tinet ſub ſe plures ſpecies, vt color continet ſub
ſe albedinem, nigredinem; ſic verum eſt, quòd
qualitas prædicatur in quid, quoniam eſt genus
conſtituens ſub ſe multas ſpecies. Dicimus enim
quid eſt album, quid nigrum? Reſpõdetur, quòd F
eſt color, quòd eſt qualitas. Ariſtoteles igitur cũ
dicit, quòd qualitas denominat ſubiectũ quale,
loquitur de qualitate conſiderata, vt compara-
tur ſuo ſubiecto, & hoc modo non prædicatur in
quid, ſed in quale.

Secunda dubitatio eſt; Dicit Ariſtoteles, quòd
qualitas multipliciter dicitur: quare igitur prius
eſt definita, quam diuiſa, cum regula ſit Ariſtote-
lis 1. Cœli, quòd multiplicia nomina ſunt prius
diuidenda, quam definienda?

Reſpondetur, quòd nomina multiplicia ſunt
vniuoca vel æquiuoca. Regula eſt, quod quando
fit mentio de aliquo multiplici æquiuoco, illud
eſt prius diuidendum, quam definiendum; ſed
qualitas eſt multiplex vniuocum, quod non ha-
bet prius diuidi, quam definiri: vniuoca enim nõ
tenentur huic regulæ, quoniam nõ ſunt prius di-
uidenda quam definienda; & illud verbum licet
multipliciter accipitur pro eo, quòd habet plures
& diuerſas ſpecies, & non pro eo, quod eſt æqui-
uoce dici.

Tertia dubitatio eſt ſuper definitione data,
quoniam videtur idem declarare alterum, &
ab altero declarari, ideſt definitionem qualitatis
eſſe reciprocam. Ait enim, qualitas eſt, ſecundũ
quam quales eſſe dicuntur: qualitas enim decla
ratur per quale; ergo idem per idem.

Reſpondetur, definitionem illam non eſſe re-
ciprocam, nec etiam eſſe eiuſdem per idem, ſed
de genere earum, quæ ab effectibus appellantur,
quo genere Poetæ ſæpiſſime vtuntur, cum palli-
dam mortem dicunt, ideſt mortem pallidos ho-
mines facientem, ſic qualitas deſcripta eſt, illud
eſſe, quod ſubiectum reddit quale.

Quarta dubitatio eſt, vtrum inter ſpecies qua-
litatis ſit ordo, vt hæc prima: illa verò ſecunda
dicatur, vt videtur dicere Ariſtoteles, & videtur
quod non, quia genus habet ſpecies, de quibus
æqualiter dicitur.

Reſpondetur, quòd non omne genus æquali-
ter dicitur de ſpeciebus, ita quòd vna ſpecies nõ
ſit cauſa alterius; æqualiter tamen dicitur, ideſt
ſecundum rationem vniuocam; patet de corpo-
re, ſed bene genus proximum & vltimum ita ſe
habet, vt animal reſpectu hominis, & equi.

Præterea dico, quòd ſpecies ſubalternæ poſ-
ſunt habere ordinem eſſentialem inter ſe, nedũ
in perfectione, ſed etiam in re, & quo ad conſti-
tutionem vnius per aliud. Exemplum ſit de ſub-
ſtantijs corporeis, mixtis, & ſimplicibus.

Species autem huius prædicamenti non ſunt
ordinatæ iuxta eſſe primam, & ſecundam, ſecun
dum perfectionem, vt prima ſpecies ſit habitus,
& diſpoſitio; ſed ſenſus eſt, quòd hæc eſt prima
in ordine enumerata, potuiſſet tamen incipere a
quarta ſpecie, & loco primæ eam enumerare.

Quinta dubitatio eſt, quoniam dicit Ariſtote-
les, quòd habitus & diſpoſitio conſtituunt pri-
mam ſpeciem qualitatis, tunc quæritur, an ha-
bitus & diſpoſitio idem ſint, & videtur quod nõ,
quoniam per eorum definitionem ſeparantur;
nam alterum eſt qualitas facile mobilis, alterum
qualitas difficile mobilis; quæ verò per definitio
nes differunt, illa ſunt diuerſa; ergo habitus & di
ſpoſitio non eandem, ſed diuerſam ſpeciem con
ſtituunt.

Reſpondetur, quòd habitus & diſpoſitio non
ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ, ſed ſubalternæ. Nihil
autem

autem repugnat ſpeciebus ſubalternis per contrarias definiri definitiones, vt rationale & irrationale contrarias definitiones habent; tamen ſub eadem ſpecie ſubalterna, ideſt ſub animali continentur, ſic habitus & diſpoſitio; quamuis diuerſas definitiones habeant, tamen non eſt incongruum, vt conſtituant primam ſpeciem qualitatis, ſpeciem inquam ſubalternam.

Sexta dubitatio eſt, quia dicit Ariſtoteles habitum eſſe qualitatem, hoc videtur falſum, quoniam bonus habitus corporis, eſt ſubſtantialis corporis temperatura, quæ non eſt de genere qualitatis, ſed ſubſtantiæ, vt teſtatur Galenus in libro de bono corporis habitu: idcirco non omnis habitus eſt in prædicamento qualitatis.

Confirmatur, quoniam habitus melius videtur congruere, ſeu poni in prædicamento habere, quàm qualitatis.

Reſpondetur, quòd ſi bonus corporis habitus reſultat à qualitatibus elementorum, dico, quòd eſt qualitas ſecundum Commentatorem, & Latinos. Secundum verò Alexandrum poterit eſſe ſubſtantiale quoddam. Sed ſi opinionem Alexandri ſequamur, dicemus, quòd iſte habitus nō continetur ſub hac ſpecie, ſed ſolum ille habitus continetur, qui ab aliquo accidēte corporeo, vel incorporeo reſultat. Ad confirmationem dicitur, quòd habitus, vt eſt qualitas, eſt in hoc prædicamento, vt ſcilicet ſumitur habitus pro qualitate diſponente ſuum ſubiectum ad operationem: eſt verò in prædicamento habere, vt ſumitur habitus pro inhærentia corporis ad ea, quæ ſunt extra corpus.

D Differt autem habitus a diſpoſitio-
ne, quòd permanētior, & diuturnior
eſt; tales verò ſunt ſcientiæ, & virtu-
tes; ſcientia enim videtur eſſe perma-
nentium, & diuturnorum, vt ſi quis
vel medioctiter ſumat ſcientiam, niſi
grandis permutatio facta ſit, vel ab
E ægritudine, vel ab aliquo huiuſmodi.
Similiter autem & virtus, vt Iuſtitia,
& Temperantia, & ſingula talium nō
videntur poſſe facile moueri, neque
facile permutari. Diſpoſitiones ve-
rò dicuntur quæ ſunt facile mobilia,
& cito permutabilia, vt calor, infrigi-
datio, & ægritudo, & ſanitas, & quæ-
F cumque alia huiuſmodi. Afficitur
enim quodammodo ſecundum eas
homo, cito autem permutatur, & ex
calido frigidus fit, & ex ſanitate in æ-
gritudinem tranſit; ſimiliter autem
& in alijs, niſi aliqua earundem con-

A tingit per temporis longitudinem cō-
genita, & immobilis, vel omnino diffi
cile mobilis exiſtens, quam iam quiſ-
piam, vt habitum vocet. Manifeſtum
eſt autem, quòd hæc volunt habitus
dicere, quæ ſunt diuturniora, & diffi-
cilius mobilia, namq; diſciplinas non
multum retinentes, ſed facile mobi-
B les exiſtentes, non dicūt habitum ha-
bere, & tamen diſpoſiti ſunt aliquo
modo, ſecundum ſcientiam peius, me
liuſue; quare differt habitus à diſpoſi-
tione: quod hæc quidem facile mo-
bilis ſit. Ille verò diuturnior, & dif-
ficilius mobilis. Sunt autem habitus
C diſpoſitiones; diſpoſitiones verò non
neceſſe eſt habitus eſſe: qui enim re-
tinent habitum, & quodammodo di-
ſpoſiti ſunt ſecundum ipſum; qui au-
tem diſpoſiti ſunt, non omnino reti-
nent habitum.

Ponit Ariſtoteles diſcrimen inter habitum & diſpoſitionem dicens, quòd habitus eſt qualitas permanens; tales verò ſunt ſcientiæ & virtutes; indicat nanque Ariſtoteles, quòd habitus & diſpoſitio ſunt in anima, & in corpore; in vtroque dupliciter qualitas eſt, vel corruptiua, vel perfectiua: corruptiua in anima, vt inſcitia; perfectiua vt ſcientia. Rurſus qualitas in corpore, vel perfectiua, vel corruptiua; perfectiua vt ſanitas, corruptiua vt ægritudo, Ariſtoteles ponit ſimplicem differentiam habitus & diſpoſitionis vel ſit in corpore, vel ſit in animo. Diſtinguuntur enim ſemper per difficile & facile, quoniam habitus eſt qualitas difficile mobilis, diſpoſitio eſt qualitas facile mobilis. Ponit etiam differentiam inter habitum, & diſpoſitionem, quoniam diſpoſitio poteſt prædicari de habitu, non autem è conuerſo, ideſt habitus de diſpoſitione. Probatur, quòd qui habet habitum, habeat etiā diſpoſitionem, vt Petrus habet habitum in Rhetorica, ergo etiam habet diſpoſitionem, ſed non conuertitur, vt qui habet diſpoſitionem, habet etiam habitum, quando aqua ex frigida incipit calefieri, ita ut trāſeat in tepidam, aqua inquam eſt affecta, ideſt diſpoſita ad ſubeundam ſupremam caliditatem: at ſi aqua eſt calida, eſt etiam tepida, quoniam tepidum eſt in calore.

Excellentiſſimus Petrella dicebat, quòd omnis habitus poteſt dici diſpoſitio, ſed non è conuerſo, non quidem capiendo diſpoſitionem ſtricte pro qualitate de facile mobili, ſed large pro omni qualitate diſponente ſuum ſubiectum ad operationem, ſiue perfecte, ſiue imperfecte, &

omnes

omnes tales qualitates ponuntur in hac ſpecie, ſiue ſint corporales, vt calor, frigiditas, ægritudo, ſanitas; ſiue ſpirituales, vt actus intellectus. Vnus enim actus ad alium actum inclinat, & ex ipſis generatur habitus. Item ſpecies intelligibiles, habitus intellectuales, vt intellectus, ſapientia; & morales, vt iuſtitia, temperantia, & huiuſmodi; & virtutes infuſæ, vt fides, ſpes, charitas ponuntur in hac ſpecie. Sed dicet quis, nullum ens rationis eſt de genere qualitatis, cum qualitas ſit ens reale, ſed ſcientia eſt ens rationis; ergo non eſt de genere qualitatis.

Reſpondetur, quòd ens rationis ex Scoto poteſt ſumi dupliciter, vno modo obiectiue, ſicuti vniuerſalia ſunt in anima per ſpecies a rebus cauſatas, vel à Deo impreſſas; ſecundo modo pro comparatione, qua intellectus comparat vnum obiectum cognitum ad aliud obiectum cognitum. Cum ergo dicitur, quòd nullum ens in anima eſt de genere qualitatis, verum eſt de ente in anima ſecundo modo; tale enim ens eſt relatio rationis, cuiuſmodi ſunt ſecundæ intentiones, quæ non habent aliquod eſſe reale, ſed tantum habent eſſe obiectiue in intellectu.

Sed oritur difficultas, quoniam dicimus, omnem habitum eſſe diſpoſitionem, non autem è conuerſo; ergo ſequeretur, quòd diſpoſitio eſſet genus: idcirco namque dicitur, quòd animal prędicatur de homine, non è conuerſo; quoniam verum eſt dicere, quòd homo eſt animal, non è conuerſo. Sic dicimus, habitus eſt diſpoſitio, non tamen è contrario; ergo videtur quòd diſpoſitio ſit genus ipſius habitus.

Confirmatur hoc dubium à Latinis, qui dicũt quòd habitus eſt qualitas difficile mobilis; diſpoſitio autem eſt qualitas facile mobilis, ſed habitus eſt diſpoſitio; ergo habitus eſt facile mobilis.

Reſpondet Ammonius, quòd diſpoſitio eſt nomen multiplex, nam interdum accipitur, vt eſt quoddam commune, interdum pro parte diſpoſita, quando dicit Ariſtoteles, quod diſpoſitio eſt qualitas facile mobilis, tunc loquitur de diſpoſitione ſpeciali, & particulari, quę non prædicatur de habitu, imò diſtinguitur ab habitu. Cum autem dicit, omnis habitus eſt diſpoſitio, & non è conuerſo, accipit diſpoſitionem in communi, & in vniuerſali, quæ competit etiam habitui. Diſpoſitio igitur vniuerſalis eſt, quæ etiã de habitu prædicatur. Diſpoſitio verò ſpecialis eſt, quæ ab habitu ſeiungitur, quia habitus eſt difficulter mobilis; diſpoſitio verò eſt facile mobilis.

Ad confirmationẽ difficultatis habitus eſt diſpoſitio; ergo habitus eſt qualitas facile mobilis.

Reſpondetur, quòd quando dicitur habitus eſt diſpoſitio, debet ſic intelligi, videlicet, quòd habitus præſupponit diſpoſitionem. Habitus enim eſt veluti perfectio, & conſumatio diſpoſitionis, quoniam habitus requirit, vt primum fuerit diſpoſitio, quę eſt præparatio ad habitum. Cum igitur dicitur, habitus eſt diſpoſitio, illud verbum accipitur ex ſuppoſitione, & non formaliter: ratio eſt, quoniam neceſſe eſt tranſire per diſpoſitionem ad hoc vt fiat habitus. Ex quo ſequitur, quòd iſti termini, Intelligere, Audire, Videre, Velle, important veras qualitates, licet per modum ſignificandi dicantur verba Actiua.

Vnde concludendum eſt, quod in iſta ſpecie ſumuntur omnes actus potentiarum, Audire, Intelligere, Velle. Item omnes ſcientiæ, & omnes virtutes, & omnes ſpecies intelligibiles.

Aliud verò genus qualitatis eſt, ſecundum quod pugillatores, vel curſores, vel ſalubres, vel inſalubres dicimus, & ſimpliciter quæcumque ſecundum potentiam naturalem, vel impotentiam dicuntur: non enim quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo, unumquodque huiuſmodi dicitur, ſed quòd habent naturalem potentiã uel impotentiã facile aliquid facere; uel nihil pati, ut pugillatores, vel curſores dicũtur, non quòd ſint diſpoſitiali quo modo, ſed quòd habeãt potẽtiam naturalẽ, uel impotentiam aliquid facile faciendi. Salubres autem dicuntur, eo quod habeant potentiam naturalẽ, ut nihil à quibuſlibet accidentibus facile patiantur. Inſalubres uerò quòd impotentiam habeant naturalem, nihil facile à quibuſcumque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum & molle ſe habent: durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facile ſecari; molle uerò, quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam.

Expoſita prima ſpecie qualitatis, quæ eſt habitus, & diſpoſitio, aggreditur Ariſtoteles ſecundam ſpeciem, quam vocat potẽtiam naturalem, vel impotentiam: intelligit autem, quòd omnia illa ſunt in ſecunda ſpecie, quæ habent vim, & facultatem aut facile agendi, aut difficile agendi, aut facile patiendi, aut difficile patiendi; vt cum eſt aliquis puer optimæ indolis, qui de ſe maxime promittat, ille dicetur habere potentiam ad bona ſtudia: cum aliquis verò eſt neruoſus, dicitur habere potentiam ad artem palæſtricam, vel gimnaſticam. Simili modo cum aliquis naſcitur ſtolidus, dicitur habere impotentiam ad ſtudia literarum; patet quòd iſta omnia non denotant actum, ſed tantum potentiam; quicquid igitur facile agimus, & quicquid difficile patimur, refertur

fertur ad iſtam ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet ad potentiam, & impotentiam.

Hinc colligit Ammonius iſtam ſecundam ſpeciem quadrimembrem eſſe, videlicet potentia, & impotentia facile agendi, difficile agendi, facile patiendi, difficile patiendi.

Animaduertendum pro iunioribus, & tyronibus, quòd potentia & impotentia ſimul concurrunt, dummodo diuerſæ comparentur, vt qui habet potentiam aliquid agendi, habet etiam non agendi impotentiam; & qui habet potentiam aliquid patiendi, habet etiam non patiendi impotentiam, vt inſaluber ſi habet impotentiam non facile patiendi a nimia exercitatione. Item is habet potentiam quoque facile patiendi a nimia exercitatione. Et ſi quis recta indole habet potentiam ſtudendi, idem dicitur habere impotentiam non ſtudendi.

Notádum ſuper illis verbis Ariſtotelis, *Aliud verò genus qualitatis eſt*, quòd dicit *genus*, non quòd potentia & impotentia ſit genus generaliſſimum qualitatis, ſed eſt genus ſubalternū, quòd poteſt eſſe & genus, & ſpecies. Dicit igitur, quòd ſecundum genus qualitatis eſt potentia, & impotentia, ideſt ſecunda ſpecies, quæ eſt species ſubalterna. Dat exemplum ſecundæ ſpeciei qualitatis, *vt curſor, & pugillator*. Curſor dicitur ille, qui habet naturalem potentiam facile currendi, non qui artem currendi actu exercet: nam aliud eſt accipere res, vt in actu conſiſtunt, aliud vt ſunt in potentia: vnde qui habet actum, non habet ſolam potentiam, ſed habet etiam habitum, nempe actum ipſum. Et non vult Ariſtoteles, quòd ponamus potentiam in actu, quoniam ſic eſſet in prima ſpecie qualitatis: eſſet enim habitus, vel diſpoſitio; ſed vult vt accipiamus potentiam, vt eſt quædam propenſio, & vis ad aliquid agendum. Curſor itaque dicitur, non qui actu currit, ſed qui habet potentiam, & facultatem currendi: pariter pugillator non dicitur, qui Gimnaſticam artem exercet, ſed qui habet vim, & facultatem exercendi, ſic ſalubres nō dicuntur, qui actu ſunt ſani, ſed qui valenti ſunt corpore, vt qui habet potentiam non patiendi à cauſis extrinſecis, vt à nimio Solis ardore. Et ſic quamuis aliquis iaceat in lecto, tamen dicitur ſaluber, quoniam eſt aptus natus ad non patiendam aliquam infirmitatem; è conuerſo quamquam alij ſint, qui actu ſint ſani, tamē ſi erunt valetudinarij, ideſt ſi leuiſſima de cauſa in morbum incidant, videntur eſſe inſalubres, quoniam habent potentiam ad morbos acquirendos. Patet igitur, quòd ſecunda ſpecies qualitatis non dicitur eſſe in actu, ſed in potentia.

Vnde notandum eſt, quòd potentia, & impotentia priuatiue opponuntur, vt habetur ab Ariſtotele 5. Metaph. nam impotentia eſt priuatio potentiæ.

Tunc poſſet aliquis argumentari contra Ariſtotelem ſic. Si potentia & impotentia adinuicē opponuntur, ergo ſunt contraria; ergo nō habēt eandem formam, vel rationem; ergo non poſ- A ſunt conſtituere genus, vel ſpeciem qualitatis, quia contraria non conſtituunt ſpeciem.

Reſpōdetur eodem modo quo ſuperius, cum fiebat ſimilis obiectio de habitu, & diſpoſitione. Reſpondetur inquam, quòd ſpecies ſpecialiſſima non poteſt conſtitui ex oppoſitis, bene poteſt ſignificare oppoſita, quando dicis, potentia & impotentia ſunt contraria; ideo non poſſunt cōſtituere vnam ſpeciem. Reſpondetur, quòd hoc eſſet inconueniens in ſpeciebus ſpecialiſſimis, quæ non poſſunt conſtitui ex oppoſitis: at in his B non eſt inconueniens.

Præterea notandum eſt, quòd nomen potentiæ capitur multis modis: interdum potentia accipitur pro eo, quod diſtinguitur ab actu, ſicuti dicimus, aliquem hominem eſſe in potentia, qui nondum natus ſit, ſed adhuc ſit in materia, & hoc modo potentia non eſt qualitas, ſed eſt in omnibus prædicamentis, 1. de anima, com. 6. nam dicimus ſubſtantiam eſſe vel actu, vel potentia. Alio modo capitur potentia pro vi, pro incurſu, pro propenſione, & facultate ad aliquid C vel facile, vel difficile agendum, & ſic accipitur hic. Dicit enim, *Non enim quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo, vnumquodque huiuſmodi dicitur.* quaſi dicat Philoſophus, Aduerte, quòd iſta potentia, & impotentia non ſumitur ab actu rei, ſed tantum ſumitur ſecundum potentiam, vel impotētiam, ideſt vt poteſt eſſe, vel non eſſe, vt habet propenſionem, & facultatem quandam, vt pugillatores, vel curſores, qui tales dicūtur, vt habeant facultatem quandam ad decertandum, & ad currendum, non autem vt actu currūt, vel pu- D gillatoriam artem exercent. Dicit enim Ariſtoteles, quòd non dicuntur tales, quoniam ſint aliquo modo diſpoſiti ad currendum, vel decertandum; ſed quoniam habeant vim, & aptitudinem quandam ad currendum, & decertandum.

Vnde notandum eſt, quòd diſpoſitio eſt, cum aliqua res incipit actum habere, vt ſi aliquis iuuenis incumbat Rhetoricæ per menſem, incipit is deducere diſpoſitionem ad actum: igitur Ariſtoteles dicit, quòd non vocat curſores, qui aliquo modo diſpoſiti ſint ad currēdū, vel decertandō E pugillatores, ideſt qui incipiunt deducere diſpoſitionem ad actum; ſed eos voco curſores, qui habent vim, & facultatem à natura ad currendum; pugillatores ad decertandum.

Pariter ſalubres non dicuntur, qui fruuntur ſanitate, ideſt qui ſunt diſpoſiti ad habendam ſanitatem, & iſtam diſpoſitionē incipiant ad actū deducere; ſed ſalubres vocantur illi, qui habent potentiam naturalem, vt non alterentur à cauſis extrinſecis, ideſt ab aere, ab ingenti exercitatione, & ab alijs cauſis. Inſalubres verò per con- F trarium, & valetudinarij dicuntur, non qui aliquo morbo laborant; ij enim potius ſunt diſpoſiti, ſed qui habent naturalem impotentiam morbos euitandi, & qui leuiſſima de cauſa in ægritudinem incurrunt.

Similiter durum & molle dicuntur eſſe in ſecunda ſpecie qualitatis, quoniam habent poten-

tiam, vel impotentiam: Durum enim dicitur habere potentiam reſiſtendi illud ſecare volenti, & impotentiam facile ſecādi. Molle verò habet potentiam facile ſecandi, & impotentiam difficile ſecandi.

Vnde notandum eſt, quòd prima & ſecunda ſpecies qualitatis differunt, quia facilitates naturales ponuntur in ſecunda ſpecie; diſpoſitiones verò & habitus acquiſiti in prima. Vt facilitas naturalis ad pugnandum ponitur in ſecūda ſpecie; acquiſita verò per artem, & exercitium ponitur in prima; ſic ægritudo, prout dicit; difficilem naturalem ad reſiſtendum contrarijs ipſam cauſantibus; ponitur in ſecunda ſpecie: ipſa verò ægritudo acquiſita ponitur in prima; quæ ſi ſit de facile curabilis, dicitur diſpoſitio; ſi verò ſit incurabilis dicitur habitus.

In hac ſecunda ſpecie qualitatis, propriè paſſiones, neque potentiæ animę, neque interiores, neque exteriores ponūtur, ſed paſſiones propriè reponuntur in illo prædicamento reductiue, in quo ſunt eorum ſubiecta: ſed in iſta ſpecie reponuntur habilitates, vel inhabilitates inhæxiſtentes nobis à natura.

Tertium verò genus qualitatis eſt, paſſibiles qualitates, & paſſiones. Sūt autem huiuſmodi, vt dulcedo, & amāritudo, & auſteritas, & omnia his cognata; ampliùs, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo: quod quidem igitur & hæ qualitates ſunt, manifeſtum eſt; quęcūmque enim has ſuſceperūt; ipſa qualia dicuntur ſecundum ipſas, vt mel, quoniā dulcedinem ſuſcepit, dicitur dulce, & corpus album, quoniam albedinem ſuſcepit, ſimiliter & in cæteris. Paſſibiles verò qualitates dicuntur non quòd ea, quæ illas ſuſceperint qualitates, aliquid patiantur, neque enim mel, quoniam aliquid paſſum ſit, dicitur dulce, neq; aliquid aliud huiuſmodi. Similiter autem his, & calor, & frigus, paſſibiles qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ illas ſuſcipiunt, aliquid paſſa ſint; ſed quoniam ſecundum ſenſus vnaquæque dictarum qualitatum, paſſionis effectiua eſt, paſſibiles qualitates dicuntur; dulcedo enim paſſionem quandā ſecūdum guſtum efficit, & calor ſecūdum tactum, ſimiliter autem & aliæ.

A Habita ſecunda ſpecie qualitatis, Ariſtoteles tranſit ad tertiam, quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas. Vnde aduertēdū eſt, quòd paſſio, & paſſibilis qualitas; eſt qualitas ſumpta ab actu rei, vel corruptiua, vel perfectiua ſubiecti.

Conueniunt namque hæ duę ſpecies, habitus & diſpoſitio, paſſio & paſſibilis, quoniā vtręque ſunt qualitates ſumptæ ab actu rei, vel perficientes, vel deprauantes ſubiectum, differunt ſolummodo in hoc, quòd habitus & diſpoſitio nō poſſunt afficere ſenſum noſtrum; ſed paſſiones, & B paſſibiles qualitates afficiūt, quod paſſibiles qualitates afficiant ſenſum noſtrum, probat Ariſtoteles exemplo, dat enim exemplum de quatuor qualitatibus, quæ actu percipiuntur, dulcedo, & amaritudo dicuntur qualitates paſſibiles, non quia habeant potentiam, ſed quia habent actū; dicuntur enim huiuſmodi, quia actu tales ſunt, & quoniam afficitur, & alteratur ſenſus noſter, guſtata dulcedine. Item accipiamus qualitatem tangibilem, vt calor; calor eſt qualitas paſſibilis, quoniam per calorem alteratur ſen- C ſus noſter; & propterea quod ſenſus noſter patitur, idcirco vocatur qualitas; calor eſt in actu, nō autem in potentia, quoniam calor ſumitur ab actu, vt eſt præſens, non autem qui expectet futurum tempus. Illa ergo, quæ dicuntur habere paſſionem in ſenſu in actu, vt cum ſenſus noſter alteratur, ſunt in tertia ſpecie qualitatis, ſcilicet paſſiones, & paſſibiles qualitates.

Sed differunt etiam inter ſe iſta duo, paſſio, & paſſibilis qualitas, quoniā paſſibilis qualitas difficile poteſt remoueri à ſubiecto. Itē paſſibilis qua- D litas denominat ſuū ſubiectū, vt dulcedo eſt paſſibilis qualitas, quoniam nō poteſt remoueri a ſubiecto melle, aut ſi remouetur, difficile remouetur.

Item dulcedo denominat ſubiectū; quoniam propter dulcedinem mel denominatur dulce. Paſſio autem eſt qualitas, quæ facile poteſt dimoueri, neque denominat ſubiectum, puta aliquis incaleſcit ob iracundiam, fit rubeus, illa rubedo in facie dicitur paſſio, quoniam facile remouetur; non enim permanet, ſed cito tranſit. Item illa rubedo non denominat ſubiectum; nō E enim aliquis dicitur rubeus propter illum ruborem, qui cauſatus eſt ab iracundia. Quando igitur aliquis noſtrum tranſit in iram, rubedo illa, quæ ſuperuenit faciei, dicitur eſſe paſſio, quoniam non permanet, ſed cito tranſit, & pręterit, niſi ſimus in numero illorum, qui habent iram à natura. Item illa paſſio non denominat eſſe iracundum, vel eſſe rubeum; non enim dicitur iracundus, quamuis terque, quaterque quis in anno iraſcatur; pariter propter verecundiam aliquis rubeus fit; iſta eſt paſſio, quæ non denominat vt F aliquis ſit rubeus per verecundiam: & hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles in textu, *quod etiam fiunt propter aliquam paſſionem multæ colorum mutationes*, dicit Ariſtoteles, quòd propter dulcedinem mel denominatur dulce, & abſcinthium amarum propter amaritudinem, & vocantur paſſibiles qualitates, quia inferunt affectionem,

&al-

A & alterationem ſenſui, ſed rubor faciei quando ei ſuperfuſus eſt propter verecundiam, non denominat rubeum eſſe, quoniam non infert affectionem ſenſui, ſed potius paſſio dicitur, quoniam ab interno animi affectu naſcitur.

Paſſio igitur eſt qualitas, quæ cito tranſit, & quæ non denominat ſubiectum, ſed dicitur paſſio, quoniam ab interno animi affectu procedit: paſſibilis autem qualitas eſt, quæ difficulter poteſt dimoueri, & ſuum ſubiectum denominat, vt dulcedo ægre poteſt diſiungi à melle, & amaritudo ab abſinthio, & denominant eſſe dulce,

B eſſe amarum.

Similiter dicit Ariſtoteles, ſapores ſunt obiecta ſenſus, *& omnia his cognata*, non vult exercere artem coquinariam in enumerandis ſingulis ſaporibus, & obiectis ſenſus guſtus, in his verbis, ſcilicet. *Similiter autem & his, & calor, & frigus*, enumerat Philoſophus etiam qualitates tangibiles; quæ a Phyſicis primę qualitates vocãtur, & probat, quòd calor, & frigus, dulcedo, amaritudo, albedo & nigredo ſunt paſſibiles qualitates, & af-

C fert cauſam, cur hæ dicantur paſſibiles qualitates; & dicit, quòd qualitas paſſiua dicitur paſſibilis, quia ſenſus noſter accipit paſſionem. Paſſio hic intelligitur, non vt eſt dolor, ſed vt eſt affectio animi, & corporis, vt alteratur. Dicuntur igitur paſſibiles qualitates, non quod ſubiecta patiantur, ſed quia ſenſus noſter patitur, vt aqua eſt humida; humiditas aquæ eſt qualitas paſſibilis, non quia ipſa humiditas patiatur, ſed quia infert paſſionem ſenſui noſtro.

D Albedo autem & nigredo, & cæteri colores, non eodem modo ijs, quæ dicta ſunt, paſſibiles qualitates dicuntur, ſed eo quod ipſæ ab aliqua paſſione innaſcuntur: quod enim fiunt propter aliquam paſſionem multæ colorum mutationes, manifeſtum eſt: erubeſcens enim aliquis, rubeus factus

E eſt, & timens pallidus, & vnumquodque talium. quare etiam ſi quis natura aliquid talium accidentium perturbationumue paſſus eſt; ſimilem colorem veriſſimile eſt eum habere: quæ enim affectio nunc in eo quod verecundetur circa corpus facta eſt

F etiam ſecundum naturalem conſtitutionem eadem fieri poteſt affectio, vt eſt naturalis color ſimilis ſit. Quæcunque igitur talium accidentium ab aliquibus paſſionibus difficile mobilibus, & permanentibus principium

A ſumpſerunt, paſſibiles qualitates dicuntur, ſiue enim ſecundum naturalem conſtitutionem pallor ſit, aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim ſecundum eas dicimur) ſiue propter ægritudinem lõgam, vel propter æſtum eidem contingit nigredo, vel

B pallor, & non facile prætereunt, vel etiam per vitam permanẽt, paſſibiles qualitates, & ipſæ dicuntur. Similiter enim quales ſecundum eas dicimur; quæcunque verò ex ijs, quæ facile ſoluuntur, & cito tranſeunt, fiunt, paſſiones dicũtur; qualitates verò minime;

C non enim aliqui ſecũdum ipſas dicuntur quales, neque enim qui propter verecundiam rubeus factus eſt, rubeus dicitur neque cui pallor propter timorem venit, pallidus eſt; ſed magis eo quod aliquid paſſus eſt; quare paſſiones quidem huiuſmodi dicuntur, qualitates vero minime.

In hoc loco dicit Ariſtoteles, quod vnum eſt tãtum de genere paſſibilis qualitatis, quod non

D afficit paſſionem in ſenſu noſtro, & hoc eſt color; color enim frangit iſtam regulam, cæteræ omnes qualitates dictæ, vt dulcedo, amaritudo, caliditas dicũtur paſſibiles qualitates, quoniam afficiunt, & alterant ſenſum noſtrum, excipitur color qui non afficit viſum. Probatur hoc exemplo, Ecce enim dum aliquis fit rubeus propter verecundiam, color iſte eſt qualitas, & non alterat ſenſum, quoniam non alterat, neque afficit oculos reſpicientes: nihil enim alteratur viſus reſpicientis, ſed potius iſte rubor vocatur quali-

E tas, id eſt paſſio, quoniam naſcitur ab interno animi affectu, & propterea non alterat ſenſum reſpicientis; ſed, vt dico, vocatur paſſio, quoniam maior eſt alteratio animi ſui, quam alteratio oculorum ipſum reſpicientis, illud quod eſt paſſio, poteſt fieri paſſibilis qualitas, vt ſi iſte iuuenis euadit pallidus propter mœrorem, eſt paſſio: at ſi occuerit, quòd iſta palliditas perſeueret, & fiat is pituitoſus, tunc pallidatas perſeuerabit, & diuturna erit, atque ſubiectum denomi-

F nabit: igitur erit paſſibilis qualitas, quoniam habet duas illas conditiones.

Vult autẽ Ariſtoteles, quod paſſio poſſit commutari in paſſiuam qualitatem, quamuis inter ſe differant: cõmutabitur itaquam hoc modo, quãdo aliquis ex iniuria laceſſitus excandeſcit, & iraſcitur, illa iracundia dicitur paſſio, & excandeſcentia, quoniam facile præterit; nõ enim erit

permanẽs: ſed ſi iſte neſciat ſibi temperare, quin A potius magis quotidie excandeſcat, quod prius erat paſſio, poterit fieri paſſiua qualitas, ita vt natura fiat iracundus: ecce quomodo paſſio tranſit in paſſiuam qualitatem. Dicit itaque Philoſophus, quod quando aliquis propter mœrorem, & timorem fit pallidus, hæc eſt paſſio, quæ ſuperuenit caſu, & ſic iſte dolor, iſta palliditas poteſt facile remoueri, quoniam ſi deſit timor, amplius non erit pallor. At quando iſta palliditas conuertitur in naturalem qualitatem, vt pallor in flegmatico, & pituitoſo, tunc iſte pal- B lor eſt qualitas paſſibilis, & non poteſt facile remoueri; & tunc ille pallor denominat ſubiectũ quale: interroganti enim qualis eſt Ioannes; reſpondetur, eſt flegmaticus, & pituitoſus, & hoc eſt, quod vult Ariſtoteles in ijs verbis, licet; *quia enim affectio nunc in eo quod verecundetur circa corpus facta eſt etiam ſecundum naturalem conſtitutionem, eadem fieri poteſt affectio.* Cum aliquis verecundatur fit rubeus propter verecundiam, iſta rubedo eſt paſſio, quoniam poteſt remoueri: ſi autem iſta rubedo ſit in aliquo homine ſangui- C neo, erit paſſibilis qualitas, quoniam difficile remouebitur. Hoc autem perſpicuum eſt, quoniam aliqua qualitas vel ſit caſu, vel fortuna, vel à natura, dummodo diu perſeueret, fit paſſibilis qualitas, vt eſt aliquis pituitoſus, vel flegmaticus, qui habet pallorem in facie, iſte pallor dicitur eſſe à natura, interdum dicitur eſſe à caſu, vt ex nimia exercitatione aliquis euadit pallidus: item aliquando hoc euenit propter nimiam ægritudinem, vt aliquis fiat pallidus, vtrumque fiat; vel ab ægritudine, vel a carceribus, vel alia qua- D uis de cauſa, ſi breui duret, vocatur paſſio; ſi autem diu, multumq; permaneat, fiet paſſiua qualitas. Paſſio igitur poteſt fieri paſſiua qualitas. Item rubedo, quæ caſu venit in facie alicuius hominis propter laborem, dicitur eſſe paſſio, poteſt iſte rubor tranſire in paſſibilem qualitatem, vt iſti piſtores & fabri, qui propter continuum laborem, & æſtum, quem patiuntur, euadunt rubicundi, & fiunt ſanguinei, iſta rubedo, quoniam iam tranſijt in naturam, & difficulter poteſt ab eis dimoueri, vocabitur paſſibilis qualitas. In E ſumma, illa eſt paſſio quæ ſtatim naſcitur, ſtatimq; recedit, nec denominat ſuum ſubiectum: omnia autem illa, quæ diu permanent, ac durãt, & denominat ſuum ſubiectum, dicuntur paſſibiles qualitates. Verum contra dicta inſurgunt quatuor dubitationes.

Prima eſt iſta, dicit Ariſtoteles, quod dulcedo mellis eſt paſſibilis qualitas; illa autem eſt paſſibilis qualitas, quæ ſubiectum non afficit, ſed alterat ſenſum noſtrum.

Ego autem probo, quod mel ipſum alteratur, F & afficitur, quæcunque generantur prius neceſſe eſt, vt alterentur: nam hæc eſt propoſitio trita apud Phyſicos, quod alteratio præcedit generationem, vt tempore hyemali, ſi apponuntur igni ligna virida, antequam ligna generentur in ſubſtantiam ignis, opus eſt, vt præcedat alteratio. Videmus enim ligna virida igni ſuperpoſita, prius veluti plangere, & plorare; quando enim emittunt humiditatem, tunc ligna diſponuntur, & alterantur, vt recipiant ignis naturam; prius namque expellunt contraria, quæ ſunt humiditas, poſtea fit ignis; eaque ligna mutat in ſuam naturam. Patet igitur, quod antequam ligna tranſeant in naturam ignis, prius alterantur: quare generatio ſemper præſupponit alterationem, ſed mel generatur, quoniam generatur ex floribus, quos apes manducant; ergo prius alteratur, & afficitur. Quamuis itaque dulcedo in melle ſit paſſibilis qualitas, tamen videtur, quod ipſum ſubiectum, id eſt mel alteretur, & afficiatur.

Reſpondetur, quod verum eſt, quod mel ſignificetur, opus eſt, vt præcedat alteratio, ſed non alteratur ipſum mel, alteratur bene materia ipſa, ex qua conficitur mel, vt apes edunt flores; flores in ventre apium ſunt materia, ex qua generatur mel, opus eſt vt antequam generetur mel, ſit alteratio, non ipſius ſubiecti mellis, ſed materiei, ex qua conficitur mel. Alteratio enim eſt non in melle, ſed in floribus, quæ in ventre apium alterantur, & ſic generatur mel: ſimiliter antequam generetur homo, oportet vt fiat alteratio, nõ ipſius ſubiecti hominis, ſed materiæ ex qua componitur homo. Eſt enim ſemen, vel ſperma materia, ex qua generatur homo, antequam generetur homo, iſta materia, nempe ſemen alteratur, quoniam corrumpitur, & ſic generat hominem. Patet igitur, quod verum eſt, quod generatio præſupponit alterationem; ergo mel ipſum antequam generetur, alteratur: nego, quod ſubiectum ipſum mel alteretur; non enim alteratur mel, ſed materia, & compoſitum, ex quo conficitur mel.

Secunda dubitatio eſt; dictum eſt ab Ariſtotele, quod colores non alterãt ſenſum, hoc videtur falſum, quoniã color albus diſgregat viſum; niger autem corroborat, & conſtringit: & iſtæ ſunt alterationes, ergo color eſt qualitas, quæ alterat ſenſum.

Item peregrini tempore brumali, cum nix eſt ſuper terram, ne eorum oculi afficiantur, & alterentur a niue, quoniam nix corrumpit viſum, portant ocularia quædam vitrea cærulei coloris, vt nix videatur cærulea, & ſic non afficitur viſus: ergo patet, quod color afficit, & alterat ſenſum.

Reſpondetur, quod quãdo Ariſtoteles dicit, quod color non afficit ſenſum, non loquitur de quocunque colore vniuerſaliter, quoniam hoc eſſet falſum; ſed loquitur de illis coloribus, qui procedunt ex interno animi affectu, vt de pallore, de erubeſcentia, iſti colores non afficiunt ſenſum reſpicientis, vt aliquis propter ingentem mœrorem pallidus fit, alter propter verecundiã erubeſcit; eſt aliquis reſpiciens vtrunque, oculus aſpicientis non alteratur propter iſtos colores, ſed potius alteratur internus affectus erubeſcentis, vel exalbeſcentis.

Iſti igitur colores non alterant ſenſum reſpicientis, quoniam non alteratur viſus reſpicientis, ſed robur in facie, & pallor prouenıunt ex ipſius animi alteratione & paſſione.

Quare cum maior ſit alteratio in interno affectu hominis propter iſtas mutationes coloris, affectio viſus reſpicientis, vel nulla eſt, vel leuiſſima: idcirco Ariſtoteles dixit, iſtam qualitatem, quæ vocatur paſſio, vt erubeſcentia in aliquo, & pallor in altero non dici paſſionem, quando inferat paſſionem ſenſui noſtro, ſed quia paſſio iſta naſcitur ab interno affectu, vel illius, qui pallidus fit, vel illius, qui erubeſcit.

Poſſumus etiam dicere, quòd Ariſtoteles non loquitur de omnibus coloribus, ſed ſolum de ijs, qui non durant, nec permanent, ſed cito tranſeunt, quoniam iſti colores cũ facile prætereant, non afficiunt ſenſum noſtrum, neque denominant: non enim dicitur aliquis rubeus, quoniam bis, vel ſemel propter verecundiam erubuerit. Idem dicatur ad ſecundam.

Tertia difficultas eſt; nam ſeparans Ariſtoteles paſſionem, & paſſibilem qualitatẽ, dicit paſſionem non appellari qualitatem, quoniam ſubiectum non denominat. Hoc videtur falſum; ſiquidem omnia ſuperiora prædicantur de ſuis inferioribus, & tota hęc ſpecies qualitatis in qualitatem ponitur; ergo qualitas prædicatur de tota tertia ſpecie: at tertiæ ſpeciei, altera pars eſt paſſio; ergo qualitas de paſſione prædicabitur.

Reſpondetur, qualitatem capi duobus modis: vno modo prout paruo vel magno tempore ſtat in ſubiecto, & hoc modo paſſio eſt qualitas: alio modo capitur pro eo quod multum durat in ſubiecto, & ſubiectum longo tempore denominat, & ſic paſſio non eſt qualitas.

Quarta dubitatio eſt, quoniam non videtur conſtare differentiam inter paſſionem, & diſpoſitionem; nam vtraque facile mouetur. Item nec inter habitum, & paſſibilem qualitatẽ, quoniam vterque difficile mobilis eſt.

Reſpondetur, quòd licet ſubiecto, & realiter idem ſit habitus, quòd paſſibilis qualitas, idem paſſio, quod diſpoſitio, formaliter tamen, & ratione hoc eſt ſecundum eorum definitionẽ ſunt diuerſæ.

Siquidem aliqua qualitas dicitur habitus vt difficile mouetur; eadem verò paſſibilis qualitas, vt denominat ſubiectum. Sic diſpoſitio aliquid eſt, vt facile mobile; paſſio, vt non denominat ſubiectum.

Vel ſecundo reſpondetur, quòd habitus & diſpoſitio non immutant ſenſum, ſicuti faciunt paſſio, & paſſibilis qualitas: hæ enim mutant & alterant ſenſum.

Similiter autem his, & ſecundum animam paſſibiles qualitates, & paſſiones dicuntur; quæcunque enim mox in naſcendo ab aliquibus paſ-

A **ſionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipſæ, vt amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiuſmodi, quales enim ſecundum eas dicuntur, idest iracundi, atque amentes. Similiter autem, & quæcunque alienationes non naturales, ſed quæ ab aliquibus accidentibus**

B **factæ ſunt, difficile prætereuntes, & omnino immobiles; qualitates ſunt etiam huiuſmodi; quales enim, & ſecundum eas dicuntur: quæcunque verò ab ijs, quæ facile & cito prætereunt, fiunt, paſſiones dicuntur, vt ſi quis contriſtatus iracundior fiat; nõ**

C **enim dicitur iracundus, quia huiuſmodi paſſione iracundior eſt: ſed magis quia aliquid paſſus; quare paſſiones quidẽ huiuſmodi dicuntur, qualitates verò minime.**

Exempla, quæ hactenus ſuperius adduxit Ariſtoteles, ſunt paſſiones, & paſſibiles qualitates; quarum ſubiectum eſt corpus; nunc etiam oſtendit exemplis, quòd illa quoque quæ ſunt in anima,

D dicuntur eſſe paſſiones, vel paſſibiles qualitates, ne vllam partem relinquat, videant tamen Tyrones, ne forte decipiantur, credentes animam, vt eſt anima, pati ab aliqua re; hoc enim eſt falſum, quoniam anima nihil patitur vt anima, ſed afficitur, & alteratur per coniunctionem, quam habet cum corpore, & ſic quatuor ſunt affectus animæ, ſpes futuri boni, metus futuri mali, lætitia præſentis boni, & dolor præſentis mali. Cum igitur de qualitatibus corporis hucuſque locutus ſit Ariſtoteles, nunc loquitur de qualitatibus animæ, & declarat quæ

E dicantur quælibet paſſiones, & quæ dicantur paſſibiles qualitates, quæ inſunt in anima, a paſſionibus difficile mobilibus dicuntur paſſibiles qualitates, vt amentia, ira, & huiuſmodi. Hæc accidentia dicuntur qualitates, quia ſecundum tales, quales dicimur; nam ab ira dicimur iracundi, ab amentia amentes, ſiue talis amentia fiat per naturam, ſiue per caſum aliquem, dicitur paſſibilis qualitas, quia ex paſſione difficile mobili naſcitur: illa verò animæ accidentia, quæ

F ab aliquibus paſſionibus facile a ſubiecto mobilibus oriuntur, dicuntur paſſiones, vt ſi quis contriſtatus iracundior fiat, & ſecundum eas non dicitur qualis. Et in iſta tertia ſpecie qualitatis reponuntur omnes qualitates ſenſibiles, ſenſus, auditus, viſus, guſtus, odoratus, & tactus, vt omnes ſoni, omnes colores, omnes ſapores, vel odo-

res,caliditas,frigiditas,& ſiccitas; & etiam ſpecies ſenſibiles, vt lumen; omnes qualitates appetitus ſenſitiui, vt verecundia,dolor,timor,delectatio;& etiam qualitates intellectus,vt amentia, & mentis alienatio, ſi amentia oriatur tanquam ex proprio defectu ſenſus,& dicũtur paſſibiles qualitates,& ſic de alijs.

Quartum verò genus qualitatis eſt figura, & circa vnumquodque conſtans forma: amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & ſi quid aliud his ſimile eſt; ſecundum enim vnumquodque eorum quale quid dicitur, triangulum enim, vel quadrangulum eſſe, quale quid dicitur, & rectum, aut curuum. Et ſecundũ etiam formam vnumquodque quale dicitur; rarum verò, & ſpiſſum, & aſperum, & lene putabuntur quidem quale quid ſignificare, ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à diuiſione, quæ circa quale eſt; quandam enim poſitionem magis videntur partium vtrunque monſtrare; ſpiſſum enim dicitur, eo quod partes ſibi ipſis propinquę ſint; rarum vero, eo quòd diſtent à ſe inuicem, & lene quidem, quòd in rectitudinem, aliquo modo partes iaceant; aſperum verò, quòd hæc quidem ſuperet: illa verò ſit inferior; fortaſſe quidem igitur alius quiſpiam modus apparuerit qualitatis, ſed ferè qui maxime dicuntur, hi ſunt; qualitates itaque ſunt, quæ dictæ ſunt.

Hic Ariſtoteles tradit quartam ſpeciem qualitatis, in qua ſunt figura & forma conſtans circa vnumquodque, & rectitudo, & curuitas. Hæ dicuntur qualitates de quarta ſpecie, & ſi quid aliud ſit ſimile: & patet, quoniam ſecundum figuram aliquid figuratum dicitur, triangulum enim vel quadrangulum quale quid dicitur, non quale quid, ideſt vniuerſalis naturam, vt capiebat Ariſtoteles quale quid in Cap. de ſubſtantia; ſed alio modo capitur hic quale quid, ideſt pro eo, quod dicitur quale per qualitatém aliquam, quam habet, quia ſe habet per

A modum qualis. Et illius quod quale dicitur, & per triangulum capit denominatum a triangulatione, vt dicit Boetius, quadratum denominatur a quadratura. Quadratio, & triangulatio ſunt qualitates & figuræ, & per figuram non capit triangulum, ſed triangulationem. Idem de curuo, & recto dicatur, quæ dicuntur qualia a rectitudine & curuitate, quæ dicuntur qualitates, quia per eas denominatur aliquid rectum, vel curuum. Similiter etiam ſe habet forma conſtans circa vnumquodque, quæ dicitur qua-
B litas, quoniam vnumquodque dicitur per ſuam formam circumſtantem, & ſuperficialem.

Ex his patet, quòd Ariſtoteles in quarto genere, ſiue modo, ſiue ordine qualitatis enumerat primo figuram, ſecundo formam, tertio rectum, quarto curuum, quinto his conſimilia, & non apponit vnam ſpeciem, quia potius debent appellari modi, quam ſpecies.

Vnde notandum eſt, quòd hic non capitur forma pro altera parte compoſiti, ſicuti eſt anima. Figura inſuper poteſt bifariam ſumi, vno
C modo pro quantitate terminata, & tunc ſic definitur, figura eſt, quæ termino, vel terminis clauditur: ſecundo modo capitur pro diſpoſitione, vel clauſione qualitatis, quę non eſt aliud, quam ordo partium ad totum locum, vel ad partes loci.

Itaque per figuram capit Ariſtoteles figurationem figurarum Mathematicarum, & imaginatarum, & naturalium pręciſe ineſſe figurę conſideratarum.

Per formam capit formam cuiuſcunque cor-
D poris ſuperficialem, vel corporis naturalis animati, & hæc duplex, vel pulchra, vel deformis.

Triangulum igitur eſt quale, triangulatio eſt qualitas, figuratum eſt quale, figuratio eſt qualitas, rectitudo eſt qualitas, rectũ eſt quale, curuum eſt quale, curuitas eſt qualitas.

Ex his patet, quòd figura & forma non ſunt idem, vt patet in textu.

Vnde ſciendum eſt, quòd ſub iſta ſpecie qualitatis ponuntur omnes figuræ, tam naturales,
E quam artificiales: & illud dicitur habere modũ iſtius qualitatis, quod eſt diſpoſitio partium totius ad partes loci.

His declaratis, Philoſophus, quoniam quis poſſet arbitrari, quòd rarum & ſpiſſum, aſperum & lene ſint qualia, & raritas, denſitas, aſperitas & lenitas ſint qualitates, ideo reſpondet huic tacitæ obiectioni, & dicit, quòd falſum eſt, & quod aliena ſunt hæc à diuiſione qualium & qualitatum, nec ſub aliquo membro ex prædi-
F ctis poſſunt contineri, quia non ſignificant quandam qualitatem, ſed magis poſitionem quandam partium: ſpiſſum enim dicitur, eo quod partes eius ſibi inuicem ſint propinquæ: rarum verò, eo quòd diſtent a ſe inuicem; lene dicitur, quòd in rectitudinẽ aliquo modo partes iaceãt: aſperum verò, eo quòd hæc pars ſuperet aliam, & excedat; illa verò ſit inferior, & ſic non ſunt

qua-

qualitates, ſed poſitiones. Et in his verbis licet, *fortaſſe quidem igitur*, cum recenſuerit quatuor modos, & ſpecies qualitatis, dicit modeſtię cauſa, quod fortaſſe alius modus, ſiue ſpecies qualitatis reperitur. At re vera non ita eſt, vt dicit Ammonius, & diuiſio eius monſtrauit ſpecierum qualitatis, & indagatio antiquorũ, quoniam omnes aliæ qualitates ad vnam prædictarum ſpecierum reducuntur.

Qualia verò ſunt, quæ ſecundum has denominatiue dicuntur, vel quomodolibet aliter àb his. In plurimis itaque, & ferè in omnibus denominatiue dicuntur, vt à candore candidus, & à Grammatica Grammaticus, & à iuſtitia iuſtus, ſimiliter & in alijs. In aliquibus verò, eo quòd non ſunt poſita qualitati nomina nõ contingit ea, quæ dicuntur ab ijs, denominatiue dici, vt curſor, aut pugillator, qui ſecundum naturalem dicitur potentiam, à nulla qualitate denominatiue dicitur, non enim poſita ſunt nomina potentijs, ſecundum quas iſti quales dicuntur, ſicuti diſciplinis, ſecundum quas pugilles, vel palæſtrici ſecundum diſpoſitionem dicuntur; pugillatoria enim, & palæſtrica diſciplina dicitur; quales verò ab his denominatiue dicuntur, qui diſponuntur. Aliquando autem & poſito nomine non dicitur denominatiue quod ſecundum eam quale dicitur, vt à virtute ſtudioſus, eo enim quod uirtutem habeat ſtudioſus dicitur, ſed non denominatiue à uirtute; non autem in pluribus hoc tale eſt, qualia ergo dicuntur, quæ denominatiue à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.

Hucuſque de qualitate, vt de principali egit, nunc in hac tertia parte principali, de quali vt denominatiuo pertractat, & dicit, *qualia ſunt ea, quæ ſecundum eas, & per qualitates dictas denominatiue dicuntur*, id eſt denominantur ab illis iuxta definitionem denominatiuorum ſuperius traditam, vel quomodolibet aliter ab his, *ſiue quo-*

A *uis alio modo*, vt quando qualia non denominatiue dicuntur à qualitatibus, & principalibus, habent tamen qualitatem, vt ſtudioſus dicitur virtute præditus, & non eſt denominatiuum à virtute, & tamen eſt quale. Secundo dicit, *vel quomodolibet*, propter qualitates, quibus nomina non ſunt impoſita, à quibus qualia non poſſunt denominatiue dici, in illis verbis licet, *In plurimis quidem*, declarat prædictam definitionem qualium, in qua ſunt duæ particulæ: prima; quod qualia denominantur

B à qualitatibus: ſecunda, *vel quomodolibet aliter ab his*: propterea dicit, quod in plurimis, imò ferè in omnibus contingit, vt omnia ferè qualia denominatiue dicantur à qualitatibus ſuis principalibus, vt à candore candidus, à Grammatica Grammaticus. In aliquibus verò qualitatibus contingit, vt non denominentur à ſuis qualitatibus, quia illis non ſunt impoſita nomina, vt curſor, vel pugillator ſunt duo qualia, quæ dicuntur qualia in ſecunda ſpecie qualitatis, ſed ſecundum naturalem po-

C tentiam & impotentiam, & non dicuntur denominatiue ab illa naturali potentia & impotentia, cum illis potentijs ſiue qualitatibus non ſit impoſitum nomen; at ſcientijs videlicet pugillatoriæ, & palæſtricę, vtique impoſitum eſt nomen, ſecundum quas illi, qui illis ſunt præditi, denominantur: nam pugillatoria, & palęſtrica diſciplina dicuntur: quales verò denominatiue ab his dicuntur, vt pugilles, vel palæſtrici: ex hoc patet, quod naturalis potentia hic conſideratur pro potentia ad haben-

D dam illam ſcientiam, & non eſt hic ſermo de potentia, quæ eſt in habente ſcientiam illam, ita vt per eam poſſit, cum vult exire in actum.

At in illis verbis licet, *Aliquando autem & poſito nomine*, declarat ſecundo quare dixit, *vel quomodolibet aliter ab his*, dicens, quòd hoc dixit propter quædam qualia, quæ dicuntur à qualitatibus, quæ habent nomen ſuum ſibi impoſitum, ſed non denominatiue dicuntur à qualitate illa; vt virtus eſt qualitas, cui eſt

E impoſitum nomen, & ſtudioſus dicitur qualis à virtute, eo quod habet virtutem, ſed non denominatiue: ſed hoc raro euenit, dicit Ariſtoteles, & tunc concludit definitionem qualium eſſe recte aſſignatam.

Ineſt autem & contrarietas ſecundum qualitatem, vt iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea, quæ ſecun-

F dum ea qualia dicuntur, vt iniuſtum iuſto, & album nigro; non in omnibus autem hoc accidit; rubro enim aut pallido, aut huiuſmodi coloribus nihil eſt contrarium, qualibus exiſten

tibus; amplius ſi contrariorum alterum fuerit quale, & reliquum erit quale. hoc autem palam eſt ex ſingulis proponenti alia prædicamenta, vt ſi eſt iuſtitia iniuſtitiæ contrarium; quale autem eſt iuſtitia, quale igitur & iniuſtitia; nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iniuſtitiæ, neque quantum, neque ad aliquid, neque vbi, nec omnino aliquid huiuſmodi, niſi quale; ſic autem & in alijs, quæ ſecundum quale ſunt contraria.

Hæc eſt quarta & vltima pars huius capitis, in qua Ariſtoteles propria qualitatis, & qualium inquirit, vt etiam in alijs prædicamentis fecit, & dicit quod prima proprietas eſt, quòd qualitatibus ineſt contrarietas, id eſt vna qualitas alteri contrariatur, vt iniuſtitia eſt contraria iuſtitiæ, & albedo nigredini. Similiter idem competit qualibus, vt iuſtum eſt contrarium iniuſto, & album nigro.

Verum docet, quòd non omnibus qualitatibus, & qualibus competit habere contrarium; nam pallido, vel medijs coloribus, vt qualitates ſunt, non eſt aliquid contrarium; medios colores appello omnes, qui ſunt inter extremos colores, inter album & nigrum; & ſic nec ipſi, nec qualia dicta ab eis habent contrarium, & hoc eſt proprium, quòd Soli, ſed non omni. Et in illis verbis licet, *Amplius ſi contrariorum*, docet, quod contrarijs competit, quòd ſi vna qualitas contraria eſt in prædicamento qualitatis: ſimiliter & alia reperietur; idē de qualibus dicēdum, vt qualia ſunt, quia contrariæ qualitates, & contraria qualia ſunt eiuſdem prædicamenti, imò ſunt eiuſdem generis proximi, vt album, nigrū, calor, & frigus, ideo definiuntur contraria, quod ea ſunt, quæ poſita ſub eodem genere maximè diſtant, & cum dicit, quòd iuſtitia eſt quale, ſumit quale pro qualitate, concretum pro abſtracto.

Suſcipiunt autem qualia magis & minus, album enim magis & minus album alterum altero dicitur, & iuſtum alterum altero magis & minus, ſed & ipſa intenſionem ſuſcipiunt, cū candidum nanque ſit, contingit amplius candidum fieri; non tamen omnia, ſed plurima, iuſtitia nanque ſi dicatur magis & minus iuſtitia, poteſt quilibet ambigere. Similiter autem

A & in alijs diſpoſitionibus, quidam enim dubitant de talibus, iuſtitiam nanque iuſtitia non omnino aiunt magis & minus debere dici, nec ſanitatem ſanitate; minus autem habere alterum altero ſanitatem aiunt, & iuſtitiam alterū minus altero habere dicitur; ſic autem & Gramma-
B ticam, & alias diſpoſitiones; ſed tamen ea, quæ ſecundum eas dicuntur indubitanter recipiunt magis & minus, Grammaticior enim alter altero dicitur, & iuſtior & ſanior, ſic autem & in alijs.

Hic aſſignat Philoſophus aliud propriū qualitatum, quod ſcilicet ſuſcipiunt magis & mi-
C nus, quod probat exemplo: nam album dicitur magis & minus album alterum altero, & iuſtus dicitur magis iuſtus altero, imò dicit, *quòd & ipſa*, id eſt quòd vnum quale reſpectu ſuimet recipit magis & minus; nam cum aliquid reperiatur quod ſit album & candidum, contingit amplius candidum fieri, & magis album. Verum docet, quòd hoc non competit omnibus qualibus, ſed pluribus, quia non competit qualitatibus, quæ & ipſæ communi vocabulo dicuntur qualia: hoc probat, quia ſi quis dicat iuſti-
D tiam recipere magis & minus, poſſet dubitari de iuſtitia, & alijs huiuſmodi continentibus diſpoſitionibus. Quidam enim veterum, quos recitat hic Porphyrius dubitant de talibus qualitatibus an recipiant magis & minus; & determinant quod non, dicunt enim, quod non dicitur iuſtitia una, & magis, & minus, iuſtitia, quàm altera, neque ſanitas vna dicitur magis ſanitas, quàm alia; at de habentibus qualitatem verū eſt dicere, quòd vnum dicatur magis iuſtū, quam alterum, & aliquis magis altero dicatur magis ſa-
E nus, & loquitur Ariſtoteles hic ſecundū veteres.

Triangulus verò, & quadrangulus non videntur magis & minus ſuſcipere, neque aliqua aliarum figurarum. Quæ enim definitionem trianguli recipiunt, & circuli, omnia ſimiliter trianguli, vel circuli ſunt; eorum au-
F tem, quæ nō recipiunt rationem eandem, nihil magis alterum altero dicetur: nihil enim quadratum magis, quàm altera parte longius, circulus eſt; neque alterum enim recipit circuli rationem; ſimpliciter autem ſi

vtraque non recipiunt propoſiti rationem, non dicetur alterum altero magis. Non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus; horum itaque quæ prædicta ſunt, nullum eſt proprium qualitatis.

Hic Ariſtoteles dat regulam firmam, qua cognoſcamus quænam qualitates, & qualia recipiant magis & minus, & quæ non, dicens.

Primo, quod illa, quæ eandem definitionem habent, non recipiunt magis & minus, vt vnum dicatur altero magis vel minus tale, vt triangulum, & quadrangulum non videntur magis & minus ſuſcipere, neque alia aliarum figurarum, comparando vnam alteri: omnes enim figuræ, quæ habent conſimilem definitionem trianguli ſunt triangula, & quæ habent eandem definitionem circuli, ſunt circuli æqualiter, licet vnus circulus ſit maior altero circulo, non tamen magis idem dicatur de duobus hominibus habentibus eandem definitionem hominis, non poteſt dici vnus magis vel minus homo altero.

Ibi autem licet, *Eorum autem, quæ non recipiunt rationem eandem*. Dat ſecundo aliam regulam, quæ eſt, quòd illa, quæ nullo modo, & nulla ex parte habent eandem definitionem, & rationem nõ recipiunt magis vel minus, vt quadratum; & altera parte longius non habent eandem definitionem circuli, quare quadratum nõ dicitur magis vel minus circulo, quàm ſit altera parte longius, nullum enim iſtorum habet definitionem circuli.

Quare ſimpliciter & abſolute dicendum eſt, quòd ſi duo non habeant eandem definitionem rei, ſecundum quam comparantur per magis & minus, id eſt ſi aliqua ex parte non conueniant in eadem ratione, & definitione illius rei; ſecundum quã comparatur per magis & minus, penes quam ſcilicet fit comparatio, illa non recipiunt magis & minus, ita vt regula ſit, quòd quę habẽt magis & minus, debent partim conuenire in eadem definitione, & partim differre in definitione illius rei, per quam fit comparatio per magis & minus.

Sed hæ duæ proprietates non ſunt veræ; ita vt omni, ſoli, & ſemper competant, vt inquit, propter ea dat vltimam, & veriſſimam proprietatem, dicens:

Similia verò, aut diſſimilia, ſecundum ſolas dicuntur qualitates: ſimile enim, & diſſimile alterum alteri non eſt ſecundum aliud, niſi ſecundum id, quod quale eſt; quare proprium eſt qualitatis, ſecundum eam ſimile, vel diſſimile dici.

A Inquit Ariſtoteles, quòd vera proprietas, & conuertibilis eſt qualibus, & qualitatibus ſimile, vel diſſimile dici. Simile enim aliquid alteri dicitur, non niſi per qualitates conſimiles: vel dic quòd hic aſſignat proprium qualium, & qualitatum, vt dicantur qualia ſimilia; vel diſſimilia, ratione qualitatis; & hoc etiam proprium eſt qualitatis, non quod ipſa qualitas dicatur ſimilis vel diſſimilis, ſed quòd per eam, & ſecundum eam aliquid dicitur ſimile, vel diſſimile alteri: vna vero qualitas, per quam vnum quale dicitur alteri B ſimile, eſt euſdem ſpeciei, vel generis, cum alia qualitate, per quam alterũ dicitur illi conſimile.

At verò non decet conturbari, ne quis nos dicat, de qualitate propoſitum facientes multa eorum, quę ſunt ad aliquid, connumeraſſe. Habitus enim & diſpoſitiones eorum, quæ ad aliquid ſunt, eſſe dicebamus: pene C enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur; nihil autem eorum, quæ ſunt ſingularia; nam cum diſciplina genus ſit, id ipſum quod eſt alterius dicitur; alicuius enim diſciplina dicitur: eorum verò, quæ ſingularia ſunt, nihil ipſum quod eſt alterius dicitur, vt Grammatica non dicitur D alicuius Grammatica, nec Muſica alicuius alterius Muſica, ſed forte ſecundum genus; & hæ ad aliquid dicuntur, vt Grammatica alicuius dicitur diſciplina, non alicuius Grammatica, & Muſica alicuius diſciplina, non alicuius Muſica. Quapropter quæ ſingularia quidem ſunt, non ſunt ad ali- E quid: dicimur autem quales ſecundum ſingula; hæc enim & habemus, ſciẽtes enim dicimur, eo quod habemus ſingularum ſcientiarum aliquas; quare hæ erunt etiam qualitates quæ ſingulares ſunt, ſecundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem F non ſunt eorum, quæ ſunt ad aliquid. Amplius ſi contingit idem ipſum & quale, & ad aliquid eſſe, nihil eſt inconueniens, in vtriſque hoc generibus enumerare.

Hic ſoluit quandam inſtantiam: videtur enim

enim male feciſſe; cum poſuerit habitum, & diſpoſitionem eſſe ſpecies qualitatis, cum hæc eadem in capite de relatione poſuerit; dicit enim, quod diſpoſitio eſt rei diſpoſitæ diſpoſitio. Similiter & ſcientiam poſuit in prædicamento ad aliquid. Hanc dubitationem ſoluit dupliciter. Prima ſolutio hæc eſt, quod ſi habitus, diſpoſitio, & ſcientia conſiderentur, vt genera ſunt, ſic ſunt ad aliquid, at ſi in ſpecie conſiderentur, ſunt qualitates, pro eſſe ſingulare capit eſſe ſpecificum, & indiuiduale: nihil enim quod ſit ſingulare, ideſt ſpecificum, & indiuiduale eſt ad aliquid, genus eſt diſciplina, & hæc dicitur ad aliquid, quia eſt diſciplinabilis rei diſciplina: ſimiliter ſcientia eſt ſcibilis rei ſcientia. At ſecundum eſſe ſingulare, ideſt ſpecificum, vt Grammatica, quę non dicitur alicuius Grammatica, & ſecundum eſſe ſingulare eſt, non eſt ad aliquid, ſed qualitas, quia ſecundum eam quales dicimur. Similiter habitus, & diſpoſitio in eſſe generico, ſunt ad aliquid, in eſſe ſingulari ſunt qualitates, primo modo ponuntur in prædicamento ad aliquid, ſecundo modo ponuntur in hoc prędicamento, & ſunt qualitates.

Secunda ſolutio tradita ab Ariſtotele eſt, quòd non inconuenit idem ſecundum diuerſas conſiderationes reponi in diuerſis prædicamentis, imò Socrates ſecundum plures, & diuerſas conſiderationes eſt in omnibus prædicamentis; habitus, & diſpoſitiones ſunt in prædicamento qualitatis, vt per ea ſubiecta dicuntur qualia. Sunt verò in prędicamento ad aliquid, prout ad inuicem referuntur; & hæc ad textum dicta ſufficiant.

Superſunt nonnullę difficultates.

Primo quæritur, quomodo differant paſſio, & diſpoſitio, cum vtraque ſit qualitas facile mobilis à ſubiecto, & quomodo differant habitus, & paſſibilis qualitas, cum ambo ſint qualitates difficile mobiles à ſubiecto.

Reſpondetur, aliud eſſe diſpoſitionem, & qualitatem facile mobilem, aliud eſſe paſſionem, & qualitatem ortam ex diſpoſitione facile mobili à ſubiecto. Similiter aliud eſſe habitum, aliud eſſe qualitatem ortam ab habitu, & paſſione difficile mobili. Prætereà habitus, & diſpoſitio vt talia non immutant, nec alterant ſenſum, vt faciunt paſſio, & paſſibilis qualitas, & ſic differunt.

Secundo quæritur, an paſſio facile mobilis ſit diſpoſitio, & paſſio difficile mobilis ſit habitus.

Reſpondetur, quòd ſic, ſub iſta ratione formali, vt facile, vel difficile mobilia ſunt à ſubiecto. Omne namque poſitiuum abſolutum, quod non eſt ſubſtantia facile, vel difficile mobile à ſubiecto ſine interitu ſubiecti, appellatur habitus, vel diſpoſitio. At ſi paſſiones illæ ponuntur in prædicamento paſſionis, hoc eſt alia ratione.

Vnde paſſio vno modo capitur pro illo motu

A paſſiuo, ſiue pro quadam paſſione, & receptione, & ſic eſt in prædicamento pati. Secundo modo accipitur pro qualitate quadam, quæ ineſt ſubiecto ob aliquam paſſionem, quæ cito tranſit à ſubiecto; & ſic eſt in prædicamento qualitatis.

Vnde talis paſſio, vel eſt in corpore, & ſic eſt aliquis color, vel qualitas tangibilis, vt ſi quis timeat, ſit pallidus, vel frigidus, vt patet experientia; quia timore aliquis totus tremuit. Vel eſt in anima, vt ſi quis ſit iracundior ob triB ſtitiam; paſſio ergo, quæ eſt qualitas, oritur ex paſſione, quæ eſt motus, vel alteratio, quæ fit in patiente, vel eſt receptio cum dolore patientis, ſiue cum delectatione, vt eſt timor, & gaudium, quæ fiunt cum motu, & alteratione, tunc appellatur paſſio.

Tertio dubitatur circa quartum genus qualitatis, an forma ſit ſpecies qualitatis, & videtur quòd non, quia forma prædicatur de forma ſubſtantiali, & qualitatibus primæ, ſecundæ, & tertiæ ſpeciei, imò de figuris, &
C de omni accidente; ergo forma non eſt ſpecies qualitatis.

Reſpondetur, quod forma multipliciter ſumitur.

Primo, pro forma ſubſtantiali, & accidentali.

Secundo, pro forma ſubſtantiali tantum.

Tertio, pro omni accidente adhærente ſubiecto.

Quarto, pro omni abſoluto ſubiecto, vt qualitas.

D Quinto, pro forma vniuerſali de prima, ſecunda, tertia, & quarta ſpecie.

Sextò, prò forma ſuperficiali cuiuſlibet rei naturalis corruptibilis, vel artificialis, & etiam rectificatæ, & ſic eſt de quarta ſpecie qualitatis: ideo dicitur forma conſtans circa vnumquodque, & de forma ſexto modo capta ſermo eſt.

Vnde aduertendum eſt, quòd in textu non capitur forma pro figura, nec figura pro forma, quia exempla Ariſtotelis de figura ſunt de figuris Mathematicis: at poſt exemplum de
E curuo, & recto dicit, quod ſimiliter ſecundum formam aliquid dicitur quale, ergo vult formam ſeparari à figura.

Cui quidem formæ, figuræ, rectitudini, & curuitati poteſt aſſignari genus proximũ, quod erit forma in communi, quæ eſt qualitas, quæ intelligitur ineſſe ſubiecto, ſecundum quandam deſignationem. Hæc verò eſt duplex, vel ſuperficialis in corpore conſtante ex concurſu plurium accidentium ſimul, & ſic eſt forma,
F vel ſuperficialis in ſuperficie, ſcilicet in quantitate ſolum, & ſic eſt multiplex. Eſt enim figura vel in linea, vel in ſuperficie, vel in corpore.

Quarto dubitatur; nam videtur, quod figura ſit quantitas, & non qualitas, quia conſiderantur à Geometra conſiderante quantum continuum, & huiuſmodi figuras; eam enim

definit

definit Euclides, & eius ſpecies pertractat; ergo figura videtur eſſe de prædicamento quantitatis.

Reſpondeo cum Porphyrio, quòd corpus hoc in loco non abſolute conſideratur, quatenus conſtituit figuram triangularem ex tribus lineis, ſed quatenus tres illæ lineæ inter ſe locatæ ſunt, vt angulos tres efficiant: nam quando lineæ ad angulos tres coniunctæ ſpatium quoddam terminauerint, euadit figura quæ dicitur triangulus, quæ figura eſt qualitas, non quatenus habeat tres lineas, ſed quatenus ex tribus lineis, tribuſq; angulis forma quædam exiſtit; quæ quidem non colore vllo prorſus, ſed tali quadam ſuperficiei figuratione conſideratur; ſic quoque ſubiecta ſuperficie circulariter terminata fit circulus, & eſt qualitas. Linea etiam, vt eſt longitudo ſine latitudine eſt quantitas; ſi vero conſideratur vt recta, vel curua, eſt qualitas: ſuperficies ſimiliter, vt longa lata, eſt quantitas, ſed vt plana eſt, ad qualitatem refertur. Deſignatio igitur quantitatis alicuius, dicitur figura de quarta ſpecie, & eſt qualitas.

Quinto quæritur, ſub quo genere qualitatis reponuntur imagines rerum, vt imago Cæſaris.

Reſpondetur, quod ſi imago ſumatur pro illis coloribus, ſic eſt in tertia ſpecie qualitatis, pro quanto feriunt ſenſum: at ſi ſumantur pro illa figuratione, ſic ſunt in quarta ſpecie, & comprehenduntur ſub forma: forma igitur, quæ eſt de quarta ſpecie, intelligitur eſſe diſpoſitio corporis vel naturalis, vel arte facti, imò de imagine, & pictura rei alicuius prædicatur.

Sexto quæritur, an raritas, denſitas, aſperitas, & lenitas ſint qualitates de quarta ſpecie.

Reſpondent aliqui, quòd ſic, quia ſicut figura, forma, curuitas, & rectitudo ſunt in quarta ſpecie qualitatis, & non ſunt niſi diſpoſitiones partium lineæ, vel plurium linearum inuicem; ita raritas, denſitas, aſperitas & lenitas ſic ſe habent, quia ſunt diſpoſitiones partium corporis.

Et ſi quis obijcit, quòd Ariſtoteles hic dicit oppoſitum, Reſpondent, quòd Ariſtoteles non determinat oppoſitum, ſed ſolum dicit, quòd quis putaret hæc eſſe qualitates, ſed non putantur eſſe qualitates, ſed magis poſitionem ſignificare videntur, ita quod arguit, & ſoluit; ſed vult ſolutionem haberi, quòd illa diſpoſitio partium, & ſitus, ſit ſicut figura, quæ eſt diſpoſitio linearum.

Septimo dubitatur, an diſpoſitio partium, & ſitus, vt ſtatio, ſeſſio, accubitus ſint qualitates de quarta ſpecie, cum ſint poſitiones partium.

Reſpondetur, quòd ſic, & de ipſis dicendum, eſt ſicut de raritate, denſitate, figura, & forma. Dices ergo prædicamentum ſitus non differet à quarta ſpecie, Reſpondeo cum Ammonio, quòd ſex vltima prædicamenta ſiunt ex combinatione primorum quatuor, & in prædicamento ad aliquid dicit, quòd ſicut prædicamentum quando, & vbi, eſt res in loco, vel tempore cum tali reſpectu, ita eſt in prædicamento ſitus, cum habitu illo, id eſt cum illa diſpoſitione partium, quæ eſt ſtatio. Ordo igitur partium eſt qualitas de quarta ſpecie, & habet reſpectum annexum; nam ſtare, ſedere indicat rem cum illa qualitate, & quoddam reſpectu conſequente.

Octauo circa primam qualitatis proprietatẽ quæritur, de qua contrarietate loquatur Ariſtoteles, cum dicit, quòd ineſt contrarietas qualitatibus, & qualibus.

Reſpondetur, quòd loquitur de cõtrarietate vt diſtinguitur ab alijs oppoſitionibus, quæ eſt oppoſitio duarum qualitatum extremarum maxime diſtantium ſub eodem genere proximo, vt album, & nigrum ſub colore, vel remoto, ſub diuerſis tamen proximis, eodem tamen generaliſſimo, vt iuſtitia ſub virtute, iniuſtitia ſub vitio, quæ qualitates aptæ ſunt ineſſe eidem ſubiecto ſeſeq; expellunt, & dedit exemplum de albo, nigro, iuſto, iniuſto; quę qualia dicuntur contraria ratione contrariarum qualitatum, mediante albedine, nigredine, media contrariantur, & ipſa ratione extremorum, & ob id ratione extremorum ſe expellunt de eodem ſubiecto; & ideo Ariſtoteles dixit, medios colores nõ habere contrarietatem, niſi vt dixi ratione extremorũ.

Nono dubitatur, an iuſtitia ſit contraria iniuſtitiæ, & videtur quòd non, quia iniuſtitia eſt negatio iuſtitiæ, vel priuatio.

Reſpondetur, quòd iniuſtitia eſt contrarium iuſtitiæ, vt dicit poſitiuum expreſſum voce priuatiua, vel negatiua: vnde non ſumitur ſic iniuſtitia, vt dicit ſolam negationem, vel priuationem iuſtitiæ, ſed vt dicit malum habitum cõtrarium habitui bono, qui eſt iuſtitia.

Decimo quæritur in quo prædicamento ponuntur verba, & participia.

Reſpondetur, quòd ſunt in diuerſis prædicamentis, ſecundum quod diuerſa ſignificant de ſignificato principali. Vnde ſi verbum importet qualitatem, vt Amo, Volo, Intelligo, ſunt in prædicamento qualitatis; ſi actionem, in prædicamento actionis.

Iſta verò verba imperſonalia imperſonaliter ſumpta, Intereſt, Refert, vt important pertinentia ſunt in prædicamento ad aliquid.

Vnde ſciendum eſt, quod ſicuti ſemper vnum contrariorum eſt in eodem prædicamento, in quo eſt reliquum. Ita iſti termini, Germanus, Italus, Hiſpanus; & alij termini concretorum ponuntur in eodem prædicamento, in quo ſunt ſua abſtracta. Quapropter ſi Italia importat locum, vel vbi, ſic Italus, Germanus, Hiſpanus, erunt in prædicamento vbi, poſſunt tamen accipi quandoque, vt dicunt ordinem partis terræ ad totam terram, & ſic ſignificant poſitionem.

Vndecimo, & poſtremo dubitatur circa vltimam qualitatis proprietatem.

Primo, quoniam ſecundum humanitatem dici-

dicimur ſimiles, tamen humanitas non eſt qualitas; ergo.

Secundo, ſecundum ſimilitudinem dicimur ſimiles; ergo non ſecundum qualitates.

Ad primum reſpondetur, quòd licet ſecundum humanitatem dicamur ſimiles, hoc eſt verum capiendo ſimilitudinem large, ſed non proprie.

Ad ſecundum dicitur, quòd licet ſecundum ſimilitudinem formaliter dicamur ſimiles, dicimur tamen ſimiles ſecundum qualitatem fundamentaliter.

Et hæc de Qualitate dicta ſufficiant.

Super Capite de Qualitate, pro Iuris Studioſis.

QVatuor habentur in Capite de Qualitate.

Primum, Quid ſit qualitas,

Secundum, Quot, & quæ ſint genera ſubalterna qualitatis,

Tertium, Quæ ſint qualia.

Quartum, Quot, & quę ſint Qualium, & Qualitatum proprietates.

Quo ad primum caput, qualitas ea eſt, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur, vt Philoſophia eſt qualitas, ſecundum quam quis dicitur Philoſophus, & ſecundum iuriſprudentiam iuriſprudens, cuius inhæſionis ſubiectum, ſicut & aliorum accidentium ſubſtantia eſt, puta Ariſtoteles, & Vulpianus.

Quo ad ſecundum cap, quatuor ſunt genera, ſiue ſpecies ſubalternæ qualitatis.

Primum genus eſt habitus & diſpoſitio. Habitus eſt qualitas difficile mobilis; diſpoſitio eſt qualitas facile mobilis, & habitus eſt diſpoſitio, ſcilicet præſupponit diſpoſitionem.

In hac prima ſpecie qualitatis vt vidimus, ponuntur omnes qualitates diſponentes ſuum ſubiectum ad operationem, ſeu perfecte, ſeu imperfecte, ſiue ſint corporales, vt calor, frigiditas, ægritudo, & ſanitas; ſiue ſpirituales, vt actus intellectus; item ſpecies intellectuales, habitus intellectuales, vt intellectus, ſapientia, ſcientia, ars, prudentia; & morales, vt iuſtitia, temperantia, & cæteræ; & infuſæ, vt fides, ſpes, charitas.

Secundum genus qualitatis eſt potentia, & impotentia naturalis, quæ eſt vis, atque facultas aliquid facile agendi, vel difficile agendi, facile patiendi, vel difficile patiendi.

Vti puer optimæ indolis dicitur habere potentiam ad bona ſtudia, cum aliquis eſt neruoſus dicitur habere potentiam ad artem palæſtricam, vel gimnaſticam. Simili modo, cum quis naſcitur ſtolidus dicitur habere impotentiam ad ſtudia literarum, & qui neruis debilitatus dicitur habere impotentiam ad gimnaſticam.

Tertium genus qualitatis eſt paſſio, & paſſibi-

A lis qualitas, quæ ſumuntur ab actu rei, & ſunt vel perfectiuæ ſubiecti, vt dulcedo in melle, vel deprauatiuæ ſubiecti, vt acor in vino, & dicuntur talia, non quia ſubiectum mel, aut vinum patiatur, ſed ſenſus.

Differt paſſio à paſſibili qualitate, quia paſſio cito tranſit, & non denominat ſubiectum; vt ſi quis factus ſit rubeus in facie propter iracundiam, rubedo illa eſt paſſio, quia cito tranſit, & per eam quis non dicitur rubeus. At dulcedo in melle eſt qualitas paſſibilis, quia

B diu perdurat; & mel dulce denominatur: & paſſio poteſt verti in paſſibilem qualitatem, vt ſi quis propter continuam ægritudinem fiat pituitoſus, & flegmaticus, ita vt ei superueniat continua palliditas, ille pallor ſit paſſibilis qualitas.

Et in hac tertia ſpecie qualitatis reponuntur omnes qualitates ſenſibiles; ſenſus, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus, & omnes ſoni, omnes colores, omnes ſapores, omnes odores, caliditas, frigiditas, humi-

C ditas, & ſiccitas, & etiam ſpecies ſenſibiles, vt lumen, omnes qualitates appetitus ſenſitiui, vt verecundia, dolor, timor, delectatio, & etiam qualitates intellectus, vt amentia, mentis alienatio, & huiuſmodi:

Quartum genus qualitatis eſt rectitudo, & curuitas, figura, & forma cōſtans circa vnumquodque, & his ſimilia.

Per figuram capit figurationem rerum Mathematicarum, & imaginatarum & naturalium præciſe ineſſe figuræ conſideratarum, vt trian-

D gulatio, quadrangulatio.

Per formam capit formam cuiuſcunque corporis ſuperficialem, vel corporis naturalis animati, quæ duplex eſt, vel pulchra, vel deformis.

Quo ad tertium cap, Qualia ea dicuntur, quæ denominatiue a dictis qualitatibus dicuntur, vt Grammaticus, vel quomodolibet aliter ab eis, vt pugillator, & ſtudioſus.

Quo ad quartum caput, tres ſunt proprietates Qualium & Qualitatum.

E Prima proprietas eſt, quod eis ineſt contrarietas, vt iuſtitia iniuſtitiæ, albedo nigredini, iuſtum iniuſto, album nigro.

Secunda proprietas eſt, quod ſuſcipiunt magis & minus, quis dicitur iuſtior altero, & quis albior altero, & idem ſeipſo diuerſis temporibus, licet quidam ambigant, de qualitatibus, de iuſtitia, & albedine, iniuſtitia, & nigredine, an ſcilicet ſuſcipiant magis & minus.

Tertia proprietas eſt, & vera, quòd qualibus, & qualitatibus competit ſimile vel diſſimile di-

F ci, hoc eſt competit qualibus dici ſimilia, vel diſſimilia alteris propter qualitates.

Modo applico ad vſum Iuris ciuilis; & primo, Primum Caput.

Iuriſprudentia eſt qualitas, ſecundum quam iuriſprudentes appellantur. Inſt. de iuſt. & iure. §. iuriſprudentia, vbi gl.

Huic

Huic quoque omod aſſimilari poſſunt, Conſulatus, Prætura, de quibus in tit. de officio cõſulis, de officio Præfecti Prætorio, & huiuſmodi, ſecũdum quas quidam Conſules, & Prætores appellantur, ſubiectum ſubſtantia eſt, vti Caius, Iunius Brutus, Publius Sempronius. A

Quo ad genera ſubalterna qualitatis. De primo genere, habitu namque & diſpoſitione exemplum manifeſtum eſt ipſa iuriſprudentia, quę eſt diuinarum, atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia. l. iuſtitia. §. iuriſprudentia. ff. de iuſt. & iure. Hæc enim habitus intellectualis eſt. Aliud exemplum in eod. tit. de iuſtitia, quæ eſt habitus moralis, vt de his habetur ab Ariſtotele in lib. 5. & 6. Ethic. Si quis itaque abſolutam & exactam, iuſti, atque iniuſti ſcientiam conſecutus fuerit, ita vt difficulter ab eo ammoueri poſſit, is habitum habebit: ſi verò non ita abſolutam, neque ita firmiter tenuerit, ita vt facile poſſit ammoueri, is diſpoſitionem habere dicet. B

Et cum habitus præſupponat diſpoſitionem, vt docui, ideo eſt regula Iuris conſultorum, quo is, qui habitu polleat, diſpoſitione quoque polleat. Quæ regula nititur §. via. Inſt. de ſeruit. ruſt. præd. nam vt via iter & actum in ſe continet, ita habitus quoque diſpoſitionem complectitur. C

De ſecunda ſpecie qualitatis, nempe de potentia & impotentia naturali habetur in cap. accepiſti, & cap. quòd ſedem, extra de frigidis, & maleficiatis, vbi natura frigidus dicitur impotentiam habere ad rem veneream.

Huic aſſimilari poſſumus, quæ habentur de impubere in §. præterea. Inſt. quib. non eſt permiſſum facere teſtamẽtum, quo loci Puber, quia nondum naturali iudicio viget, non poteſt facere teſtamentum, & his conſimilia. D

De tertia ſpecie qualitatis paſſione, ſcilicet ex paſſibili, eliciuntur exempla in l. 1. §. apud Iulianum. ff. de ædilitio ædicto, vbi fit mentio de cæcitate, quæ eſt paſſibilis qualitas, de febricula leui, quæ poteſt eſſe paſſio, pariter ibi de timiditate, & iracundia eſt ſermo, quæ animi paſſiones, & paſſibiles qualitates exiſtere poſſunt. Multa quoque conſimilia paſſim leguntur in l. ob quæ vitia. eod. tit. E

Ex iſtis qualitatibus oriuntur & definitiones, & indicia pro reis: Pallor eſt iudicium malæ conſcientiæ, notat Franciſcus Brunus in ſuo Tractatu de iudicijs, car. 15. num. 30.

Ex aduerſo iracundia culpam minuit. l. quicquid. ff. de reg. iur. vbi quicquid calore iracundię dicitur, vel fit, pro rato non habetur, niſi perſeuerantia apparuerit.

De quarta ſpecie qualitatis, vt puta de forma, & figura habetur, & exemplificari poſſumus in l. forma. ff. de cẽſibus, vbi nedum, res verum ipſius ſitus, & diſpoſitio in cenſo danda eſt. F

Similiter exemplificari poſſumus in l. ſi in rem. ff. de rei vend. quo loci fundum petiturus vltra nomen, ſitumq; dicere debet.

Tertium caput patet ex iam declaratis, ſiquidem Iuris prudentes, Iuſti, Conſules, Prætores, præallegatis tit. denominatur à qualitatibus iam dictis, Iuris prudentia, Iuſtitia, Conſulatu, & Pretura.

Vnde pro quarto, & vltimo cap. iuriſprudentia, & iuſtitia ſunt qualitates: iuriſprudens, & iuſtus ſunt quales, eo quoniam ijſdem conueniunt proprietates qualium, & qualitatum.

Competit prima, nempe habere contrarium, quoniam iuſtitiæ contraria eſt iniuſtitia, iuriſprudentiæ imprudentia iuris, iuſto iniuſtus, iuriſprudenti imprudens iuris.

Conuenit quoque ijſdem ſecunda proprietas, Quis enim dicitur iuriſprudentior altero, alter altero iuſtior, imò idem ſe ipſo, diuerſis temporibus, licet de iuſtitia & iuris prudentia quidam hæſitent. Vide Vulpianum in l. 75. vbi autem nõ apparet. ff. de verb. obligat.

Ijſdem denique attribuitur iure merito, tertia & vltima vera, & conuertibilis proprietas, nẽpe ſimile, vel diſſimile dici; ſiquidem vir vnus iuſtus, & iuriſprudens eſt alteri ſimilis, & diſſimilis per iuſtitiam, & iuriſprudentiam.

Cum itaque his, & alijs; vt diſcurrenti clare videbitur, conueniat definitio qualitatis, & qualium, & proprietates pariter, huiuſcemodi nominibus iure merito denominãtur, & appellantur. Cõſiderant Iuriſconſulti intrinſecam & extrinſecam qualitatem, in l. 86. ff. de uerb. & rerum ſignifi. in l. 75. de euictionibus. Bal. in Auth. ei qui. C. de bonis auth. iud.

Verum hæc dicta ſatis pro Iuris ſtudioſis in Cap. de Qualitate.

De Agere, & Pati. Caput Quintum.

RECIPIT autem agere, & pati contrarietatem, & magis & minus: calefacere enim ei, quod eſt frigefacere cõtrariũ eſt, & calefieri ei, quod eſt frigefieri, & delectari ei, quod eſt cõtriſtari; quare ſuſcipiunt contrarietatem & magis & minus: eſt enim calefacere & magis & minus, & calefieri magis & minus, & triſtari magis & minus: ſuſcipiunt igitur magis & minus agere, & pati. De his igitur tot dicuntur, & de eo quod eſt; ſitum eſſe dictum eſt in ijs, quæ ſunt ad aliquid, quod denominatiue à poſitionibus dicitur. De reliquis verò, ideſt quando,

vbi, &

vbi, & habere, propterea quod manifeſta ſunt, nihil de ipſis aliud dicitur, quàm quę in principio dicta ſũt, quod habere quidem ſignificat calceatum eſſe, armatum eſſe; vbi verò vt in lycio, in foro, & alia quæcumque de his dicta ſunt. Igitur de omnibus generibus, quæ propoſuimus, ſufficiunt quæ dicta ſunt.

Poſtquam determinatum eſt de quatuor primis prædicamentis, nunc de ſex vltimis determinandum eſt; & totus Tractatus iſtorum prædicamentorum diuiditur in duas partes. In prima ponit Ariſtoteles duas proprietates agere, & pati, dicens, quod actio & paſſio, ſeu agere & pati recipiunt contraria, & etiam magis & minus: nã calefacere contrariatur frigefacere, & calefieri frigefieri; quod recipiunt magis & minus probat, quia aliquid dicitur magis & minus calefieri. In ſecunda parte ſe excuſat de alijs quatuor generibus, dicẽs, nihil de ipſis velle dicere, quàm quæ de ipſis in principio dicta ſunt.

Sed pro maiori intelligentia iſtorum ſex prædicamentorum, primo notandum eſt, quod ſex vltima prædicamenta non ſunt abſoluta, ſicut ſubſtantia, quantitas, & qualitas, ſed reſpectiua, ideſt ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes.

Et pro cognitione actionis, & paſſionis, ſciendum eſt, quòd actio eſt reſpectus agentis ad paſſum, & paſſio eſt reſpectus patientis ad agens.

Prima proprietas agere, & pati, eſt, quòd ſuſcipiunt contrarietatem, vt calefacere contrariatur frigefacere, & calefieri contrariatur frigefieri.

Secunda proprietas agere & pati, eſt, quòd ſuſcipiunt magis & minus.

Secundo notandum, quòd duplex eſt quando, actiuum, & paſſiuum. Actiuum eſt reſpectus extrinſecus corporis ad rem temporalem, ideſt mẽſuratã, & contentam per tempus. Paſſiuum eſt reſpectus extrinſecus rei temporalis ad ipſum tempus: verùm nullum iſtorum facit prędicamentũ, ſed ſolùmmodo quando, quod eſt ſuperius, eſt cõmune ad quando actiuum, & quando paſſiuum.

Quando duæ ſunt proprietates.

Prima proprietas eſt, quòd non habet contrarium, vt hodie nihil eſt contrarium.

Secunda non ſuſcipit magis & minus, vt hodie non dicitur magis quando, quàm cras.

Genera ſubalterna ipſius hæc ſunt, eſſe, fore, fuiſſe.

Species, in hora, in die, in anno.

Indiuidua in hac hora, in hac die, in hoc anno, & omnia iſta ſunt in omni prædicamento.

Tertio aduertendum, quòd vbi duplex eſt, vbi actiuum, & vbi paſſiuum.

Vbi actiuum eſt reſpectus loci ad rem locatã, vbi paſſiuũ eſt reſpectus rei locatę ad ipſum locũ

A Duæ ſunt proprietates vbi.

Prima non habet contrarium, licet ſi per ſe vel minus motus.

Secunda proprietas, quòd non ſuſcepit magis & minus.

Genera ſubalterna ſunt ſurſum, & deorſum.

Species ſunt in domo, in camera.

Indiuidua in hac domo, in hac camera.

Quarto ſciendum, quò prædicamentum ſitus, ſeu poſitionis, eſt ordo partium alicuius totius ad partes loci.

B Habet duas proprietates.

Prima proprietas eſt non habere contrarium, quia ſi haberet, eſſet maxime ſedere, & ſtare; ſed hoc non, quia eadem ratione, iacere contrariatur ad ſtare, quod eſt impoſſibile, quia tantum vni vnum eſt contrarium, vt habetur 1. Periher.

Secunda proprietas, ſitus non ſuſcipit magis & minus: vnum enim non dicitur alijs magis, vel minus iacere.

Genera ſubalterna ſitus ſunt, poſitio innata, poſitio acquiſita, ſituari ſurſum, ſituari deorſum.

C Species eiuſdem ſunt, iacere, ſtare, ſedere.

Indiuidua ſunt, Stare Socratis, ſedere Platonis, iacere Diogenis.

Quinto habitus eſt corporum, & eorum quæ ſunt circa corpus adiacentia.

Huius duæ ſunt proprietates.

Prima, quòd habitus non ſuſcipit magis & minus, vt quis dicatur magis & minus armatus.

Secunda, quòd habitus non habet contrariũ, capiendo contrarietatem propriè.

D Eius genera ſubalterna ſunt, habitus partis, habitus totius.

Species ſpecialiſſimæ ſunt, armatum eſſe, veſtitum eſſe.

Indiuidua ſunt, armatio Socratis, armatiò Platonis.

Sed circa dicta dubitatur.

Et primo contra dicta Ariſtotelis in vltimis prædicamentis.

Et primo contra primum, Contraria non poſſunt ſimul verificari de eodem; ſed calefacere, & frigefacere verificantur de eodem, vt puta de

E aqua tepida, ergo.

Reſpondetur, quòd contraria quantum ad gradus intenſos non poſſunt verificari de eodem, ſed bene poſſunt verificari quantum ad gradus remiſſos.

Contra ſecundum; Paſſio eſt ſpecies qualitatis, ergo non eſt vnum prædicamentum.

Reſpondetur; quòd paſſio æquiuocè eſt prædicamentum, & eſt genus qualitatis, ſiue ſpecies.

Contra tertium; Tempus facit diſtare à principio: diſtare autem ſecundum magis & minus

F dicitur. Species igitur videtur ſuſcipere magis & minus; & per conſequens quando.

Reſpõdetur, quòd tempus eſt per motum cauſa diſtantiæ à principipio conſtituentis: & ideo non ſequitur, quòd tempus ſecundum ſe ipſum ſuſcipiat magis & minus.

Contra quartum, Surſus, & deorſum ſunt contraria;

A traria; ergo? iam ſuperius reſponſum eſt, ea eſſe verè contraria, quæ diſtant diſtantia formali, nõ locali.

Contra quintum, Poſitio eſt differentia qualitatis; ergo non eſt prædicamentum diſtinctum ab alijs.

Reſpondetur, quod poſitio dupliciter ſumitur, vno modo pro ordine, ſeu reſpectu partium totius ad ipſum totum; & ſic eſt differentia accidentalis quantitatis. Alio modo poteſt capi pro reſpectu partium totius ad partes loci, & ſic eſt prædicamentum.

Cõtra textum, Habitus eſt ſpecies qualitatis; ergo non eſt vnum prædicamentum diſtinctum ab alijs.

Reſpondetur, quod habitus bifariam capitur vno modo pro qualitate de difficile mobili à ſubiecto, & ſic eſt ſpecies qualitatis: alio modo pro reſpectu eorum, quæ ſunt circa corpus ad ipſum corpus, & ſic eſt vltimũ prædicamentũ. Et hæc de omnibus prædicamentis dicta ſufficiant.

C

De Agere, & Pati. Cap. Quintum ſuper prima parte pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc quinto Capite de actione, & paſſione in prima parte habetur.

Primum, quid actio, quid paſſio.

Secundum, Quot, & quæ ſint eius proprietates.

Quo ad primum, Actio eſt reſpectus agentis ad paſſum, paſſio eſt reſpectus patiẽtis ad agens.

Quo ad ſecundum duæ ſunt propeietates agere & pati. Prima eſt ſuſcipere magis & minus. Secunda verò habere contrarium.

Apud Iuriſtas, in ius vocare eſt actio, in ius vocari eſt paſſio. l. 1. ff. de in ius vocando. nam in ius vocare, & vocari eſt iuris experientiam facere, & fieri, dicto loco citato.

Actiones in iure prout ad rem faciunt, vel ſũt naturales, vel ciuiles.

Naturales; ſibi ſimile generare, filios educare, Deos colere, parentes honorare, de quibus Inſt. de iuſt. & iure. Naturales quoque ſunt, quæ ſenſu fiunt, vt videre, tangere, audire, guſtare, odorare, appetere. Inſt. de reb. corp. & incorp. in princ.

Ciuiles ſunt, quæ à virtutibus proficiſcuntur, nempe à iuſtitia, ius ſuum vnicuique præbere. Inſt. tit. de iuſt. & iur. §. iuris præcepta. A fortitudine, uim ui repellere. l. vt vim. ff. de iuſt. & iure. A liberalitate, mutuare, commodare, §. item is. quibus modis tollitur obligatio. A iurisprudẽtia, iuſtũ & iniuſtum cognoſcere. Inſt. de iuſt. & iure. §. iuriſprudentia.

Pariter paſſiones ſunt vel naturales, vel quæ ſenſu fiunt, vel ciuiles, vt generari, educari, honorari, commodari, tangi, videri, & de alijs conſimilibus.

A De actione, & paſſione eſt locus in l. licet. ff. de iud. vbi queritur an per procuratorẽ agitatũ poſſit ratum habere, nam actionis verbo & actũ & factum continetur. Auth. ius porrectum. C. de ſacroſanct. eccleſ. l. 9. §. fin. ff. de don. inter uirum & uxorem.

Eſt quoque textus in l. aut facta. ff. de pœnis. ubi grauius eſt patrẽ occidere, quam amicũ, ſeu extraneũ. Inſuper actio ſumitur pro iure & facultate. Inſt. tit. §. 1. de actionibus, hinc iuſtę & iniuſtę actiones; l. is filius. de cond. & dem. l. 6. l. 7. §.

B prætor ait. ff. de pactis. Dantur etiam ciuiles & criminales actiones, vt tit. C. quãdo ciuilis actio criminali preiudicet; datur quoq. actio & paſſio in criminibus. §. patitur. §. atrox. Inſt. tit. de iniu. Hæc ſatis ſuper prima parte de Agere & Pati.

De Agere, & Pati Cap. Quintum ſuper ſecunda parte pro Iuris ſtudioſis.

C

IN quinto capite de Agere & Pati in ſecunda parte, quę habentur ab Ariſtotele ad Iuris negotium accommodata, quatuor ſunt.

Primum, Quid Quando.

Secundum, Quid Vbi.

Tertium, Quid Situs.

Quartum, Quid Habitus.

Quo ad primum, Quando, actiuum eſt reſpectus extrinſecus corporis ad rem temporalem, ideſt menſuratam, & contentam per tempus:

D Quando, paſſiuum eſt reſpectus extrinſecus ei temporalis ad ipſum tempus.

Quo ad ſecundum, Vbi, actiuum eſt reſpectus loci ad rem locatam. Vbi, paſſiuum eſt reſpectus rei locatæ ad ipſum locum.

Quo ad tertium, Situs, ſeu Poſitio eſt ordo partium alicuius totius ad partes loci.

Quo ad quartum, habitus eſt corporis, & eorum, quæ ſunt circa corpus adiacentia.

De Quando, textus eſt in l. apud Celſum. §. qui in tutore. ff. de doli mali excep.

E Quo loci, quando quis proximus eſt pubertati, doli capax eſſe præſumitur, & non antea.

Textus quoque eſt in principio Inſt. de vſucap. vbi quando quis trienio mobilia, immobilia verò decennio reſpectu præſentiũ, & vicenio reſpectu abſentium poſſederit vſu cepiſſe dicitur.

Similiter textus legitur in l. adulter. C. ad leg. Iul. de adult. Quo loci, quãdo fuerit tranſactum tempus annorũ quinque poſt commiſſum adulterium, adulter amplius non poteſt accuſari. totis tit. de præſcript. triginta, vel quadraginta

F annorum in C.

Pariter tempus facit, vt locupletiores homines ne annona onerẽtur. rem ſuam vendere cogi poſſit. l. annona. ff. de extraord. criminib. attenditur tẽpus in contractibus. l. 19. ff. de reg. iuris. l. 69. de contrah. empt.

De quantitate, qualitate, tempore, loco, eſt

præcla-

præclarus textus in l.aut facta.ff. de pœnis. vbi omnia ea in delictis attenduntur.

De loco habemus textum in iure in l.in agris, ff.de acquir.rer.dom.Quo loci habetur, quod in agris militibus aſſignatis non habet locum ius alluuionis.Vide Baldum in Commentarijs in iura phæudalia dicentem, hoc prædicamentum valde in iure eſſe neceſſarium.

Siquidem ex loco atrox iniuria æſtimatur, veluti quæ facta eſt in Theatro,in foro, in conſpectu Prætoris.§.atrox iniuria. Inſt.tit.de iniurijs.

Locus facit ceſſare in teſtamentis condendis iuris ſolemnitates, vti ſe habet de habitantibus in rure. l. fin. C. de teſtam. de loco habetur in l. 30.vbi coeptum.ff. de iudicijs. extat tit. ff. de eo quod certo loco, pro locorum varietate variantur res.l. pretia rerum.ff. ad l. Fal. variantur & leges morales ciuiles & conſuetudines.l. de quibus.ff.de legibus,Hinc apponitur locus in inſtrumentis.gl.in l. generali.de Tabularijs,libro x.C.

De ſitu textus eſt in l.diuus.ff.de reſt.in integ. vbi habetur, Iudicem pro Tribunali ſedentem audire,& pronunciare.

Similis eſt textus in Auth. vt ab illuſtrib.§.ſancimus.vbi dicitur,Iudices iudicantes ſedere,& Aduocatos,ſeu Litigantes ſtantes aduocare. De ſitu et poſitione habetur in l.1.l.3.ff.de acq. poſ.

De habitu,habetur in l.veſtis.ff.de auro,& argento legato.Quo loci,diuerſa ſunt veſtimenta, nempe puerilia,muliebria,virilia,communia,familiaria, linea,lanea,ſerica, vel bombicina. De habitu legitur in.l.15.§.ſi qui virgines ff. de iniurijs.in l.22.C. ad l. Iul.de adul.

Et hæc dicta ſatis ſuper prædicamentis pro Iuris ſtudioſis.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

De Oppoſitis. Caput Primum.

Diuidebã in principio huius Tractationis Opus hoc in tres partes,ſcilicet in Anteprædicamẽta, Prædicamenta,& Poſtprædicamenta. Dicebam in prima parte, Ariſtotelem more Mathematicorum nonnulla præaccipere,quæ ad doctrinam Prędicamentorum plurimum conferebant.

Quibus declaratis, in ſecunda parte acceſſit ad Tractatum Prædicamẽtorum, in quo decem ſumma rerum genera per voces ſimplices, mediantibus ſimplicibus conceptibus ſignificata ſatis abunde explicauit.

Modo reſtat tertia pars,nempe poſtprædicamenta ſic appellata,quia tractatum prędicamen-

A torum conſequuntur, ſicuti anteprædicamenta ea, quæ prædicamentorum tractationem præcedunt.

Cauſa intentionis fuit, quoniam cum in prædicamentis pertractandis futurum eſſet, vt de quibuſdam vocibus, & dictionibus mentionem faceret, quæ conferebant ad ipſorum cognitionem,ne in eorundem tractatu ab his moraretur, quædam anteprædicamenta, quædam poſt declarauit, prout voces ipſæ diuerſum quoque locum conſequi poterant.

B Cum enim huiuſcemodi vocum, quædam omnibus ſint ignotæ, ita vt maior pars hominum earum notitiam vllam haberet, vti ſe habet de ęquiuocis, vniuocis, & alijs pręacceptis, quædam verò eſſent quidem quoquo modo cognitę,non tamẽ exacte vt cõueniens eſt,vti ſunt oppoſita, priora, & reliqua,quæ hic docentur à Philoſopho. Præterea ea præmiſit abſque quorum notitia impoſſibile erat pręd̄icamentorum doctrinam percipere. Hæc verò, quæ penitus non ſunt ignota,ne longius exordium progrede-

C retur,in hac parte diſtulit.

Horum namque amplior explicatio valde eſt opportuna pro exacta cognitione eorum,quę in prædicamentis commiſcentur.

Quoniam cum in primis quatuor prædicamentis ſubſtantia, videlicet quantitate,qualitate,& relatione:de contrarietate fiat mentio, cum dictum ſit,quòd quibuſdam ineſt cõtrarietas, quibuſdam autem minime: ideo poſtquam abſoluit ipſa prædicamẽta,oppoſita pertractat,vt cognoſcatur diſtinctius quod dictum eſt in proprietati-

D bus ipſorum prædicamentorum.

Pariter cum in cap. de relatione de ſimul, & priori ſermonem habuerit,quippequi dixerit,relatiua eſſe ſimul natura, & dubitarit nunquid ſcibile prius ſit ſcientia, & ſenſus ſenſibili; propterea opus erat ipſius ſimul naturam prioris,& poſterioris declarare.

Vlterius cum actio & paſſio,de quibus in cap. 5. prædicamentorum, abſque motu quoddam reperiri non valeant,inde etiam de ipſo neceſſe fuit diſtinctius agere,quod facit hoc in loco.

E Hoc idem dicendũ de habere,quòd eſt vnum è decem prædicamentis.

Quæ omnia ſi in pertractandis ipſis prædicamentis exacte declarare voluiſſet, cõtinuam diſſerendi ſeriem interrupiſſet.

Quare neceſſe fuit Ariſtoteli,ſicut fecit,eodẽ ordine, quo ipſa prius cõmemorare, ſicut enim in prædicamentis fiet primum mentio de contrarijs, deinde de priori, atque ſimul, poſtea de agere, & pati; denique de habere, pari modo

F quoque hoc in loco prius de oppoſitis percurrit:ſuccedit his,prius, & ſimul, ſequitur motus, vltimo loco de habere multiplicitate ſermo eſt.

Sed antequam ad expoſitionem textus accedam, duo occurrunt conſideranda.

Primo, videtur ſurgere contradicta difficultas,quoniam ex doctrina Ariſtotelis 1.cœli 101. omne multiplex prius eſt diſtinguendum,quam definien-

deffiniendū: ſed oppoſitio, prius, ſimul, motus, & habere habent ſignificatum multiplex, vt videbimus: ergo male Ariſtoteles prius definiuit, modo diſtinguit, & ſic videtur dicendum, vel quòd Philoſophus fuerit oblitus ſuæ propriæ doctrinæ, vel vt placet Andronico (referente Boetio) poſitionem horum Poſtprædicamentorum non eſſe Ariſtotelis, ſed ab aliquo alio conſcriptam.

Confirmatur, quoniam liber Prædicamentorum ex intentione Andronici inſcribitur Antetopica, hoc eſt ad cognitionem topicæ neceſ- B ſarius. At hæc, quę hoc in loco docentur ad ipſius intelligentiam non faciunt; ergo non ab Ariſtotele, ſed ab alio quoppiam fuere addita.

Ad hanc difficultatem reſpondetur, Ariſtotelem rectè inceſſiſſe, & partem hanc minime ſeiunctam eſſe a tractatu prædicamentorum, quòd patet tum ex dictis, tum etiam ex elocutione, quæ ſermonis continuationem inſinuat, dum poſt prædicamentorum declarationem, ſtatim in principio poſtprædicamentorum ſequitur de Oppoſitis verò: ea enim dictio, *verò*, C aperte indicat continuationem ad præcedentia, & ad eadem relationem.

Ad rationem in contrarium dicitur, quòd vox multiplex duobus modis ſumi poteſt, vel vt æquiuoce dicitur, & multipliciter ſignificat, vt ſi quis de cane, quod multiplex habet ſignificatum vniuerſaliter aliquid proferat, dicendo canem ſimpliciter. Alio modo ſumitur, vt vnum particulare habeat ſignificatum, & ſic eſt vox vniuoca, vt ſi quis canem cæleſtem accipiat, D quando vox primo modo accipitur, tunc venit prius diſtinguenda, quàm definienda. Si autem ſecundo modo, non ſic ſe habet: itaque cum Ariſtoteles de oppoſitis in prædicamentis mentionem fecit, non de oppoſitione, quæ eſt communis ad quatuor ſpecies, ſed de contrarie oppoſitis ſermonem habuit, quòd idem dicitur de priori ſimul agere, pati, & habere. Ratio propterea contra Ariſtotelem nihil obſtat.

E Ad confirmationem dicitur, Auctoritatem Andronici nihil officere, cum ex aduerſo ſit ratio, & auctoritas Simplicij, Ammonij, Boetij, & ferè vniuerſæ ſcholæ Philoſophorum dicentium hanc partem neceſſario connectendam cum tractatu prædicamentorum, vti & neceſſariam, & Ariſtotelis legitimam.

Auctoritas, quæ Andronici nititur falſa ratione, cum non potius ante Phyſica, quàm Antetopica inſcriberetur tractatus iſte, cum non minor ſit vſus in Topicis, ac in Phyſicis Categoriarum, imò in ipſis Topicis quantum ad ar- F gumenta pertinet, ſufficienter eſt tractatum de his, quæ & hic, & in prædicamentis fuere propoſita.

Secundo quæritur de ſufficientia horum Poſtprædicamentorum. Pro notitia ſciendum eſt, quòd prædicamentorum triplex eſt conſideratio; vel vt diuerſa ſunt, vel vt vnumquod- A libet eorum quoddam totum eſt, ſub quo plura continentur, vel vt ſubſtantia eſt ſubiectum inhæſionis aliorum.

Si conſiderentur primo modo, cum diuerſitatis origo diuiſio ſit procedens per oppoſita, propterea oppoſitio exoritur.

Si verò conſiderentur ſecundo modo, aut conſiderantur coordinata in eorum quolibet, quæ cum non ſint niſi genus & ſpecies, inducitur tractatus de eo, quod eſt prius ac poſterius, quia genus in coordinatione ſe habet ſicut prius, ſpecies verò vti poſterius.

Aut nedum coordinata conſiderantur, verū quoque ea, per quæ fit eorum coordinatorum diuiſio, & tunc erit tractatus de ſimul, quia, indiuidua etiam, in quibus inſuper ſtat coordinatio, ſunt ſimul natura, & differentiæ diuidentes coordinata, ex quo ſunt ſecundum eandem genere diuiſionem, pariter ſunt ſimul natura.

Et quia in omni natura cuiuſlibet generis eſt potentia, & actus, & inter hæc motus quoquomodo; ideo etiam inde motus ducit originem.

Si verò tertio modo conſiderentur, quatenus ſcilicet ſubiectum eſt ſubiectum, quod habet quantitatem, qualitatem, & reliqua, & ſubſtantia, ceu fundamento cætera prædicamenta nituntur, ſic fuit neceſſe Logicum de habere verba facere.

Ex quibus patet ſufficientia horum prædicamentorum, & ſimul ordo ipſorum ad inuicem.

Hoc cap. primum diuiditur in tres partes principales. In prima enumerat ſpecies oppoſitionis, ea declarando. In ſecunda ponit differentiam inter ſpecies oppoſitionis. In tertia ponit quatuor proprietates contrariorum. Dicit itaque.

De oppoſitis autem quot modis ſolent opponi dicendum eſt; dicitur enim alterū alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea, quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio, & habitus, aut vt affirmatio, & negatio: opponitur autem vnumquodque iſtorum vt ſit figuratim dicere, tanquam ea, quæ ad aliquid quidem, vt duplum dimidio, tamquam contraria, vt malum bono; tanquam autem ſecundum priuationem & habitum, vt cæcitas, & viſio; tamquam vero affirmatio, & negatio, vt ſedet, non ſedet.

In hac prima parte Ariſtoteles enumerat quatuor ſpecies oppoſitionis, quarum notitiam nobis per exempla tradit, videlicet relatiuam, vt duplum dimidio opponitur; contrariam vt malum bono; priuatiuam vt priuationi habitum,

vt cæcicati viſionem; & è contrario, contradictoriam, vt affirmationi negatio ſedet, non ſedet.

Notandum, quòd Philoſophus ordinat ſpecies oppoſitionis prout fortiori, & validiori contrarietate opponuntur.

Primo namque enumerat relatiue oppoſita, quę habent minimam contrarietatem, quia non ſolum non ſe mutuo perimunt, ſed ſimul ſunt, & ſe conſtituunt, vt pater non deſtruit filiu, ſed eum ponit in eſſe, & cum eo ſimul exiſtit; ſiquidem patre poſito, & filius infertur.

Secundo loco poſuit contrarie oppoſita, quoniam validior eſt eorum oppoſitio præcedenti; minor tamen & infirmior ſubſequentibus; quippe quoniam album & nigrum non ſe mutuo inferant, neque ſimul ſunt, tamen præſente nigro, eoq; adueniente corrumpitur album; verum inuicem tranſmutantur vt album in nigrum, calidum in frigidum, & è contrario.

At priuatiue oppoſita, quæ tertium ſibi vendicant locum, neque ſe inuicem conſtituunt, ſimulq; exiſtunt, quinimo neque ſe inuicem tranſmutantur. Priuatio enim numquam in habitum mutatur, vt cæcitas in viſionem, in vitam mors, naturaliter loquendo, aut artificioſe, niſi dicamus potentia diuina.

Poſtremo & vltimo loco ab Ariſtotele ponuntur cōtradictorie oppoſita reliquis validiora, quæ ex affirmatione & negatione conſiſtunt; in affirmatione aut negatione veritas aut falſitas neceſſario reperitur. Paries namque vel albus eſt, vel non albus, & Socrates Philoſophus eſt, vel non Philoſophus.

Secundo notandum ex Ammonio pro ſufficientia oppoſitorum, quòd oppoſita ad inuicem contrariantur, vel vt orationes, vel vt res: ſi vt orationes exoritur contradictoria oppoſitio, affirmatio & negatio, Petrus ſedet, Petrus non ſedet: ſi vt res, aut vt habitudinem habentes, & ſic ſunt reſpectiua, & oritur oppoſitio relatiua, vt pater & filius, aut vt non habentes habitudinem, ſed vt ſunt entia abſoluta, & hoc dupliciter, vel vt quæ inuicē nō trāſmutantur, & fit oppoſitio priuatiua, vt cæcitas, & viſio, vel vt inuicem etiam tranſmutantur, vt album & nigrum, & eſt oppoſitio contraria, & ſic quatuor non plures, aut pauciores, ſiunt ſpecies oppoſitionum, vt patet ex hac diuiſione.

Primo quæritur, an oppoſitio ſit nomen vniuocum, an ęquiuocū ad hęc quatuor ſignificata.

Ex vna parte videtur, quòd æquiuoce dicatur de his: ſiquidem Ariſtoteles dicit, de oppoſitis quoties ſolent opponi dicendum eſt, ſed ea dictio, *quoties*, pertinet ad multiplicitatem æquiuocationis; ergo videtur quòd æquiuoce prædicetur.

Vlterius mos eſt Ariſtotelis, & præceptum, vt æquiuocum prius diſtinguat, quàm definiat. At in doctrina oppoſitorum hoc præceptum ſeruauit; ergo videtur nomen oppoſitionis æquiuocum ad ea, quatuor.

A Ex alia parte videtur, quòd nomē oppoſitionis vniuoce dicatur de ſibi ſubiectis, quoniam vniuoca ſunt, quorum nomen commune eſt, & ratio nominis eadem. At nomen & definitio oppoſitionis eſt eadem omnibus ſubiectis; ergo nomen oppoſitionis vniuoce de eis prædicatur. Minor probatur a Boetio hunc in modum, oppoſita ſunt, quę in eodem, ſecūdum idem, in eodem tempore, circa vnam, eandemq; rem ſimul eſſe non poſſunt, quòd percurrentibus in ſingulis oppoſitis adinuenitur; quoniam album & ni-
B grum, quę ſunt cōtraria, vno eodemq; tempore, circa vnum, idemq; corpus, & partem corporis, ſimul eſſe non poſſunt, nec ſeruus, atque Dominus quæ ſunt oppoſita relatiua, eiuſdem eodem tempore idem ſeruus idem Dominus eſt; nec habitus, & priuatio relatiue oppoſita, in eodem namque oculo, vno eodem tēpore, viſum, & cæcitatem reperiri non poſſe notum eſt: de affirmatione verò, & negatione contradictorie oppoſitis, quod in eodem ſimul eſſe nō poſſunt, quantumque ſint repugnantia, pariter clariſſi-
C mum eſt. Oppoſitionis itaque adducta deſcriptio, competit omnibus oppoſitionis diuerſitatibus ſibi ſubiectis, & ſic vniuoce dicitur de eis.

In hac quæſtione ſicuti eſt diuerſitas rationis, ita eſt opinionum varietas. Nonnulli, inter ques eſt Caietanus, dicunt, quòd oppoſitio eſt nomen æquiuocum ad hæc quatuor ſignificata. Alij verò, vt Boetius, Ammonius, & è recentioribus Dominus Honoratus de Robertis tenent, oppoſitionem vniuoce prædicari de ſibi ſubiectis, & hanc opinionem veriorem puto, & arbitror eſ-
D ſe ad mentem Ariſtotelis. Non obſtantibus contrarijs rationibus ſupraallegatis, quibus reſpondeo.

Et ad primam, non obſtare, quòd ea dictio *quoties* ſit vox, quę multiplicia ſignificata indicare ſoleat, quoniam datur multiplex æquiuocum & etiam multiplex vniuocum quod æqualiter de ſuis ſpeciebus prædicatur, vt animal eſt multiplex vniuocum, quòd ęqualiter de boue, homine, & reliquis ſpeciebus ſibi ſubiectis prædicatur.

E Præterea licet ea dictio *quoties* ſit dictio indicatiua multiplicitatis, non tamen æquiuocè, ſed vniuoce.

Ad ſecundam rationem dico, quòd licet verum ſit, quòd æquiuocum prius diſtinguatur, quam definiatur, non tamen ſequitur quòd illud, quod primo diſtinguitur, ſit æquiuocum, quoniam etiam in cap. de quanto, Ariſtoteles ſtatim in principio, incipit ab ipſius diuiſione, quod ſcilicet aliud eſt quantū continuum, aliud
F diſcretum; nec tamen propterea eſt dicendum, quòd quantum ſit æquiuocum, cum nulli dubium ſit eſſe genus vniuocum, quòd æqualiter prædicatur de ſpeciebus ſibi ſubiectis.

Secundo dubitatur circa id, quod dixi de mēte Ariſtotelis, nempe priuationem in habitum mutari non poſſe. Hoc enim non videtur ad aures Philoſophi, quinimo aliter ſētit in lib. Phyſ.

Quo loci dicit, quòd materia priuata forma, A eam vt pulchram appetit & recipit, & ſic habetur, quòd priuatio in habitum mutatur.

Reſpondetur, quod priuatio dupliciter ſumitur, vel vt ſignificat abſolutam priuationem formæ, ipſiuſque poteſtatis, & ſic in habitum tranſmutari minime valet, & tali pacto accipimus hoc in loco: vel accipitur vt tantummodo indicat formæ abſentiam, & ſic in habitum mutari poteſt, vt loco citato.

Tertio dubitatur, quoniam dicit Ariſtoteles, quòd bonum & malum contrarie opponuntur; B at contrarium habetur ab eod. in 3. Metaph. quo loci teſtatur malum bono priuatiuè opponi; ergo ſibi contradicit.

Reſpondetur, quod bonum & malum dupliciter conſiderantur, vel formaliter, & tunc malum bono priuatiue opponitur; vel alio modo conſiderantur ſecundum quod ſunt in habitibus & actibus, & tunc ſunt contrarie oppoſita, ſicut enim bonum eſt in habitibus, & actibus bonis; ita quoque malus habitus ex malis reſultat actibus, & tali pacto vt vnum eſt in oppoſitis ha- C bitibus & actibus ad alium ſunt contrarie oppoſita, non priuatiue. Sequitur textus.

Quæcunque igitur ad aliquid opponũtur, ea ipſa quæ ſunt, oppoſitorum dicũtur, aut quomodolibet aliter ad ipſa, vt duplum dimidij, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur. Alicuius enim duplum dicitur, & ſcien- D tia ſcibili tanquam ea, quæ ſunt, ad aliquid opponitur, & dicitur ſcientia ipſum quod eſt ſcibilis, & ſcibile dicitur ipſum quod eſt ad oppoſitum ad ſcientiam: ſcibile enim aliquo dicitur, ſcilicet ſcientia ſcibile. Quæcunque ergo oppoſita ſunt tanquam E ad aliquid, ea ipſa, quæ ſunt oppoſitorum, vel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur. Illa verò quæ opponuntur vt contraria; ea ipſa quidem quæ ſunt nullo modo ad ſe inuicem dicuntur, contraria tamen ſibi inuicem dicuntur: neque enim bonum dicitur mali bo- F num, ſed contrarium; quare differunt abinuicem hæ oppoſitiones.

Hæc eſt ſecunda pars, in qua Ariſtoteles vnumquodque oppoſitorum ſeparatim à reliquis diſcernit, & diſiungit. Et primo ponit differentiam inter contraria, & relatiue oppoſita, ne quis horum eandem eſſe oppoſitionem putet: differunt enim hæc adinuicem; eo quoniam relatiue oppoſita ea ſunt, .i. quæ ipſa quæ ſunt, *oppoſitorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad oppoſita*, hoc eſt quæ referuntur vel per genitiuum, vel per quemcunque alium caſum, quemadmodum relatiua, vt ſeruus eſt Domino oppoſitus, Dominus dicitur oppoſiti ſui, ideſt ſerui, exemplificat in caſu genitiuo, vt cum dimidium ſit duplo oppoſitum, duplum dicitur ſui oppoſiti, nempe dimidij, duplum dimidij duplum. Aliud exemplum in ſexto caſu, vt cum ſcientia ſit ſcibili oppoſitum, ſcibile dicitur ſui oppoſiti, vt ſcibile ſcientia ſcibile.

Contrarie verò oppoſita ea ſunt; quę quidem ſibi contrariantur, ſed id quod ſunt ad oppoſita non dicuntur; contraria autem inuicem dicuntur, vt bonum malo contrarium dicimus, pariter malum bono, ſed non dicimus ea, id quod ſunt eſſe oppoſitorum; quoniam ſi bonum eſſet ſui oppoſiti, tunc diceremus bonum mali bonũ, non bonum malo contrarium eſſe: quod idem dicendum de albo, & nigro, & reliquis.

Differentia itaque inter contraria, & relatiue oppoſita hęc eſt, quòd relatiue oppoſita id quod ſunt, dicuntur eſſe ſuorum oppoſitorum: contraria verò ipſa quæ ſunt oppoſitorum non dicuntur, ſed tantum contrarie prædicantur. Dicimus nanque bonum malo contrarium, nõ autem bonum mali bonum.

Circa dicta primo ſciendum, quòd bonum duplex eſt, alterum per ſe, quod contrarium non habet, vti Deus, qui cum ſit ſumma bonitas, ei malum aduerſari minime poteſt, ſicuti ſolare lumen cum ſit per ſe tale, contrarias tenebras non patitur habere.

Aliud bonum eſt per accidens, & eſt illud, quod eſt tale per aliud, vt bonum, quod in nobis eſt a Deo communicatum, & huic malum aduerſatur, ſicuti luci aeri infuſæ virtute ſolaris luminis tenebræ ſunt oppoſitæ.

Secundo ſciendum, quòd oppoſita contrarie dupliciter conſiderantur, vel ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, & indiuiduale, & ſic non ſe mutuo reſpiciunt, nec relatiua ſunt. Vel ſecundo modo non ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, & indiuiduale, ſed genericum, prout cõtraria ſunt, & ſic cum hac duplicatione, & conſideratione oppoſite contraria vt contraria ſunt, ſe mutuo reſpiciunt, & ſunt relatiua, & ſic quoquomodo ſunt relatiua, quoquomodo non, videlicet non ſunt relatiua per ſe, vti pater & filius formaliter relatiua ſunt, ſed per accidẽs, eo modo, quo Socrates per ſe conſideratus ſubſtantia eſt, non relatiuum; vti verò accidit ei paternitas, ſic fit relatiuum, & quatenus accidit ei eſſe Platonis filij pater; ſic contrarie oppoſita per ſe conſiderata non ſunt relatiua: at ſi conſiderentur cum hoc additamento contrarium vt contraria ſunt, ſic relatiua ſunt; licet nanque non dicamus album nigri album, nec è conuerſo, & ſic non ſint per ſe correlatiua; dicimus tamen al-

bum nigri contrarium, & è conuerſo. Et hoc pacto quatenus eis accidit contrarium relatiua per accidens ſunt.

Sed dubitatur vlterius contra id, quod dixit Ariſtoteles, quòd relatiua ſunt oppoſita, hoc videtur falſum, quoniam oppoſita mutuo ſe perimunt, & deſtruunt; at relatiua non ſe inuicem corrumpunt, ſed potius inferunt, & ſimul exiſtunt; ergo non ſunt oppoſita.

Reſpondet Simplicius, quòd de natura oppoſitorum proprium non eſt ſe inuicem demere, & auferre, ſed potius vt etiam dicit Boetius, vt circa idem, & ſecundum idem in eodem vno, eodemq; tempore minimè eſſe valeat, & hoc quoque relatiuis conuenit, vt ſuperius etiam vidimus, quoniã pater & filius, qui ſunt relatiue oppoſiti, eiuſdem & eodem tempore idem pater, idem filius eſſe non poteſt.

Sequitur textus.

Quæcunque uerò contrariorum talia ſunt, ut in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicantur, neceſſarium ſit alterum ipſorum ineſſe, horum nihil eſt medium: quorum uerò non eſt neceſſarium alterum ineſſe, horum omnino aliquid medium, ut ægritudo, & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri, & neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe animalis corpori, uel ægritudinem, uel ſanitatem, & par quidem, & impar de numero prædicatur; & neceſſe eſt horum alterũ numero ineſſe vel par, vel impar, & non eſt horum aliquod medium, neque ægritudinis & ſanitatis, neque imparis, atque paris: quorum autem non eſt neceſſarium alterum ineſſe, eorum eſt aliquod medium, vt nigrum & album in corpore animalis nata ſunt fieri, & non eſt neceſſarium alterum eorum ineſſe corpori; non enim omne corpus vel album, vel nigrum eſt, ſed & prauum, & ſtudioſum prædicantur quidem de homine, & de alijs autem compluribus non eſt neceſſarium alterum eorum ineſſe ijs, de quibus prædicantur: non enim omnia aut praua, aut ſtudioſa ſunt, ſed eſt aliquid eorum A medium, vt albi & nigri, fuſcum & pallidum, & quicunque alij colores; praui verò & ſtudioſi, quod neque prauum, neque ſtudioſum eſt. In aliquibus igitur medijs poſita ſunt nomina, ut albi & nigri, fuſcum & pallidum, & quicunque alij huiuſmodi colores; in aliquibus verò non eſt B homine facile medium aſſignare, vtriuſque uerò extremorum, negatione medium definitur, ut quod neque bonum, neque malum eſt, neque iuſtum, neque iniuſtum.

Continuatur hæc pars ad precedentem hunc in modum; cum Ariſtoteles declarauerit quomodo oppoſita contraria, & relatiua differ C rant à ſe inuicem, nunc præparat eadem a cæteris oppoſitis ſeparare: verùm quia pro huiuſmodi diſiunctione plurimum adiumenti affert enumeratio diuerſarum ſpecierum priuatiue oppoſitorum: propterea priùs has nobis tradit; antea verò diuerſas contrariorum ſpecies accipit, ac differentias, quas pariter diuidit à priuatiue oppoſitis, poſtea enumeratis varijs priuatiue oppoſitorum differentijs, declarat inſuper nonnullas contradictoriè oppoſitas, quas etiam vltimo loco ab alijs diſcriminat, & ſic pa D tet intentio, ſimiliter & continuatio.

Cauſa intentionis eſt, quoniam ex cognitione eorum, quibus differunt, conueniuntq; oppoſitionum ſingularum ſpecies, nobis facilius innoteſcunt diſcrimina oppoſitorum inter ſe.

Primum itaque Ariſtoteles hoc in loco contrariorum diuiſionem tradit huiuſmodi, videlicet, quòd contrariorum alia ſunt mediata, alia immediata, mediatorum, alia plures habent medietates; alia verò vnam tantum, atque horum aliquibus propria ſunt impoſita nomina; E quædam verò nomine carent; contrariorum verò negatione ſignificantur.

Contraria medio carentia talia ſunt, vt neceſſe ſit alterum eorum in ſubiecto reperiri, vt ægritudo & ſanitas, quoniam omne corpus, in quo ægritudo, ſanitaſq; verſatur, aut ægrum, aut ſanum eſt: & quoniam ægritudo & ſanitas medietate carent, propterea alterutrum eorum oportet ineſſe ſubiecto, in quo nata ſunt fieri, vt puta in corpore animalis, & circa illud ægri F tudo, ſanitaſq; fieri ſolet; & quoniam de corpore animalis aut ſanum, aut ægrum prædicatur, neceſſe eſt cùm hæc medium nullum habeant in corpore animalis, ægritudinem, aut ſanitatem exiſtere.

At in contrarijs medium habentibus non ſic ſe habet, quoniã, in immediatis propterea horũ alterũ in ſubiecto reperiri neceſſe eſt, quod eorũ me-

A medietas nulla ſit, quę poſſit inter ea ſubiecta ineſſe, vt gratia exempli in numero, quoniam paritas & imparitas medium nullum habent: omnis enim numerus eſt aut par, aut impar; nec eſt, quod præter ea numero ineſſe poſſit; idcirco omnis numerus aut par, aut impar eſt. At in medium habentibus nō eſt neceſſe ſemper alterum contrariorum ineſſe, namque poteſt reperiri medium ipſum, vti ſe habet in colore, album & nigrum cōtraria ſunt, medium eorum rubrum, pallidum, idcirco non omne corpus vel album, vel nigrum eſt: B adinueniuntur enim corpora nec alba, nec nigra, vt roſa, in qua ineſt rubrū, & ſimilia.

Præterea in contrarijs medietatem habentibus in aliquibus plures exiſtunt medietates, vt in colore, inter album & nigrum mediat rubrū, mediat pallidum; in aliquibus verò vna tantum reperitur, vt inter calidum, & frigidum, mediat tantummodo tepiditas.

Inſuper horum, in quibus vna ſolummodo medietas exiſtit, quædam reperiuntur nomen habentia, vti tepor inter calidum & frigidum: C alia vero carent nomine, vt improbi & probi medietas, hæc eſt quod neque probum eſt, neque improbum; pariter iuſti, atque iniuſti medietas eſt, quod neque iuſtum neque iniuſtum eſt.

Diuiſio itaque hæc eſt contrariorum; alia ſunt immediata, quorum neceſſe eſt ſemper alterum ineſſe in proprijs ſubiectis, vt in corpore ſanitas, & ęgritudo; in numero paritas atque imparitas. Alia verò ſunt mediata quorum alterum non neceſſario in ſubiecto proprio reperitur, D vti ſunt albedo, nigredo, quæ aliquod medium amplectuntur, vti rubrum, ſimiliter frigidum, calidumq́; , teporem.

Mediatorum alia vnicam tantum habent medietatem, vt inter caliditatem, & frigiditatem ſola tepiditas; alia multas, vt inter album & nigrum, & rubrum & pallidum.

Mediatorum vnicam medietatem habentiū, alia nomina habent impoſita, vt in calore, atque frigore tepor: quædam verò non habent impoſita nomina, ſed amborum contrariorum nega- E tionibus definiuntur, vt dicamus eam eſſe boni, atque mali medietatem, quæ neque bonum eſt, neque malum, eamq́; eſſe iuſti & iniuſti medietatem, quæ neque iuſtum, neque iniuſtum eſt.

Circa dicta notandum, quòd medium dicitur quadrupliciter. Primo datur medium magnitudinis, vt cum dicimus terram eſſe in medio mundi. Secundo datur medium per comparationem, vt cum dicimus, Aer & aqua ſunt elemēta media per quandam comparationem, ex vna parte grauia, & leuia ex altera eſſe dicun- F tur; per comparationem verò medium eſſe dicuntur. Datur tertium medium, quod eſt medium per negationem, & hoc modo dicit Ariſtoteles in textu, quòd iuſti, & iniuſti medium eſt quod neque iuſtum neque iniuſtum eſt: hoc namque medium eſt per abnegationem, veluti eſt infans, qui nec iuſtus, nec iniuſtus eſt; eſt namque medius infans inter iuſtitiam & iniuſtitiam. Medium inquam per abnegationem, quia eſt neutrum extremorum, aptum tamen recipere vtrumque extremorum. Datur & quartum medium per compoſitionem extremorum; ſic in textu dicit Ariſtoteles, pallidum & fuſcum eſſe colores medios: ſic teporem mediari inter frigus & calorem; tepor namque pallidum, fuſcumq́ue, quæ media dicuntur per compoſitionem, ſcilicet per admixtionem extremorum.

Aliud notandum eſt, quòd eſt diuerſitas inter Medicos & Logicos de medietate inter ſanitatem, & ægritudinem: namque Medici tenent, quòd inter ſanum & ægrum detur medium. Galenus enim, teſte hic Alberto, vult, quòd inter ſanum & ægrum medietaliquid, quod neutrum ſit iſtorum, & conſiderat triplicem corporis animalis ſtatum, nempe quando eſt ſecundum totum & partem ægrum quando eſt ſecundum totum & partem ſanum. Conſiderat & tertium, quòd ſcilicet corpus ſit actu ægrum, diſpoſitum verò ad ſanitatem; vel è contrario actu ſanum, diſpoſitum verò ad ægritudinem, & ſic datur medium, quòd neutrū eorum dicitur eſſe: Logici verò tenentes omnia contraria, quæ fundantur ſuper æquale & inæquale carere medio, tanquam reducibilia ad eſſe, & nō eſſe, cum ſanum & ægrum videant ſubſiſtere ſuper æquale & inæquale; quippe quoniam æqualitas complexionis cauſa eſt ſanitatis; inæqualitas verò ægritudinis hinc dicunt neutrum horum ſe habere vti medium, ſed vel eſſe ægrum, non multū à ſano diſtantem, vel ſanum non longe ab ægro exiſtentem, & ſic medium dari negant aperte inter ſanum & ægrum, vt hoc in loco Ariſtoteles clare fecit.

Tertio notādum eſt ex Ammonio, quòd cum duo ſint prędicata per ſe ex Ariſtotele 1. Poſter. tex. com. 30. & 31. primum ſcilicet quando definitio tota, vel pars prædicatur de definito, vt homo eſt animal, homo eſt rationalis, uel homo eſt animal rationale: ſecundum quando propria paſſio prædicatur de ſuo ſubiecto, vt homo eſt riſibilis; par & impar reſpectu numeri, dicit Ammonius. ſunt prędicata per ſe in ſecundo modo, quę neceſſaria eſſe teſtatur Ariſtoteles 1. Poſter. tex. com. 44.

Dubitatur contra id, quod dictum eſt ab Ariſtotele, dari contraria medio carentia, quoniam omne quod fit, ex cōtrario fit, teſte Ariſtotele 1. Phyſic. ſed omne quod mouetur de contrario in contrarium, prius eſt in aliquo medio, quàm in extremo: nam omne quod mouetur partim eſt in termino a quo, partim in termino ad quē, vt aqua cum caleſit partim eſt frigida, a qua fit receſſio, partim eſt calida, ad quam accedit, vt habetur 6. Phyſic. ab eodem; ergo videtur, quòd non dentur contraria immediata.

Albertus reſpondet, quòd contraria poſſunt dupliciter conſiderari, vel comparatiue ad ſubiectum, quod potentia eſt ſub vtroque contra-

riorum ſucceſſiue, & tali pacto in Phyſicis conſiderata, concedit inter ipſa medium requiri.

Alio modo contraria conſiderantur ſecundū intentiones ſuas formales, ſub ratione æqualitatis, & inæqualitatis; & tunc quando accipiunt cauſam oppoſitionis ab æquali & inæquali inter illa dari medium minime conuenit. Dat exemplum de numero, qui eſt par & impar: quia enim par & impar fundantur ſuper æquale & inæquale, propterea medio carent; numerus namque par eſt, qui in duo æqualia diuiditur: impar autem, qui in duo æqualia non diuiditur, ſed in duo inæqualia, & hoc modo conſiderantur contraria hoc in loco. Hinc dicit Philoſophus dari cōtraria, inter quæ medium nullum exiſtit.

Caietanus reſpondet, negando immediationem impedire motum inter cōtraria, ſed ſolum indiuiſibilitatem, oſtendit de motu, qui eſt inter nigrum, & ſpeciem coloris ſibi immediate ſubſequentem, puta fuſcum: propterea eodem pacto dicit, poteſt eſſe motus de infirmitate in ſanitatem, ſicut de fuſco in nigrum, non obſtante immediatione; ſed ſi indiuiſibilitas reperiretur, quia tempus non caderet neceſſario ad motum requiſitum, vt Phyſic. 5. legitur, tunc & eo caſu motus non adeſſet, & impediretur. Sequitur textus.

Priuatio uerò & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid, ut uiſio & cęcitas circa oculum: uniuerſaliter autem dicere eſt in quo natus eſt habitus fieri, circa hoc dicitur vtrumque eorum fieri: priuari verò tunc dicimus vnumquodque habitus ſuſceptibilium, quando in quo natum eſt ineſſe, vel quando illud natum eſt habere nullo modo inſit. Edentulum enim dicimus nō quòd non habet dētes, et cæcum non quod non habet viſum, ſed quod non habet quando natum eſt habere. Aliqua enim ex natiuitate, neque dentes habent, neque viſum, ſed non dicuntur edētula, neque cæca. Priuari verò & habere habitum non eſt priuatio, & habitus: habitus enim viſus eſt, priuatio verò cæcitas. Habere autem viſum non eſt viſus, nec cæcum eſſe cęcitas. Priuatio enim quædam eſt cæcitas, cęcum verò eſſe, priuari, non eſt priuatio. Amplius ſi idem eſſet cæcitas, & cæcum eſſe, vtra-

A que de eodem prædicarentur; ſed cæcus quidem dicitur homo; cæcitas verò homo nullo modo dicitur: opponi quidem etiam iſta videntur, priuari ſcilicet, & habere habitum, quemadmodū priuatio & habitus: idem enim modus eſt oppoſitionis; nam ſicut cæcitas viſui opponitur, ſic cæcum eſſe,
B et viſum habere opponuntur. Nō eſt autem neque hoc quod ſub affirmatione, & negatione eſt, affirmatio & negatio; affirmatio namque oratio affirmatiua eſt, & negatio oratio negatiua. Quod verò ſub affirmatione, & negatione eſt, nulla eſt oratio, ſed res.
C Dicūtur autem hæc eſſe oppoſita adinuicem, tamquam affirmatio & negatio; nam & in his modus oppoſitionis idē eſt, ſicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod ſedet, ei quod nō ſedet; ſic et res, quę ſub vtroque eſt opponitur; ſcilicet ſedere aliquem ad non ſedere.

D Poſitis varijs contrariorum ſignificatis, tranſit Ariſtoteles ad habitum & priuationem, affirmationem & negationem, vt inde ſeparet oppoſitionem priuatiuam & cōtradictoriam a contrarijs, & relatiuis, & eas adinuicem.

Et duo facit. Primo declarat de habitu & priuatione, quid habitus, quid priuatio, quid priuari, quid habere habitum. Secundo agit de affirmatione, & negatione.

Pro primi determinatione, inquit, quòd priuatio & habitus habent fieri in eodem, quod na-
E tura aptum eſt ſuſcipere ipſum habitum, vt viſio, & cæcitas circa oculum. Et tradit regulam vniuerſalem de omnibus huiuſcemodi oppoſitis, videlicet, quòd in omni ſubiecto, in quo naturali ordine habitus fieri poteſt, in eodem quoque ordine eodem priuatio contingere poterit, vt gratia exempli, Si in aurem ſecundum naturæ ordinem auditus adinueniri poſſibile eſt, pariter & ſurditas circa aurem nanciſci poſſe conueniet.

Tunc verò dicit Ariſtoteles, quis dicitur pri-
F uari habitu proprio, quando in tempore apto ad illum habitum ſuſcipiendum eundem non fuerit conſecutus: ſi verò ante tempus non aderit habitus ille, non propterea quis dicitur eo priuatus. Dat exemplum de edentulo & cæco, quoniā eum, qui non habet dentes in quocumque tempore, vel viſum non habet, non proinde edentulum eſſe, aut cæcum exiſtimamus, ſed eum, qui

natu-

naturaliter eſt aptus dentes & viſum habere, ſi in conuenienti ætate viſum, aut dentes non habeat, illum tunc edentulum, & cæcum appellari fas eſt.

His traditis de habitu & priuatione, quia fortaſſe quis putare poſſet, habitum & priuationẽ idem eſſe, ac priuari, & habitum habere, idcirco de his quoque diſſerit, & dicit, quòd priuari, & habere habitum non ſunt ex omni parte idem, cum habitu, & priuatione, & ſi non opponantur diuerſimode. Quod probat, quoniam habitus eſt viſus: at viſus non eſt eſſentialiter habere viſum; priuatio itidem eſt cæcitas, namque dicimus, quòd priuatio quædam cæcitas eſt; at cæcum eſſe, & priuari viſu non eſt cæcitas, vel priuatio, quoniam ſi eſſet idem cæcitas, & cæcum eſſe eſſentialiter, tunc ambo ſimul de eodem verificarentur, quod non eſt verũ; propterea quod homo dicitur quidem cæcus, vel viſu priuus, at cæcitas nullo modo dicitur homo; ergo habitus & priuatio non ſunt idem cum priuari, & habere habitum. Sequitur tamen Ariſtoteles, quòd licet nõ ſint eadem habere habitum, & priuari, ac ſint priuatio & habitus, non tamen diuerſam faciunt ſpeciem oppoſitionis, ſed eandem, quoniam ſicut cæcitas viſui opponitur, ita cæcum eſſe opponitur ad viſum habere.

Vlterius addit, quòd pariter non ſunt idem affirmatio & negatio, ac id quod ſub affirmatione & negatione cõtinetur, quod probat ex hoc, quoniam affirmatio & negatio orationes ſunt; affirmatio enim eſt oratio affirmatiua, negatio verò negatiua; at quæ ab ipſis ſignificantur, res ſunt; nam ſtudet Plato, oratio eſt, quod ſtudet ipſe Plato, videlicet ſubſtantia cum actione quadam, vt puta cum eo, quòd eſt ſtudere; & ſicuti habere habitum, vt priuari, licet ſint diuerſa, ac habitus & priuatio, non tamen diuerſam conſtituunt oppoſitionem, ſed eandem. Sic etiã affirmatio & negatio licet diuerſa ſit à ſignificatis per eas, nihilominus eandẽ habet oppoſitionis ſpeciem, nempe contradictoriam: non ſolum enim contradictorie opponuntur, ſtudet Plato, non ſtudet Plato, ſed etiam per has voces ſignificata, videlicet ſtudere Platonis, ad non ſtudere Platonis.

Circa dicta ſciendum, quòd priuatio eſt triplex, quædam in genere, quædam in ſpecie, quædam in indiuiduo. Priuatio in genere eſt, vt ſi diceremus, plantarum genus eſſe vnum, quoniam deinde dicimus, quòd generi viuentium non repugnat videre; ſimiliter etiam plantæ ratione qua viuunt, eis non repugnat videre; attamen ratione proprij generis qua planta eſt, dicimus eius genus priuatum eſt uiſione, & hæc eſt priuatio in genere. Alia eſt priuatio in ſpecie, vt cum dicimus talpam cæcam, quia talpæ ſub ratione animalis non repugnat videre, ſed repugnat ratione ſpeciei, hæc priuatio eſt in ſpecie, quia vniuerſa talparum ſpecies eſt priuata viſione. Alia dicitur priuatio propria ſingularium, & hæc eſt triplex, quædam eſt pura priuatio, alia

A eſt deprauata, tertia eſt diminuta, vt etiam dicit Auerroes 3. cœli. 35. com. ſic dicitur cæcus quidam, qui nihil videt, vel videre poteſt; quidam dicitur cæcus, qui diminute videt, & cęcutiens dicitur; quidam dicitur cęcus, quia praue videt. Hæc triplex dicitur priuatio, quando Ariſtoteles loquitur de priuatione, intelligit priuationem abſolutam, & puram. Inſuper hæc priuatio abſoluta eſt duplex, vel eſt priuatio, quæ dicitur a Simplicio ante formam, vel eſt priuatio poſt formam quę formam ſubſequitur. Exemplum ſi

B conſideretur ſemen in vtero matris, tale ſemen dicitur cæcũ, & eſt cæcum, quia non videt: hæc eſt priuatio ante formam; alia verò eſt priuatio poſt formam, quæ formam ſubſequitur, vt quando homo, qui in lucem prodit, lucem amittit. Priuatio ſecundum formam eſt in ſubiecto in potẽtia: at priuatio poſt formam eſt in ſubiecto in actu. Priuatio ante formam ſolum remouet actum, ſed non aptitudinem: ſemen enim cæcũ eſt, ſed poteſt recipere viſionem. Priuatio verò poſt formam remouet aptitudinem, & actum, &

C de hac eſt ſermo Ariſtotelis, de qua dicit inferius, quòd de priuatione ad habitum non datur regreſſus.

Secundo notandum eſt ex Ammonio, quòd tria requiruntur in habitu, & priuatione, videlicet aptitudo ad ſuſcipiendum habitum, tempus aptum ſuſceptionis, & in qua parte ſuſcipiatur.

Reſpectu primæ conditionis, dicimus lapidẽ cum nõ ſit aptum ſuapte natura viſum ſuſcipere, minus eſſe aptum ſuſcipere viſus priuationẽ.

D Reſpectu ſecundæ conditionis, dicimus non eſſe edentulos, aut cæcos, qui cũm de recẽti fuerint in lucem proditi, oculos aut dentes nõdum habeant, vt infantes, & catuli; ſed qui in tempore apto ad lucem, & dentes habendum eiſdem careant.

Reſpectu tertiæ conditionis, dicimus non eſſe cæcos, qui in pedibus viſu priuantur, cum ea pars non ſit natura idonea viſum ſuſcipere, ſed qui in oculis.

Tertio notandum, quòd Ariſtoteles definiẽs

E affirmationem & negationem vſus fuit genere remoto, dicens, quòd affirmatio eſt ratio affirmatiua, & negatio, oratio negatiua, & non dicit quòd eſt enunciatio, quia cum intentio eius ſit oſtendere, quòd affirmatio, & negatio ſunt oppoſita, melius oſtẽditur ex genere, quod eſt oratio, eo quoniam eſt commune vtrique affirmationi, ſcilicet & negationi, quam ex enunciatione, quę ſpecies eſt orationis, & proprie loquẽdo; in enunciatione negatiua, quicquam non enunciatur, ſed potius enunciatio negatiua eſt nega-

F tio alicuius de aliquo, & quòd in affirmatione enunciatur, in negatione negatur.

Sed dubium inſurgit contra id, quod dicit hic Ariſtoteles, ſcilicet quod ſicuti affirmatio & negatio in ſermone exiſtentes opponuntur cõtradictorie; ita etiam ſimilis modus oppoſitionis eſt in rebus per affirmationem, & negationem

ſignificatis, videtur nanque velle, quòd oppoſi- A tio prima ſit in ſermone, & non in re: cōtrarium tamen alibi dicit Ariſtoteles, videlicet in prædicamento ſubſtantiæ, nempe quod ex eo, quod res eſt, vel non eſt oratio dicitur vera, vel falſa, & ſic ibi dicit, primum oppoſitionem eſſe in re, & conſequenter in ſermone.

Ad hanc difficultatem reſpondetur, quòd vere contradictio non eſt in oratione, niſi in relatione ad rem ipſam, & eſt in re ſicut in cauſa, & hoc modo intellexit Ariſtoteles loco citato: in oratione autem contradictio eſt ſicut in ſigno, B & hoc modo intelligitur hoc in loco, ita vt nulla ſit contradictio.

Quòd autem priuatio, & habitus non opponuntur ut ad aliquid, manifeſtum eſt; non enim dicitur idipſum, quod eſt oppoſitorum; uiſus enim non eſt cęcitatis uiſus, non ullo alio modo ad ipſum dicitur. Simili- C ter autem neque cæcitas uiſionis cęcitas dicitur, ſed priuatio quidem uiſionis dicitur; cæcitas uerò uiſionis non dicitur, neque uiſus cæcitatis. Amplius ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur; quare ſi cæcitas eorum, quæ ad aliquid ſunt, eſſet, uti-
D que & conuerteretur ad illud, ad quod dicirur, ſed non conuertitur. Nō enim dicitur uiſus cęcitatis uiſus.

Cum Ariſtoteles varia contrariorum propoſuerit ſignificata, diuerſaque docuerit ad habitū & priuationem, affirmationem & negationem attinentia, inſuperq; ſuperius oppoſitionem relatiuam a contraria ſeparauerit.

Modo eius intentio eſt diuidere priuatiuam oppoſitionem a relatiua, & contraria, & ſimili- E ter contradictoriam ab his.

Nunc igitur primum demonſtrat, quomodo priuatiua oppoſitio differat ab oppoſitionibus relatiuis, probatione ſumpta ex eorum definitionibus hunc in modum.

Ea, quæ ſunt ad aliquid, referuntur ad inuicē ſecundum aliquem caſum, ſcilicet genitiuum, vel accuſatiuum, vel alium; ſed ea quæ opponuntur, vt habitus & priuatio ad inuicem non referuntur ſecundum genitiuum, accuſatiuum, vel alium quemlibet caſum. Non enim dicitur, vi- F ſus cæcitatis viſus, nec cęcitati viſus, nec ad cæcitatem viſus, ſiue ſecundum alium caſum, ipſum quod eſt viſus ad cæcitatem non dicitur, nec è contrario, hoc ipſum quod eſt cæcitas dicitur viſus cæcitas, vel ſecundum alium caſum, ſed cæcitas dicitur priuatio viſionis, nullo autē modo viſionis cæcitas; ergo differunt.

Secunda ratio, qua idem probatur à Philoſopho, eſt deſumpta a natura correlatiuorum, ſeu proprietate, videlicet talis. Relatiua dicuntur ad conuertentia; oppoſita vero priuatiue minime conuertuntur, quoniam dato, quòd cæcitas diceretur viſus cæcitas, non tamen conuerteretur dicendo, viſus cæcitatis viſus, vt ex pręhabitis dictum eſt; ergo alia eſt oppoſitio relationis; alia verò eorum, quæ opponuntur, vt priuatio & habitus.

Circa dicta notandum, quòd Ariſtoteles accepit ſecundam rationem deſumptam ex proprietate correlatiuorum, non tantum vt multiplicaret argumenta pro ſeparatione oppoſitionis relatiue a contraria comprobāda, ſed magis vt ex ea penitus remoueret apparentiam quandā, quæ ambiguam reddere videbatur primam eius rationem, quando dicebat, quòd cæcitas non dicitur viſus cæcitas, ſed viſus priuatio. Hoc enim fortaſſe alicui non videretur ita clarū: propterea addidit ſecundam rationem, qua ſufficienter ſatisfacit etiam dubitanti de veritate iam dicta, quòd ſcilicet cæcitas non dicitur viſus cæcitas, quæ conuertentia neceſſario requiritur in correlatiuis.

Verúm dubitatur contra illud, quod dictum eſt ab Ariſtotele, quòd priuatio dicitur de viſu, non autem cæcitas: quoniam de quo genus prędicatur, & ſpecies quoque eius aliqua prædicari neceſſe eſt; ſed priuatio per Ariſtotelem prædicatur de viſu; ergo ſpecies eius aliqua de viſu prędicabitur. Maior patet, nam ſi animal de Socrate prædicatur, & quædā ſpecies animalis de eodem diceretur, vt homo: pariter quoque ſi priuatio dicitur de viſu, aliqua ſpecies eius prædicabitur de eodem.

Erit autem potiſſimum ea priuatio oppoſita illi habitui ſecundum ſpeciem. Cum itaque priuatio viſus non ſit vniuerſaliter priuatio, ſed quædam priuatio ſpecialis, vtputa cæcitas; ergo cæcitas de viſu prædicabitur.

Ammonius ſoluit hāc difficultatem, & dicit, quòd ſe habet de cæcitate, ſicut in alijs quamplurimis, nempe, quod priuatio dicitur illius ſubiecti particularis, quod habitu, ſiue poteſtate ei priuationi oppoſita caret, nō autem ipſius habitus, ſiue poteſtatis, ſicuti eſt inſcitia, quam priuationem nominamus per defectum ſcientiæ. Hæc inquam non oppoſiti, ſed recipientis dicitur; inſcitia namque non ſcientiæ, ſed animi dicitur; Pariter tenebras aeris tenebras appellamus, non oppoſiti, videlicet lucis.

Simili modo, inquit Ammonius, ſe habet de cæcitate, quæ dicitur ſubiecti, in quo eſt, nempe oculorum; nō autem poteſtatis oppoſitę, vt puta lucis; nam oculus eſt pars viſionis particeps, ſicut animus ſciētię, aer lucis; viſio verò ipſa poteſtas, ſicuti ſcientia, & lux.

Et ſi quandoque dicimus cæcitatē viſus, tunc nō ſumimus viſum pro poteſtate, ſed pro inſtrumentis, ſicut & in alijs qualitatibus quādoque ſe habet, quod corpus qualitate affectum ęquiuoce

cum

cum qualitate nominamus, vt album appella- mus,& corpus dealbatum,& albedinem.

Ad argumentum in contrarium reſpõdetur, quòd differentia eſt inter habitum & priuationem. Habitus namque quædam res eſt exiſtens, formaq́; prædita, hinc cũ genus habitudo quædam ſit exiſtere quoque dicitur, pariterque ſpecies exiſtentes habere,& proinde de eo verificatur propoſitio iam dicta, videlicet, quòd de quo genus prædicatur, aliqua quoque eius ſpecies verificari debet.

B At priuatio non eſt ens quod exiſtat, ſed potius nil aliud eſt quam abſentia habitus & poteſtatis: quæ cum non ſit ens, eo minus ſpecies exiſtentes habet, & ideo de ipſa ea propoſitio non debet verificari; nec id inconueniens eſt, cum non ſit par ratio vtriuſque habitus, nempe & priuationis.

Vnde ſi detur aliqua priuatio ſpecialis habitui oppoſita; ea non vt ens, ſed vt nõ ens per negationem habitus obſtat vt docto indoctus; & ſi alicui priuationi nomen extiterit, vt viſus abſẽtia cæcitas, non de habitus abſentia, ſed de affe- C ctu penes ſubiectum genito eiuſmodi nomen prædicatur.

Iure itaque talia inſtrumentorum dicuntur, non habitus; ſunt nanque affectus non ipſius habitus, ſed ſubiectorum, ipſi habitui.

Sequitur textus.

Quod autem neque vt contraria opponuntur, quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, ex his D manifeſtum eſt: contrariorum enim quorum nihil eſt medium, neceſſe eſt vel in quibus fieri nata ſunt, aut de quibus prędicantur, alterum ipſorum ineſſe ſemper; eorum enim nihil medium erat, quorum alterum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium erat, vt in languore, & ſanitate, & impari atque pa- E ri. Quorum verò aliquid medium eſt, nunquam neceſſe eſt omni ineſſe alterum; neque enim neceſſe eſt omne ſuſceptibile vel cãdidum, vel nigrum eſſe, neque frigidum, vel calidum: horum enim medium aliquid nihil eſse prohibet. Inſuper autem & horũ erat F aliquid medium, quorum alterũ ineſſe ſuſceptibili non neceſsarium erat, præter illa, quibus vnum ineſt naturaliter vt igni calidum eſse, & niui candidum. In his enim determinate neceſſarium alterum eſt ineſſe, & non vtrumuis contingit: non enim poſſibile eſt ignem frigidũ eſſe, neque niuem nigram. Quare omni quidem ſuſceptibili non neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe, ſed ſolis, quibus natura vnum ineſt, & his determinate vnum non vtrumuis contingit: in priuatione autem & habitu neutrum eorum, quæ dicta ſunt, verum eſt: nõ enim ſemper alterum ineſſe, eorum ſuſceptibili neceſſarium eſt. Quod enim nondum natum eſt habere viſum, neque cæcum neque viſum habens dicitur. Quare non erunt hæc vt ea contraria, quorum nihil eſt medium, ſed neque ea, quorum aliquid eſt medium: neceſſarium enim eſt aliquãdo omni ſuſceptibili alterum eorum ineſſe; quando enim iam ad habẽdam viſionem natum fuerit, tunc aut cæcum, aut habens viſum dicetur, & eorum non determinate alterum, ſed vtrumuis contingit, non enim neceſſarium eſt, vel cæcum, vel viſum habens eſſe; ſed vtrumuis contingit, in contrarijs autem quorum aliquid medium eſt, nunquam neceſſarium erat omni ſuſceptibili alterum ineſse, ſed quibuſdam, & his determinate vnum & non vtrumuis contingit, vnde palam eſt, quòd ſecundum neutrũ modorum tanquam contraria opponuntur ea, quæ ſecundum priuationem & habitum opponũtur. Amplius, in contrarijs quidẽ cũ ſit ſuſceptibile, ad inuicem mutationem fieri poſſibile eſt, niſi alicui vnum natura ineſt, vt igni calidum: etenim ſanum poſſibile eſt languere, & candidum nigrum fieri, & calidum frigidum, & ex ſtudioſo prauum, & ex prauo ſtudioſum fieri poſſibile eſt. Prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas

(& ſi

(& ſi ad modicũ aliquid proficiat vt melior ſit) ſi certe ſemel quamuis modicum incremẽtum ſumſperit, palam eſt, quia aut perfecte mutabitur, aut ſatis multum incrementum ſumet: ſemper enim bene mobilior ad virtutem fit etiam quodcunque incrementum ſumpſerit à principio. Quare etiã veriſſimile eſt plenius eũ ſumere incrementum, & hoc dum ſemper fit, perfecte in contrarium habitum reſtituetur, niſi forte tẽpore prohibeatur, verùm in priuatione, & habitu impoſſibile eſt adinuicem mutationem fieri; ex habitu enim in priuationem mutatio fit; à priuatione verò in habitum impoſſibile eſt: neque enim cæcus factus aliquis rurſus uidit, neque cum caluus fuerit, rurſus comatus factus eſt; neque cum fuerit edentulus, rurſus ei dentes orti ſunt.

Ariſtoteles in hoc loco ſeparat oppoſitionem priuatiuam a cootrarijs, & quia ut ſupra declarauit, contrariorũ aliqua ſunt immediata, vt ſanitas & ægritudo, & quæ inſuper per naturã alicui inſunt, vt igni caliditas, candor niui; quorum alterum neceſſe eſt vt inſit ſubiecto, aliqua mediata, vt album, & nigrum; inter quæ medium cadit, vt puta rubrum, viride, & reliqua ſimilia. Et propterea horum non eſt neceſſe ſemper alterum ineſſe. Ideirco his breuiter denuo repetitis, diſcriminat ea, quæ vt habitus & priuatio opponũtur ab omnib. ſupradictis cõtrariorũ ſpecieb.

Et primo à cõtrarijs immediatis; ea enim ita ſe habent, vt alterutrum eorum ſemper in ſubiecto reperiatur, vt ſanitas, vel ægritudo in corpore animalis, par vel impar in numero. At in priuatiue oppoſitis non ſic ſe habet; nanque horum alterutrum non ſemper ineſt ſubiecto: nõ enim, quælibet res aut habitum habet, aut priuationẽ, quoniam catuli, qui nondum vident, pariterq; infantes, qui nondum dentes habent, neutrum horum dicuntur habere; ſiquidem habitum non habeant, cum hucuſque non videant, nec dentes eis ſint, neque priuatiooem, eum hactenus non ſint idonei habitum, priuationemue ſuſcipere.

Vlterius ſeparat oppoſita priuatiua ab eis coo trarijs, quorum vnum per naturam alicui ineſt, vt igoi caliditas, & niui candor, eo quoniam horum vnum dicitur definite, alteri competere, ita vt aliud minime ſuccedere poſſit, vt caliditas ita ineſt igni, vt ipſi frigiditas ineſſe minime conueniat; pariter in niue ita adeſt albedo, vt eidem

A nigredo haud ioeſſe poſſit. De habitu & priuatiooẽ noo ſic ſe habet; non enim datur vna res definita alicui ſubiecto, oculis nanque non ita accidit viſus, vt cæcitas non poſſit reperiri, ſed ſemper aut priuatio accidit, aut habitus; propterea recte dicit, ***Et horum non definite alterum, ſed alterutrum***, ideſt aut hoc, aut illud. Et ſic patet quomodo diſtet oppoſitio priuatiua a contrarijs immediatis, pariterq; ab his cootrarijs, quæ inſunt aliquibus definite per naturam.

Secundo ponit differentiam inter priuatiua
B oppoſita & contraria mediata, & dicit, quòd in contrarijs medium habentibus non ſemper neceſſe eſt alterum eorum ineſſe ſubiecto, ex hoc quod media eorum ſubiectis ſubſtãtijs accidere poſſunt, vt ſe habet de albo & nigro; quæ determinate alicui per naturam oon inſunt: nõ enim horum alterutrum neceſſario reperitur in ſubiecto; poteſt nanque euenire, ut neutrum iſtorum adinueniatur, ſed adſit color medius, gratia exẽpli, rubrum uti in roſa, uiride ut in plantis; at in
C priuatione & habitu hoc idẽ contingere nequit; ſemper enim neceſſe eſt ut in ſubiecto per naturam idoneo ſuſcipere habitum, uel priuationem horum alterutrum inſit.

Tertio ponit differentiam aliam inter cõtraria immediata, & mediata, quæ non inſunt definite per naturam ſubiecto, & priuatiue oppoſita. Ea autem eſt, quòd contrariorum uiciſſitudo datur, nam album poteſt in nigrum tranſmutari; ægrum in ſanum; pariter ex ſtudioſo quis poteſt prauus fieri; & ex prauo ſtudioſus: at in priuatione & habitu, hoc eſt impoſſibile; habitus oãque
D in priuatiooem poteſt tranſmutari, ut qui uidet, poteſt fieri cæcus; uerùm à priuatione ad habitũ noo poteſt dari regreſſus. Cæcus etenim non poteſt fieri rurſus uidens, neque caluus poteſt amplius capillis ornari; neque ſi quis per ætatem dentes amiſerit, iterum dentes ſuſcipere ualet, naturaliter tamen, ſiue Medica manu, niſi dicamus munere diuino.

Circa dicta ootandum primo ex Ammonio pro intelligeotia eius, quod dixit Ariſtoteles ex ſtudioſo prauum fieri.

E Quòd duo ſunt ſtatus ſtudioſorum. Primus ſtatus eſt eorum, qui aliquantulum profeceruot in uirtutibus; nondum autem attingunt cauſam earum, & iſti ſic ſtudioſi poſſunt decepti à malis hominibus, uel perſuaſi a falſis ratiooibus in deterius mutari, & ex ſtudioſis prauos effici. Alius ſtatus eſt perfectorum, eorum ſcilicet, qui iam in uirtutibus ſunt conſumati, ipſam quæ cauſam optime norunt, & iſti cum habitum poſſideant immutabilem. Amplius prauos fieri non poſ-
F ſunt, quãdo Ariſtoteles, dicit Ammonius, habet quòd quis ex ſtudioſo prauus fit, intelligit de perficientibus, non de perfectis.

Secundo quod notat ex dictis Ariſtotelis eſt, quòd uirtus moralis non efficitur a natura, ſed à conſuetudine, contra Stoicorum opinionem. Hinc 2. Ethic. dicit, ex bona aſſuetudine uirtutes oriri, ex mala autem uitia.

Circa

Circa id ſciendum, quod virtutes quoquomodo poſſunt dici a natura, & quoquomodo non; nam naturale duplex eſt, vnum, quod opponitur violento, alterum, quod opponitur ſiue diſtinguitur contra voluntarium, & id quod ſpõte fit.

Virtutes primo modo ſunt a natura, quatenus ſcilicet non ſunt res aliqua violẽta nobis, & contra naturam, a natura nanque habemus omnes potentias, quibus poſſumus virtutes acquirere. Dicuntur vero non eſſe a natura ſecũdo modo, quatenus ſcilicet opponitur naturale volũtario, eo quoniam licet virtutes & operationes ſecundum ipſas fiunt a potentijs naturalibus, tamen ſponte proficiſcuntur ab ipſa voluntate, cuius motus liber eſt, & indifferenter ſe habere poteſt ad virtutes, & vitia, quod non ſic ſe habet de igne à natura habente ſurſum ferri, ſemper nanque ſuo naturali operatur.

Sed dubitatur contra id, quod habetur hoc in loco ab Ariſtotele, ex operationibus ſcilicet virtutes fieri, hoc nanque non videtur verum tali ratione.

Nulla res magis perfecta oritur à minus perfecta, ſed virtutes ſunt magis perfectæ operationibus, quæ ipſas præcedunt; ergo ex ipſis non videntur generari.

Ad hanc difficultatem dicendum, quòd ſemper aut æquale ab æquali, aut minus perfectum à magis perfecto producitur. Nihil enim poteſt agere vltra vires ſuas: verùm fieri aliquid bifariam conſiderari poteſt, aut vt totum & omnino, aut aliqua ex parte, ab operationibus proficiſcuntur virtutes, ſed non vt totum ab illis, vnde illæ operationes non ſunt totalis, & integra cauſa, ſed eſt ibi recta ratio imperãs appetitui, & ponens mediocritatem, ita vt illa ſimul cum operationibus ſit totalis cauſa producendi ipſas virtutes.

Quare ad argumentũ reſpondetur, quòd non eſt abſurdum, quòd aliquod perfectius oriatur à minus perfecto, quando illud minus perfectum non ſit cauſa, & principium totale illius, quod producitur, ſicut in virtutibus accidit reſpectu operationum. Sequitur textus.

E Quæcunque verò tanquam affirmatio & negatio opponũtur, palam eſt, quòd nullo prædictorum modo opponuntur: in ſolis enim his neceſſarium eſt ſemper, hoc quidẽ eorum verum, illud autẽ falſum eſſe; neque enim in contrarijs neceſſarium eſt ſemper alterum verum eſſe, alterum F autem falſum: neque in ijs, quæ ad aliquid ſunt, neque in habitu & priuatione, vt ſanitas, & languor contraria ſunt, & neutrum horum, neque verũ, neque falſum eſt. Similiter autem &

A duplum & dimidium tanquam quæ ad aliquid oppoſita ſunt, & non eſt eorum neutrum neque verũ, neque falſum, ſed neque ea, quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, ſicut viſio & cæcitas. Omnino autem eorum, quæ ſecundum nullam dicũtur complexionem, nihil neque B verum, neque falſum eſt. Omnia autem quæ dicta ſunt, ſine complexione dicuntur; verumtamen maxime tale hoc contingere videbitur in ijs, quæ ſecundum complexionem contraria dicuntur; ſanum nanque eſſe Socratem ad languere Socratem con C trarium eſt. Sed neque in his neceſſarium ſemper alterum verum eſſe, & alterum falſum; cum enim Socrates ſit aliud quidem verum, aliud autem falſum erit. Cum verò non ſit, ambo falſa ſunt, neque enim lãguere, neque ſanum eſſe verum eſt, cum ipſe non ſit omnino Socrates. In pri D uatione verò & habitu cum non ſit omnino, neutrum verum eſt; cum autem ſit, non ſemper alterum quidem verum erit, alterum autẽ falſum. Habere nanque viſum Socratẽ, ei quod eſt cæcum eſſe Socratem opponitur, ſicut priuatio & habitus; & cum ſit, non neceſſarium eſt. Alterũ verum eſſe, vel falſum; cum enim nondum ſit natus habere, utraque falſa ſunt; & cum non ſit omnino Socrates. Similiter quoque falſa ſunt utraque, & uiſum eum habere, & cæcũ eum eſſe. In affirmatione uerò & negatione ſemper ſiue ſit, ſiue non ſit, hoc quidem falſum erit; illud autem uerum, languere nanque Socratem, & non languere Socratẽ cum ipſe ſit, palam eſt, quòd alterum eorum verum, alterum verò falſum eſt; & cum non ſit, ſimiliter, languere, etenim cũ non ſit,

falſum

falſum eſt, non languere autem uerũ. Quare in his ſolis proprium erit ſemper alterum eorum verum, alterum falſum eſſe, quæcunque tanquam affirmatio & negatio opponuntur.

A

Cum hucuſque Ariſtoteles aſſignauerit diſcrepantiam inter contraria & relatiua, & expoſuerit diuerſitates, quibus pariter priuatiue oppoſita à contrarijs, & relatiuis dicuntur differre: nũc declarat quomodo oppoſitiones contradictoriæ a reliquis ſeparentur; tradit autem vnum, quo facile ſemper agnoſcere poterimus, quæ oppoſitio ſit contradictoria, quæ verò minime: id autem eſt, quod in oppoſitione contradictoria, hoc ſemper accidit, quod ſi affirmatio vera erit, negationem eius falſam eſſe conſtabit, vt ſi vera eſt hæc affirmatiua, Socrates ſedet, eius negatio, Socrates non ſedet, falſa erit: ſi autem falſa ſit affirmatio, contingit neceſſario quòd negatiua ſit vera.

B

At in alijs oppoſitionibus non reperitur hæc veri & falſi diuiſio, quod probat inductione per omnes: in relatiuis enim nulla omnino veritas, aut falſitas inuenitur: ſi quis enim dicat duplum rurſus dimidium, neque verum, neque falſum enunciat; ſic quoque ſe habet in contrarijs: nam ſi quis iuſtum dicat, iterumq; iniuſtum, nulla in hac pronunciatione veritas, aut falſitas cadit.

C

Eodem modo in priuatiuis; ſi quis nanque viſum nominet, vel cæcitatem, neque verũ, neque falſum dicit. Ratio dictorum eſt, quoniam omnia quæcunque ſunt, quæ ſecũdum nullam complexionem dicuntur, neque veritatem, neque falſitatem ſignificant: quare cum oppoſitiones contrariæ relatiuæ, & priuatiuæ ſint huiuſcemodi ſcilicet incomplexæ, ſolæ verò contradictoriæ complexionem habeant: propterea eæ tantummodo veritatem & falſitatem ſignificare valẽt.

D

Verùm quia quis obijcere poſſet Ariſtoteli dari oppoſitionem contrariam & priuatiuam cum complexione, vt Socrates eſt ſanus, Socrates eſt ægrotus; pariter Socrates eſt cæcus, Socrates eſt videns; & per conſequens in ipſis reperiri veritatem & falſitatem, ita vt non videatur eſſe aliqua diſcrepantia inter priuatiuas contrarias, & contradictorias oppoſitiones.

E

Ideo huic tacitæ obiectioni Philoſophus reſpondet, quòd reperitur inter eas hęc diuerſitas, videlicet, quòd ſi contrariorum immediatorum res ſubiecta ſubſiſtat, tunc ſemper oportet, vt vna oratio ſit vera, altera falſa, ſi nanque Socrates eſt, & de eo dicatur, quòd ægrotus vel ſanus eſt, neceſſe eſt horum alterutrum verum ſit, vel falſum. Si autem res ſubiecta huiuſcemodi contrarijs non ſubſiſtat, vt ſi Socrates non exiſtat, tunc vtraque oratio & affirmatiua & negatiua falſa erit: nanque ſi Socrates non eſt, neque ſanus, neque ægrotus eſt; & ſic in contrarijs complexis immediatis re ſubſiſtẽte ſemper vna oratio vera, altera falſa; at ſubiecta re non ſubſiſtente, vtraque falſa ſit, neceſſe eſt.

F

Similiter in priuatiue oppoſitis, adhuc aut res ſubiecta ſubſiſtit, aut non; ſi non ſubſiſtit, neutra oratio vera eſt; nam ſi Socrates non ſubſiſtit, neque videns, neque cęcus eſt: ſi verò ſubſiſtat res, non propterea neceſſe eſt, vt vna oratio ſit vera, altera falſa. Socrates nanque in matris aluco, cum nondum natus ſit, nec cæcus, nec videns eſt veritate, aut falſitate enunciabitur; & ſi quando in lucem editus fuerit, neceſſarium ſit vnum, verum, alterum falſum exiſtere.

At in cõtradictorijs ſiue res ſubſiſtat, ſiue nõ, ſemper in una oratione ueritas, in alia falſitas inuenitur, quoniam Socrate non ſubſiſtente, uerum eſt dicere, Socrates non languet; nam qui non eſt, languere non poteſt: falſum uerò eſt dicere, Socrates languet; & ſi Socrates ſubſiſtat, alterutra oportet vt vera, vel falſa ſit, ſiue ſit affirmatio, ſiue negatio. Quare oppoſitiones ſecundum affirmationem, & negationem à cæteris omnibus diſcrepare notum fecit, ex quo proprium earum eſt, alteram veram, alteram falſam eſſe.

Vnde quatuor ſunt oppoſitiones, & earũ ſex differentiæ, oppoſitiones, relatiua, contraria, priuatiua, contradictoria.

Differentiæ. Prima, relatiue & contrarie oppoſitorum.

Secunda, cõtrarie & priuatiue oppoſitorum.

Tertia, relatiue & priuatiue oppoſitorum.

Quarta, relatiue & cõtradictorie oppoſitorũ.

Quinta, contrarie & contradictorie oppoſitorum.

Sexta, priuatiue & cõtradictorie oppoſitorũ.

Notandum quòd vox eſt duplex, ſimplex & complexa. Simplex non affirmat, neque negat, complexa eſt quæ affirmat & negat, quæ ſignificat veritatem & falſitatem. Hoc idem habet Ariſtoteles in his Poſtprædicamentis cap. 5. quo loci dicit, quòd decẽ prædicamenta, ex quo ſunt voces ſimplices non affirmant, neque negant, non ſignificãt neque veritatẽ, neque falſitatẽ.

Pariter idem habetur in lib. Perihermenias primo. quo loci clarius cõſiderabimus huiuſcemodi veritatem, fauente Deo.

Modo inſurgit dubitatio; nam dicit Ariſtoteles, quòd in eis, quæ ſecundum complexionem dicuntur, adeſt ſignificatio veritatis, aut falſitatis: at contrarium videtur ab eodem proferri primo lib. Perier. cap. 1. quo loci aſſerit compoſita nomina, ſignificare aliquid: non tamen verum, vel falſum, ergo ſibi contrarius.

Reſpondetur, quòd vox eſt commune quoddam ad nomen, & orationẽ ipſam; vnde capiendo vocem pro nomine, dicimus, quòd nomẽ vt vox ſimplex nihil ſignificat, niſi aliquid addatur: neque verum, neque falſum dicitur, pariter compoſitum nomen, vt armipotens: eſt nanque hæc vox compoſita ex armi & potens, & ſi ſignificet aliquid, vt potentiam armorum, ſiue potentem in armis, tamen non ſignificat neque verũ, neque falſum, & tali pacto loquitur Ariſtoteles in 1. Perier. cap. allegato. At inſuper vox pro oratione

tione deſumitur conſtans ex nomine, & verbo, vt hoc in loco, & hæc ſignificat veritatem & falſitatem, & dicitur vox complexa, videlicet ex nomine, & verbo compoſita: enūciatio namque ſine verbo nihil valet ſignificare veritatis, vel falſitatis, vt ſuo proprio loco diſtinctius declarabo, & ſic dubitatio eſt nulla.

Præterea dubitatur contra id, quod dictum eſt, quod proprium ſit oppoſitionis cōtradictoriæ diuidere verum, vel falſum; eo quoniam illud dicitur proprium alicuius, quod ei ſoli ineſt, & omni, vt habetur a Porphyrio; ſed diuidere verum, vel falſum non ineſt ſoli, nec omni contradictoriæ orationi; ergo non eſt ei proprium.

Minor probatur, & primo quod non ineſt ſoli, eo quoniam etiam cōuenit orationibus iuratorijs, vt ſi dixero, Mehercle librū legi, Mehercle librum non legi: in his nāque iuratorijs orationibus alterutrum reperiri neceſſe eſt.

Probatur etiam, quod non competat omnibus, quoniam propoſitiones de futuro enunciantes neque verum, neque falſum ſignificare videntur, vt puta, Cras librum interpretabor, Cras librum non interpretabor, eo quoniam ſunt contingentes, & alterutrum eorum verum ſcilicet, vel falſum enunciare non valemus, cum vtrumque euenire contingat.

Ad hanc difficultatem reſpondetur, & primo ad primā inſtātiam negatur, quod iuratoria oratio verum vel falſum enunciet: veritas enim, vel falſitas ſtat in propoſitione, ceu in principali fundamento; quæ propoſitio ſi eſt vera, conſequitur vt quis dicatur recte iuraſſe; ſi vero falſa, vt quis dicatur peieraſſe, non verum, vel falſum dicere.

Ad ſecundam inſtantiam dicitur, quod in orationibus in futurum ſtat veritas & falſitas, vti in illis præſentis, & præteriti temporis, licet non eodem modo.

Propterea quod in propoſitionibus præſentis & præteriti temporis veritas, & falſitas reperitur determinate in earum alterutra, ita vt vna determinate vera, altera determinate falſa exiſtere dicatur. At in propoſitionibus futuri temporis reperitur veritas, & falſitas in vtraque nō determinate veritas in vna, & falſitas in altera. Verum ſicut eę de præterito & præſenti tempore iam verę vel falſæ ſunt, ita illæ de futuro erūt veræ vel falſæ. Sequitur textus.

Contrario autem bono quidem, ex neceſſitate malum eſt. Hoc autem per ſingulorum inductionem palam eſt, vt ſanitati languor, & iuſtitiæ iniuſtitia, & fortitudini timiditas. Similiter autem & in aliis; malo autem aliquando quidem bonum eſt contrarium, aliquando malum; defectui enim cum malum ſit, ſuperabūdantia

A contraria eſt; cum ſit etiam ipſa malum. Similiter autem & mediocritas, cum vtrique contraria ſit, bonum eſt, ſed in paucis quis tale hoc aſpicies, in pluribus uero ſemper malo bonum contrarium eſt.

Hæc eſt tertia pars principalis huius capitis, in qua abſolutis oppoſitorum differentijs, nunc
B tradit quatuor proprietates, ſeu cōditiones contrariorum pro maiori ipſorum dilucidatione.

Quarum prima proprietas eſt, quod quandoque vni vnum eſt contrarium, quandoque duo vni contraria ſunt, vti ſe habet de bono & malo: bono eſt tantum vnum contrarium, nempe malum: at malo duo contraria ſunt, bonum quandoque, quandoque malum, quod probatur inductione bonorū ſcilicet, & corporis & animi: in corpore namque & ſi virtutes, & vitia non reperiantur, adinueniuntur tamen quædam, quæ ha
C bent cum eis proportiones, vt corporis robur cum fortitudine, ſenſuum ſenſibilitas cum prudentia, recta corporis membrorum ordinatio cum iuſtitia, ſanitas cum temperantia; ſanitas nanque conſiſtit in temperantia complexionis, & ſic in corpore ſanitati vt bono opponitur languor vt malum, & in animo iuſtitiæ, fortitudini vt bonum, opponitur iniuſtitia, timiditas vt malum, & ſic de ſingulis. Sed malo aliquando opponitur bonum, aliquando malum, quoniam ægeſtati cum malum ſit, quia impedit actum ma
D gnificentiæ, & liberalitatis, contraria eſt ſuperabundantia, quæ pariter, cum exceſſus quidam ſit, malum eſt. Mediocritas vero quę eſt bonum, contraria etiam eſt ægeſtati, & etiam ſuperabundantiæ. Addit tamen Ariſtoteles hoc in paucis admodum euenire, vt malum malo ſit contrarium; in plurimis etenim, & maiori ex parte malo bonum contrarium eſt.

Notandum primo, quod bonum duplex eſt, vt deſumitur primo Ethicorum cap. 1. bonum
E exiſtens, quod vere eſt tale, & de hoc loquitur Ariſtoteles, aliud eſt bonum apparens, quod ſcilicet & ſi videatur eſſe tale, non tamen eſt, & de hoc non eſt hic ſermo.

Secundo ſciendum, quod habetur ab Ariſtotele 1. Rhet. quod bona ſunt in duplici differentia. Dantur enim & bona animi, & bona corporis. Bona corporis aut in corpore, vt ſanitas, pulchritudo, magnitudo, vires, certandi robur, aut extra corpus, vt nobilitas, gratia, amicitia proborum hominum, diuitiæ, bona proles, mul-
F titudo filiorum, facilis ſenectus; bona animi aut in animo, vt iuſtitia, fortitudo, temperantia, prudentia, & reliquæ virtutes, aut extra animum; vt gloria, honor, & proſpera fortuna. Ariſtoteles exemplificat in textu de ſanitate, quod eſt bonū corporis in corpore, & diuitijs ægeſtati contrarijs, ceu ſuperabundantia, quæ eſt malum, & diuitiarum mediocritatem, quæ eſt bonum corporis

extra

extra corpus: propterea etiam de iuſtitia, & fortitudine, quę ſunt bona animi in animo, idem dici poteſt de bonis quoque animi extra animum, quòd ſcilicet bono malum contrarium ſit, vt nobilitati ignobilitas, & ſic de reliquis.

Tertio ſciendum, quòd vt docet Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 2. actus, qui eſt in medio inter exceſſum & defectum conſeruat virtutem, & propterea bonum appellamus. Exceſſus vero & defectus eandem corrumpunt, & propterea exceſſus dicitur malum, & defectus malum. In viribus namque & valetudine, quæ ſunt bona corporis, hoc clare patet; quoniam exuperatio laborum, defectioq; vires corrumpunt; ſimiliter potus, cibiq; exuperãtes, & deficientes valetudinem corrumpunt: moderata vero faciunt, augẽt, & conſeruãt; ſic in fortitudine, & temperantia, quæ ſunt virtutes animi idem euenit: qui enim cuncta fugit, formiditatque, is timidus fit; qui nihil omnino timet, ſed aggreditur omnia, is audax nimium efficitur: Simili modo qui voluptati omni potitur, exuperans eſt; qui cũctas fugit, inſenſatus euadit: etenim fortitudo, & temperantia a defectu, & exceſſu corrumpuntur, a medietate conſeruantur. Propterea Ariſtoteles in textu mediocritatem bonum, ſuperbundantiam, & defectum malum eſſe aſſeruit.

Sed dubitatur, quomodo defectui opponitur mediocritas, quæ eſt bonum, & ſuperabundantiam, quæ eſt malum, cum vnum vni cõtrarium ſit, vt docet clare Philoſophus 2. Metaph. & quomodo inſuper mediocritas ſit vtrique contraria, defectui, & ſuperabundantiæ; nam cum contraria ſint cauſa corruptionis, benigna mater natura non fecit, vt vni multa eſſent contraria, ſed vnum vni vt graui leue, ſicco humidum, & ſimilia.

Reſpondetur, quòd mediocritas conſiderari poteſt duobus modis; vno modo vt mediocritas eſt; alio modo ut bonum; vt mediocritas, eſt virtus, quę opponitur duobus extremis, quorum vnum eſt ex vna parte, vt exceſſus; alterum ex alia, ut defectus. Vt autem eſt bonum, ex vna parte cõtrariatur illis ſimul ſumptis vt malum, & magis contrariatur vt bonum malo, quàm vt medietas, ſcilicet exceſſui, atque defectui, Ariſtoteles loquitur hoc in loco de medietate; quatenus bonum, quod contrariatur illis ſimul ſumptis, vt malum.

Pariter exceſſus, & defectus conſiderantur vel vt medietas, quæ contrariatur extremis, & ſic cum ambo ſint extrema, vnum non eſt alteri contrarium verùm vt defectui ſuperabundandantia, vt malum malo, & ita non ſunt duo vni contraria; malum namque malo contrarium vnum, malo pariter bonum contrarium vnum. Sequitur reſponſio Caietani.

Amplius Caietanus hoc in loco aliter reſpondet, quòd vnum alteri eſſe contrarium ſtat dupliciter, vel vt vere contrarium, vel vt medium; tunc dicit malum malo opponi vt vere contrarium; bonum autem & medium inter cõtraria:

A vnde ſicut albo diſſimili modo ſunt contraria nigrum, & viride, nigrum ſcilicet vt vere contrariũ; viride verò vt medium; mediũ namq; ex Ariſtotele 5. Phyſi. vtriq; extremo cõtrariatur, ſic prodigalitati contraria eſt auaritia, vt vere contrarium, liberalitas vt medium. Quibus ſtantibus, dicitur uniuerſaliter unum uni contrariari; ut uere contrarium, ſeu ut extremum, & ſic accipitur auctoritas Philoſophi in 10. Metaph. nã loquitur de contrarijs, quæ inter ſe maxime diſtant. Hæc autem ſunt extrema, & conceditur

B malo contrariari bonum & malũ, alterum vt medium, alterum ut extremum, ut hoc in loco teſtatur Philoſophus, & hoc non eſt inconueniens.

Sequitur textus.

Amplius contrariorum non neceſſarium eſt, ſi alterum ſit, & reliquum eſſe; ſanis namque omnibus ſanitas quidem erit; languor verò non. Similiter autem albis omnibus,

C **albedo quidẽ erit, nigredo verò non.**

Philoſophus hic ponit ſecundam conditionem, ſeu proprietatem contrariorum, quæ eſt, quòd ſi unum contrarium ſit, non neceſſe eſt reliquum eſſe, quoniam ſi ponamus cuncta animalia exiſtere ſana, tunc per ſuppoſitionem talem ſanitas eſt. Verùm languor, ſeu morbus non eſt; pariter ſi ponamus omne corpus album eſſe; tũc albedo quidem eſt, nigredo autém non eſt, quod idem dicitur de cæteris huiuſmodi.

D Notandum ex Ammonio, quòd album & nigrum poſſunt dupliciter conſiderari, vel ut res ſunt, & ſic unum poteſt reperiri ſine alio. Alio modo, ut contraria ſunt, & ſic cum ſimul habeant intelligi, ſimul quoque neceſſario reperiuntur.

Amplius ſi ei, quod eſt Socratem ſanum eſſe, Socratem languere contrarium eſt: non contingit autem ſi-

E **mul vtraque eidem ineſſe, non vtique continget cum alterum contrariorũ ſit, & reliquum eſſe: cum enim ſit Socratem ſanum eſſe, languere Socratem non erit.**

Hæc pars & ſi uarijs modis exponatur ab interpretibus, tamen arbitror ſic continuanda ueniat cum præcedenti, ſcilicet cum Ariſtoteles aſſeruerit ſecundam proprietatem contrariorum eſſe, quod ita ſe habeant, ut altero poſito,

F & reliquum poni non ſit neceſſe, idq; exemplificauerit in ſimplicibus, nempe in ſano & ægro, albo & nigro. Hoc idem in præſentia eandem proprietatem uerificari quoque in cõplexis demonſtrat, hunc in modum, Namque ſi Socratem ſanum eſſe, contrarium eſt ei, quod eſt, Socratem ægrotare, cum duo contraria non poſſint eidem

ſimul

ſimul ineſſe;ergo dato uno ex eis,ut puta Socra-tem ſanum eſſe,reliquum reperiri non eſt neceſſarium,uidelicet Socratē ęgrotare,alioquin duo contraria eſſent ſimul in eodem, quod fieri non poteſt.

Palam verò eſt, quòd circa idem aut ſpecie, aut genere nata ſunt fieri contraria; languor namque & ſanitas in corpore animalis, nata ſunt fieri: albedo autem, & nigredo ſimpliciter in corpore; iuſtitia verò, & iniuſtitia in anima hominis.

Cum Philoſophus ſupra dixerit, quòd duo cōtraria non poſſunt eſſe ſimul in eodem: & idem dicatur uarijs modis, ut puta numero, ſpecie, & genere; quoniam quis poſſet dubitare, quod ſupra dixit de idem numero, nempe de Socrate quatenus res eſt una exiſtēs, quod ſcilicet ei duo contraria ſimul non poſſunt ineſſe, dicendū quoque eſſet de alijs duobus, uidelicet de eodem ſpecie, & genere, maxime cum vniuerſaliter enunciauerit.

Propterea hic tradit tertiam proprietatem horum contrariorum, ex qua de medio tollit difficultatem prædictam, & dicit, quòd languor, & ſanitas circa unum, idemq; ſpecie habetur, nempe corpus animalis, quod ſpecies eſt corporis; nigredo autem & albedo uerſantur circa idem genere, puta corpus abſolute, quod genus eſt corporis animati, & iuſtitia & iniuſtitia circa animam humanam.

Notandum, quòd Ariſtoteles 1. Topic. cap. 6. docet, quòd idem dicitur tripliciter, numero, ſpecie, genere. Numero, cum plures orationes idem ſignificant, ut indumentum, ueſtimentū: ſpecies cum plures numero res non ſunt ſpeciē differentes, vt Socrates, & Plato: genere, eadem dicitur eſſe, quorū idem genus eſt, vt homo, & equus, quorum idem eſt genus, nempe animal.

Contra dicta communiter hic dubitatur ab expoſitoribus, cur Ariſtoteles idem numero non memorauit, maxime cum prima ſubſtantia, quæ eſt idem numero, ſuſceptibilis ſit contrariorum.

Dominus Honoratus de Robertis quatuor hoc in loco tradit reſponſiones ab interpretibus deſumptas, quas penes ipſum uidere poteris.

Ego in hac difficultate dico, fruſtra quęri cur idem numero non poſuerit Ariſtoteles. Siquidem idē numero intelligit paulò ſuperius, cum dicit, quòd duo contraria non poſſunt ſimul ineſſe eidem, & exemplificat de prima ſubſtantia, quę ut & ipſi aſſerunt, dicitur idem numero.

Propterea cum ibi de eo, quòd numero idem eſt, determinarit, fruſtra penitus, Quæritur cur hic omiſerit. Et ſi dicas, ſubſtantia eſt ſuſceptibilis contrariorum, dico non ſimul in ſubiecto A ſubſtantiali duo contraria ineſſe poſſe, ut intelligit Ariſtoteles, ſed uiciſſitudinaliter.

Et ſi adhuc inſiſtas, in eodem ſubſtantiali ſubiecto duo contraria reperiri, ut in Aetiope; albedo in dentibus, & nigredo in reliqua parte corporis.

Reſpondeo, quòd ſermo Ariſtotelis eſt de accidente repleute totum ſubiectum, a quo quis qualis denominatur, ut albus ab albędine, a nigredine niger, a ſanitate ſanus, a langnore languens; non de exiſtente in aliqua parte tantum, ut ſe B habet de albedine in dente Aethiopis.

Neceſſarium autem eſt omnia contraria, vel in eodem genere eſſe, vel in contrarijs generibus, vel ipſa genera eſſe; album enim & nigrum in eodem genere ſunt; color enim eorū genus eſt; iuſtitia verò & iniuſti C tia in contrarijs generibus; illius nāque virtus genus eſt; huius autem vitium; bonum verò & malum non in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorum exiſtentia.

In calce huius capitis Ariſtoteles ponit quartam proprietatem, conditionem, ſeu theorema contrariorum, quatenus ſcilicet contraria aut ſub vno, eodemq; genere reponuntur, vt album D & nigrum ſub colore, aut ſub contrarijs generibus, vt iuſtitia ſub virtute, iniuſtitia ſub vitio; quæ ſunt contraria, aut ipſa contraria genera ſunt, vt bonum & malum, quæ ſunt genera bonorum & malorum, quæ ſub eis continentur.

Primo notandum eſt, quòd genus duplex eſt, remotum & generaliſſimum, aliud proximum & ſubalternum. Genus remotum & generaliſſimum iuſtitiæ eſt qualitas. Genus proximum & ſubalternum iuſtitiæ eſt virtus, iniuſtitiæ eſt vitium. Ariſtotelis ſermo hoc in loco eſt de gene- E re proximo & ſubalterno.

Secundo notandum ex Caietano, quòd genus duplex eſt, Phyſicum quod eſt materia contrariorum & de hoc paulò ſupra loquitur Ariſtoteles, aliud eſt Logicum, quod valet de pluribus prædicari, & de hoc loquitur hoc in loco.

Dubitāt hoc in loco communiter Doctores, quomodo bonum & malum duo ſint genera, vt Ariſtoteles aſſerit, cum inter rerum genera ab eodem Ariſtotele ſupra enumerata non reponantur, nam hoc pacto erit dicendum, augen- F dum eſſe numerum prædicamentorum vt non amplius decem, ſed duodecim exiſtant.

Diuerſi diuerſas tradunt ſolutiones, nos ex primo notabili elicimus facilem reſponſionem, videlicet quòd Ariſtoteles nō loquit de genere generaliſſimo, ſed ſubalterno: propterea quādo aſſerit bonū & malum duo eſſe genera, intelligitur

tur ſubalterna, & hūc in modū nō auget numerū decem prædicamentorum, quæ quidē genera liſſima ſunt: nanq; bonum & malum vt genera remota alij Philoſophi conſiderarunt, contra quos hic non eſt locus diſputationis: eſt enim altioris negotij, cum pro rei veritate mali naturam in mundo non reperiatur, vt Simplicius in Enchiridion Epicteti longa diſputatione demonſtrat.

Sed hæc ſatis ſuper Capite de Oppoſitis.

Super Capite de Oppoſitis pro Iuris Studioſis.

IN hoc capite de Oppoſitis tria potiſſimum eliciuntur.

Primum, Quæ ſint oppoſita.

Secundum, Quot ſint ſpecies oppoſitorum.

Tertium, Quid vnaquæque ſit oppoſitorum ſpecies.

Quo ad primum ex doctrina Boetij deſumitur de mēte Ariſtotelis huiuſcemodi oppoſitorum definitio. Oppoſita ſunt quæ in eodem, ſecundum idem, in eodem tempore, circa vnam, eandemq; rem eſſe non poſſunt, & hęc definitio conuenit omnibus ſpeciebus oppoſitorum.

Quo ad ſecundum quatuor ſunt ſpecies oppoſitorum, Relatiua, Contraria, Priuatiua, Contradictoria. Relatiue, Seruus opponitur Domino ſuo. Contrarie, Nigredo opponitur albedini. Priuatiue, Viſioni opponitur cęcitas. Contradictorie, Sedere opponitur non ſedere; affirmationi negatio.

His omnibus ſpeciebus oppoſitorum conuenit dicta eorum definitio: quoniam ſeruus, atque Dominus, quæ relatiue opponuntur, eiuſdem eodem tempore idem ſeruus, idem Dominus eſſe non poſſunt.

Pariter album, & nigrum, quæ contrarie opponuntur, vno, eodemq; tempore circa vnum, idemq; corpus, & partem corporis ſimul eſſe non poſſunt.

Eodem modo cæcitas, & viſio, quæ opponuntur ſecundum habitum, & priuationem, in eodem oculo, vno, eodemq; tempore reperiri minime poſſunt.

Similiter ſe habet de contradictorie oppoſitis, ſcilicet quæ ſecundum affirmationem & negationem opponuntur, quòd non poſſunt ſimul eſſe in eodem, vt de ſe patet.

Quo ad tertiū, Relatiue oppoſita ea ſunt, quæ ipſa quæ ſunt, oppoſitorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad oppoſita, hoc eſt quæ referuntur ad aliud, vel per genitiuum caſum, vt ſeruus eſt Domino oppoſitus, Dominus dicitur oppoſiti ſui, per relationem ad eum in genitiuo caſu, dicendo, Dominus ſerui Dominus, vel per alium caſum, vtputa ſcibile refertur ad ſcientiam per ſextum caſum, dicendo, ſcibile ſcientia ſcibile.

A Contrarie autem oppoſita ea ſunt, quæ contrariantur ad inuicem, & id, quod ſunt ad oppoſita non dicuntur, vt nigrum albo contrariatur, ſed non dicimus quòd ſit ſui oppoſiti: non enim dicimus, nigrum albi nigrum, ſed nigrum albo contrarium.

Priuatiue oppoſita ea ſunt, quæ cum contraria ſint, habent fieri in ſubiecto apto naturaliter eſſe ipſorum ſuſceptibile. Nec ad inuicem reciproce tranſmutari poſſunt, vt cęcitas, & viſio in tempore debito in oculis accidere poſſunt, &

B viſio, quæ eſt habitus, poteſt in priuationē tranſmutari, vt in cæcitate; ſed cæcitas, quæ eſt priuatio, minime valet ad habitum, nempe viſionem regredi, niſi id fiat manu, & poteſtate diuina.

Contradictorie denique ea dicuntur opponi, quæ ſecundum affirmationem, & negationem contrariantur, & ſignificant neceſſario veritatem, & falſitatem; nam ſi vera eſt hæc affirmatiua, Petrus ſtudet, erit falſa neceſſario ſua negatiua, Petrus non ſtudet, & è conuerſo.

C Quæ omnia de oppoſitis ſupra declarata, eorumq; ſpeciebus ad vſum iuris ſtudioſi in corpore iuris remanent cognoſcenda.

Violenta nanque, & clandeſtina poſſeſſio, de quibus in l. clam poſſidere. ff. de acquir. poſſ. quarum vna, vt puta violenta ſit Domino ſciente; alia verò vt clandeſtina Domino ignorāte ſunt oppoſita: propterea quod vno, eodemq; tempore, vnam, eandemq; rem, quempiam per vim, & clam poſſidere non poſſe clarum eſt.

Si de ſingulis, quoque in iure inueſtigemus,

D facile ipſorum omnes ſpecies adinueniemus.

De relatiue oppoſitis textus eſt in §. adeo. Inſt. tit. de locat. & cōduct. vbi deciditur, quòd ſi res tradita in emphyteuſim in totum pereat, damnum cedit periculo emphyteuticarij: ſi verò in parte, damnum eſt emphyteutæ, eo in loco ſermo eſt de emphyteuticario, & emphyteuta, quæ ſunt relatiue oppoſita. Siquidem euenire non poteſt, vt idem eodem tēpore vnius, eiuſdemq; rei ſit, & emphyteuticarius, & emphyteuta, & ea ipſa, quæ ſunt oppoſitorum dicuntur: nam

E emphyteuticarius dicitur emphyteutæ.

Similiter Dominus, & vaſſalus, de quibus in libro feudorum ſunt relatiue oppoſita: omnia enim ſupra declarata de relatiue oppoſitis, eis conueniunt.

Pariter aduocatus & cliēs, de quibus in l. properandum. §. illo procul dubio. C. de iudicijs, ſunt relatiue oppoſita: nam ſine aduocato cliens eſſe non poteſt, nec vna, eademq; perſona aduocatus & cliens exiſtere valet.

F De contrarie oppoſitis textus eſt in cap. ius dictum. extra de verb. ſign. quo loci, qui bene poſſidet, iuſte, & ſecundum quod iura conſtituunt, poſſidet: qui male poſſidet, iniuſte, & contra leges aliena poſſidet; ibi bene poſſidere, & male poſſidere ſunt contrarie oppoſita. Fieri nanque non poteſt, vt quis eodem tempore vnā, eandemq; rem bene poſſideat, & pariter male

terum

poſſideat, quoniam poſito uno contrariorum alterum aufertur. l. hæc verba, ff. de verb. & rerum ſignific. A

Eſt quoque alius locus manifeſtus in l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur. quo loci dantur duo genera hominũ, liberi, & ſerui, quos Vulpianus ibi contrarios appellat, & iure merito, cum idem eodem tempore liber, & ſeruus minime eſſe poſſit.

De priuatiue oppoſitis habetur in §. furioſi. Inſt. tit. de curatoribus. quo loci ſermo eſt de captiuitate mentis, de ſurditate. Captiuitas nam B que mentis, & ſanitas mentis, pariter ſurditas & auditus, priuatiue opponuntur. Siquidem habent fieri circa idem ſubiectum, vti cerebrum, ſeu mentem, aures, quod ſubiectum eſt per naturam vtriuſque ſuſceptibile, & habitus in priuationem poteſt tranſmutari; nam audiens poteſt fieri ſurdus, & ſanus mente furioſus: at à priuatione ad habitum in huiuſcemodi non datur regreſſus, cum ibi ſermo ſit de mente captis, & ſurdis, qui perpetuis morbis laborent, quibus ibi Iuſtinianus prouidendum eſſe C cenſet de curatoribus.

Hinc redditur nota vulgatiſſima illa Iuris Conſ. regula, quæ elicitur in l. decem ſtipulatus. ff. de verb. oblig. & conſimilib. videlicet, quòd non ſequitur priuatio, niſi præcedat habitus; vnde infans non dicitur mente captus, cum nondum fuerit in tempore apto, & idoneo per naturam habitum habere, nemoq; dicere poteſt, ſe è fundi poſſeſſione eiectum, qui antea eius poſſeſſionem non obtinuerit.

De contradictorie oppſitis eſt ea propoſitio D affirmatiua, de qua in l. contumacia. ff. de reg. iur. videlicet iudicis mandato obtemperandum eſſe, cui opponitur contradictorie eius negatiua iudicis mandato obtemperandum non eſſe, ſi vtraque accipiatur in caſu dictæ legis, nẽpe in materia illius, qui citatus coram iudice non comparuerit. Et cum ea affirmatiua ſit vera, neceſſario negatiua falſa eſt.

Similiter huic negatiuæ iudicis mandato obtemperandum non eſt, de qua in l. omnes. C. E de decur. contradictorie opponitur hæc affirmatiua iudicis mandato obtemperandum eſt, ſi accipiatur in caſu dictæ legis, omnes. Harum vtraque videlicet de non torquendis Senatoribus: & ſi negatiua vera eſt, affirmatiua quoque falſa ſit, neceſſe eſt.

Pariter hæc propoſitio negatiua in filios non animaduertitur propter iniuſtitiam patris, quæ habetur in l. crimen. ff. de pœnis. eſt contradictorie oppoſita huic affirmatiuæ in filios animaduertitur propter iniuſtitiam patris, ſi acci- F piatur in eodem ſenſu vt ea negatiua ex hoc loco ſumitur argumentum a contrario ſenſu, de quo in l. 1. §. huius rei. ff. de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio. de quo pertractabimus in Topicis.

De contradictorie oppoſitis tota curia eſt plena, & apud Iuriſtas frequens eſt vſus. Siqui-

dem omnes lites, & controuerſias, quas iudex dirimit, & aduocatus patrocinatur in eſſe, & non eſſe, ceu fundamento conſtituuntur, quinimo quælibet actio teſte eloquentiæ flumine Cicerone in oratione pro Titio Annio Milone in Clodij nece habita, an ſit factum necne, an iure factum necne, quod in controuerſia poſitum eſt, defendere conatur. Hinc illud Lepidum in officio Clariſſimorum Auditorum affirmationem & negationem extitiſſe Curiæ occaſionem.

Et hæc de oppoſitis dicta ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

De Priori. Caput Secundum.

Ntentio Ariſtotelis in hoc capite eſt agere de Priori, multiplicitateq; ipſius diſtinguere, & illud in ſua ſignificata diuidere.

Et erit diuiſio non generis in ſpecies; ſiquidem non dicitur æqualiter de omnibus eius modis, ſed multiplicis analogi in ſua analogata, ad cuius ſcilicet ſimilitudinem, & analogiam, & reliqui modi prioris dicuntur.

Continuatur hoc caput cum præcedẽti hunc in modum, cum Philoſophus eodem ordine, quo proceſſit in numeratione eorum, quę in pręſentia docentur in prædicamentis, eadem nunc docere velit; & primum de contrarijs in cap. de ſubſtantia & quantitate; poſtea de priori, & ſimul natura, in cap. de relatione, mentionem fecerit; propterea poſt tractationem de contrarijs, immediate incipit agere de his: verùm anteponit priora eis, quæ ſimul ſunt, quia quoquo modo conferunt ad eorum cognitionem, quatenus cognito per nos quid ſit prius tempore, & prius natura, facilius cognoſcimus quid ſit tempore & natura ſimul.

Diuiditur hoc Cap. in quinque particulas, ſecundum quod tradit quinque prioris ſignificata. Dicit itaque in prima parte.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primo quidem, & maxime proprie ſecundum tempus, ſecundum quod antiquius alterum altero, & vetuſtius dicitur: in eo enim quod tempus amplius eſt, & antiquius & vetuſtius dicitur.

In hac prima parte Ariſtoteles incipit agere de priori, & licet quinque enumeret modos ipſius, inquit tamẽ in principio ſtatim, quod prius quadrupliciter dicitur.

Vnde antequam vlterius accedam, non iudicaui fore alienum ab re præſenti cauſam quærere huius diuerſitatis.

Dicamus, quod & ſi Philoſophus declarat quin-

quinque modos prioritatis, quatuor tantum aſſignat de mente aliorum, vel quinque enumerat; quartum tamen modum non acceptat, ſed reprobat, vt alienum a prioris ſignificatis, vti ab electione noſtra, non a rerum natura progredientem. Tradit autem primum ſignificatum Prioris, quod eſt ſecundum tempus: & quoniam prius potiſſimum dicitur reſpectu poſterioris; ideo inquit, quòd primum & maxime proprie prius dicitur, quod tempore antiquius & vetuſtius eſt, ſicuti namque præteritum tempus dicitur prius præſenti, quia præſens ſubſequitur: illud verò antecedit, ita tempore ſunt anteriora vt ſunt vetuſtiora, & antiquiora, quæ dicuntur nouiſſimis, & ſubſequentibus Priora, hoc pacto Petrus Marta pater dicitur prior Franciſco Marta eius filio, quia antiquior, & antenatus: eodem modo Taruiſina ciuitas dicitur prior patria mea Caſtrifranci, quoniam antequam Caſtrum fuerit a Franco Duce Gallorum coadiuuante ciuitate Taruiſina à primis fundamentis erectum, eadem ciuitas Taruiſina vigebat.

Notandum ex Simplicio, Ammonio, & Boetio non temere Ariſtotelem in textu appoſuiſſe licet *Antiquius, & vetuſtius*, ſed induſtria, quoniam ea, quæ ſunt, aut ſunt animata, aut inanimata. Animata proprie dicuntur antiquiora, inanimata vetuſtiora.

Secundo notandum, quòd maxime proprie prius tempore dicitur, quod vetuſtius & antiquius eſt, vel quia ſic conſuetudine fuit receptũ, vt inquit Ammonius, vel quia ad eius ſimilitudinem, & analogiam, & reliqui modi prioris dicuntur, vt aſſerit Albertus.

Contra dicta dubitatur, quoniam nihil eſt prius ſecundum tempus, ergo male ab Ariſtotele ponitur prius tempore hoc in loco. Probatur antecedens; illud dicitur prius quod magis appropinquatur principio per Ariſtotelem Diuinorum 5. ſed tempus non habet principium cum ſit æternum, vt habetur 8. Phyſic. ergo Scotus reſpondet, quòd prius & poſterius ſumuntur in tempore per comparationem ad præſens nunc ſignatum; verum alio modo in præteritis ac in futuris. In præteritis namque remotius ab hoc, nũc eſt prius, in futuris propinquius, huic nunc eſt prius.

Hæc reſponſio Doctoris Subtilis deſumpta videtur ab eodem Ariſtotele, ſupraallegato libro Diuinorum 5. cap. 11. quo loci Ariſtoteles pro declaratione huiuſcemodi prioritatis, & poſterioritatis exemplificat de bellis Troianis, & Medis, quæ bella erant tranſacta: verùm bellum Troianum prius extiterat bello apud Mediam facto. Aliud exemplum tradit de Nemeça & Pythijs, quæ erant duo feſta futura; quorum tamen vnum propinquius erat, & ſic non obſtat difficultas.

Secundo autem quòd non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi conſequẽ- A **tiam, vt vnum duobus prius eſt; duobus enim exiſtentibus, mox vnum eſſe conſequens eſt; vno verò exiſtente, duo eſſe non neceſſarium eſt. Quare non conuertitur ab vno conſequentia, vt reliquum ſit. Prius autem illud eſſe videtur, à quo non conuertitur eius, quod eſt eſſe conſequentia.**

B Hæc eſt ſecunda pars huius capitis, in qua Ariſtoteles aſſignat ſecundum prioris ſignificatum, & inquit eſſe illud, a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, videlicet quòd ſimul infertur, ſed ſecum non infert, hoc eſt quando ponitur cum alio, & ſequitur illud; at illo poſito, illud aliud non ſequitur, & exemplificat in numeris; duobus nanque poſitis, vnum quoque poni neceſſe eſt; at vno exiſtente, duo reperiri non eſt neceſſe. C Vnum itaque ſecundum præſentem modum prioris, eſt duobus prius, quia in ipſo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, videlicet quia non ſicut exiſtentibus duobus eſt vnum, ita conuertitur, quod exiſtente vno, ſint duo.

De hoc modo Prioris Ariſtoteles ſermonem habet in Cap. de his, quæ ad aliquid, quando probat, quòd ſcibile eſt prius ſcientia, ſenſibile prius ſenſu, per hoc quia ſcibile ſublato, ſimul aufertur ſcientia, non è contrario, ſenſibile ſublato, ſimul aufertur ſenſus, non è contrario, D & ſecundum eſſendi illationem ſcientia ſimul non exiſtit, atque infertur cum ſcibile, neque ſenſus cum ſenſibile, ſicut ſcibile ponitur poſita ſcientia, & ſenſibile infertur ad illationem ſenſus: hoc modo Philoſophus in cap. ſequenti oſtendit genus eſſe prius natura ſpecie, quia ipſo ſublato tollitur ſpecies; & poſito non ſimul ſpecies neceſſario ponitur; nam homine exiſtente, erit animal neceſſario, nam ſimul animal cum homine infertur; at ſi ſit animal, non prorſus erit homo, quoniam homo non ſimul cum animali E neceſſario infertur, cum animal in plus ſe habeat, quam homo: & propterea animal prius natura eſt quàm homo, non tempore.

Notandum quòd iſte modus Prioris in coordinatione Prædicabilium eſt, ſicut inferius, & ſuperius, vnde poſito inferiori in eſſe ponitur ſuum ſuperius, ſed non conuertitur, quod in eſſe poſito ſuperiori, ponatur inferius in eſſe neceſſario, quia ſuperius in inferiori comprehẽditur, ſicut vnum in duobus continetur.

Contra dicta dubitatur: videtur enim, quòd F inferius in ſuperiori contineatur, & per conſequens ad illationem ipſius neceſſario inferri debeat, quoniam ſub toto comprehenduntur eius partes, ſuperius eſt quoddam totum, inferius quædam eius pars eſt; ergo inferius vti par ſub ſuperiori tanquam toto continetur. Minor probatur ex Porphyrio cap. de genere, vbi inquit,

quod

quòd genus, quod ſuperius eſt ad ſpeciem, eſt quoddam totum; ſpecies verò, quæ inferior eſt, quædam pars: ergo.

Reſpondeo, quòd aliquod contineri & comprehendi ſub altero ſtat, vel cõtingit dupliciter, actualiter, & potentialiter, ſpecies ſub genere continetur, inferius ſub ſuperiori, potentialiter, non actualiter, & ſic argumentum non concludit. Ad hoc enim vt ad illationem alicuius, & alterum inferatur, eſt neceſſarium vt in eo, & ſub eo actualiter contineatur.

Sequitur textus.

Tertio verò ſecundum ordinem quendam prius dicitur, quemadmodum & in ſcientijs, & in orationibus; nam in demonſtratiuis ſcientijs eſt prius & poſterius ordine: elementa enim priora ſunt ordine eis, quæ deſcribuntur: ſed et in Grammatica elementa ſyllabis priora ſunt, & in orationibus ſimiliter, procemium narratione prius ordine eſt.

In hac tertia parte capitis Ariſtoteles tradit tertium Prioris ſignificatum, nempe prius ordine, & cuius ordo ſit diſtributio rerum, quæ demonſtrat quid quibus in locis ſit collocandum. Propterea Ariſtoteles inductione in facultatibus demonſtratiuis & ſermocinalibus declarat, quòd datur prius ordine, in Geometria nanque quę ſciẽtia eſt demõſtratiua: eſt enim ſciẽtia ſpeculatiua, vt alibi 1. Poſter. idẽ Philoſophus aſſerit: in ea inquã datur prius, & poſterius ordine: elementa primum collocantur, poſtea ſequuntur deſcriptiones: elementa ſunt vt quid punctum, quid linea; deſcriptiones ſunt figuræ, quæ ex ſuppoſitionibus præhabitis demonſtrantur a Geometra. Hoc idem demonſtrat & manifeſtat in facultatibus ſermocinalibus in Rhetorica, & Grammatica; nam in Grãmatica primum collocantur elementa, poſtea ſyllabæ; in orationibus præcedunt exordia narrationes, vt 3. Rhetor. docet. Patet itaque ex his prius ordinem quendam dicere: dicit nanque quibus in locis res ipſæ collocandæ ſunt, & quomodo pariter diſtribuendæ.

Notandum, quòd Ariſtoteles exemplificans de ordinis prioritate accepit Geometriam, Rhetoricam, & Grammaticam, vti facultates, & ſcientias, in quibus adoleſcentuli inſtituebantur antequam accederent ad addiſcendam Logicam: propterea eas maioris euidentiæ gratia in medium adducit.

Dubitatur contra dicta, quoniam elementa in Grammatica ſunt priora ſyllabis, nedum ordine, verum etiam natura, quod probatur; quoniam ea ſunt natura priora, quibus ablatis, cæte-

A ra tolluntur: at cæteris ablatis, illud non neceſſario auſertur, ſed ſyllabis ablatis, elementa non auferuntur; illis vero ablatis, neceſſario & ſyllabæ tolluntur; ergo elemẽta nedum ordine priora verùm quoque natura ſunt ipſis ſyllabis.

Ad hanc difficultatem reſpõdetur, quod non eſt inconueniens aliquod eſſe prius natura, & etiam prius ordine; nam vt alibi declaraui, quando ea quæ docentur in ſcientijs & artibus pendent ex cognitione principiorum, & elementorum, quæ ſunt ſimpliciora, & natura priora, tunc
B in ijſdem ſcientijs procedemus ex notitia ipſorum principiorum, & elementorum, & primo loco ea collocantur, & diſtribuuntur; deinde ex eis conſtantia, vt docetur a Philoſopho 1. Phyſi. contextu primo, & eo caſu euenit vt natura priora ſint quoque ordine priora, & hoc non eſt inconueniens: non enim negat Ariſtoteles hoc in loco, ſed tantummodo diuidit vnum modum ab altero. Ad argumentum dicitur, quòd nil refert elementa eſſe natura, & ordine priora reſpectu ſyllabarum: ſiquidem ſyllabarum notitia
C diſtincta, & exacta pendet ex cognitione elementorum, ſine aliqua enim ipſorum notitia, nunquam ſyllabas ipſas cognoſcere perfecte poterimus.

Amplius præter ea, quę dicta ſunt, quòd melius & honorabilius eſt, prius natura eſſe videtur: conſueuerunt autem & multi honorabiliores,
D & magis dilectos à ſe priores apud ſe dicere. Eſt quidem, & pene alieniſſimus priorum hic modus. Modi igitur qui dicti ſunt, de priore ferè tot ſunt.

Philoſophus in hac quarta parte vltra tres modos prioritatis iam declaratos, quartum enarrat prioritatis modum, quæ reprobat vt improprium, & alienum a prioris ſignificatione, cum
E potius a conſuetudine quadam fuerit per quendam abuſum receptũ, quàm a natura recte procedat, & profiſcatur; multi etiam eos quos magnificiunt, & diligunt tanquam præſtantiores apud ſe priores appellant: verùm eſt abuſio vocabuli; quinimo enim honorabiliores dicendi ſunt, quam priores, quoniã vt habetur 1. Ethic. honor eſt finis vitæ ciuilis, & 1. Rhet. honor eſt finis virtutis moralis, vnde qui cæteros virtutibus, & dignitate excellunt, quos præ alijs diligimus, rectius honorabiliores, quàm priores ap-
F pellabimus.

Notandum, quòd Ariſtoteles in textu habet fere tot eſſe modos prioris, quos ſupra declarauit, tum quia vult quintum addere ex propria ſententia; tum etiam quia, vt habetur 5. Metaph. & alij dantur prioritatis modi, quos vti ad rem noſtram non attinentes non commemorat.

Videtur autem præter eos, qui dicti ſunt, alter eſſe prioris modus: eorum enim quæ conuertuntur ſecundum eſſe conſequentiam, quòd alteri quomodolibet cauſa eſt, conuenienter prius natura dici poſſit; quod verò quędam ſunt huiuſmodi, palam eſt; eſſe nanque hominem; ſecundum ipſius eſſe conſequentiã ad verã de ſe conuertitur orationem, nam ſi homo eſt, vera eſt oratio, qua dicimus, quod homo eſt, & conuertitur; nã ſi vera eſt oratio, qua dicimus, quòd homo eſt, eſt homo. Eſt autem vera oratio, nequaquam cauſa vt ſit res; veruntamen res quodammodo cauſa uidetur ut ſit uera oratio; eo enim quod res eſt, aut non eſt, uera oratio, aut falſa dicitur: quare ſecundum quinq; modos prius alterum altero dici poteſt.

In hac quinta, & vltima parte capitis Ariſtoteles quatuor modis prioris ex aliorum opinione declaratis, nunc ſecundum modum ex propria ſententia addit, & datur in conuertibilibus ſecundum exiſtendi conſequentiam; in his nanque illud, quod cauſa eſt alterius prius natura dici poteſt. Dat exemplum de ſermone, & re ipſa, & inquit, quòd ſi homo eſt, verum eſt dicere de eo, quod homo eſt, & conuertitur: ſi verum eſt dicere, quòd homo eſt, homo eſt: Hæc ſunt conuertibilia, vnum tamen eſt cauſa alterius; nam eſſe rei, eſt cauſa ſermonis veri, non ſermo verus cauſa eſt eſſe rei. Hoc idem dicere poſſumus de rationale & riſibili, quòd hæc ſunt conuertibilia, nanq; ſi rationale eſt, riſibile quoque exiſtit, & è contrario, poſito riſibili, rationale exiſtat neceſſe eſt: rationale verò eſt prius natura riſibile, quatenus ipſius cauſa dicitur eſſe, non è contrario.

Quapropter concludit, quòd ſecundum quinque modos prius alterum altero dici poteſt, quarto ſcilicet modo recepto; ſi verò illud reijciatur, prius dicitur tantum quadrupliciter, vt in principio capitis aſſerit.

Quæritur hic ab expoſitoribus, cur de poſteriori mentionem non fecerit Ariſtoteles, cum de priori pertractet.

Reſpondent, quòd ex cognitione prioris, reſultat quoque poſterioris cognitio, dicere etiam poſſumus quòd de poſteriori non egit in prædicamentis, ſed de priori particulariter ſermonem habuit, propterea quod de eo ſpecialiter ſermo habetur in præſenti.

Et hæc ſatis ſuper Capite de Priori.

Super Capite de Priori pro Iuris Studioſis.

Qvinque modos prioritatis enumerauit Ariſtoteles, vt vidimus in cap. pręcedenti de priori.

Prius tempore, vt quod vetuſtius, & antiquius.

Prius natura, illud nempe à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia.

Prius ordine.

Prius dignitate.

Prius in conuertibilibus, quorum vnum ſit cauſa alterius.

Primo modo, Ciuitas Taruiſina prior eſt Caſtro Franco, eſt enim vetuſtior. Adam pariter prior Noe, propterea quod eſt antiquior.

Secundo modo, vnum eſt prius duobus. Animal eſt prius homine; nam vno exiſtente, duo poni non eſt neceſſe, ſed è contrario ſimiliter poſito homine ponitur animal, non è contrario.

Tertio modo, elementa ſunt in Grammatica ſyllabis priora, in Geometria poſitiones ſunt priores figuris, in Rhetoricis, & orationibus oratorijs procemium prius eſt narratione.

Quarto modo, anima prior eſt corpore, apud me illuſtris, & Magnificus Comes Aeneas Clericatus nobilis Vicentinus vir omni doctrina, inſignique virtute præditus, prior eſt quocunque alio.

Quinto modo, rationale prius eſt riſibilitate; eſt enim eius cauſa proxima.

Primo modo in corpore iuris ius naturæ, ſeu gẽtium, eſt prius iure ciuili, quoniam vetuſtius: illud enim a principio cõſtitutionis mundi cunctis animantibus erat inſitum, iſtud cum cœtus hominum in ciuitatibus fierent, Magiſtratus crearentur, & leges promulgarentur in ſcriptis, vt habetur §. ſingulorum. verſiculo palam, Inſt. tit. de rer. diuiſ.

Eodem modo Iuſtinus, qui Iuſtinianum in filium adoptauit, prior dicitur ipſo Iuſtiniano, quia antiquior, §. eſt & aliud. Inſt. tit. de don. de hoc modo legitur l. xxvi. xxxvi. ff. de legibus.

Ex hoc modo oritur in iure ciuili communiſſima illa regula, quę ponitur in l. ſi fundũ. C. qui potiores. videlicet quòd prior in tempore potior in iure, quam habemus in ſtatuto noſtro Taruiſino, declaratam in correctionibus nouis Sereniſſimi maioris Conſilij Reip. Venetæ.

Secundo modo, quod eſt ſuperius in ordine prædicabilium dicitur prius inferiori, vt genera ſpeciebus, vt clare in figura, quam ſupra in prædicabilibus cap. de ſpecie demonſtraui, facileq; conſtat; ibi nanque ius Romanorum, de quo in §. ſed ius. Inſt. tit. de iure nat. gen. & ciu. dicitur prius lege ſcripta, de qua in §. lex eſt. Inſt. eod. tit. eo quoniam lege poſita, ius quoque Romanorum poni neceſſe eſt, at nõ conuertitur, quòd

poſito

poſito iure Romanorum, neceſſario lex ſcripta ſequatur: poteſt nanque eſſe vſus, & lex non ſcripta, quoniam ius Romanorum in plus ſe habet, quam lex, l. neceſſarium. ff. de orig. iur.

Hoc modo poſſeſſio, quæ eſt genus, & quid ſuperius ad poſſeſſionem naturalem, & ciuilem, quæ ſunt ſpecies eius, eſt ipſis prius. l. 2. §. quod vulgo. ff. pro hærede.

Eodē modo, ius quod eſt ſuperius ad ius ſcriptum & non ſcriptum prius eſt. §. huius ſtudij. Inſt. tit. de iuſt. & iure.

Tertio modo, Volumen Inſt. prius eſt volumine Digeſtorū, & Codicis: ſunt nanque vti elementa, quæ in eo tradūtur. §. igitur in Procemio Inſt. de hoc modo habetur in l. 1. ff. de orig. iu.

Quarto modo, vt dignior, homo eſt prior cæteris animantibus. l. iuſtiſſime. ff. de ædil. ædicti iuxta illud Ouidij:

Pronaq; cum ſpectent, animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre.

Et quæ ſequuntur. & Virgilius:

Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo.

Et Pſalmus.

Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.

Hoc modo decem illi illuſtres viri à Iuſtiniano ſelecti, & deputati pro nouo Codice faciendo, inter cæteros virtutibus fulgentiores, apud eundem priores ſunt appellandi, quippe quos præcipue in honore teneret.

Quinto modo, offenſio minoris vigintiquinque annis eſt prior reſtitutione in integrum, vti cauſa eius proxima. l. quòd ſi minor. §. non ſemper. ff. de minoribus.

Hoc eodem modo, Dominium eſt prius actione reali. l. in rem. ff. de rei vend. l. 1. ff. de acquir. rer. dominio.

Et hęc ſufficiant de priori pro Iuris ſtudioſis.

De Simul. Caput Tertium.

INtentio Ariſtotelis in hoc Capite eſt explicare ea ſignificata huius aduerbij ſimul, quæ conferunt pro negotio Logico.

Cauſa intentionis eſt, vt diſtinctius cognoſcantur ea, quæ de Simul dicuntur in cap. de relatione. Cum enim huius aduerbij amphibologiam apperuerit, eiuſdem exactior cognitio exſtabit.

Continuatio nota eſt, nam cum ſupra proximo cap. de priori pertractauerit, reliquum erat immediate agere de ſimul ipſi priori oppoſito, cum oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant.

Hoc Cap. poteſt rectè diuidi in duas partes ex Domino Honorato de Robertis in prima enumerat Ariſtoteles tres modos ſimul; in ſecunda eos iam declaratos epilogat. Dicit itaque.

Simul autem dicuntur ſimpliciter quidem, & proprijſſime, quorum generatio in eodem eſt tempore: neutrum enim eorum, neque prius, neque poſterius eſt; ſimul autem ſecundum tempus hæc dicuntur: natura verò ſimul ſunt, quęcunque conuertuntur quidem ſecūdum eius, quod eſt eſſe conſequentiam, ſed nequaquam alterum alteri cauſa eſt vt ſit, vt in duplo & dimidio. Conuertuntur etenim hæc; nam cum duplum ſit, dimidium eſt; & cum dimidium ſit, duplum eſt: ſed neutrum alteri cauſa eſt vt ſit. Dicuntur autem ſimul natura, & quæ ex eodem genere è diuerſo abinuicem diuiduntur: è diuerſo autem diuidi abinuicem dicuntur, quæ ſecundum eandem ſunt diuiſionem, ut volatile, greſſibile, & aquatile. Hæc enim abinuicem è diuerſo diuiduntur, cum ſint ex eodem genere; animal nanque diuiditur in hæc, in volatile, greſſibile, & aquatile, & nihil horum prius, vel poſterius eſt, ſed ſimul hæc natura eſſe videntur. Diuiditur autē & vnumquodque horum in ſpecies rurſus, vt volatile, greſſibile, & aquatile. Erunt ergo & illa ſimul natura, quæcunque ex eodem genere ſecundum eandem ſunt diuiſionem; genera uerò ſpeciebus ſemper priora ſunt; neque enim conuertuntur ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam, vt cum quidem aquatile ſit, animal eſt; cum uerò ſit animal, nō neceſſe eſt ut aquatile ſit; ſimul ergo natura dicuntur, quæcunque quidem conuertuntur ſecūdum eius, quòd eſt eſſe conſequentiam. Sed nequaquam alterum alteri vt ſit, cauſa eſt; & ea, quæ ex eodē genere è diuerſo diuidūtur abinuicē. Simpliciter autem ſimul ſunt, quorū generatio in eodem eſt tempore.

Tradit Ariſtoteles tria ſignificata huius aduerbij ſimul. Primum ſignificatum, quòd ſimpliciter, & propriſſimum eſt, inquit eſſe ſimul tempore, vnde illa, quæ in eodem tempore generantur, dicuntur eſſe ſimul tempore, quoniam ſi prius tempore proprie dicitur, quod prius generatur, pari ratione, quæ ſimul generatur proprie ſimul tempore nominantur. Hoc modo duos coætaneos ſolemus apppellare ſimul tẽpore, & iſte modus vti ab vſu, & conſuetudine receptus ſimpliciter ſimul nuncupatur.

Secundum ſignificatum appellatur ſimul natura, & eſt in conuertibilibus: quorum vnum non eſt cauſa alterius. Dat exemplum de duplo & dimidio, quæ adinuicem conuertuntur, verùm vnum non eſt cauſa alterius.

Tertium eſt ſignificatum eorum, quæ ſub eodem genere, ſub eademq; ſpecie, quę in ſubiectiuas partitur partes, pari diuiſione ponuntur. Dat exemplum de animali, quod æqualiter diuiditur in volatile atque greſſibile, volatile & greſſibile dicuntur eſſe ſimul natura. Et ſi harum aliqua ſpecies in ſubiectas partes diuidatur, vt volatile in ijs auibus, quæ ſeminibus veſcuntur, & in ijs, quæ carnibus, & in ijs, quæ herbis: hæ inquam tres ſpecies rurſum, quę ſub volatile ſunt, dicuntur ſimul eſſe naturaliter.

Ex quo infert, quòd genera ſpeciebus ſemper priora ſunt, quoniam in ipſis non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia; nam ad poſitionem hominis ſequitur animal, non è contrario. Quapropter concludit, tres eſſe modos ſimul, videlicet ſecundum tempus, ſecundum naturam, ſecundum eandem genere diuiſionem.

Circa dicta notandum, quòd Ariſtoteles tot modos ſimul enumerauit quot opponuntur modis prioris ſupra receptis. Et ſicut diuiſio prioris eſt analogi in ſua ſignificata, pariter eſt diuiſio ſimul.

Primus modus opponitur primo prioris modo; quod enim non eſt prius, & poſterius tempore, ſimul tempore dicitur exiſtere.

Secundus modus, quatenus adeſt conuerſio opponitur ſecundo prioris modo, quod eſt illud, in quo non repetitur conuertendi conſequentia: quatenus verò neutrum eſt cauſa alterius opponitur quinto modo prioritatis, quod eſt in conuertibilibus, in quibus vnum eſt cauſa alterius.

Tertius modus opponitur tertio modo prioritatis; in eo namque attenditur prioritas ordinis, reſpectu diſtributionis rerum, in hoc verò ſimultas in ordine ſpecierum quæ æqualiter ſunt ſub genere diſtributæ.

Quarto modo prioritatis non oppoſuit aliquem modum ſimul, quoniam illud non recepit, ſed vt improprium reiecit.

Secundo notandum, quòd relatiua poſſunt dupliciter conſiderari, vel fundamentaliter in eſſe ſubſtantiali, & ſic vnum poteſt eſſe cauſa alterius, vel conſideratur formaliter in eſſe conuertibili, & tunc vnum non eſt cauſa alterius,

A ſed ſe inuicem ponunt, & ſe inuicem dirimunt; natura enim relationis vtrumque ponit in eſſe.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite tertio de Simul pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc capite tres modos ſimul ponit Ariſtoteles.

B Simul tempore, quæ in eodem tempore generantur.

Simul natura, & hoc dupliciter, primo in cõuertibilibus, in quibus vnum non eſt cauſa alterius, vt Dominus & ſeruus ſecundo in ets, quæ ſub eodẽ genere reponuntur, vt homo, & equus ſub animali.

Primo modo, ſimul tempore in iure ſunt nuptiæ & conſenſus, nam vbi primum matrimonium contrahi dicitur, immediate conſenſus adſit, neceſſe eſt. l. nuptias. ff. de reg. iur.

C Simul natura, primo dicuntur ea relatiua, quę ſunt adinuicem conuertibilia, vt emphyteuticarius, & emphyteuta, de quibus in §. adeo. Inſt. tit. de locat. & conduct. & breuiter ea relatiua, de quibus ſatis abunde diſſerui ſupra in prædicamentis cap. de his, quæ ad aliquid.

Simul natura ſecundo modo dicitur Dominium directũ & vtile, quæ ſub Dominio vt ſub genere collocantur. l. ſi inter. §. eandem. ff. de except. rei iud.

Pariter donatio cauſa mortis, donatio inter
D viuos, donatio propter nuptias, quæ tanquam ſpecies ſub donatione reponuntur. Inſt. de donat. in princ. ſimiliter peculium caſtrenſe, vel quaſi peculium profectitium, de quibus in tit. de peculio.

Et de his ſatis pro Iuris ſtudioſis.

De Motu. Caput Quartum.

E INtentio Ariſtotelis in hoc Capite eſt agere de ſex ſpeciebus, motus videlicet generatione, & corruptione; auctione, & diminutione; alteratione, & latione.

Cauſa intentionis eſt, vt diſtinctius explicet attinentia ad motum pro clariori eorum, quæ dicta ſunt, cum in cap. de ſubſtantia, quando ſcilicet dicit, quòd ſubſtantia ſuſceptibilis contrariorum eſt cum ſui mutatione: opinio autem & oratio ſine ſui mutatione;
F tum etiam quoniam cum actio, & paſſio non videantur fieri ſine motu, vidẽtur etiam quoquomódo abſque ipſius exacta notitia non poſſint perfecte cognoſci.

Continuatur hoc caput cum præcedentibus hunc in modum. Ariſtoteles expoſitis oppoſitis, de quibus in cap. de ſubſtantia, & quantitate men-

A te mētionem fecerat, pariter de priori,& ſimul, de quibus in cap. de relatione, modo reliquum eſt agere de motu, de quo in cap. de agere,& pati, diuiditur hoc caput in tres partes: in prima enumerat ſpecies motus; in ſecunda tradit diuerſitatem inter ipſas; in tertia contrarietatem in motu inuentam ponit. Dicit itaque de prima parte.

Motus autem ſpecies ſunt ſex, Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio & ſecundum locum Mutatio,

B Ariſtoteles hoc in loco agit de motu ad introductorios, quatenus ſcilicet ſatis ſit pro cognitione eorum, quæ in prædicamentis tractantur; diſtinctius namque de eo ſermonem habet in libris Phyſic. quatenus ſcilicet attinet ad Philoſophum. Propterea ego quoque in explicatione verborum, non recedam ab intentione eiuſdem Ariſtotelis, faciliori dumtaxat via, verba textus declarare conabor, atque eius intentionem,& doctrinam.

C In prima itaque parte Ariſtoteles immediate in principio ſpecies motus in medium affert, ſicut in præcedentibus capitibus modos prioris,& ſimul enumerauit,& in cap. de oppoſitis, ſpecies oppoſitionis, ſeu eius ſignificata. Enumerat autem motus ſpecies ſex, Generationem, Corruptionem, Auctionem, Diminutionem, Alterationem,& ſecundum locum Mutationem: nam cum motus, vt inquit Ammonius,

D ſit quædam deturbatio,& mutatio, vnumquodlibet deturbatur, vel a ſua ſubſtantia,& generatio, vel corruptio inducitur, vel ab inhærentibus in ipſa ſubſtantia,& vel penes quantitatem,& fit auctio & diminutio, vel penes qualitatem,& fit alteratio, vel a circumiacentibus illud,& fit ſecundum locum tranſlatio.

Ammonius notat, quòd tria circa naturam noſtram ſpectantur, ipſa ſubſtantia, cuius motus eſt generatio,& corruptio, quę in ſubſtantia habentur, nempe quantitas, cuius motus eſt auctio

E & diminutio;& qualitas, cuius motus eſt alteratio,& quæ ſunt circa ſubſtantiam, vt eſt locus & tempus, vt localis mutatio, quæ latio nuncupatur.

Contra dicta dubitatur, quoniam Ariſtoteles hoc in loco ponit inter ſpecies motus generationem,& corruptionem: contrarium tamen aſſerit,& probat multis rationibus in 5. lib. Phyſic. quòd ſcilicet in ſubſtantia non poteſt fieri motus, præcipue cum ei non competat contrarietas requiſita motui,& modo requiſito, nem-

F pe quæ per ſe in eodem ſubiecto in actu ſit nata fieri ſucceſſiue; ergo videtur Ariſtotelem immemorem ſui ipſius contraria proferre.

Breuiter non diſcedendo à terminis & finibus Logici negotio dico, quòd motus accipitur dupliciter proprie & improprie. Proprie acceptus motus non reperitur in ſubſtantia,& per conſequens generatio & corruptio, quæ in ſubſtantia fiunt, non ſunt motus. Si verò accipiatur improprie, late ſcilicet pro qualibet tranſmutatione, ſic in ſubſtantia etiam habet fieri,& co pacto generatio & corruptio ſunt ſpecies motus, quatenus ſcilicet definitur motus, quòd ſit actus rei mobilis, vt mobilis eſt. Hoc enim omnibus ſpeciebus motus hic enumeratis conuenire poteſt:

Alij itaque motus palam eſt, quod abinuicem diuerſi ſunt: non enim eſt generatio corruptio, neque augmentum diminutio, neque ſecundum locum mutatio, ſimiliter autem & alii, In alteratione verò habet quandam dubitationem, ne ſit forte neceſſariū id, quod alteratur per aliquam reliquarum motionum alterari. Hoc autem non verum eſt; nam ſecundum omnes pene paſſiones, aut complures accidit nos alterari, nulla aliorum communicante motionum; nam neque augeri neceſſarium eſt quod per paſſionem mouetur, neque diminui; ſimiliter autem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio; nam ſi eſſet eadem, oporteret id, quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quandam aliorum motionum ſequi, ſed non neceſſe eſt. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliquā mutatione mouetur, alterari oportet. Sed ſunt quædam quæ augmentātur, quæ non alterantur, vt quadratum Gnomone circumpoſito creuit quidem; alteratum verò nihil factum eſt; ſic & in alijs huiuſmodi; quare alij motus ſunt abinuicem.


Hæc eſt ſecunda pars huius capitis, in qua Ariſtoteles ponit diuerſitatem inter ſpecies motus,& inquit, quòd inter ſe diſtinctæ ſunt: ſiquidem ſolo nomine conueniunt, nempe motus; verùm generatio non eſt idem quod corruptio; nam via generationis eſt de non eſſe ad eſſe. Corruptionis autem de eſſe ad non eſſe, nec diminutio idem eſt quod auctio: ſiquidem in auctione ſuperadditur, in diminutione verò detrahitur. Pariter ſecundum locum mutatio non eſt ſimilis cuiuſlibet alteri:& quia de altera-

ratione videtur eſſe difficultas, nunquid ſit diſtincta ſpecies à reliquis; ideo idem de ipſa eſſe probat duabus rationibus.

Prima ratio eſt, quòd commutatur non generatur, neque corrumpitur; non augetur, neque diminuitur, neque ſecundum locum tranſfertur: ergo commutatio eſt quid diſtincta ab eis. Antecedens probatur exemplo. Si quis namque in Sole diutius permanſerit, ita ut ex candido fiat niger, is certe ſecundum colorem mutatur, & ſic fit alteratio in qualitate; non tamen generatur, aut corrumpitur; nõ augetur, aut diminuitur, neque loco mouetur; ergo alteratio eſt diſtincta ſpecies a reliquis.

Secunda ratio, qua idem probat, ea eſt: Si alteratio eſt idem cum reliquis, ergo quod augetur & minuitur, & ſecundum locum mutatur, alteratur, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Falſitas conſequentis probatur ab Ariſtotele exemplo deſumpto in Mathematicis de quadrati augmento. Si enim quadrato circumponatur Gnomon, non tamen commutatur: pariter ſi à quadrato Gnomon auferatur, quadratum tamen non minuitur. Eſt autem quadratum figura, quæ habet quatuor latera, & angulos æquales adinuicem: vocatur autem Gnomon quadratum ſuper diametrum, conſiſtens cum duobus ſupplementis. Hoc enim appoſito quadrato manifeſte quadratum maius conſtituitur, vt patet in ſequenti figura.

Quadrati augmentum Gnomone circumpoſito.



Notandum, quòd generatio, & corruptio proprie non fit niſi in ſubſtantia; in alijs verò improprie fieri dicitur. Hinc Ariſtoteles dicit alterationem non eſſe generationem; eſt namque, & fit in accidẽtibus circa ſubſtantiam: quorum proprie non eſt generatio.

Secundo notandum eſt, quòd Ariſtoteles hic ſumit augmentationem, prout extenditur ad omnem quantitatis additionem, qua res maior dicitur. Hinc dicit aliquod augeri poſſe abſque quod alteretur, vt exemplo in Mathematicis demonſtrauit ſummo artificio. Verum an augmentatio abſque alteratione fieri poſſit, locus eſt in libro de Phyſico auditu.

Eſt autem ſimpliciter motui quidem quies contrarium; ijs verò, quæ per ſingula ſunt, & ſingula. Generationi quidem corruptio contrarium; augmentationi verò diminutio, ſecundum locum mutationi, ſecundum locum quies: maxime autem videtur oppoſita eſſe ad contrarium locum mutatio, vt ei, qui inferius eſt, ea, quæ ſuperius eſt; & ei, quæ ſuperius eſt, ea, quæ inferius eſt. Reliquo verò aſſignatorum motuum non facile eſt aſſignare quid forte eſt contrarium: videtur autem nihil eſſe ei contrarium, niſi quis & in hoc ſecundum qualitatem quietem opponat, aut in contrarium qualitatis mutationem; ſicut & in mutatione ſecundum locum quietem ſecundum locum, aut in contrarium locum mutationem; eſt enim & alteratio mutatio ſecundũ qualitatem; quapropter opponitur motui ſecundum qualitatem quies ſecundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio, vt albũ fieri ad id, quod nigrum eſt fieri; alteratur enim in cõtraria qualis mutatione facta

In hac tertia parte Ariſtoteles in motu inuentam contrarietatem aſſignat, & inquit, quod motui in genere opponitur quies in genere: at ſpeciebus motus ſingulis ſingula, & diuerſa conuenit contrarietas, nam nedum opponitur quies, verum & motus, vt generationi, quæ eſt motus, contrariatur corruptio, quæ eſt motus, augmentationi diminutio, mutationi ſecundum locum quies ſecundum locum; & maxime mutatio in contrarium locum, vt ſi qua res ſurſum exiſtat, atq; ibi maneat, & ſit quieta, deinde deorſum moueatur ei motui quamuis ſit cõtraria quies, multo magis huiuſmodi motum, qui fit in contrariũ locum, puta deorſum cõtrarium eſſe aſſerimus. Pariter & ſi maior ſit difficultas, ſicut motui ſecundum locum opponitur quies ſecundum locum, & maxime mutatio in contrarium locum, ita mutationi ſecundum alterationem opponitur

tur quies ſecundum alterationem, & maxime A mutatio in contrariam alterationem, quod declarat apertiſſimo exemplo. Si nanque aliquid cum eſt album, rubrum fiat, quieti in albo colore permanenti contraria eſt qualitatis eius mutatio, videlicet ex albo in rubrum, maxime tamen opponitur mutatio in contrariam qualitatem, vt puta ſi ex albo vertatur in nigrum.

Sciendum, quod Ariſtoteles 5. Phyſic. demonſtrat in reliquis prædicamentis nō dari motum, quoniam in ipſis non reperitur contrarietas in motu requiſita: ibi nanque diffuſius differit de his ſpeciebus motus. Quæ autem ibi ab Ariſtotele tractantur, & ab expoſitoribus pōderantur, hic referenda non veniunt, ne vt dici ſolet, de genere in genus transmigrari videamus, ſatis ſint, quæ ſupra expoſita ſunt, pro cognitione ſpecierum motus, quatenus ad Logicum ſpectat, ſequitur vltimum Caput de Habere, quod videbimus prius ad vſum iuris accommodatis, quæ de motu ſupra docentur.

Super Capite Quarto de Motu pro Iuris ſtudioſis.

IN Capite ſupra proximo de Motu Ariſtoteles enumerat ſex ſpecies motus, nempe Generationē, Corruptionem, Auctionem, Diminutionem, Alterationem, Lationem.

Generatio & Corruptio verſantur circa ſubſtantiam; Auctio & Diminutio circa quantitatem; Alteratio circa qualitatem; Latio circa vbi.

In iure ſæpe ſæpius de his omnibus ſpeciebus motus, ſermo eſt.

De Generatione habetur Inſt. tit. de iure nat. gen. & ciu. quo loci Iuſtinianus teſtatur liberorum procreationem à natura originem trahere.

De Corruptione textus eſt in l. fi. C. communia de ſucc. Aut. itaque mortuo, quo loci ſi decedat quis ſine liberis, mortuo patre, relictis filijs conſanguineis, vterinis, & ex vtroque latere conjunctis, ſuccedunt connexi vtrinque in hæreditate ipſius.

De Auctione & Diminutione habetur in l. pecuniæ. §. hæreditas. ff. de verb. & rer. ſign. quo loci aſſeritur hæreditatem augmentum & decrementum ſuſcipere poſſe.

De Alteratione, & Commutatione ſecūdum qualitatem textus eſt in l. liberos. C. de liberali cauſa. ibi nanque deciditur, quòd ſi liber homo ſe ſeruum profiteatur, propterea non mutat ſtatus; commutatio ſtatus eo in loco alteratio eſt qualitatis.

De Mutatione ſecundum locum eſt textus manifeſtus in l. certa forma. C. de iu. fiſci. lib. 10. de ijs, qui iuſſu Principis in locum alium demigrarunt: & ſic patet in iure quoque conſiderari apud Iuriſconſ. omnes ſpecies motus, quarum diſtincta cognitio à Logico ſaltem petenda eſt.

De Habere. Caput Quintum.

INtentio Ariſtotelis in hoc Capite eſt oſtēdere multiplicitatem huius vocis Habere; propterea varia eius ſignificata in medium affert.

Cauſa ſuæ intentionis eſt, vt de ipſo habere, quod eſt prædi-B camentum ſpeciale, exactam cognitionem percipiamus.

Continuatur hoc Cap. cum præcedentibus, quòd cæteris expoſitis attinentibus ad euidentiorem cognitionem eorum, quę in prędicamētis tractantur, reliquum erat etiam ipſius habere distinctam notitiam tradere, ne ex ęquiuocatione decipiamur, & quia ipſum habere in prædicamentis vltimum locum obtinuit, hunc etiam in præſentia idem in calce huius partis poſuit.

Hoc caput diuiditur in duas partes: in prima C enumerat octo modos ipſius habere: in ſecunda ibi licet, *forte tamen, &c.* reſpondet cuidam tacitæ obiectioni. Dicit itaque.

Habere ſecundum plures modos dicitur, aut enim vt habitum & diſpoſitionem, aut aliam aliquam qualitatem; Dicimur enim diſciplinam aliquam, atque virtutem habere, aut vt D quantum, vt quando cōtingit aliquis habens magnitudinem. Dicitur enim tricubitam habere magnitudinē, vel quadricubitam: aut ea, quæ circa corpus ſunt, vt veſtimētum, vel tunicam; aut in parte, vt in manu annulum, aut vt partem, vt manum, vel pedem, aut vt in uaſe, ut modius grana tritici, aut E amphora uinum, uinum enim habere amphora dicitur, & modius grana tritici. Hæc enim omnia habere dicuntur, ut in uaſe, aut ut poſſeſſionem. Habere enim domum, & agrum dicimur. Dicitur autem & uir uxorem habere, & uxor uirum; ſed qui nūc dictus eſt modus, alieniſſimus eſt F eius, quod eſt habere; nihil enim aliud uxorem habere ſignificamur, quàm quòd cohabitant.

In hac prima parte enumerat Philoſophus modos, quibus habere capi ſolet; dicit nanque octo modis accipi.

Primo,

Primo, habere dicimus qualitatem, vt habitum, & diſpoſitionem, ſcilicet ſcientiam, virtutem, calorem, & huiuſmodi.

Secundo, habere dicimus quantitatem, vti tricubitam, vel quadricubitam magnitudinē, hoc eſt in menſura ſignificat tres, vel quatuor pedes.

Tertio, habere ſignificat circa corpus, vt calceos, veſtimentum, thoracem, & iſto modo proprie accipitur prædicamentum habere.

Quarto, habere dicimus tanquam in parte, vt in digito annulum.

Quinto, habere ſignificat partem, vt pedes, manum, & huiuſmodi.

Sexto, habere accipitur tanquam in vaſe, vt in modio triticum, in dolio vinum.

Septimo, habere dicimus poſſeſſionem, vt domum & agrum.

Octauo, quis dicitur habere vxorē, & virum vxor, verùm impropriè ſecundum Ariſtotelem, hunc nanque modum alieniſſimum exiſtimat; ſiquidem vir & vxor potius vnà, ſimulq; dicuntur cohabitare.

Sed contra dicta dubitatur, quia vnumquodque genus prædicamentorum debet eſſe vniuocum. At habere eſt genus vnum prædicamentorum; ergo debet eſſe vniuocum, quomodo Ariſtoteles dicit hoc in loco habere eſſe æquiuocum?

Simplicius reſpondet, quòd aliud eſt dici pluribus modis, aliud eſt ęquiuoce ſignificare: ſiquidem & qualitas dicitur multipliciter, nō tamen eſt genus ęquiuocum, vt vidimus in cap. de qualitate. Simili modo habere, etſi multipliciter dicatur, non tamen eſt æquiuocum; nam omnes modi, quos collegit tanquam ſub genere ipſius habendi ordinatur. Ariſtoteles itaque explicat quaſdam differentias ipſius habendi, tanquam generis.

Verùm hæc reſponſio mihi non videtur ſatis tuta, quoniam ſi habere eſſet vniuocum genus ad omnes modos traditos ab Ariſtotele hoc in loco, tunc aut dicendum eſſet eſſe aliud genus: diuerſum aut idem cum prædicamento habere, non diuerſum, quia vndecim darentur prædicamenta, quinimo duo prædicamēta habere; quorum vnum non poneretur ſub altero, cum ambo eſſent generaliſſima; ſi verò eſſet idem; tunc nō ſolum ad habentem habitum, vt veſtimentum, & arma, ſed etiam ad omnes hos modos eſſet cōmune & etiam alios, qui adinueniri poſſunt, quod minime eſt dicendum. Propterea cum Boetio melius arbitror reſponderi poſſe, quòd habere duobus modis conſiderari poteſt, vel pro tertio ſignificato, quatenus ſcilicet cauſatur ex habitudine extrinſecus circumdantis, & tali cōſideratione eſt vniuocum, & eſt prædicamentum habere, vel conſideratur vt pluribus dicitur modis, vt hoc in loco, & eſt æquiuocum, & ſic nulla redditur difficultas.

Forte tamen & alij quidam eius, quod eſt habere, apparebunt modi,

A ſed qui dici conſueuerunt, pene omnes enumerati ſunt.

Hæc eſt ſecunda pars, in qua Ariſtoteles reſpondet cuidam tacitæ obiectioni: poſſet enim quis dicere, quòd vltra modos enumeratos ab Ariſtotele, dentur alij habendi modi.

Ideo huic ſuperuenienti difficultati reſpondet, quòd etſi forte dentur alij habendi modi, ſecundum tamen præſentem intentionem ſunt iſti, qui ab ipſo ſunt enumerati. Hos nanque viri

B ſapientes conſueuere memorare, & ſi qui alij ſunt ad iſtos reduci valent.

Sciendum, quòd Ariſtoteles 5. Metaph. ſubtilius diſcutit modos habere, numerum tamen minuit ipſorum, ſiquidem quatuor tantum enumerat. Hic verò cum ad introductorios ſit ipſius ſermo, faciliori modo, & diffuſius de Habere pertractat.

Et hæc ſufficiant de Habere, & de Prædicamentis.

C

Super Capite Quinto de Habere pro Iuris Studioſis.

VT vidimus habere multipliciter dicitur, nempe octo modis.

Primo, tāquam qualitatem, vti habitum & diſpoſitionem.

Secundo, tanquam quantitatem, vt tricubitā, & quadricubitam magnitudinem.

Tertio, tanquam circa corpus, vt tunicam, &

D veſtimentum.

Quarto, tanquam in parte, vt in digito annulum.

Quinto, tanquam partem, vt pedem, manum, & huiuſmodi.

Sexto, tanquam in vaſe, vt in dolio vinum, in modio grana tritici.

Septimo, tanquam poſſeſſionem, vt domum, agrum, & ſimilia.

Octauo, tanquam vxorem, vt vir vxorem habet: verùm impropriè, potius enim dicuntur co-

E habitare ſimul.

Pariter in iure habere multipliciter dicitur, vti clare habetur in l. ſtipulatio iſta. §. habere. ff. de verb. oblig. quo loci, & qui eſt dominus rei, & qui non eſt dominus, ſi eam teneat penes ſe, tandem habere dicitur.

In iure habere dicimus qualitatem, cum gladij poteſtatem habemus. l. imperium. ff. de iuriſd. omn. iud.

Quantitatem in l. triticum. ff. de verb. oblig.

F quo loci ſi ſtipulati ſumus certam quantitatem tritici, eandem quantitatem habere decet.

Tanquam circa corpus, in l. itē apud. §. ſi quis. ff. de iniurijs. quo loci ſi non matronali habitu fœmina fuerit, & quis eam appellauerit, is non tenetur iniuriarum.

Tanquam in parte, in l. ædiles. ff. de ædilict. ædi. vbi iumenta habentia ornamenta, vti fro-

nium

num in maxillis, & ſella ſuper dorſum, quando venundantur, niſi ornamenta excipiantur, pariter dicuntur venundari, & debent dari emptori a venditore.

Habere ſignificat partem in l. ſi probatur. C. communi diuidundo, quo loci deciditur, quód partem, quam habet frater in bonis, obligare non valet.

Tanquam in vaſe, in l. ſi vina. ff. de periculo, & commodo rei venditæ, vbi ſi vina, quæ venditor habet in dolijs fuerint corrupta, antequam à venditore tollerentur, niſi venditor in venditione pollicitus fuerit vina duratura, periculum eſt emptoris.

Habere ſignificat poſſeſſionẽ, in l. filius quem. C. famil. herciſc. quo loci, ſi quis haberet tres filios, & in bonis pro ducatis tercentum, & vni eorum in peculium conceſſerit fundum valoris ducatorum triginta, ſi iſte deceſſerit filijs hæredibus inſtitutis, rogaueritq́; habentem fundum cohæredibus, & alijs aduenientibus aliqua conditione portionem ſuam reſtituere, perceptam ab eis decem, is cum conditio aduenerit, tene-

A tur reſtituere dictam ſuam portionem, ſed quartam obtinebit, nempe ducatos vigintiquinque pro quarta parte ducatorum centum, hunc in modum, Retinebit ducatos decem receptos a cohæredibus, nec non alios decem, ſibi pro tertia parte ſpectátes computabit in fundo, & pro integra ſumma eius, quod ſupererit, videlicet aliorum ducatorum quinque eundem fundum habebit, alijs in ducatis quinque pręſtitis cohæredibus pro reſiduo valoris ipſius fundi.

Similiter habere poſſeſſionem ſignificat in l.

B ſingularum. C. de ædificijs priuatis. vbi Curiales vrbium tenentur in eas domum habere.

Octauo, habere ſignificat tanquam vxorem, in l. eum qui. C. ad leg. Iul. de adult. vbi duas habens vxores, infamis reputatur.

Pariter vxor, & vir ſocij appellantur, in l. ex diuerſo. ff. ſolu. matr.

Alijs quoque modis habere accipitur in iure; verùm non eſt opus hic omnes modos recenſere; ſat ſit quód multipliciter dicitur.

Et hæc ſufficiant in gratiam Iuris ſtudioſis

C ſuper hoc Capite.

Finis Tractatus Secundi Prædicamentorum.

PETRI MARTAE
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
COMMENTARIA IN LIBRVM DE INTERPRETATIONE ARISTOTELIS
Ad vſum Iuris Ciuilis accommodata.
TRACTATVS TERTIVS.

EXPOSITVRVS Librum de Interpretatione Ariſtotelis conſuetum ordinem ſeruabo.; antequam enim ad textum exponẽdum accedam, prius ea Capita examinabo, quæ à nobis Prælectiones, à Græcis Prolegomena nuncupantur, admodum enim faciunt ad facilius intelligendum, quid in ſequẽti libro ſit explicandũ. Hunc inquam ordinem obſeruantes procedemus. A

Primo, Quod nam ſtatuendum ſit ſubiectum in hoc libro declarabimus. B

Secundo, Vtilitatem.

Tertio, An liber ſit legitimus.

Quarto, Inſcriptionem.

Quinto, Diuiſionem.

Sexto, Viam Doctrinæ.

Septimo, Ordinem.

Octauo, Nomen Auctoris.

Primo igitur loco agendum eſt de ſubiecto.

Breuiter omiſſis ſuperfluis, dico, quòd Boetius, & Ammonius conueniunt in hoc, quod ſubiectum huius libri ſit interpretatio: differunt verò in declaranda interpretatione. C

Boetius per interpretationem intelligit quãlibet vocem aptam ſignificare intellectus.

Ammonius per interpretationem ponit orationem ſimplicem enunciatiuam veri vel falſi, quam Prædicatiuam appellat.

A Dicit namque Ammonius orationem ſimplicem poſſe dupliciter conſiderari, vel vt ingreditur ſyllogiſmum, & dicitur propoſitio. Propoſitiones enim ab antiquis dicuntur, quaſi ab his proponãtur, qui ſyllogiſmo colloquẽte quidquã affirmare volunt, & de ea hunc in modum pertractatur in libro Priorum. Alio modo conſideratur quatenus in ſyllogiſmo & extra eſt enunciatiua veri, vel falſi, & enunciatio dicitur; & hoc modo in communi ſumpta enunciatio eſt ſubiectum in hoc libro ſecundum Ammonium.

B Iſta diſcordia de ſubiecto inter Boetium & Ammonium facile conciliatur; redduntur namque concordes, quoniam alter loquitur de ſubiecto communi, vti Boetius, alter de proprio, & principali, vti Ammonius.

Vnde ſciendum, quòd enunciatio, & interpretatio idem ſunt. Dicitur enim enunciatio, vt enunciat ſenſum animi: dicitur interpretatio quaſi quid ſentiat animus interpretetur: interpre-

C tatur namque intellectus animæ noſtræ.

Contra dicta dubitatur. Primo, quia ſubiectũ ſcientię debet eſſe vnum, & quid incomplexũ; ſed interpretatio, ſeu enunciatio eſt quoddam complexum; ergo non eſt in hoc libro ſubiectũ.

Secundo, de ſubiecto præſupponitur quid, & quia, ſed de interpretatione, ſeu enunciatione non præſupponitur quid, ſed declaratur; ergo interpretatio non eſt ſubiectum.

Tertio, ſubiectū debet verificari de eo, quod principaliter conſideratur in ſcientia, ſed nomen, & verbum hic principaliter conſideratur, & de ipſis non verificatur interpretatio, ſeu enūciatio, quia non dicitur nomen eſt enunciatio, pariter verbum eſt enunciatio; ergo enunciatio non eſt ſubiectum.

Quarto, oratio definitur ab Ariſtotele in hoc libro, & eſt genus enunciationis; ergo oratio erit ſubiectum adęquatum: illud enim eſt ſubiectum adæquatum, cuius paſſiones, principia, & ipſum conſiderantur in arte, ſed orationis in hoc libro conſiderantur partes, ſiue ſpecies, conſiderantur principia conſtituentia orationes, & etiam paſſiones; ergo oratio eſt hic ſubiectum.

Quinto Ariſtoteles proponens quid acturus ſit in hoc libro, dicit ſe acturum de nomine, verbo, affirmatione, negatione, enunciatione, & oratione, ergo plura erunt ſubiecta, & non vnum, quod videtur abſurdum.

Ad primum reſpondetur, quòd enūciatio pro prima notione eſt quid complexum, pro ſecunda notione eſt quid incomplexum, & hoc ſecundo modo eſt ſubiectum, & vnum.

Ad ſecundū reſpōdetur, quod de ſubiecto prę ſupponitur quid nominis; quæritur aūt quid rei.

Ad tertium reſpondetur, quòd ſubiectum de partibus ſubiectiuis prædicatur in recto; de principijs autem, & partibus conſtitutiuis prædicatur & verificatur in obliquo; & hoc ſecundo modo ſe habent nomina, & verba. Verbum etenim, & nomen, dato quòd non ſint enunciatio, ſunt tamen aliquid enunciationis.

Ad quartum negatur minor, quoniam Ariſtoteles non tractat hic omnes ſpecies enunciationis, cum dicit, *Deprecatiua, & cæterę relinquantur cum ſpectent ad Rhetores, & Poetas.* Quòd ſi quiſpiam dixerit, Ariſtoteles tractat orationem maxime ratione enunciationis, tunc habeo intentum, quod enunciatio eſt ſubiectum; ſed adhuc inſtabit quis, Ariſtoteles nō tractat orationē Hypotheticā in hoc libro, & tamen ſub definitione enunciationis ipſam cōprehendit; ergo enunciatio nō erit per ſe ſubiectum adæquatū & totale.

Reſpondeo, quod comprehendit Ariſtoteles Hypotheticam ſub enunciatione, & quāuis non proſequatur cōplectum ſermonē de ea, tamē ex ſermone de Categorica; colligitur ſermo etiam de Hypothetica, quia Hypothetica nō eſt enunciatiua veri vel falſi, niſi ratione Categoricæ.

Ad quintum reſpondetur, quod Ariſtoteles enunciationem intelligit eſſe ſubiectum; orationem vero vt genus ſubiecti, nomen & verbum vt partes ſimplices ſubiecti, affirmationem, & negationem vt partes ſubſtantiæ, ſiue vt ſpecies enunciationis. Eſt ergo hic vnum conſideratum ſubiectum.

Secundo loco occurrit vtilitas huius libri, quę ſecundum Græcos maxima eſt. Cum enim finis, qui tanto opere mouet Ariſtotelem in toto hoc organo, ſit demonſtratio, vt eius medio addiſcere poſſimus, ſcientias ſpeculatiuas, quas ipſe tra-

A diturus eſt: demonſtratio nāque eſt ſyllogiſmus qui parit ſcientiam in nobis, iſte liber eſt ad demonſtrationem vtilis; quoniam demonſtratio eſt ſyllogiſmus, & ſyllogiſmus cognoſcitur ex cognitione propoſitionum, & propoſitio cognoſcitur ex hoc libro.

Ex qua determinatione primo colligitur, quòd vtilitas quandoque capitur pro neceſſitate, quoniam cognitio propoſitionis ad ſyllogiſmum eſt ſumme neceſſaria, & tamē hanc neceſſitatem nomine vtilitatis appellant Greci.

B Secundo colligitur quod ſermo, qui fit in hoc libro, eſt de propoſitionibus, vt patet ex modo loquendi Græcorum.

Addo, quòd vtilis eſt toti ſyllogiſmo demonſtratiuo Topico, & Sophiſtico, & adhuc vtilis eſt, quia docet regulas enūciandi verum, vel falſum. Demonſtratio autem eſt inſtrumentum diſcernendi verū a falſo, vt dicit Ioannes Grammaticus 1. Poſter. & Logicus ſine dubio circa verum, vel falſum verſatur.

Præterea cum vtilis eſt toti Logicæ, & tota C Logica, dicit Ammonius, ſit vtilis ad totam Philoſophiam, ſequitur, quòd hic liber erit vtilis toti Philoſophiæ, & verum dicit. Ex quo elicio, quòd ſumit vtile pro neceſſario; tota nanque Logica eſt neceſſaria ſimpliciter Philoſophiæ.

Quòd autem liber iſte ſit legitimus Ariſtotelis locutio ipſa, ſumma breuitas, copia ſententiarum, auctoritas expoſitorum omniū, qui ipſum interpretati ſunt, erunt nobis apertiſſimum teſtimonium, vt credamus hunc librum eſſe Ariſtotelis; vnus tamen fuit (referentibus Græcis) qui D negauit hunc librum eſſe Ariſtotelis, & hic fuit Andronicus Rhodius, qui fuit ab Ariſtotele vndecimus, & motus fuit hac ratione, quia Ariſtoteles in principio huius libri, conceptus animi appellat affectus, & paſſiones animę, & teſtatur, quod de hac re fuit diſputatum ab eo in libris de anima; at dicit Andronicus non apparet locus in libris de anima, in quo hos mentis conceptus Ariſtoteles appellet paſſiones. Quare alterum dicendum eſt, quòd vel hic liber, vel ille de E anima non ſit Ariſtotelis; ſed melius eſt dicere, ait iſte vir, quòd liber de anima ſit Ariſtotelis, quia dignus eſt Ariſtotele, quā hic liber, qui reijciendus eſt, tanquam non ſit Ariſtotelis.

Poteſt addi alia ratio, quia ſi Ariſtoteles confeciſſet hunc librum ante librum de ſyllogiſmo, egiſſet etiam de propoſitione Hypothetica; ſed hoc non fecit; ergo non eſt Ariſtotelis.

Ammonius multa dicit reſpondēs argumento Andronici, ego tamen reſolute dico, quòd Ariſtoteles in libro de anima appellat cōceptus F mentis etiā paſſiones, præſertim in 3. de anima, vbi dicit, quòd intellectio eſt paſſio.

Præterea Ariſtoteles non dicit ſolum dictum eſt de his in libris de anima propter conceptus, ſed etiam propter voces; nam vult dicere agere de voce, quid ſit, & quomodo fiat, hoc ad ſecundum librū de anima pertinet ſimiliter, quòd cōceptus, ſeu ſimilitudines rerum attinēt ad tertiū

de ani-

de anima,vt ibi patet. Ad aliud patebit in quęſi- A
to proprio,& pro nunc dico, quod cōprehendit
Ariſtoteles Hypotheticas ſub enunciatione.

Quartum caput erat inſcriptio,quæ ex ſubie-
ēto redditur manifeſta; nam inſcribūtur libri de
anima ab Ariſtotele , quoniam in ipſis agitur de
anima,& anima eſt ſubiectum illorum . Item in-
ſcribūtur libri de cœlo,quoniam cœlum eſt ſub-
iectum in illis libris , ſic ſe habet de inſcriptione
huius libri , nanque cum ſubiectum ſit interpre-
tatio,inſcriptio eſt talis Ariſtotelis Stagiritę Pe-
rierum liber , ſiue de interpretatione : nam per B
hanc vocem,Perierum,Ariſtoteles intelligit in-
terpretationem,quæ ſecundum Ammoniū defi
nitur,quòd eſt oratio,quæ aut veritatē,aut falſi-
tatem enūciat:quia enim verū,aut falſum inter-
pretatur hæc oratio , idcirco interpretatio dicta
eſt,vt ſi dixero hominem eſſe animal,hæc inter-
pretatio erit vera,quoniā interpretatur verū,fal
ſum verò vt lapis ſit animal: ſecundū verò Boe-
tium longe latius definitur, nempe eſſe omnem
vocem aptā poſſe nobis intellectus ſignificare,
vt nomen,verbum,orationem, & propoſitionē, C
quæ ſignificant verum, vel falſum.

Poſſumus conciliare Boetium, & Ammoniū,
ſicut fecimus de ſubiecto,quòd interpretatio po
teſt dupliciter conſiderari,communiter, & par-
ticulariter. Si accipiatur interpretatio commu-
niter,& latius,tunc ſignificat omnē uocem,quæ
poteſt intellectus ſignificare:ſi autem particula-
riter,ſignificat ſolummodo enunciationem,quę
dicit verum,& falſum.

Quinto loco dicēdum eſt de diuiſione. Expo-
ſitores Latini ſTractatum iſtum in duas partes D
diuidunt,ideſt in duos libros,& volunt,quòd in
primo libro Perierum agatur de interpretatio-
ne ad conſtituendas propoſitiones; in ſecundo
libro ad multiplicandas ipſas propoſitiones.

Græci autem capiunt hunc librum tanquam
vnicum,& ipſum in quinque ſectiones diuidūt:
Verùm dubitant aliqui, quòd quinta ſectiò
non ſit Ariſtotelis,ſed ab aliquo curioſo addita.

Alij diuidunt librum hūc in duas partes prin-
cipales,in Proœmium,& Tractatum : Tractatus E
diuiditur in partem de principijs enūciationis,
ſcilicet de nomine ,verbo,& oratione, & in par-
tem,quæ de enunciatione agit. Hæc pars enun-
ciationis habet duas partes : in prima pertractat
enunciationes ſine modo confectas: in ſecunda
pertractat enunciationes cum modo.

Quo attinet ad ſextum caput modus docen-
di , quo vtitur Ariſtoteles in hoc tractatu,eſt to-
picus,non demonſtratiuus,ſcilicet exemplo,en-
thimemate diuiſione , & quid nominis declara-
tione. In prima nanque ſectione agit de litteris, F
vocibus,conceptibus,& rebus , docens ad quem
vſum inuentæ ſint literæ . Quare uoces homi-
num,gratia cuius conceptus, & quomodo res ſe
habeant . In eadem ſectione declarat quid no-
mē,quid verbū,paulò poſt ſubiungit , quòd ora-
tio alia eſt indicatiua , alia non indicatiua ; alia
affirmat,alia negat:inſuper orationem enuncia-
tiuam,aliam veram,aliam falſam. Rurſus oratio
aut vna,aut plures; alia ſimplex,alia compoſita.
In ſecunda lectione diſſerit de ſubiectis, & præ-
dicatis, docens , quòd oratio conflatur ex ſubie-
ctis,& prædicatis. Docet quoquomodo diuidan-
tur propoſitiones, quòd ſcilicet aliæ ſunt cōtra-
riæ,aliæ contradictoriæ;aliæ ſunt veræ, alię fal-
ſæ; quæ ſit propoſitio vna, quæ multiplex . Rur-
ſus diuiditur hoc ſectum ſecūdum in materiam
neceſſariam,contingentem,poſſibilē,& impoſſi
bilem . His peractis tradit diuiſionem termino-
rum,quod terminorum alij ſunt finiti,alij infini
ti. In tertio ſecto docet multiplicare propoſitio-
nes de ſecundo,& tertio adiacente , & determi-
natę,& indeterminatę. Demum docet propoſi-
tiones alias eſſe de ſenſu diuiſo,alias de ſenſu cō-
poſito , & quomodo poſſimus alteram ab altera
diſtinguere. In quarta & vltima ſectione agit de
propoſitionibus modalibus , & quomodo fiant
in quadruplici materia,ſcilicet neceſſaria , con-
tingenti,poſſibili,& impoſſibili.

Septimo loco videndum eſt quis ſit ordo hu-
ius libri. Fuerunt aliqui,qui voluerunt,vt iſte li-
ber dicatur eſſe principium organi , qui expulſe-
runt librum Prædicamentorum è numero par-
tium Logicæ , ut Balduinus & Mirandulanus.
Opinionem autem iſtorum , qui dicebāt librum
Prædicamentorum non eſſe Logicum , ſed rea-
lem,& Metaphyſicū,aliàs confutaui,quare ſuffi
cit illa confutatio.

Propterea dicamus,quòd iſte liber Perierùm
eſt ſecundus, vel tertius;erit tertius ſi connume-
remus libros tā vtiles quam neceſſarios,accipiē-
do in numero partium Logicę libellum Porphy
rij,qui non neceſſarius eſt ſimpliciter,ſed tātum
utilis,erit liber iſte ſecundus, ſi ipſum compare-
mus cum neceſſarijs dumtaxat ; nam primus eſt
liber Prædicamentorū,hic autem ſecundus; ſed
ſicut liber iſte conſequitur librum Prædicamen-
torū, ſic antecedit librum Priorū, Poſteriorum,
Topicorum,& Elench.:quare ſeruetur iſte ordo.

Latini afferunt cauſam,& dicunt,quoniā tres
ſunt operationes animæ; prima eſt ſimplicium
apprehenſio,qua cognoſcimus terminos:ſecun-
da,quæ eſt compoſitio, & diuiſio , quæ affirmat
& negat : tertia ratiocinatio , de prima animæ
operatione,quæ eſt terminorum , & ſimplicium
vocum cognitio egit in libro prędicamentorū,
de ſecūda,quę eſt propoſitio affirmatiua,uel ne-
gatiua agit hoc in libro:de tertia, ideſt de ratio-
cinatione tractat in reliquis quatuor libris Prio-
rum,ſcilicet Poſter. Topic.& Elench.

Græci aliam rationem tradunt, nempe , quia
oratio ſimplex,quę hic traditur,mediat inter vo
ces ſimplices , de quibus agitur in prædicamen-
tis , quæ conſtituunt orationem ſimplicem , &
inter orationes compoſitas , puta ſyllogiſmos ;
qui ex his componuntur, de quibus in ſequenti-
bus libris agitur ; unde tota eorum ratio conſi-
ſtit in hoc, quia ſimplicia prędedunt compoſita,
ſed ſimplices voces,de quibus agitur in libro Prę
dicamentorū ſunt ſimpliciores orationibus ſim-

plicibus,de quibus in hoc libro, & ex illis enunciationes,& propoſitiones componuntur, & ex his ſyllogiſmus,de quo in ſequentibus libris:iure itaque merito liber Prędicamẽtorum pręcedit librum Perierum,& liber iſte,liber Priorum, Poſteriorum,Topicorum,& Elenchorum.

Quo ad octauum cap. ex inſcriptione reditur manifeſtum nomen Auctoris. In ea nanque tria dicuntur,Subiectum, Nomen Auctoris, & Nomen Patriæ; cum enim inſcribatur, *Ariſtotelis Stagiritæ Perierum liber.* Nomen libri eſt Perierum,nomen Patriæ Stagiritæ, nomen Auctoris eſt Ariſtoteles Philoſophorum,& præcipue Peripateticorum Princeps, & ſic habemus breuiter ea cap.propoſita declarata. Sequitur textus.

De notis, & vt in intellectu, ita & in voce verum, & falſum reperiri.
Caput Primum.

IN expoſitione verborum Ariſtotelis non diſcedam ab aſſueto ordine.

Primo enim Auctoris intentio manifeſtabitur.

Secundo, Cauſa illius intentionis.

Tertio, Vtilitas rei intentæ, ſed non ſemper.

Quarto, Quomodo vna pars alteri cõtinuetur.

Quinto, Diuiſio textus.

Sexto, Notanda.

Septimo, Dubitationes.

Intẽtio Ariſtotelis in principio huius ſectionis eſt,procemium conſcribere, in quo more ſolito,omiſſis exornationibus, quibus vti conſueuere Oratores in ſuis exordijs,memor dictorum ab eo 1.Rhet.dumtaxat proponit ea, quę in hoc ſecto pertractaturus eſt, videlicet quid nomen, quid verbum, quid negatio, quid affirmatio, quid enunciatio,& oratio.

Cauſa huiuſcemodi intentionis eſt, quoniam traditurus doctrinam demonſtrationis, quæ eſt ſyllogiſmus conſtans ex propoſitionibus,quæ & enunciationes, & orationes ſecundum diuerſas conſiderationes vocantur, quæ inſuper ſunt vel affirmatiuæ,vel negatiuę;quarum partes conſtitutiuæ ſunt nomen & verbum:propterea de his pertractare pro diſtincta demonſtrationis cognitione neceſſe erat.

Continuatur liber iſte cum præcedenti hunc in modum,quòd cum Philoſophus in ſupra proximo Prædicamentorum libro perquiſierit voces ſimplices nõ in eo, quod ſecundum aliquam proprietatem, figuramq; formantur, ſed in eo, quod ſignificantes ſunt rerũ, quibus inditæ ſunt cõceptibus mediantibus, in præſentia de his intendit agere,prout caſibus, & temporibus flecti & diſtribui poſſunt, quomodo valẽt propoſitionem,quæ ſyllogiſmo inſeruit cõſtituere. Huiuſmodi namque voces ſi articulis coniunctæ ſunt, hæc tempus ad ſignificantes nomina vocantur:

A ſi verò articulis non connectuntur,& ſecundum tempus dicuntur,verba nuncupantur.

Quæ nomina & verba inuicẽ ſeiuncta neque affirmare,neque negare poſſũt, ſimul vero iũcta prout enunciationem,ſeu orationẽ conſtituunt, & affirmationẽ, & negationẽ ualent ſignificare.

Diuiditur hoc ſectum in tres partes. In prima proponit Ariſtoteles quid tractaturus ſit in hoc ſecto. In ſecũda quærit proportionem inter hæc quatuor,Literas,Voces, Conceptus, & Res. In tertia de propoſitis diſtinctè pertractat. Dicit
B itaque in prima parte.

Primum oportet ponere quid ſit nomen,& quid verbum; poſtea quid eſt negatio, & affirmatio, & enunciatio,& oratio.

In hac prima parte Ariſtoteles ponit Procemiũ,in quo proponit ea,de quibus intẽdit agere Et dicit *Primum*,quòd denotat ordinem,ut dicit Ariſtoteles 1.diuinæ Philoſophiæ, quòd ubi
C eſt prius & poſterius,ibi eſt ordo.

Vnde notandum,quod *Primum* interdum denotat ordinem temporis, interdũ perfectionis, ut in domo primum tempore ſunt fundamenta, non autem perfectione, quoniam finis eſt prior perfectione,ideſt tectum ipſum. Hoc in loco primum denotat ordinem temporis, & ſecundum generationem, quem ordinem uult Ariſtoteles ſeruare hòc in loco:nulla enim pars orationis eſt imperfectior nomine, & qui uult de oratione ſimplici enunciatiua tractare, debet inchoare à
D partibus eius. Hinc dicit, *Oportet ponere*, ideſt definire:ponere enim,ſupponere,conſtituere, definire, quoquomodo idem ſunt,ut habetur 1. Poſter.tex.com.24. *Quid ſit nomen, & quid verbum.*

Ordo iſte compoſitiuus eſt,qui ut alibi docui, fit quãdo procedimus à ſimplicibus,& imperfectioribus. Enumerat igitur Ariſtoteles ſimpliciſſimas uoces nomen,& uerbum, quæ primo loco ueniunt tractanda; non autem accepit cæteras partes orationis, quę a Grammatico conſiderantur,quoniam hæc reliqua non ſunt neceſſaria,ut
E Participium, Pronomen, Aduerbium, & huiuſmodi, ſed contentus fuit his duobus, ex quibus conſtat oratio veri uel falſi indicatiua.

Notandũ,quod poſuit prius nomen,quoniam prius tempore eſt materia,quam forma,prius eſt lignum,quod eſt materia,quam ſcamnum,quod eſt forma. Quòd autem nomen ſit veluti materia, uerbum autem ueluti forma, uidebimus in Cap. de Oratione. Sequitur. *Poſtea quid eſt negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio.*

F Sic in illa parte Ariſtoteles breuiter perſtringit quicquid tractaturus eſt in primo hoc libro. Cum enim docere intendat orationem ſimplicem enunciatiuam, quæ aut affirmatiua, aut negatiua eſt: propterea de affirmatione & negatione docere pollicetur, quę cum contineantur ſub enunciatione, quæ & ipſa ſpecies orationis exiſtit, idcirco & de enunciatio-

ne

ne, & oratione quoque vult pertractare.

Sed hoc in loco oritur quæſtio de ordine, quem ſcilicet ordinem ſeruet Ariſtoteles in hoc procœmio.

Dictum eſt enim ſeruare ordinem temporis, ordinem generationis, cum ſupra nomē uerbo, & reliquis prætulerit uerùm uidetur hic totum oppoſitum ſeruare, quando prius enumerat negationem, poſtea affirmationem; nã negatio eſt magis compoſita, quàm ſit affirmatio; ideo affirmatio uidetur prior generatione, negatione.

Porphyrius ad hanc quæſtionem reſpondet, quòd affirmatio, & negatio poſſunt dupliciter cõſiderari, uel in ratione perfectionis, & hoc modo cũ negatio ſit magis compoſita deberet pręcedere affirmationem, uel ſecundum quod participãt de natura ſui generis; & tũc quia ſpecies ſunt, & ſimul natura, nihil prohibet, quòd altera illarum uel præponatur, uel poſtponatur.

Vnde hic uidendum eſſet, nunquid affirmatio & negatio ſint ſpecies orationis, ut dubitant Expoſitores; uerùm mihi uidetur hanc difficultatẽ non fore examinãdã in initio huius libri, cũ addiſcentes nõdũ ſint exercitati in hoc libro; ideo magis propriè diſputabitur hæc quęſtio in Cap. de oratione; propterea omiſſa hac reſponſione,

Eſt ſecunda ſolutio Diui Thomæ (referente Clariſſimo Balduino hoc in loco) quòd quia Ariſtoteles cœpit a partibus numerare; ideo nunc procedit à partibus ad totum. Negatio enim diuiſionem continet, affirmatio vero in compoſitione eſt poſita. Hic negatio affirmationi pręfertur, quia magis ad partem accedit, compoſitio autem ad totum.

Hanc ſolutionẽ damnat idem Balduinus hoc in loco, quoniam negatio eſt quid magis compoſitum, quam affirmatio, ut ſi dixero, cœlum mouetur, hęc eſt affirmatio; ſi autem dixero cœlum non mouetur, hæc eſt negatio, quæ eſt magis cõpoſita, quoniam addo illam particulam, *non*, quę non ponitur in affirmatione.

Addere poſſumus, quod cum affirmatio dicat habitum, negatio uerò priuationem; propterea affirmatio eſt prior tempore, & generatione ipſa negatione: ſiquidem impoſſibile eſt priuationem eſſe, quin præceſſerit habitus.

In hac quęſtione, poſthabito, quòd dicit ultra nominatos etiam Ammonius nẽpe affirmationem eſſe negatione perfectiorem, uti eſſentiã ſignificãtẽ, cuius priuationẽ indicat ipſa negatio.

Ego dico, quòd facilime poſſumus cognoſcere quem ordinem ſeruet Philoſophus, & hinc videre eſt, maximum artificium Ariſtotelis.

Seruat enim duos ordines; primum ab imperfectioribus ad perfecta, cum dicit prius nomen, quàm verbum, quoniam nomẽ eſt imperfectius verbo, & præcedit tempore.

Deinde interponit illam particulam, *poſtea*, vt demonſtrat alium ordinem inſinuare; nam cum dicit, *poſtea quid ſit negatio, quid affirmatio*, ſeruat aliũ ordinem ab inferioribus ad ſuperiora, hoc eſt à compoſitis ad ſimplicia, vt ſi dicerẽ, homo

A animal rationale, corpus, &c. hic eſſet ordo à cõpoſitis ad ſimplicia.

Cum itaque Ariſtoteles dixit, quid nomen & verbum vtitur ordine ab imperfectis ad perfectã: cum autem dicit, *negatio, & affirmatio*, vtitur ordine a compoſitis ad ſimplicia.

Quod præcipue mirabiliter fecit, vt oſtẽderet ſe alio ordine de his pertractaturus, ac propoſuerit; cum enim hic poſt nomen, & verbum de negatione, poſtea de affirmatione, deinde de annũciatione, vltimo loco de oratione agere pollicea- B tur: attamẽ in tractatu, declarata definitione nominis & verbi. Primo orationẽ, deinde enunciationem, tertio affirmationẽ, poſtremo negationẽ determinauit, quam in præſentibus poſt propoſitionem nominis, & verbi primam locauerat quapropter, vt oſtenderet ſe ordinem conuerſum ſeruaturum negationem affirmationi præpoſuit. Sequitur textus.

Sunt ergo ea, quæ ſunt in voce ca- C rũ, quæ ſunt in anima paſſionũ notæ, & ea quæ ſcribuntur, eorum, quę ſunt in voce, & quemadmodum nec literę omnibus eædem, ſic nec eædem voces: quarum tamen hæc primum notę ſunt, eædem omnibus paſſiones animæ ſunt; & quarum hę ſimilitudines, res etiam eædem. De his verò di- D ctum eſt in ijs, quæ ſunt de anima, alterius enim hæc ſunt negotij.

Hic incipit ſecũda pars huius ſectionis in qua Ariſtoteles aggreditur intentum ſuum, quod eſt adinuenire proportionẽ inter hæc quatuor, Literas, Voces, Conceptus, & Res. Vnde quæri ſolet hoc in loco, cur cum Ariſtoteles propoſuerit agere de nomine, & verbo, & reliquis, nõ ſtatim poſt procœmium proſequitur eorum tractationem, ſed interponit agere de his quatuor.

E Omnibus omiſſis, quæ ab interpretibus Ariſtotelis ingenioſe afferuntur, ſuper hac quæſtione, ſentio breuiter dicendum, quòd tractaturus Philoſophus de interpretatione, quę valet veritatẽ, & falſitatem enunciare, ac de eius partibus, & ſpeciebus, voluit præaccipere ea, quæ ad eorum cognitionem conducere videntur. Hæc autem ſunt voces, conceptus, & res: veritas namque, & falſitas in his tribus adinueniri contingit, vt innuere videtur in prędicamentis cap. de ſubſtantia; coniunxit verò literas, eo quoniam voces F etiam characteribus exprimi poſſunt.

Verùm quia hæc nõ valemus diſtinctè cognoſcere, niſi per eorum conuenientias, & diſcrepãtias; propterea docet de illis, in quo conueniant, & in quo differant; conueniunt in hoc, quòd vna eſt alterius nota; ſiquidem literæ ſunt ſigna, & notæ vocum, voces ſigna, & notæ conceptuum, conceptus imagines, & ſimilitudines

rerum. Differunt autem, quoniam literæ & voces ſunt ad placitum conceptus, & res ſunt naturales. Conueniunt inſuper voces adinuicem, & conceptus ſimiliter; nam vox eſt duplex, ſimplex, & complexa. Simplex non ſignificat neque veritatem, neque falſitatem. Complexa ſignificat veritatem, & falſitatem. Idem dicendum de conceptu. Conceptus duplex, ſimplex, & complexus: ſimplex nõ indicat neque verum neque falſum: complexus eſt veritatis & falſitatis indicatiuus.

Hæc omnia Ariſtoteles præaccipere intẽdit, quoniam is cognitis facilius intelliguntur ea, quæ propoſuit declarare, nempe nomen, verbum, negationem, affirmationem, enunciationem, & orationem. Vnde mirabilem ordinem Ariſtotelis licet excogitare. Dicit namque, quòd literæ ſunt notæ, & ſigna vocum; nã quandocumque incipimus addiſcere ſcribendi artẽ, ſtatim intellectus noſter ordinat characteres illos ad ſignificandũ aliquid: ſi aliquis enim ſcriptoriam artem profiteretur, & eius characteres nihil ſignificarẽt, prorſus diceretur inanis; quoniam ille, qui ſcribit, opus eſt vt vtatur characteribus, qui aliquid ſignificent. Literæ igitur, ideſt characteres illi deſcripti ſignificant ſtatim vocem; nã deſcribatur in pagina homo, erit litera, & ſtatim ſignificabit hominẽ, qui voce ꝓfertur. Homo autẽ voce prolatus denotat naturã humanam. Vox ergo ſignificat cõceptũ; conceptus autem eſt imago, & ſimilitudo rei extra intellectũ. Res eſt fundamentũ, ex quo naſcũtur cõceptus, ex cõceptibus naſcũtur voces, ex vocibus literę; iſta quatuor ita ſe habent, vt duo ſignificent naturaliter, duo ad placitum. Conceptus & res ſignificant naturaliter, quod probatur hoc argumẽto, omne quod idem ſignificat, apud omnes naturaliter ſignificat, ſed res & conceptus idem ſignificant apud omnes nationes, ergo res & cõceptus naturaliter ſignificant, maior eſt nota, cũ enim natura vna ſit vniuerſi, in cunctis vniformis, eſt & ſimilis. Minor probatur exẽplo, nam ſit hæc res ignis, ignis ſignificabit ſuper idem apud omnes Græcos, & Gallos, & Hiſpanos, & Italos, atque alias nationes. Item ille conceptus ignis, quòd ignis ſit, eſt idem formatũ a Gręcis, Gallis, Hiſpanis, Italis, atque alijs nationibus; res enim & conceptus non variantur diuerſitate idiomatum, ſed ſemper remanent idem; & iſta eſt cauſa, quòd hæc duo dicantur eſſe naturaliter. Reliqua duo, ſcilicet literæ & voces, quoniam variantur hominum arbitrio, & voluntate, dicuntur eſſe ad placitum, loquor de vocibus articulatis, ad differentiam vocum brutorũ, vt leonis, equi, & huiuſmodi animaliũ, quę inarticulatæ ſunt; ſed voces articulatæ variantur hominum arbitrio, et ideo ſignificãt ad placitum.

Modo verba ſunt ponderanda: ſunt enim admodum difficilia, ſenſus eorum eſt: *Ea quæ ſunt in voce*, ideſt non nomina & verba quatenus voces ſunt, *ſunt notæ, & ſigna earum, quę ſunt in anima paſſionum*, ideſt conceptuũ; conceptus enim vo-

A cantur paſſiones animæ (quicquid fingat Andro
nicus Græcus ille, qui negat in lib. de anima Ari
ſtotelem agere de paſſione) quod tamen Ammo
nius contra illum multis rationibus confirmat.
Sunt igitur literæ vocum notæ, & ſymbola: vo-
ces autem cõceptuum, in anima ſcilicet intelle-
ctiua, non ſenſitiua; conceptus autem ſunt ima-
gines, & ſimilitudines rei. *Et ea quæ ſcribũtur.* Vo
luit Alexander hoc eſſe inductiuum præceden-
tis ſententiæ, per modum tamen ſimilitudinis,
vt ſit ſenſus, ita ea quæ ſunt in voce, ſunt ſigna
B paſſionũ animæ, ſicuti literæ ſunt ſigna vocum.
Alij dicunt, quòd non eſt ſimilitudo, ſed ita
procedit, vt ſignificationem ordinis compleat,
quoniã dixit, quòd nomina & verba ſunt notę
paſſionum; deinde dicit, quòd ſcripturæ ſunt no
tæ nominum, vtraque expoſitio ſtare poteſt. *Et
quemadmodum nec literæ omnibus eædem*: quoniam
quatuor fuerunt enumerata, Scripturæ, Voces,
Paſſiones, & Res: ideo Ariſtoteles intendit hic
ponere diſcrimen inter iſta quatuor, & eſt tale;
quoniam voces, & ſcripturæ, vt dictum eſt, ſigni
C ficant ad placitum; reliqua vero duo naturali-
ter, vt ſuperius probatum fuit. Et ſi quis diceret,
quòd riſus, gemitus voces ſint apud omnes eę-
dem; ergo non ſignificant ad placitum.
Reſpondetur, quòd non loquitur hic Ariſto-
teles de quibuſcumque vocibus, ſed de ſignifi-
catiuis tantum ex hominum inſtitutione. *Quarum tamen hæc primum notæ ſunt, eædem omnibus
paſſiones animæ ſunt, & quarum hæ ſimilitudines,
res etiam eædem.* Senſus eſt, conceptus, & res ſigni
ficant naturaliter, & ſunt eędem apud omnes na
D tiones; quarum paſſionum animę, & conceptuũ
voces ſunt notę, & ſigna *quarũ*, ideſt paſſionum,
& conceptuum animi. *Hæc*, ideſt voces ſunt no-
tæ, & quarum rerum cõceptus & paſſiones ſunt
ſimilitudines, quarum videlicet rerum, *hæ*, ideſt
paſſiones, & conceptus ſunt ſimilitudines.
Notandum, quòd Ariſtoteles ideo dicit *Pri-
mum* in textu, quoniam voces licet ſignificent
res ipſas, non tamen æque primo cum paſſioni-
bus ipſis.
Contra dicta dubitatur. Primò, quoniam ne-
E dum voces, verùm etiã literæ ſignificant conce
ptus; ergo male Ariſtoteles dicit ſolas voces cõ
ceptus indicare.
Reſpondetur, quòd literæ ſignificant conce-
ptum remote, quoniam inter charecteres illos,
& conceptus eſt diſtantia, quia voces ſunt me-
diæ, quę ſtatim conceptũ ſignificant. Literę igi-
tur ſignificãt quidẽ paſſiones animę, ſed remote;
at voces ſtatim, & immediate ſignificant conce
ptum: propterea Ariſtoteles aſſerit ſolum de vo
F cibus, quòd ſunt conceptuum notę, vti proxime
ſignificantes.
Secundo quærit Ammonius, cur dicit Ari-
ſtoteles, cõceptus eſſe ſimilitudines rerum, non
autem notæ, & ſigna, vt de alijs dixit.
Solutio huius difficultatis elicitur ab eo, vi-
delicet quòd nota & ſignum variãtur ad libitũ
& voluntatẽ hominum, prout videre eſt in bel-

latoribus,

latoribus,quibus pro ſigno conſtitui poteſt,clangor tubę,haſtę elatio,emiſſio ſagittę,& alia quàplurima cõſimilia: at ſimulacrũ non poteſt rectè variari ad arbitrium hominis, ſed neceſſario naturam rei repræſentare debet, vt ſi quis formare voluerit Socratis ſimulacrum,erit eidem neceſſe in tabella omnino & caluiciem,& ſimitatem, & cætera Socratis accidentia deſſignare: quapropter cum nota, & ſignũ varietur ad hominis libitum, hinc literis & vocibus quatenus ad placitum,pariter & diuerſis idiomatibus, & characteribus variantur,eam adaptauit. Quia uerò ſimulacrum naturam rei repræſentare debet, & non ad placitum fingi cõuenit; propterea conceptibus, quæ pariter ad hominis volũtatem non variantur,idem appoſuit.

Hinc notatur, quòd illi, qui voluerunt,quòd res venirent in intellectum noſtrum ſecundum primam eſſentiã, quos etiam reprehẽdit Philoſophus 3. de anima,male ſentiunt,quoniã quando res venit in animũ, & intellectum noſtrum, non venit eius realis eſſentia, ſed venit ſimulacrum, & ſimilitudo rei formata de phantaſmate. Qua ratione hoc loco dicit Ariſtoteles conceptum eſſe rei ſimilitudinem.

Tertio dubitatur contra id, quod dictum eſt, vocem primum paſſionem,quàm rem ſignificare; videtur enim contrarium, quòd primo vox ſignificet rem,quàm paſſionem animi.

Et probatur, Ordo ſignificationum eſt iuxta ordinem conceptuum; ſed res prius intelligitur, quàm eius paſſio; ergo prius etiam voce ſignificatur.

Sueſſanus reſpondet, quòd voces primum ſignificant paſſiones primitate ordinis; ſignificãt vero res primitate apprehenſionis; & vere res quoque à vocibus ſignificantur,non tamen proxime, ſed interiacentibus ſignificantibus conceptibus; at conceptus non alijs inter ſeſe inſerentibus, ſed primum, ac proxime commorantur.

Quarto quæritur,cur dixit Ariſtoteles, *Sunt ergo ea,quæ ſunt in voce*, & non dixerit voces, & rurſus, *& ea quæ ſcribuntur*, & non dixerit literæ.

Reſpõdetur cum Ammonio,& Boetio, quòd huiuſcemodi loquendi modo viſus fuit Philoſophus; quoniam cũ eius intentio ſit agere de nomine,& verbo,quæ præcipue ſunt orationis partes, & nomen, & verbum, ſicut & oratio ſint in triplici differentia, nempe & in voce, & in literis, & in mente, vult nunc Ariſtoteles diſtinctè declarare de quo nomine & verbo pertractet, de his ſcilicet, quæ vocibus proferuntur: propterea dicit, *ea quæ ſunt in voce*, hoc eſt nomina & verba, quę vocibus proferuntur, cõceptus denotant, *& ea quæ ſunt in literis*, hoc eſt nomina & verba, quæ literis ſcribuntur, ſignificant nomina, & verba prolata vocibus.

Et quoniam vox eſt quid commune ad nomen & verbum, ſiquidem datur vox, quæ nihil ſignificat, vt Bliciri, vel ſi ſignificat, naturaliter tamen ſignificat, vt gemitus, latractus, & huiuſmodi. Nomen & verbum eſt ſignificatiuum, &

Tractatus Tertius.

A ad placitum ea propter non dicit voces, ſed ea, quæ ſunt in voce, quod declarat ſimilitudine ſumpta ab ære, & nummo: æs namq; ſe habet vti vox; eſt enim commune quoddam, nummus verò vti nomen & verbum; ſicuti namque ad hoc, vt nummus dicatur talis non eſt ſatis, quòd æs ſit ali qua figura impreſſum, ſed quòd ſit alterius rei pretium, ita ad hoc, vt nomẽ & verbum conſtituantur, nõdum requiritur vox, ſed quòd conceptus exprimat. Pariter quoniã litera eſt quid commune, cum non ſolum A, elementum, quod
B pagina deſcribitur, ſed ſonum quoque ipſius denotare valeat, vt indicaret Philoſophus ſe de illis, quæ characteribus in pagina figurantur, ſermonem facere, dicit, *ea quæ ſcribuntur*, non autem literæ.

De his vero dictum eſt in ijs, quę ſunt de anima; alterius enim hęc ſunt negotij.

Ex hoc loco quidam, vt aliàs dictum eſt, colligebant hunc librum non eſſe Ariſtotelis, propterea
C quòd aſſerebant nullo in loco in libris de anima Philoſophum agere de conceptibus.

Hãc opinionem reijcimus in Prolegomenis libri huius: falsũ enim eſt in libris de anima non fieri mentionem ab Ariſtotele de conceptibus, cum in 3. de anima dicat, mentis conceptus eſſe paſſiones, & quòd intellectio eſt paſſio, pręcipue quod huiuſmodi verba referuntur ad immediate proxime præcedentia, quòd ſcilicet agere de cõceptibus, prout ſunt rerum ſimilitudines, non
D ſpectat ad Logicum, ſed ad Animaſticum; eſt enim altioris negotij: ſuperius autem dixi, quòd in 3. de anima diſputat Ariſtoteles contra antiquos, qui aſſeruerunt, quòd res venirẽt in intellectum noſtrum ſecundum primam eſſentiam: ipſe verò ibi demonſtrat, quòd non realis venit eſſentia, ſed eius ſimulacrum à phantaſmate formatum: ex quo clare videtur quantum allucinèntur iſti viri tenentes hunc librum non eſſe Ariſtotelis. Idem ommiſſis his inanibus accipio textus continuationem. Sequitur Ariſtoteles.

E Eſt autem quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus ſine vero, vel falſo; aliquando autem cui iam neceſſe eſt horum alterum ineſſe, ſic etiam in voce; circa compoſitionem enim, & diuiſionem eſt verũ, & falſum. Nomina igitur ipſa, & verba conſimilia ſunt ei, qui ſine compo
F ſitione, & diuiſione eſt intellectui, vt homo, vel album, quando nõ aliquid additur, neque enim falſum, neque verũ adhuc eſt. Signum autem huius eſt, Hircoceruus enim aliquid ſignificat,ſed

cat, ſed nondum verum aliquid, uel falſum niſi eſſe, uel non eſſe addatur, uel ſimpliciter, uel ſecũdum tempus.

Cum Ariſtoteles poſuerit proportionem inter hæc quatuor, Literas, Voces, Conceptus, & Res, & declarauerit in quo partim conueniant, & partim differant, vnde inuenerit tum genus, tum communem differentiam eorum, quæ in voce ſunt, nẽpe nominis, & verbi, vt puta, quòd ſunt ſignificatiua ad placitum, in quibus & oratio, & enunciatio conueniunt. Modo in præſenti propriam eorundem differentiam tradit, & agit de diuerſa vocum, & conceptuum ſignificatione. Quia oratio differt à nomine, & verbo, & qua oratio enunciatiua differt a Poeticis, Oratorijs, & reliquis. Dicit itaque, quòd ſicuti dantur quidam conceptus in anima ſine veritate, & falſitate: quidam autem verum & falſum habentes, ſic etiam in voce quædam non ſignificant, verum vel falſum quædam verò ſignificãt. Declarat Ariſtoteles qui conceptus ſignificent verũ, & falſum, & inquit eſſe illos, qui ſunt complexi; qui verò ſimplices ſunt, & abſque complexione hi ſine veritate ſunt, atque falſitate; circa enim compoſitionem, & diuiſionem eſt verum, vel falſum, hoc eſt veritas, & falſitas: affirmatio & negatio eſt in compoſitione & diuiſione, non autem in ſimplicibus: propterea conceptus, qui compoſiti ſunt, veritatem, & falſitatem ſignificare dicuntur: qui verò incomplexi & ſimplices neque verum, neque falſum habere dicuntur.

Vnde ſciendum, vt aliàs docui, quòd compoſitio & diuiſio, nomen eſt æquiuocum: interdum enim denotat compoſitionem naturalem, vt quando natura componit hominem ex quatuor elementis. Alia eſt compoſitio artificialis, vt ex ligno componitur ſcamnum. Tertius modus componendi, & diuidendi eſt ſecundum rationem, quæ coniungit ea, quæ diſiuncta ſunt, & coniuncta diſſoluit. Compoſitio ſecundum rationem erit hoc modo: homo eſt in prædicamento ſubſtantiæ, album eſt in prædicamento qualitatis, iſta diſiuncta ſunt, ſi ſimul coniungamus hominem cum albo, dicendo, homo eſt albus, erit compoſitio ſecundum rationem. Diuiſio autem erit cum ſeparamus ſubiectum à prædicato, dicens, homo non eſt albus; & omnis affirmatio poteſt dici compoſitio, negatio vero diuiſio. De compoſitione & diuiſione abunde tractat Ariſtoteles in libro 3. de anima tex. 22. & 6. Metaph. 8. quibus in locis differit de compoſitione & diuiſione, dicitque, quòd per primam operationem intellectus, intelligimus ſimplicẽ rei eſſentiam ſine quiditate, vt quid homo, quid ſignum: per ſecundam verò operationem intellectus, componimus iſta ſimplicia inter ſeſe vel diuidimus: vnde in hac ſecunda operatione reperitur ſemper verum, vel falſum; in prima verò minime.

Propterea etiam hoc in loco aſſerit Ariſtoteles, quòd nomina & verba cum ſint ſimplicia, & nihil aliud addatur, non ſignificabunt neque verum, neque falſum, vt homo ſi ſimpliciter proferatur, nõ ſignificat neque verum, neque falſum, quoniam ſimplex eſt; in ſimplicibus autem non eſt neque veritas, neque falſitas: at ſi huic nomini addatur verbum, dicendo, homo currit, tunc ſcilicet eſt verum, vel falſum, quoniam eſt cõceptus cõpoſitus, qui dicitur eſſe affirmatio, vel negatio vera, vel falſa. Nomina igitur & verba ſimplicia ſi per ſe ſumantur, non dicunt verum, vel falſum.

Quod probat Ariſtoteles hoc modo, vbicumque eſt compoſitio, & diuiſio, ibi eſt veritas, & falſitas, vt puta ſi compono hominem cum animali, & dicam, homo eſt animal, eſt compoſitio vera; ſi autem compono lapidem cum animali, iſta eſt affirmatio falſa: vbi igitur eſt compoſitio & diuiſio, ibi eſt veritas & falſitas: ſed cum dico, nomen aliquod ſimplex, vt homo, lignum ſunt nomina ſimplicia, non autem compoſita, neque diuiſa; ergo dicendo, homo, lignum, non dico neque verum, neque falſum, quoniam iſta ſunt ſimplicia.

Confirmat Ariſtoteles loco topico, qui dicitur a maiori ad minus, nomina & verba nõ ſignificare, verum & falſum: nam ſi de quo magis videtur ineſſe, non ineſt, nec id, quod minus videtur ineſſe, inerit; ſed ſi aliquod nomen eſt, quod videatur poſſe ſignificare verum, vel falſum, erit maxime hircoceruus: hircoceruus namque compoſitus eſt ex Hirco, & Ceruo; tamen adhuc non ſignificat neque verum, neque falſum; ergo tanto minus nomina ſimplicia ſignificabunt verum vel falſum.

Argumentum, vt dixi, eſt à maiori ad minus, à compoſitis ad ſimplicia; non enim ſignificat hircoceruus verum vel falſum, niſi aliud addatur, ideſt verbum, vel addamus ſimpliciter, vt cum dicimus, Hircoceruum eſſe vel non eſſe, & hoc fit tribus modis, vel ſecundum præſens tempus, vel ſecundum præteritum, vel futurum, vt Hircoceruum eſſe, fuiſſe, & futurum eſſe, & ſic verbum additur hircoceruo, & alijs nominibus ſimpliciter, ideſt indefinite, vt dicendo, Hircoceruus eſt, vt non eſt, vel fuit, vel erit, vel etiam addere poſſumus verbum hircoceruo ſecũdum tempus, dicendo, hircoceruus nunc eſt, hircoceruus fuit ſuperiori anno, vel erit cras, vnde, niſi hircoceruo addatur, verbũ vel ſimpliciter, vel pro tempore; non ſignificabit verum vel falſum, & hæc eſt verborum interpretatio. Reſtant aliquot dubia diluenda.

Prima difficultas eſt, quomodo intelligat Ariſtoteles, quòd conceptus ſunt ijdem apud omnes, & non voces, neque ſcripturæ. Hoc namque videtur falſum, quoniã quilibet habet ſuum conceptum.

Reſpondetur, quòd conceptum eundem eſſe apud omnes, poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quòd aliquid vnum, & idem numero ſit realiter idem; per realem exiſtentiam omnibus, &

hoc modo non intellexit Ariſtoteles. Alio modo poteſt intelligi, quòd aliquid ſit idem apud omnes, hoc eſt omne illud, quod vni repræſentat, cuilibet alteri natum eſt repręſentare; & hoc modo intellexit Philoſophus, & eſt verũ, quòd paſſiones, ideſt conceptus animæ ſunt eædem apud omnes, & ſcripturæ non ſunt eædem apud omnes, quia ex impoſitione, quam actu habent, non ſunt natæ repręſentare idem cuilibet, quod vni repræſentant.

Vnde, vt dictum eſt, voces & ſcripturæ ſubordinantur conceptibus, ideſt non ſignificant rem niſi mediantibus conceptibus, vt iſte terminus lapis nunquam ſignificat lapidem, niſi quis habeat conceptum de lapide. Similiter ille terminus ſcriptus lapis, nunquam ſignificaret lapidẽ, niſi præcederet notitia de lapide: ſunt enim ſigna ſecundum Scotum ſubordinata in ſignificando.

Secunda difficultas eſt, quoniam Ariſtoteles voluit, vt conceptus animi ſit duo, ſcilicet conceptus ſimplex, qui non ſignificat verum, vel falſum, & conceptus compoſitus, ſeu diuidendi, & componendi, qui ſignificat verum, vel falſum; ſed Ariſtoteles videtur eſſe diminutus, quoniam non meminit ratiocinationis, & diſcurſus: intellectus enim noſter, vt ſuperius viſum eſt, habet tres operationes, ſcilicet ſimplicium cognitionem, compoſitionem, & diſcurſum, ſeu ratiocinationem; de qua ratiocinatione tractatur in libro Priorum, Poſter. Topic. & Elench. Prędicamentorum liber ordinatur ad primam intellectus operationem, quæ eſt ſimplicium cognitio, liber iſte Perierum ad ſecundam, quę eſt cõpoſitio & diuiſio. Cur igitur non fecit mentionem hic Ariſtoteles de tertia operatione, ſicut facit de duabus primis, dicamus, quòd Ariſtoteles in ſuis voluminibus nunquam verbum facit de iſta tertia operatione intellectus, vel diſcurſu; verùm ipſa vtitur; at cum dat diuiſionem operationum intellectus, nunquam commemorat ratiocinationem, vel diſcurſum; ſi erat enim vllus locus aptus conſiderandi, & enumerandi iſtã diuiſionem, erat dubio procul liber tertius de anima, vbi ponens diuiſiones operationum animæ, connumerauit ſolum duplicem operationem, nempe ſimplicium cognitionem, compoſitionem, & diuiſionem. Hoc aſſerit Diuus Thomas in Præfationibus ſuis huius libri Perierum, qui auſpicatur ab ipſa diuiſione Ariſtotelis de animæ operationibus, dicens, quòd Ariſtoteles duplicem tradit operationem intellectus: tertiam verò operationem, quæ eſt diſcurſus, idem Diuus Thomas paulò poſt adducit, non de mente Ariſtotelis, ſed Expoſitorum. Ariſtoteles nanque in ſuis diuiſionibus nunquam mentionem fecit de tertia operatione animæ, verùm ea vtitur pluribus in locis, vti in lib. Prior. Poſter. Topic. & Elench.

Vnde ad argumentum dico Ariſtotelem non eſſe diminutum, ſed prætermiſiſſe, quia non eſt ſolitus de eã meminiſſe.

A Poſſumus etiã aliter reſpondere, quòd quamuis Ariſtoteles prætermittat tertiam operationem, non tamen eſt diminutus, quoniam Ariſtoteles mentionem facit de ijs operationibus animæ, quæ faciunt ad propoſitum ſuum, vt de prima & ſecunda, quæ ſunt neceſſariæ, quoniam prima operatio eſt de ſimplicibus terminis; ſecunda diuidit, & componit, vtraque autem eſt admodum neceſſaria, ideo de ijs ſolis agit; tertiam relinquit, vti eam, quæ in præſentia ad propoſitum ſuum non facit.

B Tertia difficultas eſt, quoniam dictum eſt in intellectu eſſe veritatem, & falſitatem, quoniam conceptus compoſitus eſt uerus, uel falſus: at cõtrarium dixit Ariſtoteles in prędicamentis cap. de ſubſtãtia, ſcilicet quod veritas & ſalſitas proprie eſt in re, non autem in intellectu. Quomodo igitur hic Ariſtoteles dicit in intellectu reperiri uerum, uel ſalſum?

Reſpondetur ad hanc difficultatem cum hac diſtinctione, quòd ueritas & falſitas triplex eſſe uidetur, apprehenſiua, enunciatiua, & per modũ C cauſæ, ueritas & ſalſitas ſi conſideretur apprehenſiue eſt in intellectu, quia intellectus eam apprehendit; nam ueritas & falſitas eſt obiectum intellectus, quoniam intellectus circa uerum & falſum uerſatur: ueritas & falſitas enunciatiua dicitur eſſe in uoce, quoniam ore profertur. Aliquid enim eſſe uerum, uel falſum per uocem exprimimus; ueritas & falſitas tertio modo accipitur, ueluti habet eſſe in ſubiecto per modum cauſæ, & ſic eſt in rebus ipſis.

Ad argumentum dico, quòd Ariſtoteles in D cap. de ſubſtantia, loquẽdo de cauſa unde oritur ueritas, uel falſitas aſſeruit reperiri in re per modum cauſæ. Hic autem cum dicit, conceptum, qui eſt intellectu compoſitus, eſſe uerum, uel falſum, intelligit de ueritate, & falſitate apprehenſiue, cùm dicebat, uoces compoſitas ſimiliter ſignificare uerum, uel falſum, loquebatur de ueritate & falſitate enunciatiue, quæ uoce exprimitur: propterea loco citato non negauit etiam in uoce, & in intellectu reperiri ueritatem, & falſitatem modo prædicto, ſed dumtaxat per mo- E dum cauſæ.

Quarto dubitatur, nã dicit Ariſtoteles, quòd ueritas & falſitas non eſt in ſimplicibus, ſed tantum in compoſitis, & diuiſis. Contra, probo etiã eſſe in ſimplicibus: Capiamus maſſam auri, aurum eſt ſimpliciſſimum, tamen ſolemus dicere, aurum eſſe uerum, uel falſum; ſolemus etiam hominem magnæ integritatis uocare uerum, & aliquem mẽdacem uocare falſum, & tamen homo eſt ſimplex; ergo etiam in ſimplicibus erit F ueritas, & falſitas.

Reſpondeo, quòd argumentum peccat ex æquiuocatione, quoniam ueritas & falſitas duplex eſt: alia eſt entis; alia eſt enunciationis, cum dico aurum eſſe uerum, uel falſum; & item hominem dico ueritatem & falſitatem entis eſſe in homine, non autem ueritatem, & falſitatem enunciationis, quę eſt in uoce, & indicat uerum,

vel

vel falſum; ueritas autem & falſitas in auro, & A in homine eſt veritas, vel falſitas entis, quæ conuertitur cum ſubiecto homine, & auro; at hic ſequitur Ariſtoteles de indicatiua ueri, uel falſi, quæ eſt in conceptu, & uoce, dummodo componantur, & diuidantur.

Quinta difficultas eſt, dicit Ariſtoteles, quòd Hircoceruus, niſi ei aliquod verbum addatur nō ſignificat verū, vel falſum. Contra arguo ſic.

Eo modo res ſignificant, quomodo res ſunt, ſed hircoceruus eſt res falſa: ergo ſignificabit falſum, licet non addiderimus aliud verbum. B

Soluitur hæc dubitatio, quomodo altera proxime dicta, quòd hircoceruus eſt falſitas entis, & iſta falſitas conuertitur cū ſubiecto ente. Falſum enim eſt hircoceruum eſſe; at non eſt falſitas enunciationis, quoniam non indicat falſitatem, quamuis hircoceruus, vt res, & ens ſit falſum.

Sexta difficultas eſt, quoniam videtur Ariſtotelem inſuper in alio ſibi contradicere; nam in Metaphyſica dicit intellectum ſecundum ſimplicem occurſum rem intelligentem omnino veram intelligere, quod idem quoque teſtatur C Plato in lib. de Anima.

Reſpondetur primo, quòd ibi Ariſtoteles loquitur de intellectu diuino, vel ſi loquitur de intellectu noſtro, ſermonem habet de prima operatione intellectus; de veritate, quæ eſt paſſio entis realis; nam intelligens ſimpliciter Socratem verum intelligit, quia eſt ens reale, & per conſequens verum. At hic loquitur de vero, & falſo proportionali, cum ſcilicet aſſerit intellectus aliquid, idq; voce exprimitur, & ſic nulla eſt contrarietas. D

Septima difficultas eſt, vtrum in verbis ſit veritas, & falſitas, & videtur quòd ſic, quia curro, ſi eſt verum in re, quòd curram, verum dicit; ſimiliter tonat, pluit, & huiuſmodi.

Reſpondetur, quòd nomina, verba, & orationes dupliciter conſiderantur (ſunt enim voces ſignificatiuę ad placitū) primo modo vt proferuntur cum intētione ſignificandi conceptū aliquem mentis: ſecundo modo ſine tali intentione, ſed ſimpliciter, & nude. Secundo modo non ſignificant verum, vel falſum nomina, nec verba, E nec orationes. Primo modo nomina actu nō ſignificant verum, vel falſum: verba quidem ſignificant, implicite tamen: orationes autem primo modo explicite ſignificant verum vel falsū.

Et notandum eſt, quòd voces primæ, ſecundę, & tertię perſonę, vt curro, curris, currit, ſum, es, eſt, tonat, & pluit ſignificant actu verum, vel falſum, ſi in illis aliquid ſubaudiatur, & proferātur cum intentione ſignificandi. Et ſi ſumantur ſine intentione ſignificandi, & exprimendi actu F aliquem cōceptum, adhuc ſunt ſignificatiuæ hę voces potentia, quia impoſitæ ſunt ad ſignificādum, & differunt a vocibus non ſignificatiuis, nec impoſitis ad ſignificandum, quia ſunt impoſitæ vt potentia poſſunt ſignificare verum, vel falſum, ſi actu proferantur, vt exprimant conceptum aliquem.

Octaua difficultas eſt, vtrum conceptus ſint ijdem apud omnes, & videtur quòd non, præſertim de conceptibus affirmatiuis, & negatiuis, quia vnus habet conceptum bonum, alius verò prauum: idem etiam de ſimplicibus videtur dicendum, vt ſi quis mihi offerat herbam aliquā, quam alias viderim, & neſciam nomē proprium ſpeciei, non habebo de ea eundem conceptum, quem tenebit, qui eam optime nouerit.

Reſpondetur, quòd conceptus negatiui, & affirmatiui ſunt ijdē apud omnes cum disiunctione veri vel falſi, boni vel praui; vnus namque poteſt habere bonos, alius prauos conceptus.

Simplices verò conceptus ſunt ijdem, quando non adeſt aliquod prohibens, vti conceptus hominis eſt idem apud omnes, ſi etiam offeratur homo cum albedine, erit etiam idem conceptus apud omnes, quia ſemper omnes concipiūt verum, & ſi offeratur herba numquam amplius alicui nota, poſtquam nouerit proprium nomē, dicò, quòd formabit eundem conceptum ſemper, quem alij formant, vel format conceptum proprium de illa ſub nomine etiam ſui generis.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc Capite primo.

Super Capite primo primi Perierum pro Juris ſtudioſis.

IN hoc primo Capite Ariſtoteles quærit proportionem inter hæc quatuor, Literas, Voces, Conceptus, & Res, & inquit, quòd literæ ſunt ſigna, & notæ vocum: Voces ſunt ſigna, & notæ conceptuū: Conceptus eſt imago, & ſimilitudo rei extra animam exiſtentis.

In iure, de literis, vocibus, conceptibus, & rebus, habemus ſingularem titulū in Inſt. de oblig. iunctis proxime ſubſequentibus. Quo loci, obligationū ex contractu quatuor dicuntur eſſe ſpecies, Re, Verbis, Literis, & Conſenſu.

Re, contrahitur obligatio mutui datione, quæ conſiſtit in ijs rebus, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia, ære, argento, & huiuſmodi, Inſt. tit. quibus modis re contrahitur obligatio in princ.

Verbis, contrahitur obligatio ex interrogatione & reſponſione, in qua ſpecie cōtractus requiritur præſentia ſtipulantium. §. item verborum. Inſt. tit. de inutilib. ſtipul. voces enim inter præſentes ſolum non nimisq; diſtantes audiri valēt, abſentes enim ſimul colloqui nō poſſunt, niſi medio ſcripturæ: quo caſu oritur contractus de tertia ſpecie obligationis, quæ literis contrahi dicitur. Inſt. tit. de literarum oblig. Quarta ſpecies obligationis ex contractu eſt, quæ cōſenſu perficitur, in qua neque rei traditio, neque præſentia, neque ſcriptura, neceſſario requiritur. Inſt. de oblig. ex conſenſu. in princ. ſed ſufficit conſenſus, & affectus quoquomodo appareat. l. ſi ſtipuler. §. fin. ff. de act. & oblig.

Ex his facile perſpicitur proportio tradita ab

An-

Ariſtotele inter hæc quatuor, videlicet, Literas, Voces, Conceptus, & Res.

Siquidem in obligationibus ex contractu res requiritur ſupraalleg. tit. Inſt. de oblig. in princ. ex rebus conceptus formantur, quoniam ſi in mente, & voluntate contrahentium deſit affectus, contractus nô tenet. l. in omnibus. ff. de act. & oblig. affectus verò exprimuntur aut per voces, quæ immediate, & proxime ſunt ſigna, & notæ ipſorum conceptuum, aut per literas, quæ immediate, & proxime voces, remote autē etiam affectus indicant. textus eſt manifeſtus in l. non figura. ff. de act. & oblig.

Poſſumus etiam exemplum ſumere in iure in Inſt. tit. de teſt. de nuncupatiuo teſtamento, & in ſcriptis, & de alijs quoque. Verùm breuitatis gratia dicta ſatis.

De Nomine. Caput Secundum

QVia Ariſtoteles in principio huius libri exorditur à facilioribus rebus, ego quoque a facilioribus procedam, & dabo operam ut in rebus difficilioribus diluam omnes difficultates, quæ rectum Ariſtotelis ſenſum impedire uidebuntur. Proponit itaque Ariſtoteles in hac tertia parte ſe determinare quid nomen, quid verbum, & reliqua, quæ in procemio fuere enumerata; & primo quid nomen, & quid uerbum; hæc enim ſunt duo membra, & partes principales orationis.

Vnde in principio huius capitis quæri ſolet ab Expoſitoribus, cur prius Philoſophus agat de nomine, quàm de uerbo; in præcedentibus dixi, quòd nomen eſt ueluti materia, uerbum ueluti forma; ſed natura, tēpore, & generatione prius eſt materia, quàm forma: propterea primo agit de nomine, quod eſt tanquam materia, poſtea de uerbo, quod eſt tanquam forma, ut ſuo loco uidebimus.

Ammonius hoc in loco aliam rationem reddit huiuſcemodi ordinis, quòd nomen uidetur ſubſtantię nomen obtinere; quippe quòd rerum ſubſtātias indicat, uerbum uerò accidentis cum verbis actiones, affectusq; declarentur: at ſubſtātia præcedit omnia accidentia natura, tempore, & cognitione, vt in Metaph. Optime itaque incępit prius Ariſtoteles à nomine, quàm à verbo.

Sueſſanus conatur impugnare hanc Ammonij reſponſionem: propterea quod non poſſimus venire in cognitionem ſubſtantiæ, niſi per accidentia; & per conſequens videatur prius de verbo, quam de nomine peragendum.

Tamen hæc redargutio eſt parui momenti; ſi quidem ſubſtantia cognoſcitur per accidentia, vt per poſteriora; accidentia verò per ſubſtantias, vt per priora; & alibi in lib. Vniuerſalium cap. de genere, prope finem, docui quæ accidentia conferant ad cognoſcendam ſubſtantiam,

A ita vt ex eo loco ſit facile prædictam obiectio-
nem de medio tollere.

Poſſumus tamen etiam tertio dicere, quòd
Ariſtoteles primum egit de nomine, quoniam
facilius cognoſcitur. Nomen enim cū ſit quod-
dam abſolutum, intelligi poteſt ſine verbo, vt
verbum ipſum ſine nomine nullo modo cogno-
ſci poteſt: & propterea dicebat Ariſtoteles in fi-
ne Cap. de verbo, quòd verbum cōpoſitionem
quandam ſignificat, quæ ſine extremis non eſt
intelligenda, & per extrema intelligit ſubiecta,
B nomina, & prædicata.

Contra hunc modum procedendi Ariſtotelis
nonnulli obijciunt, quoniam à notioribus nobis
procedendum eſt, vti habetur 1. Phyſic. contex.
2. ſed enunciatio, & oratio eſt notior nobis, cum
ſit totum quoddam, quàm nomen, & verbum,
quæ ſunt eius partes; ergo ab enūciatione potius
exordiendum videtur.

Confirmatur, quòd iſte modus procedendi
Philoſophi ſit emendandus, quoniam vel hoc lo
co, vel 1. Prior. cap. 1. non optime proceſſit. 1.
C namque Prior. cap. 1. definit prius propoſitio-
nem, deinde terminum; ſed ſic eſt quòd nomen
ita ſe habet ad enunciationem, ſicuti terminus
ad propoſitionem: ergo hoc etiam in loco vide-
tur quòd prius debebat enunciationem defini-
re, quam nomen ipſum, vel verbum.

In præſenti pro ſolutione huius difficultatis
memorandum ſatis ſit, quod alibi docui, videli-
cet quòd in ſcientijs & artibus iuxta duplicem
ordinem quandoque reſoluendo, quandoque
componendo procedimus. Ordo compoſitiuus
D ſit, quādo à ſimplicibus ad compoſita tendimus;
reſolutiuus verò quando contrario ordine pro-
cedimus. Tunc dico, quòd in lib. Prior. cū ſit re-
ſolutiuus, optime à propoſitione, tanquā à com-
poſita ad ſimplicia, hoc eſt ad cognitionem ter-
minorum proceſſit: nunc verò compoſitionę
procedens, merito à partibus ad totum tendit.

Explicaturus Ariſtoteles quid ſit nomen vti-
tur duobus ſolitis inſtrumētis, ſcilicet definitio-
ne, ſeu deſcriptione, & diuiſione. Definit itaque
hoc modo.

E **Nomen igitur eſt vox ſignificatiua ſecundum placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata.**

Commune preceptū eſt in Logica, vt omnis
definitio, ſeu deſcriptio conſtet ex genere, & dif
ferentijs, vel ex aliquibus, quæ ſe habeant loco
generis, & loco differentiarum. Propterea vt
cognoſcatur quid ſe habeat vt genus, & quid vt
F differentia, in hac definitione ſunt declarandæ
ſingulæ eius particulæ.

Primo dicit, *Nomen eſt vox*, vox ponitur loco
generis, ac ſi diceremus, homo eſt animal, & nō
è contrario, animal eſt homo, *Significatiua*, ponit
alteram particulam, quòd nomen ſit vox ſignifi-
catiua, vt diſtinguat nomen à vocibus non ſigni
ficatiuis,

ficatiuis, ceu nihil ſignificantibus, vt Blitiri, &c. A quæ voces nullam habent ſignificationem, neque apud Latinos, neque apud Græcos, aut alias nationes.

Vnde notandum, quòd iſta, & cæteræ particulæ ponuntur loco differentiarum, quicquid dicat clariſſimus Balduinus hic: eſt enim potius deſcriptio hæc, quam definitio, vt infra videbimus.

Appoſuit inſuper illam particulam *Ad placitum*, ideſt ſecundum arbitrium noſtrum, vt diſtinguat nomen ab ijs, quæ ſunt naturalia, nam B voces duplices ſunt, ad placitum, & naturaliter: voces naturaliter ſunt, quæ apud omnes eodem modo fiunt, & exprimunt nobis affectum, & paſſionem aliquam, vt ploratus idē eſt apud omnes nationes, & ſignificat affectum, & paſſionem in animo.

Voces autem quæ ſunt nomina, non ſignificant affectum aliquem, ſed articulationem in nomine, quæ fit ad placitum, & ad arbitrium hominum, vt hoc nomen *Homo*, eſt vox ſignificatiua ad placitum, quoniā variatur. Dicitur enim C alio modo apud Græcos, alio apud Latinos. Dicit itaque nomen eſſe ad placitum ad differentiam ſonus, qui eſt naturalis: nam in nomine eſt articulatio ad placitum noſtrum; in naturalibus autem non eſt ſignificare ad placitum, ſed naturaliter, & eſt expreſſio affectus in anima.

Nomen igitur eſt vox ſignificatiua *ad placitū*, ideſt cum talibus literis, vel ſyllabis, ſicuti placuit primo impoſitori, & refertur ad placitum, & ad arbitrium noſtrum.

Addit *ſine tempore*, vt diſtinguat nomen a ver D bo, quoniam verbū ſignificat aliquam actionem in præſenti, prçterito, & futuro tēpore, vt Amo, amaui, amabo. Nomen autē non ſignificat, cum tempore. Ponitur vltimo loco poſtrema particula, *cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata*, vt Deus eſt nomen, ſi ſeparemus partes huius nominis Deus, nihil ſignificabunt. Diſtinguit autem & ſeiungit per hanc particulam nomen ab ipſa oratione, cuius partes ſeparatç aliquid ſignificāt

Notandum, quòd hæc potius debet appellari deſcriptio, quàm definitio, quia cum nomen di- E catur terminus ſecundæ notionis, & notio non ſit ſolida res; igitur non poteſt rectè definiri. Inſuper in lib. Poſter. & in Metaph. docet Ariſtoteles definitionem eſſe ſubſtantiæ; at ſecundç notiones non ſunt ſubſtantiæ, nec primæ, nec ſecundæ: quapropter hçc non definitio, ſed deſcriptio cenſenda eſt. Sed contra dicta dubitatur.

Primo, quoniam nomen conſtat ex pluribus ſyllabis; at vox vnica tantum ſyllaba conſtat: igitur nomen non poteſt eſſe vox, ſed potius te- F nebatur dicere Ariſtoteles, *nomē eſt voces* vt plures eſſent ſyllabæ.

Sunt nonnulli qui dicunt, quòd vox duplex eſt, ſimplex, & compoſita. Simplex eſt in ſingulari numero, compoſita in plurali.

Verùm hæc reſponſio mihi non ſatisfacit, cū etiam vox in ſingulari numero poſſit eſſe compoſita, vt videbimus, ſi Ammoniū, & Boetium percurramus.

Propterea ego aliter reſponderem, quòd non eſt neceſſarium, vt nomen conſtet pluribus ſyllabis; nam nomina iſta, Mons, Rus, Ius, Mens, Lex, & alia conſimilia vnica tantum ſyllaba cōſtant, tamen ſunt nomina. Dico igitur, quòd Ariſtoteles non dixit nomē eſſe voces, quoniam non eſt neceſſarium, vt nomina conſtent pluribus ſyllabis, ſed ſufficit vt habeāt vnicam ſolam ſyllabam, quia nomina multoties ſunt ſyllabæ, vt viſum eſt.

Secundo dubitat Diuus Thomas, quomodo Ariſtoteles poſſit definire nomen per vocem; nam nullum artificiale definitur per naturale: non enim in definitione in recto prædicari poteſt naturale de artificiali, quia non dicimus, ſcamnum eſt lignum, ſed potius ex ligno eſt ſcamnum: ſed vox eſt naturalis, quoniam fit ex inſtrumentis naturalibus, vt pulmone, gula, dentibus, & reliquis. Videtur ergo quòd non rectè fecit Ariſtoteles definiens nomen, quod eſt artificiale, & ad placitū per vocē, quæ eſt naturalis.

Reſpondetur, quod res artificialis dupliciter intelligi poſſunt, vel ſecundum materiam, vel ſecundum formam, res artificiales non poſſunt fieri niſi in re naturali, vt ſcamnum eſt res artificialis ad placitum, & ad arbitrium alicuius hominis confectum: eſt autem ſcamnum in re naturali; fit namque ex ligno, quod eſt naturale; lignū enim eſt materia ſcamni, & ſic ſcamnum ſecundū materiam eſt in re naturali, ſed cum dicitur nullum artificiale definitur per naturale in recto: cōcedo ſecundum formam, non ſecundum materiam, vt cathedra, ſuper quam ſedeo, dicitur eſſe lignea, lignum eſt res naturalis; ergo cathedra, ſuper quam ſedeo, dum hæc Commentaria ego ſcribo, eſt artificialis, & definitur per lignum, quod eſt naturale.

Dico itaque, quòd cathedra, & alia ſimilia definiuntur per res naturales non ſecundum formam, ſed ſecundum materiam.

Ad argumentū, cum dicimus, nomē eſt ad placitum, & artificiale, definitur per vocem, quæ eſt naturalis: propterea quod fit ab inſtrumentis naturalibus; ergo incongruum.

Reſpondeo nomen definiri à naturali re ratione materiæ, non ratione formç, & hoc modo non eſt inconueniens, vt viſum eſt.

Tertio dubitatur ſuper eo, quod dicit Ariſtoteles, quòd nomen ſignificat ſine tempore: nam hæc nomina dies, menſis, annus, ſignificant tempus diei, tempus menſis, tempus anni; ergo temere addita videtur illa particula, *ſine tempore.*

Reſpondetur, quòd aliud eſt ſignificare cum tempore, & aliud ſignificare tempus. Significare cum tempore eſt ſignificare actionem, vel paſſionem, quæ fit in tempore vel præſenti, vel præterito, vel futuro, quod eſt proprium ipſius verbi, quoniam omnia verba apud Dialecticos ſunt actiua, vel paſſiua: at nomen non ſignificat actionem, vel paſſionem vllam tempore menſu-

rato,

rato, ſed tantum rem quandam, quæ eſt annus, menſis, dies. Nomina igitur ſignificant quidem tempus, ſed non ſignificāt actionem, vel paſſionem, quæ fit in tempore.

Quarto dubitatur, quoniam videtur, quòd partes ſeparatæ nominis ſignificent aliquid, vt hoc nomen, *Magiſter*, partes iſtius nominis ſignificabunt aliquid ſeparatæ, nam magis ſignificat, pariter ter ſignificat: ergo, huic difficultati dicendu eſt, quòd Ariſtoteles non negat, vt hæ voces Magiſter, & cōſimiles non ſignificent aliquid, ſi ſeparentur, & abſtrahantur à dictionibus ijs: verum eſt, quod per ſe ſumptæ aliquid ſignificant; at vt partes horum nominum non ſignificāt aliquid, quòd nomen illud ſignificare dicit.

Quinto dubitatur de partibus nominis compoſiti, vt paterfamilias, armipotens, Reſpublica: videtur enim quòd aliquid ſignificent, quia pater, potens, res ſignificant id, quòd in toto ſignificabunt.

Reſpondetur, quòd hæc nomina dupliciter conſiderantur: primo modo vt exprimunt conceptum ſimplicem, & ſic partes nihil ſeparatæ ſignificant: ſecundo modo conſiderantur vt implicite exprimunt conceptum compoſitum, vt paterfamilias, ideſt pater, qui regit familiam, ſic implicite ſunt orationes, & partes aliquid ſeparatæ ſignificant de illo conceptu, qui per totum nomen implicite ſignificatur. Sequitur textus.

In nomine enim quod eſt equiferus, ferus nihil per ſe ſignificat, quemadmodum in oratione, quæ eſt equusferus.

Philoſophus modo cum hactenus nominis deſcriptionē aſſignauerit, fungitur interpretis officio: particulas namque ipſius diſtincte declarat; & quoniam vltima particula eſt veluti finis aliarū, principaliorq; ipſis: propterea intentio eius eſt primum eandem exponere.

Erat autem vltima particula, quòd partes nominum ſeparatę non ſignificant aliquid: propterea nunc eam explicat, & argumentatur Ariſtoteles argumento à maiori ad minus. Eſt autem huiuſmodi. Si de quo magis videtur ineſſe, non ineſt; ergo nec de quo minus: ſed ſi eſt aliquod, cuius partes deberent ſignificare, maxime eſt hoc nomen equiferus, quoniam equiferus eſt compoſitus ex equo, & fero, tamen eius partes nihil ſignificant ſeparatæ: ergo tanto minus partes nominum ſimplicium.

Quod autem huius nominis equiferus partes nihil ſignificent; quemadmodum in hac oratione equus eſt ferus, manifeſtum, quia equiferus, vt iam dictum eſt, ſignificat cōceptum ſimplicem, puta equum non manſuetū, at in oratione compoſitum conceptum; propterea quod equus ſignificat ſubſtantiam, ferus verò qualitatē. Hinc in oratione partes ſeparatæ per ſe ſignificant; at prout equiferus conceptum ſimplicem indicat, eius partes nihil per ſe ſignificant, ſicut nec ſyl-

A labæ, quæ partes ſunt ſimplicium nominum, veluti Aeneas, & Franciſcus: veru addit eſſe quoddam diſcrimen inter nomina ſimplicia, & compoſita. Et inquit.

At verò non quemadmodum in ſimplicibus nominibus ſic ſe habet in compoſitis. In illis enim nullo modo pars ſignificatiua eſt: in his autem vult quidem, ſed nullius eſt ſeparata;

B vt in eo quod eſt equiferus, hoc quod eſt ferus, nihil per ſe ſignificat.

Hic ponit Ariſtoteles differentiam inter nomina ſimplicia, & nomina compoſita, dicens, quod nominum ſimplicium partes neque ſignificant, neque videntur ſignificare: at compoſitorum nominum partes non ſignificant quidem, videntur tamen ſignificare propter compoſitionem. Tanta eſt igitur differētia inter nomina ſimplicia, & compoſita, quanta eſt inter videri,

C & non videri.

Secundum placitum verò, quoniam natura nominum nullum eſt, ſed quando fit nota, quoniam deſſignant, & illiterati ſoni, vt ferarum, quorum nullum nomen eſt.

Omiſſis particulis, *quòd nomen ſit vox ſignificatiua*, vti ex communibus nota, *& ſine tempore* vti declaranda de verbo.

D In præſentia declarat Philoſophus aliam particulā poſitā in definitione nominis, nempe *ad placitum*, dicens, quod nomen ſignificat ad placitum, non autem naturaliter, vt faciunt voces, vel ſonus brutorum, vt canum ſonus, qui eſt latratus, & bouum mugitus; vnde aliqui formant argumentum, quod eſt a contrarijs, videlicet voces illiteratæ, & dearticulatæ brutorum ſignificant naturaliter, quoniam ſunt voces illiteratæ, & dearticulatæ, ideſt quæ ſcribi nequeunt; ergo per oppoſitum argumentabitur nomina eſſe ad

E placitum, non autem naturaliter, quoniam ſunt voces articulatæ, & literatæ. Alij verò argumentantur per locum à ſimilibus, & melius vt videbimus inferius.

Notandum, quòd quando Ariſtoteles inquit, *quòd illiterati ſoni vt ferarum deſſignant, verum eorum nullum nomen eſt*, hoc dictum eſt à Philoſopho, vt ait Boetius, non quòd hæ voces, quas animalia emittunt, aliquo nomine non appellētur; quoniam quamuis vox ſignificet naturaliter, & inarticulate, vt latratus canum, nominatur ta-

F men latratus, ſic leonis fremitus, & leonis rugitus; ſed dicit quòd eorum nullum eſt nomen, quatenus his non velut nominibus vtūtur: non enim feræ ſecundum ea, veluti hominibus vtentes colloquuntur: habent namque ſignificationem naturalem, nomen verò ad placitum.

Sequitur examinanda pulcherrima quæſtio,

an no-

A

an nomina ſint à natura, vel ad placitum. Plato enim in Dialogo illo de recta nominum impoſitione aliter ſentire videtur, ac ſentiat Ariſtoteles, vt in hac difficultate facile diſtinctéq; procedam.

Primum recenſebo fundamenta, quibus hoc in loco Ariſtoteles aſſerere videtur nomina eſſe poſitione.

Recenſebo ſecundo opinionem eorum, qui nomina eſſe à natura determinarunt, nonnullaq; fundamenta adducam pro huiuſcemodi ſententia.

B

Tertio has opiniones conciliare conabor.

Quo ad primum, fundamenta, quibus Ariſtoteles nititur, hoc in loco oſtendere nomina eſſe ad placitum duo exiſtunt.

Primum eſt illud, quod ſupra tetigit in proximo præcedenti capitulo, quòd poteſt formari hunc in modum. Quæ ſunt diuerſa apud diuerſas nationes, ſunt ad placitum. Nomina ſunt diuerſa apud diuerſas nationes; ergo ſunt ad placitum. Maior probatur: natura enim in cunctis vniformis eadem, & ſimilia apud omnes facit, vti videtur de conceptibus, & rebus, quæ cum

C

ſint à natura, apud omnes iidem ſunt. Quæ ergo apud diuerſas nationes diuerſa ſũt, ad placitum, & poſitione eſſe debent: Minor quoque eſt nota; ſiquidem Aegypti, quem nos Deum appellamus, Theut nominant, Hæbrei Adonai, Græci Theos, Arabes Alla, Macomet Abdi, ab Angelo inſuper nos Ieſum accepimus.

Secundum fundamentum, quo probatur nomina eſſe poſitione, elicitur in hoc Capite, vel per locum à contrarijs formãdo argumentum,

D

vt ſupra feci, videlicet,

Voces illiteratæ, & dearticulatæ brutorum ſignificant naturaliter, quando ſunt voces illiteratæ, & dearticulatæ, quæ ſcribi nequeunt; ergo per oppoſitum, quoniam nomina ſunt voces articulatæ, & literatæ ſunt ad placitum.

Vel formabimus argumentum per locum à ſimilibus, dicendo, ſicuti illiterati ſoni brutorum, quæ deſſignant, ſunt à natura; ita nomina, vt ſigna ſunt, à natura eſſe dicuntur, non vt nomina.

E

Poſſumus tertio addere, quod quotidie fieri contingit in imponendis nominibus filiorum, quilibet namque ad placitũ, quo velit nomine, filium appellat.

Huius opinionis, videlicet nomina eſſe poſitione, fuit quoque Hermogenus, qui dicebat licere cuique homini rem quamlibet quouis nomine appellare.

Ex aduerſo Heraclitus, & Plato arbitrati ſunt nomina eſſe à natura, verùm diuerſo modo, & intellectu.

F

Heraclitus namque cenſebat cuique rei à natura peculiare nomen fuiſſe aſſignatum, ſicuti quoque ſenſum alium cernimus alijs ſenſilibus tribui: Plato verò aſſerit nomina eſſe à natura, hoc eſt conuenientia naturæ rerum, vt hoc nomen Philoſophus, dicitur quaſi amator ſapientiæ.

Opinio Platonis confirmari poteſt.

Primo, auctoritate, ſacra enim Geneſis cap. 3. affirmat, quod Adam vocauit nomen vxoris ſuę Eua, eo quod mater eſſet cũctorum viuentium & cap. 16. Dominus dixit Abrahæ, Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellabitur Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.

Grammatici etiam oſtẽdere conantur nomina non eſſe poſitiua, ſed naturalia, vt videre eſt in Noct. Atticis penes Aulum Gellium lib. 2. cap. 4.

Poetæ quoque è propria vniuſcuiuſque rei nota propriũ nominandi vocabulum duxerunt, vt Plato loco ſupraallegato explicat de nominibus poſitis ab Homero in Iliade.

Medici febrem di..nam, tertianam, quartanam, continuam eò appellant, quòd corpus à calore immoderato per diem, uel de tertia in tertiam, de quarta in quartam, vel continue affligatur.

Hoc idem confirmatur ex vſu Ciuitatis Romanæ, quæ è propria vniuſcuiuſque rei nota, certum, ac nominandi vocabulum proprium appellabat.

Vnde Saturnus, quòd ſaturetur annis, appellatus eſt; Iupiter iuuans Pater; Venus quia ad omnia venit; Sol, quoniã ſolus apparet; Mauors, quoniam magna vertit; Luna luce aliena, propterea quod radijs Solis accenſa lucet; Mercurius medius currens, primus Cæſar, quoniam cæſo matris vtero natus, Torquatus, quoniam Galli torque detracto nomen inde accepit; Auis, quoniam per auia diſcurrit, nam in aere via nulla diſcerni poteſt, ita vt videatur.

Hoc idem exemplo ſub oculis ſubijci valet. Si quiſpiam enim aliquod ſpectaculum, quòd ipſe proſpexerit, alijs demonſtrare queat, vt & ipſi internoſcant è propria vniuſcuiuſque rei nota pariter vocabulũ trahit, è pulchritudine, deformitate, uarietate colorum, indumentorum apparatu, & huiuſcemodi.

Hoc idem confirmari poteſt argumento Alexandri (referentibus Græcis) quòd tale erat, Voces ſunt à natura, nomina ſunt voces; ergo nomina ſunt à natura. Et ſic patet ex dictis, quomodo Ariſtotelis ſententia videatur admodum dubia, & obſcura.

His poſitis ſupereſt pro intelligentia clara huius difficultatis, vt conciliemus pro viribus hos grauiſſimos viros decertantes vt videtur, & diſcrepantes inuicem: vtraque enim opinio vera eſt, fundamentiſq; validis fulcitur.

Ammonius hoc in loco teſtatur, Socratem in Cratylo arbitrem inter Heraclitum & Hermogenẽ ex aduerſo diſſidentes hanc difficultatem ſoluere duplici diſtinctione; altera naturæ, & poſitionis, altera rerum.

Prima diſtinctio eſt, quòd nomina eſſe à natura dupliciter contingit vel à natura tanquã eius opificia, vti Heraclitus cenſebat, vel alio modo, à natura quaſi naturæ rerum conuenientia no-

mina

mina dicantur. Pariter nomina eſſe poſitione dupliciter contingit: primo quaſi quilibet poteſtatem habeat fingendi nomen ad libitum, vt dicebat Hermogenes, vel ſecundo non ita ſed à ſolo nominum auctore poſſit nomen fingi, qui optime natura rerũ cognoſcat ita vt valeat proprium ipſis nomẽ excogitare, qui poſitione dici poteſt, quatenus illud nomen non natura, ſed rationalis animæ indagatio procreauerit.

Secunda diſtinctio eſt, quòd rerũ aliquæ ſunt vniuerſales, aliquæ ſingulares.

His duabus præacceptis diſtinctionibus, dicebat Socrates, nomina non eſſe poſitione primo modo ſũpta, vt Hermogenes affirmabat, neque natura primo modo ſumpta, vt Heraclitus aſſerebat, ſed natura, & poſitione ſecundo modo ſumptis, præſertim nomina rerum vniuerſaliũ; rerum verò ſingulariũ, multa eſſe poſitione primo modo ſumpta fatetur.

Et hæc fuit opinio Platonis ſub perſona Socratis relata in dicto Dialogo, quę ex Ammonio non differt a ſententia Ariſtotelis, cum & ipſe Philoſophus, & in naturali auſcultatione, & de caſu, & vacuo, & in Meteoris de gutta, & pluuia, & alibi nomina conſona rebus imponere ſtuduerit.

Ego breuiter arbitror poſſe aliter reſponderi in hac quæſtione, & fortaſſe magis ad mentem Ariſtotelis, videlicet quòd nomina ſunt à natura, vt ſunt voces & ſigna expreſſa conceptuum; natura enim indicat nobis conceptum noſtrum exprimere vocibus, & ob id natura ipſas voces reperitur. At ſi conſiderentur, quatenus vnus, idemq; conceptus potius exprimitur hac, quàm illa voce, his, quam illis literis, hac quam illa illatione, vel deprehẽſione vocis, tali potius accẽtu, tot ſyllabis, potius quàm pluribus, vel paucioribus. ſic ſunt poſitione, & ad placitũ, ideſt ſecundum electionem noſtram, qua ſic ſtatuũt, & decernũt homines, & hoc eſt quod intelligit Ariſtoteles, cum dicit, *Quoniam natura nominum nullum eſt, ſed quando fit nota*, ideſt cum ſumitur vt ſignum eſt, quia tunc nomen eſt a natura: *ſic enim & illiterati ſoni ferarũ deſignant, & ſunt à natura*, ſic quodlibet nomen, & ſignum eſt a natura.

Quapropter cum Heraclitus dicit, quòd nomina ſunt a natura, quia natura vnicuique rei peculiare quoddam nomen aſſignauit, ſicuti alijs ſenſibilibus alium & aliũ ſenſum tribuit, & qui tale proferunt nomen datum a natura vere nominant: qui verò non, ſolum tantum obſtrepãt, eſtq; munus Sapientis conſectari nomen à natura fabricatum, vt dignoſcat exacte ſpecies, ac rerum imagines.

Dico, ſi primo modo capit nomina, recte dicit: natura enim facit nomina, pro quanto reddidit natura conceptum quemlibet exprimere ſua voce, & cũ conceptus ſit datus à natura proprius vnicuique rei, & nomen exprimat conceptum, & ſit loco conceptus, ob id nomen dicitur à natura. Nomina ergo ſunt data vnicuique rei à natura, pro quanto natura indicat vnãquamque

A rem exprimi voce, & pro quanto nomen eſt loco conceptus, qui eſt a natura, & res quælibet habet propriũ conceptũ, ſic nomina dicuntur eſſe imagines rerũ naturalium hoc modo: & qui tale profert nomen, quod ſit exprimens conceptũ naturalẽ, vere profert, & nominat, qui verò non, ſed profert nomen, quod nullum conceptũ exprimat, fatuus ac demens eſt, & ſonum tantummodo edit, ac obſtrepat, eſtq; ſapiẽtis munus conſectari nomina ſic a natura fabricata, & non temere proferre, ita vt nullius naturalis, ſiue quod B eſt a natura conceptum, ſit expreſſiua. Si verò alio modo nomina intelligat, errat Heraclitus, niſi per naturam intelligat intellectum noſtrũ, & velit etiam intellectum eſſe naturam, vt quandoque alij exiſtimarunt.

Præterea quando Plato ſentit nomina eſſe à natura, hoc eſt quaſi cõuenientia naturæ rerum, vt de nomine Philoſophi dictum eſt, dico, quòd tale nomen ſumitur ab alio nomine, quòd prius exprimit talem proprietatem, vel naturã; nam quòd Philoſophus dicatur amator Sapientiæ, C hoc ſumitur à duobus nominibus, hoc eſt ab amare, & ſapientia, quæ duo nomina prius impoſita fuere ad ſignificãdum alterum affectionem animi, alterum quãdam qualitatem, puta ſapientiam; & hoc pacto omnia nomina, quę imponuntur a proprietate rei, dicuntur a natura, quomodo militant rationes pro hac opinione, vt tamẽ ſumuntur ab alijs nominibus prius impoſitis ad ſignificandas tales naturas, ſic nomen à nomine ſumitur, quod poſitione eſt, ſiue ad placitum; & ſic primo modo eſt à natura, ſecundo modo ad D placitum, nec id negat Ariſtoteles in hoc ſenſu, quippe qui manifeſte de huiuſmodi nominibus ab alijs nominibus ſumptis, inquit in lib. ſupra proximo Prædicamentorum cap. de relatione; quòd nomina debent eſſe conuenientia, quando aſſerit relatiua non conuerti ex hoc, quod non ſunt recte aſſignata: propterea quod ad commũnius nomen referuntur; ſi verò conuenienter aſſignentur, fiat conuerſio, & ſi non eſt nomen, inquit, valemus illud fingere, vti ala ad auem relata non conuertitur, quoniã nomen non eſt con E uenienter aſſignatum: ſunt enim multorum alę, quæ non ſunt aues; propterea ſi ſic imponatur nomen congruum, puta alatum, tunc conuertetur, dicendo, ala alati ala, alatum alæ alatum, quod idem ibi teſtatur de temone, & capite reſpectu temonati, & capitati & ita apparet manifeſte ex doctrina Ariſtotelis, hoc modo cõuenientia nomina eſſe imponenda. At prima rerum nomina ad placitum eſſe dicuntur, quod elici quoque videtur Geneſeos cap. 2. quo loci formatis Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuer F ſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne autem quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius, poſitione itaque fuere nomine impoſito: quo ſenſu ſi Hermogenes intellexit, verũ & ipſe dicit.

Notandum tamen eſt, quòd temere quandoque id fit, vt puta, cum apud vnam nationem ſit

prius

prius impoſitum illi rei aliud nomen, vt ſi quis Italus velit appellare Deum alijs nominibus latinis, quàm hucuſqe fuerit appellatus.

Concludendo itaque dico, quòd nomina dicuntur eſſe poſitione pro quanto ſicut vnum poteſt, ita aliud poteſt poni, præſertim de primis nominibus, quæ poſitione dicuntur ex eo, quod ponantur ab anima rationali, & intellectu determinante, ſiue ſtatuente, & tunc ſeparatur intellectus & voluntas à natura, & idem dicitur eſſe ad placitum, ideſt iuxta determinationem noſtri intellectus, & animæ noſtræ rationalis. Denique reſpondeo ad argumentum Alexandri, quòd argumentum tenet de nomine, prout eſt ſignum, quod exprimit conceptum; non autem de nomine ſecundo capto, quinimò idem Alexander voluit etiam, quòd nomina ſint ſecundum impoſitionem noſtram, vt ipſemet probat lib. 4. quæſtionum naturalium cap. 11. & ideo ad illos, qui arguunt contra Alexandri argumẽtum, dicerem, ſi valeret ſuum argumentum, hoc etiam valeret; ianua eſt ex ligno, lignum eſt a natura, ergo ianua eſt à natura.

Reſpondetur pro Alexandro, quòd ianua vt lignea eſt à natura, quare valet argumentum ratione materiæ ianuæ, nõ autẽ ratione formæ, quæ eſt ab arte. Sic de nominibus arguit Alexãder, quòd nomina vt voces, & vt ſigna ſunt à natura, non vt tales voces pendentes ex deliberatione noſtræ volũtatis, & electionis, ita vt à nobis non diſſentiat in ea, quæ ſupra diximus, de mente, vt arbitror, Ariſtotelis.

Non homo verò non eſt nomen; at verò nec poſitum nomen eſt, quo illud oportet appellare neque: enim oratio, neque negatio eſt, ſed ſit nomen infinitum; quoniam ſimiliter in quolibet eſt, & quod eſt, & quod non eſt.

Dixi, quòd Ariſtoteles duobus inſtrumentis vtitur in declarando nomine, id eſt definitione, & diuiſione. Habita itaque definitione nominis, nunc intendit ipſum nomen diſtinguere, in finitum, & in infinitum, eo magis cum propoſitiones multiplicentur nedum ex ſubiecto finito, verum etiam infinito, vt inferius videbimus.

Verum, vt notant Ammonius, & Boetius, ipſe fuit primus impoſitor huius nominis: ante eum namque neque nomen proprie appellabatur, neque adhuc ei aliquod nomen extabat: propterea dicit quòd non homo, cum non ſit neque negatio, quia dempta negatiua, homo non remanet affirmatio: neque ſit oratio, cum neque veri, neque falſi ſit indicatiua, & adhuc ab antiquis nomen non appelletur, neque aliquo alio particulari vocabulo nominetur. Hinc dictis vocibus poſſumus aliquod nomen atribuere, vocari quæ non homo in infinitum nomen, ad diſtin-

A ctionem nominis finiti: finitum namque nomen ſignificat rẽ determinatã, & determinat vnum vel genere vel ſpecie, vel numero, vel proportione, vt homo eſt nomen finitum, quoniam certam ac determinatam rem ſignificat ſpecie, ſcilicet naturam humanam. Dicimus autem non homo eſt nomen infinitum, quoniã denotamus quicquid eſt in rerum natura præter hominem, vt ſcamnum, lignum, domũ, & alia, & etiã quidquid non reperitur in rerũ natura, vt eſt Hircoceruus, Chimera, & huiuſmodi, & breuiter quæ-
B cumque ſunt & non ſunt vltra hominem.

Philonis autem, aut Philoni, & quæcumque talia ſunt, non ſunt nomina, ſed caſus nominis. Ratio autem ipſorum eſt, in alijs quidem eadem: differunt autem, quoniam cum eſt, uel fuit, uel erit; neque uerum, ne-
C que falſum eſt; nomen uerò ſemper, ut Philonis eſt, uel non eſt: nondum enim neque uerum, neque falſum dicit.

Hic Ariſtoteles ſeparat caſum rectum ab obliquo, negans caſum obliquum eſſe vere nomen, ſed dicit ſolum caſum rectum nomen eſſe, ideſt nominatiuus eſt nomen, quoniam caſus rectus ſignificat aliquid. At de caſibus obliquis, videlicet genitiuo, datiuo, & reliquis, dubitãt omnes,
D quòd non ſignificent. Caſus obliquus non ſignificat verum, vel falſum, vt dicẽdo Philonis currit, Platonem ſtudet, non ſignificant hi caſus verum, vel falſum. Plato legit eſt caſus rectus, & principium inflexionis, & ſignificat verum vel falſum; ideo vere eſt nomen. At obliqui non ſunt vere nomina, ſed caſus nominum, quoniam cadunt à perfectione recti; illud eſt verum nomen, quod nos ducit ad affirmationem, vel negationem, ſed obliqui caſus non affirmant, neque negant: vere igitur non ſunt nomina ſed po-
E tius caſus nominum. Dicit tamen Ariſtoteles, quod quamuis caſus obliqui non ſunt vere nomina, quoniam cum eſt, vel fuit, vel erit, neque verum, neque falſum dicunt, ſed ſunt caſus nominum, tamen habent eandem definitionem, quam habet nomen; in hoc vero eſt differentia, quòd caſus obliqui non ſignificant verum, vel falſum, vt Philonis amat, Philoni currit: at nomina ipſa, ideſt caſus recti ſignificant veritatem, vel falſitatem, vt Philo eſt, Philo currit; re-
F manet videre pręter difficultates ſuperius dictas in hoc Cap. de nomine nonnullas alias, quarum prima hæc eſt.

An nomen infinitum ſit nomen, & videtur quòd ſic, quia eſt ſubiectũ, vel prædicatum propoſitionis, vt videbimus inferius. Secũdo valet, eſt homo, ergò eſt animal; ita valere debet, eſt nomen infinitum, ergo eſt nomen. Cõfirmatur

quia

quia valet dicere, eſt homo albus, ergo eſt homo; ita valet, non homo eſt nomen infinitum, ergo eſt nomen. In oppoſitum dicit Ariſtoteles, quòd non homo non eſt nomen, ſed infinitum nomen.

Reſpondeo, quòd nomen infinitum eſt nomen finitum cum negatione addita, ſed non cũ ſignificatione nominis finiti: re ipſa ſunt idem hoc modo, quatenus eadem vox dicitur eſſe finitum & infinitum nomen; differunt verò per appoſitionem & ablationẽ dictionis negatiuæ: vnde quando dicit Ariſtoteles, non homo, non eſt nomen, intelligit nomen finitum, dicit tamen eſſe infinitũ; & ſic differunt nomen finitũ, & infinitũ, quia finitũ rem determinatam ſignificat; infinitũ verò omnem aliam rem denotat, præter illam, quam ſignificat nomen finitum.

Cum ergo dicitur nomen infinitum eſt pars orationis, verum eſt, ergo eſt nomen. Negatur conſequentia, quia propoſitio etiam poteſt conſtare ex nomine infinito. Ad aliud dicitur quod valet argumentum ab inferiori ad ſuperius; ſed nomen, quod Ariſtoteles negat de non homo, & nomen infinitum, quod affimat de nõ homo, non ſe habent vt ſuperius & inferius, quia nomen, quod negat de non homo eſt finitum, rem determinatam ſignificans, & non prędicatur per ſe, vt ſuperius de nomine infinito.

Ad vltimũ dicitur, quòd valet ea regula, dũmodo non ſit dictio diſtrahens, vel diminuens; vnde nõ valet, eſt homo mortuus, ergo eſt homo, ſumendo hominem verum, bene valet; ergo eſt homo, ſumendo nomen homo communiter, ęquiuoce: ita etiam in propoſito licet, *infinitum*, diſtrahit, ac diminuit, quia per nomẽ loco ſupracitato indicatur vox ſignificatiua ad placitum rei determinatę: at infinitum diminuit, quia ponit ſignificationem rei indeterminatę, & aufert ſignificationem determinatam.

Vnde ſciendum, quòd inter nomen finitum & infinitũ cadit medium quoddam commune, quòd eſt ratio communis ad vtrumque. Hæc autem eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius nominis partes non ſignificant ſeparatæ: hęc ratio deinde, vt ſuperius dixi, diuiditur, quia alia eſt finita, alia infinita. Cadit igitur inter ea illud commune medium, & hoc ſenſu valet, eſt nomen infinitum; ergo eſt nomen, pro illa ratione communi: at ſi ei addatur finitum, non valet. Cum itaque Ariſtoteles negat in textu non homo non eſſe nomen, capit nomen pro ratione illa cum additione particulæ finitę, ideſt capit nomen pro voce determinate ſignificatiua, & reliquis. Vnde illa ratio communis nominis finiti & infiniti eſt commune quoddam, quod non æqualiter ineſt & nomini finito, & infinito, ſed prius competit nomini finito, deinde etiam infinito, eo quoniam nomen infinitum componitur ex voce nominis finiti, & negatione infinitante, & differunt in ſignificatione.

Secundo dubitatur, an Ariſtoteles definiat nomen infinitum tantum, vel vtrumque.

Reſpondeo, quòd Ariſtoteles definit nomen cõmune ad finitum, & infinitum: idcirco enim non adiecit illam particulã finitam, vt innueret ſe loqui in communi; & quia nouit vtrãque vocem, & finitam, & infinitam poſſe poni in propoſitione, propterea dixi eã non eſſe perfectam definitionem, ſed deſcriptionem, quod verum eſſe ex iam dictis manifeſtiſſime conſtat.

Tertio dubitatur, vtrum nomen infinitum ſit quid complexum, vel incomplexum. Reſpondetur breuiter, ſi nomen infinitum capiatur materialiter, ideſt quo ad compoſitionem eſt quid complexum ex voce nominis finiti, & additione dictionis negatiuę: ſi verò capiatur formaliter, ideſt quo ad ſignificationem dicitur incomplexum, pro quanto plura, & entia & non entia, imò infinita poſſunt intelligi nomine infinito: eſt enim infinitum aliquo modo vnum vt in principio ſecundi libri videbimus. Sequitur Caput Tertium de Verbo, præmiſſa tamen conſideratione pro Iuris ſtudioſis.

Super Capite Secundo de Nomine pro Iuris Studioſis.

DVo potiſſimum ad rem noſtram attinentia poſuit Ariſtoteles in Cap. de Nomine.

Primum tradidit deſcriptionem nominis, videlicet, Nomem eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tẽpore, cuius partium nulla ſeparata eſt ſignificatiua.

Secundo, duas particulas poſitas in hac deſcriptione declarauit, ſcilicet ꝙ partes nominis ſeparatę nihil ſignificant, & ꝙ nomen ſit ad placitũ.

Quod partium nulla ſeparata nominis ſit ſignificatiua probat argumẽto ſumpto à maiori, quod ſi partes, huius nominis equiferus compoſitæ ex equo & fero ſeparatæ nihil ſignificant; ergo tanto minus partes nominis ſimplicis & Platonis, & Socratis.

Quòd autem nomina ſunt ad placitum probat argumẽto deſumpto à contrarijs, illiterati ſoni brutorum, qui deſignant, ſunt a natura; ergo nomina, quæ ſunt voces literatę, ſunt ad placitum.

Modo pro Iuris Studioſis.

Quo ad primum, quòd nomina ſint ad placitum, habetur in §. ſi quis. Inſt. tit. de leg. quo loci ſi legatarius alter legatum reliquerit, & ſi errauerit in nomine ipſius legatarij dummodo conſtiterit de quo teſtator intelligat, valet legatum, propterea quòd nomina ſunt reperta gratia hominum ſignificandorum, nec refert, quo potius nomine appelletur.

Hoc tamen ita intelligendum eſt, vt etiam verum ſit nomina rebus congruentia imponi debere, prę ſertim quando prodeunt ab alijs nominibus primo impoſitis, vt ſupra declaratũ eſt, vti notatur Inſt. tit. de don. §. eſt & aliud. quo loco clare habetur nomina rebus conſequentia imponenda eſſe, dum ibi de antenuptiali donatione fit ſermo, compoſito nomine ex ante, & donatione, nominibus prius impoſitis, concordat Inſt. de teſt. in princ. cum conſimilibus.

Quo ad ſecundũ notandũ eſt vſus in iure lo-

corum ſupra memoratorum,ſcilicet à maiori,& minori,& à contrarijs,ſaltem figuraliter,ad hoc vt iuris ſtudioſus incipiat haurire aquam emanantem ex vberrimo illo ſonte,in quo tempore debito ex abundantia ſaturabitur,nempe è Topica Ariſtotelis, fonte, & ſede argumentorum omnium:quo loci,Deo fauente,diſtinctè de his omnibus pertractabo; ad quem finem, & ſcopum dirigitur intentio mea.

Sciendum itaque eſt, omiſſis quæ docētur in Topica a Philoſopho ad aliud tēpus,quod Ariſtoteles lib.2. Rhetoricorum inter alios quamplurimos argumentorū locos enumerat locum à maiori & minori,& locum à contrarijs. Locus à maiori eſt de quo dicimus, ſi de quo magis videtur ineſſe, non ineſt; ergo neque de quo minus,vt ſi nec Dij omnia ſciunt,ergo nec homines. Locus à minori eſt quando dicimus,ſi de quo minus videtur ineſſe,ineſt; ergo etiā de quo magis,vt ſi quis occidit patrē, longe magis occidet cæteros homines. Locus à cōtrarijs eſt, vt ibidē declarat Ariſtoteles, quando in ijs percunctatur,ſi contrariū contrario inſit, vt gratia exēpli,ſi volumus videre an ſanitas ſit expectenda,videndū erit an ęgritudo ſit fugienda, ſi contrariū cōtrario non inerit,tūc negandū erit,vt ſi quis dicat pacē ſemper eſſe expectendā,nos oſtēdemus,quòd bellum quandoque eſt neceſſariū.

Per locum à maiori probatur partes nominis non ſignificare ſeparatas per locum à cōtrarijs, nomina eſſe ad placitum.

Per locum à maiori argumentatur Pomponius in l. qui indignus. ff. de ſeneċt. quando inquit,qui indignus eſt inferiori ordine, indignus eſt etiam ſuperiori.

Locum à minori elicimus in l.parentes. ff.de in ius vocando. vbi ſi libertus naturalibus parentibus reuerentiam debet, multo magis filius legitimus patri reuerentiam præſtare tenetur.

Per locum à cōtrarijs,Imperator in l. vt vim. ff.de iuſt.& iure. probat hominem homini inſidiari nefas eſſe: propterea quòd natura cognationem inter homines conſtituerit; eo nanque in loco,ex quo cognatio adeſt homini,quòd inſidia abſit,conſequentia concluditur.

Verùm quoniam,vt vidimus in Poſtprędicamentis,cōtraria,ſeu oppoſita ſunt in quadruplici differentia,Relatiua,Contraria, Priuatiua,& Contradictoria,ab his omnibus licet ſumere argumenta,vt alibi exactius oſtendam.

In præsētia dicta ſatis de his ſuper hoc Capite.

De Verbo. Caput Tertium

COntinuatio huius capitis cum præcedēti manifeſta eſt; nam cū pollicitus eſſet Ariſtoteles in Procemio ſe tractaturū de nomine & verbo, cumq; egiſſet de nomine,in prę ſenti tractat de verbo duplici quidem inſtrumento, vt fecit in Cap. de nomine:nam non variat Ariſtoteles artificium,etſi variet materiā, inſtrumen-

A ta,quibus vtitur,ſunt definitio & diuiſio. Primò igitur definit, ſeu potius deſcribit quid ſit verbum;verbū enim eſt ſecunda intētio, & inquit.

Verbum autem eſt quod conſignificat tempus,cuius pars nihil ſignificat ſeorſum, & eſt ſemper eorum, quæ de altero prædicantur nota.

Dubitant Græci, & Latini expoſitores, cur prętermiſerit Ariſtoteles illas particulas,quę po B ſitæ ſunt in deſcriptione nominis,vt *quod verbū eſt vox ſignificatiua ad placitum:* nā videtur,quòd iſtę particulæ deberent etiā reponi in definitione verbi,quoniam verificantur etiam de verbo.

Reſpondetur communiter,quòd Ariſtoteles prætermiſit iſtas particulas breuitatis ſtudio: videbat enim & ipſe quòd ſicut nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum, & ad arbitrium primi impoſitoris,ita & verbum, idem eſt enim iudicium de nomine,& verbo,ſed ſtatim prorumpit in ſuum principale propoſitum dicens,*quòd ver* C *bum conſignificat tempus*, ad differentiam nominis:nomen namque vt dies,annus,menſis ſignificat tempus;at conſignificare tempus,ideſt ſignificare actionem, vel paſſionem, tempore commenſurato,proprium eſt verbo, vt ego ambulo, hoc verbum ſignificat actionem,quæ eſt ambulare in prę ſenti tempore,ego amor denotat paſſionem,quæ fit in præſenti tempore.

Verbum itaque, *conſignificat tempus*, ideſt determinat actionem, vel paſſionem in tempore, vel præſenti,vel præterito,vel futuro.

D Secunda verò particula,quæ ponitur in definitione verbi eſt, *Quod partes verbi ſeparatæ nihil ſignificant, vt ſunt partes uerbi*, nam ſi ſumamus ex ſe ſignificabunt, vt partes huius verbi currit ex ſe ſignificabunt, cur namque idem ſignificabit quod quare. It vero ſignificat ambulat: ideo Ariſtoteles inquit, quod partes verbi ſeparatæ nihil ſignificant, quamquam ſi ſumantur vt dictiones ſeparatę ſignificabunt, vt viſum eſt. Hęc autem particula ea propter poſita eſt in hac definitione, quia ſicuti nomen per eam ab oratio E nibus diſtare dicitur,quæ ex nominibus cōſtat, vt cum dicitur, Socrates eſt ſapiens, ita differt verbum ab Oratione, quæ conficitur ex verbis; vt augeri eſt moueri. Tertiam verò particulam, vt puta, *Quod verbum ſemper eſt eorum, quæ prædicantur nota*: ideo poſuit, quia ſi non addita fuiſſet hæc particula, definitio iſta etiam uideretur alijs competere, uti participijs quę non ſemper ſunt nota prædicati neceſſario; at uerbum ſemper actionem uel paſſionem alicui rei inexiſtentem ſignificare neceſſe eſt.

F Vnde primo ſciendum eſt,quòd uerba conſiderata à Dialecticis ſunt in duplici differentia, ſcilicet aut adiectiua, aut ſubſtātiua, uerba adiectiua,ſignificāt actionem,uel paſſionē, quoniam aut ſunt actiua, aut paſſiua; actiua ut amo, lego; paſſiua ut amor, legor:at uerbum ſubſtantiuum non eſt neque actiuū,neque paſſiuum, quoniam eſt ſubſtantiale: idcirco enim dicitur ſubſtantiuum,

uum, quoniã denotat ſubſtãtiã rei, ut homo eſt.

Secundo ſciendum eſt quomodo uerbum eſt nota prædicati, nonnulli dicunt, quòd ſicuti anima, & corpus ſunt neceſſaria ad uitam hominis, neque poteſt eſſe homo altero deficiente; ſic propoſitio non poteſt eſſe ſine ſubiecto & prædicato. Subiectum eſt uti corpus, prædicatũ eſt uti anima. Cum igitur ſit neceſſarium ut propoſitio habeat ſubiectum & prædicatum, dicũt iſti uerbum ſemper erit prædicatũ ipſum, uel medium inter ſubiectum, & prædicatum, ut in hac propoſitione, Homo currit, homo eſt ſubiectum, uerbum currit prædicatum: in hac uero propoſitione, Homo eſt albus, uerbum eſt nota prædicati, quoniam medium eſt inter ſubiectum homo, & prædicatum albus. Verbum igitur habet, ut ſemper ſit prædicatum, uel nota prædicati, cum ſcilicet medium eſt inter ſubiectum & prædicatum. Vnde diſtinguũt, quòd propoſitio fit duobus modis, uel ex uerbo ſubſtantiuo, ut homo eſt animal, uel ex uerbo adiectiuo, ut homo currit, cum facimus propoſitionẽ ex uerbo ſubſtãtiuo, tunc uerbum eſt nota prædicati, ideſt mediũ inter ſubiectum & prædicatum: ſi autem facimus propoſitionem ſimplicem ex adiectiuo, ut homo currit, tunc uerbum non ſolum eſt nota prædicati, ſed prædicatum ipſum.

Ego uerò dicerem lõge meliorem expoſitionem, & magis cõgruam uerbis Ariſtotelis, quòd uerbum nunquam ex ſe eſt prædicatum, tum ex hoc loco, qm̃ dicit Ariſtoteles, quòd ſẽper eſt nota prędicati, exẽplificatq; ut inferius videbimus de propoſitione ex uerbo adiectiuo, vt ualetudo ualet, tum etiã ex alio loco Ariſtotelis 1. Prior. c. 1. ubi definiens terminum dicit, terminum eſſe ſubiectum, aut prædicatum cum eſſe uel non eſſe; non enim uult ibi ut uerbum ſit prædicatum, ſed copula, & ueluti forma, quę coniungit prędicatũ cum ſubiecto, ut in hac propoſitione, homo currit, currit nõ poteſt eſſe prædicatũ, quoniam prædicatũ eſt cum eſſe, uel non eſſe; at currit nõ eſt cum eſſe, propterea nõ poteſt eſſe prędicatũ.

Idcirco dicendum cum Ariſtotele hoc in loco, ut arbitror, quòd ſemper uerbũ eſt nota prædicati tum in hac propoſitione, homo eſt albus, tum etiam in hac propoſitione, homo ambulat; ambulat enim non eſt prædicatum, ſed denotat prędicatum, quia ambulat, reſoluitur in eſſe ambulans; omnis namque propoſitio de ſecundo adiacẽte reſoluitur in propoſitionem de tertio adiacente, ut homo currit, homo ambulat, reſoluũtur in propoſitiones, homo eſt currens, homo eſt ambulans. Quare patet, quòd uerbũ nunquam eſt prædicatũ, ſed ſemper nota prædicati; quoniam quamuis ſit propoſitio de ſecũdo adiacente; reſoluitur tamen in propoſitionem de tertio adiacente, & uerbum eſt nota, ideſt denotat, & ſignificat prædicatum, & ipſum medium eſt verbum inter ſubiectum, & prædicatum copulans, & coniungens vtrumque.

Dico autem,, quod conſignificat tempus, vt valetudo quidẽ nomẽ eſt, A valet uerò verbũ; conſignificat enim nunc eſſe, & ſemper eorum, quę de altero dicuntur nota eſt, vt eorum, quę de ſubiecto, vel in ſubiecto ſunt.

Sicuti Philoſophus in explicatione nominis, poſita eius deſcriptiooe particulas ipſius immediate declarauit, auctoris, & interpretis officio fungẽs; pariter in hoc cap. de verbo tradita deſcriptione verbi, declarat modo particulas in B deſcriptione poſitas. Et primo, quòd uerbum ſignificat cum tempore ad differentiam nominis: nam ſi dico valet, ſignifico actionem in tempore præſenti: at nomen ut valetudo non ſignificat valetudioem in tempore, ſcilicet vel præſenti, vel iam elapſo.

Deinde aliam particulã exponit, *Vt quod verbum eſt nota eorum, quæ de altero dicuntur*, ideſt verbum ſemper denotat prædicatũ, *tam eorum, quę de ſubiecto dicuntur*, ideſt ſubſtantiarum: nã dici de ſubiecto propriũ eſt ſubſtantię, *tam eorum quæ* C *in ſubiecto ſunt*, nempe accidẽtium; nã proprium accidentis eſt eſſe in ſubiecto.

Vnde notandum, quòd verbum aut eſt nota prędicati ſubſtantialis, vt homo eſt animal, quoniam iſtud verbum *Eſſe*, pertinet ad ſubſtãtiam rei, & prædicatum denotat ſubſtantiale, aut verbũ eſt nota prædicati accidentalis, vt homo ambulat, quoniã iſtud verbũ *Ambulat*, denotat qualitatem, eſtq; nota prædicati accidentalis.

Non valet autem, & non laborat D non verbum dico; conſignificat enim tempus, & ſemper de aliquo eſt, differentiæ autem huic nomen poſitum nõ eſt, ſed infinitum verbum ſit; quoniã ſimiliter in quolibet eſt, & quod eſt, & quod non eſt.

Expedicta deſcriptione verbi, & declaratis particulis in ea deſcriptione poſitis, nũc Ariſtoteles vtitur ſecũdo inſtrumento, nempe diuiſione; E diſtinguũt enim verbum per finitum & infinitum eadem ratiooe, qua diſtinxit nomen. Verbũ finitũ eſt, quod determinatã ſignificat actionem, uel paſſionem tempore commenſuratam vel præſenti, vel præterito, vel futuro, vt homo currit. Hoc verbum ſignificat actionẽ, quę fit in tempore præſenti. Verbum infinitum eſt, quod indeterminatam ſignificat actionem vel paſſionem; & idcirco dicitur infinitum, quoniam poteſt verificari & de ente, & de non ente.

Hoc in loco Ariſtoteles præbet occaſionem F dubitandi, an nomen infinitum remaneat infinitum, dum ingreditur orationem; & pariter an uerbum infinitũ in oratione remaneat infinitũ.

De nomine non eſt difficultas, quoniam ſi dixero, non homo legit, eſt nomen infinitũ, quamuis ſit in oratione. At de verbo eſt controuerſia inter Expoſitores.

Sed ego cũ optimis interpretibus, & Græcis,

A & Latinis dico; Verbum infinitum, puta non legit, ſtatim vt ponitur in oratione, amplius non eſſe infinitum, ſed tranſire in negationem. ſic homo nõ laborat, iſtud verbum infinitũ non laborat, cum primum ingreſſum eſt orationem, ſtatim efficit negationẽ, & sẽſus eſt iſte, hominẽ nõ laborare, ſed extra orationẽ ſignificat omnes alias actiones, vel paſſiones præter hãc laborare.

Similiter autem & valebit, & valebat, non verbum eſt, ſed caſus verbi. B Differunt autem à uerbo; quòd hoc quidem præſens conſignificat tẽpus; illa uerò id, quod circum circa eſt.

Hic diſtinguit Ariſtoteles verbum, & caſus verbi, dicens, quòd ſolum præſens eſt verbu.n; alia verò vt præteritum & futurum nõ ſunt verba, ſed caſus verborum, quoniam cadunt à perfectione præſentis; veritatem enim & falſitatem aſſumunt à tempore pręſenti, tempus autem pręſens non expectat præteritũ, neque futurũ, ſicut C futurũ expectat præſens, & præteritũ dr̃ eſſe verum, vel falſum, quoniam aſſumit ex tẽpore præſenti, gratia exempli, verum eſt, Platonem natũ fuiſſe, quia extitit in tempore præſenti: cùm enim natus eſt Plato, erat tẽpus pręſens: pręteritũ igitur tẽpus dicitur verũ ratione præſentis. Pariter quare dicitur verum futurũ eſſe Aduentum Domini? quia erit in aliquo tẽpore præſenti, tunc enim erit tempus præſens, quãdo cõuocabit homines ad iudicium. Ecce igitur quomodo verbũ pręteriti & futuri temporis eſt verum D vel falſum ratione præſentis: at cũ dico verbum temporis præſentis, vt lego, cano, curro, veritas huius propoſitionis non expectat præteritũ nec futurum; quapropter cũ omnis veritas vel falſitas præteriti vel futuri temporis ſit ratione temporis præſentis. Idcirco dicit Ariſtoteles tẽpus pręſens eſſe verum tẽpus, & illud ſolum verbũ, licet *Valebat, valebit*, denotat præteritum imperfectum, & futurum; iſta non ſunt vere verba, ſed caſus verborum, quoniam cadunt à perfectione E præſentis. Differunt à verbo, quoniã verbũ ſignificat actionem, vel paſſionem cum tẽpore. Hæc verò potius denotant circunſtantiã tẽporis; ſiquidẽ præſens eſt initiũ futuri, & finis præteriti.

Ipſa igitur ſecundum ſe dicta, uerba nomina ſunt, & ſignificãt aliquid: cõſtituit enim qui dicit intellectum, & qui audit, quieſcit, ſed ſi eſt, uel nõ eſt, nondum ſignificat; neque enim F ſignum eſt rei eſſe, uel nõ eſſe, neque ſi ipſum ens dixeris nudum, ipſum enim nihil eſt: conſignificat autem compoſitionem quandam, quam ſine compoſitis non eſt intelligere.

In hac parte Ariſtoteles colligit cõuenientiã, quam habẽt verba cum nominibus, quo ad modum ſignificandi, nempe quòd ſicut nomen nulli addito verbo cõceptum ſimplicem ſignificat, & non indicat neque verum, neque falſum, vti probatur argumẽto deſumpto a maiori in Cap. primo de Notis; pariter inquit verbum non additum nomini cõceptum ſimplicem ſignificat, & non indicat neque ueritatem, neque falſitatẽ, quod idẽ argumento conſimili vti de nomine à maiori inquã deſumpto nititur comprobare: & hãc eſſe arbitror mentẽ Ariſtotelis hoc in loco, quicquid cõfundãt & inuoluãt Expoſitores, quę quàm facile congruat, verbis textus videamus.

Dicit Philoſophus, *Ipſa igitur ſecundũ ſe dicta verba nomina sũt*, hoc eſt verba ſimpliciter prolata ſunt cõſimilia nominibus, *& aliquid ſignificat*, quatenus ſcilicet ſunt voces ſignificatiuæ, ſicut & nomina, *conſtituit enim qui dicit intellectũ, et qui audit, quieſcit*. namque ſicuti nomen intellectum quẽdam indicat, ita verbum, vel qui verbũ profert, intellectum quendã ſignificat; ad cuius apprehenſionẽ mens auditoris quieſcit, *ſed ſi eſt, vel non eſt, nondum ſignificat*. Verùm adhuc non ſignificat veritatem, vel falſitatem: *neque enim ſignum eſt rei eſſe, vel non eſſe*, eo quia nõ indicat verbum conceptum compoſitum, ſed ſimplicem, in quo non adeſt neque affirmatio, neque negatio; nam affirmatio, & negatio non poteſt eſſe in verbo ſine nomine, neque in nomine ſine verbo. Propoſitio namque ſequitur naturam rei, nam res non poteſt eſſe ſine materia, & forma, domus nõ poteſt conſiſtere ex lapidibus, vel lignis tantum, quæ ſunt materia, ſed opus eſt vt conſtet etiam ex ipſa forma domus, forma dat exiſtẽtiam, materia autem eſſentiam: ſicut itaque non poteſt eſſe res ſine materia, & forma, ſic nõ poteſt eſſe affirmatio, vel negatio ſine nomine, & verbo: ideo currit, quod eſt verbum nõ ſignificat neque verum, neque falſum, niſi apponatur nomen, neque nomen ſine verbo aliquid ſignificat veritatis, vel falſilatis. Propterea dicit, *neque ſi ipſũ ens dixeris nudũ, ipſum enim nihil eſt: cõſignificat autem compoſitionem quandam, quam ſine compoſitis non eſt intelligere*. Probat Philoſophus verba non addita nomini veritatem, neque falſitatẽ ſignificare argumẽto deſumpto à maiori, vti quoque eod. argumẽto idẽ comprobauit de nomine in Cap. præallegato, & inquit, ſi verbum eſt per ſe ſumptum, quod videtur maxime aliquid ſignificare, nihilominus ſine nomine non ſignificat veritatem, uel falſitatem; ergo tanto minus alia uerba, ut currit, legit, ſignificabunt aliquid, ut puta ueritatis uel falſitatis: uerbum namque ipſum quod eſt, & ſi uideatur compoſitionem quandã ſignificare, ut puta rem aliquam exiſtere, tamen quia eius cõpoſitio non poteſt intelligi ſine partibus cõponentibus, & extremis. Hinc dicit Ariſtoteles, quòd non ſufficit ad conſtituendam ueritatem, uel falſitatem, in quarum conſtitutione actualis cõpoſitio requirit, uidelicet quòd actualiter nomen ſit iunctum uerbo, & è conuerſo.

Notãdum, quòd cum duplex ſit operatio noſtri intellectus, alia, quæ eſt ſimpliciũ apprehenſio, alia, quę eſt cõpoſitio & diuiſio, ens non ſignificat,

ficat aliquid, quatenus ad ſecundam operationem, quoniam ens non eſt de genere complexorum, ens tamen eſt, & ſignificat aliquid quoad primā operationem noſtri intellectus, quoniam ens ſimplex quid eſt, & incomplexum.

Secundo notandum, quòd verbum quatenus copulat, & coniungit, verbum dicitur; quatenus verò eſt vox ſignificatiua, poteſt dici nomen captum pro dictione ſignificatiua.

Primo dubitatur circa prędicta, quoniam videtur Ariſtoteles ſuperfluus hoc in loco, præcipue agens de ſimplicitate verbi, eo quia in anteprædicamētis, c. 2. & c. vlt. de his agit: pariter ſuper c. 1. oſtēdit nomina, & verba eſſe abſq; cōpoſitione, & non ſignificare verum, vel falſum. Hoc idē in cap. proximo denuo atteſtari videtur, quando dicit, quod nulla pars orationis ſeparata ſignificat vt affirmatio, vel negatio, ita vt hæc frequēs repetitio videatur prorſus inanis.

Reſpondetur, quòd in antepredicamentis cap. 2. Ariſtoteles mentionem fecit de verbo, & pariter cap. vlt. occaſione diuiſionis, ſed breuiter: longiorem enim poſtulabat ſermonem eius declaratio. Supra verò cap. 1. de notis ſolum comprobauit de nomine, quod non ſignificat verum, vel falſum, argumento deſumpto a maiori, puta nominis cōpoſiti, vnde reliquum erat hoc idem oſtendere de verbo, quod præcipue fieri conueniens erat in hoc cap. in quo particulariter de verbo erat agendū, infra in cap. proximo non ex profeſſo oſtendit partes orationis non affirmare, vel negare, imò ſupponit, vt declaratum alibi, ita vt nil ſit ſuperflui in dictis Ariſtotelis, atq; ſuperuacanei, vt manifeſtū eſt.

Secundo dubitatur, an verbum ſit pars enunciationis, vel propoſitionis, & videtur quòd nō, quia 1. Priorum Ariſtoteles dicit, *terminum voco, in quem reſoluitur propoſitio, vti ſubiectum, & prædicatum*; vnumquodque autem reſoluitur in partes ſuas; ergo verbum non eſt pars propoſitionis, cum non ſit terminus.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles proponit agere de nomine, & verbo, vti de partibus integralibus enūciationis: verbū enim eſt pars formalis, pro quāto ſcilicet verbū eſt copula, & ſignificat quandā coniunctionē, eſtq; vinculū ſubiecti cū prędicato: nomē vero, quod duplex eſt, ſcilicet ſubiectum & prędicatū eſt pars materialis.

Vel aliter dicitur, quòd pars eſt duplex, extremalis, & media. Verbum eſt pars media, non extremalis, cum ſit medium, & notet compoſitionem, quam ſine extremis non eſt intelligere, niſi conferatur, & coniungatur ſubiectum cum prędicato, quòd prædicatum habet rationem formæ reſpectu ſubiecti, quia ſpecificat & determinat ſubiectum ſicut forma ſpecificat, & determinat materiam. Verbum verò alia cauſa dicitur forma, quia ſicut per aduentum, & potentiam formæ in materia reſultat compoſitum, ita quandiu verbum coniungit ſubiectum cum prædicato, reſultat enunciatio, denotatq; quandam inhærentiam prædicati; quæ inhęrentia dicitur,

A quaſi forma, quia eſt inhærentia prædicati, quæ ſe habet vt forma reſpectu ſubiecti, & hoc de verbo ſubſtantiuo: verbum verò adiectiuum, vt continet nomen, habet rationem formæ, quatenus eſt prædicatum, non quatenus verbum.

Ad argumentum dico, quod Ariſtoteles loco citato terminum appellat ſubiectum, & prædicatum, vti partes materiales: verbum verò eſt pars formalis; ideo ibi addebat, *appoſito ſeu diuiſo eſſe, vel non eſſe*, tanquam forma.

Vel ſecundo ad argumentum dicitur, quòd
B loquitur ibi de partibus extremalibus propoſitionis: at verbū eſt pars media vnitiua, & ſignificat quandam compoſitionem; ideo ibi dicebat, *appoſito, vel diuiſo eſſe, vel non eſſe*, tanquam parte media vnitiua.

Vnde notatur, quòd verbum eſt pars orationis, vt eſt altera dictio orationis. At ſi verbum ſumatur vt eſt tota oratio implicita, ſic non eſt pars orationis.

Verba namque imperſonalia, vt legitur, amatur, & verba exceptæ actionis, vt pluit, tonat,
C quæ ſunt verba, quia verbum continent, nō ſunt partes orationis, quoniam implicite ſunt enunciationes. Cum enim dicitur pluit, ſubintelligitur Iupiter, & hoc eſt, ac ſi dicatur, Iupiter eſt pluens; vnde per quandam reductionem, & reſolutionem ſunt orationes, & nō partes orationis huiuſmodi verba, & dicuntur verba per incluſionem verbi ſubſtantiui, vt legitur à me, ideſt mihi ineſt actus legendi, vel ſum legens. Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite de Verbo.

D

Super Capite Tertio de Verbo pro Iuris Studioſis.

EX declaratis in ſupra proximo Capite de Verbo duo potiſſimum eliciuntur.

Primum, Verbi deſcriptio, videlicet, quod verbum eſt, quod conſignificat tempus, cuius nulla pars ſeorſum exiſtens eſt ſignificatiua, & eſt ſemper eorum, quæ de altero prædicantur nota.

Secundū, quòd verba ſunt conſimilia nomini-
E bus in ſignificatione & ad inuicē confundūtur.

Quo ad primum, quòd verba ſint voces ſignificatiuę conceptus, habetur manifeſtum, Inſt. de verb. oblig. §. in hac re. quo loci ſtatuitur in ſtipulatione, non eſſe neceſſe, vt ſeruetur certa verborum forma, ſed ſufficit, quòd qui ſtipulationē contrahunt, verba proferant, quæ valeant intellectum, & conceptum, quē intendūt ſignificare.

Quinimo quòd verba ſunt voces ſignificatiuæ, habetur toto tit. ff. de verb. & rer. ſignif.

F Et ſpecialiter tempus verba conſignificare, not. in l. verbum erit. ff. eod. tit. quo loci in Codicilis verbum erit tempus præſens & prçteritum dęnotari valet.

Quo ad ſecundum, in iure nomina, & verba confundi, alterumque pro altero ſumi clare patet ex ll. pecuniæ verbum, & pecuniæ nomine, ff. eod. tit. de verb. & rer. ſign. in quarum prima

Iuriſconſultus pecuniam verbum nominat; in altera pecuniam verbum appellat, quatenus pecuniæ appellatione ſignificatur, nedum numerata pecunia, ſed quicquid in patrimonio exiſtit, eo quoniam in pecuniam uerti poteſt.

Hoc idem habetur in l. exactæ pecuniæ. in l. uictus. ff. eod. quibus in locis nomina uerba dicuntur, ut patet. Et hæc ſufficiant in præſenti Capite pro Iuris ſtudioſis.

De Oratione. Caput Quartum.

IN principio huius libri incœpit Ariſtoteles quærere ſigna, quæ dicutur eſſe literæ, uoces, conceptus, & res: ibi enim determinat, ꝙ literę ſunt ſigna uocũ, uoces ſunt ſigna conceptuum, conceptus ſunt imagines, & ſimilitudines rerum: pauló poſt diuiſit conceptus, dicens alios eſſe ſimplices, alios compoſitos, conceptibus compoſitis dixit reſpõdere affirmationem, & negationem: ſimplices veró conceptus carere affirmatione, & negatione. Idem quoque aſſeruit euenire de uocibus; nam uoces aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Egit primo loco de ſignis, quæ ſunt ſimpliciſſima ordine cõpoſitiuo; nam ſimpliciſſima primum locum obtinẽt, quia primo ſunt literæ, deinde dictiones, poſtremo oratio. Hoc etiam ordine uſus eſt Ariſtoteles in Philoſophia naturali, ubi etiam exorditur a ſimplicibus ad compoſita. Poſtquã egit de quatuor illis, & inter ipſa inuenit proportionem, quód aliqua ſunt ad placitum, ut literæ, & uoces; alia naturaliter, ut res, & conceptus, ſtatim deſcẽdit ad Tractatu de nomine, & uerbo, quæ ſunt partes orationis in Cap. de nomine cõſuetis utitur inſtrumentis, ſcilicet deſcriptione, & diuiſione. Deſcribit nomen, quòd ſcilicet ſit uox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſeparatæ nihil ſignificant. Diſtinguit nomen per finitum & infinitum, per caſum rectum, & caſum obliquum. Conſimili ordine etiam procedit in cap. de uerbo, & definit uerbum, quod ſit uox habens uim ſignificandi certum tempus, & ſemper ſit nota prædicati. Illud idem diuidit per finitum & infinitum; ſeparat uerbum à caſu uerbi. His denique abſolutis, reliquum eſt ut Ariſtoteles ex concurſu, & connexione nominis, & uerbi conſtituat orationem. Similis profectò Ariſtoteles eſt ijs, qui ædes conſtituunt: ordinant enim ipſi partes ſimpliciores, ut lapides, calcem, & reliqua; poſtea aggrediuntur conſtructionem domus, ſic Ariſtoteles præparatus partibus ſimplicioribus, ſcilicet nomine, & uerbo conſtituit orationem, & dicit.

Oratio autem eſt vox ſignificatiua, cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata, vt dictio, ſed non vt affir-A matio, vel negatio, vt homo aliquid ſignificat, ſed non quod eſt, aut non eſt, ſed erit affirmatio, uel negatio, ſi quid additum fuerit, ſed non hominis ſyllaba una; neque enim in eo, quod eſt Sorex, Rex ſignificat, ſed uox nunc eſt ſolum: in duplicibus uerò ſignificat quidem aliquid, ſed non B ſecundum ſe, quemadmodum dictum eſt.

Ariſtoteles deſcribit orationem, nam ut ſuperius etiam dictum eſt, oratio eſt ſecunda intentio, quæ non definitur, ſed potius deſcribitur. Eſt autem hęc deſcriptio, *quòd oratio eſt vox ſignificatiua, cuius aliqua pars eſt ſignificatiua ſeparata, vt dictio, ſed non vt affirmatio, uel negatio*, quæ ad hoc, ut diſtincte intelligatur, omnes eius particulæ ponderandæ ſunt. Ponit Philoſophus in C iſta deſcriptione, *vocem*, loco generis: nam uox eſt genus commune nomini, uerbo, & orationi; additur illa particula, *ſignificatiua*, eodem modo quo cap. de uerbo, & de nomine, ut ſeparet orationem a uocibus illis, quæ ſunt expertes ſignificationis ab expoſitoribus excogitatæ, ut blitiri, & huiuſmodi.

Sed in præſenti parte occurrit difficultas; quoniam ſupra dictum eſt, quod Ariſtoteles in definitione uerbi non ponit has particulas, uidelicet nomen eſt uox ſignificatiua, quas ipſe po- D nit in definitione nominis breuitatis ſtudio. Cur igitur iterat in definitione orationis, uel ergo iſtæ particulæ ſunt neceſſariæ, uel ſuperfluæ? ſi neceſſariæ, cur omiſit in cap. de uerbo, cum etiam uerificentur de ipſo uerbo? ſi ſuperfluæ, cur poſitæ in cap. de oratione?

Diuus Thomas ad hanc obiectionem reſpondet, quod in cap. de nomine neceſſarium erat, ut poneret illas particulas, *vocem*, pro genere, & reliquas loco differẽtiarum: at in cap. de uerbo, omittendę erant, quoniam uerbi conditiones E ſunt nomini ſimilimæ; ſed in cap. de oratione, non erant prætermittendę, quoniam non uidetur eſſe aliqua affinitas, & ſimilitudo orationis cum nomine, & uerbo, quoniam oratio eſt uox compoſita, nomen autem & uerbum ſunt uoces ſimplices & conceptus diuerſos indicant.

Ponit Ariſtoteles ſecundam particulam, *cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata*, ut diſtinguat orationem tum a nomine, tũ à uerbo, quorum partes nihil ſignificant ſeparatæ; at partes F orationis ſeparatæ aliquid ſignificant. Exemplum, Sol oritur, huius orationis partes ſeparatæ aliquid ſignificant; nam uerbum, *oritur*, ſignificat, & Sol etiam ſignificat. Addidit autem uerbum illud, *vt dictio*, ſed non ut affirmatio, uel negatio, ut indicaret partes orationis ſeparatas nõ ſignificare uerum, uel falſum, ſed tantum conceptum ſimplicem. Per *dictionem*, intelligit uocem

ſimpli-

ſimplicem,quæ conceptum repræſentat. Non A erit inutile pro hac re intelligẽda in memoriam reuocare diſtinctionem illam de operationibus intellectus,quam ſuperius tradidi,videlicet operatio intellectus triplex , quæ apprehendit ſimplicia,quæ affirmat,& negat, quæ ratiocinatur, dictiones , & partes orationis ſeparatæ ſignificant aliquid , ideſt ſimplicem conceptum , qui ſpectat ad primam intellectus operationẽ : non autem ſignificant affirmationem , vel negationem. Faciamus orationem Hypotheticam,vt B ſi Sol eſt ſuper terram , dies eſt : in hac oratione verum eſt , quòd partes huius orationis ſignificant aliquid,ideſt affirmant & negant: at in Categorica oratione,vt Socrates currit,partes huius ſeparatæ tantummodo ſignificant ſimpliciſſimos conceptus,vt Socrates,& currit;quæ partes cum ſint ſimplices non ſignificant affirmationem,vel negationem , ſed ſi nomini addatur verbum , & verbo nomen , tunc ſignificabunt, quoniam erit oratio : & hoc eſt , quod inquit, *vt homo aliquid ſignificat , ſed non quod eſt , aut non* C *eſt, ſed erit affirmatio vel negatio , ſi quid additum fuerit*. Et quoniam dixit, quod partes orationis ſeparatę aliquid ſignificant ad differentia in nominis,& verbi:propterea in illis vocibus, *Sed non Hominis ſyllaba vna,neque enim in eo quod eſt Sorex Rex ſignificat,ſed vox nunc eſt ſolum*, oſtendit Ariſtoteles , quòd partes nominis nihil ſignificant ſeparatæ , vt ſi dicatur So , Rex , & ſi quis dicat Rex,videtur ſignificare Regem. Reſpondetur, quòd ſignificat quatenus eſt dictio per ſe ; non autem vt pars illius nominis,quę ſic nihil ſigni- D ficat. Aliud autem eſt eas accipere vt ſunt dictiones per ſe,quoniam ſic ſignificant. In illis autem verbis, *In duplicibus verò ſignificat quidem aliquid,ſed non ſecundum ſe, quemadmodum dictum eſt.*

Occurrit Ariſtoteles cuidã dubitationi , nam videtur , quòd nominum compoſitorum partes aliquid ſignificent ſeparatæ , vt ſit hoc nomen compoſitum equiferus,videtur quòd huius nominis partes aliquid ſignificent,vt equus , & ferus ; Reſpondet Ariſtoteles vt ſuperius quoque reſponſionem præbuit , quòd iſtarum partium E nominis compoſiti eſt ſignificatio apparens; nã videtur quòd ſignificent, tamen re ipſa nõ ſignificant : cum enim iſtæ partes ſunt diſiunctæ , & ſeparatæ nihil ſignificant ſecundum ſe, ideſt vt ſunt partes,ſed ſecundum compoſitionem,ideſt ſignificant aliquid , vt eſt nomen compoſitum : & hæc eſt differentia inter nomina ſimplicia,& compoſita , quod nominum ſimplicium partes nihil ſignificant re ipſa,neque ſignificare videntur : at nominum cõpoſitorum partes nihil quidem re ipſa ſignificant,ſed ſignificare videntur. F Hactenus habemus definitionem orationis , ſequuntur dubia.

Poſſet aliquis contra iſtam definitionem dubitare: videtur enim quòd Ariſtoteles male definierit orationem.

Primo quoniam oratio ſit ex concurſu nominis , & verbi , & eſt congregatio multorum in

Tractatus Tertius.

A vnum,& ſic quoddam compoſitum ; ergo male dixit Ariſtoteles,quòd oratio eſt vox, cum vox ſit quoddam ſimpliciſſimum , ſed videtur potius, quòd debuiſſet dicere orationẽ eſſe voces.

Ad hanc difficultatem reſpondetur , quòd Ariſtoteles accipit vocem non pro ſimplici, ſed pro compoſita,quæ ex multis conficitur; multa enim faciunt vnum , multa elementa conſtituũt hominem, vnde oratio eſt plures voces incomplexæ; verum habent vnitatem ordinis , & ſunt vna vox complexa.

B Vlterius dubitatur cõtra eam definitionem. Dictum eſt enim, quòd oratio ſit vox ſignificatiua,uerum 7.diuinæ Philoſophiæ dicit non definiri niſi ſimpliciſſimas res,non autem compoſitas ; nam quis poſſet definire hominem eſſe album? At Ariſtoteles definit orationem , quæ eſt quoddam compoſitum ex nomine,& verbo;ergo male .

Ad hanc difficultatem reſpondeo,quòd Ariſtoteles accipit orationem pro ſimpliciſſima voce,quæ eſt oratio, ideſt pro notione ſecũda. Iſta C enim vox, *oratio*, eſt quoddam incomplexum , cum ſit ſecunda intentio : at ſi accipiatur oratio pro prima intentione, eſt quid compoſitum , & denotat , Franciſcum perorare,vel Aeneam legere. Dico igitur quòd Ariſtoteles deſcribit orationem,vt quoddam ſimpliciſſimum, prout ſcilicet eſt ſecunda intentio; non autem definit orationem vt eſt prima notio, ſic enim eſt compoſitum,& complexum.

Tertio dubitatur , quoniam partes orationis ſunt literæ,& ſyllabæ, & literæ, & ſyllabę nihil D ſignificant ſeparatæ; ergo partes orationis nihil ſignificant.

Reſpondetur,quòd literę & ſyllabæ ſunt partes orationis remotæ; definitio autem orationis intelligitur de partibus propinquis.

Quarto dubitatur , quoniam ſi imponeretur A,ad ſignificandum quantum ſignificat hęc oratio, Homo eſt amans, erit oratio , & tamen nullam habebit partem;ergo non omnis oratio habet partes ſignificatiuas,quia nec habet partes.

E Reſpõdetur,quòd uirtute habet partes , quia etiam virtute ſignificat illam orationem , & ſubordinatur enunciationi. Sequitur textus.

Eſt autem oratio omnis quidem ſignificatiua; non autem ſicut inſtrumentum, ſed quemadmodum dictũ eſt ſecundum placitum.

Hic Ariſtoteles cõcludit orationem omnem ſignificatiuam eſſe, & non eõdem modo ſignificatiuam ponit,vt aſſeruit Plato in Cratylo,uem F pe naturaliter , & vt inſtrumentum , ſed ad placitum , & ex hominum inſtituto , vt dictum eſt ſupra de partibus ipſius,nẽpe nomine,& verbo.

Vnde notandum, quòd Cratylus dicebat orationem eſſe ſecundum naturam , non autem ſecundum inſtitutũ noſtrum,quia per orationem nos ſolemus animi paſſiones tanquã per inſtru-

mentum explicare: omne autem inſtrumentum virtutis naturalis eſt a natura; quia ſicut Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ita non videntur deficere in neceſſarijs. Hinc virtutis viſiuæ oculi ſunt naturale inſtrumentum, aures audiendi, & ſimilia, ſic in propoſito dicebat Cratylus ſe debet habere, quod inſtrumenta virtutis interpretatiuæ ſint naturalia. Ariſtoteles itaque hoc in loco id negat, namque & ſi virtutis interpretatiuæ primum, & proprium inſtrumentum ſit naturale, vti ſunt lingua, guttur, palatum, dentes, & labia, effectus vero illius uirtutis eſt oratio, quę eſt ad placitum; nam quẽadmodum in tripudijs videmus, quòd motus plurimi fiũt, qui à natura ſunt, tamen modificatio illa eſt ſecundum humanam voluntatem, & inſtrumentum; ita pariter in oratioue contingere videtur; quatenus enim oratio vox, & ſonus eſt, a natura eſſe dicitur; ſecũdum verò quòd tales voces ſunt, & formantur ſecundum inſtitutum hominis, ſecundum placitum dicuntur eſſe; unde euenire poteſt, quòd aliquis ſit effectus virtutis naturalis per inſtrumenta naturalia, vt in propoſitio exẽplo dictum eſt, & ſecundum alium vſum ſit ex inſtitutione humana; nam quando aliquis noſtrùm loquitur, concurrunt duo inſtrumenta, inſtrumentum naturale, & ratio. Naturalia inſtrumenta ſunt gula, dentes, lingua; concurrit etiam ratio dearticulans, & inflectens curſum orationis, & per rationem diſtinguitur oratio à vocibus brutorum: vox fit ex inſtrumentis naturalibus; nam canis etiam ipſe habet thoracẽ, pulmonem, dentes, linguam, non tamen profert orationem, quæ indiget ratione, & diſcurſu. Cõſiderat igitur Ariſtoteles orationem, non tantum vt ſit ex inſtrumẽtis naturalibus, ſed etiam vt concurrit ad orationem ipſa ratio, ipſe diſcurſus, vt hæc oratio Petrus amat, ſit ex inſtrumentis naturalibus, ſcilicet palato, pulmone: fit etiã ex ratione intellectus, quæ eſt electio noſtra; intellectus autem, & ratio non ſunt naturaliter, imò ſunt ſupra naturam: quare oratio non eſt naturalis, ſed ad placitum, quoniam eſt ſecundum rationem, & impoſitionem noſtri intellectus.

Enunciatiua vero non omnis, ſed in qua verum, vel falſum eſt; non autem in omnibus ineſt, vt deprecatio oratio quidem eſt, ſed neque vera, neque falſa. Cæteræ igitur relinquantur; Rhetoricæ enim, vel Poeticæ conuenientior eſt conſideratio; enunciatiua verò præſentis eſt ſpeculationis.

Definita oratione, declarata etiam quadam particula definitionis, quæ videbatur habere difficultatem, oſtenſo quòd oratio ſignificat,

A non ut naturale inſtrumentum, ſed vt inſtrumẽtum rationis ad placitum, & ex arbitrio noſtro.

Nunc aggreditur orationem explicandam altero inſtrumẽto, nempe diuiſione, & diſtinguit orationem, quòd alia eſt enunciatiua, quædam verò non, vt ſi diceremus, animal aliud rationale, aliud non, iſta eſt diſtinctio non per contraria priuatiua, ſed per cõtradictoria; ſeparat inquam orationem enunciatiuã ab oratione non enũciatiua ex hoc, quod in enunciatiua oratione reperitur veritas, & falſitas; in non enunciatiua verò
B minime reperitur veritas, aut falſitas. Vocat Ariſtoteles enunciatiuam orationem illam, in qua adeſt veritas, vel falſitas. Hæc a Dialecticis vocatur propoſitio, a Gramaticis indicatiua, quia indicat verum, vel falſum dicitur indicatiua; dicitur propoſitio, quoniam proponit verum, vel falſum. Iſta oratio enunciatiua eſt dignior, & nobilior omnibus alijs orationibus, & de hac agitur in lib. Periherinenias.

In declarando hanc enunciationem ordi-
C nem ſeruauit a ſimplicioribus ad compoſitum, nempe exorſus eſt a ſignis ad nomen, & verbũ, à nomine, & verbo ad orationem; orationem declarat definitione & diuiſione. Diuiſio eſt iſta, quòd oratio vel eſt enunciatiua, quæ ſignificat verum, vel falſum; vel non enũciatiua, quæ non ſignificat verum, vel falſum, vt imperatiua, deprecatiua, & huiuſmodi; quæ tamen licet non ſignificent neque verum, neque falſum, dicuntur orationes: Verùm inquit cæteræ relinquendæ ſunt Rhetoribus, atque Poetis, à quibus con-
D uenientius conſiderantur: enunciatiua verò præſentis eſt ſpeculationis.

Hinc ex hoc loco ſumitur ab Ammonio, enũciationem eſſe huius libri ſubiectum, quoniam inquit Ariſtoteles, illæ omnes, quæ non ſunt enũciatiuæ, vt imperatiuæ, deprecatiuę, & huiuſmodi, prætermittendæ ſunt a Logicis. His namque orationibus vtuntur Oratores, & Poetæ, vt moueant affectus in animos auditorum; at Logica non curat ornatum verborum, ſed verum, vel falſum; aliæ verò potius ſpectant ad ornamen-
E tum. Propterea merito ſpeculatur Ariſtoteles tantum enunciatiuam orationem. Ex hoc loco colligit Ammonius intentionem ſuam de ſubiecto huius Tractatus Perierũ, vt ſupra dixi. Quod verum eſt de ſubiecto proprio, & principali, licet quoque etiam ſecundum Boetium quæcunque vox ſignificatiua ſit ſubiectum.

Sed quęritur cauſa cur Dialectica prætermittat alias orationis ſpecies, & ſolam enunciationem ſpeculetur.

Dicamus, quòd cum in nobis ſint duæ partes
F (loquor de partibus animæ) actiua ſcilicet & ſpeculatiua, partis actiuæ proprium eſt eligere res humanas, bonum & malum, partis contemplatiuę proprium eſt intelligere & cognoſcere, partis actiuę obiectum eſt bonum, obiectum ſpeculatiuæ eſt verum. Tanta igitur eſt differentia inter partem actiuam, & ſpeculatiuam, quanta eſt inter bonum, & verum: ſunt itaque in homine par-

ne partes duæ, actiua ſcilicet & contemplatiua; actiuę partes ſunt electio, volũtas, vis diſcurſiua, inde oratio ortum habuit vt eſſet inſtrumẽtum rationis ad placitum, quoniam oratio fit ex ratione diſcurſiua, dearticulata, & inflectente orationem ipſam. Cum igitur parti actiuæ, & parti contemplatiuæ, inſeruiat oratio, oratio quæ inſeruit actiuæ, eſt omnis oratio præter enunciatiuam, vt deprecatiua, ſub qua optatiua, imperatiua, interrogatiua, & vocatiua, quas qui profert, mouetur ad ipſarum quamlibet pronunciandam; ductus interno affectu, ideſt appetibilis animę, vt puta ſpe futuri boni. Huic ergo parti inſeruiunt illæ quatuor orationes, ex alio latere inuenta eſt oratio, quæ reſpondet intellectiuæ parti, ideſt contemplatiuæ, quæ non exprimit nobis aut deſiderium, aut dolorem, ſed verum, vel falſum: nam obiectũ intellectus eſt ipſum ſcire vel verum, vel falſum. Hæc autem oratio vocatur enunciatiua, quæ inſeruit parti animæ noſtræ intellectiuæ; & hæc ratio eſt cur ſola enunciatio ſpectet ad Logicum, quoniam finis Logicæ eſt cognoſcere verum, vel falſum, ſed ſola enunciatio ſignificat verũ, vel falſum, quoniam inſeruit animæ noſtræ intellectiuæ; ergo ſola enũciatio pertinet ad Logicum. Concludo itaque, quod inquit Ariſtoteles *cęterę orationes prætermittantur* quoniam earum conſideratio non pertinet ad Logicum, ſed ad Oratores, & Poetas, quoniam Poetæ, & Oratores habent reſpectum ad animi motionem, nedum ad intellectũ, quia affectus mouent, vt docet Ariſtoteles Rhetor. 2. At quia Logica eſt de actibus, quæ inſeruiunt intellectui, cuius obiectũ eſt verum, & ſola enunciatio indicat verum, vel falſum; idcirco Logicus conſiderat ſolam enunciationem.

Eſt autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio, aliæ uerò omnes coniunctione una

Poſteaquam diuiſa eſt oratio, & declarata enũciatio, nũc Ariſtoteles diſtinguit enũciationẽ. Dixi enim quòd Philoſophus ſenſim ducit nos ad cognitionẽ enunciationis, incœpit enim à primis elementis, ideſt à ſignis, & nominibus, & verbis ad compoſitam, ideſt ad orationem, ipſam declarauit nobis orationem duplici inſtrumẽto, definitione ſcilicet, & diuiſione, vtroque etiam vtetur in explicanda enunciatione.

Primo autem diuidit enunciationem.

Vnde pro notitia ſciendum eſt, quòd enunciatio poteſt diuidi multifariam.

Poteſt nãque diuidi enunciatio ratione qualitatis, ratione quantitatis, ratione ſignificationis, ex ſubſtantia. Poſtremo per eà, quæ extrinſecus adueniunt.

Diuiditur enunciatio ex qualitate, cum dicimus, enunciationem vel affirmatiuam, vel negatiuam eſſe, nam affirmatio & negatio ſunt qualitates.

Per quantitatem diuiditur, cũ dicimus, enunciationem eſſe vel vniuerſalem, vel particularem, vel indefinitam, vel ſingularem.

Per ſignificationem diuiditur, dicendo, orationem eſſe veram, vel falſam.

Ex ſubſtantia diuiditur, quòd ſit Categorica, vel Hypothetica.

Ex ijs, quæ extrinſecus accidunt, diuiditur enunciatio, quòd ſit vna vel plures, compoſita, vel ſimplex, ex verbo ſubſtantiuo, vel adiectiuo, quòd ſit modalis, vel de ineſſe, vel de ſecundo, vel de tertio adiacente, quòd ſit de terminis finitis, vel infinitis: quæ omnia ſuis locis declarabuntur. Iſtæ ſunt diuiſiones enunciationis, ſed dimittantur.

Quantum pertinet ad præſentem diuiſionem enunciationis diuiditur per ea, quæ extrinſecus accidunt, quòd oratio enunciatiua alia eſt vna, ex ſuapte natura, quæ ſimplex eſt, vt Socrates ſedet: alia eſt vna coniunctione, quando ſcilicet oratio enunciatiua conſtat ex pluribus prędicatis vnam tantum rem denotãtibus, vt homo eſt animal rationale, mortale, vel quæ conſtat ex cõiunctione plurium Categoricarum, vt Hipothetica, & ſuppoſitionalis, ſi Sol eſt ſuper terram dies eſt.

Simplex enunciatiua eſt pura affirmatio, & pura negatio: vnde illud verbum licet, *Prima*, tum poteſt referri ad vnam coniunctione, quòd ſcilicet vna ſimpliciter prima eſt, ac ſit vna coniunctione; tum etiam poteſt referri, licet, *Prima*, ad negationem, quòd ſcilicet affirmatio prima eſt reſpectu negationis; vel quia affirmatio ſe habet vt habitus, negatio vt priuatio, vt dicunt aliqui; vel quia negatio addit ſupra affirmationem, apponit namque ſignum negatiuum; prius autem eſt quod additionem ſuſcipit, quam quod additur, & perficitur. Sequitur textus.

Neceſſe eſt autem omnem enunciatiuam orationem ex verbo eſſe, vel ex caſu verbi; etenim hominis ratio, niſi addatur aut eſt, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiuſmodi, nondum oratio enunciatiua eſt; quoniã vnum quidã eſt, & non multa, animal greſſibile bipes, non enim eo quod propinquæ partes dicuntur, vna erit, eſt aut alterius hoc tractare negotij.

Intentio Ariſtotelis in præſenti parte eſt quęrere utrum poſſibile ſit dari aliquã propoſitionem uel affirmatiuam, uel negatiuam, uel ſimplicem, uel coniunctam ſine uerbo; & iſtam quæſtionem determinat ipſemet Philoſophus dicens, quòd impoſſibile eſt dari aliquam propoſitionem ſine uerbo, aut caſu uerbi.

Cauſa cur diſtulerit ad præſentem locũ hanc quæſtionem, eſt ratione dignitatis ipſius uerbi. Alibi enim dixi, quòd uerbum eſt ueluti forma,

nomen

nomen autem uti materia, ut etiam colligitur 1. Priorum.

Cum itaque uerbum ſit illud, quod potiſſimum conſtituit orationem, ad hoc ut eius præſtantia innoteſcat, in præſenti parte determinat, quòd ſine uerbo non poteſt fieri enunciatio; neceſſarium namque eſt ipſum uerbu, quod eſt copula, & ſine quo affirmatio, & negatio adinueniri nõ poteſt; & affert cauſam Ariſtoteles, quare ſine uerbo, aut caſu uerbi non poſſit fieri enũciatio, argumentans à ſimili; namque ſicut definitio ſine verbo, aut caſu verbi non eſt enũciatio, quia non ſignificat verum, neque falſum; ita nec aliquod aliud nomen vnum poteſt ſine verbo, aut caſu verbi dici orationem enunciatiuam, quia pariter non indicat neque verum, neque falſum.

Et quoniam quis poſſet obijcere, quòd definitio ſiue habeat verbum, ſiue non, nũquam poteſt eſſe enunciatio; & per conſequens non ſit vtile, & commodatum exemplum, cum definitio non ſit quid vnum, ſed multiplex: ideo ſuperuenienti obiectioni reſpondet Ariſtoteles, quòd quãuis definitio videatur eſſe multiplex, eo quoniam habeat multa prædicata, vt animal greſſibile bipes: enunciatio verò vnum duntaxat habeat prædicatum, tamen inquit definitio denotat vnã rem, & hæc plura prædicata, Animal greſſibile, bipes habent vim vnius prędicati, quatenus vnam rem conſtituunt, puta hominem, & ſunt inuicem cõiuncta ordine eſſentiali. Declarare autem quomodo vnum, & non multa definitio ſit, alterius aſſerit eſſe negotij, vt Metaph. 7. namque, & 8. Metaph. determinatur hæc quæſtio.

Notãdum, quòd Ariſtoteles negat, quòd plura prædicata ſignificent plures res, imò aſſerit plura prędicata denotare vnicam tantum rem, & dicit, quòd partes definitionis habent vnitatem non ex noſtra ratione multiplici, ſed ex re ipſa. Propterea ſciendum, quòd cauſa quare partes definitionis ſignificent vnum tãtum, eſt iſta, quoniam etiam materia & forma quamuis ſint duo, tamen vnum tantum conſtituunt, non diuerſa: ſic cũm genus, quod eſt pars definitionis ſit vti materia, differentia autem veluti forma, vnum tantum, non diuerſa conſtituunt.

Cauſa itaque, quòd definitio ſit vna, licet cõplexa habeat, non eſt noſtra pronunciatio, vt pronunciando homo animal, greſſibile, bipes; ſed cauſa eſt, quia fit ex materia, & forma, quæ conſtituunt vnum. Quare concludendum eſt definitionem licet habeat plura prædicata, tamen vnum tantum ſignificare, & ſic eſſe poſſe ennnciationem.

Sed dubitatur, quomodo definitio poſſit eſſe enunciatio, quoniam enunciatio vel eſt affirmatiua, uel negatiua. At definitio neque affirmat, neque negat; eſt enim intellectus operatio ſimplex, quæ non dicit eſſe, uel non eſſe, uti habetur 1. Poſter. textu com. 78. ergo definitio ullo modo poteſt eſſe enunciatio.

A Reſpondeo, quòd definitio quandoque ſignificat primam operationem intellectus, quæ eſt ſimplicium apprehenſio, quæ neque affirmat, neque negat, quandoque ſignificat ſecundam operationem intellectus, quæ affirmat & negat.

Si accipiatur definitio ut definitio, ſic non eſt de genere complexorum, & ſic non affirmat, neque negat: ſi uero conſideretur quatenus ingreditur demonſtrationem, ut eſt in propoſitione, tunc dico, quod poteſt ſignificare ſecundã operationem intellectus, & affirmare, & negare.

B Primo itaque Poſter. loco citato negat definitionem dicere eſſe, uel non eſſe, quoniam eam non conſiderat ut actu eſt in propoſitione. At hic quatenus propoſitio conſideratur, & quatenus actu demonſtrationem ingreditur.

Eſt autem una oratio enũciatiua, quę unum ſignificat uel coniunctione una; plures autem quæ plura, & non unum, uel inconiunctę.

C Cum Philoſophus ſupra tetigerit breuiter diuiſionem enunciationis per unum, & multa, nunc accedit ad euidentiorem illius declarationem, & inquit, quòd enunciatio una dicitur, uel quę habet tantum unam ſignificationem, ut homo currit; unum enim tantum eſt ſignificatum hominem currere, & dicitur una ab unitate terminorum, uel enunciatio dicitur una propter coniunctionem terminorum, ut cum dicimus, Aeneas eſt homo, rationalis, & diſciplinabilis, D uel cum dicimus, ſi homo eſt, animal eſt, enunciatio uerò dicitur multiplex, uel quia multiplex habet ſignificatum, & orationes amphibologicæ, & æquiuocæ, & ſic ratione ſignificati, propter amphibologiam terminorum, ut canis currit; uel etiam dicitur multiplex propter terminorum diſiunctionem, cum non habeat coniunctionem, ut cælum mouetur, Ioannes ſedet; ſunt enim termini diuiſi & diſiuncti. Poteſt itaque ordinari hæc diuiſio hoc modo, enunciatio una, & multiplex; una ſecundum ſignificatio- E nem, ſecundum coniunctionem; multiplex ratione ſignificationis, ratione diſiunctionis. Enũciatio una ſecundum ſignificationem eſt, Franciſcus amat. Enunciatio una ſecundum coniunctionem eſt, ſi Sol eſt ſuper terram dies eſt. Enunciatio multiplex ſecundum ſignificationem eſt, canis mouetur. Enunciatio multiplex ſecũdum diſiunctionem eſt, Petrus ſtudet, Cicero legit.

Nomen igitur uel uerbum dictio ſit ſolum, quoniam non eſt dicere ſic F aliquid ſignificantem uoce, ut enunciare, uel aliquo interrogante, uel non, ſed ipſo ſponte proferente.

Declarata diuiſione enunciationis, quomodo ſit una, aut multiplex, pergit Ariſtoteles ulterius oſtendere, quòd nomen & uerbum ſint dictiones

nes

nes ſimplices; vnde admirãtur Expoſitores, cur Ariſtoteles hoc in loco agat de nomine.

Verùm meo iudicio nõ eſt quid admiremur, hucuſque namque Philoſophus mãdauit, quòd oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum, medio cuius declarationis nos duxit in cognitionem enunciationis: ſiquidem non omnis oratio ſignificatiua eſt enunciatio, ſed tantummodo quæ verum, & falſum enunciat. Diſtinxit enunciationem per vnum, & multa: patefecit quomodo dicatur vna, quomodo multiplex. Quæ omnia coniunctione quadam inuicem conſequebãtur.

Modo his abſolutis, quæ neceſſario interponenda erant, reſpondet ad explicat onem alterius particulæ poſitæ in definitione orationis, ſcilicet quòd partes ipſius ſignificant vt dict.o, non vt affirmatio, vel negatio.

Quapropter miro ordine procedit, & dicit, quòd, nomen & verbum, quę ſunt partes orationis ſeparatæ, ſignificant, *vt dictio*, ideſt primam operationem intellectus noſtri, quæ eſt ſimplicium apprehenſio; non autem partes orationis ſeparatæ ſignificant affirmationem, vel negationem.

Et quia quis poſſet dicere, quòd nomen, & verbum ſignificant ſeparata ſecundam intellectus operationem, vt puta ſi quis interrogetur quis perorat in cauſa, & reſpondeatur Cicero, nomen hic nempe Cicero affirmat, & ſignificat affirmationem, quòd Cicero perorat, quod idẽ de verbo ab oratione ſeparato dicere valeamus.

Ideo dicit Ariſtoteles, quod nomen & verbum ſiue ſimpliciter prolata, ſiue ex interrogatione ſe habent vt dictio, & non ſignificant affirmationem, & negationem. Cum enim interroganti quis perorat, reſpondeatur Cicero, ſubauditur verbum perorat: & cum interroganti quid agit Cicero, reſpondeatur, perorat, ſubintelligitur Cicero, & ſic erit enunciatio, quoniam adeſt nomen & verbum. Vnde cum ad interrogationem & nomen & verbum ſignificẽt verum, vel falſum, affirment, vel negent, hoc non fit ex ſe, ſed in virtute præcedentis interrogationis, non quatenus dictio, ſed prout euadit enunciatio.

Senſus itaque verborum Ariſtotelis eſt, quòd ille, qui exprimit nomen, aut verbum ſeiunctim non affirmat, neque negat, licet exprimat reſpõdens alicui interroganti, vel non, ſiue ponantur nomen, & verbum in interrogatione vel ſponte: nam nomina & verba proferri ſolent duobus modis, vel ſponte proponendo, vel reſpondendo; ſi profertur nomen ſpõnte, vel verbum, manifeſtum eſt, quòd non affirmat neque negat, vt Petrus, Aeneas, diligit, obſeruat: iſta nomina, & verba ſeparata ſignificant tantùm conceptum ſimplicem, non autem affirmant, aut negant; in reſponſione autem cum profertur nomen vel verbum, non affirmat, aut negat ex ſe, ſed ratione prioris interrogationis.

Harum autem, hæc quidem ſimplex eſt enunciatio, vt aliquid de ali-
A **quo, uel aliquid ab aliquo: hæc autem ex his compoſita, uelut oratio quædam iam compoſita.**

In hac parte Ariſtoteles deueniens tandem ad inſtitutum ſuum, docet, quòd enunciatio duplex eſt, ſimplex, & compoſita. Enunciatio ſimplex, vel pura affirmatio, vel pura negatio. Compoſita enunciatio eſt, quæ conflatur ex pluribus ſimplicibus, & eſt compoſita affirmatio, vel compoſita negatio: & iſta oratio compoſita vocatur
B Hypothetica, quæ conſtat ex pluribus Categoricis, vt ſi Sol eſt ſuper terram dies eſt.

Sed inſurgit dubitatio, quomodo diſtinguit Ariſtoteles orationem enunciatiuam per ſimplicem, & compoſitam, cum ſuperius diuiſerit per vnam, & multiplicem: videtur enim quòd hæc diuiſio ſit ſuperflua, cum vnum & ſimplex, compoſitũ & multiplex coincidere ſimul videãtur.

Reſpondetur, quod iſtæ diuiſiones non ſunt eædem, imò ſunt diuerſæ: alud namque eſt di-
C ſtinguere enunciationem in vnam, & multiplicem, alud conſiderare, quòd diuidatur in ſimplicem, & compoſitam, quoniam non eſt neceſſarium, vt omnis enunciatio ſimplex ſit vna, & omnis enunciatio compoſita ſit multiplex: enũciatio enim poteſt eſſe ſimplex, & vna, vt homo eſt animal; poteſt quoque eſſe compoſita, & vna, vt ſi Sol eſt ſuper terram dies eſt. Similiter etiam è contrario, poteſt eſſe enũciatio multiplex, quæ ſit ſimplex, vt canis currit, nam ſignificatum eſt multiplex, cum canis ſignificet tria, cæleſte, ter-
D reſtre, & marinum, tamen enunciatio ſimplex eſt, & Categorica. Interdum enunciatio multiplex eſt, compoſita, vt cælum mouetur, terra eſt immobilis: & ſic patet quòd cum iſta poſtrema diuiſio enunciationis non ſit eadem, cum ſupra poſita ab Ariſtotele, quod non fuit ſuperfluus.

Dicit itaque Philoſophus, *Harum autem*, videlicet enunciationum, de quibus ſupra proxime eſt locutus, puta vel vna, vel multiplex ſit: *alia eſt ſimplex*, alia eſt ex ſimplicibus compoſita; namque ſicut enunciatio vna poteſt eſſe ſimplex
E & compoſita, pari ratione quoque enunciatio multiplex, & ſimplex, & compoſita eſſe valet, ut oſtenſum eſt.

Eſt autem ſimplex enunciatio vox ſignificatiua de eo, quod eſt aliquid, uel non eſt, quemadmodum tempora ſunt diuiſa: affirmatio uerò eſt enũciatio alicuius de aliquo; negatio uerò enunciatio alicuius ab aliquo.

F Quæ hactenus ab Ariſtotele dicta ſunt, propoſita fuere, vt colligatur definitio enunciationis; quæ eſt ſubiectum in hoc libro, nempe ſimplicis enunciationis. Eſt autem iſta, enunciatio ſimplex eſt vox ſignificans eſſe, & non eſſe. Et iſta enũciatio ſimplex eſt ſubiectũ in libro, quoniam ex ipſa efficitur ſyllogiſmus Categoricus.

In

In hac definitione enũciationis ponitur, *vox*, loco generis; nam vox eſt communis nominis, verbi,& orationis. Additur illa particula, *ſignificatiua*, ſignificatiua inquam ad placitum, & ad arbitrium noſtrum, non autem naturaliter. Verùm quid intelligat per ea verba, *de eo quod eſt aliquid, vel non eſt*. Expoſitores inter ſe ſunt diuerſi.

Alexander Aphrodiſæus dicit, quòd Ariſtoteles per *quod eſt*, intelligit affirmationem, per *non eſt*, negationem, quia erat huiuſmodi opinionis, vt enunciatio non eſſet genus vniuocum affirmationis, & negationis, ſed genus æquiuocum, & affirmationem & negationem eſſe ſpecies æquiuocas, & arguinentabatur, quia hæc definitio enunciationis traditur per enumerationem, vti canis eſt genus æquiuocum, & definitur per enumerationem ſuorum ſignificatorum, quòd canis alius ſit latrabilis, alius ſtellaris, alius marinus. Si enim eſſet genus vniuocum, non poſſet definiri per ſuas ſpecies, per affirmationem, & negationem; animal nãque, quod eſt vniuocum genus non definitur per ſuas ſpecies, nempe, quòd ſit homo, capra, leo, bos; neque definitur triangulus, quod ſit iſoſcheles, ſcaleno, & quadratus, hoc enim eſſet inconueniens.

Cum itaque ex Alexandro enunciatio ſit genus æquiuocum affirmationis, & negationis, nihil eſt mirum ſi definitur ex enumeratione ſuarum ſpecierum.

Alij verò, vt Porphyrius, *per eſſe & non eſſe*, non explicarũt affirmationem, & negationem, ſed dixerunt eſſe, & non eſſe, formales exiſtere differentias affirmationis, & negationis, vti rationale, & irrationale. Rationale namque non eſt homo, ſed eſt formalis differentia hominis; irrationale verò formalis differentia bruti.

Opinionem Alexãdri paulò inferius in quæſtione particulari, an enunciatio ſit vniuocum genus affirmationis, & negationis conſiderabo.

Sententia autem Porphyrij redarguitur á Diuo Thoma, nam dicit ipſe, quòd vbi eſt rationale, eſt homo, vbi eſt irrationale, eſt brutũ; nam formæ ſtatim inferunt ſuas ſpecies. Si igitur eſſe, & non eſſe, ſunt formæ affirmationis, & negationis; ergo ſunt ſpecies ipſa, affirmatio, & negatio.

Pariter á Diuo Thoma redarguitur opinio Boetij dicentis, quòd Ariſtoteles mira breuitate ſimul & ſemel definit, & diuidit enũciationem; ſiquidem genus non ſolet definiri per differentias diuiſiuas, nec ſatis eſt ad definitionem enunciationis ponere, quòd ſit vox ſignificatiua. Propterea ipſe cũ Ammonio teſtatur Ariſtotelem hic non definire, ſed ſimpliciter diuidere enunciationem in eſſe, & non eſſe, quæ ſunt differentiæ ſpecificæ affirmationis, & negationis. Definitionem autem enunciationis aſſerit fuiſſe ſupra poſitam, quando dicit Philoſophus, quod enunciatio eſt illa, in qua eſt verum, vel falſum.

Verùm meo iudicio, pace tanti viri, dixerim, huiuſcemodi opinio non videtur eſſe ad aures A Philoſophi; ſiquidem nondum Ariſtoteles diſtinxerat loco ſupra allegato enunciationem in ſimplicem, & compoſitã, imò potius eo in loco ſeparat orationem enunciatiuam a non enunciatiua: at in pręſenti præhabita diuiſione enũciationis, quod alia ſit ſimplex, alia compoſita, modo ſimplicem enũciationem, nempe Categoricam, de qua intentio eius eſt, definire neceſſe erat, quod facere manifeſtum eſt, cum nedum dicat enunciationem diuidi per eſſe, & non eſſe, ſed ponat, quòd ſit vox ſignificatiua de eo quod B eſt, vel non eſt, ſecundum quod tempora ſunt diuiſa.

Quapropter Reuerendus admodum Frater Ioannes Maria Euſtochius de Spinellis præceptor meus, perpetuæ memoriæ obſeruandus, dicere ſolebat, hanc eſſe definitionem enũciationis, & quod eſſe, & non eſſe, non ſunt affirmatio, & negatio, quoniam ponuntur in definitione enunciationis; vnde enunciatio eſſet genus ęquiuocum, quod eſt falſum; pariter eſſe, & non eſſe non ſunt formæ, quoniã formæ conſtituunt ſpe- C ciem: ſed eſſe & non eſſe dicuntur proprietates ſequentes ſpeciem, vt riſibile, quod eſt proprietas hominis.

Ponatur rationale, riſibile, homo: rationale eſt forma hominis, riſibile eſt proprietas hominis, ſic eſſe & non eſſe ſignificant proprietates ſpecierum affirmationis, & negationis, non autem ſunt ipſę ſpecies.

Vnde Ariſtoteles definit enũciationem à poſteriori per proprietates ſequentes ſpecies ipſas. Hinc poſtea definit affirmationem & negatio- D nem dicens, affirmationem eſſe enunciationem alicuius de aliquo; negationem verò enunciationem alicuius ab aliquo.

Quando addit licet affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo; negatio verò enunciatio alicuius ab aliquo.

Vnde notatur, quòd per iſtas particulas, *Ab*, & *De*, Ariſtoteles denotat compoſitionem, & E ſeparationem. *Ab*, ſignificat ſeparationẽ, quoniam omnis negatio ſeparat aliquid ab aliquo. *De*, autem denotat compoſitionem, quoniam omnis affirmatio apponit aliquid alicui.

Quoniam autem enunciare eſt, & quod eſt, non eſſe; & quod non eſt, nõ eſſe: & circa ea, quę extra pręſens, tempora ſunt ſimiliter, omne vtique cõtingit, quod quis affirmauerit, ne- F gare, & quòd quis negauerit, affirmare. Quare manifeſtum eſt, quòd omni affirmationi oppoſita eſt negatio. & omni negationi affirmatio, & ſit hoc contradictio, affirmatio, & nega-

tio

tio oppoſitæ. A Dico autem opponi eiuſdem de eodem, non autem æquiuoce, & quæcunque cætera talium contra ſophiſticas determinauimus importunitates.

Aſſignata definitione orationis, eadem diuiſa, quòd alia ſit enunciatiua, in qua eſt verũ, vel falſum, alia non, tradita diuiſione enũciationis, quòd ſit vna, vel plures, oſtenſo quòd in ſimplicibus verbis, & nominibus nõ eſt veritas, neque B falſitas, quoniam non habent vim affirmandi & negandi, habita alia diuiſione enunciationis, quòd quædam ſit ſimplex, quædam compoſita, definita ſimplici enunciatione per eſſe & non eſſe, declarato etiam quomodo ſe habeant eſſe, & non eſſe ad enunciationem, non ſicuti ſpecies æquiuoce enunciationis, neque ſicuti formæ, ſed ſicuti proprietates ipſarum ſpecierum, & definita affirmatione, & negatione, quòd affirmatio ſpecies compoſitionis, negatio eſt ſpecies ſepa- C rationis: hoc enim obſeruatum fuit ex particulis illis, *De*, & *Ab*.

Nunc Ariſtoteles in vltima particula huius capitis docet vltimam diuiſionem enunciationis, quæ diſtinctio datur ratione ſignificati per verum & falſum, ratione qualitatis, per affirmationem, & negationem; nam veritas & falſitas ſiue in affirmatione ſint, ſiue in negatione ſunt ſignificata enunciationis, & affirmatio, & negatio ſunt qualitates. Coniungit itaque Ariſtoteles ſignificationem cum qualitate, & diuidit D enunciationem dicens, omnis oratio enunciatiua, *vel dicit id eſſe quod eſt*, ſicut affirmatiua vera, vt cum dico, cælum mouetur, *vel dicit non eſſe id quod non eſt*, & eſt negatio vera, vt homo non eſt lapis, *vel dicit eſſe quod non eſt*, & eſt affirmatio falſa, vt Deus eſt iniuſtus, *vel dicit id non eſſe quod eſt*, & eſt negatio falſa, vt cælum non mouetur, & ex hac diuiſione patet, quòd ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, vt vidimus etiam in prædicamentis; ſi namque res eſt, oratio eſt vera, ſi E res non eſt, oratio dicitur falſa. Dicit igitur, *Quoniam autem eſt enunciare, & quod eſt, nõ eſſe, & quod non eſt non eſſe*, In his verbis colligit enũciationẽ fieri multipliciter: fit enim quatuor modis, vel affirmatiua vera, vel affirmatiua falſa, vel negatiua vera, vel negatiua falſa. Philoſophus autem prius enumerat enunciationes falſas, poſtea adducit veras, & ſic agit de eſſe, & non eſſe tãquam de ſignificatis affirmatiuis & negatiuis, ſeu affirmationis, & negationis. Sequitur, *Et circa ea, quæ extra præſens tempora ſunt ſimiliter, omne* F *vtique contingit, quòd quis affirmauerit negare, & quòd quis negauerit, affirmare*. Vult dicere Ariſtoteles, quòd ſicuti contingit enunciare in tẽpore præſenti, ita etiam contingit in alijs tẽporibus, differentiæ temporis ſunt præſens, præteritum, & futurum, quoniam ſecundum triplicem differentiam temporis erunt duodecim modi enun-

A ciandi; in tempore nãque præſenti, aut dicimus id eſſe quod non eſt, cum falſum affirmamus; aut dicimus non eſſe quod eſt, falſumq; negamus; aut dicimus id eſſe quod eſt, cum verum aſſerimus; aut dicimus id non eſſe quod non eſt, cum verum negamus; & quatuor etiam in tempore præterito; pariter etiam quatuor in futuro tempore; quare duodecim ſunt enũciationes, in quolibet tempore duæ veræ, & duæ falſæ. Subdit Ariſtoteles, quòd quicquid affirmatur, poſſumus negare, & quicquid negatur, poſſumus affirma- B re. Eſt enim de potentia Logica, quòd cuilibet affirmationi poſſimus opponere negationem, & è contrario, licet hoc non poſſit fieri de potẽtia Phyſica: quare ex hoc patet, quòd maior eſt virtus arbitrij noſtri, quàm naturæ, nam intellectus poteſt etiam enunciare falſum, & impoſſibile, vt quòd homo ſit lapis, & omnis pars ſit maior ſuo toto; natura autem impoſſibile eſt, vt aliquid faciat verum, quod ſit falſum. Enunciatio igitur, & imaginatio hominis habet maiorẽ licentiam, quàm natura; nam quicquid alter affirmat, poſ- C ſumus inficiare: ſi namque tu affirmas cælũ moueri, poſſum ego negare, & enunciare cælum nõ moueri. Hinc ſequitur, licet, *Quare manifeſtum eſt quòd omni affirmationi oppoſita eſt negatio, & omni negationi affirmatio*, hoc eſt quòd nulla poteſt dari affirmatio ita vera, vt non poſſit in oppoſitum dari negatio; neque vlla poteſt eſſe ita vera negatio, quòd non poſſit dari affirmatio: quinimo etiam contra ea, quæ vocantur dignitates, quæ cum omnibus notæ ſint, ab omnibus affirmantur; tamen & ipſæ poſſunt negari, vt D omne totum eſt maius ſua parte. Aſſeuerat namque Alexander 2. Metaph. fuiſſe aliquos antiquos, qui negabant principia, *& ſit hoc contradictio, affirmatio, & negatio oppoſita*. Vult dicere Ariſtoteles, quòd ex affirmatione, & negatione oppoſitis reſultat quoddam ex eis aggregatum, quod appellatur contradictio. Sequitur, *Dico autem opponi eiuſdem de eodem, non autem æquiuoce, & quæcunque cętera talium contra ſophiſticas determinauimus importunitates.*

E Ex his verbis colligitur, quòd ad hoc, vt propoſitiones ſint contrariæ, ſeu contradictoriæ, opus eſt, vt habeant iſtas conditiones, quod ſint de eodem ſubiecto, de eodẽ prędicato; & ſimili modo ſupponentes. Primo, oportet vt ſint de eodem ſubiecto; nã ſi diceremus, hominem currere, & canem non currere, ex hac affirmatione, & negatione non fit contradictio; item ſi poneremus hãc affirmationem, hominem ſtudere, & iſtam negationem, hominem non currere, non eſſet vlla contradictio, quoniam non eſt idem prædicatum. Pariter ſi diceremus, hominem eſ- F ſe animal, intelligendo hominem viuum, & hominem non eſſe animal, intelligendo de homine picto, vel mortuo, nulla eſſet contradictio, quoniam affirmatio ſupponit hominem viuum, negatio vero hominem mortuum, vel pictum. Oportet igitur ad hoc vt ſit contradictio, reperiantur iſtæ tres conditiones, quas Ariſtoteles

non

non difuſe explicat, ſed breuiſſime dicit, *Dico autem opponi einſdem de eodem, non antē æquinoce.* Per illud verbū licet, *Einſdem*, intelligitur, quod propoſitiones ſint de eodem prędicato per verbum licet, *Eodem*, quòd ſint de eodem ſubiecto; per illud verbum, *Aequiuoce*, quòd ſimili modo ſupponant. Dicit igitur, quod non omnes propoſitiones contrariæ, & diuerſæ efficiunt contradictionem, ſed opus eſt, vt habeant triplicem conditionem, quòd ſint de eodem ſubiecto, de eodem prædicato, & ſimili modo ſupponant. Verùm de his nempe æquiuoce poſitis, & ſimilibus ait ſe determinaſſe alibi, nempe in libris Elenchorum; quos libros cōſcripſit Ariſtoteles ad fugam, non ad vſum, vt ſcilicet ſciamus argumenta fallacia diſſoluere; regulas namque, quibus diſſoluūtur ſophiſmata, logicus tenetur ſcire: & hoc eſt quod dicit, *contra ſophiſticas importunitates*. Liber iſte Elenchorum conſimilis eſt libro illi de re medica, qui inſcribitur de Venenis, in quo tractatur quomodo cōponātur venena, nō vt medici iſtis vtātur ad interimēdos homines, ſed vt exhibito veneno alicui poſſint afferre pharmacum, & medicinam. Sic liber Elenchorum (quem Deo fauente ſuo loco percurrā) compoſitus eſt ab Ariſtotele, in quo docuit, quomodo componantur fallaciæ, vt videbimus, vt eas diſſoluere valeamus, quæ dicuntur eſſe venena intellectus noſtri. Reliquum eſt, vt breuiter conſideremus quæſtionem illam, an affirmatio, & negatio ſint ſpecies enūciationis, nec ne.

Alexāder Aphrodiſæus fuit iſtius mētis, quòd enunciatio dicatur genus æquiuocum, & ita cōplectatur duas ſpecies, ſcilicet affirmationem, & negationem, proprie & improprie: proprie dicebat ipſe complectitur affirmationem, improprie negationem.

Primo dicebat has duas ſpecies nō eſſe æquales, ob illud verbum ab Ariſtotele poſitum ſuperius in definitione enunciationis, *Eſt autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio.* Dicebat Alexander, ſi affirmatiua enunciatio prior eſt negatiua; ergo affirmatio, & negatio nō ſunt ſpecies enunciationis vniuocæ, quia genus vniuoce prędicatur de ſuis ſpeciebus, non ſecundum prius & poſterius.

Secundo argumentatur ab Alexandro, quoniam illud eſt prius altero, quod alterū definit, & ab altero non definitur; ſed affirmatio definit negationem, & non definitur ab illa; ergo affirmatio eſt natura prior; ergo nō ſunt ſpecies vniuocæ, quoniam ſpecies vniuocæ non ſeſe definiunt, vt homo nō definit capram, neque equus bouem, quoniam ſunt ſpecies vniuocæ æqualiter participantes genus vniuocum animal.

Tertio, omnis habitus eſt prior priuatione, ſed affirmatio dicit habitum, negatio verò priuationem; ergo affirmatio prior eſt, quòd idem cōfirmatur 2. Poſter. ab Ariſtotele, quoniā melius eſt eſſe, quàm non eſſe; at affirmatio dicitur eſſe, negatio verò non eſſe; ergo.

Quarto arguitur Alexander, quandocunque
A ſunt duæ ſpecies ſub genere vniuoco vna non deſtruit alterā, ſed negatio deſtruit affirmationem; nam ſi adueniat negatio, & inueniat orationem affirmatiuam, ipſam profecto deſtruit, ſed nulla ſpecies vniuoca deſtruit aliam, niſi aliquo caſu, vt homo non deſtruit equum, dico naturaliter vna ſpecies non deſtruit aliam, & ſi equus perimat hominem, hoc euenit aliquo caſu. Igitur cum negatio deſtruat affirmationem, quinimo & ſe ipſam, quoniam negatio adiuncta negationi efficit affirmationem, patet quod non
B ſunt ſpecies vniuocæ enunciationis.

Poſſent quoque adduci aliæ rationes pro confirmanda ſententia Alexandri; verùm breuitatis gratia omitto. Hæc itaque quæ dixi, ſunt fundamenta Alexandri.

Verùm ſentio cū optimis interpretibus Ammonio, Boetio, & alijs, affirmationem, & negationem eſſe ſpecies vniuocas, & æqualiter participare generis enunciationem. Cauſa, cur affirmatio, & negatio ſint ſpecies vniuocæ enunciationis, eſt, quoniam nullum genus eſt tātum ex-
C quiſite vniuocum, in quo non ſint ſpecies, quæ habeant gradum ſecundum perfectionem, vt animal eſt genus vniuocum hominis, bouis, & aliorum. Homo, & bos non ſunt æqualiter ſpecies, ſecundum perfectionem, ſed ſi ſunt æqualiter ſpecies ſunt ſubſtantia, ideſt generis participatione; at non ſunt æqualiter perfectione, imò dicebat Ariſtoteles, quòd ſpecies ſunt quemadmodum numeri: numeri enim inęquales ſunt, & vnus excedit alium, eodem pacto ſpecies ipſæ ſunt magis vel minus perfectæ, homo eſt perfe-
D ctior & dignior equo & boue: at homo & equus ſunt ſpecies ęqualiter, quatenus ſubſiſtunt: vnde ſpecies dupliciter conſiderantur, vel vt habent æqualitatem ſecundum modum ſubſiſtendi, & ita æqualiter ſubſiſtit homo, & bos, & equus; & ſic ſunt æqualiter ſpecies: & hoc modo, dicebat Ariſtoteles in prædicamentis cap. de ſubſtantia, quòd ſpecies ſpecialiſſimæ ſunt ſubſtantiæ; quarum vna non eſt magis ſubſtātia altera, quoniam æqualiter ſubſiſtunt.

E Alio modo conſiderātur ſpecies ratione perfectionis, & hoc pacto inæquales ſunt, quoniam perfectior eſt ſpecies hominis, quam bouis: tamē quamuis vna ſit nobilior, & perfectior altera, nō ob id ſunt inęquales, quoniam participant ęqualiter genus, ipſum animal.

Quare ad rem noſtram prius, & poſterius contingit dupliciter, uel ſecundum generis participationem, uel ſecundum perfectionem. Affirmatio eſt prior negatione ſecundum perfectionem, & prioritatem naturæ; non autem ſecundum generis participationem; quoniam cum af-
F firmatio & negatio ſint ſpecies uniuocæ, æqualiter participant genus, & ſic ſoluuntur tria prima argumenta Alexandri fundata ſuper hoc, quòd affirmatio ſit prior negatione, quia aliquod eſſe altero prius ſecūdum perfectionē, non impedit quin poſſit eſſe æquale generis participatione, vti ſe habet de affirmatione, & negatione

Ad

Ad vltimum argumentum, quòd una ſpecies vniuoca non deſtruit aliam, ſed negatio deſtruit affirmationem; ergo nō ſunt ſpecies uniuocæ.

Reſpondetur, quòd ſpecies accipiuntur dupliciter, uel in concreto, uel ſecundum propriā formā, dico quòd in concreto una ſpecies non deſtruit aliam; at ſpecies ſecundum propriam formam ratione qualitatis una poteſt deſtruere aliam, ut albedo deſtruit nigredinem, ſic caliditas ſecundum propriam formam deſtruit frigiditatem: at in concreto non deſtruit.

Ad argumentum dico, quòd affirmatio & negatio in concreto una non deſtruit aliam; at ſi accipiatur negatio ex adiūctione qualitatum, ſic negatio deſtruit affirmationem, & è contrario, quia eſſe & non eſſe ſunt qualitates affirmationis, & negationis. Dico itaque quòd negatio non deſtruit affirmationem ſi accipiatur in concreto: & hoc modo ſoluuntur omnes rationes Alexandri. Et hæc ſatis ſufficiant ſuper Capite de Oratione.

Super Quarto Capite de Oratione pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc Capite de Oratione duo potiſſimum eliciuntur.

Primum, quid ſit enunciatio, affirmatio, & negatio.

Secundum, Tres diuiſiones enunciationis.

Quo ad primum, Enunciatio eſt uox ſignificatiua de eo quod eſt, uel non eſt, ſecundū quod tempora ſunt diuiſa.

Declaraui quid intelligat Ariſtoteles per eſſe & non eſſe; hoc eſt proprietates affirmationis, & negationis.

Affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo, negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo.

Quo ad ſecundum, diuiditur enunciatio primum ratione qualitatis in affirmatiuam, & negatiuā; deinde ratione ſignificationis in ueram, & falſam. Enūciatio affirmatiua uera ea eſt, quæ enunciat id eſſe quod eſt, ut homo eſt animal. Enunciatio affirmatiua falſa ea eſt, quæ nunciat id eſſe quod non eſt, ut homo eſt lapis. Enunciatio negatiua uera ea eſt, quæ enunciat id non eſſe quod non eſt, ut homo non eſt lapis. Enunciatio negatiua falſa ea eſt, quæ enuuciat id non eſſe quod eſt, ut homo non eſt animal.

Tertia diuiſio enunciationis eſt, quòd enunciatio uel eſt Categorica, ut Sol eſt ſuper terrā, quæ eſt affirmatio ſimplex, uel Sol non eſt ſuper terram, quæ eſt negatio ſimplex. Alia eſt Hypothetica, quæ cōſtat ex pluribus Categoricis cum adiunctione conditionali, ut ſi Sol eſt ſuper terram dies eſt,

Modo applicamus ad uſum iuris, dicamus de enunciatione mentionem fieri, quatenus ſignificatiua, in l. ſi is. §. utrum. ff. de reb. dub. quo loci ſit differentia inter alium, & alium modū enunciandi in ſtipulationem pœnalem.

Quo ad affirmationem & negationem ipſarum cognitio, & uſus habetur ex declaratione, & applicatione ſecundi capitis.

Vnde dico, pro explicatione ſecundi capitis, nempe de diuiſionibus enunciationis nos habere locos quamplurimos in iure, quos omnes recenſere nō eſt opus, ſatis ſit enumerare eos, quos expedit pro notitia præſentis tractationis.

Et primo agamus de enunciatione, prout diuiditur ratione qualitatis in affirmatiuam, & negatiuam.

De affirmatiua enunciatione, quæ ſpecies eſt compoſitionis, quatenus ſcilicet in ea aliquod prędicatū tribuitur ſubiecto eſt textus in l. plus. ff. de reg. iur. ubi dicitur, quod plus cautionis eſt in rem, quam in perſonam, quòd ſcilicet actio hypothecaria, quæ eſt in rem, melior eſt quàm ſit actio perſonalis, quæ eſt in perſonā: ſiquidem perſona eſt dubijs fortunę caſibus obnoxia, & res ubicumque ſit, uendicari poteſt, ibi cautio eſt prædicatum, quod affirmatiue apponitur ſubiecto, nempe rei.

De negatiua, in qua prædicatum negatur de ſubiecto habetur in §. contra autem. Inſt. tit. quibus alienare non licet, ibi ſtatuitur quomodo liceat creditori pignus alienare, & aſſerit negatiue creditorem non eſſe dominum pignoris; & hoc pacto negatur dominium pignoris creditori inhærere.

De enunciatione, prout diuiditur ratione ſignificationis in uerā, & falſam, eſt quoque uſus in iure.

De enunciatione affirmatiua uera, textus eſt in §. ex non ſcripto. Inſt. de iure nat. quando dicimus, quòd conſuetudo legem imitatur.

De ffiarmatiua falſa textus eſt in l. ſi is. ſupra al leg. §. utrum. ff. de reb. dubijs. ubi expreſſe deciditur falſam eſſe hāc affirmatiuam omnes filios impuberes deceſſiſſe.

De negatiua uera eſt locus in l. mater. ff. de iu. dotium. quòd maritus filiæ non poteſt rem aliquam uxoris dare in dotem ſine cōſenſu eiuſdem uxoris.

Negatiua falſa eſt ea enunciatio antiquorum poſita in l. furioſum. C. qui teſt. facere poſſunt, vt quòd furioſi in ſuis inducijs non poſſunt condere teſtamentum: ſiquidem dicta l. §. 1. deciditur, quod furioſi in lucidis interuallis teſtamenta facere valent.

Poſtremo remanet tertia diuiſio enunciationis, nempe quòd alia eſt Categorica, vt ſimplex affirmatio & negatio, alia eſt Hypothetica, quæ ex coniunctione plurium Categoricarum eſt conflata.

De Categorica ſupra ſatis, ſuperq; diſſeruimus. De Hypothetica, quæ pariter poteſt eſſe & affirmatiua, & negatiua textus eſt in l. dotis. ff. de iur. dotium. quo loci Vlpianus ponit huiuſcemodi Hypotheticam enunciationem negatiuā, uidelicet ſi matrimonium non eſt, dos non eſt.

Et hæc ſint dicta ſuper hoc Capite.

SECTVM

SECTVM SECVNDVM

De Subiectis, & Prædicatis propo ſitionum. Caput Quintum.

SEquitur ſecundum ſectum li-
bri Perieruin. Continuatio hu
ius ſecti cum præcedenti hæc
eſt. Poſtquam Ariſtoteles no-
B men & verbum declarauit, &
ex ijs cōſtituit orationem, ip-
ſamq; definiuit, & diuiſit in
enunciatiuam, & non enunciatiuam; enunciati-
uam definiens eſſe vocem ſignificatiuam de eo,
quod eſt aliquod, vel non eſt. Diuiſerit etiam
enunciationem ex parte qualitatis, & ſignificati
in affirmatiuam, & negatiuam, in veram, & fal-
ſam, & alias tradiderit diuiſiones, quòd enuncia
tio uel eſt vna, vel plures, uel ſimplex, uel com-
poſita. Inſuper quoque dixerit ex affirmatione,
C & negatione conſtitui cōtradictionem, quę de-
bet eſſe de eodem ſubiecto, de eodem prædica-
to, & ſimiliter ſupponens nunc Ariſtoteles in
hoc ſecundo ſecto facit tria.

Primo agit de ſubiectis, & prædicatis ipſarū
propoſitionum.

Secundo oſtendit, quomodo ſe habeant pro-
poſitiones circa determinationē veri, vel falſi.

Poſtremo multiplicat propoſitiones ipſas.

Circa primum Ariſtoteles duo facit. Primo
oſtendit regulam omnium propoſitionum, quæ
D ſunt memorię mandandæ, vt ſciamus inuenire
propoſitiones contrarias, cōtradictorias, & reli-
quas: nam propoſitiones uel ſunt eædem, vel di-
uerſæ, vel contrarię, uel contradictorię, uel ſub-
contrariæ, uel definitæ, uel indefinitæ: quæ au-
tem ſunt contradictorię, uel vniuerſales, uel par
ticulares.

Sed priuſquā aggrediatur regulas, docet quid
eſt ſubiectum, quid prædicatum, & quomodo ua
rientur; & quia dictum erat, quòd propoſitiones
ortum habent à rebus ipſis; in eo enim quod res
E eſt, uel non eſt, dicebat Ariſtoteles cap. de ſub-
ſtantia, oratio dicitur uera, vel falſa; nam ſi ora-
tio accommodabitur rei, quæ ita eſt, propoſitio
dicitur vera; ſi autem propoſitio accommodabi
tur rei, quæ non ita ſe habeat, propoſitio erit fal
ſa. Cum igitur propoſitiones dependeant à re-
bus; ideo ſumit propoſitionem à rerum diuiſio-
ne dicens, quòd res vel ſunt vniuerſales, vel ſin-
gulares.

Iſta diuiſio non ſolum poteſt eſſe Logica, ſed
etiam naturalis; nam ſic diuidit Ariſtoteles 1. de
F anima, potentias animæ: dicit enim ibi, quòd res
totidē ſunt, quot ſunt potentię animę; ſed potē-
tiæ animæ ſunt duæ, ſcilicet intellectiua, & ſenſi
tiua; ideo etiam totidem erunt res, potentiæ ſen
ſitiuæ, obiectum eſt ſingulare, potentiæ intelle-
ctiuæ ipſum vniuerſale, referre obiectum ad po
tentias eſt conſideratio naturalis, non Logica:
A ratio eſt, quia Logicus non conſiderat res, ſed
aut notionem ſecundam, aut rem in ordine ad
notionem, ſecundam non autem in ordine ad
potentias animæ. Dicit igitur.

**Quoniam autem ſunt hæ quidem
rerum uniuerſales, illæ uerò ſingula-
res. Dico autem vniuerſale, quod in
pluribus prædicari natum eſt, ſingu-
lare verò quòd non, vt homo qui-
B dem vniuerſalium eſt (callias verò
eorum, quæ ſunt ſingularia) neceſſe
eſt quoque enunciare quod ineſt ali-
quid, aut non, aliquādo quidem ali-
cui eorum, quæ vniuerſalia ſunt, ali-
quando autem eorum, quæ ſingula-
ria ſunt.**

Pro maiori intelligentia ſciendum eſt, vt di-
C xi quoque ſupra in Prædicabilibus, quod vniuer
ſale tribus modis accipitur, vel ante multa, vel
in multis, uel poſt multa. Vniuerſale ante multa
non eſt apud nos: ideo hoc eſt contra Ariſtote-
lem, & eſt illud, quod ponebat Plato, & vocabat
Ideam. De hoc namque lis eſt inter Platonem,
& Ariſtotelem, quoniam Ariſtoteles illud ne-
gat, vniuerſale in multis eſt, quod habet eſſe rea
le in ſingularibus, & in hominibus particulari-
bus, & hoc vniuerſale eſt natura humana, ſeu hu
manitas ipſa. Vniuerſale poſt multa, quod etiam
D vocatur de multis eſt, quod per intellectum ſe-
paratur à ſingularibus, vt ego ſeparo imaginem
noſtram per intellectum: iſta *noſtra imago* eſt
vniuerſale de multis, ideſt poſt multa, quoniam
poteſt ſeparari per intellectum. Ariſtoteles ergo
cum diuidit res, quòd aliæ ſunt vniuerſales, aliæ
ſingulares, videtur coniūxiſſe tam vniuerſale in
multis, quam vniuerſale de multis: in multis,
quòd habet ortū à ſingularibus: de multis, quòd
poteſt ſeparari per intellectum à ſingularibus.
Vniuerſale in intellectu, ideſt de multis non di-
E ſtinguitur realiter ab illo vniuerſali, quod eſt in
re, ideſt in multis, ſed tantum formaliter, habita
diſtinctione rerum, quòd aliæ ſunt vniuerſales,
aliæ ſingulares. Ex ea diſtinctione infert diui-
ſionem enunciationis ſecundum quantitatem,
quando ſequitur, *Neceſſe eſt*, &c. vnde illa
particula illatiua, *Neceſſe eſt*, denotat conſe-
quens ex præcedenti aſſumpto. Argumentum
ita ſe habet, ſi à rebus ortum habet oratio vera,
vel falſa; & res aliæ ſunt vniuerſales, aliæ ſingu-
F lares; ergo oratio alia vniuerſalis, alia ſingula-
ris: enunciatio vniuerſalis eſt, quæ vniuerſale ſi-
gnificatum habet, vt homo eſt animal, enuncia
tio ſingularis eſt, quę ſingulare ſignificatum ha-
bet, vt Plato ſedet. Sequitur itaque.

**Si ergo in vniuerſali vniuerſaliter
enunciet quis quod eſt, aut non eſt,**

con-

contrariæ enunciationes erunt. Dico autem in vniuerſali enunciare vniuerſaliter, vt omnis homo albus eſt, nullus homo albus eſt.

Incipit Philoſophus dare regulas propoſitionum. Prima regula eſt iſta; Propoſitiones contrariæ ſunt vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua. Ponit Ariſtoteles illa verba, *Vniuerſale, & vniuerſaliter*; nam hæc diſtinguuntur. Vniuerſale denotat rem communem omnibus ſingularibus, vt homo eſt vniuerſale, quoniam denotat humanitatē in ſingularibus, quia homo repræſentat indiuidua ſingularia. Vniuerſaliter autem non denotat rem, ſed determinationem aduenientem rei, vt iſta propoſitio, hominem currere, eſt indeterminata; at poſſumus eam terminare, ſi addiderimus hanc particulam, *Omnem*, dicentes, Omnem hominem currere: pariter dicet aliquis, virtutem eſſe amplectendam, poſſumus eam terminare addendo, omnem virtutem eſſe amplectendam; ita in negatione, ſi quis enunciet hominem non eſſe lapidem, poteſt hanc enunciationem terminare, dicens, nullum hominem eſſe lapidem. Vniuerſaliter igitur denotat determinationem aduenientem rei: determinationes ſunt, Omnis, Nullus, Quilibet, Aliquis, Quidam, &c.

Senſus eſt huius primæ regulæ, quod affirmationes vniuerſales vniuerſaliter vel verę, vel falſæ ſunt contrarię negationi vniuerſali determinatæ. Exemplificat hoc Ariſtoteles per exempla, vt vniuerſalis affirmatio vniuerſaliter, ideſt cum terminatione ſit hæc, omnis homo albus eſt, contrariatur vniuerſali negatiuæ determinatæ, vt huic, nullus homo albus eſt.

Quando autem in vniuerſalibus, non vniuerſaliter autem, non ſunt contrariæ. Quæ autem ſignificantur, eſt eſse aliquando contraria; dico autem non vniuerſaliter enunciare in ijs, quæ vniuerſalia ſunt, vt eſt albus homo, nō eſt albus homo: cum enim uniuerſale ſit homo, non vniuerſaliter vtitur enunciatione. Omnis namque non uniuerſale ſignificat, ſed quod vniuerſaliter.

Ariſtoteles non contentus regula ſupra tradita, aggreditur aliam regulam explicandam, propoſitionum ſcilicet infinitarum, dicens, quòd vniuerſaliter affirmatiua indefinita, & vniuerſalis negatiua indefinita non ſunt contrariæ in quacunque materia, vt hominem currere, hominem non currere non ſunt contrariæ, ſed in materia neceſſaria contrariantur, vt

A cum dicimus, homo eſt animal, homo non eſt animal.

Hinc colligere poſſumus, quòd vniuerſalis indefinita affirmatiua, & enunciatio uniuerſalis indefinita negatiua non contrariantur ratione formæ, ſed ratione materiæ; nam ſi contrariarentur ratione formæ, contrariarentur in omni materia, quod eſt falſum, quoniam vniuerſalis affirmatiua indefinita, & vniuerſalis negatiua indefinita in materia contingenti, non contrariantur, imò poſſunt eſſe ſi-
B mul falſæ, & ſimul veræ. Et hoc eſt quod dicit, propoſitiones indefinitas non eſſe contrarias, nempe ratione formæ: quæ autem per eas ſignificantur eſſe aliquando contraria, hoc eſt ratione materiæ. Vniuerſalis igitur indefinita affirmatiua, & vniuerſalis indefinita negatiua non contrariantur in omni materia, vt in contingenti, vt cum dicimus, hominem currere, hominem non currere, ſed tantum in materia neceſſaria, vt homo eſt animal, homo non eſt animal.

C Cauſa autem quare ſolum in materia neceſſaria contrariantur, eſt, quia propoſitio illa, in materia neceſſaria, reducitur ad terminos vniuerſales, gratia exempli, hominem eſſe animal, eſt affirmatiua vniuerſalis indefinita in materia neceſſaria, & æquiualet definitæ, omnem hominem eſſe animal. Cum igitur æquiualeant propoſitiones indefinitæ in materia neceſſaria propoſitioni definitæ, idcirco contrariæ ſunt: in materia autem contingenti non ſunt oppoſitæ duæ propoſitiones indefi-
D nitæ, quia reſoluuntur in particulares terminationes.

Vnde notant Summiſtæ, quòd termini ſunt duplices, ex ſe ſignificatiui, non ex ſe ſignificatiui. Termini ex ſe ſignificatiui ſunt, vt homo, leo, lapis: termini autem non ex ſe ſignificatiui ſunt, vt omnis, nullus, quilibet; qui niſi adiungantur alijs terminis, nihil ex ſe ſignificant, vt omnis, nullus, non denotant rem vniuerſalem, ſed determinationem rei, & iſta vocantur ſigna, & notæ propoſitionum, vt
E cum dicimus, omnem hominem currere, nullum hominem eſſe lapidem, aliquem hominem ſtudere, ſunt notæ, quæ vocantur ſigna, quia ſolent adhiberi in propoſitionibus, vt eas dignoſcere ſciamus, an ſint vniuerſales, necne: ſigna vniuerſalia adhibentur in propoſitione vniuerſali, vt cognoſcamus, quòd ipſa propoſitio vniuerſalis determinata cum ſigno vniuerſali ſemper eſt vera, & neceſſaria, vt omnem hominem eſſe riſibilem: quando autem addo ſignum particulare propoſitioni, denoto quòd
F illa materia non eſt neceſſaria, & conuertibilis, vt aliquem hominem eſse album; materia namque non eſt conuertibilis, ſed communis.

In eo verò quod prædicatur vniuerſale, id quod eſt vniuerſaliter prę-

dicare non eſt verum; nulla enim affirmatio vera erit, in qua cum vniuerſale ſit prædicatum vniuerſaliter prædicatur, vt eſt omnis homo omne animal.

Philoſophus poſita regula propoſitionũ contrariarum, quòd ſcilicet duæ propoſitiones vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua ſunt contrariæ; poſita etiam regula de propoſitionibus indefinitis, quòd vniuerſalis indefinita affirmatiua, & vniuerſalis indefinita negatiua non ſunt contrariæ in qualibet materia, ſed tantum in materia neceſſaria.

Nunc occurrit tacitæ obiectioni, quę fieri potuiſset, qua diſſoluta ſtatim redit ad regulas propoſitionum contrariarum.

Dubitatio eſt, quia particula illa vniuerſalis, quæ dicitur terminatio, in vſu eſt vt ponatur ad ſubiectum, vt dicendo, omnis homo eſt animal, quæreret aliquis an iſta terminatio poſſet applicari prædicato, vt diceremus, omnẽ hominem eſſe omne animal.

Reſpondet Ariſtoteles, quòd male, & inartificioſe applicaretur iſta vniuerſalitas, vel terminatio ipſi prædicato; nam ſi quis ipſam adderet, dicens omnem hominem eſſe omne animal, eſſet manifeſte propoſitio falſa, quia ſequeretur, quòd homo eſſet brutum, & hoc eſt quod dicit Ariſtoteles; *In eo verò quod prædicatur vniuerſale, id quod eſt vniuerſaliter prædicare non eſt verum.* Senſus eſt, Dicit quòd non eſt verum prædicare illud, quod vniuerſaliter eſt, omnis, nullus, &c. (in prædicato ipſo,) id eſt non eſſe verum colligere terminationem in prædicato, quia non ſequitur veritas propoſitionis, imò propoſitio ipſa erit falſa, & hoc eſt quod dicit Ariſtoteles. Sed hic inſurgunt nonnullæ difficultates.

Prima, quomodo verum ſit, quòd ſi terminatio vniuerſaliter applicetur prędicato, nulla ſit affirmatiua vera; nam hoc videtur falſum, quoniam ſi in propoſitione termini erunt conuertibiles, & reciproci, videtur quòd ipſa propoſitio erit vera, vt ſi dicam, omnis homo eſt omne riſibile.

Secunda difficultas eſt, quoniam Ariſtoteles videtur diminutus, quoniã non fecit mẽtionem de terminatione adiuncta prędicato in propoſitione negatiua; nam ſi ponatur terminatio in prædicato in propoſitione negatiua, propoſitio non erit falſa, vt cum dico, nullus homo eſt nullus lapis.

Tertia difficultas oritur ex eo, quod inſuper Philoſophus videtur diminutus, cum non meminerit particularem propoſitionem, in qua ſi ponatur terminatio prædicato, ipſa vera erit, vt ſi dixero, quendam hominem eſſe aliquod animal. Non igitur falſificat propoſitionem terminatio prædicato adiuncta, quinimo etiam

A Ariſtoteles conſimili modo vſus eſt in libro de anima, definiens animam eſſe quendam actum. Sic itaque Ariſtoteles ipſe poſuit terminationem ex parte prędicati; ergo propoſitio nõ ſemper reditur falſa, & per cõſequens videtur, quòd terminatio poſſit apponi prædicato. Verùm huiuſcemodi inficiationes ſunt ita leues, vt nullius ſint momenti contra ſententiam Ariſtotelis.

Namque quo ad primam dubitationem, cum dicebatur, quòd in propoſitione conuertibili terminatio applicata prædicato non efficit falſam propoſitionem.

B Dicendum, quòd licet hoc verificari contingat ratione materiæ conuertibilis, hæc tamen propoſitio non eſt vera ratione artificij, & contextus orationis, quoniam ſequeretur, quòd quilibet homo eſſet omnia riſibilia, quod eſt falſum.

Ad ſecundam dubitationem, quando dicitur, quòd negatiua oratio eſt vera, quamuis habeat terminationem prædicato adiunctam, vt nullum hominem eſſe nullum lapidem.

C Reſpondetur, quòd non ſolum Ariſtoteles fugit falſitatem propoſitionis, ſed etiam malum artificium, quod eſt quando additur negatiua repetitio ſine aliquo fructu: nam ſi iſta propoſitio, nullus homo eſt lapis, vera eſt, ad quid neceſſe eſt iſtam terminationem iterare, dicendo, nullus homo eſt nullus lapis? propoſitio debet eſſe vera ſine artificio vitioſo. Superflua eſt igitur illa iteratio terminationis; verùm Ariſtoteles non ſolum vult remouere falſitatem propoſitionis, ſed etiam

D nugationem.

Ad tertiam in particulari propoſitione ſi addatur terminatio prædicato, affert fructum, quoniam vera eſt, vt quidam homo eſt quoddam animal.

Reſpondetur, quòd non negauit Ariſtoteles, quod particula terminationis addicta prædicato in propoſitione particulari non efficeret propoſitionem veram, ſed hoc loco agere de ipſa propoſitione particulari non eſt in propoſito; & ſic Ariſtoteles non eſt diminu-

E tus. Sequitur textus.

Opponi autem affirmationem negationi, dico contradictoriæ, quæ vniuerſaliter ſignificant eidem, quod non vniuerſaliter, vt omnis homo albus eſt, non omnis homo albus eſt, nullus homo albus eſt, aliquis homo albus eſt: contrariæ verò vniuerſa-

F lem affirmationem, & vniuerſalem negationem, ut omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt.

Aggreditur Ariſtoteles modo contrarias propoſitiones, dicendo, quòd hæ ſunt propoſitiones

tiones contradictoriæ, quæ repugnant qualitate, quantitate, & ſignificatione. Contradictoriæ propoſitiones primo repugnant qualitate, quoniam opus eſt vt vna ſit affirmatiua, alia negatiua, cum etiam qualitas diuidatur: contrariantur etiam quantitate, quoniam neceſſe eſt vt contradictoriarum alia ſit vniuerſalis, alia ſingularis: repugnant quoque ſignificatione, quandoquidem altera eſt vera, altera eſt falſa. Contradictoriæ propoſitiones ſunt iſtæ, Omnis homo iuſtus eſt, aliquis homo iuſtus non eſt: contrariæ autem propoſitiones repugnant ſignificato, & qualitate, quantitate autem non, quoniam vtræque ſunt vniuerſales, vt omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt.

Et hæc ſatis ſuper hoc Capite.

Super Capite Quinto de Subiectis, & Prædicatis propoſitionum pro Iuris Studioſis.

IN Capite ſupra proximo tria reperiuntur ad rem noſtram ad præſens attinentia.

Primum, quod propoſitio ratione qualitatis diuiſa.

Alia eſt vniuerſalis.

Alia particularis.

Alia indefinita; addo quòd &

Alia ſingularis.

Secundum, habuimus duas regulas, vnam de Vniuerſalibus, aliam de Indefinitis propoſitionibus.

Tertium, notauimus indefinitam quandoque æquipollere vniuerſali.

Quoad primum, ea eſt propoſitio vniuerſalis, quæ enunciat omni, vel nulli aliquid ineſſe, vel non ineſſe, vt omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt.

Ea eſt propoſitio particularis, quæ enunciat aliquid alicui, vel non alicui ineſſe, vel non ineſſe, & non omni, vt aliquis homo iuſtus eſt, aliquis homo iuſtus non eſt, non omnis homo iuſtus eſt.

Ea eſt propoſitio indefinita, quæ enunciat aliquid ineſſe, vel non ineſſe alteri ſine ſigno vniuerſali, vel particulari, vt homo iuſtus eſt, homo iuſtus non eſt.

Ea denique eſt propoſitio ſingularis, quę enũciat aliquid ineſſe, vel non ineſſe alicui ſingulari indiuiduo, vt Socrates iuſtus eſt, hic homo iuſtus eſt.

Quo ad ſecundum cap. Ariſtoteles tradidit duas regulas de propoſitionibus; quarum prima fuit de propoſitionibus vniuerſalibus, nempe quòd propoſitio vniuerſalis, omnis homo iuſtus eſt, affirmatiua; & propoſitio vniuerſalis, nullus homo iuſtus eſt, negatiua, ſunt con-

A trariæ. Et ſicut ſunt contrariæ in materia contingenti vniuerſalis affirmatiua, & negatiua, idem ſe habet in neceſſaria, vt ſi dicamus, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal.

Secunda extitit regula de indefinitis, videlicet, quòd indefinita affirmatiua, & indefinita negatiua non ſunt contrariæ in omni materia, vtputa contingenti, ſed duntaxat in materia neceſſaria.

Namque hæ duæ propoſitiones, homo cur-

B rit, homo non currit, non ſunt contrariæ: poſſunt enim ambo ſimul eſſe veræ, & ambo ſimul eſſe falſæ.

At ſi dixerimus, homo eſt animal, homo non eſt animal, ſunt contrariæ, quia in materia neceſſaria eſt vna vera, altera falſa.

Quoad tertium, notaui quòd ideo quia indefinita æquipollet vniuerſali in materia neceſſaria: propterea indefinitæ ſunt contrariæ. Eſt namque idem dicere, homo eſt animal, ac ſi dicamus, omnis homo eſt animal; pariter dicere,

C homo non eſt animal, & dicere nullus homo eſt animal, ita vt indefinita in vniuerſalem reſoluatur, in materia ſcilicet neceſſaria, non contingenti. Quæ omnia aptiſſime accommodantur ad vſum Iuris.

De primo cap. textus eſt de vniuerſali propoſitione in §. oſtendimus. Inſtit. titu. de ſuſpect. tut. quòd omnes tutores poſſunt fieri ſuſpecti.

Pariter textus eſt in l. nemo. in l. nullus. ff. de regul. iur. Nemo de domo ſua extrui

D debet, nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur.

De particulari, eſt legere in l. quædam. ff. de pœnis. Quædam delicta aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant pagano.

De indefinita, habetur Inſtitu. titulo de adopt. §. fœminæ. Fœminæ adoptare non poſſunt. in l. neque pignus. ff. de regul. iur. Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.

De ſingulari, Exemplum ſit in l. iura. ff. de

E leg. Theophraſtus conſtituit iura in ijs, quæ plerunque, non quæ raro fiunt.

De ſecundo cap. Eſt etiam dicendum, quòd vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua cum ſigno vniuerſali diſtributiuo ſunt quoque in iure contrariæ, vt hæc vniuerſalis affirmatiua vniuerſaliter, de qua Inſtit. titulo de inutilibus ſtipulationibus, in princip. ſcilicet omnis res, quæ dominio noſtro ſubijcitur, in ſtipulationem deduci poteſt, eſt contraria eius negatiuæ. Nulla res, quæ dominio no-

F ſtro ſubijciatur, in ſtipulationem deduci poteſt.

Similiter indefinitæ, affirmatiua, ſcilicet & negatiua in iure non ſunt; contrariæ in omni materia. Hæ namque duæ propoſitiones indefinitę, mulier poteſt exercere officium tutelę, mulier non poteſt exercere officium tutelę, non

ſunt contrariæ, cum ambæ poſſint eſſe ſimul A veræ. §. ex his autem. Authen. de hær. ab inteſtato.

Vnde ſuccedit tertium cap. plenius conſiderandum. Nunquid in iure indefinita æquipolleat vniuerſali: eſt enim famoſa quæſtio penes Iuriſtas.

Hinc videre eſt ſumma vtilitas Logicæ facultatis. Bart. Logicæ non ignarus in l. ſi ita. ff. de leg. 2. perquam rectè declarat, quid propoſitio indefinita, & in l. ſubſequenti doctiſſime tractat hanc quæſtionem, nunquid ſcilicet in- B definita vniuerſali æquipolleat: quapropter non erit ab re recenſere hoc in loco, quæ ibidem ipſe docet.

Diſtinguit eo in loco Bart. quòd aut propoſitio indefinita eſt prolata a lege, aut ab homine. Si a lege, ſemper abſque dubio reſoluitur in vniuerſalem, cum ſint ſingulares, & lex ſcripta ad ſingularem perſonam vniuerſali æquipolleat: ſiquidem omnes leges, quæ loquuntur de venditore habent locum in omni homine, qui ſit venditor: pariter omnes leges, quæ de- C cernunt de homicida, de omni homicida ſtatuere dicunt, iuribus per eundem allegatis. Si verò indefinita propoſitio profertur ab homine, tunc ſumus in Logica: nam aut profertur in materia neceſſaria, & tunc æquipollet vniuerſali; nam tantum valet dicere, homo eſt animal, ac dicere, omnis homo eſt animal: tantum valet dicere, obligatio eſt iuris vinculum, ac dicere, omnis obligatio eſt iuris vinculum; actio quoque eſt ius proſequendi in iudicio, ac dicere, omnis actio eſt ius proſequendi in iudicio, quo- D niam quæ omni obligationi, & actioni tribuuntur, eis neceſſario inhærent.

Si verò propoſitio indefinita fuerit prolata in materia contingenti, tunc aut profertur negatiue, & in iure neceſſario æquipollet vniuerſali, licet ſecus in Logica. Siquid enim promitto non fieri per meum hæredem, intelligitur per nullum fieri: ſi verò profertur affirmatiue, aut contingentia dependet ex voluntate proferentis, aut non: quod ſerui mei ſint textores, extrinſecus pendet; propterea ſecundum quòd E caſus contingentia dederit, indefinita æquipollet vniuerſali; nam ſi contingerit omnes ſeruos eſſe textores, tunc æquipollet vniuerſali; ſin minus, non æquipollet. Si autem contingentia non extrinſecus, ſed ex voluntate proferentis dependet, vt hæres meus damnas eſto dare, ſi volo quòd intelligatur de omnibus, intelligitur, ſin ſecus non intelligitur.

Quid autem in dubijs ſit præſumendum, vide Bart. loco citato, hoc diſtincte, & alia declarantem. F

Pro præſenti enim negotio dictum ſatis.

De Regulis oppoſitarum propoſitionum. Caput Sextum.

QVocirca has quidem impoſſibile eſt ſimul eſſe ueras.

Repetit Ariſtoteles in calce capitis præcedẽtis propoſitio- B nes contrarias, vt inde inferat regulã ipſarum, quam tradit in principio præſentis capitis, & dicit, *Quocirca has*, ſcilicet propoſitiones cõtrarias, omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt, impoſſibile eſt eſſe ſimul veras. Vnde regula ita ſe habet, verum vero conſonat, duæ propoſitiones contrariæ non conueniunt, igitur non ſunt ſimul veræ.

His uerò oppoſitas contingit ali- C quando in eodem ſimul eſſe ueras, ut non omnis homo albus eſt, & aliquis homo albus eſt.

In hac parte Philoſophus tradit regulam ſubcontrariarum propoſitionum, quæ ideo ſubcontrariæ appellantur, quia ſub contrarijs ponuntur, vel vt inquit Boetius, quia contrarijs opponuntur contradictoriæ. Sunt autem iſtæ particularis affirmatiua, Aliquis homo iuſtus eſt, & D particularis negatiua, Non omnis homo iuſtus eſt. Iſta particula, *Non omnis*, remouet vniuerſalem terminationem, & facit propoſitionem eſſe particularem, vt aliquis homo non eſt iuſtus: quapropter aliquis homo iuſtus eſt, non omnis homo iuſtus eſt dicuntur opponi cõtradictoriæ contrarijs: nam huic contrariæ vniuerſali affirmatiuæ, omnis homo iuſtus eſt, opponitur contradictoriæ hæc particularis negatiua, non omnis homo iuſtus eſt, & huic contrariæ vniuerſali negatiuæ, nullus homo iuſtus eſt, opponitur E contradictoriæ hæc affirmatiua, aliquis homo iuſtus eſt: opponuntur nanque quantitate, qualitate, & ſignificatione.

Dat itaque Ariſtoteles hanc regulam ſubcontrariarum propoſitionum, quòd ſcilicet aliquando ſunt ſimul veræ, ideſt in materia contingenti, vt aliquis homo currit, non omnis homo currit. Materia namque contingens eſt intelligẽda ſecundum partem, non ſecundũ totum; cum enim dicimus, aliquis homo ambulat, non intelligimus omnes homines ambulare ſecundum F totum, ſed ſecundum partem, ideſt quempiam hominem ambulare. Subcontrariæ igitur propoſitiones ſunt ſimul veræ, ideſt in materia contingenti; in materia verò neceſſaria vna eſt vera, altera falſa, quia materia neceſſaria ſequitur ſubiectum ſecundum totum, non ſecundum partem, vt aliquis homo eſt animal, aliquis ho-

mo non eſt animal; hæ propoſitiones opponuntur ratione formæ, non ratione materiæ.

Quæcunque igitur contradictiones vniuerſalium ſunt vniuerſaliter, neceſſe eſt alteram eſſe veram, uel falſam; & quęcunque in ſingularibus ſunt, ut eſt Socrates albus, non eſt Socrates albus.

Cum declarauerit quomodo contrariæ, & ſubcontrariæ enunciationes ſe habeant ad verum, & falſum, & tradiderit regulas ipſarum, nunc vult tradere regulam contradictoriarum, quarum prius quandam diuiſionem aſſignat, vt innuat quod propoſitionum contradictoriarum neceſſe eſt vnam eſſe veram, alteram falſam, dicens, quòd propoſitiones contradictoriæ, vel ſunt vniuerſaliter, vel ſingulariter oppoſitæ. Contradictoriæ vniuerſaliter ſunt vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, vel vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua. Contradictoriæ ſingulariter ſunt duæ propoſitiones ſingulares. Vult itaque Philoſophus, quòd ſiue ſint contradictoriæ vniuerſales, ſiue ſingulares ſemper neceſſe eſt, vt vna ſit vera, altera falſa.

Quæcunque autem in uniuerſalibus quidem, nõ uniuerſaliter autem, non ſemper hæc quidem uera eſt, illa uerò falſa eſt: ſimul enim uerum eſt dicere quòd eſt homo albus, & quòd non eſt homo albus, & eſt homo pulcher, & nõ eſt homo pulcher: ſi enim turpis eſt, non eſt pulcher, & ſi fit aliquid, non eſt.

Cum inſuper proximo Capite oſtẽderit propoſitiones indefinitas nõ eſſe contrarias in omni materia, modo in præſenti tradit regulas ipſarum quomodo ſe habeant ad veritatem, & falſitatem. Et inquit, quòd propoſitiones indefinitæ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt cum dico, homo eſt albus, homo non eſt albus; homo eſt pulcher, homo non eſt pulcher. Probat autem Ariſtoteles iſtas propoſitiones indefinitas non ſemper vnam eſſe veram, alteram falſam, ſed in materia contingenti eſſe ſimul veras, duabus rationibus. Probat primo ex priuatione, homo eſt pulcher, homo nõ eſt pulcher, poſſunt eſſe ſimul veræ, quoniam eſt aliquis homo deformis, & aliquis formoſus. Probat autem Ariſtoteles hunc in modum, quòd poſſunt eſſe ſimul veræ, eſt turpe, & pulchrum; ergo aliquis homo eſt pulcher, aliquis homo eſt turpis; ſed ſi aliquis ſit turpis, & turpe non ſit pulchrum; ergo de primo ad vltimum aliquis homo non eſt pulcher, ergo homo eſt pulcher, & homo nõ eſt pulcher; poſſunt eſſe ſimul veræ. Probat etiam alia ratione, indefinitas propoſitiones poſſe eſſe ſimul veras:

dicit enim quòd homo eſt, & homo nõ eſt, non ſunt cõtrariæ, imò poſſunt eſſe ſimul veræ: nam aliquis homo fit, & aliquis homo eſt, poſſunt eſſe ſimul veræ; nam fit aliquis homo perfectus, vt Franciſcus filius meus, & alius in vtero matris ſuæ, qui hinc ad tres menſes oriũdus eſt, hic homo, qui eſt in vtero matris ſuæ nondum eſt homo, & æquiuallet huic homo non eſt, ergo homo eſt, & homo non eſt, poſſunt eſſe ſimul verę. Item homo eſt albus, & homo nõ eſt albus poſſunt eſſe ſimul veræ; nam cum aliquis homo fit albus, adhuc non eſt albus; & hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles, *& ſi fit aliquid nõ eſt*, dum res aliqua fit, adhuc non eſt, vt hęc Commentaria, quę conficimus ſuper vniuerſam Logicam, poſſumus dicere, quod non ſunt; ſunt quidem altera parte perfecta ſuper Prædicabilibus, nempe Prædicamentis, & aliquot capitulis præſentis libri Perihermenias: altera verò parte non ſunt perfecta. Superſunt namque libri Priorum, Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum, cum reliquis Capitibus præſentis Tractatus. Homo igitur cum fit albus, adhuc non eſt albus; æquiualet ergo huic homo non eſt albus, quapropter homo eſt albus, & homo non eſt albus poſſunt eſſe ſimul veræ.


Concludendum eſt igitur, quòd propoſitiones indefinitæ poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti; nam in materia contingenti poſſunt verificari duæ propoſitiones, in materia verò neceſſaria non poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed opus eſt vt vna vera, altera falſa ſit: veritas enim non ſtat in forma, ſed in materia.

Videbitur autem ſubito inconueniens eſſe iccirco, quoniam uidetur ſignificare idem hoc non eſt homo albus, & hoc nullus homo eſt albus: hoc autem neque idẽ ſignificat, neque ſimul neceſſario.

Hic remouet Ariſtoteles quoddam tacitum dubium: nam poſſet aliquis ſuſpicari, quòd iſtæ duæ enunciationes idem ſignificent, homo non eſt albus, & nullus homo eſt albus.

Verùm, inquit Ariſtoteles, neque idem ſignificant, neque ſunt ſimul neceſſario veræ: quod non idem ſignificent, patet, quoniã vna vniuerſaliter ſignificat in toto, altera nõ vniuerſaliter, & ſi quandoque contingit, quòd idem ſignificent, iſtud euenit beneficio materiæ ſubiectę, nõ autem ratione propria: quòd præterea non ſint neceſſario ſimul veræ, clarum eſt, nam iſta propoſitio eſt vera, homo non eſt albus, & tamen iſta eſt falſa, nullus homo eſt albus.

Notandum, quòd ex proxime dictis ex Sueſſano colligi poteſt regula ieſta ſubalternarũ, videlicet quòd ſi vniuerſalis ſit vera, vel ſit affirmatiua, vel negatiua, sẽper ſubalterna, vel affirmatiua ſit, vel negatiua vera eſt, vt patet in figura ſequenti in hunc modum per eundem deſcripta.



A Sed ex dictis oritur aperta difficultas, quę ſub ſilentio non eſt prætereunda. Dictum eſt namque ſupra, quòd ad hoc vt propoſitiones opponantur contradictorie, oportet vt repugnent in quantitate, qualitate, & ſignificatione. Contrarium tamen videtur aſſerere Ariſtotelem hoc in loco, dum inquit, quòd contradictorie opponuntur affirmatiua, & negatiua ſingularis, Socrates iuſtus eſt, Socrates iuſtus nō eſt: quomodo namque cum in quantitate conueniant hæ duę enunciationes, dixerimus, quòd contradictorie opponuntur?

Reſpondetur, quòd verè in ſingularibus eſt contradictio, cum cōtradictio nil aliud ſit, quàm oppoſitio, cuius non eſt dare medium ſecūdum ſe; vnde in contradictione ſingularium ſufficit oppoſitio qualitatis, quòd quicquid vna affirmet, alia neget, licet in quantitate conueniant.

Secus autem ſe habet in contradictorijs vniuerſaliter, in quibus requiritur etiam repugnantia in quantitate.

Et licet ſuperius dixerit Ariſtoteles, quòd vniuerſalis enunciatio vniuerſaliter contradictorie opponatur ei, quæ non vniuerſaliter, nō propterea negauit, quin etiam in ſingularibus reperiri poſſit contradictio.

Manifeſtum eſt autem, quòd vna negatio vnius affirmationis erit: hoc enim idem oportet negare negationem, quòd affirmatio affirmauit, & ab eodem, vel ab aliquo ſingularium, vel ab aliquo vniuerſalium, ut vniuerſaliter, vel vt non vniuerſaliter: dico autem vt eſt Socrates albus, non eſt Socrates albus; ſi autem aliud aliquid ab eodem, vel ab alio idem, non eſt oppoſita, ſed erit ab eo diuerſa; huic vero, quæ eſt, omnis homo albus eſt, illa quæ eſt, non omnis homo albus eſt; illi verò, quæ eſt, aliquis homo albus eſt, illa quę eſt, nullus homo albus eſt: illi autem, quę eſt, eſt homo albus, illa quæ eſt, non eſt homo albus.

Poſtquam in præcedentibus docuerat Ariſtoteles, quæ dicuntur propoſitiones contradictoriæ, quæ particulares, quæ indefinitæ; quæ inſuper contrariæ, & ſubcontrariæ, & quæ ſint contradictoriæ; vniuerſales, quæue ſingulares, & quomodo circa eas ſe habeat veritas, & falſitas.

B In præſenti parte vult duo præcepta afferre vſque in finem Capitis.

Primo autem tradit primum præceptum & eſt, quòd vni propoſitioni affirmatiuæ opponitur contradictorie vna tantum propoſitio negatiua, non plures; & idē eſt de negatione, quòd ſcilicet vna propoſitio negatiua non poteſt habere niſi vnam affirmatiuam contradictoriam.

Probat autem Ariſtoteles hoc pręceptum inductione, quę fit cum à ſingularibus procedimus in vniuerſalia. Capiamus, inquit, hanc propoſi-
C tionem ſingularem, Socrates eſt albus, huic affirmatiuę opponitur negatiua tantum, ſcilicet Socrates non eſt albus; accipiamus pariter vniuerſalem affirmatiuam, omnis homo eſt albus, huic opponitur negatiua, non omnis homo eſt albus; ſumamus adhuc hanc particularem affirmatiuam, aliquis homo eſt albus, ei eſt oppoſita negatiua, nullus homo eſt albus. Denique huic indefinitæ affirmatiuæ, homo eſt albus, opponitur hæc negatiua, homo non eſt albus. Propoſitio igitur affirmatiua, aut ſingularis, aut vniuerſalis,
D aut particularis, aut indefinita ſemper habet negatiuam contradictoriam tantum; patet ergo ex inductione, quòd vnicuique propoſitioni affirmatiuæ opponitur negatiua tantum, & è conuerſo, negationi opponitur affirmatio. Et addit, quòd ſi velimus vt fiat iſta contradictio, oportet vt quicquid affirmatio affirmat, negatio neget; ſi enim negatio aliud negabit, quàm id quod affirmat affirmatio, nulla erit contradictio.

Vnde ſciendum, quòd propoſitioni accidunt tria, Identitas, Diuerſitas, & Contradictio. Identitas propoſitionis erit ſi dixero, ego habeo veſtem, & ego habeo indumentum; hæ duę propo

ſitiones

ſitiones ſunt eædem,& habent identitatem. Diuerſitas propoſitionis eſt, quando ſubiectum vnius differt à ſubiecto alterius, exiſtẽte eodem prædicato, vel quando prædicatum vnius differt a prædicato alterius exiſtente eodem ſubiecto, vel quando propoſitio non habet, neque idẽ ſubiectum, neque idem prædicatum, vt cum dico, Socrates currit, Ioannes non currit, prædicatum quidem eſt idem, ſed ſubiectum differt, vnde nulla eſt contradictio, ſed tantum eſt diuerſitas: cum autem dico, Ioannes currit, & Ioannes non ſtudet, tũc ſubiectum quidem eſt idem, ſed prædicatum eſt diuerſum: cum uerò propoſitiones & ſubiecto, & prædicato differunt, eſt tunc maxima diuerſitas, vt cum dico, Ioannes currit, cælum mouetur.

Vltra has propoſitiones, ſunt illæ, quæ dicuntur oppoſitæ; oppoſitio autem duplex eſt, quædam eſt oppoſitio principalis, & quędam minus principalis. Principalis oppoſitio & omnium aliarum efficaciſſima eſt in contradictorijs, quæ opponuntur ſecundum ſignificationem veri & falſi, ſecundum quantitatem; nam aliæ vniuerſales, aliæ particulares ſecundum qualitatem, aliæ affirmatiuæ, aliæ negatiuæ.

Dicit itaque Ariſtoteles, quòd ad hoc vt ſit oppoſitio in propoſitionibus opus eſt, vt quicquid affirmat affirmatio, negatio neget; nam ſi negatio negabit aliud quidpiam, quòd ſit diuerſum ſubiectum, aut prædicatum, propoſitiones non erunt oppoſitæ, ſed diuerſæ; & hoc eſt primum præceptũ, quòd ſcilicet affirmationi vna opponitur negatio, quæ oportet vt ſit de ſubiecto, aut prædicato eodem.

Quod igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictorie, & quæ ſunt hæ, dictum eſt, & quod contrariæ aliæ, & quæ ſunt illę, dictum eſt, & quòd non omnis uera, uel falſa contradictio, & quare, & quando uera, uel falſa.

Hic Ariſtoteles epilogat ſupradicta, ſcilicet quòd vna affirmatio non plures contradictorie opponitur uni negationi, tum in uniuerſaliter, ſiue ſingulariter contradictorijs, tũ etiam in indefinitis, ſeq; declaraſſe dare quoq; propoſitiones contrarias, quæ ſunt uniuerſalis affirmatiua, ac vniuerſalis negatiua: & quòd nõ omnes propoſitiones inuicem repugnantes ſunt veræ, uel falſæ, veluti ſe habet de cõtrarijs ipſis, quę ambę poſſunt eſſe ſimul falſæ: pariter de indefinitis, & ſubcõtrarijs, quæ ambæ ſimul vere eſſe poſſunt; & quare nõ ſemper in huiuſcemodi propoſitionibus adeſt veritas & falſitas, quia ſcilicet nonnunquam contingit in eis affirmationem & negationem non proprie opponi. Inſuper repetit tradidiſſe quando propoſitiones ſunt veræ, uel falſę, quod accidit quando ſunt contradictorie oppoſitę, ſiue ſingulariter, ſiue uniuerſaliter; qua

A repetitione præſtita aggreditur aliud pręceptũ.

Verùm contra prędicta dubitatur nam Ariſtoteles dixit, quòd cuilibet affirmationi datur una negatio cõtradictorie, & dans exemplum, exemplificauit quoque de indefinitis.

Dixit namque, quòd huic indefinitę affirmatiuæ, homo eſt albus, opponitur hæc negatiua, homo non eſt albus, iſtæ ſunt propoſitiones indefinitæ, ſi iſtę opponuntur cõtradictorie; ergo nõ ſunt ſimul verę, & tamẽ dixit Ariſtoteles ſuperius, quòd propoſitiones indefinitę poſsũt eſſe B ſimul ueræ; igitur ſibi ipſi aduerſatur, vt patet.

Reſpõdetur, quòd Ariſtoteles non dixit vnius affirmationis vnam dari negatiuam contradictoriam, ſed oppoſitam. Vnde cũ oppoſitio dupliciter accipiatur, vt ſupra dictum eſt principaliter pro contradictoria, & minus principaliter pro ea maiori oppoſitione, quam propoſitio habere poteſt: ideo quãdo aſſerit propoſitioni indefinitæ affirmatiuæ opponi vnam negatiuam, accepit oppoſitionem ſecundo modo, non autẽ primo modo, ita ut eas non enumerauit, vt te- C neat contradictorie opponi, ſed vt indicaret, quòd & hę indefinitę quoquomodo opponũtur.

Secundo dubitatur aduerſus Ariſtotelẽ, cum dicit, quòd vni affirmationi opponitur una negatiua; nam videtur quòd non tantum vna negatiua opponatur affirmatiuæ propoſitioni, ſed etiam duæ, vt huic affirmatiuæ, omnis homo eſt albus, nedum opponitur hæc negatiua particularis, non omnis homo eſt albus, verũ, & vniuerſalis negatiua, nullus homo eſt albus; ergo non vna tantum negatio opponitur affirmationi.

D Pro ſolutione dico, quòd duplex eſt oppoſitio, Contraria, & Cõtradictoria, vni affirmationi opponuntur duæ negatiuæ oppoſitæ, ſed non contradictoriæ. Quando autem Ariſtoteles dicit, quòd vni affirmationi opponitur vna negatio, locutus fuit de maiori quam habere poterat propoſitio, quæ cum ſit huius vniuerſalis affirmatiuæ, omnis homo eſt albus, ſua contradictoria, quę una tantum eſt, non plures: ideo recte dixit unius affirmationis unicam dari oppoſitio- E nem, utputa maiorem, & principaliorem.

Vna autem affirmatio, & negatio eſt, quæ vnum de vno ſignificat, vel cum ſit vniuerſale vniuerſaliter, vel non ſimiliter, vt omnis homo albus eſt, non omnis homo albus eſt, eſt homo albus, non eſt homo albus, nullus F homo albus eſt, aliquis homo albus eſt. Si album vnum ſignificat; ſi verò duobus vnum nomen poſitum eſt. Ex quibus non eſt vnum, non eſt vna affirmatio, neque vna negatio, vt ſi quis ponat hoc nomen, Tunica, Ho-

mini, & equo, quod tunica alba eſt, hæc non eſt una affirmatio, nec una negatio; nihil enim differt hoc, quàm dicere; quòd eſt homo equus albus; hoc autem nihil differt, quàm dicere eſt homo albus, & eſt equus albus; ſi ergo hæ multa ſignificant, & ſunt plures, manifeſtum eſt, quòd & prima, uel multa, uel nihil ſignificat; neque enim eſt aliquis homo equus; quare nec in his neceſſe eſt hanc contradictionem ueram, illam uerò falſam eſſe.

Hic tradit Ariſtoteles ſecundum præceptũ, quod eſt, quòd oportet propoſitiones eſſe vnas, ideſt ſimili modo ſupponentes, vt affirmationi vna opponatur negatio; ſi nãque in his propoſitionibus, omnis homo albus eſt, non omnis homo albus eſt: & reliquis, quas numerat Ariſtoteles album vnum non ſignificet, & idem non ſupponit affirmatio, quod negatio, tunc vni affirmationi nõ opponitur vna negatio, ſi namque propoſitio habet ſubiectum, vel prædicatum, quod ſignificet diuerſa, ut canis, qui ſignificat tria, tũc non erit vna affirmatio, & vna negatio. Inquit enim Ariſtoteles imaginemur, quòd hoc nomẽ *tunica* ſignificet hominem, & equum, ponamus hũc caſum: Si dixerimus, tunica eſt alba, tunica non eſt alba, nõ erit vna affirmatio, aut negatio, quoniã ſignificat hominem eſſe album, & etiam equum. Quamuis igitur dicamus, tunica eſt alba, non tamen huic opponitur hæc negatiua, tunica non eſt alba; quoniam in prima poſſumus intelligere equum eſſe album, in ſecũda hominem non eſſe album: propterea dixit, quòd hæc vox, *Tunica*, tunc vel ſignificat, *multa*, ideſt hominẽ, & equum, *vel nihil*, quia termini æquiuoci determinate nihil ſignificant. Concludit ergo Ariſtoteles, quòd in ijs nominibus, quæ habent æquiuocationem, affirmatio, & negatio nõ ſunt veræ, neque falſæ, vt tunica eſt alba, tunica non eſt alba; nam ſignificant duo ſubiecta, ſcilicet hominem, & equum. Sed occurrũt quędam difficultates.

Prima difficultas eſt, dixit Ariſtoteles, quòd tunica non ſignificat vnum, quia ſignificat hominem, & equum. Hoc idem ratione pari poſſumus dicere de genere, quòd genus non ſignificat vnũ, quia animal ſignificat equum, bouem, & hominem; ergo genus nõ ſignificabit vnum; ergo ſi dixero animal eſt corpus, non erit affirmatio, quia multa ſignificat.

Secunda difficultas eſt, quoniam dictum eſt, quòd vni affirmationi poſſunt opponi duæ negationes, oppoſitio ſcilicet contraria, & contradictoria, vt ſit hæc affirmatio, omnis homo eſt albus, huic affirmationi poſſunt opponi duæ ne-

A gationes, ſcilicet negatio vniuerſalis, vt nullus homo eſt albus, & ſic erunt oppoſitiones contrariæ: poteſt etiam opponi negatio particularis, vt aliquis homo non eſt albus, & ſic erit oppoſitio contradictoria. Quæritur ergo quæ nam ſit maior oppoſitio, contraria, an contradictoria. Si dicas, quod magis opponuntur contrariæ, dico, quòd hoc eſt falſum, nam contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ, ergo eſt minor oppoſitio. Si dicas, quòd maior oppoſitio eſt in contradictorijs, dico, quòd hoc non eſt verum, quo-

B niam contradictoriæ opponuntur ſecundum partem, quia eſt altera propoſitio particularis, ſed contrariæ opponuntur ſecundum totum, quia vtræque ſunt vniuerſales; vnde videtur, quòd in contrarijs ſit maior oppoſitio.

Ad primam difficultatem reſpondetur, quòd tunica ſignificat plura æquiuoce, quæ nomine conueniunt, diſcrepant ratione; & ob id non ſignificat vnum, ſed multa. Animal verò ſignificat multas ſpecies vniuoce, quæ nomine, & ratione communi conueniunt, quoniam omnes

C ſpecies faciunt vnum genus; ſicut namque ſpecies eſt collectio plurium particularium, vt dicebat Porphyrius, ita genus eſt collectio ſpecierum, Hinc dicebat, quòd nos, & bruta ſumus animalia, ſed rationale ſeiungit nos ab illis.

Vnde reſpondeo ad argumentum, quòd tunica currit, non eſt affirmatio vna, quia ſignificat plura, quæ ſolo nomine conueniunt: cum autem dico, animal currit, eſt vna affirmatio, quoniam omnes ſpecies cõueniunt in eadem ratione communi.

D Ad ſecundam difficultatem, vbi ſcilicet ſit maior oppoſitio in propoſitionibus contrarijs, an in contradictorijs, diſtinguo, quòd oppoſitio dupliciter accipi poteſt ratione formæ, & ſecundum quantitatem, tũc dico, quòd in propoſitionibus contradictorijs eſt magis oppoſitio ſecundum formam, quoniam nullo pacto poteſt dari medium; in contrarijs autem eſt maior oppoſitio, ratione quantitatis, quàm in omnibus alijs. Si igitur loquatur de oppoſitione ſecũdũ quantitatem, dico, quòd magis eſt in contrarijs, ſi de

E oppoſitione ſecundũ formam, dico, quòd maior eſt in contradictorijs. Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite Sexto de Regulis oppoſitorum propoſitionum pro Iuris ſtudioſis.

F ARiſtoteles in quinto Capite tradit quinque regulas oppoſitarum propoſitionum.

Prima regula eſt, quòd contrariæ propoſitiones, vniuerſalis ſcilicet affirmatiua, & vniuerſalis negatiua non poſſunt eſſe ſimul veræ: at ſecundum aliquos ſimul falſæ, exiſtere valent. In materia neceſſaria vniuerſalis affirmatiua,

ua, omnis homo eſt animal, vniuerſalis negatiua, nullus homo eſt animal, non poſſunt eſſe ſimul veræ: in materia autem contingēti vniuerſalis affirmatiua, omnis homo currit, vniuerſalis negatiua, nullus homo currit, poſſunt eſſe ambæ falſæ.

Secunda regula eſt, quòd his oppoſitæ, ſcilicet ſubcontrariæ propoſitiones, particularis affirmatiua, & particularis negatiua in materia cōtingenti poſſunt eſſe ſimul veræ, aliquis homo iuſtus eſt, aliquis homo iuſtus non eſt.

Tertia regula eſt, quòd contradictoriæ vniuerſaliter, ſcilicet affirmatiua vniuerſalis, omnis homo iuſtus eſt, negatiua particularis, aliquis homo iuſtus non eſt, non poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed vna vera, altera falſa.

Quarta regula eſt, quòd contradictoriæ ſingulariter, ſcilicet affirmatiua ſingularis, Socrates iuſtus eſt, negatiua ſingularis, Socrates iuſtus non eſt, non poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed vna vera, altera falſa.

Quinta regula eſt, quòd indefinita affirmatiua, & indefinita negatiua in materia contingenti, vt puta homo iuſtus eſt, homo iuſtus non eſt, poſſunt eſſe ſimul veræ.

Sexta datur regula ſecundum alios, videlicet, quòd ſubalternę propoſitiones ſcilicet vniuerſalis affirmatiua, & particularis affirmatiua; vniuerſalis negatiua, & particularis negatiua ambæ ſunt ſimul veræ, vt omnis homo iuſtus eſt, aliquis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt, aliquis homo iuſtus non eſt. Hæ omnes regulæ de oppoſitis propoſitionibus in iure quoque verificari poſſunt.

In iure enim vniuerſalis affirmatiua, vniuerſalis negatiua ſunt contrariæ, & non poſſunt eſſe ſimul verę in materia neceſſaria, ſit propoſitio vniuerſalis affirmatiua, omnis emptio & venditio requirit pretium. Inſt. de empt. & vendi. ſit vniuerſalis negatiua, nulla emptio & vēditio requirit pretium: prima vera loco citato, ſecūda falſa. Pariter ſit propoſitio vniuerſalis affirmatiua, omnis iudex tenetur victum victori in expenſis condemnare. l. properandum. §. ſiue autem. C. de iud. ſit negatiua vniuerſalis, nullus iudex tenetur victū victori in expenſis condemnare. Prima verò textu prææallegato, ſecundā falſa: at in materia contingenti ambæ valent eſſe falſæ, quando ſcilicet prædicatum non ineſt neceſſario ſubiecto, vt ſi dixero; hāc propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, omnis qui poteſt condere teſtamentum, eſt paterfamilias, & aliam negatiuam vniuerſalem, nullus qui poteſt condere teſtamentum, eſt paterfamilias. Hæ ſunt contrariæ; quarum prima, nec ſecunda veræ ſunt, ſed ambæ falſæ: ſiquidem & paterfamilias poteſt facere teſtamentum. l. habeat. C. de ſacro ſanctis eccl. & etiam qui non eſt paterfamilias, ſed filiusfamilias teſtari valet. l. omnes. C. qui teſt. fac. poſſunt. l. ſi filiusfamilias. ff. de caſtrenſi peculio.

Præterea etiam ſecunda regula de ſubcontrariis in iure locum habere poteſt, videlicet, quòd in materia contingenti poſſint eſſe ſimul veræ, vt aliquis filiusfamilias poteſt condere teſtamētum. d. l. ſi filiusfamilias. ff. de caſtrenſi peculio. & aliquis filiusfamilias non poteſt facere teſtamentum. Inſt. tit. de teſt. in princ. quæ dicuntur ſubcontrariæ, quoniam ſunt oppoſitæ contrariarum: nam hæc particularis, aliquis filiusfamilias poteſt facere teſtamentum, eſt contraria eius vniuerſalis negatiuæ, nullus filiusfamilias poteſt facere teſtamentum, & hæc particularis, aliquis filiusfamilias non poteſt facere teſtamentum, eſt oppoſita eius vniuerſalis affirmatiuæ, omnis filiusfamilias poteſt facere teſtamentum.

Contradictoriæ quoque tum vniuerſaliter, tum ſingulariter in iure, vna vera, altera falſa, vt hæc vniuerſalis affirmatiua, omne teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quòd quis poſt mortem ſuam fieri vult, vera eſt. Inſt. de teſt. in princ. hæc autem particularis negatiua, aliquod teſtamentum non eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, eſt falſa. Similiter hæc ſingularis affirmatiua hic contractus eſt vltro, citroq; obligatio, eſt vera. l. Labeo 2. ff. de verb. ſign. altera verò ſingularis negatiua, hic contractus non eſt vltro, citroq; obligatio, eſt falſa.

Indefinitæ in materia cōtingenti, ambæ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt affirmatiua, & negatiua, vt fœminæ adoptare non poſſunt, fœminæ adoptare poſſunt. §. fœminæ. Inſt. de adopt.

Denique etiam quæ à nonnullis notātur ſubalternæ in iure, quòd ſimul veræ ſint, manifeſtū quoque eſt: nam ſi omnis actio eſt ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, etiam particularis affirmatiua ſubalterna ualebit, & aliqua actio eſt ius proſequēdi in iudicio, quod ſibi debetur. Inſt. de act. in princ.

Pariter ſi nulla emptio poteſt ſtare ſine pretio. Inſt. tit. prææalleg. de empt. & vend. §. pretium, ergo & particularis negatiua ſubalterna vera erit, aliqua emptio non poteſt ſtare ſine pretio.

Et hæc dicta ſatis ſuper hoc Capite.

De Futuris contingentibus.
Caput Septimum.

DE futuris contingentibus duo ſunt, qui tenentur mentionem facere, Diuinus, & Dialecticus, ſed diuerſo modo: nam ad Dialecticum ſpectat agere de futuris contingentibus, quatenus hæc quæſtio recipit terminationem propoſitionis, vel non. At Diuinus agit de futuris contingentibus, quatenus liberum arbitrium noſtrum mouet, vel non. Vnde agere de futuris contingentibus ad Dialecticum attinet, quatenus recipit materiam terminationis, vel indeterminationis.

Ex

Ex quibus patet continuatio huius textus cũ præcedenti. Cum enim cęperit Ariſtoteles diſtinguere propoſitiones, quòd aliæ ſunt determinatæ, aliæ indeterminatæ. Determinatæ ſunt illæ, quæ ſtatim determinant, an propoſitio ſit vera, necne. Indeterminatæ verò ſunt quæ non recipiunt magis verum, quàm falſum: ſed indeterminatæ poſſunt eſſe verę, vel falſę; & iſtę indeterminatæ videntur eſſe in materia vaga, & ancipiti, quoniam nõ magis determinant verum, quam falſum. Propterea in præſenti parte proſequitur tractationem de propoſitionibus determinatis, ac indeterminatis.

Et quoniam propoſitiones diſtinguuntur ſecundum materiam, ſecundum quantitatem, & ſecundum tempus, variantur ſecundum materiam: nam aliæ ſunt in materia contingenti, alię in materia neceſſaria, aliæ in materia impoſſibili. Variantur ſecundum quantitatem, quoniam aliæ vniuerſales, aliæ ſingulares, aliæ indefinitę: variantur etiam ſecundum tempus, quoniã aliæ ſunt in præſenti, aliæ in futuro, aliæ in præterito tempore.

Hinc dicit Ariſtoteles, quòd ſi fuerit propoſitio in materia cõtingenti, vel neceſſaria, vel fuerit vniuerſalis, vel ſingularis, vel indefinita, dũmodo ſit in tempore præſenti, vel pręterito, erit determinata, vt ſi dixerimus, omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal, omnis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt iuſtus, Socrates eſt animal, Socrates non eſt animal, Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus, homo eſt animal, homo non eſt animal, vel homo eſt iuſtus, ant homo non eſt iuſtus: harum quęlibet ſiue neceſſaria, ſiue contingens, ſiue vniuerſalis, ſiue ſingularis, ſiue indefinita, vel ſit in tempore pręſenti, vel etiam præterito, ſemper eſt determinate vera, vel falſa. Et hoc eſt, quod dicit.

In ijs ergo, quæ ſunt, & quæ facta ſunt, neceſſe eſt affirmationem, vel negationem veram eſſe, vel falſam; & in vniuerſalibus quidem, & uniuerſaliter, ſemper hanc quidem ueram, illa uerò falſam eſſe, & in ijs, quæ ſingularia ſunt, quemadmodum dictum eſt: in uniuerſalibus autem quæ non uniuerſaliter dictæ ſunt, non neceſſe eſt; dictum eſt autem & de his.

Dicit Ariſtoteles, quod propoſitiones in tempore præſenti, aut præterito manifeſtũ eſt, quod ſunt determinate aut verę, aut falſę, vel iſtę ſint vniuerſales vniuerſaliter, vel ſingulariter, vel indefinite. Propoſitiones vniuerſaliter, aut ſingulariter oppoſitæ in tempore præſenti & præterito definitæ vna vera, altera falſa; indefinitæ verò determinate veræ vel falſæ.

Verùm ſequitur.

A In ſingularibus uerò, & futuris non eſt ſimiliter.

Quærit hic Ariſtoteles an in futuris contingentibus ſingularibus ſit ſemper determinata veritas, vel falſitas, & pertinet hæc quæſtio ad tractatum de caſu, & fortuna, ad tractatum de conſtitutione legum, de libero arbitrio. Nam ſi omnia ſingularia contingentia eſſent futura neceſſaria, opus eſſet demere caſum & fortunam, B leges, conſultationes, virtutes morales, & liberũ arbitrium. Quòd ſi hæc non ſunt remouenda, dicendum eſt, quòd futura contingentia ſingularia ſunt indeterminata, & quòd poſſunt indeterminate eſſe vera, aut falſa.

Sit itaque præparatio hęc ad textum iſtum facilius intelligẽdum, quòd propoſitiones omnes fiunt in triplici differentia temporis, ſcilicet vel in præſenti, vel in præterito, vel in futuro: tempus namque triplex eſt, Præſens, Præteritũ, & Futurum. Propoſitiones, quæ ſunt in tempo- C re præſenti, & præterito ſunt determinatę verę, vel falſę, quia pręteritum iam fuit, nulli dubium eſt: quæ ſunt etiam in tempore pręſenti, ſunt determinatę, quoniam iam actu ſunt; ſed quæ ſunt in futurum, ſunt indeterminatæ, quoniam poſſunt eſſe veræ, vel falſæ. Tempus igitur pręſens, & præteritum eſt determinatũ, quantitas etiam propoſitionis duplex eſt, ſcilicet determinata, & indeterminata: nam quantitas propoſitionis eſt vniuerſalis, & particularis: propoſitio vniuerſalis eſt determinata, vt omnẽ hominẽ currere, D nullum hominem currere; iſtæ ſunt propoſitiones determinatæ: quantitas verò particularis eſt indeterminata, vt cum dico, aliquis homo eſt Philoſophus. Cum itaque quantitas propoſitionis alia determinata, alia indeterminata ſit, & etiam tempus ipſum aliud determinatum, aliud indeterminatum, vult concludere Ariſtoteles, quòd materia alia eſt determinata, alia indeterminata. Materia contingens eſt indeterminata, vt Socratẽ ambulare; Socratẽ enim ambulare nõ eſt neceſſariũ, ſed tantum cõmodum, E vel vtile. Materia neceſſaria eſt determinata, vt cęlum moueri; hoc enim determinate verum eſt. Intendit itaque Philoſophus ex terminatione horum aſſerere, quòd propoſitiones in futurũ contingentes ſingulares ſunt indeterminatę, & poſſunt eſſe tam verę, quàm falſę. Hic eſt titulus quæſtionis. Inquit enim, *In ſingularibus verò & futuris non eſt ſimiliter*. Proponit quæſtionem, vt dixi, quòd propoſitiones ſingulares contingentes in tempore futuro non ſunt determinate veræ, vel falſæ, ſed tam ad veritatem, quàm F ad falſitatem vergere poſſunt, quoniã eſt diſcrimen inter propoſitiones ſingulares de futuro contingenti, & contradictorias de pręſenti, & de pręterito, & ait.

Nam ſi omnis affirmatio, & negatio vera, vel falſa eſt, & omne neceſſe

eſt

eſt eſſe, vel nõ eſſe: quare ſi hic dicat futurũ eſſe aliquid, ille verò non futurum dicat hoc ipſum, manifeſtum eſt, quòd neceſſe eſt, verum dicere alterum ipſorum, ſi omnis affirmatio vel negatio vera, uel falſa eſt; vtraque enim nõ erunt ſimul in talibus.

In expoſitione huius partis Græci, & Latini expoſitores valde differunt. Vult namque Ammonius, quòd Ariſtoteles prius argumentetur pro parte eorum, qui tenebant omnia eſſe neceſſaria, & negabant contingentia, vt caſum, & fortunam, poſſibile, & conſultationem, qua deinde argumenta paulò poſt diſſoluat.

Latini verò volunt, quod Philoſophus ſtatim exordiatur argumentari pro parte vera cõtra Philoſophos antiquos, ideſt Stoicos, qui omnia ex neceſſitate euenire aſſerebant. Ego in interpretatione Latinos ſequi propoſui: videntur enim mihi magis congrue, & magis ad aures Philoſophi interpretari, & ſi in fine conueniant & Græci & Latini ex Ariſtotelis ſententia dari contingens.

In hoc principio itaque intentio Ariſtotelis eſt ponere differentias inter propoſitiones ſingulares de futuro contingenti, ac contradictorias ſupra declaratas. Quod facit primum duabus rationibus tendentibus ad abſurdum: quarum prima ponitur in præſentia & eſt huiuſmodi enthimema.

Si omnis affirmatio eſt determinate vera, vel falſa in contingentibus ſingularibus, ſicuti in contradictorijs de præſenti, & de præterito, ſequitur quòd omnia neceſſario definite ſint, vel non ſint. Probat conſequentiam, quoniam ſi quis dicat, perorabit cras Iſocrates, alter verò dicat, cras non perorabit Iſocrates; ſi in futuris cõtingentib. eſt neceſſe vt vna propoſitio ſit determinate vera, altera determinate falſa, ſequitur quòd alter eorum verũ dicat determinate; *Vtraque enim non erunt ſimul in talibus*, hoc eſt, nõ enim vtraque ſimul propoſitio verificari poteſt in contradictorijs, vt puta euenit in indefinitis, & ſubcontrarijs, & ſi eſt neceſſe, quòd alter eorum determinate verum dicat, ſequitur quòd res ſit neceſſario determinate, vel non ſit, quam ipſarum rerũ conſequentiam exemplo demonſtrare contendit, cum ſequitur.

Nam ſi uerum eſt dicere, quòd album, uel non album, neceſſe eſt eſſe album, uel nõ album; & ſi eſt album, uel non album, uerum erat affirmare, uel negare; & ſi non eſt, falſum dicit; et ſi falſum dicit, non eſt. Quare neceſſe eſt ſemper affirmationẽ, aut negationem ueram eſſe, uel falſam.

A Patefacit exemplo Ariſtoteles, quomodo omnis affirmatio, negatioq; cum rebus ipſis vera, vel falſa ſit: nam ſi verum eſt dicere, quòd aliquod eſt album, vel non album, de neceſſitate res ipſa erit alba, uel non alba: noſtra namque affirmatio natura ſequitur rem, quæ eſt, negatio vero rem, quæ non eſt: vnde ſi quis proferat niuem eſſe albam, ſequitur neceſſario, quòd nix ſit alba: ſi quis proferat picem non eſſe albam, neceſſario euenit, quod non ſit alba: pariter ſe habet de falſa enunciatione. Si enim quis dicat, ni-
B uem non eſſe albam, neceſſario ſequitur, quòd non ita ſit in re, ſicut ipſe negat, & ſi dicat alter picem eſſe albam, pariter neceſſario alter erit in re ac ipſe affirmat: nam ſi alter eſt in re ac ipſe aſſerat, vel neget, neceſſario ſequitur, quòd qui enunciat, falſum dicit. Vnde de primo ad vltimum ſi affirmatio & negatio in futuris contingentibus ſingularibus ſit determinate vera, vel falſa, neceſſe eſt quòd omnis affirmans vel negans neceſſario dicat determinate verum, vel falſum; ergo omne neceſſe eſt eſſe, vel non
C eſſe, cum omnis affirmatio, vel negatio cum rebus ipſis cõueniat, vt exemplo clariſſime patuit.

Nihil igitur neque eſt, neque fit, nec à fortuna, nec utrumlibet contingit, atque erit, neque non erit, ſed ex neceſſitate omnia, & non vtrumlibet contingit; aut enim qui dicit, uerus eſt, aut qui negat. Similiter enim uel
D fieret, uel non fieret; quod enim utrũlibet cõtingit nihil magis, ſic uel non ſic ſe habet, uel habebit.

In hac parte Ariſtoteles concludit primam rationem aduerſus dicentes, omnia eſſe determinate vera, vel falſa, quod ſcilicet ſi affirmatio omnis & negatio de quocumque dicitur vera; ergo omnia erunt neceſſaria; & ſic erit vanum ponere caſum, & fortunam, & alia contingetia.

Vnde ſciẽdum, quòd contingens triplex eſt,
E Vtplurimum, Raro, & Aequale. Cõtingens vtplurimum eſt, quod accidit in pluribus, vt hominem naſci cũ vnico capite, & cum duabus manibus. Contingens raro, quod euenit a caſu, vel à fortuna, uel etiam monſtrum, vti quando naſcitur quis cum duobus capitibus, & quatuor manibus. Contingens æquale, quod eſt medium inter vtplurimũ, & raro, quod euenit in ijs, quæ non magis ſe habent ad vnam partem, quam ad aliam, vt Socratem ambulare, Socratem nõ ambulare, & vocatur contingens vtrumlibet, de
F quo hoc loco maxime fit mentio.

Amplius autem, ſi eſt album nũc, uerum erat dicere prius quod erit album; quare ſemper fuit uerum dicere quodlibet eorum, quæ facta ſunt,

quod eſt, vel erit: ſi autem ſemper verum fuit dicere, quod eſt, vel erit, non poteſt hoc non eſſe, vel non futurum eſſe. Quod autẽ non poteſt non fieri, impoſſibile eſt non fieri, & quod impoſſibile eſt non fieri, neceſſe eſt fieri. Omnia igitur quæ futura ſunt, neceſſe eſt fieri: nihil igitur vtrumlibet contingit, neque à fortuna erit; nam ſi à fortuna, non ex neceſſitate.

Ariſtoteles incipiens diſputationem iſtam de futuris cõtingentibus cœpit adducere primum argumentum contra opinionem Stoicorum, eorum inquam qui putabant omnia eſſe ex neceſſitate, ex hoc quod abolerẽt caſum, & fortunam, & quodlibet contingens. Probauit enim diſcrimen dari inter contradictorias de præſenti, & de præterito, ac futuras contingentes per deductionem ad inconueniens. Modo in præſentia ad oſtendendum idem diſcrimen accidit ex eadem argumentationis virtute, per deductionem ſcilicet ad idem inconueniens. Verùm diuerſam ingreditur rationem; nam in prima ex ijs, quæ nondũ facta erant, collegit rerũ futurarum euentum neceſſarium, ſi contingentia ſingularia neceſſario determinate vera eſſẽt. Modo autẽ ex ijs, quæ facta ſunt, demonſtrationem ſumit, quòd ſi contingentia futura eſſent determinate vera, in rebus neceſſitatem dari neceſſario concludit, & argumentatio eſt huiuſmodi.

Si eſt eadem veritas, & falſitas in propoſitionibus de præſenti, ſicut in ijs de futuro ſingularibus eſt; ſequitur quòd quicquid verum erit de præſenti, etiam verum extiterit de futuro, ſed determinate, nũc verum eſt dicere de aliquo ſingulari, quod eſt album; ergo antequam fieret album, erat verum dicere determinate, quod hoc erit album, & ſi ſemper verum eſt dicere de præſenti, quod eſt, vel de futuro quod erit, non poteſt hoc non eſſe, vel non futurum eſſe; ergo impoſſibile eſt non fieri; ergo ſequitur quòd neceſſe ſit fieri ea omnia, quæ futura ſunt. Ponamus nãque, quòd nũc paries ſit albus, hoc certũ eſt, & determinatum, & neceſſarium, quia actu eſt; ergo fuiſſet quoque verum dicere antequam paries fieret albus, ſi fuiſſet verum dicere, quòd paries fiet albus; ergo hoc nõ poterat nõ eſſe: ergo impoſſibile erat vt non fieret; ergo neceſse erat ut fieret; ergo de primo ad vltimũ patet, quòd ſi quicquid verũ ſit de præſenti, etiam verũ extiterit de futuro, quòd ſicuti præſentia ſunt certa, & neceſsaria, ita & futura ſunt neceſsaria. Ex quo ſequitur idem incõueniens, ſcilicet deſtrui fortunam, & contingens dari.

Vnde ſciendum, quod hoc in loco Ariſtoteles confundit, caſum & fortunam; nam ei ſatis eſt, quòd contra diſtinguatur à neceſſitate: A vtrumque namque eſt de rebus, quæ non ſunt neceſsario.

At 2. Phyſic. hæc duo ſeparauit, quia caſus fit in rebus agentibus ſine propoſito, vt ſi lapis cadat, vndè fiat ſcamnum, & ſit commodũ alicui ad ſedendum, hic vere erit caſu; ſi verò ruſticus effodiens terram inueniat theſaurum, erit fortuna, quia fit in re habente propoſitum, nempe in homine. Hic autem, vt dictũ eſt, non diſtinguit Philoſophus, quia vtrumque contingens eſt.

At verò nec quòd neutrum verum B eſt dicere contingit, vt quòd neque erit, neque non erit. Primum enim cum ſit affirmatio falſa, negatio non vera erit; & cum nec falſa ſit, contingit affirmationem non veram eſſe: & ad hæc, ſi verum eſt dicere, quòd album eſt ſimul, & magnum, C oportet eſſe vtrũque; ſi vero erit cras, oportet fore cras: ſi autem neque erit, neque non erit cras, non erit, utrumlibet contingit, ut eſt nauale bellum; oportet enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri.

Iſta verba reputantur admodũ obſcura, ſententia tamen non eſt difficilis: nam cum ſuperius in enthimemate adducto per Ariſtotelem D aduerſus Stoicos probatum fuerit conſequens illius enthimematis, ex hoc, quòd ſi quis futurũ aliquis affirmet, & illud idem aliquis neget, neceſſe eſt vt alter eorum verum dicat, quoniam vtræque propoſitiones, cum ſint cõtradictoriæ, non poſsunt eſse ſimul veræ, ac ſe habent indefinitæ, vt paulò ante aſſeruerat Philoſophus: nunc quia poſset quis dubitare, quod non ſit; propterea neceſse in quacunque contradictione, vt vna propoſitio ſit vera, altera falſa: ſed reperiatur aliquod, de quo non ſit verum affirmã-E do, neque negando. Idcirco in præſenti tenet, quòd hoc non poſſit eſse, & quòd ſit abſurdum dicere, quòd cũ affirmatio eſt falſa, negatio nõ ſit vera, & è contrario, quinimo ſtante veritate affirmationis, infertur falſitas negationis, & è conuerſo, nec vllum datur medium. Probat itaque Ariſtoteles, quòd ſicut vtrique propoſitionum ſingularium determinate non ineſt veritas, ita alterutra earum propoſitio prorſus veritate non caret, ita vt ambæ falſæ ſint.

Prima ratio, qua vtitur eſt huiuſmodi: Affir-F matio & negatio diuidit uerũ, & falſum, unde ſi affirmatio eſt falſa, neceſse eſt vt negatio ſit uera, & è contrario: ſed ſi utrique oppoſitorum ueritas deſit, ſequeretur quòd ſi affirmatio eſt falſa, negatio non eſset uera, unde eſset falſa negatio, uera non exiſtente affirmatione; quare eſt impoſſibile, ut nulli oppoſitorum ueritas inſit.

Præ-

Præterea addıt ſecundam rationem ad idem cõfirmandum; nam ſi uerum eſt dicere aliquid, ſequitur quòd illud ſit. Declarat exemplo, ut ſi uerum eſt dicere, quòd aliquod, puta lignum ſit magnum & album, ſequitur utrumque eſse; & ita de futuro ſicuti de præſenti: ſequitur enim eſse cras, ſi uerum eſt dicere erit cras: ſi ergo ueritas deſit utrique oppoſitum, ita ut ſit falſa affirmatio bellum nauale erit cras: pariter non ſit uera negatio bellum nauale non erit cras, oportebit neque fieri, neque non fieri; ex quo ſequitur idẽ inconueniens ut ſupra, quòd auferatur contingens utrumlibet, quia quod eſt ad utrumlibet, ſe habet ad alterutrum.

Notandum, quòd cum ex primo Phyſic. generatio duplex ſit, ſimplex & compoſita. Generatio ſimplex cum vnum tantum generatur, ut cum ex albo habetur nigrum. Generatio uerò compoſita quando lignum fit albũ, & magnum ſimul, cum ſupra in primo argumento contra Stoicos oſtenderit ex generatione ſimplici ueritatem enunciationis cõſequi rerum eſsentiam, modo idem oſtẽdit ex generatione compoſita.

Quæ ergo contingunt inconuenientia, hæc fiunt & huiuſmodi alia; ſiquidem omnis affirmationis, & negationis, aut in vniuerſalibus dictis, ut uniuerſaliter, uel in ijs, quæ ſunt ſingularia, neceſſe eſt oppoſitarum; hanc quidem ueram eſse, illam uero falſam; nihil autem utrumlibet contingit eſse in iis, quæ fiunt, ſed omnia eſse, & fieri ex neceſſitate. Quare neque conſultare oportebit, neque negotiari, quòd ſi hoc quidem facimus, erit hoc, ſi uero non hoc, non erit hoc; nihil enim prohibet, & in annum decies milleſimũ, hunc quidem dicere hoc futurum eſse, illum uerò non dicere: quare ex neceſſitate erit utrumlibet eorũ quod ab ipſo uerum erat dicere tunc.

In hac parte Ariſtoteles concludit dari prænarrata inconuenientia, quando non ponatur diſcrimen inter propoſitiones de futuro contingenti ſingulares, ac contradictorias antea declaratas, quòd ſcilicet demeretur contingens, & omnia ex neceſſitate euenirent; & nedum ſequeretur inconuenientia prædicta, ſed etiam accederent alia, ſcilicet quod non oportebit de aliquo conſiliari, nec minus opus erit negotiari, cũ non ualemus conſultatione prohibere quæ futura ſunt: nam ſi ponamus bellum neceſſarium fore inter Turcas, & Perſas, non poterit conſultatione prohiberi quin ſit futurum, quoniam non eſt impoſſibile, quin ante mille annos quis dixerit hoc erit, puta huiuſmodi bellum, ac alter dixerit hoc non erit: unde ſi affirmatio & negatio determinate eſt uera, neceſse eſt quòd alter eorum uerum dixerit; ergo neceſse fuit quodlibet eorum ex neceſſitate euenire.

At uerò nec hoc differt, ſi aliqui dixerint contradictionem, uel non dixerint; manifeſtũ enim quòd ſic ſe habẽt res, etiam ſi non hic quidẽ affirmauerit quid, ille uero negauerit: nõ enim propter negare, vel affirmare erit, vel non erit, nec in decies milleſimum annũ, magis quàm in quantolibet tempore: quare ſi non omni tẽpore ſic ſe habebat, vt alterum uere diceretur, neceſſe erat hoc fieri, & vnumquodque eorũq; fiunt, ſemper ſic ſe habebant, ut ex neceſſitate fieret: ſi enim vere dixit quis quod erit, non poteſt non fieri, & quod factum eſt uerum erat dicere, ſemper quod erat.

Inquit Philoſophus, quòd idem euenit, omnia ſcilicet ex neceſſitate prouenire, etiam ſi nõ adſit illa contradictio, quoniam res non eſt neceſſaria ratione contradictionis; nam nil refert quãtum ad rerum exiſtẽtiam, uel euẽtum, quòd unus affirmet hoc eſse futurum, alter uerò neget; nam ſic res eueniet ſi hoc factum fuerit, ſicuti ſi non factum fuerit; res enim non deſit, uel impeditur noſtra oratione, ſiue ſit affirmatiua, uel negatiua; ſimiliter non refert quantum ad euentum eius, quod nunc agitur, utrum fuerit affirmatum ante milleſimũ annum, ſiue quodcumque aliud tempus ante: quapropter eſt concludendum, quòd ſi in quocunque tempore prę terito ita ſe habebat ueritas enũciationis, quòd alter oppoſitorũ uere diceretur, & ad hoc quod neceſse eſt aliquid uere dici, ſequitur quòd neceſse ſit illud eſse, uel fieri, conſequens eſt, quòd unumquodlibet eorum, quæ fiunt ſic ſe habeat, ut ex neceſſitate fiat, cum ſi ponamus aliquem dicere, quòd hoc erit, non poteſt non futurum eſse.

Notandum, quòd conſultatio, & negotiatio diſtinguuntur, nam conſultatio eſt de rebus futuris, ut ſi hoc quidem facimus, erit hoc; ſi uerò non hoc, non erit hoc; negotiatiò uerò eſt de præſentibus; uel quæ imminent, ideſt uicina ſunt actui.

Si itaque hæc impoſſibilia ſunt, uidemus enim eſſe futurorum princi

pium,

pium,& ab eo quod conſultamus, atque aliquid agimus,& quod eſt, omnino in ijs, quæ nõ ſemper actu ſunt, poſſibile eſſe,& non eſſe ſimiliter, in quibus vtrũque contingit, & eſſe, & non eſſe; quare & fieri,& non fieri,& multa nobis manifeſta ſunt ſic ſe habentia, vt quòd hanc veſtem poſſibile eſt incidi,& nõ incidetur, ſed prius exteretur. Similiter autem & non incidi poſſibile eſt; nõ enim eſſet eam prius exteri, niſi poſſibile eſſet non incidi; quare & in alijs generationibus, quę ſecundum huiuſmodi potentiam dicũtur. Manifeſtum igitur eſt, quòd non omnia ex neceſſitate, vel ſunt, vel fiunt; ſed alia quidem vtrumlibet contingit, & nihil magis affirmatio, quàm negatio erit vera, vel falſa; alia verò magis quidem, & vt in pluribus alterum, nihilominus contingit fieri & alterum, alterum verò minime.

Defendit Ariſtoteles in hac parte, quòd in rebus humanis ſit vis, & facultas libere agendi, vt nos poſſimus exercere rationes ad libitum,& poteſtatem noſtram ex noſtra libertate,& oſtendit Ariſtoteles, quòd eſt impoſſibile omnia eſſe neceſſaria, tribus rationibus. Primo, in actionibus humanis, quoniam homo habet electionem, ſeu voluntatem: electio autem eſt virtus, cui attribuitur & velle & nolle. Quod autem homo habeat electionem, patet; nam videmus quotidie, quòd homo vult, & quòd item homo non vult. Quod conſultat,& agit ad libitum, ſicuti eſt in eius poteſtate. Eſt enim dominus eorum, quæ agit,& conſultat. Secundo idem probat in rebus naturalibus, quoniã non omnia in ijs ſunt neceſſaria: nam dantur quædam, quæ ſemper non ſunt actu; ergo in eis conuenit eſſe & non eſſe; alioquin vel ſemper eſſent, vel ſemper non eſſent; ergo in quibus contingit eſſe, & non eſſe contingit etiam fieri & non fieri; ergo non omnia ex neceſſitate fiunt, vel non fiunt, ſed datur poſſibile in naturalibus, quod ſe habet ad fieri, & non fieri, eſſe, & non eſſe. Tertio probat impoſſibilitatem ſupradictam, exemplo in ſenſibilibus, puta ſit veſtimentum nouum, ego habeo facultatem incidendi ipſum, & non incidendi, quod ſi quis neget, oportet vt alter neget in ſenſu diuiſo, ſi dicet; quod non poſſum incidere veſtem, per experientiam incidam; ſi verò dicet, quòd non poſſum non incidere, experientia hoc idem palam fiet; nam ego faciam, vt ipſa exte-

A ratur,& vetuſtate corrumpatur; ſi exteratur, nõ incidetur; ergo patet, quòd poſſum incidere,& non incidere. Item ego poſſum ambulare,& non ambulare; quare ſi in quibuſcũque generationibus rerum, quæ pendent a libertate noſtra dantur contingentia,& poſſibilia; ergo nõ omnia ſunt neceſſaria; neque fiunt ex neceſſitate, ſed alia erunt contingentia æqualia, alia vt plurimum, vt ſupra declaratum fuit, ſcilicet ea eſſe contingentia æqualiter, quæ æqualiter ad vtrũlibet ſe habent, non magis ad hanc, quam ad il- B lam partem vertere poſſunt; alia vero vt plurimum, quia in pluribus ſic euenit, & ſi contingit etiam ſecus, vt videlicet altera pars ſit vera, non ea, quæ contingit vt plurimum.

Igitur eſſe quod eſt, quando eſt,& non eſſe quod non eſt, quando nõ eſt, neceſſe eſt, ſed non omne quod eſt, neceſſe eſt eſſe, nec quod non eſt, neceſse eſt non eſſe; non enim idem eſt C omne quod eſt neceſſario eſſe, quando eſt, & ſimpliciter ex neceſſitate eſſe. Similiter autem & in eo quod non eſt.

In hac vltima parte capitis Ariſtoteles ſoluit ſuum debitum principale; debitum enim ſuum principale erat, cum demonſtrauerit inconuenientia, quæ ſequũtur ex poſitione illa antiquorum, qui ſcilicet nullum dabant diſcrimen inter D contradictoria de præſenti, ac de præterito, & futura contingentia,& proinde non eſſe verum omnia ex neceſſitate euenire, tenebatur oſtendere quid foret de ijs,& quid enunciandũ, quod facit in præſenti parte,& inquit.

Primum, quòd opus eſt, diſtinguere neceſſarium, quòd duplex eſt, ſecundum conditionem, & ſuppoſitionem, & neceſſarium ſimpliciter. Dicit itaque, quòd quicquid agitur in præſentibus, eſt verum prius dicere, quod erit neceſſariũ, non neceſſario ſimpliciter, ſed conditionale,& E ſuppoſitionis, quod ſumitur ab ipſo actu, vt cum dicimus, ambulante Socrate, quod neceſſarium eſt vt ambulet: iſtud eſt neceſſarium ſuppoſitionis,& conditionis, quoniam ſupponimus Socratem ambulare; hoc autem non eſt neceſſarium ſimpliciter, quoniam antequam Socrates ambularet, poterat non ambulare; ſed eſt neceſſarium ſuppoſitionis, quoniam dicimus, quando Socrates ambulat, neceſſarium eſt vt Socrates ambulet: quare non oportet ex pręſentium rerum veritate argumentari veritatem futuram, nã vna F eſt neceſſitas ſuppoſitionis, altera abſoluta: propterea dicit Philoſophus, quòd neceſſarium eſt aliquod affirmatiue, dummodo ſit, & negatiue neceſſariũ eſt, quòd aliquod non ſit, quando non ſit; neceſſarium inquam ſecundum ſuppoſitionem, ſed non eſt verum, quòd quicquid eſt, ſit neceſſarium ſimpliciter, quoniam non eſt idem neceſ-

neceſ-

neceſſarium ſuppoſitionis, & neceſſarium abſo-
lutum: nam neceſſarium ſimpliciter eſt illud,
cui nulla ſit limitatio, vel adiectio, vel cõnexio,
& neceſſarium eſt cælum moueri. Neceſſarium
autẽ ſuppoſitionis eſt illud, cui niſi fuerit addita
limitatio, non eſt verũ, ut ſi dixero, neceſſarium
eſt me ſtudere, iſta neceſſitas ſine vlla limitatio-
ne non eſt vera: at ſi addidero conditionem hoc
modo, dum ſtudeo, neceſſarium eſt me ſtudere,
iſta neceſſitas eſt vera ſecũdum ſuppoſitionem.

Et ex dictis videtur exeludere quod ſupra di-
ctum eſt, quòd eadem ſit veritas de pręſentibus,
aç extiterit de futuris, cum veritas de præſenti
alio modo ſe habeat, ac de futuro vt viſum eſt;
& cum non liceat argumentari à ſecundum
quid ad ſimpliciter, non ſequitur inconueniens,
quod neceſſario proueniebat, quãdo dicebatur,
quod erat eadem veritas in vtriſque.

Et hoc modo confirmare videtur ſuam opi-
nionem, nempe quòd non eſt ſimiliter in con-
tingentibus futuris, ac in propoſitionibus de
præſenti, & de præterito contradictorijs, tum
quia ſequerentur inconuenientia ſupra allata,
tum etiam quia re ipſa aliter ſe habet, vt patet.

Sed & in contradictione eadem
ratio eſt, eſſe quidem, vel, non eſſe,
omne neceſſe eſt, & futurum eſſe, vel
non; non tamen diuidentem dicere
alterum neceſſarium. Dico autem,
vt futurum bellum nauale cras neceſ-
ſe eſt, vel non futurum eſſe; non ta-
men fieri cras bellum nauale neceſſe
eſt, neque non fieri: fieri tamen, vel
non fieri neceſſe eſt.

Ariſtoteles in præſenti declarat, quomodo in
contradictorijs cõtingentibus verificetur, quòd
neceſſario ſit, vt vnumquodlibet ſit, vel non ſit:
& inquit, quòd ſicut neceſſitas dupliciter conſi-
deratur, ita quoque veritas in his duobus modis
cõſiderari poteſt, vel in ſenſu compoſito, vt So-
cratẽ ambulare, vel non ambulare, vel in ſenſu
diuiſo, vt diſiunctim Socratem ambulare, & ſe-
paratim Socratem non ambulare; in ſenſu com-
poſito in rebus eſt neceſſitas; at in ſenſu diuiſo
dum diſiungimus vnam propoſitionem ab alia,
non eſt neceſſaria. Explicat ſeipſum Ariſtoteles
vt in ſenſu compoſito res ſe habeat, vt futurum
eſſe bellum nauale, vel non futurum eſſe bellum
nauale. Hoc modo datur neceſſitas in rebus;
at ſi ſeiunxerimus & fuerint in ſenſu diuiſo, vt
cras neceſſario futurum eſſe bellum nauale, nul
la erit neceſſitas, neque veritas, aut falſitas deter
minata, quod idem de negatione dicendum.

Quare cum ſimiliter orationes ue-
ræ ſint, quemadmodum & res, mani-
feſtum eſt, quòd quęcũque ſic ſe ha-
A bent, ut ſint utrumlibet contingit, &
contraria ſuſcipiant, neceſse eſt ſimi-
liter ſe habère, & contradictionem,
quod contingit in ijs, quæ non ſem-
per ſunt, uel non ſemper non ſunt,
horum enim neceſse eſt alteram par-
tem contradictionis ueram eſse, uel
falſam, non tamen hanc, uel illam,
B ſed ntrumlibet contingit, & magis
quidem ueram alteram, non tamen
iam ueram, uel falſam.

Dicit Ariſtoteles, quòd cum res ſit cauſa vt
propoſitio ſit talis, vel talis, quod ſicut in rebus
contingentibus non eſt neceſſitas niſi in ſenſu
cõpoſito, ita etiam ſe habet in orationibus enun
ciatiuis, quod ſcilicet in omnibus rebus, quæ ita
ſe habent vt ſint contingentes, ſequitur quod
C pariter ſe habeat contradictio enunciationis, ſci
licet, quòd ſit neceſſaria in ſenſu compoſito.

Docet autem Ariſtoteles quibus in rebus ſint
contingentia, ſcilicet in ijs rebus, quæ non ſem-
per ſunt in actu, ſcilicet in ijs, quæ modo in actu
ſunt, modo in potentia; quicquid enim eſt, aut
eſt in actu ſemper, aut nunquam eſt in actu, aut
modo in potentia, modo verò in actu: ſi res
ſemper actu eſt, neceſſaria eſt affirmatio, vt cœ-
lum moueri. Hæc inquam propoſitio eſt ne-
ceſſaria, quia ſemper cęlum actu mouetur: quæ
D verò nunquam ſunt in actu, vt hominem nõ eſſe
lapidem, ſemper ſunt neceſſario negandæ, quo-
niam ſunt impoſſibiles. Aliqua ſunt media, quę
modo in potẽtia, modo in actu ſunt, & hæc ſunt
contingentia, quæ contingentia aſſerit Ariſtote
les eſſe in duplici differentia, vtrumlibet, & inę-
qualia, quæ ſunt raro, & frequenter contingen-
tia. Itaque etſi frequentiſſima ſint, vt hominem
naſci cum quinque digitis in vna manu, tamen
non eſt contingens neceſſarium; nam iſte effe-
ctus poteſt impediri; vnde neque in his erit de-
E terminate verum dicere vnam partem contra-
dictionis eſſe veram, alteram verò nõ, quoniam
quamuis ſit contingens frequenter, non tamen
eſt neceſſarium, ſed adhuc poteſt eſſe, & nõ eſſe.

Quare manifeſtum eſt, quòd non
eſt neceſſe omnis affirmationis, vel
negationis oppoſitarum; hanc qui-
dem ueram, illam autem falſam eſse,
nõ enim quemadmodum in ijs, quæ
F ſunt, ſic ſe habenr, & ijs, quę non ſunt
quidem; poſſibilibus tamen eſse,
vel non eſse, ſed quemadmodum di-
ctum eſt.

Epilogat nunc totum caput dicens, quòd fu-
tura contingentia non ſunt determinate affir,
manda-

manda, vel neganda, quoniam non eſt neceſſe in
omni genere contradictionis, vnam partem eſſe
veram, alteram falſam; ſed cum contradictio ſit
in rebus, quæ ſemper ſunt in actu, ideſt in neceſ-
ſarijs, verum eſt dicere determinate vnam eſſe
veram, alteram falſam; ſed cum contradictio ſit
in rebus, quæ modo in actu, modo in potentia
ſunt, ideſt in contingentibus, non eſt determi-
nate verum dicere propoſitionem vnā eſſe ne-
ceſſario veram, alteram falſam, quoniam contin
gentia poſſunt eſſe, & non eſſe. Quare conclu-
dendum eſt, contradictionem in materia futura
contingenti nō oportere eſſe neceſſario veram,
vel falſam, ſed poſse eſse uel non eſse, & per con
ſequens non ſic ſe habere in futuris contingen-
tibus ſingularibus de futuro, ſicut in contradi-
ctorijs de præterito, ſeu de præſenti, ſed dari di-
ſcrimen. Et hęc ſufficiant ſuper hoc Capite de
futuris contingentibus.

Super Capite Septimo de Futuris contingentibus pro Iuris Studioſis.

TRia potiſſimum habentur ab Ariſtotele
in Capite præſenti de Futuris contin-
gentibus.
Primo probat dari diſcrimen inter
propoſitiones contradictorias de præſenti, & de
præterito, ac ſingulares de futuro, duabus ratio-
nibus deducentibus ad inconueniens.
Prima ratio eſt, ſi omnis affirmatio, & nega-
tio eſt determinate vera, vel falſa in contingen-
tibus ſingularibus de futuro, ſicut in contradi-
ctorijs de pręſenti, & de pręterito, Omne neceſ-
ſe eſt eſſe, vel non eſſe. Probatur conſequentia:
nam ſi quis dicat, Cras perorabit Iſocrates, & al-
ter dicat, Cras non perorabit Iſocrates, neceſſe
eſt vt alter eorum verum dicat; nā vtraque pro-
poſitio in ſimilibus nec ſimul vera, nec ſimul fal
ſa eſſe poteſt; & ſi eſt neceſſe vt alter eorum ve-
rum dicat, ſequitur quòd res neceſſario ſit deter
minate: nam ſi verum eſt dicere, quòd hoc ſit al
bum, vel non album de neceſſitate res ipſa erit
alba, vel non alba, patet de niue, & pice.
Ergo ſi in futuris ſingularibus affirmatio om-
nis, & negatio eſt determinate vera vel falſa; er-
go omne neceſſe eſt eſſe, vel nō eſſe, cum omnis
affirmatio, vel negatio cum rebus ipſis conue-
niat, & ſic demitur caſus, fortuna, & omne con-
tingens.
Secunda ratio, qua idem diſcrimen probatur,
hæc eſt: Si eſt eadē veritas de præſenti, ac ſic de
ſingularibus futuris, ſequitur, quòd quicquid ve-
rum erit de præſenti, etiam verum extiterit de
futuro: ſi determinate nunc eſt verum dicere
de aliquo ſingulari, vt puta ligno quod ſit albū,
ergo antequam fieret album, erat verum dicere,
quòd erit album, & ſi ſemper verum eſt dicere
de præſenti quod eſt, & de futuro quod erit, nō

A poteſt hoc non eſſe, vel non futurum eſſe; ergo
impoſſibile eſt nō eſſe, vel non fieri; ergo ſequi-
tur neceſſario quòd ſit fieri ea omnia, quæ futu-
ra ſunt, & ſic ſequitur idem, quo ſupra incon-
ueniens.
Tertio, quod ſuccedere etiam poteſt loco ter
tiæ rationis.
Probat ſequi aliud inconueniens: ſi omnia
ſunt neceſsaria, quòd ſcilicet aufertur conſulta-
tio, & negotiatio: nam ſi quis dixerit, bellū cras
erit, alter dixerit, bellum cras non erit, neceſsa-
B rio alter eorum verum dicet; & quòd alter eo-
rum verum dicet, neceſsariū eſt vt ſit; ergo fru-
ſtra erit conſultatio, & negotiatio. Quod idem
accidet in quolibet tempore etiam ſi non ſit cō-
tradictio prædicta; nam propter noſtrum affir-
mare, vel negare res neque perficitur neque
impeditur.
Secundo probat Ariſtoteles omnia eſse ne-
ceſsaria, vt inde contingens auferatur, & con-
ſultatio, & negotiatio eſse inconueniens, & im-
poſſibile, tribus rationibus.
C Prima in actionibus humanis, nam homo ha-
bet electionem, & volūtatem: electio eſt virtus,
cui attribuitur velle & nolle, quòd homo ha-
beat electionem patet, nam quotidie hoc vult,
hoc vero non item vult. Conſultat & agit ad
voluntatem, & libitum proprium.
Secunda ratio exiſtit in rebus naturalibus, in
quibus quædam ſemper actu ſunt, & hæc ſunt
neceſsaria, vt cælum moueri; quædam non ſem
per ſunt actu, ſed quandoque actu, quandoque
poteſtate; ergo in naturalibus dantur res, quæ
D poſsunt eſse, & non eſse, alioquin ſemper eſsent;
& quibus cōuenit eſse, & non eſse, eiſdem etiam
conuenit & fieri & non fieri; ergo datur poſſibi-
le in natura.
Tertia ratio eſt ex ſenſibilibus, patet ſcilicet
ad ſenſum, quòd ſi quis habeat veſtem nouam,
habet poteſtatem incidendi, & non incidendi:
nam ſi quis dicat, eum non poſse incidere, expe-
rientia incidet; ſi verò dicat, eum non poſse non
incidere, faciet vt veſtis vetuſtate corrūpatur,
E ſed quod exteritur, non inciditur; ergo datur
poſſibile, vt patet manifeſte.
Tertio cum Philoſophus demonſtrauerit nō
ſic ſe habere de contradictorijs de præſenti, &
de præterito, ac de futuro, & quòd futura non
ſunt neceſsaria, vt præſentia, & præterita, oſten-
dit quæ neceſſitas ſit in rebus de futuro, & quæ
veritas, & falſitas pariter in enunciationibus ſin
gularibus contingentibus; & inquit quòd in re-
bus de futuro eſt neceſſitas ſuppoſitionalis, hoc
eſt dum fiunt, verum eſt dicere quòd res ſunt; &
F dum non ſunt, verū eſt dicere, quòd non ſunt, vt
dum ſtudeo, neceſsarium eſt me ſtudere, ſed ne-
ceſſitas ſuppoſitionalis non infert neceſſitatem
abſolutam. In enunciationibus verò adeſt ve-
ritas in ſenſu compoſito, indefinite ſcilicet, vt ſi
dixerimus, cras bellum erit, cras bellum nō erit,
neceſsario altera propoſitio erit uera: at in ſenſu
diuiſo non neceſsario adeſt veritas; nam ſi ſe-
iunxe-

iunxerimus, vnam ab alia propoſitione, & dicamus, cras bellū erit, non erit neceſſario veritas.

Quare concludit non omnia futura eſſe neceſſaria, ſed dari quædam, quæ non ſemper ſunt actu, neque ſemper ſunt poteſtate, & ea ſunt contingentia, vel vtrumlibet, vel vtplurimum, & quod futura contingentia ſingularia non ſunt determinate affirmanda, vel neganda.

Modo ad vſum Iuris, de Fato, Fortuna, & Caſu, in iure habentur quamplurima.

Qui enim mutuo aliquam rem accepit, ſi caſu acciderit aliquod periculum illi rei, vt puta incendio, naufragio, & ſimilibus, ipſe tenetur qui accepit mutuum; commodatarius verò non tenetur, dummodo ſua culpa id non acciderit. textus in Inſt. quib. modis re contrahitur obligatio. §. & is quidem.

De caſu & fortuna, textus eſt in l. opus. ff. loc. in l. ſi is qui. & ibi Bart. ff. de acq. poſſeſ. quinimo de fato, textus quoque eſt in l. condititionum. ff. de cond. & demonſt. in l. frater. C. de Maleficis & Math. in l. fluminum. ff. de damno infecto. Verùm quia agere diſtincte de ſorte, de caſu, de fortuna, de fato eſt altioris negotij, propterea de his ſub ſilentio prætereo.

Satis erit, quòd etiam in iure ſermo eſt de libero arbitrio, in l. liberum arbitrium. ff. de adoptionibus. & habetur inſuper quòd futura ſingularia ſunt indeterminata, & ſe habent ad eſſe, & non eſſe: & propterea conditionem important. textus eſt in l. Stichum. ff. de leg. & fideic. 1. quò loci, Si quis legauerit ſeruum Stichum, qui ſuus erit tempore mortis, ea conditione intelligitur legaſſe, ſi tempore mortis teſtatoris fuerit ſeruus in eius poteſtate, eo quoniam hoc futurum ſingulare ſe habet ad eſſe, & non eſſe: poteſt namque eſſe, & non eſſe, vt eo tempore ſeruus legatus exierit de poteſtate, vel adhuc ſub poteſtate fuerit cōſtitutus. Et hæc ſatis ſuper hoc Capite.

ARISTOTELIS

DE INTERPRETATIONE SIVE PERIERVM,

Liber Secundus.

De Copia propoſitionum.

Caput Primum.

HIc incipit ſecundus Liber Perierum, ſi diuiſionem Latinorum acceperimus. Diuidunt enim iſti Tractatum iſtum in duos libros, primus pertinet ad compoſitionem propoſitionis, ſecundus verò ad multiplicandas propoſi-

A tiones: nam perfecta cognitio alicuius rei abſoluitur conſtitutione, & diuiſione rei. Conſtitutio propoſitionis hucuſque habita eſt, quia primo conſtituta eſt propoſitio ex nomine, & verbo, & ex quantitate; quoniam alia eſt particularis, alia vniuerſalis, alia indefinita: ex qualitate etiam, quoniam propoſitio vel eſt affirmatiua, vel negatiua ex ſignificato, quoniam alia eſt vera, alia eſt falſa. Diuiſit etiam propoſitionem, quòd propoſitio alia eſt vna, alia multiplex, & vtraque vel ſimplex, vel compoſita. In-

B ſuper diuiſit propoſitiones, quòd vel ſunt contrariæ, vel ſubcontrariæ, vel contradictoriæ; & quod propoſitio habet vnum ſignificatum, vel multiplex, & denotat vel in præſenti, vel in præterito, vel in futuro tempore, & quòd propoſitio vel eſt in materia contingenti, vel neceſſaria.

Iſtæ igitur ſunt differentiæ, quibus conſtituitur ipſa propoſitio: quocirca oportet abundare iſtis differētijs, vt ſciamus inueniſſe ſingula membra diuiſionis propoſitionis.

C Nunc in hac parte dicunt Latini, quòd incipit ſecundus liber, in quo oſtendit Ariſtoteles, quomodo poſſimus abundare copia propoſitionum, ſecundum quod propoſitiones diuiduntur, & multiplicantur.

Re vera ego quoque ſentio, quòd in primo libro Ariſtoteles egerit de conſtitutione propoſitionum, in hoc ſecundo agat de multiplicatione ipſarum.

Vt autem ſummatim omnes multiplicationes propoſitionum colligantur, dico, quòd pro-

D poſitio poteſt variari multis modis, ſcilicet vel ex materia verbi ſubſtantiui, vel ex differentia verbi adiectiui. Propoſitio verbi ſubſtantiui adhuc variatur duobus modis, vel enim conſtituit vt verbum ſit prædicatum propoſitionis, vt cum dico, Homo eſt, vel conſtituit vt verbum ſit medium inter ſubiectum, & prædicatum, vt cum dico, Homo eſt albus. Propoſitio, quæ habet verbum ſubſtantiuum prædicatum vocatur propoſitio de ſecundo adiacente: quæ autem habet verbum medium inter ſubiectum &

E prædicatum vocatur propoſitio de tertio adiacente.

Prima itaque multiplicatio eſt; quòd propoſitiones aliæ conſtant ex verbo adiectiuo, aliæ ex ſubſtantiuo. Quæ ſunt ex verbo adiectiuo ſignificant actionem, vel paſſionem. Multiplicantur igitur propoſitiones, quòd aliæ ſunt de ſecundo, aliæ de tertio adiacente; ſi ſunt de tertio adiacente, vel ſunt de ſubiecto finito, & prædicato infinito; vel de prædicato finito, & ſubiecto infinito, vel de vtroque finito, ſiue

F de vtroque infinito, vel cum terminatione vniuerſali, vel ſine terminatione. Diuiditur adhuc propoſitio in coniunctam; & diuiſam; & paulò poſt ſeparat Ariſtoteles omnes propoſitiones in modales, & de ineſſe, docens quatuor eſſe claſſes propoſitionum modalium, vel de

poſſibili, vel de contingenti, vel de neceſſario, A vel de impoſſibili. Hæ ſunt in ſumma multiplicationes ipſarum propoſitionum, quæ ſuo loco diligentius declarabuntur.

Habita præparatione, & introductione iſta ſecundum opinionem Latinorum, hic exorditur librum ſecundum, in quo agit de multiplicatione propoſitionum.

At ex opinione Græcorum dico, quòd iſte textus eſt finis ſecundæ ſectionis; & quod in principio huius capitis vult Ariſtoteles epilogare quicquid de nomine & verbo dixit: poſtea B ijs collectis vult multiplicare propoſitiones de ſecundo & tertio adiacente, cum in cap. de nomine, & verbo dictum ſit, quod nomen & verbum vel eſt finitum, vel infinitũ, ſequitur quòd oratio vel eſt finito nomine, & finito verbo, vel ex nomine & verbo infinito.

Ecce quod repetit ea elementa, quæ ſuperius in cap. de nomine, & verbo docuerat, & ipſa accommodat ad multiplicationem propoſitionum.

Propoſitio vel eſt de ſecundo, vel de tertio C adiacente; ſi incipiamus a ſimplicioribus dico, quòd non datur ſimplicior, nec tenuior, quam illa, quæ habet ſubiectum tantum, & verbum ſubſtantiuum pro prædicato, ideſt propoſitio de ſecundo adiacente, vt homo eſt, homo non eſt. Propoſitiones de ſecundo adiacente multiplicantur vſque ad numerum vigintiquatuor: nam multiplicantur primo ſecundum affirmationem & negationem ex terminis finitis, & infinitis cum terminatione vniuerſali, & ſine terminatione vniuerſali, & multiplicantur etiam D per tria tempora.

Multiplicantur primo ratione affirmationis & negation s, vt cum dico, homo eſt, homo non eſt, & ſic fiunt duæ. Multiplicantur item ex terminis infinitis, vt non homo eſt, non homo non eſt, & ſic efficiuntur quatuor. Augentur inſuper ex terminatione vniuerſali, vel ſine terminatione vniuerſali, ex terminis finitis, & infinitis. Ex finitis, vt omnis homo eſt, omnis homo non eſt; ex terminis infinitis cum terminatione vniuerſali, vt omnis non homo eſt, E omnis non homo non eſt, & ſic efficiuntur octo, & ſunt in tempore præſenti. Multiplicantur etiam in tempore præterito & futuro modis ſupradictis, & ſic efficiuntur numero vigintiquatuor.

Aggreditur verba contextus.

Quoniam autem eſt aliquid de aliquo affirmatio ſignificans; hoc autem vel nomen eſt, vel innomina- F tum; vnum autem oportet eſſe, & de vno id quod eſt in affirmatione, nomen autem dictum eſt, & innominatum prius (non homo enim nomen A quidem non dico, ſed nomen infinitum, vnum enim ſignificat aliquo modo infinitum nomen, quemadmodum & non valet non verbum, ſed infinitum verbum.) Erit igitur omnis affirmatio, & negatio, vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo: ſine verbo autem nul- B la affirmatio, vel negatio; eſt enim, vel fuit, vel erit, vel quæcunque alia huiuſmodi verba, ex ijs ſunt quæ poſita ſunt; conſignificat enim tempus, quare prima erit affirmatio, & negatio, eſt homo, non eſt homo. Deinde, eſt non homo, non eſt non C homo: rurſus eſt omnis homo, non eſt omnis homo, eſt omnis non homo, non eſt omnis nõ homo, & in ijs, quæ extrinſecus ſunt temporibus eadem ratio eſt.

Ariſtoteles in hac parte repetit quæ ſuperius dixerat, hoc eſt, quòd omnis propoſitio conſtat ex ſubiecto, & prædicato, & quòd ſubiectum eſt vel nomen, vel innominatum. Nomen D finitum Ariſtoteles appellat nomen, nomen verò infinitum innominatum, quoniam ſignificat infinitum, quod eſt in vniuerſo, & inquit, quòd quicquid affirmamus, aut negamus, neceſſe eſt vt habeat vnum ſubiectum, & vnum prædicatum; vnum enim oportet eſſe, & de vno id quod eſt in affirmatione. Quid autem ſit nomen, & quid innominatum ſuperius declaraſſe teſtatur, ſcilicet in cap. de nomine, quando dicit, quòd nomen infinitum vt non E homo, non eſt nomen, ſed infinitum nomen, ſicuti etiam verbum infinitum, vt non valet, non currit, non eſt verbum, ſed infinitum verbum: & licet non homo ſit nomen infinitum, tamen dicit Philoſophus, quoquomodo ſignificare vnum, quod eſt intelligendum ſecundum apprehenſionem intellectus, vt paulò poſt declarabo. Cumq; omnis propoſitio conſtet ex ſubiecto, & prædicato, & quod ſubiectum eſt, aut nomen, aut innominatum, videlicet infinitum nomen exiſtat, ſequitur Phi- F loſophus oſtendere, quòd omnis affirmatiò, & negatiò, vel eſt ex terminis finitis, ideſt ex nomine & verbo, vel ex infinitis, ideſt ex nomine & verbo infinitis, ceu nomine infinitò, verbo tamen finito, quoniam nulla poteſt eſſe enunciatio ſine verbo, vt ſupra patefecit cap. de oratione: omne autem verbum vel eſt in-

præ-

præſenti, vel in præterito, vel in futuro tempore, vt cap. de verbo dictum eſt. Deinde in illis verbis, quare, *Prima erit affirmatio*. Ariſtoteles epilogat ea omnia, quæ dicta ſunt in principio libri, ſcilicet quòd propoſitiones multiplicantur ex contradictione, ideſt ex affirmatione & negatione. Et item ex terminis finitis & infinitis, ex terminatione vniuerſali, & ſine terminatione vniuerſali; & ex ijs deducit propoſitum ſuum, quod eſt multiplicare propoſitiones, & quod dicit de propoſitione in tempore præſenti, eſt etiam dicendum in tempore præterito & futuro, quæ vocat Ariſtoteles extrinſeca, quoniam ſolum præſens verum eſt tempus: futurum autem & præteritum ſunt extrinſeca, quoniam circumſiſtunt ipſi tempori præſenti, ſed contra dicta inſurgunt nonnullæ difficultates.

Prima difficultas eſt, quomodo dixerit Ariſtoteles, quòd infinitum nomen eſt vnum: dixit namque in præcedentibus, quòd ſi effinxerimus tunicam ſignificare hominē, & equum, quòd tunica vnum non ſignificabit, ſed tanto minus termini infiniti, vt nomen & verbum infinitum, cum omnia, quæ ſunt in vniuerſo ſignificent; quomodo igitur ſignificabunt vnum?

Reſpondetur, quòd ſignificare vnum tripliciter contingit, vel vnitate apprehenſionis intellectus tantum, vel vnitate rei apprehenſæ, & intellectus, vel vnitate tantum vocis, non rei, neque apprehenſionis intellectus. In vniuoco eſt vnitas rei, & apprehenſionis intellectus, vt in hoc nomine, *Animal*, eſt omnis vnitas tam rei, quàm apprehenſionis. In æquiuoco non eſt vnitas neque apprehenſionis, neque rei, ſed tantum vocis, vt hoc nomen, *Canis*, nec in re eſt vnum, nec in intellectu: Infinitum verò, licet habeat multitudinem ſignificati ex parte rei, tamen habet vnitatem ex parte conceptus, & eſt medium inter æquiuocum, & vniuocum.

Ad argumentum dicitur, quòd tunica ſi fingatur ſignificare hæc duo, ſcilicet hominem, & equum, licet habeat vnitatem vocis, eſt tamen quid æquiuocum, quia non habet vnitatem neque rei, neque apprehenſionis: at nomen infinitum eſt magis vnum, quàm æquiuocum, quia licet non ſit vnum ex parte rei, tamen eſt vnum ex parte conceptus. Cum igitur intellectus concipiat nomen infinitum tanquam vnum, ob id dicitur eſſe quodammodo vnum.

Secunda difficultas oritur ex ijs verbis. *Erit igitur omnis affirmatio & negatio, vel ex nomine, & verbo, vel ex infinito nomine & verbo.* Dicere videtur Ariſtoteles, quòd opus eſt, vt enunciatio ſit ex nomine, & verbo finito, vel ex nomine, & verbo infinito. Sed contra obijciet aliquis, quòd non datur propoſitio infinita ex infinito verbo: nam ſi dicamus, non laborat, eſt verbum infinitum, ſi huic verbo addatur nomen, dicendo Ioannes non laborat, amplius non erit verbum infinitum, ſed euadit negatio, vt ſupra dixi quoque in Cap. de verbo: igitur oratio non conſtat ex verbo infinito, vt viſum eſt; ergo male dicit Ariſtoteles orationem enunciatiuam conſtare ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo.

Reſpondent nonnulli, quòd quamquam non eſt in vſu apud Latinos, & multo minus apud Græcos, vt oratio conſtet ex verbo infinito, tamen expoſitores Arabes teſtantur eſſe quædam infinita verba, ex quibus ſi componatur oratio, verba adhuc remanent infinita, non autem tranſeunt in negationem, vt fit apud Græcos, & apud Latinos: quapropter dicunt, quòd Ariſtoteles loquutus eſt generaliter vel vnius, vel alterius nationis; nam apud Arabes verum eſt, quòd propoſitio conſtat ex verbo infinito, ſat eſt, quòd apud aliquas nationes ex verbo infinito poſſit oratio infinitari. Hæc ſolutio mihi non ſatisfacit: nam etſi verum eſſet apud Arabes in orationibus verba adhuc remanere infinita, quòd cum non calleam linguam illam, non eſt meum facere iudicium, tamen propterea obijcerem, quòd Ariſtoteles potius vſum apud Latinos; & præcipue apud Græcos attendere debuerit.

Vnde arbitror magis iure huic dubitationi eſſe reſpondendum, quòd Ariſtoteles non determinat, quòd propoſitio reddatur infinita ex verbo infinito, ſed ex nomine infinito. Dicit enim Philoſophus, *Erit igitur omnis affirmatio & negatio vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo*, ita vt licet infinitum non cadat ſuper verbum, ſed ſuper nomen tantum, & ſenſus ſit, oratio erit vel ex nomine & uerbo, uel ex nomine infinito, exiſtente tamen uerbo finito, & ſic facilis, & uerior meo iudicio erit ſolutio.

Vltima difficultas eſt; nam docens Ariſtoteles multiplicationes propoſitionum uidetur fuiſſe diminutus; ſiquidem reliquit terminos ſingulares, & particulares; nam etiam terminatio particularis, & ſingularis eſt de ijs elementis, de quibus Ariſtoteles egit in primo libro, quoniam quantitas propoſitionis uel eſt particularis, uel ſingularis, uel uniuerſalis; particularis, ut aliquis homo eſt, aliquis homo non eſt; ſingularis, ut Socrates eſt, Socrates non eſt; uniuerſalis, ut omnis homo eſt, omnis homo non eſt. Cum igitur mentionem faciat de ſignis uniuerſalibus, non autem de particularibus, & ſingularibus uidetur eſſe diminutus. Præterea quę dicit Boetius hoc in loco.

Ego ſentio reſpondēdum eſſe, quòd Ariſtoteles volebat multiplicare eas propoſitiones, quæ patiuntur multiplicationem, quibus poteſt com

petere ſignum vniuerſale, vt omnis homo eſt, omnis homo non eſt. At cum iſta ſigna vniuerſalia, & iſtæ differentiæ vniuerſales non poſſint cadere in propoſitiones particulares,& ſingulares; idcirco de ipſis nullam mentionem facit, quoniam iſtæ propoſitiones, Cicero eſt, Cicero non eſt,aliquis homo eſt, aliquis homo non eſt, non poſſunt multiplicari per ſigna vniuerſalia; non enim valet dicere,omnis Cicero eſt, omnis Cicero non eſt, niſi illud nomen Cicero eſſet æquiuocum, qui cõueniret pluribus indiuiduis; neque etiam verum eſſet dicere, omnis aliquis homo eſt,omnis aliquis homo non eſt;illa enim non eſt propoſitio bona;quare cum ſignum vniuerſale non competat his propoſitionibus, & intentio Ariſtotelis ſit agere de ipſis propoſitionibus, quæ terminantur per terminos omnes vniuerſales;idcirco Ariſtoteles non eſt diminutus,quamuis non faciat mentionem de ipſis ſingularibus & particularibus.

Sectum Tertium.

QVando autem eſt, tertium adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppoſitiones: dico autem vt eſt iuſtus homo, ipſum eſt, tertium dico adiacere nomen, vel verbum in affirmatione; quare ob id ipſum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationem ſe habebunt ſecundum conſequentiam, vt priuationes; duæ vero minime: dico autem quod eſt, aut iuſto adiacebit, aut non iuſto: quare etiam negatio: quatuor igitur erunt, intelligimus verò quod dicitur ex ijs, quæ ſubſcripta ſunt, eſt iuſtus homo, huius negatio eſt, non eſt iuſtus homo, eſt non iuſtus homo, huius negatio eſt, non eſt non iuſtus homo; eſt enim hoc in loco, & non eſt, iuſto, & non iuſto adiacebit. Hæc igitur quemadmodum in reſolutorijs dictum eſt, ſic ſunt ordinata.

Textus iſte cum ſequenti reputantur ab omnibus expoſitoribus omnium aliorum difficillimi in hoc Tractatu Periermenias ſcilicet. Eſt au-

A tem continuatio, & intentio huius partis iſta, quòd cum hoc caput ſit principium tertiæ ſectionis, docueritq; multiplicare propoſitiones de ſecundo adiacente in parte ſupra proxima, modo proponit docere conſequentias, & figuras omnium propoſitionum de tertio adiacẽte, & incipit diſponere verbum ſubſtantiuum ſecundum formam propoſitionum de tertio adiacente, vt cum dico, eſt iuſtus homo, homo eſt albus, ambulans Cicero eſt; omnes iſtæ propoſitiones dicuntur de tertio adiacente, & dicun-

B tur de tertio adiacente, quoniam verbum ſubſtantiuum occupat tertium locum, cum eſt medium in propoſitione; non autem eſt medium, vt interijciatur inter ſubiectum & prædicatum, vt cum dico, Franciſcus eſt albus, Petrus eſt ſtudioſus; Ariſtoteles inquam non intelligit, quòd verbum ſubſtantiuum occupet tertium locum, vt ſit medium inter ſubiectum, & prædicatum; nam exemplificat, vt eſt iuſtus homo: ſed Ariſtoteles vult dicere, quòd illa eſt propoſitio de tertio adiacente, in qua verbum ſubſtantiuum

C occupat tertium locum; vel ſit in medio, vt cum dico, Aeneas eſt doctor, vel in principio, vt eſt Franciſcus formoſus; vel in fine, vt Scipio miles eſt: nam nihil differt, quòd verbum ſit in principio, vel in medio, vel in fine; dummodo enim propoſitio habeat ſubiectum & prædicatum, & tertio loco verbum ſubſtantiuum, illa dicitur propoſitio de tertio adiacente. Dicitur autem iſta propoſitio de tertio adiacente per comparationem ad illam de ſecundo adiacente, in qua non eſt niſi ſubiectum & verbum ſub-

D ſtantiuum, loco prædicati, vt cum dico, homo eſt, homo non eſt: vnde iſtæ propoſitiones dicuntur eſſe omnium aliarum ſimpliciſſimæ. Propoſitiones autem de tertio adiacente ſunt magis compoſitæ, quoniam vltra ſubiectum & prædicatum additur tertio loco ipſum verbum ſubſtantiuum. Dicit itaque Ariſtoteles, *Quando autem eſt, tertium adiacens prædicatur*, hoc eſt, quando verbum ſubſtantiuum ponitur cum ſubiecto, & prædicato, tunc conſtituitur propoſitio de tertio adiacente ad compara-

E tionem, ſcilicet propoſitionis de ſecundo adiacente. *Dupliciter autem dicuntur oppoſitiones*: Hoc verbum, *dupliciter*, habetur reſpectu propoſitionum de ſecundo adiacente: nam talis propoſitio non poteſt infinitari, niſi ex ſubiecto tantum infinito: at in ijs propoſitionibus, quæ ſunt de tertio adiacente, propoſitio poteſt infinitari tum ratione ſubiecti, etiamq; ratione prædicati infiniti. Senſus igitur hic eſt, oppoſitio duplex eſt, nam quædam propoſitiones ſunt, quæ redduntur infinitæ ratione infinitudinis

F ſubiecti tantum, vt eſt propoſitio de ſecundo adiacente, & hæ vnica tantum oppoſitione opponuntur, videlicet qualitate verbi; quædam verò infinitantur tum ratione infinitudinis ſubiecti, tum etiam prædicati, & ſunt propoſitiones de tertio adiacente, & in his poſſunt fieri


duæ

duæ oppoſitiones, vna penes verbi qualitatem, altera penes prædicati finitudinem, & infinitudinem. Exemplum primæ, vt non homo eſt. Exemplum ſecundæ, vt non homo eſt iuſtus, homo eſt non iuſtus; propoſitiones de ſecundo adiacente non redduntur infinitæ, niſi ratione ſubiecti infiniti, vt cum dico, non homo eſt: at non poſſunt reddi infinitæ ex infinito prædicato; nam ſtatim tranſeunt in negationem, vt cum dico, homo non eſt; hæc non eſt propoſitio infinita, ſed negatiua: ſed propoſitiones de tertio adiacente redduntur infinitæ tum ex infinitudine ſubiecti, vt cum dico, non homo eſt albus, tum etiam infinitudine prædicati, vt homo eſt non albus. Ariſtoteles igitur dicit, *dupliciter dicuntur oppoſitiones*, quoniam oppoſitio, & diuerſitas eſt inter propoſitiones de ſecundo adiacente, & propoſitiones de tertio adiacente; nam illæ redduntur infinitæ ex infinitudine ſubiecti tantum. Hæ verò redduntur infinitæ tum infinitudine ſubiecti, tum etiam prædicati: propterea in illis vnica datur tantummodo oppoſitio: in his verò duplices ſunt oppoſitiones. *Dico autem vt eſt iuſtus homo ipſum eſt, tertium dico adiacere nomen, vel verbum in affirmatione*. Oſtendit Ariſtoteles exemplo propoſitionem illam dici de tertio adiacente, quæ conſtat ex ſubiecto, & prędicato, & verbo ſubſtantiuo, tertium locum occupante in propoſitione, nō quoniam ſit ſemper medium inter ſubiectum, & prædicatum, vt aliqui expoſuere: ſed quoniam verbum tertio loco aduenit, vel ſit in principio, vel in medio, vel in fine. Hoc enim nihil refert, ſat eſt, quòd in ipſa propoſitione ſunt tria, ſubiectum, & prędicatum, & verbum ſubſtantiuum; quod ideo dicit Ariſtoteles adiacere in propoſitione, vel vt verbum, vel vt nomen, quatenus dictio quatenus pōt nomen appellari ad eius ſit ſimilitudinem, quatenus ſignificat, vt viſum fuit cap. de verbo. *Quare ob id ipſum quatuor erunt illa*. Nunc Ariſtoteles infert concluſionem, *Quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationem ſe habebūt*

A *ſecundum conſequentiam, vt priuationes, duæ verò minime*.

Verba iſta ſunt difficillima; habuerunt namque infinitas expoſitiones; nam Boetius, & Ammonius, & omnes Græci, & Latini diſcurrunt ſuper his verbis, & omnes inter ſe diſſentiunt.

Ego tamen verba iſta ſic exponenda ſentio. Ariſtoteles dicit, quando ſubiecto & prædicato adiacet tertia pars, verbū ſcilicet ſubſtantiuum, eſt propoſitio de tertio adiacēte, in quibus propoſitionibus de tertio adiacente, duæ dātur oppoſitiones, ex quibus concludit numerum enunciationum de tertio adiacēte, quòd ſcilicet ſunt quatuor: quælibet enim oppoſitio ad minus duas requirit propoſitiones, modo earundem ordinem, & conſequentiam colligit, & inquit, quòd hæ propoſitiones de tertio adiacente hoc ordine ſunt diſpoſitæ, vt duæ ſeſe inferant per conſequētiam, duæ vero minime; nam quatuor ſunt propoſitiones de tertio adiacente, ſcilicet affirmatiua ſimplex, negatiua ſimplex. Affirmatiua de prædicato infinito, negatiua de prędicato infinito, iſtarum quatuor propoſitionum duæ ſeſe inferunt ſecundum affirmationem, & negationem ſicut priuatiuæ; duæ verò non ſeſe inferunt. Declarat, quòd propoſitio vel eſt ex terminis finitis, vel infinitis. Supponamus enim figuram, In quatuor angulis ſint quatuor propoſitiones de tertio adiacente, in primo angulo conſtituatur propoſitio affirmatiua ſimplex, vt eſt homo iuſtus: ponatur in eadem linea in ſecūdo angulo negatiua ſimplex, vt nō eſt homo iuſtus: ponatur in tertio angulo inferiori propoſitio affirmatiua ex terminis infinitis, vt eſt homo non iuſtus: ponatur in quarto, & poſtremo angulo ſua oppoſita negatiua de prædicato infinito, vt non eſt homo non iuſtus, patebit profectò ex hac figura, quod ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito, & ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex, vt patet in figura ſequenti.



Diſpoſitis iſtis quatuor propoſitionibus negatiua de prædicato infinito ſub affirmatiua ſimplici, & affirmatiua de prædicato infinito ſub negatiua ſimplici, hoc euenit, quod duæ ſeſe conſequūtur, duo vero minime, & hoc eſt quod dicit, *Quare ob id ipſum quatuor erunt illa*, hoc eſt propoſitiones erunt quatuor, vt videmus in ſuperiori figura.

E *Quarū duæ ſeſe conſequuntur, ſicuti faciunt priuatiuæ, duæ autem non*: Ariſtoteles loquitur hic incidenter de priuatiuis propoſitionibus, non autem ex profeſſo, quoniam intentio ſua non eſt agere de ipſis ſimpliciter, ſed vult agere de ipſis, quatenus faciunt declarationem conſequentiæ propoſitionum ſimplicium, & indefinitarum: nam ſicuti ad affirmationem ſimplicē ſequitur

negatiua priuatiua, ita etiam ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito. Regula itaque, quam hic vult docere Ariſtoteles, eſt, quòd ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito, vt hæc propoſitio, homo eſt iuſtus, infert hanc negatiuam infinitam; ergo non eſt homo non iuſtus, ſicuti ad eandem affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua priuatiua; ergo non eſt homo iniuſtus. Item eſt Callias ſapiens; ergo Callias nõ eſt inſipiens, non autem è contrario. Valet conſequentia a negatiua infinita ad affirmatiuam ſimplicem, vt Cicero non eſt non iuſtus, ergo Cicero eſt iuſtus; ſicuti etiam non valet negatiua priuatiua ad ipſam affirmatiuam ſimplicem, vt Cicero non eſt iniuſtus, ergò Cicero eſt iuſtus;

A causa cur non valet, eſt, quoniam negatiua infinita, & priuatiua communiores ſunt affirmatione ſimplici; nam cum dico, Cicero eſt iuſtus, eſt propoſitio determinatiſſima; determino enim hoc ſingulare quid eſt Cicero; cum autem dico, Cicero non eſt non iuſtus, eſt quoddam commune pluribus. Valet igitur conſequentia ab affirmatione ſimplici ad negatiuam infinitam, & negatiuam priuatiuam, vt Cicero eſt iuſtus, ergo Cicero non eſt non iuſtus, ſicuti valet Cicero eſt iuſtus; ergo Cicero non eſt iniuſtus: valet enim

B conſequentia a minus communibus ad magis communia, non autem è conuerſo.

Verùm ad faciliorem intelligentiam, & declarationem formanda eſt hæc, quæ ſequitur figura.

Affirmatiua ſimplex ex finitis terminis.	Eſt iuſtus homo, infert	Contrarie	Non eſt iuſtus homo, infert	Negatiua ſimplex ex finitis terminis.
Negatiua priuatiua.	Non eſt iniuſtus homo, infert	Contrarie	Eſt iniuſtus homo, infert	Affirmatiua priuatiua.
Negatiua ex infinito prædicato	Nõ eſt nõ iuſtus homo,	Contrarie,	Eſt non iuſtus homo,	Affirmatiua ex infinito prędicato.

Regula ergo, quam hic Ariſtoteles tradit de conſequentijs ipſarum quatuor propoſitionum eſt iſta, quod ad affirmatiuam ſimplicem, ſicut ſequitur negatiua priuatiua, ita etiam ſequitur negatiua ex prædicato infinito, vt ad hanc eſt iuſtus homo, ſicut ſequitur non eſt iniuſtus homo, ſic quoque ſequitur non eſt non iuſtus homo, non autem è contrario, vt viſum eſt. Item ex alio latere ad affirmatiuam de prædicato infinito, ſicuti ſequitur affirmatiua priuatiua, ita etiam ſequitur negatiua ſimplex, vt ad hanc eſt, eſt non iuſtus homo, ſicuti ſequitur hæc priuatiua, eſt iniuſtus homo; ita quoque ſequitur hæc negatiua, non eſt iuſtus homo; non autem è contrario. *Dico autem quod eſt aut iuſto adiacebit, aut non iuſto: quare etiam negatio.*

Repetit Ariſtoteles quomodo fiat propoſitio de tertio adiacente, quæ erit quando præter ſubiectum, & prædicatum erit etiam tertium adiacens, ideſt verbum ſubſtantiuum, vt homo eſt iuſtus. Hæc autem propoſitio vel erit ex infinito prædicato, vel ex finito, ſi tertium adiacens, ideſt verbum ſubſtãtiuum adhærebit huic prædicato, puta iuſto, dicendo, homo eſt iuſtus, erit ex prędicato finito; ſi autem adhęrabit huic infinito non iuſto erit ex prædicato infinito; vt homo eſt nõ iuſtus. *Quatuor igitur erunt, intelligimus verò quod dicitur ex ijs, quæ ſubſcripta ſunt, eſt iuſtus homo, huius negatio eſt, non eſt iuſtus homo, eſt non iuſtus homo; huius negatio eſt, non eſt non iuſtus homo: eſt enim hoc in loco, & non eſt iuſto, & non iuſto adiacebit. Hæc igitur, quemadmodum dictum eſt in reſolutorijs, ſic ſunt ordinata.*

Propoſitiones de tertio adiacente ſunt quatuor, ſcilicet affirmatiua ſimplex, vt eſt iuſtus homo, ſimplex negatiua, vt non eſt iuſtus homo, af-

C firmatiua de prædicato infinito, vt eſt nõ iuſtus homo, negatiua de prædicato infinito, vt non eſt non iuſtus homo.

Supponit hoc in loco Ammonius, quòd ſi voluerimus intelligere conſequentias propoſitionũ, opus erit animaduertere quid importet propoſitio ſimplex quid infinita & quid priuatiua. Priuatiua propoſitio eſt, quæ affirmat & negat habitum, ſiue priuationẽ, vt homo eſt iuſtus; hęc affirmat habitum, homo eſt iniuſtus, affirmat priuationẽ. Propoſitio infinita, vel tranſpoſita eſt,

D quæ cõſtat ex infinitis terminis, vt homo eſt nõ iuſtus. Propoſitio ſimplex, quę dicit ſimplicẽ habitum ſine terminis infinitis, vt homo eſt iuſtus.

Sed adhuc videndum in quo ſtat tota vis huius regulæ nobis traditæ ab Ariſtotele, tota vis exiſtit in hoc, quod ſicuti vocum ſimplicia aliquæ ſunt communiores, aliquæ minus communes, magis communes ſunt, vt animal, minus cõmunes vt homo: animal enim eſt magis commune; quia plura determinat, quàm homo; ſic etiam ſe habet de propoſitionibus, quòd aliquæ

E ſunt magis communes, aliquæ verò minus. Vult itaque Ariſtoteles, vt arguamus à minus communibus ad magis communia, non autem à communioribus ad minus communia, quia commune non infert, ſed infertur à proprio. Propoſitio igitur minus vniuerſalis infert magis vniuerſalem, & hæc affirmatiua ſimplex, homo eſt albus, cum ſit minus vniuerſalis infert negatiuam infinitam, vt homo non eſt non albus, quoniam negatiua infinita eſt magis vniuerſalis, & ad hãc affirmatiuam ſimplicem, homo eſt iuſtus; ergo homo non eſt non iuſtus, ſicut ad ipſam ſequitur negatiua priuatiua; ergo homo non eſt iniuſtus. Si igitur voluerimus inuenire conſequentias

propoſitionum, opus erit cognoſcere quæ ſint magis vniuerſales, vt ſciamus arguere a minus A vniuerſalibus ad magis vniuerſalia, quod facile erit videre in figura infraſcripta.

Simplex negatiua	In pluſquam	Affirmatiua infinita, quæ ei correſpondet.
Simplex negatiua	In pluſquam	Affirmatiua priuatiua.
Affirmatiua infinita	In pluſquam	Affirmatiua priuatiua.
Negatiua infinita	In pluſquam	Negatiua ſimplex.
Negatiua priuatiua	In pluſquam	Negatiua infinita.
Negatiua priuatiua	In pluſquam	Affirmatiua ſimplex.

Oportet igitur vt ſciamus cōſequentias propoſitionum animaduertere quæ ſint magis cōmunes, & quæ minus; nam valet conſequentia a minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia, non autem è contrario vt valet conſequentia ab affirmatiua ſimplici ad negatiuam de prædicato infinito, ſicuti etiam ad negatiuam priuatiuā, vt ad hanc, homo eſt iuſtus, ſequitur hęc negatiua infinita, ergo homo non eſt non iuſtus. Valet inquam hæc conſequentia, quoniam procedit a minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia: nam negatiua infinita, & negatiua priuatiua in plus ſe habent, & magis vniuerſales ſunt, quam affirmatiua ſimplex, quæ eſt minus cōmunis, vt hæc, eſt homo iuſtus, nam homo eſt ſubiectum determinatiſſimum; eſt iuſtus homo, id eſt Socrates, Callias, Plato, & reliqui ſingulares homines. At negatiua de prædicato infinito eſt magis communis, vt hæc, non eſt non iuſtus homo; nam nedum prædicatur non iuſtus de homine, verùm etiam de alijs, vt puta de lapide, ligno, & ſimilibus: nam verum eſt dicere lignum eſt non iuſtū, & lapis eſt non iuſtus, ſed non verum eſt dicere lignum eſt iuſtum, & lapis eſt iuſtus, quoniam iuſtum eſſe competit tantum homini. Patet itaque quòd ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prędicato infinito, non autem è cōtrario valet a negatiua ex prædicato infinito ad affirmatiuam ſimplicem, quoniam conſequētia tantum valet a minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia. Regula igitur eſt, quod ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua ex prædicato infinito, ſicut & ad ipſam affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua priuatiua, vt ad hanc affirmatiuam ſimplicem, homo eſt iuſtus, ſicut ſequitur, nō eſt iniuſtus homo, ſic quoque ſequitur, non eſt non iuſtus homo, non autem è contrario vt viſum eſt. Item ex alio latere: ad affirmatiuam de prædicato infinito, ſicuti ſequitur, affirmatiua priuatiua ita etiā ſequitur, negatiua ſimplex, vt ad hāc, eſt non iuſtus homo, ſicuti ſequitur hęc priuatiua, eſt iniuſtus homo, ita quoque ſequitur hæc negatiua, non eſt iuſtus homo, non autē è contrario. Patet igitur, quòd iſtarum quatuor propoſitionū, quæ ſunt affirmatiua ſimplex, negatiua ſimplex, affirmatiua ex prędicato infinito, negatiua ex prædicato infinito. Patet B inquam, quòd ipſarū duæ ſeſe conſequuntur, videlicet negatiua de prædicato infinito, quę conſequitur affirmatiuam ſimplicem; nam affirmatiua ſimplex infert negatiuam ex prædicato infinito, ut eſt iuſtus homo; ergo non eſt nō iuſtus homo. Secunda propoſitio, quæ alteram conſequitur, eſt negatiua ſimplex, quæ cōſequitur affirmatiuam ex prædicato infinito, nam affirmatiua ex prędicato infinito, infert negatiuam ſimplicem, vt eſt non iuſtus homo; ergo non eſt iuſtus homo: duæ autem non ſeſe conſequuntur, C id eſt ad negatiuam de prædicato infinito non ſequitur affirmatiua ſimplex, vt cum dico, homo non eſt non iuſtus, non valet; ergo homo eſt iuſtus, quoniam negatiua infinita in plus ſe habet. Altera propoſitio affirmatiua, quæ non ſequitur, eſt affirmatiua ex prædicato infinito, quę non conſequitur negatiuam ſimplicem, nam nō valet, homo non eſt iuſtus; ergo homo eſt non iuſtus; nam prædicatum illud non iuſtus competit etiā lapidi, ligno, & ſimilibus; negatiua autē ſimplex eſt in minus quàm affirmatiua infinita. D Quare cōcludendū eſt ad hoc, vt propoſitiones ſeſe cōſequantur, & vna aliā inferat, quod oportet vt procedamus a minus vniuerſali ad magis vniuerſalia vt viſum eſt. De his autē Ariſtoteles etiam ſermonē habet in lib. 1. Priorū. c. vlt.

Mihi non videtur ſub ſilentio prætereundū; quòd nonnulli exponunt, licet, *Duæ non ſeſe conſequuntur*, ſcilicet affirmatiua ſimplex, & negatiua ſimplex. Hæ enim tantum abeſt, vt ſe mutuo inferant, quinimo contrarię exiſtant; pariter affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua de prædicato infinito non ſeſe conſequuntur, ſed contrariæ ſunt. Sequitur textus.

Similiter autem ſe habebunt, etſi uniuerſaliter nominis ſit affirmatio, ut omnis eſt homo iuſtus; negatio huius, non omnis eſt homo iuſtus, omnis eſt homo non iuſtus, non omnis eſt homo non iuſtus, tamen non ſimiliter angulares ueras eſse contingit; contingit autem aliquando.

Hæc pars manifeſtam habet continuationē, A nam cum ſuperius determinaſſet Ariſtoteles, quòd propoſitionum de tertio adiacente aliquę ſeſe conſequuntur, aliquę verò non, nunc docet illud idem, & eam ipſam regulā applicari propoſitionibus, quæ habent terminationem vniuerſalem vt omnis, nullus; nam ſuperius vidimus, quo ad affirmatiuam ſimplicem, puta homo eſt iuſtus, ſequitur negatiua ex prædicato infinito; ergo homo non eſt non iniuſtus, ſicuti & negatiua priuatiua; ergo homo non eſt iniuſtus, & ad affirmatiuam de prædicato infinito, homo eſt B non iuſtus, ſequitur negatiua ſimplex, homo nō eſt iuſtus, ſicuti & affirmatiua priuatiua; ergo homo eſt iniuſtus: Si quis, inquit Philoſophus, his propoſitionibus addiderit terminationem vniuerſalem, non variabit formam conſequentiæ: & hoc eſt quod dicit, *Similiter autem ſe habebunt, etſi vniuerſaliter nominis ſit affirmatio*, hoc eſt eadem regula ſupra declarata in prima figura: habet quoque locum in hac ſecunda figura; nam ſi ſit affirmatio ſimplex ex termino vniuerſaliter ſūpto, omnis homo iuſtus eſt, & ponatur in primo angulo, poſtea negatio ſimplex in ſecūdo loco, non omnis homo iuſtus eſt: deinde ſi ſub affirmatiua ponatur negatiua ex infinito termino, non omnis homo non iuſtus eſt, & in quarto angulo ponatur affirmatiua ex prędicato tranſpoſito, omnis homo non iuſtus eſt, vt in figura infraſcripta.

Affirmatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali	Omnis homo iuſtus eſt	Non omnis homo iuſtus eſt	Negatiua ſimplex cum terminatione
Negatiua priuatiua cum terminatione	Non omnis homo iniuſtus eſt	Omnis homo iniuſtus eſt	Affirmatiua priuatiua cum terminatione
Negatiua infinita cum terminatione	Non omnis homo non iuſtus eſt	Omnis homo non iuſtus eſt	Affirmatiua infinita cum terminatione.

Dicit Ariſtoteles, quòd iſtę quatuor ſic ſe habent, ſicut quatuor illæ primæ figuræ; nam duæ ſeſe conſequuntur, duæ verò non.

Ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito, ſicut ſequitur negatiua priuatiua, vt ad hanc, omnis homo iuſtus eſt, ſequitur, non omnis homo non iuſtus eſt, ſicut & priuatiua, non omnis homo iniuſtus eſt, & ad hanc affirmatiuam de prædicato infinito, omnis homo non iuſtus eſt, ſequitur negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt, ſicuti & affirmatiua priuatiua, omnis homo iniuſtus eſt. D

Eadem prorſus eſt regula in hac ſecunda figura; ſicuti etiam in prima, ſcilicet in modo conſequentiæ, nam eodem modo duę ſeſe conſequentur, duæ verò non, eſt tamen aliqua differentia in forma contradictionis: propterea ſequitur, *tamen non ſimiliter angulares veras eſſe contingit, contingit autem aliquando.*

Differentia inter propoſitiones primæ & ſecundæ figuræ eſt iſta, quoniam angulares propoſitiones in ſecunda figura non ſimul verificantur, ſed angulares in prima figura quandoque E poſſunt eſſe ſimul ueræ.

Prima eſt eorum opinio, qui angulares eas eſſe expoſuerunt, quæ in eadem linea ſunt in longum ductæ, ideſt affirmatiua ſimplex, & negatiua ſimplex: has enim vocabant angulares, & etiam negatiuam, & affirmatiuam ex prædicato infinito, vt in prima figura; affirmatiua ſimplex, eſt iuſtus homo, negatiua ſimplex, non eſt iuſtus homo, angulares appellabant. Quæ quoniam ſunt indefinitæ, ideo poſſunt quandoque eſſe ſimul veræ, ſcilicet in materia contingenti; F pariter negatiua infinita, nō eſt nō iuſtus homo, & affirmatiua infinita, eſt non iuſtus homo, angulares ponebant; quæ ratione eadem quando- C que ſimul veræ exiſtere poterant. In ſecunda figura affirmatiua ſimplex, omnis homo iuſtus eſt, negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt, angulares eſſe dicebant, & nunquam veræ; nam cum ſint contradictoriæ (tantum enim ualet, nō omnis homo iuſtus eſt, ac dicere aliquis, homo non eſt iuſtus) idcirco non poſſunt ſimul uerificari in quacunque materia: ſimiliter negatiua infinita, non ōmnis homo non iuſtus eſt, & affirmatiua infinita, omnis homo non iuſtus eſt, angulares conſtituebant, eaſq; veras ſimul eſſe poſſe negabant: & hæc opinio mihi non videtur omnino ſpernenda. Fuit nanque opinio pręceptoris mei admodum Reuerendi Fratris Ioannis Mariæ Euſtochij Seruitæ in omni ſciētarum genere eruditiſſimi, ac doctiſſimi uiri.

Alia eſt opinio ferè communis omnium expoſitorum, quòd Ariſtoteles per angulares intelligat eas propoſitiones, quæ per diametrum opponuntur qualitate prædicati, quæ ſcilicet in figura poſita Crucem efformant, ut in prima figura affirmatiua ſimplex, eſt iuſtus homo, affirmatiua infinita, eſt non iuſtus homo, angulares eſſe dicuntur, haſq; ſimul uerificari poſſe: pariter negatiua ſimplex, non eſt iuſtus homo, infinita negatiua, non eſt non iuſtus homo, angulares ponunt, & quod ſimul ueræ exiſtere ualeāt, quia cum ambæ ſint indefinitæ, euenit quandoque, ſcilicet in materia contingenti, ut ſimul in ueritate conueniant. In ſecunda uerò figura affirmatiua ſimplex, omnis homo iuſtus eſt, affirmatiua infinita, omnis homo non iuſtus eſt, angulares pariter conſtituunt, ſicuti & negatiua infinita, non omnis homo non iuſtus eſt, & negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt. Et in his angularibus, aliter ac in primis ſe habet, dicūt iſti, inquit Philoſophus, quia ſemper cōſentite non

di-

dicuntur in quauis ſint materia, ſiue contingenti, ſiue neceſſaria; quoniam eæ angulares quæ ſunt, omnis homo iuſtus eſt, omnis homo non iuſtus eſt, ſcilicet affirmatiua ſimplex, & affirmatiua infinita non poſſunt in ueritate ſimul conuenire, quia contrariæ ſunt; tantum enim ualet dicere, omnis homo non iuſtus eſt, ac omnis homo iniuſtus, ſiue nullus homo iuſtus eſt, ſed omnis homo iuſtus eſt, & nullus homo iuſtus eſt, ſunt contrariæ, quas impoſſibile eſt ſimul eſſe ueras. Quapropter non ſimiliter ſe habet de angularibus in hac ſecunda figura, ac ſe habeat de angularibus in prima figura.

Verùm dicunt, quòd angulares negatiuæ huius ſecundæ figuræ poſſunt eſſe ſimul ueræ, & etiam angulares negatiuæ in prima figura, ſcilicet in materia contingenti vtraque: nam hæc negatio ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt, poteſt ſimul vera eſſe cum hac negatiua infinita, quæ dicit, non omnis homo non iuſtus eſt; nam cum hæc tantum valeat, quantum priuatiua, nō omnis homo eſt iniuſtus, poteſt fieri vt quidam ſint iuſti, quidam etiam non ſint iuſti, & ſic ambæ veræ ſunt, & negatiua ſimplex, & negatiua infinita, & hoc inquiunt, eſt quod dicit Ariſtoteles: contingit autem aliquando, nempe reſpectu angularum negatiuarum, quæ in his propoſitionibus definitis, quæ ſunt cum terminatione vniuerſali, ſicut & in indefinitis ſine terminatione, videlicet vniuerſali in materia contingenti ſimul conſentire valent, & poſſunt eſſe ſimul veræ.

Hæ igitur duæ oppoſitæ ſunt mutuo.

Concludit Ariſtoteles ex dictis duas dari oppoſitiones, in propoſitionibus de tertio adiacente. Quæ autem ſint hæ, quas intelligit Ariſtoteles, exponitur diuerſimode.

Alij dicunt, quòd per licet, *Hæ*, intelligit angulares, quæ de directo mutuo ſe reſpiciunt, ſcilicet affirmatiua ſimplex, & negatiua ſimplex, ut omnis homo iuſtus eſt, non omnis homo iuſtus eſt, quæ contradictorie opponuntur. Alij autem exponunt, quòd per licet, *Hæ*, intelligit angulares, quæ per diametrum ſe mutuo reſpiciunt, nempe affirmatiua ſimplex, omnis homo iuſtus eſt, & affirmatiua tranſpoſita omnis eſt homo non iuſtus, & hanc credo eſſe veriorem opinionem, & ad aures Philoſophi: nam eum ſuperius dixerit Ariſtoteles, quòd propoſitiones de tertio adiacente dupliciter opponuntur, & hoc vt docuimus ad differentiā propoſitionum de ſecundo adiacente, eo quoniam propoſitiones de ſecundo adiacente vnico tantum modo opponuntur, eo quoniam poſſunt ſolum infinitari ratione infinitudinis ſubiecti tantum: propoſitiones verò de tertio adiacente duobus modis infinitātur, & ratione infinitudinis ſubiecti, & ratione infinitudinis prædicati; & propterea duplicem habere poſſunt oppoſitionem, & penes verbi qualitatem, & penes prædicati finitu-

A dinem & infinitudinem, cum declarauerit conſequentiam propoſitionum de tertio adiacente, quę infinitantur infinitudine prędicati tantum, & poſuerit differentiam exiſtentem inter propoſitiones de tertio adiacente cum terminatione vniuerſali, & eas de tertio adiacente ſine terminatione vniuerſali, non in modo, & ordine conſequentiæ, ſed in forma contradictionis, nempe quòd inter angulares in ſecunda figura ſcilicet inter affirmatiuam ſimplicem, & affirmatiuam infinitam, quæ opponuntur qualitate prędicati, B non poteſt reperiri concordantia in veritate; ſiquidem in quacunque materia minime conuenire valent, vel ſit materia neceſſaria, vel cōtingens. Modo ex his dictis concludit, quòd cum hæ duæ, nempe angulares ſupradictæ, affirmatiua ſcilicet ſimplex, omnis homo eſt iuſtus, & affirmatiua infinita, omnis homo eſt non iuſtus, nō poſſint ſimul eſſe veræ. Cōcludit inquam, quòd hæ duæ ſunt oppoſitę; vidimus namque in libro præcedenti, quod impoſſibile eſt propoſitiones contrarias eſſe ſimul veras; & hic eſt vnus mo- C dus oppoſitionis harum propoſitionum de tertio adiacente, videlicet qualitate, & infinitudine prædicati tantum: altera oppoſitio, quæ ſupereſt infinitudine ſcilicet ſubiecti (dupliciter enim dicuntur oppoſitiones dicit ſuperius) ponitur ab Ariſtotele in ſequentibus verbis, cum dicit.

Aliæ autem duæ ad non homo, quaſi ad ſubiectum aliquod additum, D ut eſt iuſtus non homo, non eſt iuſtus non homo, eſt non iuſtus non homo, non eſt non iuſtus non homo. Plures autem his non erunt oppoſitiones. Hæ autem extra illa, ipſæ ſecundum ſe erunt, ut nomine utentes eo, quod eſt non homo.

Deſcripta prima & ſecunda figura, modo deſcribit tertiam. Continuatio huius partis cum E ſuperiori hæc eſt, cum ſuperius dixerit in propoſitionibus de tertio adiacente reperiri duas oppoſitiones, & ſupra poſuerit vnā oppoſitionem, quæ conſiſtit inter duo oppoſita prædicato infinito exiſtente tantummodo. In præſentia docet Ariſtoteles alium modum oppoſitionis, in propoſitionibus ſcilicet de tertio adiacēte, quæ infinitantur etiā infinitudine ſubiecti, & inquit, *Aliæ autem duæ ad non homo, quaſi ad ſubiectum aliquod additum*, hoc eſt præter propoſitiones de F tertio adiacente, in quibus duæ exiſtunt oppoſitæ prædicato exiſtente infinito, & ſubiecto finito, dantur quatuor aliæ propoſitiones de tertio adiacente, in quibus aliæ duæ reperiuntur oppoſitæ infinitæ exiſtente ſubiecto, quod ſubiectum dicit, *quaſi ſubiectum*, quoniam ſicut nomen infinitum non eſt vere nomen, ita etiam ſubiectum infinitum à ſubiecto deficere videtur.

Iſte autem erit ſecūdus modus oppoſitionis, A exemplificat Philoſophus, *vt eſt iuſtus non homo*, affirmatiua de ſubiecto infinito, *non eſt iuſtus non homo*, negatiua de ſubiecto infinito, *Eſt non iuſtus non homo*. affirmatiua de ſubiecto & prædicato infinito, *non eſt non iuſtus non homo*. negatiua de ſubiecto ex prædicato infinito.

Quatuor igitur adhuc ſunt propoſitiones de tertio adiacente ſubiecto exiſtente infinito præter ſupradictas ſubiectum habentes finitum.

Sit itaque primo loco affirmatiua ex ſubiecto infinito, non homo eſt iuſtus, negatiua ex ſubiecto infinito, non homo non eſt iuſtus in ſecundo loco.

Tertio loco negatiua ex vtroque infinito, & poſtremo loco affirmatiua ex vtroque infinito, vt in figura ſequenti.

Affirmatiua ex ſubiecto infinito.	Eſt iuſtus non homo	Non eſt iuſtus non homo.	Negatiua ex ſubiecto infinito.
Negatiua ex vtroque infinito	Non eſt non iuſtus non homo	Eſt non iuſtus non homo.	Affirmatiua ex vtroque infinito.

In his propoſitionibus de tertio adiacente B ſubiecto exiſtente infinito, dantur aliæ duæ oppoſitæ ſubiecto exiſtente infinito. Hæc autem ſunt, affirmatiua ex ſubiecto infinito, & prædicato finito, eſt iuſtus non homo, & affirmatiua ex ſubiecto & prædicato infinito, eſt non iuſtus non homo, quæ ambæ propoſitiones ſunt affirmatiuæ; quoniam quando negatio cadit ſuper ſubiecto non negat, ſed infinitat vt non homo. Item quandocunque negatio cadit ſuper prædicato non negat, ſed infinitat, vt non iuſtus. At quando negatio cadit ſuper verbo, tunc negati- C uam efficit propoſitionem, vt eſt non iuſtus non homo, eſt propoſitio affirmatiua, quia negatio iuncta ſubiecto, & prædicato non negat, ſed infinitat propoſitionem. At ſi huic propoſitioni addiderit quis negationem tertiam, dicendo; Non homo non eſt non iuſtus, eſt negatiua, quoniam verbum facit negatiuam orationem, & ex vtroque termino infinito. In hac igitur tertia figura hæ duæ affirmatiuę, altera ex ſubiecto infinito & prædicato finito eſt iuſtus non homo, altera ex ſubiecto, & prædicato infinito eſt non D iuſtus non homo, ſunt oppoſitæ: nam hęc propoſitio eſt, non iuſtus non homo, valet hanc, eſt iniuſtus non homo; at eſt iniuſtus non homo, & nō eſt iuſtus non homo idem ſunt; quapropter affirmatiua ex ſubiecto infinito eſt iuſtus nō homo, & affirmatiua ex vtroque infinito, quæ tantum valet, ac negatiua ex ſubiecto infinito non eſt iuſtus non homo: hę duę inquam erunt oppoſitę ſubiecto, ſcilicet infinito exiſtente, & ſic verū eſt dicere, ꝙ in propoſitionibus, de tertio adiacēte dupliciter dicuntur oppoſitiones ſcilicet infinitudine prædicati, finito exiſtente ſubiecto, & etiā infinitudine ſubiecti qualitate, ſcilicet ver- E bi, vt monſtratum eſt, nec poſſunt reperiri aliæ oppoſitiones in his, quod aſſerit quando dicit, *Plures autem his non erunt oppoſitiones*, ſequitur, *hæ autem extra illas ipſa ſecundum ſe erunt, vt nomine vtentes eo, quod eſt non homo*. Hæc verba debēt referri ad eas propoſitiones quę ſunt de ſubiecto infinito, quia ſunt extra ordinem illarum propoſitionum de ſubiecto finito. Vult autē Ariſtoteles in his verbis ſoluere difficultatem quandam; nam quiſpiam dicere poterat, cum iſtæ propoſitiones affirmatiuæ tertiæ figurę opponantur, ſicuti & affirmatiuæ ſecundæ figuræ, cur non ſimul iunctæ fuerint cum ijs ſecundæ figuræ. Reſpondet Ariſtoteles, quòd non coniunxit has de ſubiecto infinito cum ijs de ſubiecto finito, quia & ſi conueniant in hoc, quod & affirmatiua ſimplex, & affirmatiua de prædicato infinito in prima ſunt oppoſitæ, ac ſint vtraque affirmatiua in hac tertia figura, tamen adhuc ſunt diſtinctæ a præcedentibus: ſuperiores enim vtuntur ſubiecto finito, & prædicato infinito; hæ autem vtun- C tur tum prædicato infinito, tum etiam ſubiecto infinito, vt nomine; ideo autem dicit vti ſubiecto infinito, vt nomine, quia proprium nominis eſt in enunciatione ſubijci: prędicari autem eſt commune & nomini, & verbo.

In quibuſcunque autem eſt non conuenit, vt in eo quod eſt ſanum eſſe, & ambulare; in ijs idem facit ſic poſitum, ac ſi eſt, adderetur, vt ſanus eſt omnis homo, non ſanus eſt omnis homo, ſanus eſt omnis non homo, nō ſanus eſt omnis non homo. Nō enim dicendum eſt, non omnis homo, ſed non, negationem ad id quod eſt homo addendum eſt, omnis enim non vniuerſale ſignificat, ſed quod vniuerſaliter: manifeſtum eſt autem ex eo quod eſt, ualet homo, nō valet homo, valet non homo, non valet non homo. Hæc enim ab illis differunt, eo quod vniuerſaliter non ſunt: quare omnis, vel nullus nihil aliud conſignificat, quàm quod vniuerſaliter de nomine, vel affirmationem, vel negationem; ergo & reliqua eadem oportet apponi.

Declaratis a Philoſopho tribus figuris propoſitionum de verbo ſubſtantiuo, modo vult formare figuram propoſitionũ de verbo adiectiuo.

Verbum autem adiectiuum eſt, vt legere, ambulare. Dicit igitur ſi erit aliqua propoſitio, quę non habebit verbum ſubſtantiuum, vt homo ſanatur, homo ambulat, hic nō eſt verbum ſubſtantiuum, ſed adiectiuum, quomodo ordinabũtur iſtæ propoſitiones de adiectiuo verbo, inquit quod, *In quibuſcunque autem, eſt non conuenit, vt in eo quod eſt ſanū eſſe et ambulare in ijs idem facit ſic poſitum, ac ſi eſt, adderetur*, hoc eſt propoſitio- A nes ex adiectiuo verbo habent eoſdem modos, quos habuerunt præcedentes; propterea illud verbum, licet, *ſanum*, eò debet traduci ſanare.

Vnde ſciendum eſt, quòd omnis propoſitio ex verbo ſubſtantiuo, vel profertur ſimpliciter, vt homo currit, vel cum reſolutione, vt homo eſt currens; cum enim dico, homo eſt currens, iam verbum adiectiuum eſt reſolutum. Quando igitur propoſitiones iſtæ ſimpliciter proferuntur, multiplicantur eodem modo, quo propoſitiones de ſecundo adiacente in hunc modum, B ſcilicet.

Quarta figura	Homo eſt.	Omnis homo eſt.
	Homo non eſt.	Omnis homo non eſt.
	Non homo eſt.	Omnis non homo eſt.
	Non homo non eſt.	Omnis non homo non eſt.

Propoſitiones de ſecundo adiacēte cum verbo ſubſtantiuo, cum ſigno, & ſine ſigno vniuerſali multiplicantur modo ſupra poſito: idem prorſus eſt numerus, eademque regula propoſi- C tionum ex adiectiuo verbo ſi ſimpliciter fuerit prolata, ac eſt regula propoſitionum de ſecũdo adiacente hunc in modum.

Simplex affirmatiua ſine terminatione.	Homo currit.	Omnis homo currit	Simplex affirmatiua cũ terminatione.
Simplex negatiua ſine terminatione.	Homo non currit	Omnis homo non currit	Simplex negatia cum terminatione.
Affirmatiua de ſubiecto infinito.	Non homo currit	Omnis non homo currit.	Affirmatiua de ſubiecto infinito.
Negatiua de ſubiecto infinito.	Non homo nō currit	Omnis nō homo nō currit.	Negatiua de ſubiecto infinito.

Si autem propoſitio ex adiectiuo verbo proferatur cum reſolutione, vt homo eſt currens, tunc fit propoſitio de tertio adiacente, quæ multiplicantur, vt illę de tertio adiacente, in quas reſoluuntur: & hoc eſt quod ſequitur, *vt ſanus eſt omnis homo, non ſanus eſt omnis homo, ſanus eſt omnis non homo, non ſanus eſt omnis non homo*, ſcilicet propoſitiones de verbo adiectiuo cũ proferuntur cũ reſolutione habent eaſdem regulas, leges, & ordines, ac habeant propoſitiones de tertio adiacente, quæ multiplicantur vt dictum eſt, ex terminis finitis, & infinitis, ſcilicet ex prędicato infinito, finito exiſtēte ſubiecto, & etiam ex ſubiecto infinito, atque tranſpoſito, vt ſuperius vidimus.

Verùm quoniam ex dictis Ariſtotelis poſſet inſurgere dubitatio, propterea eam diluit, & tacitæ obiectioni reſpondet, quando dicit, *Non enim dicendum eſt, non omnis homo, ſed, non, negationem ad id quod eſt homo, addendum eſt*. Occurrit Ariſtoteles in his verbis tacitæ dubitationi, quę fieri poſſet; an quando infinitamus ſubiectum poſſumus addere negationem etiam ſigno vniuerſali, vt cum dicimus, omnis nō homo eſt iu- D ſtus, quæreret aliquis, an ipſa negatio poſſet addi termino vniuerſali dicendo, nō omnis homo eſt iuſtus, ſoluit Ariſtoteles quòd nō; *Omnis enim non vniuerſale ſignificat, ſed quod vniuerſaliter*. Soluit Ariſtoteles obiectionem occurrentem, quòd in propoſitionibus eſt terminus & terminatio: terminus eſt ſubiectum, vt homo; terminatio autem eſt ſignum vniuerſale, quod facit propoſitionem eſſe vniuerſalem, vt omnis, nullus. Dicit ergo, quòd quando infinitamus ſubiectum, non debemus addere negationem termi- E nationi, dicendò, Non omnis, quia ſi dixerimus non omnis homo currit, propoſitio non erit vniuerſaliter infinita; quia erit particularis, ſed oportet addere negationem ipſi termino, ideſt ſubiecto, dicendo, non homo, ideſt omnis non homo currit; ſic enim propoſitio erit vniuerſalis, & infinita: non igitur eſt addēda negatio terminationi ad hoc vt fiat ſubiectum infinitum, vt dicendo, non omnis homo eſt iuſtus, ſed negatio eſt addenda ſubiecto, & termino, vt dicendo, omnis non homo eſt iuſtus. *Manifeſtum eſt au-* F *tem ex eo quod eſt, valet homo, non valet homo, valet non homo, non valet non homo. Hæc enim ab il-*

ilis

lis differunt, eo quod vniuerſaliter non ſunt; quare omnis, vel nullus nihil aliud conſignificat, quàm quòd vniuerſaliter de nomine, vel affirmationem, vel negationem, ergo & reliqua eadem oportet apponi.

Ratio cur negatio non ſit addenda terminationi fuit, quia terminatio, vt omnis, nullus, non ſignificat rem; ſed ſignum vniuerſaliter, quod patet exemplo poſito ab Ariſtotele; nam homo valet, homo non valet, non homo valet, non homo non valet, differunt à propoſitionibus habẽtibus terminationem non in re, ſed in ſigno. Hæ nãque non habent ſignum vniuerſaliter, tamen multiplicantur etiam terminis infinitis: quare cum etiam illæ cum ſigno vniuerſaliter infinitãtur, opus eſt, vt habeant negationem addito termino, & ſubiecto, non terminationi, alioquin vt dictum eſt, non eſſet propoſitio infinita vniuerſalis, ſed particularis: & hæc ſunt, quæ docet Ariſtoteles ad multiplicandas propoſitiones hoc in loco; quæ cum mihi ardua, & difficilia videan-

A tur, non arbitror fore ſuperuacaneum, ſi breuiter epilogabo omnes ſupradictas regulas, (non tamen diſcedens a propoſito) hucuſque declaratas ab Ariſtotele. Dico igitur, quod cum propoſitio conſtet alia ex verbo ſubſtantiuo, alia ex verbo adiectiuo. Ea quæ cõſtat ex verbo ſubſtantiuo eſt duplex, alia de ſecundo adiacente, alia de tertio adiacente.

Propoſitio de ſecundo adiacente ea eſt, quæ conſtituitur ex ſubiecto, & uerbo loco prædicati, vt homo eſt.

B Propoſitio de tertio adiacente ea eſt, quæ vltra ſubiectum, & prædicatum, habet quoque pro tertio uerbum, ſit vel in principio, vel in medio, vel in fine poſitum, vt Homo eſt iuſtus, Eſt iuſtus homo, Homo iuſtus eſt.

Propoſitio conſtans ex verbo adiectiuo eſt, vt Homo currit.

Propoſitiones de ſecundo adiacente multiplicantur vſque ad viginti quatuor.

Primo ratione qualitatis, ex terminis finitis.	Homo eſt.	Homo non eſt.
Secundo ex terminis infinitis.	Non homo eſt.	Non homo non eſt.

Et hæc etiam multiplicantur ratione terminationis vniuerſalis.

Primo ex terminis finitis.	Omnis homo eſt.	Omnis homo non eſt.
Secundo ex terminis infinitis.	Omnis non homo eſt.	Omnis non homo non eſt.

Et ſic efficiuntur octo, quæ deinde multiplicatæ per tria tempora, præſens, ſcilicet præteritum, & futurum efficiuntur viginti quatuor, & hæc eſt regula de propoſitionibus de ſecundo adiacente, quam primam tradidit Ariſtoteles de multiplicandis propoſitionibus.

Secundo loco poſuit regulas propoſitionum de tertio adiacente, in quibus quoniam duplex eſt oppoſitio (quoquomodo alij interpretentur) ſcilicet vel qualitate verbi, infinito exiſtente ſubiecto, vel infinitudine prædicati, exiſtente ſubie-

C cto finito: propterea de vtriſq; poſuit pręceptũ.

Et quoniam propoſitiones de tertio adiacente, in quibus adeſt oppoſitio infinitudine prædicati, ſubiecto exiſtente finito, poſſunt conſiderari dupliciter, vel cum terminatione vniuerſaliter, vel ſine terminatione vniuerſaliter; ideo vtroque modo figurauit exempla Ariſtoteles.

Prima figura extitit de propoſitionibus de tertio adiacente finito ſubiecto exiſtente, & prędicato infinito abſque terminatione vniuerſali, eaſq; multiplicauit vſque ad quatuor.

Prima Figura.

Affirmatiua ſimplex	Eſt homo iuſtus	Non eſt homo iuſtus	Negatiua ſimplex
Negatiua de prædicato infinito.	Non eſt homo non iuſtus.	Eſt homo non iuſtus.	Affirmatiua de prædicato infinito.

Docuit Ariſtoteles harũ conſequentias, quòd ſcilicet ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito ſicuti & negatiua priuatiua, non è contrario. Et ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex, ſicuti ex affirmatiua priuatiua, non è con-

D trario, quoniam ualet argumẽtari a minus commune ad magis commune, non è conuerſo.

Tertio loco regulam eandem docuit etiam in ſecunda figura propoſitionum de tertio adiacente, quando ſcilicet ſuprapoſitis in prima figura addiderimus ſignum vniuerſale, vt.

Secun-

Secunda Figura.

Affirmatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali.	Omnis homo iuſtus eſt.	Non omnis homo iuſtus eſt.	Negatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali.
Negatiua de prædicato infinito cũ terminatione.	Non omnis homo non iuſtus eſt.	Omnis homo non iuſtus eſt.	Affirmatiua de prædicato infinito cum terminatione.

In his propoſitionibus de tertio adiacẽte, prędicato exiſtente infinito, finito vero ſubiecto cu terminatione vniuerſali, eadem eſt conſequentia, ac reperiatur in illis poſitis in prima figura abſque terminatione vniuerſali, quòd ſcilicet ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prædicato infinito, ſicuti ſequitur negatiua priuatiua, non e contrario. Et ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex, ſicuti & affirmatiua priuatiua, non è contrario: Valet enim arguere a minus commune ad magis commune, vt etiam ſupradictum fuit. B

Poſuit Ariſtoteles differentiã inter primam & ſecundam figuram inter propoſitiones de tertio adiacente de prædicato infinito ſine terminatione vniuerſali, & propoſitiones de tertio adiacente de prædicato infinito, addito ſigno vniuerſali.

Quòd angulares in hac ſecunda figura nõ cõ- A tingit eodem modo veras eſſe, ac angulares in prima figura; nam eæ angulares, quæ per diametrum opponuntur qualitate prædicati, ſcilicet affirmatiua ſimplex, & affirmatiua de ſubiecto finito, & prædicato infinito, in prima figura poſſunt eſſe ſimul veræ, in materia ſcilicet contingenti. At angulares huius ſecundæ, quæ ſcilicet per diametrum opponuntur qualitate prædicati, nempe affirmatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali, & affirmatiua de ſubiecto finito, & prædicato tranſpoſito cum terminatione vniuerſali non poſſunt eſſe ſimul veræ in quacumque materia, vel neceſſaria, vel contingenti, & has poſuit oppoſitas, primo modo oppoſitionis infinitudine ſcilicet prædicati.

Quarto loco poſuit tertiam figuram de propoſitionibus de tertio adiacente, in quibus datur alius modus oppoſitionis, qualitate ſcilicet verbi infinito exiſtente ſubiecto, eaſq; pariter multiplicauit vſque ad quatuor.

Tertia Figura.

Affirmatiua ex ſubiecto infinito.	Eſt iuſtus non homo.	Non eſt iuſtus non homo.	Negatiua ex ſubiecto infinito.
Negatiua ex ſubiecto & prędicato infinito.	Non eſt non iuſtus non homo.	Eſt non iuſtus non homo.	Affirmatiua ex ſubiecto & prędicato infinito.

In his conſtituitur ſecundus modus oppoſi- C tionis qualitate verbi, ſcilicet infinitudine ſubiecti, quoniam affirmatiua ex ſubiecto infinito eſt iuſtus non homo, & affirmatiua ex ſubiecto, & prædicato infinito, eſt non iuſtus non homo, ſunt oppoſitæ, quia tantum valet, eſt non iuſtus non homo, ac valeat, eſt iniuſtus non homo, & hæc, eſt iniuſtus non homo, valet hanc, non eſt iuſtus non homo, quæ oppoſita eſt illi affirmatiuæ, eſt iuſtus non homo: ſecundo oppoſitionis modo, ſcilicet infinito exiſtente ſubiecto, vnde ſtatuit in his propoſitionibus de tertio adiacente duplicem dari oppoſitionem, non plures, alteram infinitudine prædicati, alteram infinitudine ſubiecti, modo quo declaratũ fuit, quicquid dicant communiter ferè reliqui interpretes.

Poſtremo, & vltimo loco docuit multiplcare propoſitiones ex verbo adiectiuo conſtitutas, & declarauit quòd vel proferuntur ſine reſolutione, & tunc multiplicantur vt illæ de ſecundo adiacente, ſcilicet vſque ad vigintiquatuor, vnde cadit ſequens figura.

Affirmatiua ſimplex.	Homo currit.	Homo non currit.	Negatiua ſimplex.
Affirmatiua de ſubiecto infinito.	Non homo currit.	Non homo non currit.	Negatiua de ſubiecto infinito.
Affirmatiua ſimplex cum terminatione.	Omnis homo currit.	Omnis homo nõ currit.	Negatiua ſimplex cum terminatione.
Affirmatiua de ſubiecto infinito.	Omnis non homo currit.	Omnis non homo non currit.	Negatiua de ſubiecto infinito.

Quæ efficiuntur octo, & per tria tempora au-
ctæ ſiunt vigintiquatuor.

Quòd ſi huiuſmodi propoſitiones ex verbo adiectiuo proferantur cum reſolutione, & dixerimus, Homo eſt currens, tunc multiplicantur vſque ad quatuor, vnde cadunt figuræ conſequẽter poſitæ in ijs de tertio adiacente, tum prima, in qua opponuntur propoſitiones infinitudine prædicati, quòd intellexit per illa verba licet, *Sanus eſt omnis homo, non ſanus eſt omnis homo*, tum etiam ſecunda figura, in qua propoſitiones opponũtur ratione infinitudinis ſubiecti, quod intellexit per alia uerba licet, *Sanus eſt omnis non homo, non ſanus eſt omnis non homo*.

Ex quibus verbis cum videretur oriri difficultas quædam, nunquid ſcilicet ſit neceſſe, vt quãdo velimus infinitare ſubiectum in propoſitione de terminatione vniuerſali, negatio cadat ſupra ſubiectum, vt ipſe Ariſtoteles appoſuit, qui quando voluit reddere infinitas ex parte ſubiecti, eas propoſitiones, ſanus eſt omnis homo, non ſanus eſt omnis homo, addidit negationem ipſi ſubiecto, modo quia ſi quis quæreret nunquid etiam poſſimus apponere ſignum negatiuum ſupra ſignum vniuerſale; vt dicentes, Non omnis homo eſt ſanus, non omnis homo eſt non ſanus, eam difficultatem de medio tollens Ariſtoteles dicit, quòd quãdo volumus infinitare ſubiectũ, neceſſe eſt vt ſignum negatiuum addamus eidẽ ſubiecto, vti termino, non autem terminationi vniuerſali, quia hoc idem obſeruatur in illis propoſitionibus, quæ ſunt abſque ſigno, quæ cũ non differant ab his, niſi in terminatione vniuerſaliter, tamen quando infinitãtur, negatio cadit in eis ſuper ſubiecto, & propoſitiones non remanerent infinitæ, ſed redderentur particulares: & hæc ſunt, quæ breuiter perſtringentes adhuc ex noſtro arbitrio docuit Ariſtoteles in præſenti capite de multiplicatione propoſitionũ, dicant quid velint omnes expoſitores aliter ſentientes, & fortaſſe à veritate, & à ſententia Ariſtotelis alieni, & ad modum aberrantes in verbis Philoſophi.

Quoniam verò contraria eſt negatio ei, quæ eſt, Omne eſt animal iuſtum, illa quæ ſignificat, quòd nullum eſt animal iuſtum, hæ quidem manifeſtum eſt, quòd nunquam erũt neque veræ ſimul, neque in eodem; his verò oppoſitæ erunt aliquando, vt non omne animal iuſtum eſt, & eſt aliquod animal iuſtum, ſequuntur verò & hæ, eam quidem quæ eſt, omnis eſt homo non iuſtus, hæc, nullus homo eſt iuſtus, illam verò eſt, non omnis homo non iuſtus, oppoſita, quod eſt, aliquis homo iuſtus, neceſſe eſt enim aliquem eſſe.

Cum docuerit ſupra Philoſophus quomodo negatiua particularis de prædicato tranſpoſito ſe habeat ad conſequentiam, cum affirmatiua ſimplici vniuerſali, & affirmatiua vniuerſalis de prædicato tranſpoſito cum negatiua ſimplici particulari, & poſuerit differentiam inter propoſitiones primæ, & ſecundæ figuræ, quòd ſcilicet angulares in ſecunda figura affirmatiuæ nõ poſſunt eſſe ſimul veræ; negatiuæ verò contingit, quòd ſimul veræ ſint.

In præſenti vt reddat rationem eius dicti, intentio ipſius eſt docere quomodo ſe habeant ad conſequentiam, negatiua particularis de prædicato tranſpoſito cum affirmatiua ſimplici particulari, & vniuerſalis affirmatiua de prædicato tranſpoſito cum negatiua ſimplici vniuerſali, vt inde eliciat angulares affirmatiuas eſſe contrarias inter ſe; contrarias autem impoſſibile eſt in quauis materia ſimul exiſtere veras; angulares verò negatiuas eſſe ſubcontrarias illis oppoſitis; ſubcontrariæ verò poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti.

Cum ſit itaque hæc Ariſtotelis intentio repetit prius conditiones, & naturam contrariarum, & ſubcontrariarum propoſitionum; & dicit, *Quoniam verò contraria eſt negatio ei, quæ eſt, Omne animal iuſtum, illa quæ ſignificat, quòd nullum eſt animal iuſtum, hæ quidem manifeſtum eſt, quod nunquam erunt neque veræ ſimul, neque in eodem.*

Primo repetit primam regulam, quod vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua nõ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt ſi hæc vniuerſalis affirmatiua, omne animal iuſtum eſt, vera ſit, non poterit vniuerſalis negatiua ei contraria nullum animal iuſtum eſt, eſſe vera. Dicit autem Ariſtoteles, *neque ſimul, neque in eodem*, neque ſimul reſpectu temporis, neque in eodẽ, reſpectu ſubiecti: non enim vno, eodemq; tempore verũ erit dicere, quòd omnis ſcholaris ſtudeat, & quòd nullus ſcholaris ſtudeat; neque de ijſdem animalibus verum eſt dicere, quòd omne animal ſit rationale, & nullum animal ſit rationale, diuerſis tamen temporibus euenire poteſt, vt omnis ſcholaris ſtudeat, & nullus ſcholaris ſtudeat: in diuerſis ſubiectis poteſt verificari, quòd omne animal ſit rationale, nẽpe in hominibus, & quòd nullum animal ſit rationale, puta in brutis animantibus. *His verò oppoſitæ erunt aliquando, vt non omne animal iuſtum eſt, & eſt aliquod animal iuſtum.*


Hic ponit ſecundam regulam ſubcontrariarum, ſcilicet propoſitionum, & dicit, quòd ijs oppoſitæ propoſitiones, ideſt ſubcontrariæ poſſunt eſſe veræ aliquando, ſcilicet in materia contingenti, vt aliquod animal iuſtum eſt. Hæc propoſitio eſt particularis affirmatiua, & aliquod animal iuſtum non eſt, quæ eſt particularis negatiua. Hæ inquam poſſunt eſſe ſimul veræ; nam videmus quotidie aliquem hominem eſſe iuſtũ,

& ali-

& aliquem hominem non eſſe iuſtum. Subcontrariæ igitur poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti. *Sequuntur verò & hæ, eam quidem, quæ eſt, Omnis eſt homo non iuſtus, hæc, nullus homo eſt iuſtus, illam verò, eſt non omnis homo non iuſtus, oppoſita, quod eſt, aliquis homo iuſtus, neceſſe eſt enim aliquem eſſe.* A

Ariſtoteles hic declarat quomodo ſe habeāt ad conſequentiam negatiua particularis de prædicato tranſpoſito, & affirmatiua ſimplex particularis, pariter vniuerſalis affirmatiua de prædicato tranſpoſito, & negatiua ſimplex vniuerſa- B lis, ex cuius declaratione nobis patebit, quod angulares affirmatiuæ ſuprapoſitæ ſunt contrariæ: negatiuæ verò ſunt ſubcōtrariæ, & inquit, quòd ad vniuerſalem affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali, vt omnis homo eſt non iuſtus, eſt vniuerſalis, affirmatiua de prædicato infinito, & æquiualet huic negatiuæ ſimplici vniuerſali, nullus homo eſt iuſtus; nam idem eſt dicere, omnis homo eſt non iuſtus, ac ſi dicamus, nullus homo eſt iuſtus. Inſuper etiam particularis infi- C nita, vt non omnis eſt homo non iuſtus, infert hanc ſimplicem affirmatiuam, aliquis homo eſt iuſtus, ratio ponitur ab Ariſtotele; nam ſi non omnis homo eſt non iuſtus, neceſſe eſt aliquem iuſtum reperiri. Ex quibus manifeſte conſtat; quare angulares affirmatiuæ in ſecunda figura nunquam poſſunt ſimul verificari, & quare negatiuæ valeant ſimul in veritate conuenire.

Siquidem vt dictum eſt, omnis homo iuſtus eſt, quæ eſt affirmatiua ſimplex, & omnis homo eſt non iuſtus, quæ eſt affirmatiua de prædicato tranſpoſito, & angulares ſunt contrariæ, cum ad affirmatiuam vniuerſalem de prædicato infinito, omnis homo eſt non iuſtus, conſequatur negatiua ſimplex vniuerſalis, nullus homo eſt iu- B ſtus: at omnis homo eſt iuſtus, & nullus homo eſt iuſtus ſunt contrariæ, vt notum eſt; pariter quoque cum negatiua particularis infinita, non omnis homo eſt nō iuſtus, & negatiua ſimplex, aliquis homo iuſtus non eſt, ſiue ad modū ipſius ſe habens, non omnis homo iuſtus eſt, ſint negatiuæ angulares; & particularis negatiua infinita, non omnis homo eſt non iuſtus, inferat particularem ſimplicem affirmatiuam, aliquis homo eſt iuſtus; eodem pacto eſt quoque manifeſtum, quòd hæc, aliquis homo iuſtus eſt, & illa, C aliquis homo iuſtus non eſt, ſiue ad modum huius ſe habēs, nō omnis homo iuſtus eſt, ſunt ſubcontrariæ, & quòd conſequēter poſſunt eſſe aliquando ſimul veræ in materia ſcilicet contingenti, quæ omnia apparebunt clariora in figura ſequenti. Sit itaque.



Ex hac figura manifeſta ſunt omnia ſupra ab D Ariſtotele declarata; nam affirmatiua ſimplex vniuerſalis, omnis homo iuſtus eſt, & affirmatiua de prædicato tranſpoſito, omnis homo non iuſtus eſt, ſunt angulares: opponuntur enim per diametrum qualitate prædicati: pariter negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt, & negatiua infinita, non omnis homo nō iuſtus eſt, ſunt angulares; opponuntur enim & ipſæ per diametrum. Cum itaque affirmatiua ſimplex vniuerſalis, omnis homo iuſtus eſt, & affirmatiua de prædicato tranſpoſito æquiualeat ſimplici negatiuæ vniuerſali, nullus homo iuſtus eſt, quæ eſt contraria ei affirmatiuę ſimplici vniuerſali, omnis homo iuſtus eſt, conſtat quoque quod & affirmatiua ſimplex vniuerſalis, omnis homo iuſtus eſt, & affirmatiua de infinito prædicato, omnis homo non iuſtus eſt, erunt contrariæ; & per conſequens, quòd in quacunque materia non valeāt ſimul de eodem verificari. Pariter ſi negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus eſt, & negatiua infinita, non omnis homo nō iuſtus eſt, ſunt angulares, & hæc negatiua infinita, non omnis homo non iuſtus eſt, inferat hanc affirmatiuam ſimplicem, aliquis homo iuſtus eſt, quæ ſimul cū ea negatiua ſimplici, aliquis homo non eſt iuſtus,

vel

vel ad modum eius ſe habens, non omnis homo iuſtus eſt, ſunt ſubcontrariæ: nam hæc, aliquis homo iuſtus eſt, contradictoriæ opponitur illi vniuerſali negatiuæ, nullus homo iuſtus eſt, & hæc, non omnis homo iuſtus eſt, opponitur contradictoriæ huic, omnis homo iuſtus eſt, ſequitur, quod etiam hæ angulares, negatiua infinita, non omnis homo non iuſtus eſt, & negatiua ſimplex, non omnis homo. iuſtus eſt, erunt ſubcontrariæ, & per conſequens poterunt eſſe ſimul veræ quandoque, ſcilicet in materia contingenti; & ex dictis aperte videtur quam apte a nobis fuerit expoſitum quid intelligeret Philoſophus per angulares propoſitiones; mirum in modum enim concordant cum ijs, quæ hoc in loco ab Ariſtotele collocantur.

Manifeſtum eſt autē etiam, quòd in ſingularibus ſi uerum eſt interrogatum negare, quòd & affirmare uerum eſt, ut putas ne Socrates ſapiens eſt? non; Socrates igitur eſt non ſapiens; in uniuerſalibus uerò non eſt uera, quę ſimiliter dicitur, uera autem negatio eſt, ut putas nę omnis homo ſapiens ſit? non; omnis igitur homo non ſapiens eſt: hoc enim falſum eſt; ſed non igitur omnis homo ſapiens eſt, uerum eſt; hæc enim oppoſita eſt, illa uerò contraria.

Cum ſuperius traditæ fuerint ab Ariſtotele regulæ conſequentiarum in propoſitionibus, nunc vult tradere conſequentias in interrogationibus, & reſponſionibus: interrogatio enim, & reſpōſio propoſitio eſt, 1. Poſter. tex. com. 85. Hoc autem exequitur dum docet quomodo reſpondendum ſit ad interrogationem particularem, & vniuerſalem, & ſimul & ſemel confirmat quod ſupra dixit, quòd affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua ſimplex ſe cōſequuntur. Dicit igitur Ariſtoteles, quod aliter reſpondendum eſt ad particularem interrogationem, & aliter ad vniuerſalem; nam ad interrogationem particularem valet reſponderi, & affirmatiue ex prædicato tranſpoſito, & negatiue; ad vniuerſalem non ſequitur neque affirmatiua ex prędicato tranſpoſito, neque negatiua ſimplex ei interrogatę, contraria ſed ipſius contradictoria, vt ſit hæc particularis, Eſt ne Socrates Sapiens? poſſumus reſpondere negatiue, non; & ſic faciemus propoſitionem negatiuam; ergo Socrates nō eſt ſapiens: poſſumus etiam affirmatiue reſpōdere, eſt, dummodo prædicatum ſit infinitum, & faciemus propoſitionem affirmatiuam ex prædicato tranſpoſito; ergo Socrates eſt non ſapiens: poſſumus autem reſpondere negatiue, & affirmatiue tranſpoſite; nam particularis negatiua

A æquiualet affirmatiuæ particulari de prædicato tranſpoſito; ita in materia neceſſaria, vti in materia contingenti; ad vniuerſalem autem interrogationem non poſſumus eodem modo reſpōdere, vt ſi interrogatio ſit, eſt ne omnis homo ſapiens, non poſſumus reſpondere negatiue, nō, omnis homo non eſt ſapiens, vel affirmatiue de prædicato infinito, omnis homo eſt non ſapiēs; ratio quia vniuerſalis infinita, omnis homo eſt non ſapiens, æquiualet vniuerſali negatiuæ, omnis homo non eſt ſapiens, quæ valet hanc, nul-

B lus homo eſt ſapiens. Dicit itaque; *Manifeſtum eſt autem etiam, quòd in ſingularibus ſi verum eſt interrogatum negare, quod & affirmare verum eſt*, hoc eſt, quòd æquipolleant affirmatiua particularis infinita, & negatiua ſimplex particularis, ex hoc patet, quod ſi in reſponſione facta ad interrogationem particularem vna vera ſit, erit quoque & altera vera, quod non eueniret, ſi non inuicem conſequerentur, *vt putas ne Socratès ſapiens eſt? non; Socrates igitur eſt non ſapiens*.

C Ad hanc ſingularem, & particularem interrogationem eſt ne Socrates ſapiens? poſſumus reſpondere non, videlicet vel negando ſimpliciter, Socrates non eſt ſapiens, vel affirmando tranſpoſite, Socrates eſt non ſapiens: vtramque enim verum eſſe contingere poteſt. *In vniuerſalibus vero non eſt vera, quæ ſimiliter dicitur; vera autem negatio eſt*.

At ad vniuerſalem interrogationē non poſſumus reſpondere neque negatiue, neque affirmatiue tranſpoſite, ſed per ſuam contradictoriam, quoniam ſcilicet affirmatiua tranſpoſite, & ne-

D gatiua æquipollent: *Vt putas nē omnis homo ſapiens eſt? non; omnis igitur homo non ſapiens eſt: hoc enim falſum eſt; ſed non igitur omnis homo ſapiēs eſt, verum eſt: hæc enim oppoſita eſt, illa verò contraria.*

Ad interrogationem particularem non poſſumus reſpondere neque affirmando tranſpoſite, neque negando ſimpliciter, vt ad hanc vniuerſalem interrogationem, eſt ne omnis homo ſapiens? non poſſumus reſpondere negatiue, omnis homo non eſt ſapiens, neque affirmatiue

E infinite, omnis homo eſt non ſapiens, quæ ei negatiuæ æquipollet; ſed eſt reſpondendum per hanc, non omnis homo eſt ſapiens: ratio autem eſt, quoniam ea affirmatiua infinita eſt contraria illi interrogationi vniuerſali, quam non ſequitur neceſſario veram eſſe, cum contrarias ambas falſas eſſe contingat. Hæc vero, non omnis homo eſt ſapiens, cum ſit contradictoria ei interrogationi vniuerſali, eſt ne omnis homo ſapiens? neceſſario ſequitur, quod vera ſit, ſi ea falſa reperiatur.

F Quæ vero ſecundum infinita contraiacentis ſunt nomina, & uerba, ut in eo quod eſt non homo, uel non iuſtus, quaſi negationes ſine nomine, & uerbo eſſe uidebuntur, ſed non ſunt.

Semper enim uel ueram, uel falſam eſſe neceſſe eſt negationem; qui uero nõ homo dixit, nihil magis, quàm qui dicit homo, ſed etiam minus uerus, uel falſus fuit, niſi aliquid addatur.

Cum Ariſtoteles mentionem ſæpe ſæpius fecerit de ſigno negatiuo, quod reddit infinitum, tum ſubiectum, tum prædicatum, tum verbum ipſum, inſuperq; facit propoſitionem eſſe negatiuam, modo particularem in præſenti occurrẽtem quæſtionem de medio tollere intendit: dubitatio emergens eſt iſta, numquid ſi fuerit adiũctum ſubiecto, aut prædicato ſignũ negatiuum, vt cum dixerimus, non homo, non iuſtus, fiat negatio, ex vna parte videtur, quod non homo, & non iuſtus ſint negationes, quoniam vbi reperitur negatiua particula, ibi eſt negatio: ex alia parte videtur quòd non homo, & nõ iuſtus non ſint negationes, q̃a ſine verbo nulla eſt negatio. Determinat igitur Ariſtoteles hanc quæſtionẽ, quòd non homo, & non iuſtus non ſint negationes, tum quia ſine verbo nulla eſt negatio; uerum inſuper quoniam omnis negatio eſt determinate vera, vel falſa, ſed non homo, non iuſtus ſun t infinita; ergo nõ poteſt in eis reperiri quid determinatum, & per conſequens neque negatio, quod idem confirmat, quoniam qui dicit homo, dicit rem magis determinatam; ſed tamen qui dicit homo, negationem nõ dicit; ergo tãto minus non homo erit negatio, quòd nõ eſt quid determinatum, ſed indeterminatiſſimum.

Vult itaque Ariſtoteles dicere, quòd termini infiniti non homo, non iuſtus, ſi ſumantur pro ſubiecto infinito, & prædicato infinito, videbuntur quidem eſſe negationes, quoniam habent notam negatiuam, ſed re vera non ſunt, cauſa eſt, quoniam non ſunt determinata, ſed affirmatio, & negatio ſignificant determinate verum vel falſum; ergo non ſunt negationes, tanto magis quòd ſi eſt aliqua vox, quæ videatur determinate poſſe ſignificare affirmationem, vel negationem, eſt homo, non tamen ſignificat; ergo tãto minus termini infiniti & indeterminati, ut non homo, non iuſtus erunt negationes.

Sed hic oritur vna dubitatio, cur Ariſtoteles fecit iſtam cõparationem inſulſam, & malam; nam illa comparatio eſt mala & vitioſa, quando membra non participant rei comparatæ, vt ſi quis dicat, quis eſt magis Iuris ſcientificus, ruſticus, an faber lignarius? cõparatio iſta eſſet prorſus incongrua; nam neutrum iſtorum ſubiectorum participat iuris ſciẽtiam: comparatio namque bona debet fieri inter ſubiecta comparabilia, vt ſi dicat aliquis, quis eſt magis iuriſperitus excellens Dominus Andræas Menichinus, aut excellens Dominus Dominicus Doctus? iſta eſt optima comparatio, quia vterque participat Iuris ſcientiam: ſunt namque ambo mei Conciues

A viri doctiſſimi, vnus nempe Excellentiſſimus Menichinus Iuris conſultus ſapientiſſimus, Poeta præſtantiſſimus, & Orator eloquentiſſimus, quippe qui doctiſſime & Oratorie, et Poetice adhortatur Principes Chriſtianos ad bellũ aduerſus Turcas mouendũ, & ob eius maximã eloquentiã pręfulgẽtem in Oratione habita Venetijs anno Milleſimo quingenteſſimo ſeptuageſimo quarto ad Sereniſſimum Hẽricum Gallorũ Regem in ſignum eximiæ virtutis ſuæ ab eodẽ Chriſtianiſſimo Aureo Anullo mirifice fuit ho- B noratus: alter vt puta Excellens Dominus Dominicus Doctus eſt Iuris vtriuſque peritiſſimus, & Primus omnium acceſſorum huius Sereniſſimi Status merito exiſtimatur; ſed cum dicat Philoſophus, quòd homo magis ſignificat verũ, vel falſum, quam non homo, patet hanc videri vanam comparationem; nam neque terminus finitus homo, neque terminus infinitus non homo ſignificat verum vel falſum, tamẽ dicit Ariſtoteles hominem magis ſignificare, quam non hominem.

C Pro ſolutione ſciendum, quòd comparationes habent duplex eſſe, reſpectiuum, & abſolutum dicebat Ariſtoteles, cap. de relatiuis montẽ dici paruum, cum tamen ſimpliciter ſit magnus, & granum milei dicebat eſſe magnum, cum tamen ſimpliciter ſit paruum, ſed hoc dicebat in reſpectu; nam mons reſpectu maioris eſt paruus, & granum milei reſpectu minoris eſt magnum. Cum igitur dicitur, quòd comparatio debet cõpetere vnicuique cõparato, intelligitur de comparatione abſoluta, & ſimpliciter: quãdo autem D Ariſtoteles dicit, quod homo magis ſignificat, quàm non homo, cum tamen neutrum ſimpliciter ſignificet, loquitur de comparationibus relatiuis, & in reſpectu: nam ſi per caſum homo, & non homo ſignificarent, magis ſignificaret homo, quam non homo.

Significat autem, eſt omnis nõ homo iuſtus, nulli illarum idẽ, nec huic oppoſita, quæ eſt, non eſt omnis non E homo iuſtus: ea vero, quæ eſt omnis non iuſtus non homo eſt, illi, quę eſt, nullus eſt iuſtus non homo, idem ſignificat.

Poſtquam egit Ariſtoteles de multiplicitate propoſitionum, & oſtendit, quæ ſunt contrariæ, quæ ſubcontrariæ, quæ contradictoriæ, quæ conſequentes, quibuſdam difficultatibus de medio ablatis, modo agit de propoſitionibus, quæ aut diuerſæ, aut eædem ſunt; nam propoſitionum F contingunt quatuor, Contradictio, Conſequentia, Identitas, & Diuerſitas, cum hactenus tractaſſet Ariſtoteles de propoſitionibus de tertio adiacente quomodo contrarientur, & ſe conſequantur, nunc tractat de ijs, quomodo ſunt eædem, & quomodo diuerſæ: diuerſæ autem ſunt illæ de ſubiecto infinito, ab eis de ſubiecto

finito; propterea dicit, *ſignificat autem, eſt omnis non homo iuſtus, nulli illarum idem, nec huic oppoſita, quæ eſt, non eſt omnis non homo iuſtus.* Vult dicere Ariſtoteles, quòd propoſitiones de ſubiecto infinito diuerſæ ſunt a propoſitionibus de ſubiecto finito, vt hæc enunciatio de ſubiecto infinito, & prędicato finito affirmatiua, omnis nõ homo iuſtus eſt, eſt diuerſa ab enũciatione de ſubiecto finito, ſiue ſit hæc affirmatiua, ſiue negatiua, & hoc eſt quod dicit, *Omnis non homo eſt iuſtus, nulli illarum idem ſignificat*, hoc eſt habentium ſubiectum finitum, quia nec valet hanc, omnis homo eſt iuſtus, nec hãc, nullus homo eſt iuſtus. Pariter enunciatio de ſubiecto infinito negatiua, & prædicato finito, omnis non homo nõ eſt iuſtus, cum nulla illarum de ſubiecto finito habet conſenſum: & hoc eſt quod dicit, *Nec huic oppoſita, quæ eſt, omnis non homo non eſt iuſtus* Hęc inquam non ſignificat idem cum aliqua illarum de ſubiecto finito; quia nec idem, quod hęc, omnis homo eſt iuſtus, nec quòd alia, nullus homo eſt iuſtus. *Ea verò, quæ eſt, omnis non iuſtus non homo eſt, illi, quæ eſt, nullus eſt iuſtus non homo, idem ſignificat*; cum docuerit quæ propoſitiones ſint diuerſæ, modo incipit declarare quæ ſint eædẽ, & inquit, quòd vniuerſalis affirmatiua de ſubiecto, & prædicato infinito, omnis non homo eſt non iuſtus, eſt eadem cum negatiua de ſubiecto infinito, & prædicato finito. Significat enim idem illi, quę eſt, nullus non homo eſt iuſtus, & inter eas conſenſus reperitur, & æquipollentia.

Tranſpoſita uerò nomina, & uerba idem ſignificant, ut eſt albus homo, & eſt homo albus; nam ſi hoc nõ eſt, eiuſdem multę erunt negationes. Sed oſtenſum eſt, quòd una unius eſt, eius enim quæ eſt, eſt albus homo, negatio eſt, nõ eſt albus homo, eius autẽ quæ eſt, eſt homo albus, ſi non eadem eſt ei, quæ eſt, eſt albus homo, erit negatio, uel ea, quæ eſt, non eſt non homo albus, uel ea, quæ eſt, non eſt homo albus; ſed altera quidem eſt negatio, ea, quæ eſt, non eſt non homo albus, eius, eſt non homo albus; altera verò eius, quæ eſt, eſt albus homo: quare erunt duæ vnius; quod igitur tranſpoſito nomine, & verbo, eadem ſit affirmatio, & negatio, manifeſtum eſt.

Docet nunc Ariſtoteles, quòd illæ propoſitiones ſunt eædem, quæ non differunt niſi tranſ-

A poſitione terminorum vt hæ propoſitiones, Eſt homo albus, & eſt albus homo, iſtæ propoſitiones nihil differunt; nam ſi differẽnt, ſequeretur, quòd duæ negationes vni affirmationi opponerentur: nam nat hæc propoſitio, eſt albus homo, huius negatio eſt, non eſt albus homo, eius autem quæ eſt, eſt homo albus, ſi non eſſet eadem oppoſita negatio, quæ eſt ei affirmationi, eſt albus homo, ſequeretur quòd eſſet aut hæc, non eſt non homo albus, aut hæc, non eſt homo albus, ſed prima eſt negatio eius infinitę, eſt non
B homo albus, altera eſt negatio huius, eſt albus homo: quare erunt duæ affirmationes vnius negationis: quapropter concludit, quòd trãſpoſitio nominis & verbi terminorum ſcilicet non variat enunciationem.

Sciendum ex Diuo Thoma, quòd Ariſtoteles non curauit probare, quod hæc negatio, non eſt homo albus, quæ eſt contradictoria huius affirmationis, eſt homo albus, ſit etiam contradictoria illius affirmationis, eſt albus homo, eo quoniam hoc eſt de ſe manifeſtum, namque non
C poſſunt ſimul exiſtere veras uel falſas, vt puta, Franciſcus eſt albus homo, Franciſcus non eſt homo albus, non poſſunt in veritate, aut falſitate ſimul conuenire, ſed oportet vt vna ſit vera, altera falſa; quare ſunt contradictoriæ; vnde ſi non eſſet eadem, hæc non eſt homo albus, illi non eſt albus homo, ſequeretur quòd duæ eſſent negationes prædictæ vnius affirmationis, videlicet eſt homo albus.

Sed contra ea, quæ dicta ſunt in calce huius cap. remanet quædam difficultas diluenda: vi-
D detur enim falſum, tranſpoſitionem terminorum non variare propoſitionis ſenſum, & pro ampliori notitia huius difficultatis adduco nonnulla argumenta cum ſuis ſolutionibus.

Primum eſt, cum in hac propoſitione dicimus, omnis homo non eſt lapis, hæc eſt vniuerſalis negatiua: at ſi terminos tranſmutauerimus, dicentes, non omnis homo eſt lapis, efficimus propoſitionem particularem. Videtur igitur quòd tranſmutatione terminorum ſenſus
E propoſitionis immutetur.

Secundum, ſi termini tranſpoſiti non immutarent propoſitionis ſenſum, ſequeretur, quòd vniuerſalis affirmatiua in ſe ipſam conuerti poſſet, vt hæc, omnis homo eſt animal, vniuerſaliter conuerteretur, omne animal eſt homo; quod tamen eſt falſum, vt docet Philoſophus 1. Prior. conuertitur namque in particularem; ergo aliquod animal eſt homo; ergo.

Tertium, ſi tranſpoſito verbo maneret eadem
F propoſitio, ſequeretur, quòd hę eſſent eędem, homo eſt animal rationale, & homo animal rationale eſt, ſed hoc eſt falſum, quia ad propoſitionẽ de tertio adiacentę, non ſequitur propoſitio de ſecundo adiacente: poteſt enim eſſe verã prima exiſtente falſa ſecunda poſito, quòd nullus homo ſit; ergo.

Quartum,

Quartum, ſi nomina tranſpoſita non mutarẽt A ſenſum propoſitionis, ſequeretur, quòd riſibile eſt homo, albus eſt homo, eſſent naturales propoſitiones, quod eſt falſum; ergo probatur conſequentia: nam homo eſt riſibilis, homo eſt albus, ſunt propoſitiones naturales. Hæc enim homo eſt riſibilis, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe; hæc verò homo eſt albus, etſi ſit accidentalis, accidens tamen prædicatur de ſubiecto, ſed hæ non differunt ab illis, riſibile eſt homo, albus eſt homo, cum tranſpoſitio non variet; ergo falſitas conſequentis probatur, quoniam B ea eſt prædicatio naturalis, quando ſuperiora prædicantur de inferioribus, vel æqua de ęquis, vel ſubiectum de accidente; at in iſtis prædicatur de accidente ſubiectum ipſum; deuiant ergo à prædicatione naturali; ergo.

Quintum argumentum eſt, quod etiam ſequeretur, quòd hæ ambæ eſſent veræ, omnis homo eſt animal, animal omne eſt homo, tamen prima vera, ſecunda falſa; ergo.

Sextum argumentum eſt, quòd ſi tranſpoſitio C terminorum non variat propoſitionem, hæ ambæ eſſent verę, omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & diſciplina eadem eſt omnium oppoſitorum, & tamen prima eſt vera, ſecunda falſa, quia poteſt eſſe eadem diſciplina aliquorum non oppoſitorum.

Septimum ſequeretur, quòd hæ, Socrates differt ab homine, & ab homine differt Socrates, eſſent veræ, ſed prima eſt vera, ſecunda falſa; ergo.

Vltimo, ſi tranſpoſiti termini non variant D propoſitionem, ſequeretur, quòd hæ propoſitiones, Ciceronem videt ſuus filius, & ſuus filius videt Ciceronẽ, eſſent eędem, ſed prima eſt incongrua, ſecunda congrua; ergo.

Quare videtur concludendum, quòd nõ ſemper ſit verum, tranſpoſitionem terminorum nõ immutare ſenſum propoſitionis, & quòd propoſitiones habentes tranſpoſitos terminos, idem ſignificent. In oppoſitum eſt Ariſtoteles hic, qui dicit, quòd tranſpoſito nomine, & verbo remanet eadem enunciatio.

E Pro ſolutione argumentorum primo ponam diſtinctiones, & notabilia; ſecundo cõcluſiones ex illis eliciam; tertio ipſa argumenta adducta diluere conabor.

Primo igitur notandum eſt, quòd tranſpoſitio nominum, & verborum duplex eſt, uel pure ſitualis, uel formalis. Primam mutationem nòminant Græci ordinis uocum, dummodo id, quod eſt prædicatum, remaneat prędicatum, & ſubiectum remaneat ſubiectum, & uerbum eſt tertium adiacens, & hæc nõ uariat enunciatio- F nem. Alia eſt tranſpoſitio formalis, & eſt cum per tranſpoſitionem id, quod erat prædicatum fit ſubiectum, & è conuerſo, & talis tranſpoſitio uariat propoſitionem. De prima loquitur Ariſtoteles hoc in loco, de ſecunda minime.

Secundo notandum, quòd in tranſpoſitione in utraque propoſitione eidem termini ſumpti debent reperiri pro eodem, vel pro iiſdem, hoc eſt, oportet vt illis vtamur pro eadem re ſignificanda, vel iiſdem ſignificandis: & in vna enunciatione non licet addi alius terminus, nec vlla negatio, quæ non fuerit in prima enunciatione.

Tertio notandum, quòd ſi ſola negatio tranſponatur, variat propoſitionem; ſi verò remaneat iuncta dictioni priori, ſeruat propoſitionem eandem.

Quarto notandum, quòd hæc determinatio, B omnis, nullus, aliquis, ſi ſola tranſponatur, variat propoſitionem; ſi verò cum dictione priori trãſponatur, ſeruat eandem propoſitionem.

Quinto, & vltimo ſciendum eſt, quòd veritas propoſitionis attenditur penes id, quod eſt a parte rei; ab eo enim, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa: naturalis verò attenditur penes id, quod debet ſubiici, & prædicari.

Vnde prædicatio duplex eſt, prout ad rẽ præſentem facit naturalis, & eſt, quando ſubiicitur, & prædicatur id, quod debet ſubiici, & prædi- C cari, & eſt, cum ſuperiora de inferioribus prædicantur, vt homo eſt animal, vel accidentia de ſubiectis, ſiue propria, vt homo eſt riſibilis, ſiue communia, vt homo eſt albus. In his prædicatur id, quod habet rationem formę, & ſubiicitur id, quod habet rationem materiæ, ideo ſunt naturales. Prædicatio non naturalis eſt, cum prędicatur, & ſubiicitur, quod non debet prædicari, & ſubiici, & eſt, quando inferiora de ſuperioribus, aut ſubiecta de accidentibus, aut accidentia de accidentibus, aut idẽ de ſe ipſo prædica- D tur. Exemplũ primi, Animal eſt homo. Exemplum ſecundi, Albus eſt homo. Exemplũ tertij, Albedo eſt color. Exemplum vltimi, Homo eſt homo, tunc dico quòd per tranſpoſitionem localem tantum nõ mutantur propoſitiones naturales, vt fiant nõ naturales, vel falſæ, quando ſcilicet idem ſubiectum, & idẽ prædicatum tranſponatur. At per tranſpoſitionem ſecũdum formam mutatur naturalis in non naturalem, & fit falſa, quia id quod debet prædicari, nõ prædicatur, vt animal eſt homo, &c. His ſtãtibus ſit hęc

E Prima concluſio, Ariſtoteles principaliter ſequitur in textu, quòd ſignificatum propoſitionis remanet licet tranſponantur nomina, & verba, & conſequenter loquitur de ſignificatione nominum, quia ſi propoſitio retinet ſuum ſignificatum, etiam nomina ſuum retinebunt ſignificatum.

Secunda concluſio, per tranſpoſitionem localem tantum ſecundum prolationem vel ſcripturam non variatur ſenſus propoſitionis, & de hac loquitur Ariſtoteles in textu, & hanc vocãt F Græci tranſpoſitionem ordinis vocum.

Tertia concluſio, per tranſpoſitionem localem, & formalem ſimul variatur ſenſus propoſitionis, & de naturali fit non naturalis, vt homo eſt animal, ànimal eſt homo.

Quarta concluſio, per trãſpoſitionem infinitam, hoc eſt quãdo ex ſubiecto, & prędicato fini-

to ſit prædicatũ,vel ſubiectum infinitũ variatur A ſenſus propoſitionis,quia ſit aliud genus propoſitionis.

Quinta concluſio,per tranſpoſitionem negationis,& determinationis per ſe variatur propoſitio,non autem ſi tranſponantur ſimul cum dictionibus, quibus prius erant annexæ, vt omnis homo eſt animal,eſt animal omnis homo.

Sexta concluſio eſt, per tranſpoſitionem nominum cum additione alicuius termini,in vna, qui non erat in altera,ſcilicet vel negationis,vel determinationis variatur ſenſus propoſitionis. B

His ſuppoſitis, ad primum dicitur, quòd ſignum negatiuum reperitur,variatum;ſi quidem in prima additur verbo, in altera ſigno vniuerſali:at ſignum negatiuum, ſicuti nec determinatio non ſunt nomina,neque verba,non ſunt termini propoſitionis; ſiquidẽ vt habetur 1.Prior, cap.1. termini ſunt ſubiectum, & prædicatum, & verbum.

Ad ſecundum dicitur, quòd ſi tranſponatur hæc,omnis homo eſt animal, in hanc,omne animal eſt homo, ſunt diuerſæ propoſitiones, quia C ſignum diſtributiuum reperitur in eis variatum. At ſi dicatur,omnis homo eſt animal,eſt animal omnis homo,ſic eſt eadem propoſitio;quare negatur conſequentia.

Ad tertium dico, quòd eæ ſunt eædem propoſitiones, quia remanent de tertio adiacente, dicendo, homo eſt animal rationale, & homo animal rationale eſt,dummodo remaneat idem ſubiectum,& idem prædicatum,& iſta eſt de ſecundo adiacente,animal rationale eſt,homo eſt. Cum itaque ambæ ſint de tertio adiacẽte,vtræ- D que veræ ſunt: at iſta, homo animal rationale eſt,vt eſt de ſecundo adiacente poteſt eſſe falſa.

Ad quartum dico,quòd iſtæ ſunt eædem,homo eſt albus, albus eſt homo, ſi remaneat idem ſubiectum, & idem prædicatum, non autem ſi mutetur,ſed riſibile eſt homo,non eſt eadẽ cum hac,homo eſt riſibilis,ſed ſunt duæ, & non ſunt tranſpoſitæ:variatur namque ſubiectum,& prædicatum, quia quod ſubijcitur in vna, in altera prædicatur.

Ad quintum dico, quòd iſtæ ſunt duæ diuer- E ſæ propoſitiones,omnis homo eſt animal,& animal omne eſt homo, nec habent nomina tranſpoſita modo quo nos loquimur, cum in prima determinatio appoſita reperiatur ipſi homini, in ſecunda ipſi animali.

Ad ſextum dico, quòd ſunt vna, & eadem ſi tranſponantur nomina modo declarato.

Ad ſeptimum dico, quòd illæ propoſitiones ſunt eædem,ſi tranſponantur vt dixi, aliter nõ.

Ad octauum, & vltimum reſpondeo, quòd vtraque eſt intelligibilis,licet vna ſit elegantior F altera; verùm de ornatu nihil ad Logicum. Vnde dicit Boetius in Porphyrium, in quibus rerum cognitio quæritur, non attenditur orationis lepos, ſed incorrupta veritas exprimẽda eſt.

Et hæc ſint dicta ſuper hoc Cap.

Super Capite primo Secundi Libri Perierum de Interpretatione pro Juris Studioſis.

DVo præcipue declarantur ab Ariſtotele in hoc Capite.

Primo, Docet multiplicare propoſitiones.

Secundo, Docet earum conſequentias.

Pro quorum faciliori intelligentia quatuor ſunt præmittenda.

Primum,quòd propoſitio alia eſt de ſecundo, alia eſt de tertio adiacente.

Secundum,quòd propoſitio alia cõſtat ex terminis finitis,alia ex infinitis.

Tertium,quòd propoſitio alia eſt ſine terminatione vniuerſali, alia cum terminatione vniuerſali.

Quartum, quòd propoſitio alia conſtituitur de verbo ſubſtantiuo, alia de verbo adiectiuo.

Propoſitio de ſecundo adiacente ea eſt, quæ conſtat ex duobus terminis,ex ſubiecto ſcilicet, & verbo loco prædicati,vt homo eſt.

Propoſitio de tertio adiacente ea eſt,quę conſtat ex tribus terminis,ex ſubiecto,verbo,& prædicato,vt homo eſt animal.

Propoſitio conſtare dicitur ex terminis finitis, quando ſcilicet ſubiectum & prædicatum ſunt finita, vt homo eſt animal. Dicitur verò conſtare ex terminis infinitis, quando aut ſubiectum, aut prædicatum, aut vtrumque eſt infinitum, vt non homo eſt animal, homo eſt non animal, non homo eſt non animal.

Propoſitio dicitur eſſe cum ſigno vniuerſali, quando ſubiecto addito reperitur ſignum aliquod ſimile diſtributiuum, omnis, nullus, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis.

Propoſitio dicitur eſſe ſine terminatione vniuerſali, quando caret ſigno diſtributiuo,vt homo eſt animal,homo non eſt lapis.

Propoſitio dicitur conſtare ex verbo ſubſtantiuo,quando dicimus, homo eſt, namque eſt, verbum eſt ſubſtantiuum, vt apud Grammaticos quoque eſt notum.

Propoſitio dicitur eſſe de verbo adiectiuo, quando dicimus,homo ambulat, & hæc eſt duplex: nam propoſitio de verbo adiectiuo profertur ſine reſolutione, vt homo currit, vel ſecundo cum reſolutione, vt homo eſt currens. Modo his poſitis.

Quo ad primum caput principale de multiplicatione ſcilicet propoſitionũ tria docet Philoſophus.

Primo, Docet multiplicare propoſitiones de ſecundo adiacente vſque ad vigintiquatuor.

Nam

Nam multiplicantur. { Ratione qualitatis. / Ratione terminationis vniuerſalis.

Ratione qualitatis. { In affirmatiuam. / In negatiuam. / Ex terminis finitis. / Ex terminis infinitis.

In affirmatiuam / In negatiuam. ex terminis finitis. { Homo eſt. / Homo non eſt.

In affirmatiuam / In negatiuam. ex terminis infinitis. { Non homo eſt. / Non homo non eſt.

Ratione terminationis vniuerſalis.

In affirmatiuam / In negatiuam. ex terminis finitis. { Omnis homo eſt. / Omnis homo non eſt.

In affirmatiuam / In negatiuam. ex terminis infinitis. { Omnis non homo eſt. / Omnis non homo non eſt.

A Et ſic efficiuntur octo, quæ deinde multiplicatæ per tria tempora, præſens ſcilicet, præteritum, & futurum augentur ad vigintiquatuor. Secundo docet multiplicare propoſitiones de tertio adiacente.

Primo ſine terminatione vniuerſali. Secundo cum terminatione vniuerſali. Propoſitiones de tertio adiacente ſine ſigno vniuerſali multiplicantur vſque ad quatuor.

Prima Figura.

Affirmatiua ſimplex.	Eſt homo iuſtus.	Non eſt homo iuſtus.	Negatiua ſimplex.
Negatiua de prædicato infinito.	Non eſt homo non iuſtus.	Eſt homo non iuſtus.	Affirmatiua de prædicato infinito.

B Et hoc pacto aſcendunt ad quatuor. Poſtea docet multiplicare eaſdem propoſitiones de tertio adiacente cum ſigno vniuerſali vſque ad quatuor.

Secunda Figura.

Affirmatiua ſimplex.	Omnis homo iuſtus eſt.	Non omnis homo iuſtus eſt.	Negatiua ſimplex.
Negatiua de prædicato infinito.	Non omnis homo non iuſtus eſt.	Omnis homo non iuſtus eſt.	Affirmatiua de prędicato infinito.

C Deinde cum docuerit multiplicare propoſitiones de tertio adiacente de prædicato infinito, ſubiecto exiſtente finito, docet multiplicare propoſitiones de tertio adiacẽte, ſubiecto etiam infinito exiſtente abſque terminatione vniuerſali vſque ad quatuor.

Tertia Figura.

Affirmatiua ex ſubiecto infinito.	Eſt iuſtus nom homo.	Non eſt iuſtus non homo.	Negatiua de ſubiecto infinito.
Negatiua ex ſubiecto & prędicato infinito.	Non eſt non iuſtus non homo.	Eſt non iuſtus non homo.	Affirmatiua ex ſubiecto, & prædicato infinito.

Præterea cum docuerit multiplicare propoſi- A tiones ex verbo ſubſtantiuo, docet multiplicationem propoſitionum ex verbo adiectiuo, & inquit, quod ſi proferuntur propoſitiones ſine reſolutione de verbo adiectiuo multiplicantur vt illę de ſecundo adiacente vſque ad viginti quatuor.

Ratione qualitatis.	In affirmatiuam.	
	In negatiuam.	
	Ex terminis finitis.	
	Ex terminis infinitis.	
In affirmatiuam	ex terminis finitis.	Homo ambulat.
In negatiuam.		Homo non ambulat.
In affirmatiuam	ex terminis infinitis.	Non homo ambulat.
In negatiuam.		Non homo non ambulat.

Ratione terminationis vniuerſalis.

In affirmatiuam	ex terminis finitis.	Omnis homo ambulat.
In negatiuam.		Omnis homo non ambulat.
In affirmatiuam	ex terminis infinitis.	Omnis non homo ambulat.
In negatiuam.		Omnis non homo non ambulat.

Et ſic efficiuntur octo, quæ multiplicatæ per B tria tempora, præſens, præteritum, & futurum augentur ad vigintiquatuor.

Si verò proferuntur cum reſolutione, vt homo eſt ambulans, multiplicantur vt ipſæ, modo ſcilicet, quo ſupra fuit declaratum.

Quo ad ſecundum Caput principale Ariſtoteles tradit tres regulas conſecutionum propoſitionum.

Prima regula eſt in propoſitionibus de tertio adiacente ſine terminatione vniuerſali deſcripta in prima figura.

Quod ſcilicet ad affirmatiuam ſimplicem, eſt homo iuſtus, ſequitur negatiua de prædicato infinito, non eſt homo non iuſtus, ſicut & negatiua priuatiua, non eſt homo iniuſtus, non è conuerſo.

Et ad affirmatiuam de prædicato infinito eſt homo non iuſtus, ſequitur negatiua ſimplex, non eſt homo iuſtus, ſicuti & affirmatiua priuatiua, eſt homo iniuſtus, vt patet in ſequenti figura.

Affirmatiua ſimplex.	Eſt homo iuſtus infert.	Contrarię.	Non eſt homo iuſtus infert.	Negatiua ſimplex.
Negatiua priuatiua.	Non eſt homo iniuſtus infert.	Contrarię.	Eſt homo iniuſtus infert.	Affirmatiua priuatiua.
Negatiua de prædicato infinito.	Non eſt homo non iuſtus.	Contrarię.	Eſt homo non iuſtus.	Affirmatiua de prędicato infinito.

Ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur infinita ſicut & negatiua priuatiua.

Ad affirmatiuam de prędicato infinito ſequitur negatiua ſimplex ſicut & affirmatiua priuatiua.

Ratio huius regulæ eſt, quoniam valet argu- C mentum à minus commune ad magis commune, eſt homo, ergo animal, non è contrario, à magis commune ad minus commune eſt animal; ergo homo.

Hanc eandem regulam aſſerit etiam locum habere in propoſitionibus de tertio adiacente cum terminatione vniuerſali deſcripta in ſecunda figura.

Quod ſcilicet ad affirmatiuam ſimplicē, omnis homo iuſtus eſt, ſequitur negatiua infinita, non omnis homo non iuſtus eſt, ſicuti & negatiua priuatiua, non omnis homo iniuſtus eſt, non è contrario.

Et ad affirmatiuam de prædicato infinito, omnis homo non iuſtus eſt, ſequitur negatiua ſimplex, nō omnis homo iuſtus eſt, ſicuti & affirmatiua priuatiua, omnis homo iniuſtus eſt, non è contrario, eadem ratione ſupra poſita, vt patet in ſequenti figura.

Affirmatiua ſimplex cum terminatione vniuerſali.	Omnis homo iuſtus eſt infert.	Non omnis homo iuſtus eſt,infert.	Negatiua ſimplex cũ terminatione.
Negatiua priuatiua cum terminatione.	Non omnis homo iniuſtus eſt,infert.	Omnis homo iniuſtus eſt,infert.	Affirmatiua priuatiua cum terminatione.
Negatiua infinita cum terminatione.	Non omnis homo non iuſtus eſt.	Omnis homo non iuſtus eſt.	Affirmatiua infinita cum terminatione.

A Verum eſt differentia inter angulares huius ſecundæ figuræ,& angulares primę figurę: nam angulares primæ figuræ,tũ affirmatiuæ, ſcilicet ſimplex,eſt homo iuſtus,infinita, eſt homo non iuſtus,tũ negatiuæ,ſcilicet ſimplex, non eſt homo iuſtus,infinita,nõ eſt homo nõ iuſtus,poſsũt eſſe ſimul ueræ,in materia ſcilicet contingenti, quoniam ſunt indefinitæ,vt vidimus ſuperius.

At in ſecunda figura ſolum angulares negatiuæ poſſunt ſimul verificari; minime verò angulares affirmatiuæ: namque hæ affirmatiuæ ſimplex,omnis homo iuſtus eſt, & affirmatiua infinita,omnis homo non iuſtus eſt,non poſſunt ſimul verificari,propterea quod omnis homo nõ iuſtus eſt, æquipollet huic, nullus homo iuſtus, ſed omnis homo iuſtus eſt, & nullus homo iuſtus eſt, ſunt contrariæ, & contrariæ in quauis materia non poſſunt ſimul in veritate conuenire. Hinc ſimul has veras eſſe impoſſibile eſt. Hæ autem negatiua ſimplex, non omnis homo iuſtus,negatiua infinita,non omnis homo non iuſtus eſt, poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti; nam ſunt ſubcontrariæ,quoniam hæc, non omnis homo iuſtus eſt, ualet hanc, aliquis homo iuſtus non eſt: negatio namque determinationi oppoſitã propoſitionem reddit particularem. Hæc uero, omnis homo non iuſtus eſt, ualet hãc,aliquis homo iuſtus eſt,& ſic ſunt ſubcontrariæ,hoc eſt oppoſitæ contradictoriæ propoſitionibus cõtrariis, omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt, ut ante ſæpe fuit declaratum.

B Secunda regula,quam docet Ariſtoteles,conſequentia propoſitionum eſt,quòd ad negatiuam particularem de prędicato infinito, non omnis homo non iuſtus eſt; ſequitur affirmatiua ſimplex particularis, aliquis homo iuſtus eſt, & ad affirmatiuam uniuerſalem de prędicato infinito,omnis homo non iuſtus eſt,ſequitur negatiua ſimplex uniuerſalis, nullus homo iuſtus eſt,ut in figura ſequenti.

Negatiua particularis de prædicato infinito.	Non omnis homo non iuſtus eſt.	Omnis homo non iuſtus eſt.	Affirmatiua vniuerſalis de prędicato infinito.
	Infert.	Infert.	
Affirmatiua ſimplex particularis.	Aliquis homo iuſtus eſt.	Nullus homo iuſtus eſt.	Negatiua ſimplex vniuerſalis.

C Tertia regula eſt, quòd uniuerſalis affirmatiua de ſubiecto & prædicato infinito,omnis non homo eſt non iuſtus,infert uniuerſalem negatiuã de ſubiecto infinito,& prædicato finito, nullus non homo non eſt iuſtus,ut infra.

Affirmatiua de ſubiecto & prædicato infinito.	Omnis non homo eſt non iuſtus.	Infert.	Nullus non homo non eſt iuſtus.	Negatiua de ſubiecto infinito,& prædicato finito.

D Modo de omnibus ſupra declaratis facile eſt uidere eorum uſum in Iure ciuili.

Propoſitio de ſecundo adiacente habetur in l. etiam. ff. de adopt. *Cocus adoptare poteſt.*

Propoſitio de tertio adiacẽte reponitur Inſt. de oblig. in princ. *Obligatio eſt Iuris vinculum.*

Propoſitio de terminis finitis legitur in l. uſus. ff. de uſu & hab. *Vſus aquæ eſt perſonalis.*

Si huic propoſitioni addatur negatiò, ſubiecto,aut prędicato fiet propoſitio de terminis infinitis,ut habetur l. pupillus. ff. de auct. tut. ibi, *Tutor geſſit non bona fide.*

Propoſitio ſine terminatione uniuerſali enũciatur. Inſt. tit. de act. in princ. *Actio eſt ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur.*

Propoſitio cum terminatione uniuerſali ponitur in l. omnes tutores. C. arbitrium tutelæ. *Omnes tutores ad eundem iudicem ire debent.*

Propoſitio de uerbo ſubſtãtiuo in l. Labeo ſa 2. ff. de uerb. ſignif. *Contractus eſt vltro, citroq; obligatio.*

Propoſitio de uerbo adiectiuo, quæ dupliciter profertur,uel cum reſolutione, uel ſine reſolutione habetur in l. peculium. ff. de peculio. *Peculium augetur. Peculium eſt auctum.*

Propoſitiones de ſecundo adiacente in iure

E poſſunt multiplicari uſque ad uigintiquatuor.

Ratione qualitatis.

Ratione terminationis uniuerſalis.

Tractatus Tertius.

Ratione qualitatis multiplicantur. } In affirmatiuam. / In negatiuam. / Ex terminis finitis. / Ex terminis infinitis.

In affirmatiuam / In negatiuam ex terminis finitis. } Cœcus poteſt adoptare. / Cœcus non poteſt adoptare.

In affirmatiuam / In negatiuam ex terminis infinitis. } Non cœcus poteſt adoptare. / Non cœcus non poteſt adoptare.

Ratione terminationis vniuerſalis.

In affirmatiuam / In negatiuam ex terminis finitis. } Omnis cœcus poteſt adoptare. / Omnis cœcus non poteſt adoptare.

In affirmatiuam / In negatiuam ex terminis infinitis. } Omnis non cœcus poteſt adoptare. / Omnis non cœcus non poteſt adoptare.

A Et ſic euadunt octo, quæ per tria tẽpora præſens, præteritum, & futurum repetita creſcunt ad viginti quatuor.

B Eodem pacto in iure multiplicantur & propoſitiones de tertio adiacente.

Primo ſine terminatione vniuerſali.

Secundo cum terminatione vniuerſali.

Propoſitiones de tertio adiacente ſine ſigno vniuerſali multiplicantur vſque ad quatuor.

Prima Figura.

Affirmatiua ſimplex.	Obligatio eſt iuris vinculum.	Obligatio non eſt iuris vinculum.	Negatiua ſimplex.
Negatiua de prædicato infinito.	Obligatio non eſt non iuris vinculum.	Obligatio eſt non iuris vinculum.	Affirmatiua de prædicato infinito.

Et hunc in modum creſcunt vſque ad quatuor.

B Simili modo multiplicantur etiam propoſitiones de tertio adiacẽte cum ſigno vniuerſali.

Secunda Figura.

Affirmatiua ſimplex.	Omnes tutores debent ire ad iudicem eundem.	Non omnes tutores debent ire ad iudicem eundem.	Negatiua ſimplex.
Negatiua de prædicato infinito.	Non omnes tutores debent ire ad non iudicem eundẽ.	Omnes tutores debẽt ire ad non iudicem eundem.	Affirmatiua de prædicato infinito.

Et hoc modo pariter hę augẽtur ad quatuor.

C Multiplicantur inſuper etiam in iure propoſitiones de tertio adiacente, infinito exiſtente ſubiecto vſque ad quatuor.

Tertia Figura.

Affirmatiua ex ſubiecto infinito.	Non obligatio eſt iuris vinculum.	Non obligatio non eſt iuris vinculum.	Negatiua de ſubiecto infinito.
Negatiua ex ſubiecto & prædicato infinito.	Non obligatio non eſt, non iuris vinculum.	Non obligatio eſt non iuris vinculum.	Affirmatiua ex ſubiecto, & prædicato infinito.

D Pari ratione propoſitiones de verbo adiectiuo, ſi proferantur ſine reſolutione multiplicantur, vt illæ de ſecundo adiacente vſque ad viginti quatuor.

Ratione qualitatis.

Ratione terminationis vniuerſalis.

Ratione qualitatis multiplicantur. } In affirmatiuam. / In negatiuam. / Ex terminis finitis. / Ex terminis infinitis.

Vt pa-

Vt patet in ſequenti figura.

Affirmatiua ſimplex.	Peculium creſcit.	Peculium non creſcit.	Neg atiua ſimplex.
Affirmatiua de ſubiecto infinito.	Non peculium creſcit.	Non peculium non creſcit.	Negatiua de ſubiecto infinito.
Affirmatiua ſimplex cum terminatione.	Omne peculium creſcit.	Omne peculiũ non creſcit.	Negatiua ſimplex cum terminatione.
Affirmatiua de ſubiecto infinito cum terminatione.	Omne nõ peculiũ creſcit.	Omne nõ peculiũ nõ creſcit.	Negatiua de ſubiecto infinito cũ terminatione.

Et hunc in modum efficiuntur octo, & per A tria tempora multiplicatæ pręſens, præteritum, & futurum augentur ad uigintiquatuor.

Et ſi huiuſmodi propopoſitiones proferãtur cum reſolutione habent eaſdem regulas, & ordines, ut illæ de tertio adiacente.

Expedictus de ptimo Capite ſcilicet multiplicatione propoſitonum, accipio ſecundum caput, quomodo ſcilicet ſe conſequantur ad inuicem; eędem enim regulæ declaratæ in terminis logicalibus, poſſunt etiam faciliime demonſtrari in terminis legalibus. Accipiatur enim hæc propoſitio, de qua in l. pupillus. ff. de auctorit. tut. *Tutor geſſit bona fide.*

A Tunc dicamus, quòd ad hanc affirmatiuam ſimplicem tutor geſſit bona fide, ſequitur negatiua de prædicato infinito, tutor non geſſit non bona fide, ſicuti & negatiua priuatiua, tutor non geſſit mala fide, & ad hanc affirmatiuam de prædicato infinito, tutor geſſit non bona fide, ſequitur negatiua ſimplex, tutor non geſſit bona fide, ſicuti & affirmatiua priuatiua, tutor geſſit mala fide. in d. l. loco citato de maiori parte harum fit mẽtio: habetur etiam textus de propoſitione de tertio adiacẽte de prędicato infinito in l. is qui. ff. de dolo malo. ſed vt hęc magis eluceſcant, formo figuram ſequentem.

Affirmatiua ſimplex.	Tutor geſſit bona fide infert.	Tutor non geſſit bona fide infert.	Negatiua ſimplex.
Negatiua priuatiua.	Tutor nõ geſſit mala fide infert.	Tutor geſſit mala fide infert.	Affirmatiua priuatiua.
Negatiua de prædicato infinito.	Tutor non geſſit non bona fide.	Tutor geſſit non bona fide.	Affirmatiua de prædicato infinito.

Quod ſi ijſdem propoſitionibus addiderimus B ſignum vniuerſale, erit eadem conſequentia, ſcilicet ad hanc affirmatiuam ſimplicem cum terminatione, omnis tutor geſſit bona fide, ſequitur negatiua de prædicato infinito, non omnis tutor geſſit non bona fide, ſicut & negatiua priuatiua, non omnis tutor geſſit mala fide, & ad affirmatiuam de prædicato infinito, omnis tutor geſſit non bona fide, ſequitur negatiua ſimplex, non omnis tutor geſſit bona fide, ſicuti & affirmatiua priuatiua, omnis tutor geſſit mala fide, ut patet in figura ſequenti.

Affirmatiua ſimplex cum terminatione.	Omnis tutor geſſit bona fide, infert.	Non omnis tutor geſſit bona fide, infert.	Negatiua ſimplex cũ terminatione.
Negatiua priuatiua.	Non omnis tutor geſſit mala fide, infert.	Omnis tutor geſſit mala fide, infert.	Affirmatiua priuatiua.
Negatiua de prędicato infinito.	Non omnis tutor geſſit non bona fide.	Omnis tutor geſſit non bona fide.	Affirmatiua de prædicato infinito.

Erit itaque eadem conſequentia in his de tertio adiacẽte cum terminatione vniuerſali, ſicut & in ijs de tertio adiacente ſine terminatione. Verùm hęc extabit differentia inter has & illas, quòd angulares in prima figura tum affirmatiuæ, tum negatiuæ poſſunt eſſe ſimul veræ, At angulares in ſecunda figura non poſſunt omnes ſimul exiſtere veræ, ſed tantum negatiuæ, vt in prima figura affirmatiua ſimplex, tutor geſſit bona fide, & affirmatiua infinita, tutor geſſit non C bona fide, ſunt angulares, poſſuntq́; ſimul in veritate concordare: pariter negatiua ſimplex, tutor non geſſit bona fide, & negatiua de prædicato tranſpoſito, tutor non geſſit non bona fide, conſtituuntur angulares, & ſimul poſſunt exiſtere veræ, quia ſunt indefinitæ, quas ſimul veras eſſe contingit.

Sed in ſecũda figura, affirmatiua ſimplex, omnis tutor geſſit bona fide, & affirmatiua de prædicato infinito, omnis tutor geſſit non bona fide

de,ſunt ſingulares, & in veritate ſimul conueni- A re,minime valent,quoniam cõtrariæ ſunt, quia hęc,omnis tutor geſſit non bona fide,valet hãc, nullu tutor geſſit bona fide,quæ eſt contraria illi affirmatiuæ,omnis tutor geſſit bona fide; impoſſibile eſt autem cõtrarias eſſe ſimul veras; negatiua verò de prædicato infinito,nó omnis tutor geſſit nõ bona fide,& negatiua ſimplex, non omnis tutor geſſit bona fide,quę pariter ſunt ſingulares,poſſunt ſimul verificari:nam hæc negatiua de prædicato infinito, non omnis tutor geſſit non bona fide, valet hanc affirmatiuam parti B cularem,aliquis tutor geſſit bona fide,& hæc negatiua ſimplex,nó omnis tutor geſſit bona fide, valet hanc negatiuam particularem, aliquis tutor non geſſit bona fide, ſed aliquis tutor geſſit bona fide, & aliquis tutor non geſſit bona fide, ſunt ſubcontrarię; ſunt nãque oppoſitæ contradictorie ipſis propoſitionibus contrarijs, omnis tutor geſſit bona fide,nullus tutor geſſit bona fide. Hinc cõtingit quandoque ſimul veras exiſtere poſſe: & ſic vidimus quomodo prima regula cõſecutionis propoſitionũ vſum habeat in iure. C

Secunda regula etiam conſecutionis propoſitionum in iure obſeruari manifeſtum eſt,nempe quòd ad negatiuam de prædicato infinito particularem ſequitur affirmatiua ſimplex particularis, & ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex. Deſumatur enim de corpore iuris ex l.non omnia. ff. de minorib. huiuſmodi propoſitio particularis negatiua de prædicato infinito, nõ omnia geſta à minoribus ſunt non valida, ad ipſam ſequitur affirmatiua particularis, aliqua geſta à minoribus ſunt valida, vt ibi patet.

Pariter deſumatur ex l. legitimos.§.in legitimis.ff.de tutorib.hæc affirmatiua de prædicato infinito omnes fuerunt nõ ſatis dantes. Ad eam ſequitur negatiua ſimplex, nulli fuerũt ſatiſdantes, vt ibi conſtat, quinimo Doctores eo loci, & gloſa ibidem in verſiculo non ſatiſdederint, aſſerunt,quòd negatio poſtpoſita facit æquipollere ſuo contrario, vt tantum valeat dicere, omnis homo non currit, omnis homo eſt non currens,ac dicere,nullus homo currit,nullus homo eſt currens,& hæc,nullus homo non currit,nullus homo eſt non currens,æquipòllet huic, omnis homo currit,omnis homo eſt currẽs. Verùm ad hoc vt hęc ſecũda regula oculatim videatur, & reddatur magis clara; formo figurã ſequẽtem.

Negatiua particularis de prædicato infinito.	Non omnia geſta à minoribus ſunt non valida.	Omnes fuerunt non ſatisdantes.	Affirmatiua vniuerſalis de prędicato infinito.
	Infert.	Infert.	
Affirmatiua ſimplex particularis.	Aliqua geſta à minoribus ſunt valida.	Nulli fuerunt ſatiſdantes.	Negatiua ſimplex vniuerſalis.

Remanet vt videamus tertiam regulam,quo D modo in iure vniuerſalis affirmatiua de ſubiecto,& prædicato infinito, & vniuerſalis negatiua de ſubiecto infinito,& prædicato finito ęquipolleant.

Dico itaque,quòd hæc propoſitio vniuerſalis de ſubiecto, & prædicato infinito affirmatiua deſumpta ex terminis legalibus in Inſt.de ingenuis,omnis nõ ingenuus eſt non liber natus ęquipollet huic vniuerſali negatiuæ de ſubiecto infinito, & prædicato finito, nullus non ingenuus nõ eſt liber natus,quàm ſic in figura deſcribitur.

Affirmatiua de ſubiecto,& prædicato infinito.	Omnis non ingenuus eſt non liber natus.	Infert.	Nullus nõ ingenuus non eſt liber natus.	Negatiua de ſubiecto infinito,& prędicato finito.

Hęc eſt quæ de æquipollentijs dicẽda putaui; E eſt autẽ vtilis cognitio æquipollentiæ, cũ extet communis iſta iuris regula deſumpta in l.conditioni. C. de inſtit. & ſubſt. ſcilicet non referre quid ex æquipollentibus fiat, quæ ex iam declaratis clarius intelligitur.

Et hæc dicta ſatis ſuper hoc Capite.

De Vnitate, & Pluralitate enunciationis, ac coniunctis, & diuiſis Propoſitionibus. Caput Secundum.

F

AT vero vnũ de pluribus, vel plura de uno affirmare, uel negare, niſi ſit ùnum aliquid, quod ex pluribus ſignificatur, nõ eſt affirmatio, neque negatio una; dico autem unum, non ſi unum nomen poſitum ſit; non ſit autem unum aliquid ex illis, ut homo eſt fortaſſe; & animal, & bipes, & manſuetum, ſed ex his unum fit; ex albo autem, & homine, & ipſo ambulare non eſt unum: quare nec ſi unum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna; ſed vox quidem vna; affirmationes uerò multæ, nec ſi de uno iſta, ſed ſimiliter multæ.

Vtiliſſima pars ad præſentem materiam ſequitur exponenda, in qua agitur de Cõiunctis, & Di-

& Diuiſis propoſitionibus, vt ex eis doceat valere propoſitionem a coniunctis ad diuiſa, & è conuerſo.

Sed priuſquam aggrediatur eam partē, cum ſuperius egerit de identitate, & diuerſitate propoſitionis agit modo, ſed incedenter non ex profeſſo de vnitate & pluralitate propoſitionum, perfectaq; iſta parte ſtatim exorditur propoſitiones de ſenſu cōpoſito, & de ſenſu diuiſo. Dicit itaque Ariſtoteles, quod ſicuti in ſimplicibus vocibus ſignificare vnum tantum ſimplex contingit non ratione vocis, ſed ratione ſubiecti, & prædicati ſimplicis, vt hæc vox *Canis* videtur quidē ſignificare vnū, quia vna eſt vox; at ſignificat multa, quoniam ſignificat canem cæleſtē, marinū, & latrabilem; ſic etiam enunciationem eſſe multiplicem non contingit ratione plurimarum vocum, ſed ratione ſignificatorum; nam propoſitio poteſt eſſe vna, & multiplex ratione multiplicis ſubiecti, vel prædicati. Hæc propoſitio Homo, Bos, Leo, currit, eſt multiplex multiplicitate ſubiectorum: quamuis enim vnum ſit prædicatū, tamen ſubiectum eſt multiplex, & ſic non poteſt eſſe propoſitio vna: propoſitio verò eſt multiplex ratione prædicati multiplicis, vt cum dico, Homo, eſt, albus, Grammaticus, iſta non poteſt eſſe vna propoſitio, quia prædicata habent qualitates diſtinctas, quæ non poſſunt conſtituere vnam, & eandem propoſitionem. Propoſitio verò quę habebit plura ſubiecta, & plura prædicata tanto magis erit multiplex, vt Homo, leo, bos, currit, legit, dormit.

Propoſitio igitur eſt vna non ratione vocis, ſed vnitate ſubiecti, & prædicati, vt hæc propoſitio, Homo eſt animal rationale, mortale; quāuis voces ſint plures, tamen non eſt multiplex; ſed vna, propoſitio, quia vnum eſt ſignificatum: propoſitio autem eſt multiplex ratione ſubiecti multiplicis, vel prædicati, vel vtriuſque, vt hæc propoſitio, Canis currit, eſt multiplex: nā quamuis vox *canis* ſit vna, tamen propoſitio eſt multiplex, quia ſubiectum canis ſignificat multa: vnde ſicuti pluralitas vocum non immediate poſita efficit pluralitatem propoſitionis, ſic etiam è contrario; vnitas vocis aliquando facit propoſitionem pluralem, vt ſit hæc propoſitio, Homo eſt animal rationale, mortale, prædicatum conſtat tribus vocibus, tamen hæc propoſitio nō eſt multiplex, ſed vna; quia cum genus, & differentiæ habeant rationem materiæ, & formæ; genus quidem materiæ, differentia autem formę, & ex materia & forma non efficitur aliquod multiplex, ſed vnum; idcirco etiam hæc propoſitio, Homo eſt animal, rationale, mortale, eſt vna, quoniam conſtat ex genere, tanquam ex materia, ex differentijs tanquam ex forma; quamuis enim habeat pluralitatem vocis, nempe prædicati, tamen eſt vna, quoniam prædicatum eſt materia, & forma, & ex materia & forma non efficitur quid diuerſum, ſed vnum. Hæc verò propoſitio, Canis currit, è cōtrario, licet habeat vnitatem vocis, tamen eſt multiplex, quoniam ca-

A nis ſignificat multa; propterea propoſitio non dicitur vna, vel plures ratione vocis, ſed ratione rei, & ſignificati, & hoc eſt, quod determinat Ariſtoteles in præſenti parte, quando inquit, *At verò vnum de pluribus, vel plura de vno affirmare, vel negare.* Senſus eſt, non fieri affirmationem, aut negationem vnam, cum vnum de pluribus, vel plura de vno affirmamus, vel negamus; nam tunc ſit propoſitio multiplex, quæ eſt cum multa ſubiecta de vno prædicato dicuntur, vt cum dicimus, Homo, bos, leo, currit, & cū multa prę-

B dicata enunciantur de vno ſubiecto, vt homo, eſt, albus, Grammaticus, iuſtus; tūc inquam propoſitio erit multiplex; nam multa ſubiecta non poſſunt vnum ſignificare, neque multa prædicata efficiunt vnam propoſitionem, ſed multiplicem. *Niſi ſit vnum aliquid, quod ex pluribus ſignificatur, non eſt affirmatio, neque negatio vna.* Dicit Ariſtoteles, quòd cum multa ſubiecta de vno prædicato dicitur, vel multa prædicata de vno ſubiecto, non eſt vna propoſitio, ſed multiplex, niſi forte illæ particulæ multæ ſignificauerint

C vnum, & idem: tunc enim propoſitio non eſt multiplex, ſed vna tantum. *Dico autem vnum, non ſi vnum nomen poſitum ſit; non ſit autem vnum aliquid ex illis, vt homo eſt fortaſſe, & animal, & bipes, & manſuetum, ſed ex his vnum ſit; ex albo autem, & homine, & ipſo ambulare non eſt vnum.*

Exponit ſe ipſum Ariſtoteles quid intelligat per eſſe vnū, & eſſe multiplex, dicens, quòd propoſitio non eſt vna ſecundum vocem, vt Canis currit: hæc propoſitio non eſt vna, quamuis ha-

D beat vnitatem vocis, imò eſt multiplex, quia habet ſignificatum multiplex, & diuerſum; ſignificat enim latrabilem, ſydus, & piſcem, ſed intelligit quòd ſit vna ſecundum ſignificatum: nam quamuis ſit aliqua propoſitio, quę habeat plures voces, cum ſignificatum, erit vnum, erit quoque propoſitio vna, vt homo eſt animal māſuetum, bipes; hę voces ſignificant vnum, & idem; quare & propoſitio erit vna; illę namque voces plures, & particulæ illæ definitiuę ſignificant vnum, & idem, ſicuti materia, & forma efficiunt vnum: at

E cum dixero, Homo, eſt albus, ambulans, iſtæ particulæ in prædicato ſunt diuerſæ, & nō ſignicāt idem; quare etiam propoſitio erit multiplex. *Quare nec ſi vnum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna, ſed vox quidem vna, affirmationes verò multæ.* Dat exemplo de diffinitione, quæ licet habeat multas voces, tamen conſtituit propoſitionem vnam, & oſtenſo, quòd propoſitio multiplex eſt, quando multa ſubiecta de vno prædicato afferuntur, vel quando multa prædicata de vno ſubiecto, modo inquit, quòd cum hæc pro-

F poſitio non ſit vna, ſed multiplex; propterea nō poteſt eſſe affirmatio, vel negatio vna; nam ſit hæc propoſitio, Homo, bos, leo, currit, non erit propoſitio vna, nam poſſumus dicere, quod homo currit, leo currit, bos currit, quod idem eſt, quando multa prædicata de vno ſubiecto afferuntur, vt homo eſt animal, albus, iuſtus. Oratio

igitur

igitur multiplex non erit affirmatio, vel negatio vna, quia eſt pluris.

Notandum primo, quòd ſupra Ariſtoteles adiecit illam particulam, *Fortaſſe*, non quia dubitet hominem eſſe animal bipes, & manſuetum, ſed quia etiam partes definitionis niſi proferantur cum continuatione, poſſunt efficere orationem multiplicem; nam ſi proferantur illæ particulæ cum interpoſitione temporis, proferatur nunc, homo eſt animal, & interiecto aliquo temporis ſpatio, alia pronuncietur, puta bipes, & poſt aliquam moram proferatur mãſuetum; ex hoc interuallo exoritur pluralitas propoſitionis: appoſuit itaque Ariſtoteles, *fortaſſe*, denotans, quòd ſi particulæ definitiuæ vnum ſignificantes proferantur continuæ, erit vna propoſitio, quòd ſi diſcontinuæ efficientur plures.

Notandum ſecundo, quòd ideo adiecit copulam illam ter repetitam, *& animal, & bipes, & manſuetum*, vt denotet ad hoc, vt propoſitio ſit vna, requiritur continuatio.

Dubitatur contra id, quod dicit Ariſtoteles ex pluribus vocibus vnã effici propoſitionem, ſi namque erunt plures particulæ definitiuæ, & plura prædicata, tamen vnam effici propoſitionem aſſerit. Hoc enim videtur falſum: ſit namque hæc propoſitio, Homo eſt animal rationale, mortale. Hic plures ſunt voces, & prædicata; nam animal dicit conceptum diſtinctum a rationale, & mortale; & ſi conceptus differunt, ergo animal, rationale, & mortale erunt particulę diuerſæ; ergo ex iis non poteſt effici vna propoſitio, quomodo ergo ex pluribus ſit vnum?

Ad hanc difficultatem reſponderem, quòd plures voces poſſunt eſſe diuerſę duobus modis, vel cum ordine eſſentiali coniunctæ, & per ſe vel ſine ordine eſſentiali, & per ſe, diuerſę ſine ordine eſſentiali, & per ſe, vt homo, lapis, liber; nam in iis nullus eſt ordo eſſentialis, cum dico, ego habeo librum, ego habeo lapidem, iſtæ ſunt propoſitiones diſtinctæ: animal autem rationale, & mortale ſunt plures, & diuerſæ voces, ordine tamen eſſentiali coniunctæ, tanquam materia & forma. Partes igitur definitionis habẽt ordinem eſſentialem; idcirco ſunt aptæ efficere propoſitionem vnam. Et ad argumentum, cum dicit, res diuerſæ non conſtituunt vnum: concedo, res diuerſæ ſine ordine eſſentiali per ſe; nego tamen eas cum ordine eſſentiali coniunctas non cõſtituere vnam propoſitionem; quomodo intellexit Ariſtoteles, quando poſuit exemplum de imperfecta animalis definitione, & dicit, *quòd homo eſt animal, et bipes, & manſuetũ.*

Si ergo Dialectica interrogatio reſponſionis eſt petitio, vel propoſitionis, vel alterius partis contradictionis: propoſitio verò contradictionis eſt vnius pars, non erit vna reſponſio ad hæc; neque enim interrogatio

A vna, neque enim ſi ſit vera: dictum eſt autem de his in Topicis. Simul autem manifeſtum eſt, quòd nec hoc ipſum quid eſt, dialectica interrogatio eſt: oportet enim datũ eſſe ex interrogatione eligere, vtrã velit contradictionis partem enunciare; ſed oportet interrogantem determinare, vtrum hoc ſit homo, an non hoc.

B Declarata vnitate, & pluralitate propoſitionum oſtẽdit nunc vnitatem, & pluralitatem interrogationis, & reſpõſionis, & dicit, ſicuti propoſitio eſt vna, vel multiplex, ita etiam interrogatio, & reſponſio vel eſt vna, vel multiplex.

Propterea ſciendum eſt, quòd interrogatio vel eſt familiaris, & domeſtica, qua vtitur in cõuerſando cũ amicis, vt quanti emiſti equũ? cuius eſt hæc domus? iſtæ interrogationes dicũtur familiares, & domeſticę, & de his nõ loquitur Dialecticus. Alia eſt interrogatio, Dialectica, & Diſputatoria; quæ vocatᷓ diſputatoria, quia dat principiũ ſuccedenti diſputationi: Dialecticus enim poteſt diſputare, niſi prius interroget: & hoc euenit, quia Dialecticus non habet certum ſubiectum, & de hac loquitur Ariſtoteles, & hęc eſt petitio reſponſionis; nam petere reſponſionem, eſt munus ipſius interrogantis, vt cum interrogat aliquis, eſt ne animal iuſtum? iſte interrogat vt conſequatur reſponſionem, qua habita poſſit

D diſputare.

Petitio autem reſponſionis duplex eſt, vel petitio propoſitionis, vel petitio alterius partis cõtradictionis; nam modi interrogandi ſunt duo, vel cum vult vel affirmationem, vel negationẽ, vel cum vult propoſitionem in reſponſione, vt cum quis interrogat, eſt ne animal mortalis, vel immortalis? reſpondendum eſt, quòd eſt mortalis, vel immortalis, vtraque earum erit propoſitio. Pariter cum aliquis interrogat, eſt ne Deus finitæ, vel infinitæ virtutis? huic interrogationi

E nõ poſſumus reſpondere per alterã partem contradictionis, dicẽdo, eſt, vel non: nã ſi reſponderemus hũc in modum, erit ignotum quam partem determinamus: interdum ad interrogationem reſpondemus per alteram partem contradictionis tantum, dicendo, vel eſt, vel non, vt cum fit interrogatio, eſt ne animal mortalis? ſi reſpondemus, eſt, vel non, annuimus interroganti quid tenemus. Cum itaque dialectica interrogatio ſit petitio reſponſionis, & petitio vel propoſitionem, vel alteram partem contradictionis in

F reſponſione. Dicit Ariſtoteles, quòd ſicuti in propoſitione quando ſubiectum, & prædicatum eſt multiplex, etiam propoſitio multiplex eſt: eodem modo etiam quando ſubiectum & prædicatum eſt multiplex in interrogatione, & reſpõſione; interrogatio & reſponſio multiplex erit: ſi autem ſubiectum & prædicatum erit vnum, &

interroga-

interrogatio,& reſponſio erit vna, vt in hac, eſt ne homo prudens? interrogatio dicitur vna, & reſponſio erit vna; at in hac, eſt ne homo albus? muſicus? grammaticus? iſta eſt interrogatio multiplex, quare etiam reſponſio erit multiplex; & quamuis interrogatio ſit vna, non tamen valet; ergo eſt vera; non enim valet iſta interrogatio, iſta reſponſio eſt vna, ergo eſt vera, vt canis eſt ſubſtantia, hæc eſt vna, non tamen eſt vnum ſignificatum, nec eſt verum. Dicit itaque, *Si ergo Dialectica interrogatio reſponſionis eſt petitio, vel propoſitionis, vel alterius partis contradictionis: propoſitio uerò contradictionis eſt unius pars.*

Vult dicere Ariſtoteles, quòd cum interrogatio, quæ fit diſputandi gratia, ſit petitio reſponſionis; efficitur enim interrogatio, vt inde ueniat reſponſio, quæ præbeat aditum diſputationi; quæ reſponſio vel eſt integra propoſitio affirmatiua, vel negatiua, vel altera tantum pars contradictionis, vt puta, quando per ſignum ſimpliciter annuimus quid tenemus; qui enim poſtulat harum alterutrarum petit, *Non erit una reſpõſio ad hæc*, in huiuſmodi interrogationibus, in quibus ſicuti in propoſitionibus erit multiplicitas ſubiecti, & multiplicitas prædicati: & per cõſequens & in ipſis erit multiplicitas interrogationis, non erit reſponſio vna, ſed multiplex. *Neque enim interrogatio una, neque enim ſi ſit uera.*

Dupliciter poſſunt exponi hæc verba, hòc eſt, quòd etſi interrogatio ſit vna, non multiplex; tamen propterea non ſequitur neceſſario vt ſit vera: poteſt namque in ea reperiri multiplicitas ſignificati; & ſi vnitas ſit vocis, vt in propoſitionibus accidit.

Vel ſecundo exponendum, quòd quando interrogatio eſt multiplex, etſi reſpõſio vna ſequeretur vera, tamen non eſt facienda, vt cum quis interrogaret, eſt ne Aeneas Comes? Doctor? etſi verũ extiterit, vnica reſpõſione dicere eſt, tamẽ inquit Ariſtoteles nõ eſt ſic reſpondendum, ſed multiplex debet eſſe reſponſio, vt eſt Comes, eſt Doctor; & hæc videtur magis congrua verbis textus. *Dictum eſt autem de his in Topicis.* Dictum eſt de his, ſcilicet de modo interrogandi, & reſpondendi in Topicis. 1. namque Topicorum huiuſmodi tractatio habetur à Philoſopho. *Simul autem manifeſtum eſt, quòd nec hoc ipſum quid eſt, dialectica interrogatio eſt; oportet enim datum eſſe ex interrogatione, eligere utram uelit contradictionis partem enunciare.*

Diſtinguit in hac parte Ariſtoteles interrogationem, vt ſignificaret non omnes interrogationes eſſe dialecticas, quoniam præter dialecticam interrogationem, & eam, quę nos ſupra familiarem, & domeſticam eſſe diximus: Datur & alia interrogatio, quæ non eſt neque vulgaris, neque diſputatoria, vt interrogatio quid eſt animal, quid eſt homo, quid cælum, quid Deus; fit enim petitio definitionis Dei, & aliorum ſupradictorum; vnde reſpondentes oportet definire, & dicere, Deus eſt ſubſtãtia impaſſibilis, boni cauſa, Homo animal rationale, mortale; at dialecticã

A interrogatio nõ fit, vt animus interrogantis acquieſcat, ſed vt habita reſpõſione auſpicetur diſputare, & conetur aduerſarium vincere diſputando, & argumentando. Cum itaque docuerit, quòd interrogatio, & reſponſio vel eſt vna, vel plures, nunc docet, quòd qui interrogat quid de aliqua re, non facit dialecticá interrogationem, ſed ex alio genere ſumptã: ſiquidẽ illa petit determinationem quiditatis, ſeu definitionem rei vt acquieſcat; at dialectica non eſt ſic, ſed ipſa prębet anſam interrogato reſpondendi vel affirma
B tiue, vel negatiue: ponit enim reſponſũ in libertate reſpondentis, vt cõtra quam partem eligat, ipſe verò diſputet. *Sed oportet interrogantem determinare vtrum hoc ſit homo, an non*, hoc eſt ſi de ipſa definitione velimus formare dialecticam, & diſputatoriam interrogationem, non debemus percunctari quid homo ſit, quia tunc erit aliud genus terminationis, ſed potius nos determinate interrogare debemus, eſt ne homo animal rationale? hoc pacto namque præbebimus occaſionem interrogato eligendi, quam velit
C partem, quòd ſit, vel non ſit: & inde contra ſuſceptum argumentabimur, & diſputabimus.

Quoniam verò hæc quidem prædicãtur compoſita, ut unũ omne prędicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur, alia uerò non, quæ eſt differentia? De homine enim uerum eſt dicere, & extra animal, & extrã
D bipes, & hæc ut unum, & hominem, & album, & hæc ut unum, ſed non ſi Coriarius eſt, & bonus etiam Coriarius bonus.

Cum egerit de vnitate, & pluralitate enunciationis docens vnitatem eſſe, quãdo affertur vnũ de vno; pluralitatem autem quoties vel multa prædicata de vno ſubiecto afferuntur, vel multa ſubiecta de vno de prædicato, in hac parte, quæ
E eſt tum vtilis, tum difficilis agit de coniunctis, & diuiſis enunciationibus, & docet illas enunciationes verificare ſenſum diuiſum, & compoſitum, in quibus ineſt prædicatio ſecundum ſe eſſentialis, & nulla ineſt nugatio, ſeu repetitio: è contrario uerò illas propoſitiones non verificare ſenſum diuiſum, & compoſitum; in quibus ſunt prædicationes, accidẽtales, & eſt nugatio, ac inanis repetitio. Exponit autem Ariſtoteles hanc ſuam ſentẽtiam, quomodo ſcilicet verifi-
F cetur ſenſus compoſitus, & diuiſus, & quomodo non verificetur exemplo. Sẽſus diuiſus eſt, cum aliqua propoſitio ſumitur ſeparata ab altera: ſenſus autem compoſitus eſt, cum propoſitiones diſperſæ, & ſeiunctæ colliguntur, & fit vna propoſitio compoſita, cum dico, Homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt mortalis, vnaquaq; iſtarum propoſitionum eſt de ſenſu diui-

ſo,quo-

ſo, quoniam prædicatum animal ſeparatur a prę dicato rationali. Hæ igitur ſunt diuerſæ, & diſiunctæ, in his diuiſis valet argumentum a ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum: valet enim, ergo homo eſt animal rationale, mortale; & hæc eſt propoſitio de ſenſu compoſito, quia coniungit illa prædicata, quæ erant ſeiuncta, & diſperſa, & efficitur vna propoſitio compoſita. Interdum verò non valet propoſitio a ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum; nam cum formo hanc propoſitionem de ſenſu diuiſo, Cicero eſt bonus, & eſt Coriarius, non valet in ſenſu compoſito; ergo Cicero eſt bonus Coriarius; nā poteſt eſſe, quod Cicero ſit bonus quo ad mores, non autem quo ad artem ipſam Coriarij. Similiter aliquis dicitur eſſe prudens, & eſſe Philoſophus, non tamen valet; ergo eſt prudens Philoſophus; vnde patet quòd in ſenſu diuiſo multa verificantur; quæ tamen non verificentur in ſenſu compoſito: hoc autem accidit, quando prædicationes non ſunt eſſentiales, ſed accidentales.

Addit etiam vnum, quod inſuper in iſta forma argumentandi à ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum, vitanda eſt etiam repetitio, & nugatio, quia nedum nullam affert vtilitatem, imo etiā facit, vt propoſitio à ſenſu diuiſo ad ſenſum cōpoſitum non valeat, vt cum dicimus, Socrates eſt homo, & homo eſt albus, non valet; ergo Socrates eſt homo, homo albus: fit namque inanis repetitio, quoniam ſic procederetur in infinitū, quoniā etiā dicere poſſemus, homo eſt albus, & albus eſt; ergo homo eſt albus, albus, iſta eſt repetitio vana, & nugatio, quę nullā prębet vtilitatē; idcirco auferenda eſt ab ipſis propoſitionibus.

Ad hoc itaque vt propoſitiones de ſenſu diuiſo ſe habeant ad propoſitiones de ſenſu cōpoſito, duo ſunt euitanda, ſcilicet accidētalis prædicatio, & inutilis repetitio. In alijs verò omnibus propoſitionibus, quæ non habebunt accidentalem prædicationem, neque nugationem. Regula erit vera, quòd ſcilicet ualet argumentum a propoſitione de ſenſu diuiſo ad propoſitionem de ſenſu compoſito. Dicit igitur, *Quoniam verò hæc quidem prædicantur compoſita, vt unum omne prædicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur, alia uerò non, quæ eſt differentia?* Senſus eſt quando eorum, quæ ſunt, *extra*, ideſt quæ diuiſim prædicantur in ſenſu diuiſo, ut animal, rationale, mortale; nā dicimus, homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt mortalis. Hæc enim prędicata ſunt in ſenſu diuiſo, & ſeparato, quoniam inquam eorum, quæ prædicantur in ſenſu diuiſo, ſunt aliqua, quæ ita prędicantur, ut poſſint uerificari de ſenſu compoſito; aliqua uerò ita ſunt prædicata, ut non poſſint uerificari, quoniam non faciunt unam propoſitionem de ſenſu compoſito, quærenda eſt differentia iſtorum: uerba iſta uidentur eſſe ualde obſcura, ſed ſententia eſt facilis. Vult igitur dicere Ariſtoteles, cum eorum, quæ prædicantur in ſenſu diuiſo, alia ſint, quæ unam conſtituant propoſitionem compoſitam, ita vt a diuiſis valeat argumē-

A tum ad compoſita: alia verò ſint in ſenſu diuiſo item prædicata, vt non poſſint efficere vnam propoſitionem compoſitam, ita vt non valeat propoſitio in eis a ſenſu diuiſo ad compoſitam; petimus cauſam iſtius differentiæ. Prius autem Ariſtoteles affert exemplum eorum prædicatorum in ſenſu diuiſo, quæ verificantur etiam in ſenſu compoſito: deinde eorum, quæ quidem in ſenſu diuiſo verificari poſſunt, minime verò in ſenſu compoſito. *De homine enim uerum eſt dicere, & extra animal, & extra bipes, & hæc ut unum,* B *& hominem, & album, & hæc ut unum, ſed non ſi Coriarius eſt, & bonus etiam Coriarius bonus.*

Declarat rem iſtam Ariſtoteles exemplis, & primo oſtendit, quòd aliqua prædicata ſunt in ſenſu diuiſo, quæ etiā verificantur in ſenſu compoſito, cum dicimus diuiſim, & in ſenſu diuiſo, Cicero eſt homo, & Cicero eſt animal, & Cicero eſt bipes, valet etiam in ſenſu compoſito dicere, Cicero eſt homo, animal, bipes; ecce quomodo diuerſa prędicata in ſenſu diuiſo efficiunt vnam propoſitionem in ſenſu compoſito. Item dici- C mus in ſenſu diuiſo, Cicero eſt homo, & Cicero eſt albus, valet etiam in ſenſu compoſito; ergo Cicero eſt homo albus. Patet itaque duobus exemplis, quòd aliqua prædicata ſunt de ſenſu diuiſo, quæ efficiunt vnam propoſitionem de ſenſu compoſito. Tradit etiam exemplum, quòd aliqua prædicata ſunt de ſenſu diuiſo, quæ non efficiunt vnam propoſitionem de ſenſu compoſito, vt cum dicimus, Cicero eſt bonus, & Cicero eſt Coriarius, nō efficitur vna propoſitio de ſenſu compoſito, vt Cicero eſt bonus Coriarius: iſta D propoſitio eſt falſa propter æquiuocationē boni; nam bonum æquiuoce dicitur de bonitate moris, & bonitate artis: nam aliquem egregium artificem appellamus bonum; dicimus etiam aliquem eſſe bonum, qui bonis moribus præditus ſit. Cum itaque bonitas alio modo ſit in artibus, alio modo ſit in moribus, non tenet argumentum, Cicero eſt bonus, Cicero eſt Coriarius; ergo Cicero eſt bonus Coriarius: quoniam cum dicimus in ſenſu diuiſo, Cicero eſt bonus, accommodamus bonitatem moribus Ciceronis, non E autem arti Coriariæ.

Si enim quoniam utrumque uerū eſſe oportet, & ſimul utrumque multa inconuenientia erunt. De homine enim, & hominem uerum eſt dicere, & album, quare & omne; rurſum ſi album ipſum, & omne; quare erit homo albus, albus, & hoc in infini- F tum; & rurſus Muſicus albus, ambulans. & hęc eadem frequenter implicita in infinitū; amplius, ſi Socrates, Socrates eſt, & homo, & Socrates, Socrates homo, & ſi homo, & bipes,

erit

erit homo bipes. Quod igitur, ſi quis ſimpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifeſtum eſt; quemadmodum autem ponendum eſt, nuuc dicimus.

Continuat Ariſtoteles oſtendere, quòd non omnia prædicata in ſenſu diuiſo efficiũt vnam propoſitionem in sẽſu compoſito: nam inquit, ſi nulla eſt differentia inter prædicata in propoſitione de ſenſu diuiſo, & inter prędicata de sẽſu compoſito, ſed opinemur indifferenter vtráque, ideſt propoſitionem de ſenſu diuiſo, & propoſitionem de ſenſu compoſito idem eſſe, hoc eſt ſi opinati fuerimus indifferẽter omnem propoſitionem de ſenſu diuiſo efficere propoſitionem de ſenſu compoſito, multa contingent incõuenientia, & abſurda; nam fiet nugatio: nam cum dicimus in ſenſu diuiſo, homo eſt albus, & albus eſt; ergo etiam *Omne*, ideſt vtrumque, ſcilicet in sẽſu compoſito dicemus, homo eſt albus, albus: nam ſi dicimus, quòd indifferenter valet argumentum à diuiſis ad coniuncta, & verum eſt in ſenſu diuiſo dicere, homo eſt albus, & albus eſt; ergo in ſenſu compoſito dicetur, homo albus, albus eſt, & ſic committetur manifeſta nugatio, & inanis repetitio. Item verum eſt dicere in sẽſu diuiſo, homo eſt albus, albus, & albus eſt; ergo etiam verum erit dicere, homo eſt albus, albus, albus; ergo poterimus idem prædicatum ter, quaterq; fruſtra repetere; & ſic procedet in infinitum iſta nugatio, quòd fieret abitio in infinitum. Oſtẽdit altero exemplo: vt cum dicimus diuiſim, Muſicus eſt albus, & ambulans eſt, valeret Muſicus eſt albus ambulans: pariter ſi Muſicus eſt albus ambulans, & ambulans eſt: diceremus quoque in ſenſu compoſito, Muſicus eſt albus ambulans, ambulans; & ſic daretur abitio in infinitum. Et ſic probauit, quod ſi daretur hoc, ſcilicet propoſitionem de ſenſu diuiſo, indifferenter valere ad propoſitionem de ſenſu compoſito, quòd fieret vitioſa nugatio, & inanis repetitio, & quòd daretur proceſſus in infinitum. Probauit autem tum in terminis vniuerſalibus, vt cum dicebat, homo eſt albus, tum in accidentalibus, vt ambulans eſt muſicus, tũ etiam idem probat in terminis ſingularibus, quãdo dicit, ***amplius ſi Socrates, Socrates eſt***, & homo; patefacit itaquam, quòd in quacunque propoſitone daretur proceſſus in infinitum, & fieret vitioſa nugatio. Quare duabus rationibus oſtẽdit Ariſtoteles nõ omnia prædicata in propoſitione de ſenſu diuiſo efficere vnam propoſitionem de ſenſu compoſito.

Prima fuit, quoniam ſequeretur cum diuiſim dico, Cicero eſt bonus, & coriarius, quòd in propoſitione de ſenſu compoſito valeret, ergo Cicero eſt bonus coriarius, quod eſt falſum; quia illa bonitas accommodatur moribus, non arti.

A Secunda inſtantia fuit, quoniam ſi hoc eſſet, daretur manifeſta nugatio, & abitio in infinitũ. Non igitur eſt dicendum ſemper abſolute, & vniuerſaliter, quòd valet argumentum a diuiſis ad coniuncta; nam ſequerentur duo incommoda, ſcilicet, quòd committeremus manifeſtam falſitatem, ſecundum quod committeremus nugationem, & daretur proceſſus in infinitum.

Proſequitur propterea Ariſtoteles determinare quid tenẽdum ſit, & ſicuti ipſe attulit duas inſtantias, oſtendens, quod non ſemper valet ar- B gumentum à diuiſis ad ſenſum compoſitum; ſic etiam affert duas regulas, & conditiones, vt valeat argumentum tale, ſcilicet à diuiſis ad coniuncta. Prima pertinet ad prędicationem eſſentialem. Secunda pertinet ad prædicationem ſine nugatione.

Prima regula opus eſt, vt prædicata ſint eſſentialia, non accidentalia.

Secunda opus eſt, vt in prædicationibus nequaquam ſit negatio aliqua: & inquit,

C **Eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque ſecundum accidens dicuntur vel de eodem, vel alterum de altero, hæc non erunt unum, vt homo albus eſt & muſicus; ſed non eſt vnũ album, & muſicum: accidentia enim ſunt utraque, nec ſi album, muſicum D uerum eſt dicere, tamen non erit album muſicum vnum aliquid; ſecundum accidens enim album muſicum; quare non erit album muſicum vnum aliquid. Quocirca nec coriarius bonus ſimpliciter, ſed animal bipes, non enim ſecundum accidens, amplius nec quæcunque inſunt in al- E tero: quare neque album frequẽter, neque homo, homo animal eſt, vel bipes; inſũt enim in homine animal, & bipes.**

Docet Ariſtoteles in præſenti parte, quòd cũ prędicationes habebunt iſtas duas regulas, quòd ſint eſſentiales, & ſine nugatione, tunc valebit ſemper argumentum a diuiſis ad coniuncta, & ſic proceſſus in infinitum ceſſabit, & manifeſta F falſitas. Dicit ergo, ***Eorum igitur quæ prædicantur***, ſcilicet de ſubiecto, ***& de quibus prædicari accidit***, & prædicatio eſt accidentalis, quæ eſt, uel quando accidens prædicatur de ſubiecto, vt lignum eſt album, vel eſt, cum alterum accidens de accidente prædicatur, vt album eſt ambulans, cum vtraque etiam fuerit accidẽtalis in propoſitione de

ne de ſenſu diuiſo, non faciunt propoſitionem vnam de ſenſu compoſito, quoniam ex albo, & muſico non fit vnum, cum vtraque ſint accidentia. Diſtinguit itaque prædicata, & dicit, quód quando inter prædicata occurrent prædicationes accidentales, ita vt accidentia prædicentur de ſubiecto, vt cum dicimus, lignum eſt album, non valebit argumentum a diuiſis ad coniūcta, & tanto minus quando alterum de altero accidente prædicatur, vt quando dixerimus, album eſt muſicum, & ambulans; in qua prædicatione, vt ita dixerim, videtur maior accidentalitas. Quando veró prædicata ſunt eſſentialia, & per ſe, tūc faciunt vnam propoſitionem in ſenſu cōpoſito, vt homo eſt animal, & bipes, in eodem ſubiecto eſt animal, & bipes, & prædicata ſunt per ſe, & eſſentialia, propterea etiam faciūt eandem propoſitionem in ſenſu compoſito, homo eſt animal bipes.

Quare ad hoc vt propoſitio de ſenſu diuiſo efficiatur eadem, cum ea in ſenſu compoſito, vt prædicatio ſit eſſentialis, opus eſt, & hactenus habemus primam conditionem ad hoc vt valeat; Argumentum à diuiſis ad compoſita, quæ prima conditio tollit primam inſtantiam, & primum inconueniens, quod afferebat Ariſtoteles. *Amplius, nec quæcunque inſunt in altero, quare neque album frequenter, neque homo, homo animal eſt, vel bipes; inſunt enim in homine animal, & bipes.* Affert in his verbis ſecundam regulam; qua remouet ex propoſitionibus nugationem.

Vnde ſciendum eſt, quód illa, quæ continentur in alio bifariam ſunt, quædam ſunt, quæ in alio continetur manifeſte, & explicite, & ſunt illa, quæ non differunt niſi ſola voce, vt hæc, mucro, gladius, enſis; quædam veró ſunt, quæ continentur in alio virtualiter, & occulte, ſeu implicite, vt ſunt illa, quorum vnū includit alterum, vt bipes virtualiter continetur ſub animali; ſi enim eſt animal, ergo eſt bipes, & vtrumque ſub homine. Cum igitur dicimus homo eſt animal, & bipes, hic eſt occulta nugatio virtualiter, quoniam animal continet bipes, & homo animal, & bipes occulte tamen. Vult igitur Ariſtoteles hac ſecunda regula remouere nugationem, quę erat ſecundum incōueniens, vel hæc nugatio ſit manifeſta; cum dicimus freqnenter hominem eſſe album, dicendo ſic, homo eſt albus, & albus eſt, ergo homo eſt albus, albus vel etiam hæc nugatio ſit occulta vt cum dicitur, homo eſt animal, homo eſt bipes, ergo homo eſt animal & bipes, ibi frequenter albus repetitur, hic implicite in homine & animal, & bipes repetitur.

Remouet igitur Ariſtoteles hanc nugationē, dicens, quod ad hoc vt valeat argumentum a diuiſis ad coniuncta, opus eſt vt non ſit nugatio, neque manifeſta, neque occulta. Vnde concludit, quod ſi volumus propoſitionem de ſenſu diuiſo valere ad propoſitionem de ſenſu compoſito, opus eſt, vt propoſitio diuiſa habeat has duas regulas; prima vt prædicatio ſit eſſentialis, ſecunda vt in prædicatione non ſit nu-

A gatio neque occulta, neque manifeſta.

Sed oritur difficultas, nam ſupra quando Ariſtoteles tradidit primam conditionem dicit, quód propoſitio de ſenſu diuiſo ad hoc vt efficiatur de ſenſu cōpoſito, opus eſt vt non habeat prædicationem accidentalem, ſed eſſentialem; ſed hoc videtur falſum; nam idem Ariſtoteles oſtēdens valere argumentum a diuiſis ad compoſita, affert exemplum, in quo eſt prædicatio accidentalis: dicit enim quód valet, Cicero eſt homo, & albus; ergo Cicero eſt homo albus.

B Reſpondetur, quód Ariſtoteles non negat abſolute, quód interdum propoſitio de ſenſu diuiſo non efficiatur de ſenſu cōpoſito, licet habeat prædicationem accidentalem, vt in exēplo patet; ſed Ariſtoteles negat, quód valeat ſēper argumentum à diuiſis ad compoſita, quando prędicatum eſt accidentale, quoniam non ſemper valet à diuiſis ad compoſita, quando ſit prædicatio accidentalis: hoc enim eſt de raro contingenti vt valeat, quando prędicatum eſt accidentale; ſed regula non eſt aſſignanda de his, quę raro

C fiunt, ſed de his, quæ ſemper: idcirco Ariſtoteles uoluit conſtituere regulam ab ijs, quæ ſemper ita ſe habent: & ideo dicit, quód opus eſt, quód prædicatum ſit eſſentiale: ſi enim prædicatum erit eſſentiale, ſemper ualebit argumentum á diuiſis ad compoſita; ſemper namque propoſitiones de ſenſu diuiſo ſi habebunt prædicationes eſſentiales, uerificabuntur in ſenſu compoſito.

Secunda eſt difficultas circa ſecundam regulam: dicit namque, quòd ad hoc ut ualeat argu-

D metum a diuiſis ad compoſita, pręter quod opus eſt ut prædicatum ſit eſſentialis, requiritur inſuper, quòd non ſit nugatio, uel occulta, uel manifeſta; & dans exemplum de occulta nugatione, accipit hominē, in quo implicite includitur & animal, & bipes, & aſſerit, quòd ſi dixerimus, Homo eſt animal, homo eſt bipes, & deinde, efficiamus compoſitam propoſitionem, ergo eſt homo animal bipes, quòd erit uitioſa propoſitio: uerùm cōtra ſupra dixit, quādo in principio quæſiuit quare quædam prędicata uerificentur

E de aliquo, & coniunctim, & diuiſim, quędā uerò non, & tradens exemplum de iſ prędicatis, quę conſtituunt compoſitam enūciationem, ſtatuit, quòd ſi accipiatur diuiſim, quòd homo ſit animal, & quòd homo ſit bipes, ualebit in ſenſu cōpoſito hęc propoſitio, ergo eſt animal bipes: quapropter uidetur in paucis uerbis ſibi contraria proferre.

Reſpondetur, quòd quādo Ariſtoteles aſſeruit ualere propoſitionem compoſitam uerificari huiuſmodi prędicata diuiſim accepta, ſcilicet

F animal, bipes, tunc tēporis ait ualere huiuſmodi propoſitiones ratione habita ſimpliciter ad primam conditionem, & primum impedimentum non abſolute, quoniam reſpectu habito ad ſecundum impedimentum, non ualet; & hanc ſecundam conſiderationem in mentem habuit poſtremo loco.

Et

Et propterea in principio Capitis dixit; *Fortaſſe*, & animal, & bipes, & manſuetum vnam conſtituunt propoſitionem, quoniam ſi diuiſim accipiantur, & velimus à diuiſis ad coniuncta argumentari, etſi conſtituatur vera propoſitio compoſita, tamen erit nugatoria, & vitioſa.

Verum eſt autem dicere de aliquo, & ſimpliciter vt aliquem hominem hominem, aut aliquem album hominem, hominem album, non autem ſemper, ſed quando in adiecto quidem aliquid oppoſitorum inſit, quod conſequitur contradictio, non verum, ſed falſum eſt, vt hominem mortuum, hominem dicere. Quando autem non inſit, verum, aut, quando inſit quidem, ſemper non verum eſt: quando verò non inſit, non ſemper verum eſt, vt Homerus eſt aliquid; vt Poeta; vtrum igitur eſt, an non? Secundum accidens enim prædicatur, eſt, de Homero (quòd enim eſt Poeta) ſed non ſecundum ſe prædicatur de Homero, ipſum eſt. Quare in quibuſcunque prædicationibus neque contrarietas ineſt, ſi definitiones pro nominibus dicantur; & ſecundum ſe prædicentur, & non ſecundum accidens, in his, aliquid & ſimpliciter verum erit dicere; quod autem non eſt, quoniam opinabile eſt, non eſt verum dicere eſſe aliquid: opinio enim eius eſt, non quid eſt, ſed quod non eſt.

Cum duæ ſint formæ arguendi in materia de ſenſu diuiſo, & compoſito, vna quidem, qua procedimus à diuiſis ad compoſita, quæ iam ſuperius declarata eſt, nunc vult ſecundam docere, qua nam ratione procedimus, ſcilicet à compoſitis ad diuiſa.

Et licet videantur iſtæ duæ formæ eſſe eædem, non tamen ſunt, imò non eſt nec eadem ratio arguendi, nec eadem conditio requiritur in vna, quàm in altera; nam differunt ſecundum ordinem arguendi, & ſecundum conditionem:

A propterea nil mirum videri debet, ſi de vtraque forma ſeparatim agit.

Quare docet in hac parte ſecundam formam arguendi, qua procedimus à ſenſu compoſito ad ſenſum diuiſum: & hic modus procedendi à compoſitis ad diuiſa, interdum eſt verus, interdum etiam falſus. Verus eſt, quando dico, Socrates eſt animal rationale, quæ propoſitio eſt de ſenſu compoſito; valet etiam propoſitio hæc in ſenſu diuiſo, Socrates eſt animal, Socrates eſt rationale, & hoc pacto valet argumẽtum à com B poſitis ad diuiſa: quandoque verò iſta forma videtur falſa, vt cum in ſenſu compoſito dico, Cicero eſt bonus Orator, ergo Cicero eſt bonus, in ſenſu diuiſo iſta forma eſt falſa, quoniam poteſt eſſe bonus orator, ideſt excellens, & non bonus bonitate morum. Item in ſenſu compoſito verum eſt dicere, Homerus eſt Poeta, tamen in ſenſu diuiſo non valet, ergo Homerus eſt. Eſt namque vera propoſitio hæc, Cicero eſt homo mortuus in ſenſu compoſito; at non eſt vera in ſenſu diuiſo; ergo Cicero eſt homo, quoniam C eſt falſa.

Rurſus Ariſtoteles tradit tertium exemplum, vt in ſenſu compoſito verum eſt dicere, Chimera eſt ens imaginabile, quoniam poſſumus per imaginationem concipere chimeram, tamen non ſequitur in ſenſu diuiſo; ergo chimera eſt ens, quoniam hoc eſt falſum. Cum itaque hæc ſecunda forma procedendi à compoſitis ad diuiſa modo veritatem, modo falſitatem recipiat.

Petit Ariſtoteles cauſam huius differentiæ, D & quomodo ſit aſſignanda regula, vt illa forma vera ſit.

In aſſignanda autem hæc regula monet duo obſeruanda:

Primum, quòd verbum ſubſtantiuum, quod in propoſitione accipitur, ſubſtantiam indicet, non accidens, vt cum dico, Homo eſt iuſtus, in hac propoſitione verbum ſubſtantiuum denotat, & ſignificat accidens, ideſt iuſtus. At cum dico, Homo eſt animal, verbum ipſum denotat ſubſtantiam; & coniungit prædicatum ſubſtan E tiale cum homine.

Secundum, quòd ad hoc vt propoſitio compoſita ad diuiſa valeat verificari, cauendum eſt, ne in terminis aſſumptis ſit repugnantia in adiecto. Quid ſit verò repugnantia in adiecto, exemplis patefacit. Sit iſta propoſitio, Cicero eſt homo mortuus; in hac propoſitione termini ſunt inter ſe oppoſiti, & repugnantes: Iſta autem repugnantia cognoſcitur definitione, nam ſi definiamus, hominem eſſe corpus animatum, rationale, mortale, mortuum, erit corpus inanima F tum, irrationale. Cum igitur in terminis eſt repugnantia, non valet argumentum à compoſitis ad diuiſa: dicimus enim in ſenſu compoſito, Cicero eſt homo mortuus, non tamen valet in ſenſu diuiſo, ergo Cicero eſt homo, quoniam eſt repugnantia in terminis, quæ repugnantia co-

gnoſcitur ex eorum definitione; pariter inter ens,& opinabile:idcirco quamuis in ſenſu compoſito dicamus,Chimera eſt ens opinabile, non tamen valet in ſenſu diuiſo, ergo chimera eſt ens: nā ens nō habet eſſe per opinionem aliquā: ſed quia re ipſa ita eſt;ens vero opinabile: idcirco dicitur ens, quatenus eſt in opinione hominum: Quare patet, quod non valet, ergo chimera eſt ens, quoniam eſt pugnantia in terminis. Tradit igitur Ariſtoteles regulam, vt ſciamus cognoſcere quando valet propoſitio de ſenſu compoſito ad propoſitionem de ſenſu diuiſo. Regula autem ſtat in his duabus conditionibus.

Quod opus eſt primo,vt verbū ſubſtantiuum ſit pro ſubſtantia,non pro accidenti.

Secundo, quod in terminis aſſumptis non ſit pugnantia; quæ pugnantia cognoſcitur per definitionem terminorum. Dicit igitur, *Verum eſt autem dicere de aliquo, & ſimpliciter, vt aliquem hominem, hominem, aut aliquam album hominem, hominem album, non autem ſemper*. Senſus eſt, verum eſt dicere de aliquo ſubiecto, & ſimpliciter, ideſt de propoſitione in ſenſu compoſito, & etiam in ſenſu diuiſo, vult dicere, quòd valet argumentum, procedendo à compoſitis ad diuiſa, vt patet in hoc exemplo. Dicimus namque in ſenſu compoſito, Socrates eſt homo albus, eſt etiam verum dicere in ſenſu diuiſo; ergo Socrates eſt albus, Socrates eſt homo. *Sed quando in adiecto quidem aliquid oppoſitorum inſit, quod conſequitur contradictio, non verum, ſed falſum eſt, ut hominem mortuum hominem dicere*. Probauit Ariſtoteles in aliquibus propoſitionibus, verum eſſe argumentum a compoſitis ad diuiſa, quando illæ duæ reperiuntur conditiones, quòd ſcilicet verbum ſubſtantiuum denotat ſubſtantiam, non autem accidens; & cum nulla eſt pugnantia in terminis. Nunc vult oſtendere, quòd in aliquibus non valet argumentum a compoſitis ad diuiſa, vt cum dicimus, Cicero eſt homo mortuus, verum eſt hoc. At non valet in ſenſu diuiſo, ergo Cicero eſt homo; nam pugnant termini, vt videre eſt in eorum definitione. *Quando autem non inſit; uerum, aut, quando inſit quidem, ſemper non uerum eſt; quando uerò non inſit non ſemper uerum eſt, ut Homerus eſt aliquid, ut Poeta, utrum igitur eſt, an non? ſecundum accidens enim prædicatur, eſt, de Homero (quod enim eſt Poeta) ſed non ſecundum ſe prædicatur de Homero ipſum eſt.*

Cum ſupra oſtenderit,quod in aliquibus non valet argumentum a compoſitis ad diuiſa,quando ſcilicet in adiecto termino adeſt repugnantia,modo ſtatim enunciat,quòd ſi non adſit repugnantia in propoſitionibus,verum eſt procedere à compoſitis ad diuiſa.

Et quia fortaſſe videbatur pati aliquam difficultatem dicere ſimpliciter, quòd quando adeſt

A pugnantia terminorum non valet argumentum, & quando non adeſt abſolute valet argumentum à compoſitis, ſcilicet ad diuiſa: propterea quod etiā non adſit pugnantia terminorum,tamen non ſemper propoſitio de ſenſu diuiſo verificatur in ſenſu compoſito,defectu ſcilicet alterius conditionis, ex eo quod ſit aliud impedimentum, nempe quod verbum denotet accidens, non ſubſtantiam.

Idcirco Ariſtoteles immediate quaſi dictum ſuum coarctat, & inquit, vel enunciare debe-

B mus pugnantia exiſtente non verificari propoſitionem de ſenſu compoſito in ſenſu diuiſo, ea verò non exiſtente verificari: aut dicere debemus, quòd quando in propoſitionibus ineſt pugnantia, nunquam verum eſt procedere à compoſitis ad diuiſa, & quando non eſt pugnantia, non tamen verum eſt dicere, quòd ſemper valeat argumentum a compoſitis ad diuiſa, quoniam licet non ſit pugnantia, tamen propoſitio compoſita poteſt impediri altero impedimento, quin verificetur in ſenſu diuiſo, ſcili-

C cet quandò verbum ſubſtantiuum ſtat pro accidente, non pro ſubſtantia; vt cum dicimus in ſenſu compoſito, Homerus eſt Poeta, non valet tamen in ſenſu diuiſo, ergo Homerus eſt: quapropter licet in hac propoſitione nulla ſit pugnantia, tamen adhuc impeditur, quòd non poſſit verificari in ſenſu diuiſo; ratio eſt, quoniam verbum ſubſtantiuum ſtat pro accidente, quoniam denotat, & ſignificat accidens, ideſt Poetam: ſed oportet vlterius vt ipſum verbum ſubſtantiuum denotet prædicatum eſſentiale,

D & ſic valeret etiam in ſenſu diuiſo; & quoniam iſta ſunt aliquantulum difficilia, ideo dicamus cum Ariſtotele, quòd quando in terminis propoſitionum eſt pugnantia, & oppoſitio, non eſt verum dicere, quod procedamus a compoſitis ad diuiſa, vt cum in propoſitione compoſita dico, Cicero eſt homo mortuus, non valet in ſenſu diuiſo; ergo Cicero eſt homo; imò hoc eſt falſum, quoniam ſtat pugnantia in terminis; ſed tunc fit verus modus procedendi à compoſitis ad diuiſa, quando non ineſt pu-

E gnantia: at ſemper tamen non eſt verus iſte modus procedendi, quamuis non ſit pugnantia; nam poteſt impediri altero inconuenienti, cum ſcilicet ſubſtantiuum verbum non ſtat per ſe, & ſubſtantialiter, ſed ſtat per accidens, vt cum dico, Homerus eſt Poeta, non valet in diuiſis, ergo Homerus eſt; quoniam illud verbum eſt, denotat accidens, ſcilicet Poetam, non autem prædicatum ſubſtantiale. *Quare in quibuſcunque prædicationibus neque contrarietas*

F *ineſt, ſi definitiones pro nominibus dicantur, & ſecundum ſe prædicentur, & non ſecundum accidens, in his, aliquid & ſimpliciter uerum erit dicere*. Colligit ſeipſum Ariſtoteles, quòd in omnibus propoſitionibus, in quibus non erit pugnantia terminorum, quæ pugnantia cognoſcitur ex eorum definitione, in ijs inquam propoſitionibus,

in qui-

in quibus inſunt illæ duæ conditiones. Quarum prima eſt, quòd non habeat pugnantiam; ſecunda, quòd non habeat accidentale verbum; ſed quòd verbum ſit pro ſubſtantiali prędicato, erit forma procedendi à compoſitis ad diuiſa. *Quod autem non eſt, quoniam opinabile eſt, non eſt verum dicere eſſe aliquid: opinio enim eius eſt, non quid eſt, ſed quod non eſt.*

Confirmatur etiam exẽplo de chimera, quod oportet ſi volumus formam eſſe veram arguendi à compoſitis ad diuiſa, vt ſit prima conditio, quòd ſcilicet propoſitiones non habeant pugnantiam; nam verum eſt dicere in ſenſu compoſito, chimera eſt ens opinabile, ſed non valet in ſenſu diuiſo; ergo chimera eſt ens: nam illud, quod eſt, non dicitur per opinionem noſtrã eſſe, ſed quoniam ita ſit; ſed chimera dicitur ens opinabile propter hoc, quoniam opinamur eſſe illa, quæ non ſunt; chimera igitur non eſt, cum dicatur eſſe propter noſtram imaginationem.

Notandum, quòd opinio ſumitur duobus modis, vel pro potentia cognoſcente ipſa contingentia, vel ſumitur pro phantaſia.

Opinio quando ſumitur pro potentia cognoſcente ipſa contingentia, vera eſt, vt cum opinor hominem ambulare, Socratem ſedere.

Opinio autem, quæ accipitur pro phantaſia, pro eo, quod non eſt accipitur, nam phantaſia accipit falſum. Quando itaque Ariſtoteles dicit chimeram eſſe ens opinabile, quod ens non eſt, cum opinio concipiat falſum, intelligit opinionem non pro potentia cognoſcente contingentia, ſed opinionẽ pro phantaſia, quæ cõcipit falſum. Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Secundo Capite de Coniunctis & Diuiſis propoſitionibus pro Iuris Studioſis.

DVo deſumuntur declarata ab Ariſtotele in præſenti Capite ad vſum, & commodum Iuriſtarum. Docuit enim duplicem formam arguendi, qua etiam Iuris ſtudioſus vti valet.

Prima forma arguendi extitit à compoſitis ad diuiſa.

Secunda forma arguendi extitit a diuiſis ad compoſita.

Vnde prò notitia dicendorum in præſenti repetendum eſt. Primo, quòd prædicatio duplex eſt, altera eſſentialis, vt cum dico, homo eſt animal, rationale, mortale. Animal, rationale, mortale, ſunt prædicata eſſentialia ipſius hominis: conſtituunt enim ipſius eſſentialem definitionem. Altera eſt prædicatio accidentalis, vt cum dico, homò eſt bonus Legiſta; bonus, & Legiſta ſunt prædicata accidentalia ipſius hominis: accidit enim homini eſſe bonum, etiam quoque eſſe Legiſtam.

A Secundo repetendum, quod propoſitio ſiue ſit eſſentialis, ſiue accidentalis prædicati. Pariter adhuc eſt duplex; alia propoſitio eſt de terminis, & ſenſu diuiſo, vt cum dico, homo eſt animal, homo eſt rationalis; pariter homo eſt bonus, homo eſt legiſta: alia eſt de terminis, & ſenſu compoſito, vt homo eſt animal rationale, homo eſt bonus legiſta.

His ſtantibus, prima forma arguendi, quam docuit Ariſtoteles, fuit a compoſitis ad diuiſa, in qua docuit, quæ ſint remouenda impedimen-

B ta, & quæ conditiones ſint ſeruandæ.

Quo ad impedimenta cauendum eſt, quin prædicatio ſit accidentalis, ſecundũ quin reperiatur nugatio.

Vnde duo eliciuntur regulæ obſeruandæ, ſeu conditiones, ad hoc vt prædicta argumentatio ſit vera.

Prima conditio, quòd prædicatio ſit eſſentialis.

Secunda conditio, quòd non exiſtat inanis repetitio, ſiue manifeſta, ſiue occulta.

C Declaro exemplis, ſint hæ propoſitiones de ſenſu diuiſo, homo eſt animal, homo eſt rationalis, quia prædicata ſunt eſſentialia, verificant propoſitionem de ſenſu compoſito, homo eſt animal rationale: nam animal, & rationale conſtituunt eſſentialem hominis definitionem: at ſi ſint hæ, homo eſt bonus, homo eſt legiſta, hæ duæ propoſitiones de ſenſu diuiſo non conſtituunt propoſitionem compoſitam, ergo homo eſt bonus, legiſta: poteſt namque quiſpiam eſſe moribus præditus, quin

D ſit legibus peritus, & accedit vtrumque ipſi homini.

Quapropter ad hoc vt valeat prima forma arguendi a compoſitis ad diuiſa, requiritur hæc prima conditio, quòd prædicata ſint eſſentialia.

Verum hæc conditio ſola non eſt ſufficiens, ſed requiritur alia, ſcilicet quòd in propoſitionibus non ſit nugatio, ſeu inanis repetitio terminorum, ſiue manifeſta, ſiue occulta, alioquin vitioſa erit hæc argumentandi forma. Nam ſi

E dixero, homo eſt animal, animal eſt; ergo homo eſt animal animal, erit manifeſta nugatio, & proinde vitioſa argumentatio; cum enim idem terminus frequenter repetitur, non valet argumentandi forma, quoniam ſic poſſet fieri abitio in infinitum. Pariter ſi dixero, homo eſt animal, homo eſt bipes; ergo in ſenſu compoſito homo eſt animal bipes, erit vitioſa argumentatio; ſiquidem in terminis reperitur occulta nugatio, & repetitio; eo quoniam in

F homine & animal, & bipes implicite includitur.

Ad hoc itaque vt valeat prima hæc argumentandi forma, ſcilicet a compoſitis ad diuiſa requiruntur duæ conditiones.

Prima, quòd prædicata ſint eſſentialia, non accidentalia.

Secunda, quòd in propoſitionibus non ſit nugatio, & inanis terminorum repetitio, ſiue manifeſta, ſiue occulta.

Quo ad ſecundam formam argumentandi à compoſitis ſcilicet ad diuiſa, pariter ut ea ſit vera, requiruntur duæ conditiones.

Prima conditio eſt, quòd in propoſitionibus non adſit pugnantia terminorum, quæ cognoſcitur per eorum definitionem; vt ſi dixero, Franciſcus Piccolomineus eſt homo mortuus, non valet in ſenſu diuiſo; ergo Franciſcus Piccolomineus eſt homo, quoniam adeſt pugnantia terminorũ in hac propoſitione; homo namque, & mortuus ſunt termini oppoſiti, & repugnantes, quæ repugnantia cognoſcitur per definitionem eorundem terminorum: nam homo definitur, quòd ſit corpus animatum, rationale, mortale, mortuũ vero definitur, quòd ſit corpus inanimatum, irrationale.

B Secunda conditio, quæ requiritur ad hoc, vt valeat hæc ſecunda forma argumẽtandi, eſt, quod verbum indicet ſubſtantiam, non accidens; vt ſi dixero; Homerus eſt Poeta, verbum ſubſtantiuum eſt, in hac propoſitione denotat accidens; ſiquidem accidit Homero eſſe Poetam, propterea non valet; ergo Homerus eſt, in ſenſu diuiſo.

C Ad hoc itaque vt valeat ſecunda argumentandi forma à compoſitis ad diuiſa duæ conditiones requiruntur.

Prima, quòd verbum denotet ſubſtantiam, non accidens.

Secunda, quòd non ſit in propoſitione pugnantia terminorum, quæ cognoſcitur per eorum definitionem.

D His prahabitis, facile eſt exemplis illuſtrare vſum prædictorum modorum in ſcientia iuris.

Accipiamus namque iuriſprudentiam ex titulo Inſt. de iuſt. & iure, verum eſt dicere de ea in ſenſu diuiſo. Iuriſprudentia eſt diuinarum, ac humanarum rerum notitia; iuriſprudentia eſt iuſti, atque iniuſti ſcientia; in his propoſitionibus valet prima forma argumentandi à ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum; ergo iuriſprudentia eſt diuinarum, atque humanarum rerum

E notitia, iuſti, atque iniuſti ſcientia. §. iuriſprudentia. eod. titu. Inſt. de iuſt. & iure. eo quoniam in huiuſcemodi enunciationibus prædicata ſunt eſſentialia; ſiquidem conſtituunt eſſentialem definitionem iuriſprudentiæ, & nulla eſt nugatio, ſeu inanis repetitio.

At ſi dixerimus teſtamentum eſt conditum à milite, teſtamentum eſt conditum ruri, non valet argumentari in ſenſu compoſito; ergo teſtamentum eſt militis, ruri conditum. Hæc enim

F prædicata non ſunt de eſſentialibus teſtamenti, de quibus per gloſ. in l. teſtamenti factio. verſic. regulas. ff. de teſt.

Siquidem accidit teſtamento condito à milite, cum etiam paganus valeat teſtamentum conficere. toto tit. Inſt. de teſt. adiuncto tit. de milit.

A teſt. §. ſed teſtari. pariter accidit teſtamentum confici ruri, cum etiam in caſtris, & ciuitatibus condi valeant teſtamenta. l. fin. C. de teſt.

Ex aduerſo valet etiam argumentari in iure à ſenſu compoſito ad ſenſum diuiſum, quando exiſtunt conditiones requiſitæ, vt ſit hæc propoſitio deſumpta ex l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iure. videlicet, Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum unicuique tribuens. Hæc propoſitio verificatur quoque in ſenſu diuiſo; ergo iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas; ergo

B iuſtitia eſt ius ſuum vnicuique tribuens; eo quoniam in huiuſcemodi enunciatione reperiuntur duæ illæ conditiones, quæ requiruntur in ſimili forma argumentandi; nam verbum eſt, ſignificat eſſentialia ipſius iuſtitiæ, & nulla eſt pugnantia terminorum. At ſi dixerimus, Demoſthenes eſt Orator. l. nam & Demoſthenes. ff. de legibus. hæc propoſitio non valet in ſenſu diuiſo; ergo Demoſthenes eſt; ſiquidem verbum eſt, denotat prædicatum accidentale, vt puta oratorem. Eodem modo hæc propoſitio in ſenſu

C compoſito, de qua in l. non ſolum. ff. de commercijs, aurum eſt auferendum Barbaris, quæ vera eſt in hoc ſenſu compoſito; non valet in ſenſu diuiſo: ergo aurum auferendum eſt. Qui enim rem alienam amouet, furtum committit. §. furtum. Inſt. de obl. quæ ex delicto naſcuntur; ratio eſt, quoniam termini ſunt oppoſiti, & repugnantes.

Hæc ſufficiant in hoc Capite pro Iuris ſtudioſis.

D

SECTVM QVARTVM.

De Enunciationibus cum modo, & earum adinuicem oppoſitionibus, ac conſequentijs, tum ex aliorum, tum ex propria ſententia. Caput Tertium.

E

HIs verò determinatis, conſiderandũ eſt, quémadmodum ſeſe habent negationes, & affirmationes ad ſe inuicem, quæ ſunt de poſſibili eſſe, & non poſſibili, & de contingenti, & non con-

F tingenti, & de impoſſibili, & neceſſario: habent enim aliquas dubitationes.

In hac quarta ſectione ſecundum Græcos, cum ſupra hactenus egerit Ariſtoteles de propo

ſitio-

ſitionibus de ineſſe, quæ ſunt ſimpliciores, intendit agere Ariſtoteles de propoſitionibus modalibus, quæ ſunt compoſitiores.

Cauſa huius intentionis eſt, quoniam in libro Priorum nõ ſolum pertractat Ariſtoteles de ſyllogiſmis conſtitutis ex propoſitionibus de ineſſe, ſed etiam ex propoſitionibus modalibus. Propoſitio modalis dicitur differre a propoſitione de ineſſe, quia propoſitio de ineſſe non dicit modum, ſed eſt ſimpliciſſima conſtans tantum ex ſubiecto & prædicato carentibus omni modo, vt cum dico, cœlum mouetur; ſed cum dico, neceſſe eſt cęlum moueri, tunc efficio propoſitionem modalem; quoniam iſta propoſitio profertur cum modo: modi verò naſcuntur ex ipſa generatione, & ordine rerum. Quot enim ſunt gradus rerum, dicebat Alexander, tot ſunt modi propoſitionum: res autem tripliciter ſunt; vel enim ſunt impoſſibiles, vel neceſſariæ, vel medio modo ſe habentes. Res neceſſariæ ſunt, quæ aliter ſe habere non poſſunt, vt cum dico, cęlum ſemper moueri, res impoſſibiles ſunt, quę nullo modo poſſunt eſse, vt hominem eſſe lapidem. Res contingentes ſunt, quæ medio modo ſe habent, quæ poſſunt eſſe, & non eſse. Quę vocantur contingentes, & etiam poſſibiles, quoniam poſſibile, & contingens ſunt idem, & differunt ſolo modo loquendi.

Ex hoc ordine rerum oriuntur quatuor modi ipſarum propoſitionum, quorum primus eſt neceſſarius, ſecundus impoſſibilis, tertius contingens, quartus poſſibilis; tertius & quartus non differunt niſi ſecundum locutionem. Quare modi ipſarum propoſitionum erunt quatuor, ſcilicet Neceſsarium, Impoſſibile, aut Medium, quod eſt Contingens, & Poſſibile.

Vnde notandum eſt, quòd aliter à Grammatico, aliter à Dialectico vſurpantur. Grammaticus enim tenet, quòd omnis particula, quæ poteſt limitare, & modificare propoſitionem, ſit modus, vt dicendo, Dominicus decenter ambulat, Scipio ſtudioſe viuit, Franciſcus diligenter ſtudet. Hæ particulæ modificantes ſenſum orationis, modi vocantur à Grammatico: & iſti modi magis pertinet ad ornatũ, quàm ad neceſſitudinem orationis. Dialecticus verò eligit modos vtiles, & qui faciunt ad ornatum, prętermittit: conſiderat namque quòd veritas, & falſitas dependet à rebus ipſis; & ideo cõtentus fuit his modis, ſcilicet neceſsario, impoſſibili, contingenti, & poſſibili; quamquam poſſibile, & contingens, vt dixi, nomine ſolo differant, at re ipſa idem ſint. Sunt tamen nonnulli, qui his quatuor modis addunt alij duo, quinimo idem Ariſtoteles eos ponere videtur in textu, nempe verum, & falſum. Sed animaduertendum, quòd iſti duo continentur ſub ijs, quos recenſuimus: nam verum præcipue continetur ſub neceſsario, & falſum ſub impoſſibili, ſed de hoc infra dicetur.

Verùm quia dixi ſuperius, quòd cum Ariſtoteles hactenus tractauerit de propoſitione de

A ineſse, nunc tractare vult de modali, poſuitq; aliqualem differentiam inter eas. Poſset fortaſſe quiſpiam dicere, quòd hæ propoſitiones non diſtinguuntur, nam poteſt eſse propoſitio aliqua de ineſse, quæ etiam ſit neceſsaria, vt hæc, cęlum moueri, & alia poteſt reperiri contingẽs, quæ ſit de ineſse, vt hæc, Ioannes currit, & tamen non ſunt modales, ſed de ineſse.

Rurſus hæc propoſitio, homo eſt lapis, eſt impoſſibilis, & tamen eſt propoſitio de ineſse. Quarę dicet aliquis, videtur, quòd propoſitio
B modalis, & de ineſse idem ſint, & non diſtinguantur.

Aduertendum, vt dixi, quòd propoſitiones modales non differunt à materia, quę triplex eſt, ſcilicet neceſsaria, impoſſibilis, & medio modo ſe habens, ſcilicet contingens, & poſſibilis: propterea propoſitiones modales, & de ineſse, vt dixi, non differunt inter ſe ex eo, quod ſint vel in materia neceſsaria, vel impoſſibili, vel medio modo ſe habentę, ſed differũt propoſitiones de ineſse, & modales ad inuicem à modo, qui in mo
C dalibus ineſt, vt hæc neceſſe eſt hominem currere, differt ab hac hominem currere; quia hæc ſimplicior, & hæc caret modo, nempe neceſsario in altera poſito.

Vnde ſciendum eſt, quòd vna propoſitio modalis poteſt eſse neceſsaria quo ad modum, licet ſit in materia contingenti, vt neceſsarium eſt Ioannem currere: hæc propoſitio eſt de modo neceſsario, tamen eſt de materia contingenti; ſic aliqua propoſitio modalis poteſt eſse poſſibilis, licet ſit in materia impoſſibili, vt cum di
D co, poſſibile eſt hominem eſse lapidem.

Quocirca dicendum, quòd aliud eſt modificare ipſam propoſitionem, & aliud eſt afferre propoſitionem in materia. Propoſitio modalis diſtinguitur à propoſitione de ineſse; propterea quod ea dicitur eſse, quæ habet modum vel neceſsarium, vel impoſſibilem, vel medio modo ſe habentem, hoc eſt contingentem, vel poſſibilem. Propoſitio autem de ineſse non habet vllum iſtorum modorum, & ſi habet, dico quod non habet ratione modi, & quo ad
E formam, & quo ad materiam, in qua eſt ipſa propoſitio.

Hæc quarta lectio poteſt in duas principales partes diſtribui, ſecũdum quod Ariſtoteles duo principalia facit. In prima oſtendit in quo conſiſtat contradictio, & oppoſitio propoſitionum modalium. In ſecunda in quo conſiſtat conſequentia vniuerſa, ita vt diſputatio propoſitionum modalium pertineat ad contradictiones, & conſequentias modalium declarandas. Dicit itaque, *His verò determinatis*, declara
F tis ſcilicet ſpectantibus ad conſtitutionem, oppoſitionem, & conſequentiam propoſitionum de ineſſe. *Conſiderandum eſt, quemadmodum ſeſe habent negationes, & affirmationes ad ſe inuicem, quæ ſunt de poſſibili eſſe, & non poſſibili & de contingenti, & non contingenti, & de impoſſibili, & neceſſario.*

Modo vidēdum eſt, quo pacto modales propoſitiones, quæ ſunt in triplici materia, ſcilicet impoſſibili, neceſſaria, & contingenti ſe habeāt ad affirmationes, & negationes. *Habent enim aliquas dubitationes*, eo quoniam eſt difficultas, numquid ſignum negatiuum, quod conſtituit propoſitionem negatiuam debeat in his cadere ſuper verbum, an ſuper modum, cum dicimus non poſſibile, non contingens.

Notandum, quòd Ariſtoteles videtur quoquomodo in textu ponere qualem qualem differentiam inter contingens, & poſſibile, nempe quòd contingens tantum habeat oppoſitam negationem, nempe non contingens, non autem priuatiuam: poſſibile verò nedum habet oppoſitam negationem non poſſibile; verum etiam oppoſitam priuatiuam impoſſibile: nulla namque eſt alia differentia inter contingens & poſſibile, vt dixi ſæpius.

Nam ſi eorum, quæ complectuntur, illæ ſunt ſibi inuicem oppoſitæ contradictiones, quæcunque ſecundum eſſe, & non eſſe diſponuntur, vt eius quæ eſt, eſſe hominem negatio eſt non eſſe hominem, non ea, quæ eſt eſſe non hominem, & eius quæ eſt, eſſe album hominem; ea quæ eſt; non eſſe album hominem, (ſi enim de omni aut affirmatio, aut negatio eſt; lignum erit verum dicere eſſe non album hominem) quod ſi hoc modo, & in quibuſcunque eſſe nōn aditur, idem faciet quod pro eſſe dicitur, vt eius quæ eſt, homo ambulat, non hæc ambulat non homo, negatio erit, ſed hæc non ambulat homo; nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel eſſe hominem ambulantem. Quare ſi hoc modo vbique, & eius quæ eſt poſſibile eſſe, negatio erit poſſibile non eſſe, ſed non ea, quæ eſt non poſſibile eſſe.

In hac prima parte docet quomodo propoſitiones modales conſtituendæ ſint in figura; cumq; modales propoſitiones contrarientur, & contradictio fiat ex affirmatione, & negatione, ſtatim incipit quærere ſi voluerimus efficere propoſitioni modali affirmatiuæ contrariā negationem, debeat ne fieri negatio poſita ad modum, vel ad verbum?

Et in diluenda hac queſtione Ariſtoteles exercet officium Academici; nam diſputat in vtramque partem. Et primo ponit, & probat, quòd negatio debet apponi ad verbum, & vtitur hoc argumento, ſicuti ſe habent propoſitiones de ineſſe, ita etiam modales, ſed in propoſitionibus de ineſſe negatio apponitur verbo: ergo etiam in propoſitionibus modalibus debet apponi negatio ad verbum, quod in propoſitionibus, de ineſſe negatio apponatur ad verbum patet; nam & eæ, quæ de ſecundo adiacente, vt homo eſt; & illæ de tertio adiacente, vt homo eſt albus; & eę, quæ conſtituuntur ex verbo adiectiuo, vt homo currit; eæ inquam omnes propoſitiones negatiuæ habent negationem verbo appoſitam. Vnde inductione eſt manifeſtum, quòd propoſitiones de ineſſe habent negationem adiunctā verbo: nam in propoſitione de ſecundo adiacente negatiua, negatio non ponitur niſi ad verbum; negatiua enim huius affirmationis homo eſt, non eſt non homo eſt, quoniam non eſſet negatiua, ſed affirmatiua, ex ſubiecto infinito: ſed ſua vera negatiua eſt iſta, homo non eſt, quia negatio apponitur verbo. Item in propoſitione de tertio adiacente negatiua, negatio ponitur ad verbum: non enim dicimus, non homo eſt albus, ſed homo non eſt albus. Rurſus huius propoſitionis de verbo adiectiuo, homo currit, ſua negatio non eſt iſta, non homo currit, ſed negatio ponitur ad verbum, homo non currit: & ſic patet inductione in omnibus propoſitionibus de ineſſe, quòd negatio, & contradictio penes attenditur verbum, quare idem videtur dicendum de propoſitionibus modalibus, textus verba ſunt clara, ideo non morabor in eis. Sequitur.

Videtur autem idem poſſe, & eſſe, & non eſſe; omne enim quod eſt poſſibile diuidi, vel ambulare, & non ambulare, & non diuidi poſſibile eſt. Ratio autem eſt, quoniam omne, quod ſic poſſibile eſt, non ſemper in actu eſt. Quare inerit ipſi etiam negatio; poteſt enim & non ambulare quod eſt ambulatiuum, & non videri quod eſt viſibile: at verò impoſſibile eſt de eodem oppoſitas veras eſſe affirmationes, & negationes; non igitur eius quæ eſt poſſibile eſſe, negatio hæc eſt, poſſibile non eſſe.

Vertitur nunc Ariſtoteles in contrariam partem, & probat, quòd negatio in propoſitionibus mo-

modalibus non debeat adiungi verbo, hoc argumento, quæ ſimul verificari poſſunt, non ſunt contradictoria: at cum apponitur negatio ad verbum in propoſitionibus modalibus, dicendo, Poſſibile eſt Socratem ſtudere, & poſſibile eſt Socratem non ſtudere, iſtæ poſſunt ſimul verificari; ergo non ſunt contradictoriæ, ergo non oppoſitæ; ergo negatio iuncta verbo non facit contradictionem; ergo ad hoc vt propoſitiones modales ſint contradictoriæ, negatio non debet apponi ad verbum. Quod autem propoſitiones modales poſſint eſſe ſimul veræ, poſita negatione ad verbum, hoc patet exemplo: nam hæc affirmatiua, poſſibile me diuidi, me non ambulare eſt vera; & negatiua, poſſibile eſt me non diuidi, me non ambulare, eſt vera, ergo non ſunt contradictoriæ; ergo negatio non eſt apponenda verbo. Dicit itaque, *Videtur autem idem poſſe eſſe, & non eſſe.*

Arguit pro parte negatiua ad quæſtionem, quòd ſcilicet negatio non debet apponi verbo, ad hoc vt fiat contradictio in modalibus. Et primo ponit minorem ſuæ argumentationis, quòd ſcilicet contradictoriæ poſſunt ſimul verificari in propoſitionibus modalibus, quando per verbum conſtituitur negatio. *Omne enim quod eſt poſſibile diuidi, uel ambulare, & non diuidi, & non ambulare poſſibile eſt.*

Declarat quomodo hæc minor verificetur, nempe quòd propoſitiones contradictoriæ ſimul verificentur; nam ſi datur aliquod, quod poſſibile ſit, vt diuidatur, & ambulet, illud idem poſſibile erit non diuidi, & non ambulare. Cuius ratio hæc eſt. *Ratio autem eſt, quoniam omne, quod ſic poſſibile eſt, non ſemper in actu eſt. Quare inerit ipſi etiam negatio; poteſt enim & non ambulare, quod eſt ambulatiuum, & non uideri quod eſt uiſibile.*

Ratio inquam hæc eſt, quoniam quod eſt poſſibile ad eſſe actu, non ſemper eſt. Si enim poſſibile eſt aliquod diuidi, vel ambulare, non ſemper illud idem actu diuiditur, vel ambulat: quare cum non ſemper actu diuidatur quod poteſt diuidi, neque ſemper actu ambulet, quod poteſt ambulare. *Inerit, etiam negatio poſſibili*, id eſt non ſolum poſſibilis eſt affirmatio, ſed etiam negatio eiuſdem. *At uerò impoſſibile eſt de eodem oppoſitas ueras eſſe affirmationes, & negationes.* Hic ponit maiorem ſuæ argumentationis, quòd ſcilicet contradictoriæ non poſſunt ſimul verificari, quod iam ſuperius oſtenſum fuit a Philoſopho. Vnde vltimo infertur, *Non igitur eius quæ eſt, poſſibile eſſe, negatio eſt hæc, poſſibile non eſſe.* Hic ponit concluſionem ex dictis, quòd ſcilicet ſi impoſſibile eſt contradictorias ſimul eſſe veras, & in propoſitionibus modalibus quando negatio conſtituitur penes verbum, affirmatio & negatio ſimul verificari poſſunt, ſequitur neceſſario dicendum, quòd hæc, poſſibile non eſſe, nõ eſt contradictoria negatio illius, quæ dicit, poſſibile eſſe, quia valent ſimul verificari.

Notandum, quòd Ariſtoteles dicit in textu,

A *Quod ſic poſſibile eſt, non ſemper in actu eſt*, addidit licet, *ſic*, quoniam vt videbimus inferius poſſibile duplex eſt, vno modo accipitur poſſibile, eo quod verum eſt, & actu eſt, vt poſſibile eſt Socratem ſtudere, cum iam ſtudet. Alio modo ſumitur poſſibile, non vt actu eſt, ſed ratione, qua poteſt agere, vt poſſibile eſt Socratem ſtudere, quia ſtudebit, poterit ſtudere: & hoc vltimo modo acceptum non ſemper eſt actu, quomodo in præſenti conſideratur a Philoſopho, propterea dicit licet, *ſic*.

B Contingit enim ex his, aut idem affirmare, & negare ſimul de eodem, aut non ſecundum eſſe, vel non eſſe, quæ apponuntur fieri affirmationes, & negationes. Si ergo illud impoſſibile eſt, hoc erit magis eligendum. Eſt igitur negatio eius quæ eſt poſſibile eſſe, ea quæ eſt, non poſſibile C eſſe, ſed non ea quæ eſt, poſſibile non eſſe; eadem quoque ratio eſt, & in ea, quod eſt, contingens eſſe. Etenim negatio eius eſt non contingens eſſe, & in alijs quoque ſimili modo, vt in neceſſario, & impoſſibili.

Cum Ariſtoteles in hac quæſtione, nunquid D huic modali affirmatiuæ poſſibile eſt aliquid eſſe, pro negatiua oppoſita danda ſit, ne modalis quæ habeat negationem ad modum, vt hæc, nõ poſſibile eſt aliquid eſſe; cum inquam argumentatus fuerit primo pro parte falſa, deinde pro parte vera, modo determinare vult veritatem huius difficultatis, & inquit, quòd ex dictis colligitur euenire vnum è duobus, *aut idem ipſum affirmare ſimul & negare de eodem*, hoc eſt, aut contradictoria ſimul verificari, aut contradictiones propoſitionum modalium non fieri ex E negatione penes verbum conſtitutum, ſed penes modum: & cum ſemper eligere debeamus, quod eſt minus abſurdum, & euitare maius, impoſſibileq́. ſit contradictorias ſimul in veritate conuenire, dicendum potius, quòd contradictio modalis non fiat ſecundum verbi negationem, quàm quòd fiat. Quapropter cum negatio aut modo, aut verbo apponi debeat, & verbo congruere nequeat, concludere debemus, quòd ad modum addenda ſit; & quòd huic modali affirmatiuæ, poſſibile eſt aliquid eſſe, negatiua oppo-F ſita ſit, quæ habet negationem ad modum, non poſſibile eſt aliquid eſſe, pari ratione huic affirmatiuæ, contingens eſt aliquid eſſe, negatiua contradictoria eſt, non contingens eſt aliquid eſſe: quòd idem ſtatuendum eſt & de alijs propoſitionibus modalibus, ſcilicet de neceſſaria, & de impoſſibili.

Fiunt enim quemadmodum in illis eſſe, & non eſſe appoſitiones, ſubiectæ verò res. Hoc quidem album, illud verò homo ; eodem quoque modo hoc in loco, eſſe quidem, & non eſſe, vt ſubiectum ſit ; poſſe verò, & contingere appoſitiones ſunt, determinantes (quemadmodum in illis eſſe & non eſſe) veritatem, & falſitatem ; ſimiliter hæ, in eo quod eſt, eſſe poſſibile, & eſſe non poſſibile.

Cum Ariſtoteles elegerit eam partem, quæ concludit negationem in propoſitionibus modalibus debere apponi ad modum, nou ad verbum, in præſenti vult ſoluere argumentũ, quod erat pro cõtraria parte. Erat autem huiuſmodi, ſicuti ſe habēt propoſitiones de ineſſe, ita & modales, ſed in ijs de ineſſe negatio ponitur ad verbum: ergo etiam in modalibus negatio ad modum ponenda eſt.

Reſpondet Ariſtoteles reflectendo argumentum, & inquit, verum eſt, quod ſicuti ſe habent propoſitiones de ineſſe; ſic etiam ſe habent modales, ſed in ijs de ineſſe negatio ponitur ad verbum; ergo etiam in modalibus, dicit quòd ratio cur in illis de ineſſe negatiò ponatur ad verbum eſt, quia tota vis ſtat in verbo, ſed in modalibus tota vis ſtat in modo ; ergo ſicut in illis negatio ponitur ad verbum, in his ad modum negatio apponi debet. Negatio namque ſe habet ad inſtar decertantium inuicem: cum enim quis vult inimicum ſuperare, cum quærit lædęre in parte nobiliori, & magis apta ad offenſionē recipiendam, ſicuti negatio in propoſitionibus de ineſſe non conſtituitur penes ſubiectum, aut prædicatum, ſed apponitur in eis ipſi verbo; nam nititur verbum dimouere & pręcipuam partem, in qua ſtat tota vis propoſitionis. Ratio itaque cur in propoſitionibus de ineſſe negatio ponatur ad verbum eſt, quia in verbo ſtat tota vis: quare eadem quoque ratione cũ in propoſitionibus modalibus tota vis conſiſtat in modo ; propterea etiam negatio ad modũ apponenda eſt. Dicit itaque, *Fiunt enim quemadmodum in illis eſſe, & non eſſe appoſitiones, ſubiecta verò res, hoc quidem album, illud verò homo*, hoc eſt, ſicut in propoſitionibus de ineſſe contradictio ſtat in verbo, quod ideo appoſitio nũcupatur, propterea quod aliquid apponit, & attribuit rebus; non autem contradictio ſtat in rebus, quibus per verbum aliquid apponitur, & attribuitur: nam ſignum negatiuum nõ apponitur rei ſubiectę, ſed penes verbum conſtituitur, quia in eo eſt tota vis illius propoſitionis de ineſſe, cum conſtituat rei ſubſtantiam; nam in his enunciationibus homo eſt, album eſt, verbum eſt; dicitur eſſe illud, quod

A ſubſtantiam hominis, & albi conſtituit. *Eodem quoque modo hoc in loco, eſſe quidem, & non eſſe, vt ſubiectum ſit, poſſe verò, & contingere appoſitiones ſunt, determinantes (quemadmodum in illis eſſe, & non eſſe) veritatem, & falſitatem: ſimiliter hæ in eo, quod eſt, eſſe poſſibile, & non eſſe poſſibile.* Hoc eſt pari ratione in propoſitionibus modalibus negatio contradictoria non cadit in ſubiectis rebus, & proinde non ſtat in verbo, quòd in his ſe habet vti ſubiecta res, ſed negatio contradictoria conſiſtit in modo, in quo ſtat veritas, &
B falſitas, & tota vis propoſitionis modalis exiſtit, qui modi appoſitiones pariter nuncupantur, quoniam ipſis rebus aliquid apponunt, & ipſi propoſitioni compoſitæ quid attribuunt nempe qualitatem: & inde negatio ad modum, non ad verbum conſtitui debet: vnde iſtę erunt oppoſitæ, poſſibile eſt Socratem ſtudere, non poſſibile eſt Socratem ſtudere.

Eius verò quæ eſt, poſſibile non eſſe, negatio eſt, non ea quæ eſt
C non poſſibile eſſe, ſed ea quæ eſt non poſſibile non eſſe, & eius quę eſt poſſibile eſſe, non ea quæ eſt poſſibile non eſſe, ſed ea quæ eſt non poſſibile eſſe; quare & ſequi ſeſe inuicem videbuntur, poſſibile eſſe & poſſibile non eſse: idem enim poſsibile eſ-
D ſe, & non eſse ; non enim contradictiones ſunt ſibi inuicem huiuſmodi poſsibile eſse, & poſsibile non eſse ; ſed poſsibile eſse, & non poſsibile eſſe, nunquam ſimul in eodem veræ ſunt; ſimiliter autem & eius quæ eſt neceſsarium eſt eſse, negatio non eſt
E ea quæ eſt neceſsarium non eſse, ſed ea quæ eſt non neceſsarium eſse; eius verò quæ eſt neceſsarium non eſse, ea quæ eſt non neceſsarium eſſe, & eius quæ eſt impoſsibile eſse, non eſt ea quæ eſt impoſsibile non eſse, ſed hæc non impoſsibile eſse, eius verò quæ eſt impoſſibile non eſſe, ea quæ eſt non impoſſibile non
F eſse.

In hac parte Ariſtoteles ordinat propoſitiones modales, quo ad contradictionem. Hæ autem ſunt numero ſexdecim, octo ſcilicet affirmatiuæ, & octo negatiuæ, vel contradictoriæ, vt patet in ſequenti figura.

Figura

Figura propoſitionum modalium.

Affirmatiua ſimplex.	Poſſibile eſſe.	Contradictoria.	Non poſſibile eſſe.	Negatiua ſimplex.
Contraria.			*Contraria.*	
Affirmatiua declinata.	Poſſibile non eſſe.	Contradictoria.	Non poſſibile non eſſe.	Negatiua declinata.
Affirmatiua ſimplex.	Contingens eſſe.	Contradictoria.	Non contingēs eſſe.	Negatiua ſimplex.
Contraria.			*Contraria.*	
Affirmatiua declinata.	Contingens non eſſe.	Contradictoria.	Non cōtingens non eſſe.	Negatiua declinata.
Affirmatiua ſimplex.	Neceſſarium eſſe.	Contradictoria.	Neceſſariū non eſſe.	Negatiua ſimplex.
Contraria.			*Contraria.*	
Affirmatiua declinata.	Neceſſarium non eſſe.	Contradictoria.	Non neceſſariū non eſſe.	Negatiua declinata.
Affirmatiua ſimplex.	Impoſſibile eſſe.	Contradictoria.	Non impoſſibile eſſe.	Negatiua ſimplex.
Contraria.			*Contraria.*	
Affirmatiua declinata.	Impoſſibile non eſſe.	Contradictoria.	Non impoſſibile non eſſe.	Negatiua declinata.

Vnde notandum ex Diuo Thoma, quòd modalis affirmatiua duplex eſt, ſimplex & declinata. Simplex affirmatiua, de modo, & de dicto. Declinata affirmatiua, de modo, & negatiua de dicto: pariter negatiua ſimplex eſt, quę eſt negatiua de modo, non de dicto. Negatiua declinata eſt, quæ de dicto, & de modo eſt negatiua, vt poſſibile eſſe, eſt affirmatiua de modo, & de dicto; poſſibile non eſſe, affirmatiua de modo, ſed negatiua de dicto. Similiter, Non poſſibile eſſe, eſt negatiua de modo, nō de dicto, Non poſſibile non eſſe, eſt negatiua de vtroque. Dicit itaque, *Eius verò quæ eſt, poſſibile non eſſe, negatio eſt, non ea quæ eſt non poſſibile eſſe, ſed ea quæ eſt non poſſibile non eſſe, & eius quæ eſt poſſibile eſſe, non ea quæ eſt poſſibile non eſſe, ſed ea quæ eſt non poſſibile eſſe.*

Incipit Philoſophus determinare quomodo ſint diſponendæ propoſitiones modales ad hoc vt ſint contradictoriæ, & inquit, quod in propoſitionibus modalibus negatio non eſt apponenda verbo, ſed modo; quoniā ſicut in illis de ineſſe apponitur negatio verbo, eo quia in eis verbum appoſitio eſt, res verò ſubiecta, cui appoſitio fit: & propterea tota ipſius vis in verbo conſiſtit, ita in modalibus verbum ſubiecta res eſt, A modus verò appoſitio, quoniam in his non dicitur aliquid eſſe ſimpliciter, ſed cum qualitate quadam eſſe, & inde tota uis conſiſtit in modo.

Modales itaque propoſitiones conſtituit in forma contradictionis, & oſtendit, quod negatio contradictoria apponenda eſt modo, nō verbo; tantum enim abeſt, vt hæc, Poſſibile non eſſe, ſit negatio huius Poſſibile eſſe, quin potius ſit affirmatiua, cui negatiua eſt, Non poſſibile non eſſe: eius verò affirmatiuæ, quæ eſt, Poſſibile eſſe, non eſt negatiua illa, Poſſibile non eſſe, ſed B hæc, Non Poſſibile eſſe. *Quare & ſequi ſeſe inuicem uidebuntur, poſſibile eſſe, & poſſibile non eſſe; idem enim poſſibile eſſe, & non eſſe.* Oſtendit Ariſtoteles quod dixit, ſcilicet quod huius propoſitionis affirmatiuæ, quæ eſt poſſibile eſſe, contradictoria eſt hæc modalis, non poſſibile eſſe, quæ ad modum negationem habet; non autem hæc, quæ habet negationem ad verbum, poſſibile nō eſſe: quoniam illæ ſunt propoſitiones contradictoriæ, quæ ſimul in veritate conuenire non valent, ſed poſſibile eſſe, & poſſibile non eſſe non ſolum non diuidunt verum, & falſum, quinimo ambæ ſimul poſſunt verificari, vt ſuperius dictū eſt; quod euenit in his, Poſſibile eſſe, & non poſſibile eſſe, cum ſi earum altera vera exiſtit, altera

ra falſa, neceſſario erit. Nam ſi quis dicat, poſſibile eſt Socratem ſtudere, & verum dicat, qui dicet, non poſſibile eſt Socratem ſtudere, falſum vtique enunciabit, & ſic de alijs modalibus propoſitionibus. Cum itaque illæ ſeſe conſequantur, & conſentiant inuicem, quæ dicuntur poſſibile eſſe, & poſſibile non eſſe, non ſunt conſtituendæ contradictoriæ, & hoc eſt, quod dicit, *Non enim contradictiones ſunt ſibi inuicem huiuſmodi poſſibile eſſe, & poſſibile non eſſe, ſed poſſibile eſſe, & non poſſibile eſſe, nunquam ſimul in eodem veræ ſunt, opponuntur enim*, vult dicere Ariſtoteles, quòd poſſibile eſſe, & poſſibile nõ eſſe, non ſunt contradictoriæ, cum ſeſe conſequantur, ſed poſſibile eſſe, & non poſſibile eſſe contradictoriæ ſunt. *Opponuntur enim*, hoc eſt propoſitiones hæ non poſſunt ſimul verificari, quia ſunt contradictoriæ oppoſitæ. *Neque ea quæ eſt poſſibile non eſſe, non poſſibile non eſſe vnquam ſimul in eodem veræ ſunt*. Docet eadem ratione eius propoſitionis affirmatiuæ, quæ dicit, poſſibile non eſſe, illam eſſe negationem, quæ dicit, non poſſibile non eſſe, eo quoniã non poſſunt ſimul in veritate concordare; vnde ſequitur vt ſint contradictoriæ, vna affirmatiua, altera negatiua. *Similiter autem, & eius quæ eſt neceſſarium eſt eſſe, negatio non eſt, ea quæ eſt neceſſarium eſt non eſſe, ſed ea quæ eſt non neceſſarium eſt eſſe: eius verò quæ eſt neceſſarium non eſſe, ea quæ eſt non neceſſarium non eſſe.*

Cum poſuerit Philoſophus in ordine quatuor propoſitiones modales, duas affirmatiuas, Poſſibile eſſe, Poſſibile non eſſe; duas negatiuas, Non poſſibile eſſe, Non poſſibile non eſſe, eaſq; conſtituerit contradictorias, quæ habent negationem ad modum, vt huius, poſſibile eſſe, hãc non poſſibile eſſe, & illius, poſſibile nõ eſſe, eam non poſſibile non eſſe. Continuat nunc ordinare reliquos modos, declarans quæ ſint contradictoriæ etiam in reliquis modalibus propoſitionibus, & dicit, quòd eius propoſitionis affirmatiuæ, quæ eſt neceſſarium eſſe, negatiua non eſt ea, quæ dicit neceſſarium non eſſe, imò potius eſt affirmatiua; ſed eius negatio eſt, non neceſſarium eſſe; & illius affirmatiuæ, neceſſarium non eſſe, negatio eſt, non neceſſarium non eſſe, & hoc pacto habemus alias quatuor propoſitiones, duas affirmatiuas, neceſſarium eſſe, neceſſarium non eſſe, & duas negatiuas, non neceſſarium eſſe, non neceſſarium non eſſe. Quarum duas neceſſarium eſſe, non neceſſarium eſſe, conſtituit contradictorias; pariter & alias duas, ad inuicem neceſſarium non eſſe, non neceſſarium non eſſe: & hucuſque habemus octo propoſitiones modales. *Et eiuſq; eſt impoſſibile eſſe, non ea quæ eſt impoſſibile non eſſe, ſed hæc, non impoſſibile eſſe; eius verò quæ eſt impoſſibile non eſſe, ea quæ eſt non impoſſibile non eſſe.*

Proſequitur Ariſtoteles conſtitutionem aliorum modorum, & oſtendere, quòd & in cæteris propoſitionibus modalibus negatio ad modum, non ad uerbum apponenda eſt, cumq; figurauerit eas de poſſibili, & de neceſſario; modo pari ratione ordinat eas de impoſſibili, dicens, quòd eius propoſitionis affirmatiuæ impoſſibile eſſe, non eſt negatiua, impoſſibile non eſſe, quæ pariter eſt affirmatiua, ſed negatiua illius eſt, non impoſſibile eſſe, ſicuti & huius affirmatiuæ, impoſſibile non eſſe negatiua hæc eſt non impoſſibile non eſſe. Et hunc in modum ponit quatuor alias, duas ſcilicet affirmatiuas, impoſſibile eſſe, impoſſibile non eſſe, duas negatiuas, non impoſſibile eſſe, non impoſſibile non eſſe, ita vt hactenus duodecim conſtituerit propoſitiones modales, in quibus contradictio attenditur penes modum, non penes verbum.

Vniuerſaliter verò (quemadmodum dictum eſt) eſſe quidem, & non eſſe oportet ponere tamquam ſubiectum, negationem verò, & affirmationem hæc, facientem, ad eſſe, & nõ eſſe apponere, & has putare oportet eſſe oppoſitas dictiones: poſſibile, non poſſibile, contingens, nõ contingens, impoſſibile, non impoſſibile, neceſſarium, non neceſſarium, verum, non verum.

Prætermittit Ariſtoteles nominatim tradere quatuor alias propoſitiones modales de contingenti, duas videlicet affirmatiuas, contingens eſſe, contingens non eſſe; duas verò negatiuas, non contingens eſſe, non contingens non eſſe, quarum hæ duæ ſunt contradictoriæ, cõtingens eſſe, non contingens eſſe, contingens non eſſe, non contingens nõ eſſe. Has inquam omiſit ſpeciatim tradere; tũ quia ex iã dictis redduntur conſpicuæ, tum etiam fortaſſe, vt nobis indicaret, contingens non differre a poſſibili, niſi ſola voce, vt ſupra quoque dixi, propterea cũ ordinauerit modales de poſſibili, ei videatur pariter ordinaſſe modales de contingenti: quapropter in hac parte breuiter cõlcudit ex dictis uim propoſitionum modalium nõ reperiri in verbo, ſed in modo, cum verbum in his ſe habeat vti ſubiectares, modus verò ſit appoſitio; & proinde ad modum ubi ſit contradictio, non ad verbum apponi debere negationem, & breuiter proponit modos oppoſitos, ſcilicet poſſibile, non poſſibile, contingens, non contingens; impoſſibile, non impoſſibile, neceſſarium, non neceſſarium, ita vt illæ propoſitiones veræ dicantur contradictoriæ, quæ habent negationem ad modum, non ad verbum. *Verum, non verum*, Boetius vult per verum, & non verum Ariſtotelem includere omnes modos, qui valent reperiri, & qui faciunt ad ornatũ orationis, ſicuti bene, velociter, grauiter, lęte, & ſimilia, in quibus velit Philoſophus ſemper negationem apponi debere, hocq; pacto facienda ſit contradictio, vt huius modalis, velociter currere; negatio ſit, non velociter

curre-

currere, non hæc velociter non currere, & ſic de omnibus modis, quæ quoquomodo valent reperiri.

Diuus Thomas aſſerit idcirco Ariſtotelem addidiſſe. *Verum, non verum*, quaſi vltra propoſitos modos ſint & hi duo alij, verũ ſcilicet & falſum, quos tamen Ariſtoteles ſuper nõ numerauit, quia vere non modificant propoſitionem, cum eam non reddant vllo pacto qualem, ſed potius dicant ipſius ſubſiſtentiam.

Ego verò dixi in principio capitis, quòd Ariſtoteles ibi enumerare reliquit verũ, & falſum, quoniã verũ cõtinetur ſub neceſſario, falſum autẽ ſub impoſſibili, propterea cum nõ ſint ab illis diſtincti, eas omiſit, & ſub ſilentio præterijt, & hæc extitit opinio doctiſſimi, & excellentiſſimi Bernardini Petrellæ præceptoris mei obſeruandiſſimi.

Verum etiam ego arbitror poſſe aliter dici, & hæc eſt mea ſententia, quam nullibi leges.

Sentio etenim, quod Philoſophus in illis verbis, *Verum, non uerum*, perſtringat omnes quatuor modos, ita vt eius intentio ſit velle dicere. *Affirmationem, & negationem hæc facientem*, hoc eſt conſtituentem contradictionem; conſtitui penes eſse, & non eſse, ſcilicet penes eundem modum, & fit exemplum, vt poſſibile, non poſſibile; contingens, non contingens; impoſſibile, non impoſſibile; neceſsarium, non neceſsarium; verum, non verum, hoc eſt, vt vnico verbo dicã, ea affirmatio, & negatio conſtituit cõtradictionem, quæ diuidit verum, & non verum, puta falſum; & proinde negatiua contradictoria in modalibus ſiue ſint modales de poſſibili, vel de contingenti, vel de impoſſibili, vel de neceſsario, in omnibus inquam ponenda eſt negatio in ea parte, in qua diuiditur verũ, & non verũ, in qua contradictio conſtituitur: dicebat enim ſupra, quòd quæ habent negationem ad verbum, ſeſe conſequi poſsunt, poſsuntq́; ſimul in veritate conuenire; ſed quæ habent negationem ad modum, non poſsunt ſimul verificari, hinc contradictorias exiſtere, de his late exemplificauit, has diſtinctas ordinauit. Iure merito itaque in calce huius primæ partis, huiuſcemodi capitis breuiter colligens concluſionem, in quæſtione a principio propoſita, numquid negatio cadere debeat in modalibus ſuper modo, an ſuper verbo, ſtatuit, quòd apponẽda eſt ſuper modo, quo loci diſtinguitur verum, non verum.

Sequitur textus.

Conſequentiæ verò ſecundum rationem fiunt, cum ita ponuntur. Illa enim quæ eſt, poſſibile eſſe, ſequitur ea quæ eſt contingit eſſe, & hæc
A conuertitur illi, & non impoſsibile eſse, & non neceſsarium eſse: illam vero quæ eſt poſsibile non eſse, & contingens non eſse, ea quæ eſt non neceſse non eſse, & non impoſsibile non eſse; illam autem quæ eſt non poſsibile eſse, & non contingens eſſe, ea quæ eſt impoſsibile eſse, & ne-
B ceſse non eſse; illam verò quæ eſt non poſsibile non eſse, & non contingens non eſse, ea quæ eſt impoſſibile non eſse, & neceſsariũ eſse: conſideretur autem ex ſubſcriptione, quemadmodum dicimus.

Nunc tranſit Ariſtoteles ad ſecundam partem huius lectionis, quæ docet conſequentias
C propoſitionum modalium. Eſt autem conſequẽtia illatio alicuius conſequentis ex aliquo antecedente, vt ſi Sol eſt ſuper terram, dies eſt; nam ex hoc antecedente, ſi Sol eſt ſuper terram, infertur hoc conſequens, diem eſse. Docet igitur Ariſtoteles in hac parte, quomodo fiat conſequentia propoſitionum modalium, & primo ex antiquorum, deinde ex propria ſententia: & dicit, quòd antiqui ita diſpoſuerũt propoſitiones modales, vt quatuor earum ordines formauerint, in quorum quolibet, omnes quę ſeſe conſequun-
D tur, collocauerint. Aſseruerunt enim hi, quos Stoicos eſse teſtantur Græci, has ſimplices affirmatiuas poſſibile eſse, & cõtingens eſse, cõuerti ad inuicem, & ad has ſequi has ſimplices negatiuas, non impoſſibile eſse, & non neceſsarium eſſe, & hunc primum earum ordinem conſtituerũt. In alio ordine dixerunt ad has affirmatiuas declinatas poſſibile non eſse, & contingens non eſſe, ſequi negatiuas declinatas, non impoſſibile non eſse, non neceſſarium non eſſe. Et in tertio ordine poſuerunt ad negatiuas ſimplices, non
E poſſibile eſse, non contingens eſse, ſequi hanc affirmatiuam ſimplicem, impoſſibile eſse, & ſequi etiam hanc affirmatiuam declinatam, neceſſarium non eſse. In quarto ordine ſtatuerunt ad has negatiuas declinatas, non poſſibile non eſse, non contingens non eſse, ſequi affirmatiuam declinatam, impoſſibile non eſse, & affirmatiuam ſimplicem, neceſſarium eſse: & ſic quatuor ordinarunt claſses propoſitionum modalium antiqui, in quarum qualibet claſse conſequentes propoſitiones ſituarunt, & clarius patebit in ſequenti figura.

Figura

Figura propoſitionum modalium ex antiquis.

Prima claſſis.		*Tertia claſſis.*	
Antecedentes.	Poſſibile eſſe. Contingens eſſe.	Non poſſibile eſse. Non contingen eſse.	Antecedentes.
Conſequentes.	Non impoſſibile eſse. Non neceſsarium eſse.	Impoſſibile eſse. Neceſsarium non eſse.	Conſequentes.
Secunda claſſis.		*Quarta claſſis.*	
Antecedentes.	Poſſibile non eſſe. Contingens non eſſe.	Non poſſibile non eſse. Non contingens non eſse.	Antecedentes.
Conſequentes.	Non impoſſibile nõ eſſe. Non neceſsāriũ non eſse.	Impoſſibile non eſse. Neceſsarium eſse.	Conſequentes.

Dicit igitur, *Conſequentiæ vero ſecundum rationem fiunt cum ita ponuntur*, hoc eſt conſequentiæ modalium propoſitionum conſtituuntur, recte ſecundum ordinem, cum ita diſponuntur ab antiquis, ſcilicet Stoicis. *Illa enim quæ eſt, Poſſibile eſſe, ſequitur ea, quæ eſt, contingit eſſe.* Hic incipit ordinare primam claſſem propoſitionum modalium de mente antiquorum, & dicit, quòd ad affirmatiuam ſimplicem de poſſibili, poſſibile eſſe, ſequitur affirmatiua ſimplex de contingenti, ſcilicet contingens eſſe, *Et hæc conuertitur illi*, & ad hanc affirmatiuam ſimplicem de contingenti, contingens eſſe, ſequitur ea affirmatiua ſimplex de poſſibili, poſſibile eſſe. Conuertũtur námque ſimul, ſiquidem quod eſt poſſibile, contingens eſt, & quòd contingit, poſſibile eſt; ſunt enim ęqualia, contingens, & poſſibile. *Et non impoſſibile eſſe, & non neceſſarium eſſe.* Et has ſcilicet affirmatiuas ſimplices de poſſibile, & de contingenti, ſequuntur negatiuæ ſimplices de impoſſibili, & de neceſſario, nempe nõ impoſſibile eſſe, & non neceſſarium eſſe, & hunc in modum conſtituitur primus ordo modalium propoſitionum, & cum ratione aliqua: ſiquidem quod eſt poſſibile, id vtique eſſe contingit, & propterea eſſe contingit, eo quoniam non eſt impoſſibile eſſe; nam ſi eſſet impoſſibile, non poſſet eſſe pariter quod poteſt eſſe, non neceſſarium eſt eſſe, cum ea ratione dicatur poſſe eſſe, quoniã etiam poteſt non eſſe, vt ſæpe ſæpius dictum eſt. At quod eſt neceſſarium ad vnam tantum partem tendit, vt puta ad eſſe, ſicuti etiam & impoſſibile ad vnam partem ſolum vertitur, nempe ad non eſſe: iure itaque ad poſſibile eſſe, & contingens eſſe, ſequuntur non impoſſibile eſſe, non neceſſarium eſſe. *Illam verò quæ eſt poſſibile non eſse, & contingens non eſse, ea quæ eſt, non neceſſe non eſse, & non impoſſibile non eſſe.* Hic conſtituit ſecundam claſsem modalium propoſitionum, & inquit, quòd hę affirmatiuæ declinatæ de poſſibili, & contingenti, poſſibile non eſse, contingens non eſse, quæ ſunt inuicem couertibiles, &

A ęquales inferunt negatiuas declinatas de impoſſibili, & de neceſsario, ſcilicet non impoſſibile non eſse, non neceſsarium non eſse, & meritò quidem; nam quod poſſibile eſt non eſse, poſſibile eſt etiam eſse, & quod contingit non eſſe, contingit etiam eſse; ſed quod neceſse eſt non eſse, illud nõ poteſt eſse, & quod impoſſibile eſt non eſse, illud non eſse non poterit: ambę itaque diſtanta poſſibili, & contingenti eſse, & cum hæ diſcrepent a poſſibili eſse, & cõtingenti eſse, dicendũ, quòd impoſſibile eſt non eſse, & neceſsa-
B rium eſt nõ eſſe, eis oppoſitæ, abſque dubio cum illis de poſſibili eſse, & contingenti eſse, erunt conſequentes, vt ponit Philoſophus in textu. *Illam autem quæ eſt non poſſibile eſse, & non contingens eſſe, ea quæ eſt impoſſibile eſse, & neceſse non eſse.* Tertio loco aſsentit negatiuis ſimplicibus de poſſibili, & de contingenti, ſcilicet non poſſibile eſse, non contingens eſse conſentire affirmatiuam ſimplicem de impoſſibili, ſcilicet impoſſibile eſse, & affirmatiuã declinatã de neceſsario, ſcilicet neceſsarium nõ eſse; ſiquidem quod non
C poſſibile eſt, fieri non poteſt, & quod fieri nõ poteſt, neceſse eſt vt non ſit; & quod neceſse eſt vt nõ ſit, impoſſibile eſt; vnde eſt notũ, illas nõ poſſibile eſse, & nõ cõtingens eſse, ſequi has, impoſſibile eſse, neceſsarium non eſse. *Illã verò quæ eſt non poſſibile non eſse, & non contingens non eſse, ea quæ eſt, impoſſibile non eſse, & neceſsariũ eſse.* poſtremam conſequentiam tradit in quarta claſse dicẽs, quòd negatiuas declinatas de poſſibili, & de cõtingenti, videlicet non poſſibile non eſse, nõ contingens non eſse, ſequuntur affirmatiua de-
D clinatã de impoſſibili, ſcilicet impoſſibile non eſse, & affirmatiua ſimplex de neceſsario, ſcilicet neceſsasium eſse. Ratio autem huius conſequentiæ eſt ab omni obſcuritate aliena; quoniam quod non eſt poſſibile vt non ſit, eſt impoſſibile vt non ſit; & quod impoſſibile eſt non eſse, neceſse eſt vt ſit, quod idem dicendum de contingenti. *Conſideretur autem ex ſubſcriptione quemadmodum dicimus.* Quæ conſequentię pro-

propoſitionum modalium poſitæ ab Ariſtotele etiam in figura deſcribendæ veniunt ad hoc, vt ſicuti mentis oculis ſunt perceptę, valeát etiam externis oculis conſiderari. Hinc nos ſupra formauimus eas, diſtribuentes in quatuor claſses, ex quibus licet facile intelligi quæ docentur in in hoc loco. Sequitur textus.

Hæ igitur & impoſſibile, & nō impoſſibile eam, quæ eſt contingēs, & poſſibile, & non contingens, & non poſſibile; ſequuntur quidem contradictoriæ, ſed conuerſim; eam enim quæ eſt poſſibile eſſe, negatio impoſſibilis ſequitúr, quæ eſt, non impoſſibile eſſe; negationem verò affirmatio: nam illam, nō poſſibile eſſe, eaq; eſt, impoſſibile eſse: affirmatio enim eſt impoſſibile eſse, non impoſſibile verò negatio.

Cum Ariſtoteles ſuperius de mente antiquorum digeſſerit in quatuor ordines propoſitiones modales, quę ſunt numero ſexdecim; & quatuor conſtituerit pro vno quoque ordine, & docuerit de eorundem ſententia, quæ propoſitiones de impoſſibili, & de neceſſario ſint, conſequentes ad eas de poſſibili, & de contingenti, nunc vult determinare veritatem, & rectitudinem huiuſcemodi diſpoſitionis.

D Et primo conſiderat conſequentiam earum de impoſſibili, ad pręcedentes de poſſibili, & cōtingenti, & oſtendit recte antiquos in ijs ſtatuiſſe, & determinaſſe conſequentiam, & inquit, quòd hæc contradictio, quæ conſtituitur inter affirmatiuam priuatiuam de impoſſibili, & negationem priuatiuam de impoſſibili, ſcilicet impoſſibile eſſe, non impoſſibile eſſe, ſequitur has duas contradictiones, quarum vna conſtituitur ex affirmatiua, & negatiua de poſſibili, videlicet poſſibile eſſe, non poſſibile eſſe: altera ex affirmatiua, & negatiua de contingenti, ſcilicet E contingens eſſe, non contingens eſſe; ita tamen vt vna contradictio aliam inferat, ſcilicet contradictione, non oppoſite, ſed conuerſim, non quòd affirmatio affirmationem, negatio negationem ſequatur, ſed conuerſim, videlicet affirmatio negationem, negatio affirmationē, quoniam affirmatio de poſſibili, poſſibile eſſe, non infert affirmationem priuatiuam de impoſſibili, impoſſibile eſſe, ſed infert negationem de impoſſibili non impoſſibile eſſe: pariter negatio de F poſſibili, non poſſibile eſſe, non infert negationem priuatiuam de impoſſibili, non impoſſibile eſſe, ſed affirmatiuam, impoſſibile eſſe, quòd idē etiam verificatur de ijs, de contingenti; nam affirmatio de contingenti, contingens eſſe, infert negationem de impoſſibili, non impoſſibile eſſe, & negatio de contingenti, non contingens

A eſſe, infert affirmatiuam de impoſſibili, impoſſibile eſſe; vnde ſequitur, quòd recte fecerunt antiqui, ponentes in figura, & ſubſcriptione quam deſſignarunt in qualibet claſſe, ſequi ex affirmatione poſſibilis negationem impoſſibilis, & ex negatione poſſibilis ſequi affirmationem impoſſibilis, vt recte in prædicta figura intuēti clarum vtique erit. Et hoc eſt quod dicit, ***Hæ igitur impoſſibile, & non impoſſibile***, hoc eſt ea contradictio, quæ conſtat ex affirmatiua, & negatiua priuatiua, nempe impoſſibile eſſe, & non impoſ- B ſibile eſſe. Sequitur, ***Eam quæ eſt contingens, & poſſibile, & non contingens, & non poſſibile.*** nempe ſequitur has duas contradictiones, quæ formantur vna ex affirmatiua de contingenti, & negatiua, vt contingens eſſe, non contingens eſſe, altera ex affirmatiua, & negatiua de poſſibili, vt poſſibile eſſe, non poſſibile eſſe: quæ duę contradictiones ob nimiam eius æqualitatem, vnā eſſe aſſerit, coniunctimque, & permixtim enumerantur. Vna itaque contradictio aliam infert. ***Sequuntur quidem contradictoriæ, ſed conuerſim***, id eſt C ita tamen vna aliam ſequitur, & ab altera infertur; vt eadem pars contradictionis ſimilem alterius non inferat; ***ſed conuerſim***, videlicet non affirmatiua vnius affirmatiuam alterius, ſed è cōuerſo, affirmatiua vnius negatiuam alterius, & negatiua vnius, alterius affirmatiuam. ***Eam enim, quæ eſt poſſibile eſſe, negatio impoſſibilis ſequitur, quæ eſt non impoſſibile eſſe***; quoniam affirmatiua de impoſſibili infert negatiuam de impoſſibili, namque eſt poſſibile conſentit ei, quod eſt nō impoſſibile. ***Negationem verò affirmatio.*** Affir- D matio verò de impoſſibili ſequitur negationem de poſſibili: nam ea quæ eſt, non poſſibile eſt, cōſentit ei, quæ dicit, impoſſibile eſſe. Et ſequitur Ariſtoteles in illis verbis. ***Nam illam, non poſſibile eſſe, eaq; eſt, impoſſibile eſſe***, puta ſequitur; ***Affirmatio enim eſt, impoſſibile eſſe.*** Eſt nāque hæc affirmatio priuatiua. ***Nō Impoſſibile verò negatio***, negatio inquam priuatiua, & quod ſtatuitur de poſſibili, & impoſſibili, idem detur de contingenti, & impoſſibili; propter ea quod poſſibile & contingens conuertuntur, & ſunt æqualia, vt E ſupra dictum eſt; & in hoc recte determinarunt antiqui.

Neceſſarium verò quemadmodū ſe habet, conſiderandum eſt; manifeſtum eſt enim, quòd non eodem modo ſe habet, ſed contrariæ ſequuntur; contradictoriæ autem ſunt extra.

Cum conſiderauerit Philoſophus antiquos F recte ordinaſſe conſequentias propoſitionum modalium de impoſſibili ad eas de poſſibili, & contingenti, modo conſiderare proponit, numquid etiam in conſequentijs earum, quæ ſunt de neceſſario ad eas de poſſibili, & non poſſibili, optime fuerint opinati: poſuerunt etenim tum in illis de impoſſibili, tum etiam in illis de neceſſario negationem affirmationem, & affirmatio-

nem negationem ſequi, ſcilicet contradictorias de impoſſibili, & neceſſario ſequi contradictorias de poſſibili, & non poſſibili, modo conuerſo, vt puta poſſibile eſſe inferre negatiuam ſimplicem de impoſſibili, non impoſſibile eſſe, & negatiuam ſimplicem de poſſibili, non poſſibile eſſe, inferre affirmatiuam ſimplicem de impoſſibili impoſſibile eſſe, & eodem modo determinarunt conſequentiam earum de neceſſario ad eas de poſſibili, & non poſſibili, quod ſcilicet conuerſim contradictoriæ ſequantur. Videndum itaque eſt, ſi antiqui in his de neceſſario rectè opinati ſunt, ſicut & in illis de impoſſibili, quoniam in omnibus non ſe rectè geſſerunt, ſed in quibuſdam rectè, in quibuſdam verò praue; ſtatuentes namque in tertia claſſe ad non poſſibile eſſe ſequi neceſſarium non eſſe; & in quarta claſſe ad non poſſibile non eſſe ſequi neceſſarium eſſe, quæ eſt contraria ſupradictæ, non neceſſarium non eſſe, non perperam fecerunt: at dum ordinarunt in prima claſſe, poſſibile eſſe, inferre nõ neceſſarium eſſe; & in ſecunda claſſe, poſſibile non eſſe, inferre non neceſſarium non eſſe, quę ſunt ſupradictis contrarijs cõtradictorię, peccauerunt, & in errorẽ lapſi ſunt, quoniam inquit Ariſtoteles in illis non contradictoriæ ſtat conſequentia; & quoniam quis defendere potuiſſet antiquorum diſpoſitionem in prima claſſe, ad poſſibile eſſe ſequi contradictoriæ modo conuerſo non neceſſariũ eſſe, eo quoniam fatetur Ariſtoteles in tertia claſſe neceſſarium non eſſe ſequi nõ poſſibile eſſe, cum etiam contradictoria duorum, quæ ſe mutua inferant, pariter inuicem ſe inferre debeãt: propterea ſicut illæ duę non poſſibile eſſe, & neceſſariũ non eſſe tertij ordinis ſe mutuo ſequuntur. Pariter dicendum videtur, quòd etiam poſſibile eſſe, & non neceſſarium eſſe, quæ illis ſunt contradictoriæ, inuicem ſequi debeant. Idcirco Ariſtoteles rationem reddit eius dicti, quòd ad hanc affirmatiuam ſimplicem poſſibile eſſe, non rectè conſequitur contradictoriæ hæc negatiua ſimplex, non neceſſarium eſſe, quoniam ſcilicet ſi conſequeretur contradictoriæ, opus eſſet, vt ad poſſibile eſſe ſequeretur non neceſſarium eſſe, tanquam negatio, ſicuti ad non poſſibile eſſe ſequitur neceſſarium non eſſe, tanquam affirmatio; quo caſu poſſibile, & neceſſarium conſequerentúr inuicem ſicuti poſſibile, & impoſſibile; ſed iſtud euenire nõ poteſt, eo quia nõ neceſſarium eſſe, & neceſſarium non eſſe non ſe habent vt affirmatio, & negatio; nam ſi non neceſſarium eſſe, eſſet negatio huius propoſitionis neceſſariũ non eſſe, quæ vice verſa eius eſſet affirmatio, eſſent contradictoriæ; quod tamen eſt falſum: ſiquidem contradictoriæ non poſſunt ſimul verificari. At iſtæ ambæ in veritate valent conuenire: verùm etenim erit dicere, non neceſſarium eſſe hominẽ eſſe lapidem: & pariter verum erit enunciare, neceſſarium eſſe hominem non eſſe lapidem; & ideo ſunt ſimul verę: vnde patet manifeſtum, quod propoſitiones de neceſſario non

A ſequũtur cõtradictorię illas de poſſibili in omnibus ordinibus; & quod ſi quis enũciabit poſſibile eſſe, & non neceſſariũ eſſe conuerſim cõtradictoriæ ſe conſequi, quia ſunt contradictoriæ harũ tertij ordinis non poſſibile eſſe, neceſſarium non eſſe, falſum vtique enunciabit, cum non neceſſarium eſſe, & neceſſarium non eſſe, ambæ veræ ſimul exiſtere valeant, quod eſt contra naturam cõtradictoriarum propoſitionum; potius namque ſunt ſubalternæ, quæ in veritate conuenire poſſũt. Dicit igitur, *Neceſſarium verò, quem*

B *admodum ſe habet, conſiderandum eſt*, quaſi dicat, vidimus quòd propoſitiones modales de impoſſibili conuerſim contradictoriæ ſequuntur eas, de poſſibili, & non poſſibili; affirmatiuam namque conſequitur negatiua, & negatiuam affirmatiua: in quarum propoſitionum conſequentia antiqui veritatem enunciarunt. Modo videndum eſt, numquid etiam rectè ſe geſſerint in cõſequentia earum de neceſſario, & de poſſibili, & non poſſibili, quas pariter conuerſim contradictoriæ ſe inuicem ſequi determinarunt. *Mani-*

C *feſtũ eſt enim, quòd nõ eodem modo ſe habent, ſed contraria ſequuntur, contradictoria autem ſunt extra.*

In his conſpicue patet, dicit Ariſtoteles, quòd lapſi sũt in errorem; verum namque eſt in tertia claſſe ad non poſſibile eſſe ſequi neceſſarium non eſſe, & in quarta claſſe ad non poſſibile non eſſe ſequi neceſſarium eſſe, quæ ambæ ſcilicet neceſſarium eſſe, & neceſſarium non eſſe ſunt contrariæ: ſed ad poſſibile eſſe in prima claſſe non ſequitur non neceſſarium eſſe, neque in ſecunda claſſe ad poſſibile non eſſe ſequitur non

D neceſſarium non eſſe, quæ ambæ ſcilicet nõ neceſſarium eſſe, & non neceſſarium non eſſe ſunt contradictoriæ contrarijs ſuprapoſitis, nempe non neceſſarium eſſe contradictoria illius neceſſarium eſſe, & non neceſſarium non eſſe contradictoria alterius neceſſarium non eſſe; propterea extra verum ordinem ſunt collocatæ.

Non enim eſt negatio eius, quæ eſt neceſſe non eſſe, ea quæ eſt, non neceſſe eſſe.

E Reddit rationem ſui dicti, quare in prima claſſe non neceſſarium eſſe non ſequatur cõuerſim illam affirmatiuam poſſibile eſſe, ſicuti neceſſarium non eſſe ſequitur eam negatiuam non poſſibile eſſe, quoniam ſi eadem eſſet conſequentia, opus eſſet quòd hæc non neceſſarium eſſe, eſſet negatio oppoſitæ affirmationis neceſſarium non eſſe, quod tamen falſum eſſe aſſerit, dum addit.

Contingit enim veras eſſe vtraſ-

F que in eodem; quod enim eſt neceſſarium non eſſe, non eſt neceſſarium eſſe.

Oſtendit Ariſtoteles ſupra proximas enunciationes non neceſſarium eſſe, & neceſſarium non eſſe, non eſſe contradictorias, quoniam iſtæ

poſſunt

poſſunt ſimul verificari, quod eſt cõtra naturam cõtradictoriarum oppoſitarum: verùm namque erit dicere non neceſsarium eſt hominem eſſe lapidem, & pariter dicere, neceſſarium eſt hominem non eſſe lapidem: quæ cum ambæ veræ ſimul exiſtere valeant non ſunt appellandæ contradictoriæ, ſed potius ſubalternæ.

Sequitur textus.

Cauſa autem huius eſt, cur non ſequitur neceſsarium ſimiliter cæteris, quoniam contrariæ, impoſſibile eſse, neceſsario redditur idem valens: nam quod impoſſibile eſse, neceſse hoc non quidem eſse, ſed potius non eſſe; quod verò impoſſibile non eſſe, hoc neceſsarium eſſe: quare ſi illa ſimiliter ſequuntur impoſſibile, & non poſſibile, hæc è contrario, quoniam non ſignificant idem neceſsarium, & impoſſibile, ſed quemadmodum dictum eſt, conuerſim.

Cum determinaſſet Ariſtoteles antiquos erraſſe, qui in omnibus claſſibus ordinarunt eodem modo conſequentiam propoſitionum de impoſſibili, & neceſſario ad eas de poſſibili, & non poſſibili, nunc vult reddere rationem, quare ſimili modo non fiat illatio, & conſequentia in his de neceſsario, ad eas de poſſibili, & non poſſibili, ſicut euenit in his de impoſſibili.

Ratio autẽ hæc eſt, quoniam neceſsarium, & impoſſibile nõ concordãt inuicem, niſi ſumãtur modo oppoſito; nam hæc affirmatiua ſimplex impoſſibile eſt eſse, & hæc affirmatiua de neceſſario, neceſsarium eſt eſse, non conueniunt; ſed affirmatiua ſimplex de impoſſibili cõſentit huic negatiuæ de neceſsario, neceſsarium eſt non eſse. Pariter hæc negatiua, impoſſibile eſt non eſse, & negatiua de neceſsario, neceſsarium eſt non eſse, non conſentiunt, ſed ea negatiua de impoſſibili cõcordat cum hac affirmatiua de neceſsario, neceſsarium eſt eſse.

Cum itaque idem valeat, impoſſibile, & neceſſarium non eodem modo reddita, ſed contrario: patet etiam quòd ad poſſibile, & nõ poſſibile non eodem modo conſequitur impoſſibile, & neceſsariũ; & propterea in tertia & quarta claſſe rectè fecerunt antiqui, qui modo oppoſito cõſtituerũt impoſſibile, & neceſſarium ſequi ad non poſſibile. At in prima & ſecunda claſe praue ſimili modo diſpoſuerunt conſequentiam earum de impoſſibili, & neceſſario ad eas de poſſibili. *Cauſa autem huius eſt, cur non ſequitur neceſſarium ſimiliter cæteris.* Ratio quare non ſimiliter, & eodem modo ſequuntur illæ de impoſſibili, & illę de neceſſario ad eas de poſſibili, & nõ poſſi-
A bili eſt; quoniam ſcilicet impoſſibile concordat contrario modo cum neceſſario: neceſſariũ namque non ſequitur poſſibile, *ſimiliter cæteris,* videlicet ſimili modo vt facit impoſſibile. *Quoniam contrariæ, impoſſibile eſſe, neceſſario redditur idẽ valens:* quia ſcilicet impoſſibile æquiuallet neceſsario non ſimili, ſed cõtrario modo ſumpto. *Nam quod impoſſibile eſſe, neceſſe hoc non quidem eſſe, ſed potius nõ eſſe; quod verò impoſſibile nõ eſſe, hoc neceſſariũ eſſe;* propterea quod affirmatiua ſimplex de impoſſibili, impoſſibile eſſe, cum affirmatiua de
B neceſſario neceſſarium eſſe, non concordat, ſed potius cum ſua contraria negatiua, videlicet neceſsarium non eſse. Et negatiua de impoſſibili impoſſibile nõ eſse, nõ cõſentit negatiuæ de neceſsario neceſsarium non eſse, ſed contrariæ affirmatiuæ, ſcilicet neceſsarium eſse. *Quare ſi illa ſimiliter ſequuntur impoſſibile, & non poſſibile, hæc è contrario.* Quapropter ſi illæ, ſcilicet propoſitiones de impoſſibili, & non impoſſibili ſequuntur, poſſibile & non poſſibile, *ſimiliter,* hoc eſt, vt illę tertiæ, & quartæ claſſis; & inſuper etiam illæ pri-
C mæ, & ſecundę claſſis, quoniam ſicuti contrarię impoſſibile eſse, & impoſſibile nõ eſse in tertia, & quarta claſse ſequuntur non poſſibile non eſſe, & non poſſibile eſse, pari quoque modo his contradictoriæ non impoſſibile non eſse & non impoſſibile eſse primæ, & ſecũdę claſſis, ſequuntur poſſibile non eſse, & poſſibile eſse. *Hæc è contrario,* hæc ſcilicet propoſitiones de neceſsario ſe habent non ſimiliter, ſed diuerſimode; nam contrariæ, nempe neceſsariũ eſse, & neceſsariũ non eſse, ſequuntur quidem eas non poſſibile non eſ-
D ſe, & non poſſibile eſse, quæ ſunt tertiæ & quartæ claſſis: at his contradictoriæ ſcilicet non neceſsarium eſse, non neceſsarium non eſse, non ſic ſe habent; non enim ſequũtur eodem modo poſſibile eſse, & poſſibile non eſse. *Quoniam non ſignificant idem neceſſarium, & impoſſibile: ſed quemadmodum dictum eſt conuerſim,* quia ſcilicet impoſſibile, & neceſsarium non concordant niſi modo contrario: & propterea cum in tertia & quarta claſse impoſſibile, & neceſsarium oppoſita modo conſtituantur; in prima verò & ſecunda
E claſse ſimili modo diſponantur. Hinc contrarię de neceſsario rectè ſunt in vltimis ordinibus poſitæ: illis verò contradictoriæ praue in primo & ſecundo ordine ab antiquis fuere collocatæ.

At certe impoſſibile eſt ſic poni cõtradictiones neceſſarij; nam quod neceſsarum eſſe, poſſibile eſſe, nam ſi non, negatio conſequetur; neceſſe enim eſt aut affirmare, aut negare;
F quare ſi non poſſibile eſſe, impoſsibile eſſe: igitur impoſsibile eſſe, quod neceſſe eſse, quod eſt inconueniens. At verò illam quæ eſt, poſsibile eſſe, non impoſsibile eſse ſequitur; hanc

verò,

verò, ea quæ eſt, non neceſsarium eſſe; quare cõtingit, quòd neceſsarium eſse, non neceſsarium eſse, quod eſt inconueniens.

In hac parte oſtendit Ariſtoteles ſuam aſſertionem ſupra poſitam, ſcilicet quòd non neceſſarium eſſe, & non neceſſarium non eſſe primi & ſecundi ordinis, quæ ſunt contradictoriæ illis de neceſſario tertij & quarti ordinis, non rectè poſitæ fuerunt ab antiquis, & probat perperam veteres ordinaſſe conſequentiam earum de neceſſario ad eas de poſſibili in prima claſſe; quoniam ex cognitione huius ſatis manifeſte conſtabit praua diſpoſitio alterius, nempe ſecundæ claſſis: vtitur autem argumento ducente ad abſurdum hunc in modum, ad neceſsarium eſse, ſequitur poſſibile eſſe; alioquin cùm de quocunque verũ ſit affirmare, & negare, ſequeretur ſuà contradictoria non poſſibile eſſe, quæ conſentit huic impoſſibile eſſe; quapropter ſequeretur aperta implicatio, ſcilicet neceſſarium eſſe, impoſſibile eſſe: quare ſupereſt dicere, quòd ad neceſſarium ſequitur poſſibile, ſed ad poſſibile eſſe ſequitur non impoſſibile eſſe; & ad non impoſſibile eſſe ſecundum antiquos in prima claſſe ſequitur non neceſſarium eſſe; ergo de primo ad vltimum ad neceſſarium eſſe ſequitur non neceſſarium eſse, quod eſt impoſſibile. Praue itaque ſtatuerunt antiqui non neceſsarium eſse ſequi poſſibile eſse in primo ordine. Dicit itaque. *At certe impoſſibile eſt ſic poni contradictiones neceſſarij.* nullo pacto valemus collocare non neceſſarium eſse in prima claſse ſequi poſſibile eſse, neque nõ neceſsarium non eſſe in ſecundã claſſe ſequi poſſibile non eſse, quæ ſunt contradictiones illarum de neceſsario tertiæ & quartæ claſſis. *Nam quod neceſſarium eſſe, poſſibile eſſe,* eò quoniam neceſsarium ſequitur poſſibile, quod manifeſtatur, *Nam ſi non, negatio conſequetur: neceſſe enim eſt aut affirmare, aut negare.* Si enim neceſsarium non ſequeretur poſſibile, ſequeretur contradictoria, non poſſibile ex axiomate communi contradictionis, de quocunque eſt affirmatio, vel negatio vera, & ſi ſequeretur non poſſibile, tunc ſuccederet aliud abſurdum, quod ponit Philoſophus in ſequentibus verbis, quando dicit, *Quare ſi non poſſibile eſſe, impoſſibile eſſe igitur impoſſibile eſſe, quod neceſſe eſſe,* eueniret hoc inconueniens; quòd neceſsarium eſset impoſſibile, ſiquidem ad non poſſibile ſequitur impoſſibile, vt patet in tertia claſse: at neceſsarium eſse impoſſibile, eſt manifeſta implicatio; quare dicẽdum, quòd addit Ariſtoteles neceſsarium ſequi poſſibile eſse: *At verò illam quæ eſt, poſſibile eſſe, non impoſſibile eſſe ſequitur; hanc verò, eam quæ eſt, non neceſſarium eſſe; quare contingit, quod neceſſarium eſſe, non neceſſarium eſſe, quod eſt inconueniẽs.* Quod ſi neceſsarium ſequitur poſſibile, poſſibile æquipollet nõ impoſſibili, non impoſſibile æquiualet non neceſſario, vt patet in prima claſse ex A antiquis; ergo eueniet hoc aliud abſurdum, neceſsarium eſse non neceſsarium. Perperam itaque fecerunt antiqui, determinantes non neceſſarium ſequi in prima claſse poſſibile eſse.

At verò neque neceſſarium eſſe, ſequitur eam, quæ eſt, poſſibile eſſe, neque ea quæ eſt, neceſſarium non eſſe: illi enim vtraque contingit acci B dere; harum autem utralibet uera fuerit, nõ erunt illa vera; ſimul enim poſſibile eſſe, & non eſse; ſi uerò neceſse eſſe, uel nõ eſſe, non erit utrumque poſſibile. Relinquitur ergo non neceſſarium non eſſe, ſequi eam quæ eſt poſſibile eſſe; hæc enim uera eſt, & de neceſse eſse; hæc enim fit con C tradictio eius, quæ ſequitur illam, quæ eſt, non poſſibile eſse. Illam enim ſequitur ea, quæ eſt, impoſſibile eſse, & neceſse non eſse; cuius negatio eſt, non neceſse non eſse. Sequuntur igitur & hæ cõtradictiones ſecundum prædictum modum; & nihil impoſſibile cõtingit ſic poſitis.

D Hactenus Philoſophus conſiderauit antiquos diſponentes conſequẽtiam propoſitionũ modalium de impoſſibili, & non impoſſibili ad eas de poſſibili, & non poſſibili, rectè in qualibet claſse conſtituiſse contradictoriam de impoſſibili ſequi contradictoriam de poſſibili modo conuerſo, ſcilicet affirmationem negationem ſequi, & è contrario negationem affirmationem, verùm ponentes conſequentiam propoſitionum modalium ad eas de poſſibili, & non poſſibili, partim rectè fecerunt, dum contrarias de neceſsa E rio neceſsarium non eſse, & neceſsarium eſse in tertia, & quarta claſse ſequi dixerunt, non poſſibile eſse, & non poſſibile non eſse; partim verò praue, dum ordinarũt ſupradictas de neceſsario contradictorias, ſcilicet nõ neceſsariũ eſse, non neceſsariũ nõ eſse, ſequi poſſibile eſse, & poſſibile non eſse: tum quia non neceſsariũ eſse primæ claſsis nõ eſt cõtradictoria illius neceſsariũ non eſse tertiæ claſsis, cum ambę ſimul poſſint verificari, vnde non ſequitur conuerſim contradictoriæ ad poſſibile eſse; tum etiam inſuper quia ſi F mili modo non poteſt fieri illatio illarum de impoſſibili, & neceſsario cum impoſſibile, & neceſsarium non conſentiant inuicem niſi modo oppoſito: tum denique quoniam ſequeretur illud inconueniens, idem ſcilicet eſse neceſſariũ, & non neceſsarium.

His examinatis Philoſophus in præſenti vult verita-

veritatem inueſtigare, quæ nam propoſitio modalis de neceſſario ſequatur ad poſſibile, & hanc adinuenit diuiſione: nam cum quatuor ſint (vt diximus ſuperius) propoſitiones modales de neceſſario, affirmatiua ſimplex neceſſarium eſſe, negatiua ſimplex non neceſſarium eſſe; affirmatiua declinata neceſſarium non eſſe, negatiua declinata non neceſſarium non eſſe, oportet vt harum altera ſequatur ad poſſibile, cum hucuſque viderimus negatiuam ſimplicem non neceſſarium eſſe ſequi nullo modo poſſe ad poſſibile eſſe, nunc diſcurrit per ſingula membra diuiſionis prænarratæ propoſitionum modalium, ad hoc vt quod recte ſequi debet, cognoſcamus, & inquit, quòd ſicuti ad poſſibile eſſe non ſequitur non neceſſarium eſſe, pariter non ſequitur nec neceſſarium eſſe, nec neceſſarium non eſſe. Quo fit vt à ſufficienti partium enumeratione his remotis ſequatur ad poſſibile eſſe non neceſſarium non eſſe; quòd ad poſſibile eſſe non ſequatur nec neceſſarium eſſe, nec neceſſarium non eſſe; probat à natura poſſibilitatis, quoniam poſſibile eſſe ſe habet poteſtate ad vtrumque, ſcilicet ad eſſe, & ad non eſſe: at neceſſarium eſſe ſolum ſe habet ad eſſe, neceſſarium non eſſe ſolum ad non eſſe; ergo horum neutrum ad poſſibile ſequi poteſt. Supereſt itaque vt quarta propoſitio modalis de neceſſario non neceſſarium non eſſe, ſequatur ad poſſibile eſſe, & de hac modali non neceſſarium non eſſe, verum erit dicere, quod conuerſim ſequitur contradictoriæ illam poſſibile eſſe, eo quia eſt contradictoria huius neceſſarium non eſſe tertiæ claſſis, quæ ſicuti ſe habet, tanquam affirmatio in eo ordine, quæ conuerſim contradictoriæ ſequitur non poſſibile eſſe eiuſdem ordinis; pariter hæc non neceſſarium non eſſe illius contradictoria ſe habebit tanquam negatio, quę contradictione ſequitur affirmatiuam in primo ordine, ſcilicet poſſibile eſſe, & hoc pacto remouebitur, quamuis abſurdum, quod oriri videbatur ex poſitione antiquorum, qui collocarunt in prima claſſe non neceſſarium eſſe conſequi poſſibile eſſe, vt ex eis videtur. Dicit itaque. *At verò neque neceſſarium eſſe ſequitur eam quæ eſt, poſſibile eſſe, neque ea quæ eſt, neceſſarium non eſſe.* Cum ſuperius vnum membrum diuiſionis neceſſarij, ſcilicet non neceſſarium eſse, ex abundanti reiecerit à conſequentia propoſitionis modalis, quæ dicit poſſibile eſse, nunc proponit excludere duo alia membra, ſcilicet neceſsarium eſse, & neceſsarium non eſse, vt inde acceptet quartum membrum, videlicet non neceſsarium non eſse. Dicit itaque quòd ad poſſibile eſse nõ ſequitur neque neceſsarium eſse, neque neceſsarium non eſse, quod probat in ſequentibus verbis. *Illi enim vtraque contingit accidere, harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera, ſimul enim poſſibile eſſe, & non eſſe; ſi verò neceſſe eſſe, vel non eſſe, non erit vtrumque poſſibile.* Oſtendit Ariſtoteles ad poſſibile eſse, non ſequi nec neceſsarium eſse nec neceſsarium non eſse, quoniam poſſibile eſse vtraque ſibi contingit accidere: eſt enim poteſtate ad vtrumque, ſcilicet ad eſse, & non eſse: harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera, ſcilicet neceſse eſse, vel neceſsarium non eſse non ſe habent poteſtate ad vtrumlibet, ſcilicet ad eſse, & non eſse, primum manifeſtat quando dicit, *Simul enim poſſibile eſſe, & non eſſe;* ſecundum ſubdit quando inquit, *Si verò neceſſe eſſe, vel non eſſe, non erit utrumque poſſibile.* At neceſsarium eſse, & neceſsarium non eſse, non ſe habent poteſtate ad vtrumque, ſed neceſsarium eſse, ad eſse ſolum neceſsarium non eſse, ad non eſse ſolum, nanque poſſibilitas ad eſse excluditur ſi neceſsarium eſt non eſse, & ſi neceſsarium eſt eſse, excluditur poſſibilitas ad non eſse: quapropter manifeſtum videtur, neutrum harum propoſitionum ſequi ad poſſibile eſse, ſcilicet neceſsarium eſse, neceſsarium non eſse. *Relinquitur ergo non neceſſarium non eſſe, ſequi eam quæ eſt poſſibile eſſe.* Infertur itaque, quòd ad poſſibile eſse, ſequi debeat quartum membrum diuiſionis ipſius neceſsarij, videlicet non neceſsarium non eſse, & illud ſit ponendum in primo ordine. *Hæc enim uera eſt, & de neceſſe eſſe.* Sequitur inquam hæc quarta propoſitio modalis ad poſſibile eſse, ſcilicet non neceſsarium non eſse, tum quia vera eſt, eo quoniam quod poteſt eſse, & non eſse, non neceſsarium eſt non eſse; tum etiam quia hæc propoſitio quarti quodammodo conſentit cum neceſsario, ſcilicet neceſsarium eſse, quatenus ſcilicet eſt contradictoria ei, quæ dicitur, neceſse eſt non eſſe, oppoſita illi affirmatiuæ, neceſse eſt eſse; propterea quòd neceſsarium eſt eſse, poſſibile eſt eſſe, & non eſt neceſsarium non eſse. Quod autem non neceſsarium eſt non eſse, ſit contradictio eius neceſsarium eſt non eſse, aſſerit dum addit: *Hæc enim ſit contradictio eius, quæ ſequitur illam, quæ eſt non poſſibile eſſe, illam enim ſequitur ea quæ eſt impoſſibile eſſe, & neceſſe non eſſe, cuius negatio eſt, non neceſſe non eſſe.* Oſtendit Ariſtoteles hanc quartam propoſitionem modalem eſse contradictoriam, ſcilicet non neceſsarium non eſse, illius affirmatiuæ neceſsarium non eſse tertij ordinis; eo quoniam ſicut illa ſe habet ad non poſſibile eſse, tanquam affirmatio, ita hæc ad poſſibile eſse tanquam negatio; quapropter ſequitur; *Sequuntur igitur, & hæ contradictiones ſecundum prædictum modum,* hoc eſt, euenet, propterea quod ſicut neceſsarium non eſse, quia ſe habet vt affirmatio ad non poſſibile eſse tanquam negatio, quod eam ſequitur conuerſim contradictoriæ, quòd etiam hæc non neceſsarium non eſſe cum ſe habeat tanquam negatio ad affirmatiuam poſſibile eſse, eandem conuerſim contradictoriæ ſequetur. Et tali pacto inſuper cum non neceſsarium non eſse ſequatur tanquam

negatio. Remouetur etiam aliud abſurdum, quod ſequebatur ex poſitione antiquorum, ſcilicet neceſſarium eſſe inferre non neceſſarium eſſe: & hoc eſt quod habetur in illis verbis, *Et nihil impoſſibile contingit ſic poſitis*. ſcilicet ſi in ordine primo ſequatur non neceſſarium non eſſe, poſſibile eſſe, & in ſecundo ordine non A neceſſarium eſſe, ſequatur poſſibile non eſſe: & ſic patet quòd antiqui peruertentes verum ordinem, quia collocarunt in vna claſſe, quòd in altera ſituare debebant, praue fecerunt, cum omnes propoſitiones modales potius ſint diſponendæ, & ordinandæ, vt in figura ſequenti.

Figura propoſitionum modalium ex Ariſtotele.

Prima claſſis.		*Tertia claſſis.*	
Antecedentes.	Poſſibile eſſe Contingens eſſe.	Non poſſibile eſſe. Nõ contingens eſſe.	Antecedentes.
Conſequentes.	Non impoſſibile eſſe. Non neceſſarium non eſſe,	Impoſſibile eſſe. Neceſſarium non eſſe.	Conſequentes.
Secunda claſſis.		*Quarta claſſis.*	
Antecedentes.	Poſſibile non eſſe. Contingens non eſſe.	Non poſſibile non eſſe. Non contingens non eſſe,	Antecedentes.
Conſequentes.	Non impoſſibile nõ eſſe. Non neceſſarium eſſe.	Impoſſibile non eſſe. Neceſſarium eſſe.	Conſequentes.

Dubitabit autem aliquis ſi illam quæ eſt, neceſſarium eſſe, ea quæ eſt, poſſibile eſſe, ſequitur, nam ſi non ſequitur, contradictio ſequetur, quæ eſt non poſſibile eſſe, & ſi quis hanc non eſſe dicat contradictionem, neceſſe eſt dicere, poſſibile non eſſe, quæ utræq; falſæ ſunt de neceſſe eſſe. At uerò rurſus idem uidetur eſſe poſſibile incidi, & non incidi, & eſſe, & non eſſe; quare erit neceſſe eſſe, contingens non eſſe, hoc autem falſum eſt.

Manifeſtauit Philoſophus in præcedentibus, antiquos erraſse in ordinatione conſequentiæ earum de neceſſario, ad eas de poſſibili, & non poſſibili, præſertim in prima claſſe, ponentes D non neceſſarium eſſe, ſequi poſſibile eſſe, potiſſimum hac ratione, quoniam daretur hoc impoſſibile, quod ſcilicet neceſſarium eſſet non neceſſarium, quod impoſſibile deduxit hunc in modum, ad neceſſarium eſſe ſequitur poſſibile eſſe; alioquin ſequeretur eius contradictoria non poſſibile eſſe, quæ æquipollet huic impoſſibile eſſe, & ſic ſequeretur aperta implicatio, quòd neceſſarium inferret impoſſibile. Itaque ad neceſſarium eſſe, ſequitur poſſibile eſſe ad poſſibile eſſe, ſequitur impoſſibile eſſe ex diſpo-B ſitione antiquorum ad impoſſibile eſſe, non neceſſarium eſſe; ergo de primo ad vltimum ad neceſſarium eſſe, ſequitur non neceſſarium eſſe, quod eſt impoſſibile, ex hac conſideratione monſtrauit veteres erraſse, & ordinem propoſitionum modalium de neceſſario in prima & ſecũda claſſe præpoſteraſſe; ſiquidẽ in prima claſſe debet locari non neceſſarium non eſſe, in ſecunda verò non neceſſarium eſſe, quoniam tali pacto diſponentes conuerſim cõtradictoriæ erit conſequentia earum de neceſſario, ſicuti & earum C de impoſſibili in qualibet claſſe ad eas de poſſibili, & non poſſibili, & ſingulis primæ claſſis erunt contradictoriæ ſingulæ tertiæ claſſis, ſicut etiam ſingulis ſecundæ claſſis erunt contradictoriæ ſingulæ quartæ claſſis. Nunc poſtquam declarauit modalium conſequentias, poſitis primo loco illis de poſſibili, & non poſſibili iuxta morem antiquorum, & de medio ſubſtulit inconueniens illud, quod ſequebatur ex eo, quod poſſibile ſequatur neceſſarium, quòd ſcilicet neceſſarium eſſet non neceſſarium, quia adhuc ſi poſſibile ſequitur neceſſarium, ſupereſt aliud abſurdum, quòd ſcilicet neceſſarium eſſe contingit non eſſe in præſenti pr. miſſam quæſtionem, nunquid poſſibile neceſſarium ſequatur. proponit iterum diffuſius examinare, vt & hoc aliud de medio tollat abſurdũ, & inde doceat nouum ordinem conſequentiæ propoſitionum modalium, præpoſitis primo loco illis de neceſſario, & inquit, ſi ad neceſſarium eſſe, non ſequitur poſſibile eſſe, ſequeretur non poſſibile eſſe, quæ eſt illius contradictio, vtrumque ſit, oritur inconueniens; vt dictum eſt; & addit, quòd non

valemus redarguere rationem prędictam, dicentes ad neceſſarium eſſe neutrum horum ſequi, nempe poſſibile eſſe, non poſſibile eſſe; negantes non poſſibile eſſe, eſſe contradictionem eius poſſibile eſſe, ſed potius ſequi hanc poſſibile non eſſe, quæ ſit contradictio, hoc inquam ſubterfugium non poteſt interponi, quoniam dato, & non conceſſo, quod poſſibile non eſſe ſit contradictio eius poſſibile eſſe; quod tamen non eſt verum; debet enim ſignum negatiuum in modalibus apponi modo, non verbo, vt fiat negatio, tamen non vitabitur hoc aliud ſuperueniens incommodum infra poſitum, quia ad neceſſarium eſſe non poteſt ſequi poſſibile non eſſe, quoniam quod neceſſe eſt eſſe, non poteſt non eſſe: quapropter cum neque negatiua ſimplex de poſſibili, non poſſibile eſſe, neque affirmatiua declinata poſſibile non eſſe: ſequi poſſit neceſſarium eſſe, remanet quod ſequatur poſſibile eſſe: tunc vltra impoſſibile præmiſſum de medio ſublatum in præcedentibus, ſuccedit aliud inconueniens, ſcilicet quia poſſibile ſe habet poteſtate ad vtrumque: poteſt enim eſſe, & non eſſe; & quod poteſt non eſſe, contingit vt non ſit. Hinc ſi neceſſarium eſſe ſequitur poſſibile eſſe, ſequitur etiam contingens non eſſe, & ſic de primo ad vltimum, quod neceſſarium eſt eſſe, contingit vt non ſit, quæ eſt manifeſta falſitas. Dicit itaque. *Dubitabit autem aliquis, ſi eum, qua eſt, neceſſarium eſſe, ea qua eſt, poſſibile eſſe ſequitur*, ſcilicet ſi neceſſarium, & poſſibile concordent; & ſic denuo mouet quæſtionem in præcedentibus examinatam, ſi ad neceſſarium eſſe, ſequatur poſſibile eſſe. *Nam ſi non ſequitur, contradictio ſequetur, qua eſt non poſſibile eſſe.* Si quis enim negabit poſſibile non concordare cum neceſſario, fateri opus erit ſequi contradictionem poſſibilitatis, videlicet non poſſibile eſſe: in his terminis ſuperius conſiderauit hanc ambiguitatem, quam tamen diſtinctius hoc in loco examinat, vt auferat iam dictum inconueniens, quod ſuperuenit, & nouum ordinem conſequentiæ propoſitionum modalium conſtituat. *Et ſi quis hanc non eſſe dicat contradictionem, neceſſe eſt dicere, poſſibile non eſſe, quæ vtræque falſæ ſunt; de neceſſe eſſe.* Quod ſi quis aſſeruerit non poſſibile eſſe, non eſſe contradictionem illius poſſibile eſſe: & præterea neutram ſequi, ſed ſequi hanc poſſibile non eſſe, quæ ſit contradictio, & hunc in modum conetur infirmare rationem præmiſſam, tamen etſi falſum dicat, quoniam ad modum, non ad verbum, apponendum eſt ſignum negatiuum, tamen conceſſo quod ſit contradictio ea poſſibile non eſſe; ſequetur ad neceſſarium eſſe, etiam redibimus in idem inconueniens, namque vtræque falſæ erunt, ſcilicet & non poſſibile eſſe, & poſſibile non eſſe, de neceſſario eſſe: nam quod neceſſe eſt fieri, non poteſt eſſe, vt non poſſibile ſit. Et iterum, quod neceſſe eſt fieri, non poteſt vt poſſibile ſit non eſſe; quare neutra ſequetur: & ſic cum neutra

A ſequatur, remanebit ad neceſſe eſſe ſequi poſſibile eſſe; & ſi poſſibilitas conſentiat neceſſitati, tunc ſequitur hoc inconueniens, quod ponitur in ſequentibus, quando dicit. *At verò rurſus idem videtur eſſe poſſibile incidi, & non incidi, & eſſe, & non eſſe, quare erit neceſſ. eſſe, contingens non eſſe, hoc autem falſum eſt.* Si poſſibile ſequatur neceſſarium, *Rurſus*, id eſt præter inconueniens præmiſſum, quod neceſſarium erit non neceſſarium, eueniet aliud, quod neceſſarium non erit contingens, quoniam poſſibile poteſt eſſe,

B & non eſſe, poſſibilitas eſt affirmationi, & negationi communis, quod poteſt eſſe, & non eſſe, contingit vt non ſit; ergo ſi neceſſarium conſentit cum poſſibili, & poſſibile contingit non eſſe, neceſſarium non erit contingens, quod tamen eſt falſum, eo quoniam, quod neceſſarium eſt, non eſſe non poterit, & quod non eſſe non poteſt, nullo pacto non eſſe contingit.

Manifeſtum eſt autem, quòd non

C omne poſſibile vel eſſe, vel ambulare, etiam oppoſita poteſt, ſed eſt in quibus non ſit verum. Primum quidem in iis, quæ non ſecundum rationem poſſunt, vt ignis calefactiuus eſt, & habet vim irrationalem. Quę igitur ſecundum rationem poteſtates ſunt; eædem plurium etiam con-

D trariorum ſunt; irrationales verò non omnes, ſed (quemadmodum dictum eſt) ignem non eſt poſſibile calefacere, & non: neque quęcunque alia ſemper agunt; alia verò poſſunt & ſecundum irrationales poteſtates ſimul oppoſita ſuſcipere; ſed hoc huius gratia dictum eſt, quoniam

E non omnis poteſtas oppoſitorum ſuſceptiua eſt, neque quæcunque ſecundum eandem ſpeciem dicuntur.

Cum Ariſtoteles rurſus in medium adduxerit eam ambiguitatem, numquid poſſibile neceſſarium ſequatur; propterea quod præter inconueniens de medio ſublatum videbatur oriri hoc aliud incommodum, ſcilicet quod neceſſa-

F rium eſſe, non contingens eſſet: nunc prędictam difficultatem duplici diſtinctione poſſibilis diſſoluit; qua duplici diſtinctione ſtatuit, etiam ſi poſſibile ſequatur neceſſarium; non tamen propterea ſequi, quod neceſſarium contingentis naturam ſuſcipiat, cum non om-

ſicationem; nam quædam ad vnum tantum oppoſitorum, quædam ad plurima referri poſſunt, vt dictum eſt; ideo ſequitur.

Quædam verò poteſtates æquiuocæ ſunt, poſſibile enim non ſimpliciter dicitur; ſed hoc quidem, quoniam verum eſt quòd in actu eſt, vt poſſibile ambulare, quoniam ambulat iam, & omnino poſſibile eſſe, quoniam iam eſt in actu, quod dicitur eſſe poſſibile: illud verò, quoniam actu eſſe poſſet, vt poſſibile ambulare, quoniam ambulare poſſet; & hæc quidem in ſolis mobilibus eſt poteſtas; illa verò & in immobilibus; vtrumque verò verum eſt dicere, poſſibile ambulare, vel eſſe, & quòd ambulat, & actu eſt, & ambulatiuum. Sic igitur impoſſibile non eſt verum de neceſſario ſimpliciter dicere, alterum autem verum eſt. Quare, quoniam partem uniuerſalem ſequitur, illud quod ex neceſſitate conſequetur, poſſe eſſe, ſed non omne.

Cum hucuſque tradiderit vnam diſtinctionem de poſſibili, quod ſcilicet aliud vim habet rationalem, aliud irrationalem, vt inde eliceret non omne poſſibile ſe habere ad plurima oppoſita, ſed dari aliquod poſſibile, quod ad vnum tantum oppoſitum referri poteſt, & quod non omne poſſibile eſt ſecundum eandem ſpeciem, ſcilicet vniuocum, modo ex eo, quòd quædam poſſibilia ſunt æquiuoca, altius exordiens aliam tradit diſtinctionem de poſſibili; ex qua diſtinctione iuncta prima ſupra poſita, motam ambiguitatem è medio tollit, & nouum deinde ordinem modalium propoſitionum conſtituit. Eſt autem huiuſcemodi diſtinctio poſſibilis, ſcilicet poſſibile vno modo ſumitur pro eo, quod iam actu eſt, vt poſſibile eſt Socratem eſſe, vel ſtudere, cum Socrates re ipſa eſt, vel ſtudet; & hoc modo reperitur etiam in immobilibus: alio modo accipitur pro eo, quod nondum ad actum deuenit, ſed poteſt exire, vt poſſibile eſt Socratem eſſe, vel ſtudere, & ſi re ipſa non ſit, vel ſtudeat: ſed quia poteſt eſſe, vel ſtudere, quo modo ſolum reperi-

A tur in mobilibus, quomodocunque accipiatur, poſſibile dicitur, vel illud ad actum deuenerit, vel etiam ſi nondum ſit, ſed poſſit eſſe. Ex qua diſtinctione addita primum ſequitur ſolutio difficultatis propoſitæ, nunquid poſſibile neceſſarium ſequatur: manifeſtum namque eſt, genus, & vniuerſale de ſpecie, & particulari prædicari: quare ſicuti ad hominem vti ſpecies, ſequitur animal tanquam genus, eodem modo ad neceſſarium tanquam ſpecies, & minus vniuerſale, ſequitur poſſi-
B bile, quod eſt genus, & communius; non tamen eſſe poſſibile conſequitur neceſſarium, ſed illud, quod iam ad actum deuenit, & ad vnum tantum ſe habet oppoſitum; & hunc in modum ex duplici diſtinctione poſſibilis ſolutionem motæ difficultatis colligit; ideo dicit, *Quædam verò poteſtates æquiuocæ ſunt*: Refertur ad ſupradicta, quòd non omnis poteſtas eſt ſecundum eandem ſpeciem, ſcilicet vniuoca; vnde ſequitur quædam poteſtas eſſe æquiuoca, videntur expoſitores diſtinguere inter poten-
C tiam, & poſſibile, ita vt ex Sueſſano ex multiplicitate potentię, Ariſtoteles deducat multiplicitatem poſſibilis, quòd à potentia deriuatur; verùm arbitror, Ariſtotelem potius doctrinaliter quàm alio modo procedere in tradenda diſtinctione poſſibilis, non quòd ex diuiſione multiplicis potentiæ velit inferre multiplicem ſignificationem poſſibilis, vel è contrario, ſcilicet ex multiplicitate poſſibilis potentiæ multiplicem ſignificationem, vt innuere videtur Boetius, ſed modo potentiam, mo-
D do poſſibile accipiat, quaſi quòd verificetur de potentia, etiam verificetur de poſſibile, Quod poteſtate traducitur. Propterea cum dixerit poteſtates æquiuocas exiſtere, ſequitur explicare multiplicitatem hanc in poſſibilibus, dicens, *Non enim poſſibile ſimpliciter dicitur*, quaſi dicat, quòd poteſtas ſit æquiuoca, ſcilicet quia poſſibile non dicitur vno modo, ſed multiplici, videlicet, *Sed hoc quidem, quoniam verum eſt quod in actu eſt, vt poſſibile ambulare, quoniam ambulat iam, & omnino poſſibile*
E *eſſe; quoniam iam eſt in actu, quod dicitur eſſe poſſibile*. Hic ponit primum modum poſſibilis, vt declaret quomodo poteſtas ſit æquiuoca, & inquit quòd vno modo dicitur poſſibile, eo quod verum eſt, vt actualiter exiſtit, & dat exemplum veluti ſi quis actu re ipſa ambulat, dicitur poſſibile eſſe eum ambulare, quoniam iam ad actum deuenit, quod poſſibile dicitur. *Illud verò quoniam actu eſſe poſſet, vt poſſibile ambulare, quoniam ambulare poſſet*. Declarat ſecundum modum poſſibilis, cùm ſcili-
F cet aliquid dicitur poſſibile, non prout iam actu eſt, ſed quia ad actum deuenire poteſt, vt poſſibile eſt quempiam ambulare, non quia ambulet, ſed quia poterit ambulare. *Et hæc quidem in ſolis mobilibus eſt poteſtas; illa verò & in immobilibus*: Et cum poteſtas, &

poſſibile ſit duplex, & duobus modis accipiatur, *Hæc*, ſcilicet ſecundum modum ſolum in mobilibus, ſcilicet corporibus repentur; alia vero, ſcilicet primus, nedum in corporibus, & mobilibus, puta corruptibilibus; verùm etiam in immobilibus reper.tur, vt puta in corruptibilibus. *Vtrumque verò verum eſt dicere poſſibile ambulare, vel eſſe, & quod ambulat, & actu eſt, & ambulatiuum*. Poteſtas vero, ſiue poſſibile primo, & ſecundo modo ſumptum, etſi diſcrepent, quatenus vnus modus in mobilibus tantum, alius etiam in immobilibus reperiatur, conueniunt tamen, quod vtrumque poſſibilis nomen meretur, ſiue ſit ea poteſtas, quæ iam deuenit ad actum, ſiue poſſibile id, quod nondum ad actum deuenit, poteſt tamen deuenire. *Sic igitur poſſibile non eſt verum de neceſſario ſimpliciter dicere; alterum autem verum eſt*. In præſenti ex diſtinctione poſſibilis, colligit quòd non omne poſſibile neceſſario conſentit, ſcilicet non omnis modus poſſibilis tam primus, quam ſecundus, tam quod actu exiſtit ineſſe, quam quòd ad actum deuenire poteſt. *Sed alterum*, illud ſcilicet, quod ſecundum actum eſt immutabile, quod comprobat, dum addit: *Quare quoniam partem vniuerſalem ſequitur illud, quod ex neceſſitate conſequetur, poſſe eſſe, ſed non omne*. Reddit rationem, quare ad neceſſarium ſequitur poſſibile, & ſimul & ſemel ambiguitatem tollens ponit, quòd nam poſſibile neceſſarium ſequatur; & inquit, quòd genus, quod eſt totum, & vniuerſale ſpeciem, quæ eſt eius pars, & particulare ſequatur; nam animal hominem ſequitur, & neceſſarium ſit pars, & ſpecies poſſibilis, quod ſe habet vti totum, & tanquam genus: hinc ad neceſſarium conſequitur poſſibile, verùm non omne poſſibile, ſed illud quod eſt immutabile, quòd ad actum deuenit, & in actu actualiter exiſtit: & ea propter ambiguitas propoſita facile tollitur, quod non ex hoc neceſſarij natura mutetur, quando poſſibile neceſſarium conſequitur, ſcilicet quòd neceſſarium fiat non contingens, ſiquidem non omne poſſibile, ſed quod immutabile, & ad vnam tantum partem refertur, ad neceſſarium ſequitur: verùm quia in ordinatione modalium prænarratarum poſſibile, & contingens ſe habent tanquam inferentia, ad quæ ſequatur impoſſibile, & neceſſarium, proponit rationabiliter ordinem illum immutare, & neceſſarium tanquam præcedens ad quod reliqua conſequantur, præponere, & dicit.

Et eſt quidem fortaſſe principium, quod neceſſarium eſt, & quod non neceſſarium eſt, omnium vel eſſe, vel non eſſe; & alia, veluti horum conſequentia, conſiderare oportet.

A **Manifeſtum eſt autem ex ijs, quæ dicta ſunt. quòd id quod ex neceſſitate eſt, ſecundum actum eſt; quare ſi priora ſunt ſempiterna, & quæ actu ſunt, poteſtate priora ſunt, & hæc quidem ſine poteſtate actus ſunt, vt primæ ſubſtantiæ. Alia verò cum poteſtate, quæ natura quidem**
B **priora ſunt, tempore verò poſteriora; alia autem nunquam actus ſunt, ſed poteſtates ſolum.**

Poſtquàm determinauit Ariſtoteles conſequentiam poſſibilis, & neceſſarij, de medioq; ſublatis quæ oriri ex hac conſequentia videbantur, vult rationabiliter conſtituere diuerſum ordinem propoſitionum modalium, vt antiqui fecerunt: ipſi namque poſuerunt ad poſ-
C ſibile, & non poſſibile, contingens, & non contingens, tanquam antecedentes, conſequi impoſſibile, & neceſſarium; cum tamen iure merito potius è contrario, neceſſarium, & non neceſſarium præcedere debeant; reliquos verò modos his conſentire; ſiquidem neceſſaria cum ſemper actu ſint, & immutabilia, ſint quoque ſempiterna, & per conſequens priora poſſibilibus, quæ perpetua dici non merentur, cum non excludant quin poſſint eſ-
D ſe & non eſſe, & quia dixerat ſempiterna eſſe priora; idcirco in fine ſubiungit rerum diuiſionem quandam, vt hinc prioritatem ſempiternorum optime cognoſcamus, videlicet, quòd rerum, aliæ ſemper actu ſunt, ita vt de poteſtate ad actum nunquam exierint, & harum nullæ ſint poteſtates, veluti ſe habent primæ ſubſtantiæ, quæ ideo dicuntur primæ, quia ſunt omnium aliarum rerum cauſæ, vti ſunt intelligentiæ. Aliæ ſunt, quæ exierunt de potentia ad actum, vt mobiles, & in his
E quoquomodo prior eſt poteſtas, ſcilicet tempore & quoquomodo actus, ſcilicet natura; aliæ verò ſunt, in quibus ſola poteſtas reperitur; nunquam verò actus, vt numerus, & tempus, quæ ſemper quidem in infinitum concreſcere poſſunt, eorumq; infinita diuiſio magnitudinis, & augmentatio nunquam ad actum deuenit: ſiquidem eorum naturæ repugnat, quia nunquam horum aliquid eſt, quin aliud expectetur. Dicit itaque; *Et eſt quidem fortaſſe principium quod neceſſarium eſt, & quod non neceſſarium eſt*, ſci-
F licet neceſſarium & non neceſſarium debent præcedere, & eſſe principium, *Omnium, vel eſſe, vel non eſſe*, hoc eſt omnium propoſitionum modalium, vel affirmatiuarum, vel negatiuarũ. Quapropter loco poſſibilis, debet reponi neceſſarium, loco non poſſibilis, non neceſſarium, *Et alia veluti horum conſequentia conſiderare oportet.*

Reli-

Reliqui verò modi propoſitionum, ſcilicet A poſſibile, contingens, & impoſſibile debent conſequi neceſſarium, & non neceſſarium, ita vt ad neceſſarium, & non neceſſarium tanquam præcedentes, poſſibile, contingens, & impoſſibile ſe habeant, vt conſequentes. Illæ igitur ſexdecim propoſitiones modales, quas ſuperius ita diſpoſuit in quatuor claſſes, ita vt in prima claſſe ad poſſibile eſſe, & contingens eſſe ſequeretur non impoſſibile eſſe, non neceſſarium non eſſe, in ſecunda claſſe ad poſſibile non eſſe, & contingens non eſſe, ſequeretur non impoſſibi- B le non eſſe, non neceſſarium eſſe, in tertia claſſe ad non poſſibile eſſe, & non contingens eſſe, impoſſibile eſſe, & neceſſarium non eſſe, & in quarta claſſe ad non poſſibile non eſſe, & non contingens non eſſe, impoſſibile non eſſe, & neceſſarium eſſe. Has inquam propoſitiones alio modo perfectiſſimo, & veriori diſponit præponendo reliquis neceſſarium, & non neceſſariū, & inquit, quòd in prima claſſe ad neceſſarium eſſe tanquam antecedens, ſequentur vti conſequentes non poſſibile eſt non eſſe, non contingens eſt non eſſe, impoſſibile eſt non eſſe, & ad neceſſarium eſt non eſſe, in ſecunda claſſe ſequuntur non poſſibile eſt eſſe, non contingens eſt eſſe, impoſſibile eſt eſſe, & in tertia claſſe ad non neceſſarium eſt eſſe, ſequuntur poſſibile eſt non eſſe, contingens eſt non eſſe, non impoſſibile eſt non eſſe: poſtremo in quarta, & vltima claſſe ponit ad non neceſſarium eſt non eſſe, ſequi poſſibile eſt eſſe, contingens eſt eſſe, non impoſſibile eſt eſſe, vt figura ſequenti.

Prima claſſis.	Neceſſarium eſt eſſe ſequuntur.	Non poſſibile eſt non eſſe. Non contingens eſt non eſſe. Impoſſibile eſt non eſſe.
Secunda claſſis.	Neceſſarium eſt non eſſe ſequuntur.	Non poſſibile eſt eſſe. Non contingens eſt eſſe. Impoſſibile eſt eſſe.
Tertia claſſis.	Non neceſſarium eſt eſſe ſequuntur.	Poſſibile eſt non eſſe. Contingens eſt non eſſe. Non impoſſibile eſt non eſſe.
Quarta claſſis.	Non neceſſarium eſt non eſſe ſequuntur.	Poſſibile eſt eſſe. Contingens eſt eſſe. Non impoſſibile eſt eſſe.

Ex his habemus exquiſitas conſequentias ipſarum propoſitionum modalium tali pacto ordinatas, quod vnde prius neceſſariæ vltimum locum tenebant, primum ſortitæ ſunt, cuius mutati ordinis rationē reddit in ſequentibus, quando dicit, *Manifeſtum eſt autem ex ijs, quæ dicta ſunt*, quando ſcilicet agit de neceſſario, *quod id, quod ex neceſſitate eſt, ſecundum actum eſt*; quod neceſſaria actu ſunt, & immutabilia. *Quare ſi priora ſunt ſempiterna, & quæ actu ſunt poteſtate priora ſunt*, hoc eſt, ea, quæ actu ſunt, ſcilicet neceſſaria, ſunt priora poſſibilibus, quæ omnino actu non ſunt, cum ſempiterna veluti reperiuntur neceſſaria, priora ſint, tota vis rationis poteſt deduci in forma hunc in modum, ſempiterna priora ſunt poſſibilibus, neceſſaria quæ ſemper actu ſunt, ſunt ſempiterna; ergo neceſſaria ſunt priora poſſibilibus. Hinc infertur, quòd antiqui non ſeruarūt naturalem ordinem conſequentiæ propoſitionum modalium. *Et hæc quidem ſine poteſtate actus ſunt, vt primæ ſubſtantiæ*. Vt declaret quomodo ſempiterna & neceſſaria ſint priora, hic rerum diuiſionem ſubdit, quamq; prioritatem res ipſæ in ſe recipiant, & facit tres rerum differentias. Prima differentia ponitur hoc in loco, quòd ſcilicet rerum aliæ ſunt, quæ potentiam non habent ad- C mixtam, ſed ſolum actum continent, cuiuſmodi ſunt primæ ſubſtantiæ, non quidem prædicamentales, ſed tranſcendentes, vt intelligentiæ, quæ ideo dicuntur primæ, quia ſunt rerum omnium veluti principium, & cauſa, & hoc modo neceſſaria ſunt priora. *Alia vero cum poteſtate, quæ natura quidem priora ſunt, tempore vero poſteriora*. Ponit ſecundam differentiam ipſarum rerum, earum ſcilicet, quæ deuenerunt de poteſtate ad actum, vt in mobilibus accidit, & in his poteſtas eſt prior tempore, D poſterior natura actu, qui de potentia traducitur. *Alia autem nunquam actus ſunt, ſed poteſtates ſolum*. Tertiam intelligit rerum differentiarum, eam nempe, quę nunquam ad actum omnino deueniunt, vti de motu, & numero. 9. Metaph. ab Ariſtotele habetur, quorum magnitudinis diuiſio, & augmentatio cum extendatur in infinitum, nunquam erit de potentia ad actum, ita vt aliud non deſit, & ſi illud ſuſcipiat, cum nihil actu poſſit eſſe infinitum.

E Er hæc ſatis ſuper hoc Capite de Enunciationibus.

Super Capite Tertio de Enunciationibus pro Iuris Studioſis.

IN ſupra proximo capite habuimns numerũ, contradictionem, & conſequentiam modalium propoſitionum.

Vnde primum duo annotanda præmiſimus: vnum, quod cum modi ex rerum ordine originem trahant, tot etiam erunt propoſitiones modales, quot res. Hinc cum res ſint in triplici differentia, ſcilicet impoſſibiles, quæ nullo modo exiſtere valẽt, vt hominem eſſe lapidem; neceſſariæ, quæ aliter ſe habere non poſſunt, vt cęlum moueri, & medio modo ſe habentes, quæ ad eſſe, & non eſſe referri poſſunt, ut contingẽtes, quæ & poſſibiles nuncupari poſſunt, vt Socratem ſtudere: præterea diximus ex prædicto rerum ordine oriri quatuor propoſitiones modales, ſcilicet neceſſariæ, impoſſibiles, contingentes, & poſſibiles. Aliud quod præmiſimus erat iſtud, quod modi alij ſunt, qui potius ſpectant ad ornatum, & elegantiam elocutionis, vt ſubtiliter, manifeſte, & huius generis reliqui; alij verò ad modificandam, & qualem qualem, vt ita dicam, reddendam propoſitionem. Qui modi ſunt quatuor, Impoſſibile, Neceſſarium, Contingens, Poſſibile. Ex quibus annotauimus quatuor eſſe propoſitiones modales, neceſſariã, vt neceſſarium eſt hominem eſſe animal; impoſſibilem, vt impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem; contingentem, vt contingens eſt hominem ſeneſcere; poſſibilem, vt poſſibile eſt hominem ambulare.

Deinceps cõſiderauimus, quòd ſicuti ad hoc, vt propoſitio de ineſſe ſit contradictoria, requiritur vt negatio cadat ſuper verbo, ita vt huius affirmatiuæ de ineſſe, homo eſt albus, contradictio ſit; hæc negatiua, homo non eſt albus, quia tota eius vis conſiſtit in verbo, ita in modalibus cum tota vis propoſitionis modalis ſtet in modo, ſignum negatiuum eidem modo apponi debet, ita vt huius modalis affirmatiuæ, neceſſariũ eſt hominem eſſe animal, contradictio non ſit, neceſſarium eſt hominem non eſſe animal, ſed hæc, non neceſſarium eſt hominem eſſe animal; in qua, non, quod eſt ſignum negatiuum apponitur modo, ſcilicet neceſſario.

Poſtremo omiſſis quæ de mente antiquorum poſita & diſpoſita fuere circa prædictam modalium conſequentiam, in calce capitis cum Ariſtotele conſequentias propoſitionũ modalium A ita digeſſimus, vt quatuor claſses fuerint per nos conſtitutæ. In quarum prima claſse ordinauimus ad neceſsarium eſt eſse ſequi non poſſibile eſt non eſse, non contingens eſt nõ eſse, impoſſibile eſt non eſse. In ſecunda ad neceſsarium eſt non eſse ſequi non poſſibile eſt eſse, nõ contingens eſt eſse, impoſſibile eſt eſse. In tertia claſse ad non neceſsarium eſt eſse, poſſibile eſt non eſse, contingens eſt non eſse, non impoſſibile eſt non eſse. In quarta claſse ad non neceſſarium eſt non eſse, poſſibile eſt eſse, contingens B eſt eſse, non impoſſibile eſt eſse, vt in figura eo loco poſita ad oculum videri poteſt.

Modo ad rem legalem, his memoriæ denuo repetitis, dico breuiter etiam in iure conſiderari poſse eundem numerum, eaſq; contradictiones, ac conſequentias propoſitionum modaliũ; nec non dari propoſitiones modales ratione ornamenti elocutionis, ac explanandæ, & modificandæ propoſitionis.

De propoſitionibus modalibus, non modificantibus propoſitionem paſſim habetur pluri- C bus in locis in corpore iuris, ſcilicet in l. Deo auctore. ff. de vet. iu. enucl. in ea enunciatione, quæ dicit, qui ſubtiliter factum emẽdat, laudabilior eſt eo, qui primum inuenit. Pariter in l. monumenta. C. de legatis. Monumenta quidem legari non poſse manifeſtum eſt. Itidem in l. & in epiſtola. C. de fideicom. Nutu fideicommiſsum relinqui poſse adhibitis teſtibus dubium nõ eſt. Idem in l. tutoris. C. quando tutores. Tutoris officium ex ſola voluntate pupilli non finiri certiſſimum eſt.

D De propoſitionibus verò modalibus propoſitionem qualificantibus habetur etiam in iure. De propoſitione modali neceſsaria, in l. neceſſarium. ff. de orig. iuris. Neceſsarium eſt in primis iuris originem, & proceſsum demonſtrare; de impoſſibili in l. impoſſibilis. ff. de verb. oblig. Inſt. tit. de inutilibus ſtipul. §. ſi impoſſibilis. Impoſſibile eſt digito cęlum attingere; de contingenti in l. vnica. §. & cum triplici. C. de cad. toll. Contingens eſt in vltimis elogijs relicta deficere; de poſſibili contradictoria. §. minorem. Inſt. E tit. de adopt. Non poſſibile eſt minorem natu maiorem adoptare.

Ex his exemplis ex iure deſumptis, iuris ſtudioſus manifeſte cognoſcere poterit in iure vſum reperiri poſse propoſitionum modalium, idemq; poterit conſimiles proprio ingenio, cõponere & ſicuti numerus, & contradictio propoſitionum modalium valet reperiri in corpore iuris, pari ratione, earundem conſequẽtiam ordinare poterimus, ita vt huiuſmodi figuram conſcribamus.

Prima claſſis.	Neceſſarium eſt iuris originem demonſtrare.	Non poſſibile eſt iuris originē non demonſtrare. Non contingēs eſt iuris originē non demōſtrare. Impoſſibile eſt iuris originem non demonſtrare.
Secunda claſſis.	Neceſſarius eſt iuris originem non demonſtrare.	Non poſſibile eſt iuris originem demonſtrare. Non contingens eſt iuris originem demonſtrare. Impoſſibile eſt iuris originem demonſtrare.
Tertia claſſis.	Non neceſſariū eſt iuris originem demonſtrare.	Poſſibile eſt iuris originem non demonſtrare. Contingens eſt iuris originem non demonſtrare. Nō impoſſibile eſt iuris originē non demōſtrare.
Quarta claſſis;	Non neceſſariū eſt iuris originem non demonſtrare.	Poſſibile eſt iuris originem demonſtrare. Contugens eſt iuris originem demonſtrare. Non poſſibile eſt iuris originem demonſtrare.

Et tali pacto habemus numerū, contradictionem, & conſequentias propoſitionum modalium etiam in iure. Et hæc hactenus.

SECTIO QVINTA.

Quæ enunciationes contrariæ magis ſibi inuicem eſſe dicantur. Cap. IV.

VTrum autem contraria eſt affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quòd omnis homo iuſtus eſt, ei quę eſt, nullus homo iuſtus eſt, aut omnis homo iuſtus eſt, ei quæ eſt, omnis homo iniuſtus eſt, vt eſt Callias iuſtus, nō eſt Callias iuſtus, Callias iniuſtus eſt; vtra harū cōtraria eſt? nā ſi ea quę ſunt in voce, ſequūtur ea quę ſunt in intellectu. Illic autē contraria eſt opinio cōtrarij, vt quòd omnis homo iuſtus eſt, ei quæ eſt, omnis homo iniuſtus eſt, etiam in iis, quę ſunt in voce affirmationibus; neceſſe eſt ſimiliter ſeſe habere, quod ſi neque illic cōtrarij opinio cōtraria eſt, nec affirmatio affirmationi erit cōtraria; ſed ea quę dicta eſt negatio: quare conſiderādum eſt, quæ opinio falſa opinioni verę contraria eſt, vtrū negationi, an ea quæ contrariū eſſe opinatur. Dico aūt hoc modo, eſt quędā opinio vera boni, quòd bonū eſt, alia aūt quòd non bonū, eſt falſa; alia verò, ꝙ malum, vtra harū cōtraria vera? & ſi eſt vna ſecundū, quā cōtraria?

A Cū hactenus Ariſtoteles egerit de conſtitutione oppoſitionibus, & conſequentijs propoſitionum, & ex iam dictis notū ſit tum priuatiuam, tum negatiuam propoſitionem perimere affirmatiuam. Modo quia ea propoſitio, quę alteram perimit, videtur ei contraria, cum de natura oppoſitorum ſit ſe inuicem tollere. Ideo in præſenti ſectione reuocat in dubium, quæ nam harum propoſitionum, ſcilicet priuatiua, vel negatiua magis perimat affirmatiuam, quęue eidem ſit oppoſita, & contraria.

B Cauſà huius intētionis eſt, quia cū iam declaratū fuerit vnius affirmationis vnicam dari oppoſitionem negatiuā propoſitionem, videbitur fortaſſe cuipiam illud nō eſſe verum, cum nedū negatio, verùm etiam priuatio affirmationē deſtruat: propterea hanc difficultatē rurſus examinare proponit, cōparatione habita inter priuatiuam, & negatiuam: & quoniam voces ſunt notæ conceptuum, hinc vult pręſentem veritatem indagare primum; in opinionibus, vt inde argumentetur idem quoque inuenire in ijs, quæ ſunt
C in voce, quę ſequuntur ea, quę exiſtūt in intellectu, vt gratia exēpli, ſit quęſtio vera de re aliqua, nempe quòd bonum eſt, bonum eſſe, contra quā ponantur duę falſę, bonū ſcilicet non eſſe bonū, vel bonum eſſe malum. Quærendum eſt ex his, quæ nā ſit vere contraria, & quia frequēter contingit negationem, & priuationem idem ſignificare, vt in contrarijs medio carentibus; quęritur in his, ſecundum quā veræ affirmationi, vel opinioni, cōtraria propoſitio, vel opinio fiat. Dicit
D itaque, *Vtrum autem contraria eſt affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, quæ eſt, quòd omnis homo iuſtus eſt, ei quæ eſt, nullus homo iuſtus eſt, aut omnis homo iuſtus eſt, ei quæ eſt, omnis homo iniuſtus eſt, vt eſt Callias iuſtus, nō eſt Callias iuſtus, Callias iniuſtus eſt, vtra harum contraria eſt?* Hic mouet quęſtionem, quā determinare proponit, vtrū propoſitioni affirmatiuę ſit contraria propoſitio negatiua, vel priuatiua. Cum enim in poſtprędicamentis, & ſuperius in pręſenti tractatu cōſiderauerit ſeorſum, quomodo negatiua & affirmatiua vniuerſalis ſint contrarię, nunc ſimul vult conſide-
E rare & negatiuam & priuatiuam, eaſq; ad inuicem comparatas & affirmationi oppoſitas ſibi proponit manifeſtare quæ nam ſit harū affirma-

tiuæ propoſitioni contraria, & hoc non ſolum A in vniuerſalibus, verùm etiam in particularibus propoſitionibus: idcirco de vtriſque ſubiecit exempla. *Nam ſi ea, quæ ſunt in voce, ſequuntur ea, quæ ſunt in intellectu. Illic autem contraria eſt opinio contrarij, vt quòd omnis homo iuſtus eſt, ei quæ eſt, omnis homo iniuſtus eſt, etiam in ijs, quæ ſunt in voce affirmationibus, neceſſe eſt ſimiliter ſeſe habere, quòd ſi neque illic contrarij opinio contraria eſt, nec affirmatio affirmationi erit contraria; ſed ea quæ dicta eſt negatio.* Cum quæſtio ea, nunquid contraria affirmationi ſit negatio, vel priuatio dependeat B ab alia quæſtione, modo hoc declarat in præſenti, & inquit, quòd cum enũciationes vocales ſequantur mentales, quia ea, quæ, ſunt in voce, ſequuntur ea, quæ ſunt in anima, vt in principio huius tractatus dictum eſt: propterea ſi *illic*, ideſt in anima, *contraria eſt opinio contrarij*, ſcilicet priuatio eius quod ponitur, non negatio, vt puta in his mentalibus enunciationibus huius poſitionis, omnis homo iuſtus eſt, ſi contraria ſit opinio contrarij, ſcilicet priuatio illius poſitionis, omnis homo iniuſtus eſt, nõ autem negatio, nul- C lus homo iuſtus eſt, *etiam in voce*, hoc eſt vocalibus propoſitionibus, *neceſſe eſt ſimiliter ſeſe habere*, idem euenire neceſſe eſt, videlicet quòd priuatio, non negatio poſitionis contraria ſit, *quòd ſi neque illic*, ideſt in anima, opinio contrarij ſit contraria, ſcilicet priuatio ſit oppoſita, ſed negatio poſitionis, puta non ſit contraria, hæc priuatio, omnis homo iniuſtus eſt, ſed nullus homo iuſtus eſt, quæ eſt negatio illius poſitionis, omnis homo iuſtus eſt: pariter hæc affirmatio, D ſcilicet priuatiua propoſitio vocalis erit contraria, ſed negatio, ſcilicet propoſitio vocalis negatiua: quapropter mota quæſtio an priuatiua ſeu negatiua propoſitio affirmatiuæ ſit contraria, depẽdet ab hac alia, vti effectus a ſua cauſa: quapropter concludit de hac prius tractandum, vti ex illius cognitione alterius habeatur notitia.

Hinc proponit conſiderandum, opinio vera, cui opinioni falſæ contraria ſit, vtrum ſcilicet negationi falſæ, an priuationi falſæ, quę contrarium eſſe arbitratur, quod declarat exẽplo ſum- E pto a bono. Sint namque, inquit, tres opiniones de bono ſcilicet de fęlicitate, vt puta, quædam ſit vera, quòd fęlicitas bonum ſit, alia falſa negatiua, quòd fœlicitas non ſit bonum, tertia falſa priuatiua, quòd fœlicitas malum ſit, quæritur quæ nam harum ſiue falſa priuatiua, vel negatiua ſit veræ contraria. Et quoniam quandoque in cõtrarijs, puta immediatis priuatio negationi conſentit: quærit Ariſtoteles, ſecundũ quam potius enunciationem, vel opinionem ſcilicet priuatiuam, vel negatiuam veræ affirmationi, F vel opinioni cõtraria propoſitio, vel opinio fiat, quod intelligit in ijs verbis, *Et ſi eſt vna ſecundum quam nam contraria*, hoc eſt in his, in quibus idem ſunt priuatio, & negatio, vt in contrarijs medio carentibus; nam in contrarijs medium habentibus non idem ſunt priuatio, & negatio: A inter album namque & nigrum dantur media, rubrum, viride, & reliqua; in his non nigrum, & album non ſunt idem, quoniam non nigrum poteſt eſſe rubrum, viride, aut aliud quoduis medium, præter album: at in immediatis contrarijs ſecus ſe habet; propterea in his, in quibus idem eſt negatio, & priuatio, quæritur vtrum ne ſecũdum eam, quę priuationem ponit, an ſecundum eam, quæ negationem contraria magis ſit propoſitio affirmationi?

Sequitur textus.

B Nam arbitrari cõtrarias opiniones definiri, eo quod contrariorum ſunt, falſum eſt; boni enim quod bonum eſt, & mali enim quod malum eſt, eadẽ fortaſſe opinio eſt etiam uera, ſiue plures, ſiue vna ſit; ſunt autem iſta contraria, ſed nõ eo quod contra- C riorum ſint, contraria ſunt, ſed magis eo quod contrariæ.

Examinaturus Ariſtoteles ſecundam quęſtionem, à qua prima dependet, quæ nam ſcilicet opinioni affirmatiuæ contraria ſit opinio; an priuatiua, vel negatiua, vult prius declarare, quemadmodum contrariæ opiniones eſſe poſſint, videlicet quòd contrarietas opinionum non attẽditur penes contraria ſubiecta, ſed potius penes oppoſitionem veri, vel falſi, & oſtendit eas non eſſe contrarias opiniones, quæ de rebus contra- D rijs aliquid ſentiunt. Exemplum bonum namque, & malum ſunt res contrariæ, vti virtus & vitium: Si quiſpiam itaque de bono, nempe de virtute opinionem ſuſceperit, quòd bonum ſit; & de malo, vt puta de vitio, opinabitur quòd malum ſit, non propterea cõtrarietas neceſſario ſubſequetur, eò quoniam ſi opinio boni, quod bonum eſt, & opinio mali, quod malum eſt, eſſẽt contrariæ, tunc ambæ ſimul non poſſent verificari; cũ tamen de opinione virtutis, & vitij circa veritatem in oppoſitum ſe habeat; vtraque E namque opinio ſimul vera exiſtit: poſſumus autem ſic in forma ſyllogizare, eæ opiniones, quæ ſimul verificari poſſunt, non ſunt contrariæ, ſed opiniones de cõtrarijs poſſunt ſimul verificari, vt patet exẽplo de bono, & malo; ergo opiniones contrariorum non ſunt contrariæ: quapropter opiniones de rebus contrarijs non ſunt contrariæ, ſed potius eæ opiniones ſunt contrariæ, quæ de re eadem, non eodem, ſed oppoſito modo ſentiunt, vt ſi de virtute ſit aliqua opinio, F quòd bonũ ſit, de eadem virtute ſit opinio alia, quòd malum ſit, in his opinionibus, quæ contrario modo de eodem ſubiecto, & re, vt puta virtute, opinantur; in his inquam erit contrarietas, quoniam opinio, quæ virtutem eſſe bonum opinatur, verum putat: ea uerò quę eãdem malum, falſum ſentit: propterea potius eæ opiniones,

quas

quas veritas & falſitas diſtinguit, verę opinioni contrariæ ſtatuendæ ſunt, & non de rebus contrarijs, ſed potius de re eadem contrario modo opinata, fit contrarietas in opinionibus. Dicit itaque; *Nam arbitrari contrarias opinines definiri, eo quod contrariorum ſunt, falſum eſt;* hoc eſt, falſum eſt; putare opiniones determinari debere contrarias penes obiecta contraria, in eo quod quædam de rebus contrarijs opinentur. Hęc eſt concluſio, quam proponit; ad cuius comprobationem addit ſequentia, *Boni enim, quod bonum eſt, & mali, quod malum eſt, eadem fortaßè opinio eſt etiam vera,* videlicet boni opinio, puta virtutis, quod bonum ſit, & mali opinio, nepe vitij, quod malum ſit, eadem fortaſſe opinio eſt, ideſt non ſunt opiniones contrariæ, & diuerſæ, ſed vtræque idem ſunt, quia veræ ſunt. Cum itaque in veritate ſimul conſentiant, & in vnitate, non poſſunt eſſe contrariæ: *Siue plures, ſiue vna ſit,* & huiuſmodi opiniones in eo, quod concordant in veritate, ſiue ſint plures, ſiue vna ſolum, idem ſunt. *Sunt autem iſta contraria,* ſcilicet opiniones verò dicuntur contrariæ: & ea, quæ in opinionibus verſantur: *Sed non in eo, quod contrariorum ſunt contraria:* ſed non in eo, quod de rebus contrarijs opinantur, *Sed magis in eo, quod contraria:* ſed potius opiniones erunt contrariæ, quatenus de re, & ſubiecto eodem, nempe virtute, *contrariæ,* ideſt modo oppoſito, & contrario ſentiunt, vt puta vna opinatur, quòd virtus ſit bonum, alia, quod virtus ſit malum. Huiuſmodi opiniones contrario modo ſentientes cõtrariæ potius ponendæ ſunt, quàm eæ, quę de rebus contrarijs, contrarium arbitrantur.

Notandum ex Diuo Thoma, quòd Ariſtoteles vtitur hoc loquendi modo fortaſse, & dubitatiue, quia non eſt proprius locus determinandi hanc quęſtionem, an contrariorum eadem ſit opinio; & quia contrariorum aliquo modo eſt eadem, aliquo modo non eadem. Si enim loquamur de habituali opinione, quatenus ſcilicet idem habitus, & eadem potentia facit cognoſcere oppoſita, tunc contrariorum eadẽ eſt opinio; ſi verò de actuali, quatenus ſcilicet actualiter concipimus in mente bonum eſse bonum, & malum eſse malum, tunc non eſt eadem opinio, licet vtrumque habitu eodem cognoſcamus, primo ſcilicet bonum, & per poſterius, & ſecundario malum.

Si ergo eſt boni quidem quod eſt bonum, opinio; alia autem quod nõ bonum eſt, eſt autem aliquid aliud, quod non eſt, neque eſſe poteſt, aliarum quidem nulla ponẽda eſt, neque quæcunque eſſe, quod nõ eſt, opinãtur; neque quæcũque non eſſe, quod eſt; infinitæ enim vtræque ſunt, & A quæ eſſe opinatur, quod non eſt, & quæ non eſſe, quod eſt, ſed in quibuſcunque fallacia eſt. Hæ autem ſunt ex his, ex quibus ſunt generationes; ex oppoſitis verò generationes, quare etiam fallaciæ.

Volens conſtituere Ariſtoteles negationem contrariam eſse affirmationi in opinionibus, nõ B priuationem, cum dixerit ſuperius, quòd contrarietas in opinionibus attenditur potius penes veritatem, & falſitatẽ earum, quam penes obiecta contraria. Declarat modo, quòd non quæcunque opiniones ſunt oppoſitæ ſecundum veritatem, & falſitatem ſunt contrariæ, ſed eæ ſolum opiniones, quę ſecundum affirmationem, & negationem eiuſdem de eodẽ ſunt oppoſitę: per quam concluſionem, quęſtionem ipſam terminabit. Dicit itaque, quod de re aliqua plures poſſunt eſſe opiniones; quædam opinio, C quæ opinetur de re id quod eſt, quædam quæ arbitretur eſſe id quod non eſt: alia, quę id, quod ſecum habet res illa, non eam habere putet: alia, quæ id, quod nõ ſecum habet res illa, id eam habere opinetur. Exemplum ſit aliquod bonum, vt iuſtitia, vel virtus, ſi quis opinabitur virtutem eſſe bonum, erit opinio vera: ſi verò quis arbitrabitur, quod non eſt bonum, puta eandem virtutem non eſſe bonum, falſa erit opinio. Pariter ſi quis ſentiet id boni, quod virtutem concomitatur, vt puta fœlicitatem ei non ineſſe, is quoque D falſum opinabitur. Rurſus ſi quod virtuti non ineſt, quis ei attribuat, vt puta inuidiam, ignauiam, is etiam falſo putabit. Cum igitur de aliqua re poſſint plures eſſe opiniones falſæ, nulla earum falſarum ponenda eſt contraria opinioni veræ, quæ opinatur ineſſe quod non ineſt, neque quæ opinatur id non ineſſe, quod ineſt; eo quoniam vtræque, & quæ aſcribunt quæ non ſunt, & quæ remouent quæ inſunt, ſunt infinitę: poſſumes namque attribuere virtuti turpitudinem, iniciuam, & huiuſmodi quamplurima, pariter E ab ea remouere habitum moralem, honorẽ, vtilitatem, & reliqua infinita. Non itaque quæcunque opiniones opponuntur ſecundum veritatem, & falſitatem ſunt contrariæ; ſed eæ, quæ ſecundum affirmationem, & negationem eiuſdem de eodẽ ſunt oppoſitæ, quales ſunt opiniones quod virtus bonum ſit, & quòd virtus bonũ non ſit. Huiuſmodi enim opinio, quòd virtus non ſit bonum, eſt vna opinio falſa, & definita, non infinita: & propterea ea magis eſt dicenda veræ opinioni cõtraria; vna namque res ſemper F vni rei contraria eſt; hinc opinio potius, quæ negat id, quod eſt virtus, quando quæ negat cõcomitantia, vel affirmat non conſequentia eſt verę contraria. Quòd autem eæ opiniones ſint contrariæ quæ opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem eiuſdem de eodẽ, deducit

hunc

A hunc in modum; eæ opiniones cenſendæ ſunt contrariæ, in quibus primo eſt fallacia, ſed opiniones, quæ opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem ſunt huiuſmodi; ergo hæ opiniones ſecundum affirmationem, & negationem oppoſitæ contrariæ cenſendæ ſunt. Declarat quod opiniones, quæ opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem ſunt illæ, in quibus primo eſt fallacia, exemplo proportionaliter ſumpto a generatione; fallaciæ namque naſcuntur ex ijs, ex quibus & generationes. B Sicut enim in generatione duo requiruntur termini, terminus a quo, & terminus ad quem, vti habetur in Phyſicis, & omne quod fit ex contrario, & ex non ente fit, vt album ex non albo: ita quoque in fallacijs duo ſunt termini, terminus a quo, quis fallitur, declinat; & terminus ad quẽ, idem labitur; & qui errat id quod eſt res aliqua, eam non eſſe arbitratur, ita vt fallacia, ſicuti & generatio ex oppoſitis, nempe affirmationibus, & negationibus fieri dicatur. Hinc in ijs opinionibus, in quibus reperitur oppoſitio ſecundum C affirmationem, & negationem eiuſdem, de eodem etiã fallacia reperitur, & propterea opinio negationis falſæ eſt ſtatuenda contraria opinioni veræ affirmationis. Dicit igitur: *Si ergo eſt boni quidem, quod eſt bonum opinio*, hoc eſt, ſi eſt quædam opinio vera, eius quod eſt boni, puta virtutis, quod ſit bonum. *Alia autem quod non bonum eſt*. quædam vero opinio ſit, virtutem non eſse bonum, quæ erit opinio falſa, & determinata. *Eſt autem aliquid aliud, quod non eſt, neque eſse poteſt*. Quædam verò eſt opinio etiam falſa, quæ D iuſtitiæ aſcribit, quòd eam non concomitatur vllo modo, vt puta, quòd ſit perturbatio affectus, aut quid aliud. *Aliarum quidem nulla ponenda eſt*. Harum inquam omnium opinionum nulla eſt iudicanda contraria affirmatiuæ oppoſitioni, quæ non ſit negatiua contradictoria, quod declarat quando inquit, *Neque quæcunque eſſe quod non eſt opinantur*, ea ſcilicet, quę aſcribit virtuti, quòd eam non concomitatur, non eſt cenſenda contraria, *Neque quæcunque non eſse quod eſt*. Pariter ea, quæ remouet à virtute, quòd eam E conſequitur, vt puta gloriam, honorem, fœlicitatem, & huiuſmodi, contraria minime reponẽda eſt. *Infinitæ enim utraque ſunt, & quæ eſse opinatur, quod non eſt, & quæ non eſse, quod eſt*. Reddit rationem, quare neutram dictarum, vel quæ falſo aſcribit quicquam virtuti, vel falſo remouet ab eadem, ſit conſtituenda cõtraria, eo quia ſcilicet huiuſmodi opiniones falſæ poſſunt eſſe infinitæ: poſſumus namque plurima, quæ non ſũt, virtuti attribuere; & pariter quamplurima, quæ inſunt, remouere. *Sed in quibuſcunque fallacia eſt*. F Verùm ponenda eſt contraria opinioni veræ, ea opinio, quæ nedum eſt falſa; ſed in qua eſt fallacia, id eſt principium fallaciæ; quæ autem ſit, declarat, cũ ſequitur: *Hæ autem ſunt ex his, ex quibus ſunt generationes; ex oppoſitis verò generationes, quare etiam fallacia*. Fallacia autem ex ijs ducitur, ex quibus & generationes; ſicuti namque, vt dicimus, duo ſunt termini in generatione qualibet; pariter etiam in fallacia; & ſicuti omne quod fit, ex non ente fit, & ex ſuo oppoſito, vt album ex non albo: ita quoque etiam principium fallaciæ in oppoſitis inuenitur.

Si ergo quod bonum eſt, & bonum, & non malum eſt; & hoc quidem ſecundum ſe, illud verò ſecundum accidens (accidit enim ei non malum eſſe) magis autem in vno quoque uera eſt, quæ ſecundum ſe eſt etiam falſa; ſiquidem & uera; ergo ea quę eſt, quod nõ eſt bonum quod bonum eſt, eius quæ ſecũdum ſe, falſa eſt; illa uerò, quæ eſt, quod malum eſt, eius quę ſecundum accidẽs; quare magis erit falſa de bono, ea quę eſt negationis opinio, quàm ea, quæ eſt contrarij.

Ariſtoteles accedens gradatim ad oſtendendum falſam negatiuam opinionem contrariam eſſe veræ affirmatiuæ opinioni, cum hucuſque inueſtigauerit, quòd opiniones non dicuntur contrariæ reſpectu contrariorum obiectorum, ſed ratione veritatis, & falſitatis earum, & quòd non quæcunque opiniones quæ diſtinguuntur ſecundum veritatem, & falſitatem ſunt contrariæ; ſed quæ opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem eiuſdem de eodẽ; & quòd hæ ſunt, in quibus primum eſt fallacia, quæ conſtat ex ijſdem terminis, ex quibus etiam generatio modo præaſſumpto, eam eſſe opinionẽ contrariam veræ, quæ magis eſt falſa, colligit hanc concluſionem, negatiuam opinionem contrariam eſſe opinioni veræ affirmatiuæ: id autem oſtendit per ſimilitudinem à ſuo cõtrario hunc in modum. Sicuti namque ea opinio dicitur magis vera, quæ eſt per ſe talis; minus autem quæ per accidens, vt opinio de eo, quod eſt bonum per ſe, puta de virtute, quòd bonum ſit, eſt vera per ſe: opinio autem de eodem bono, quod non ſit malũ, eſt vera per accidens, quatenus per conſequens, & ſecũdario accidit bono, non eſſe malum. Pari ratione ſe habet de falſa opinione: opinio enim boni per ſe, quod non ſit bonum, eſt opinio falſa per ſe; at opinio boni, quòd illud ſit malum, eſt opinio falſa per accidens: verùm magis falſa opinio eſt, quæ per ſe talis, quia opponitur veriori opinioni, quam quæ per accidẽs, quæ perimit minus veram: quòd ſi magis falſa eſt opinio, quæ eſt per ſe talis, & veriorem opinionem deſtruit, quatenus quæ per accidens, minuſq; veram e medio tollit, manifeſte conſtat; quòd negatiua opinio eſt magis falſa, quam affirmatiua,

quæ

quæ contrarium ponit; & per conſequens patet, quòd magis falſa eſt opinio, bonũ non eſſe, quod bonum eſt, quam ea, quæ dicit, malum eſſe quod bonum eſt; & ſi eſt magis falſa contraria veræ ſtatuẽda. Hinc neceſſario infertur pariter, quòd negatiua opinio non priuatiua, eſt cenſenda veræ opinioni contraria. Ordo itaque verborum eſt. *Si ergo quod bonum eſt*, nempe virtutem, *& bonum*, ſcilicet principaliter, quia per ſe expectendum, *& malum non eſt*, videlicet ſecundario, & ex conſequẽti: accidit namque bono malum nõ eſſe; *& hoc quidem*, puta eſſe bonum, *ſecundum ſe*, quia principaliter: *illud vero*, ſcilicet non eſſe malũ, *ſecundum accidens*, quia ſecũdario, & per aliud tale; quod autẽ eſt tale per aliud, eſt per accidens tale, vt in Prædicamentis docuit Philoſophus. (*accidit enim ei non malum eſſe*), ſecundario namque euenit bono, vt non ſit malum. *Magis autem in vno quoque vera eſt, quæ ſecundum ſe eſt*: & opinio vnius cuiuſque rei eſt magis vera, quæ per ſe eſt talis, & de per ſe tali; ea enim ſunt proximiora, quæ magis ad naturam alterius accedunt, *eſt etiam falſa, ſiquidem & vera*, hoc eſt ſi verior opinio eſt, quæ quod eſt bonum per ſe, bonum arbitratur, quam quæ quod bonum per accidens, pari quoque ratione erit etiam magis falſa opinio, quę per ſe talis, quæ eſt de bono per ſe, quod non ſit bonum, quę bonum, & veriorem opinionem deſtruit, quam quæ eſt per accidens falſa, minuſq; veram perimit, nempe quę dicit bonum malum eſſe. *Ergo ea quæ eſt, quod non eſt bonum quod bonũ eſt, eius quæ ſecũdum ſe falſa eſt; illa verò quæ eſt quod malũ eſt, eius quæ ſecundum accidens*. Exemplo confirmat quod ſupra dixit, quòd ſcilicet ea opinio, quæ veriorem opinionem perimit per ſe, ver; opinionis falſa eſt; illa verò opinio, quæ perimit minus veram, eſt falſa per accidens. Ex quibus concludit negatiuam opinionem de bono magis eſſe falſam, quàm affirmatiuam priuatiuam, quando ſequitur; *Quare erit magis falſa de bono; ea quæ eſt negationis opinio, quàm ea quæ eſt contrarij*, hoc eſt magis falſa eſt opinio, quæ eſt nõ bonum eſſe, quod bonum eſt, quam quæ arbitratur quod bonum eſt, malum eſſe, quod eſt eius contrarium.

Falſus eſt autem maxime circa ſingula, qui contrariam habet opinionem: contraria enim sũt eorum, quæ plurimum circa idem differunt. Si igitur harum contraria eſt altera, magis verò negationis eſt contraria, manifeſtum eſt, quòd hæc erit cõtraria.

In præſenti Ariſtoteles ex hoc, quod ſupra proxime concludit negatiuam ſcilicet opinionem de bono, quę veram per ſe opinionem illius perimit, eſſe magis falſam, quàm affirmatiua, quę cõtrarium ponit, determinat quæſtionẽ, puta eandem negatiuam opinionem eſſe contrariam ve-

A ręæ opinioni affirmatiuæ; & vtitur huiuſcemodi ratione, quæ poteſt ad formam reduci hunc in modum. Ea opinio eſt contraria veræ opinioni, quę eſt magis falſa; ſed negatiua opinio eſt magis falſa, quam priuatiua; ergo negatiua opinio eſt contraria veræ opinioni. Maior huius ſyllogiſmi ponitur ab Ariſtotele in his verbis, *Falſus eſt autem maxime circa ſingula, qui contrariam habet opinionem*, hoc eſt ille, qui eſt magis falſus in opinione alicuius rei, veræ opinioni opponitur, ac ſi diceret, ea opinio eſt oppoſita, eſt contraria

B veræ opinioni, quę eſt magis falſa, huius maioris probationem addit, dum dicit: *Contraria enim sũt eorum, quæ plurimum circa idem differunt*, quaſi dicat, maxima falſitas eſt contraria potiori veritati, quia contraria ſunt quæ circa vnumquodque longe diſtant. Deinde ſubdit minorem. *Si igitur harum contraria eſt altera, magis verò negationis eſt contraria*: vult dicere, ſed negatiua opinio eſt magis falſa, quàm priuatiua. Ponit, *Si igitur*, quoniam hæc minor ex iam dictis ſuperius elicitur, *Harum*, ſcilicet negatiuę, & priuatiuæ opinionis,

C *Contraria eſt altera*, falſa ſcilicet eſt priuatiua, *magis verò negationis eſt contraria*. Maior verò falſitas eſt negatiuæ: propterea ſequitur concluſio, ſcilicet, *Manifeſtum eſt, quòd hæc erit contraria*. Patet, quòd hæc, puta negatiua erit opinioni veræ affirmatiuæ contraria. Et ſic habemus rationem, qua Philoſophus comprobat in opinionibus negationem eſſe contrariam affirmationi, non priuationem.

Illa uero quæ eſt, quod malum eſt,

D quod bonum eſt, implicita eſt: etenim quod non bonum eſt neceſſe eſt forte ipſum eundem opinari.

Ammonius, & Boetius, & reliqui fere omnes interpretes aſſerunt hoc in loco aliam reddi rationem a Philoſopho; quare negatio in opinionibus ſit veræ affirmatiuæ opinioni contraria. Verùm ego arbitror nullã de nouo poni rationem in præſenti pro deciſione prænarratæ difficultatis, ſed potius Ariſtotelem cuidam tacitæ obie-

E ctioni ſatisfacere, quæ adhuc in difficultate remanere videbatur: non enim videtur hactenus omnino difficultati fuiſſe ſatisfactum; ſiquidem dubitatio, numquid negatio in opinionibus ſit affirmationi veræ contraria, vel priuatio, ex eo oriri videbatur, quòd vtraque verã opinionem perimit: vnde non eſt ſatis oſtendere negationẽ contrariam eſſe, ſed etiam eſt neceſſe determinare quid de priuatione dicendum, & quomodo ambiguitati ſit reſpondendum, quæ ponit

F priuationem perimere affirmationem: & proinde, & eandem videri contrariam.

Soluit itaque, mea ſententia, hanc inſurgentem obiectionẽ, & inſtantiã, inquiens, quòd priuatiua opinio, quæ arbitratur, quod bonum eſt, malum eſſe, eatenus eam perimit, quatenus eſt opinio vera affirmatiua, quatenus implicite con

tinet

tinet negatiuam, non bonū ſcilicet; ex quo enim A aliquod malum eſt, cõſequitur non eſſe bonum, vt ſi vita mala eſt, ergo nõ bona: propterea dicit; *Illa uerò quæ eſt, quod malū eſt, quod bonum eſt*, quaſi dicat, hactenus diximus negationem eſſe contrariam in opinionibus affirmationi, quia ipſam perimit, & ei opponitur; remanet dicere de priuatione quid ſit, cum & ipſam opinionem veram perimat: idcirco addit, *Illa verò, quæ eſt, quod malum eſt, quod bonū eſt*, ſcilicet priuatiua autem, quæ affirmat contrarium eius, quod eſt, quæ id, quod eſt bonum, opinatur eſſe malum. *Implicita* B *eſt*, ideſt implicat, & implicite cõtinet in ſe, quod non eſt bonum: & propterea, quatenus non bonum implicite continet, bonum deſtruit. *Etenim quod non bonum eſt, neceſſe eſt forte ipſum eundem opinari*. propterea quòd opinio, quę arbitratur aliquod malum eſſe, eandem neceſse eſt opinari idem non eſse bonum. Si quis namque putabit paupertatem eſse malam, idem arbitrabitur paupertatem non eſse bonam; dicit tamē, *forte*, quia nondum notum eſt, ſi inter bonum, & malum detur mediū, ita vt de neceſſario eueniat, quod C eſt malum, non eſse bonum, & è contrario, quod non eſt bonum, malum exiſtere.

Amplius ſi etiam in alijs ſimiliter oportet ſe habere, & hoc modo videbitur bene eſſe dictum; aut enim vbique, ea, quæ eſt contradictionis, aut nuſquam: quibus uerò non ſunt contraria, de illis quidem falſa, quæ eſt D uere oppoſita, ut qui hominem non putat eſſe hominem, falſus eſt. Si igitur hæ contrariæ ſunt, etiam & aliæ, quæ ſunt contradictionis.

Cum ſtatuerit Philoſophus in opinionibus negationem contrariam eſse affirmationi, & hoc patefecerit exēplo de bono & malo: vult ad pręſens poſitionem confirmare, quod facit huiuſce modi ratione. Si in alijs opinionibus negatiua eſt contraria affirmatiuę veræ, recte ſtatutum eſt etiā in opinione de bono, & malo, negationē eſſe affirmationi verę contrariā; ſed & in alijs opinionibus ita ſe habet, quòd negatio neceſſaria cēſenda eſt contraria affirmationi veræ; ergo recte ſtatutum eſt negationem eſſe affirmationi veræ contrariam. Maiorem probat, eo quoniam regula debet eſſe generalis; propterea aut in nulla opinione, aut in omni negatio eſt cõtraria. Minorem probat in opinionibus de rebus contrario carentibus, vt in opinione rei ſubſtantialis, in qua manifeſte conſtat negationem contrariam exiſtere affirmationi, & huic affirmatiuæ veræ, hominem eſſe, eſt contraria negatiua, hominem non eſſe: qui namque hominem non arbitratur eſſe hominem, is manifeſte habet opinionē per

A ſe falſam, quæ eſt oppoſita contradictoriæ opinioni veræ. Verba itaque percurramus hunc in modum. *Amplius ſi etiam in alijs ſimiliter oportet ſe habere, & hoc modo videbitur bene eſſe dictum*. Hæc eſt maior ſyllogiſmi, quo cõfirmatur, quod iam determinauit, quòd ſi etiam in alijs ſcilicet opinionibus, in alijs rebus idem euenit, quòd negatio ſit affirmationi veræ contraria, recte erit poſitum etiam in opinione de bono, & malo, negationem, puta non bonum eſſe contrariam affirmationi, huius maioris rationem addit. *Aut* B *enim vbique ea, quæ eſt contradictionis, aut nuſquam*. in omni nāque materia, & opinione cuiuſlibet rei, tenendum eſt, negationis contradictionem eſſe contrariam, aut in nulla materia, ſiue re, regula debet eſſe vniuerſalis: propterea ſi in re aliqua negatiua opinio putanda eſt veræ affirmatiuæ opinioni contraria, eſi quoque in omni materia: deinde ſubdit minorem. *Quibus verò non ſunt contraria, de illis quidem falſa, quæ eſt veræ oppoſita, vt qui hominem non putat eſſe hominem, falſus eſt*. Oſtendit, quòd in alijs quoque opinioni- C bus, & materijs idem euenit, quod in opinione boni, nempe negationis contradictionem eſſe contrariam, & præcipue in rebus contrario carentibus, vt in re ſubſtantiali, puta in homine: homo namque eſt ſubſtantia de prædicamento ſubſtantiæ cui, vt proprio loco docuimus, nulla ineſt contrarietas. In opinione itaque de homine idem clare videtur, videlicet huic veræ opinioni hominem eſſe, contrariam reperiri negationis contradictionē, hanc ſcilicet opinionem, non eſſe hominem. Qui namque putat non ho- D minem eſſe hominem, per ſe falſam opinionem habet: quapropter infert concluſionem. *Si igitur hæ contrariæ ſunt, etiam & aliæ, quæ ſunt contradictionis*. Cum itaque hæ res, nempe quæ contraria re carent, ita ſe habent, vt in eis negatiua opinio veræ affirmatiuę opinioni ſit contraria, etiā in omnibus alijs rebus, & materijs negationis cõtradictiones cenſendæ ſunt contrariæ.

Amplius ſimiliter ſe habet opinio E boni, quod bonum eſt, & non boni, quod non bonum eſt, & præter has boni, quod non bonum eſt, & nõ boni, quod bonum eſt; illi ergo quæ eſt, non boni, quod non bonum veræ opinioni, quæ eſt contraria? non enim ea quæ dicit, quod malum eſt, ſi aliquando fuerit vera; nunquam F autē vera verę contraria eſt; eſt enim quoddam non bonum malum; quare contingit ſimul eſſe veras; at verò nec illa, quæ eſt, quod non malum; vera enim & hæc: ſimul enim & hæc

erunt.

erunt. Relinquitur igitur ei, quæ eſt non boni, quod non bonum eſt, contraria, ea, quæ eſt non boni, quod bonum eſt; falſa enim hæc: quare & ea, quæ eſt boni, quod non bonum eſt, ei quæ eſt boni quod bonum eſt.

Philoſophus ratione ſumpta ab analogia comprobat in opinione de bono, negationem eſſe B contrariam veræ affirmationi, non affirmationem, quæ contrarium ponit. Vnde pro intelligentia huiuſcemodi rationis conſiderare debemus hunc ordinem, quem Clariſſimus Dominus Franciſcus Piccolomineus Senenſis, Philoſophus acutiſſimus, morum inſtitutor, ac naturæ contemplator optimus, præceptor meus ponit in lib. 1. Phyſ. contex. 70. videlicet quòd primo reperitur ratio, quæ eſt mutua habitudo duorum ad inuicem, vt ſi dixerimus, octo ad quatuor, eſt ratio dupla. Secundo reperitur ana- C logia, quæ eſt ſimilitudo duarum, vel plurium rationum, vt ſi dixerimus, vt octo ſe habent ad quatuor, ita ſex ad tria: vtraque enim eſt ratio dupla. Hæc analogia vt eſt ſimilitudo duarum rationum, ita poteſt eſſe & trium, & quatuor, & plurium rationum. Inſuper hæc analogia vel eſt continuata, vel ſeiuncta. Analogia continuata eſt, dum repetimus communem aliquem terminum, vt ſi dixerimus, vt octo ſe habent ad quatuor, ita quatuor ad duo. Analogia ſeiuncta eſt, dum nullius termini eſt repetitio, D veluti ſi dixerimus, vt duodecim ad quatuor, ita ſex ad duo. Tertio ſequitur commutata proportio: nam ex analogia inferre poſſumus commutatam proportionem, cum dixerimus, vt primum ſe habet ad ſecundum, ita tertium ad quartum; igitur vt primum ſe habet ad tertium, ita ſecundum ſe habet ad quartum, veluti vt ſexdecim ad octo, ita quatuor ad duo; igitur vt ſexdecim ad quatuor, ita octo ad duo, vtraque eſt ratio quadrupla, ex hac commutata proportione elicitur quarto ea, quæ dicitur E Metaphora, ſiue tranſlatio, vt ſi dixerimus, vt pedes hominis ſe habent ad hominem, ita radices montis ſe habent ad montem; igitur per commutatam proportionem, vti pedes ſe habent ad montem, ita radices ſe habent ad hominem, & ita per metaphoram pedes hominis poſſunt dici radices hominis, & radices montis poſſunt dici pedes montis.

His explicatis, inquit Ariſtoteles ex Boetio, cognoſci negationem in opinione de bono eſſe F contrariam veræ opinioni affirmatiuæ, argumentatione ſumpta à commutata proportione hunc in modum. Sint quatuor opiniones; prima boni, quod bonum eſt; ſecunda non boni, quod non bonum eſt; quæ duæ faciant vna rationem; tertia boni, quod non bonum eſt; quar-

A ta non boni, quod bonum eſt, & hæ duæ aliam faciant rationem, ita vt ex his quatuor opinionibus duæ formentur rationes, ex quibus conſtituatur huiuſmodi analogia; ſic ſe habet boni, quod bonum eſt, ad non boni, quod non bonum eſt, ſicut ſe habet boni, quod non bonum eſt, ad non boni, quod bonum eſt: ſicuti enim hæ duæ propoſitiones, tertia, & quarta ſunt ambæ falſæ, ita illæ duæ, prima & ſecunda ſunt ambæ veræ. Hac habita ſimilitudine, ſumptaq; analogia fiat ordine immutato proportio commu-

B tata in hunc modum. Sic ſe habet boni, quod bonum eſt, ad boni, quod non bonum eſt: ſicut ſe habet non boni, quod non bonum eſt, ad non boni, quod bonum eſt; ſcilicet ſicut prima ad tertiam, ita ſecunda ad quartam. Sicuti ergo illi veræ opinioni non boni, quod non eſt bonum, quæ eſt ſecunda, contraria non eſt, non boni, quod eſt malum, vel non boni, quod non eſt malum, quæ ſunt de prædicato contrario, & priuatiuo: ſed ei contraria eſt opinio huiuſmodi, non boni quod eſt bonum, quarta videlicet,

C quæ opinatur id, quod non eſt bonum, bonum eſſe; ſic & ei opinioni veræ, quæ dicit boni quod eſt bonum, quæ eſt prima, erit contraria ſua contradictoria, quæ eſt tertia, quæ cenſet id, quod eſt bonum, non bonum eſſe. Quod autem ſecundæ opinioni neutra ſit contraria de prædicato contrario eſt manifeſtum, quia contrariæ opiniones ſimul nunquam veræ eſſe poſſunt. At ſi quis iniuſtitiam, quę non eſt bonum, putet non eſſe bonum, & idem quoque iniuſtitiam, quæ non eſt bonum, malum putet, verum

D vtraque opinione arbitratur. Pariter qui putat non bonum non eſſe bonum, vti chimeram, & non bonum non eſſe malum, verum ſimiliter in vtroque cenſet arbitrio. Et propterea veræ opinioni non boni, quod non eſt bonum, neutra de prædicato contrario eſt contraria; ſed ei eſt contraria quarta non boni, quod eſt bonum. Ordo igitur verborum eſt. *Amplius ſimiliter ſe habet opinio boni, quod bonum eſt.* Hæc eſt prima opinio. *Et non boni, quod non bonum eſt.* Hæc eſt ſecunda opinio, ex qua iuncta prima, forma-

E tur prima ratio, in qua vtræque veræ opiniones ſunt; ſequitur: *Et præter has, boni quod non bonum eſt.* Hæc eſt tertia opinio. *Et non boni quod bonum eſt.* Hæc eſt quarta opinio, ex qua iuncta tertia, formatur ſecunda ratio, in qua ambæ opiniones ſunt falſę: & tali pacto hactenus habemus quatuor opiniones, ex quibus duæ formantur rationes, quæ conſtituunt hanc analogiam, quod ſic ſe habet prima ad ſecundam, ſicuti tertia ad quartam, modo immutato ordine fit commutata proportio; ergo ſic ſe habet

F prima ad tertiam, ſicut ſecunda ad quartam.

Quærit itaque Philoſophus, quæ ſit contraria veræ illi ſecundæ opinioni, quæ cenſet non eſſe bonum quod non eſt bonum, dicens, *Illi ergo quæ eſt non boni, quod non bonum, vera opinioni, quæ eſt contraria?* Hoc eſt, quæ nam eſt contraria

traria

traria ſecundæ opinioni veræ: eſt ne fortaſſe opinio quædam de prædicato contrario, & priuatiua, veluti hæc quæ affirmat prædicatum contrarium, aut illud negat? neutra ſcilicet, & hoc eſt quod dicit: *Non enim ea, quæ dicit, quod malum eſt, ſi aliquando fuerit vera, numquam autem vera, veræ contraria eſt; eſt enim quoddam non bonum malum: quare contingit ſimul eſſe veras*. Excludit eam, quæ contrarium affirmat, quod malum eſt, hac ratione, quoniam contrariæ opiniones numquam poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed hæc ſecunda opinio, *Non boni, quod non bonum eſt*, & hæc opinio de prædicato contrario, *Non boni quod malum eſt*, ambæ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt in exemplo ſupra poſito de iniuſtitia; igitur non ſunt conſtituendæ contrariæ, ſicut neque aſſerere valemus contrariam eſſe hanc, *Non boni quod non malum eſt*, ratione eadem, vt vidimus in exemplo de chimera, & hoc eſt quod ſequitur. *At verò nec illa, quæ eſt, quod non malum; vera enim & hæc; ſimul enim & hæc erunt. Relinquitur igitur ei, quæ eſt non boni, quod non bonum eſt, contraria, ea, quæ eſt non boni, quod bonum eſt*. Falſa enim hæc concludit itaque, quòd ei ſecundæ opinioni, quæ eſt, non boni, quod non eſt bonum, quæ eſt vera, ſit contraria hæc quarta opinio, quæ eſt falſa, non boni quod bonum eſt. Vnde denique ſuum principale intentum infert, quòd ſi prima ad tertiam ſe habet, ſicut ſecunda ad quartam: quod ſi primæ opinioni veræ, boni quod bonum eſt, ſit contraria tertia opinio falſa, quæ eſt negatio contradictionis, boni quod non bonum eſt, quod habet in his verbis: *Quare & ea, quæ eſt, boni, quod non bonum eſt*, quæ eſt tertia opinio, erit ſcilicet contraria ei, quæ eſt boni quod bonum eſt, quæ eſt prima opinio vera: & ſic opinioni veræ affirmatiuæ contraria erit negatio contradictionis, non priuatiua opinio, ſeu quæ contrarium affirmat; eſt quidem ſubtiliſſima ratio, ſed apte poſita, & à Boetio aliquantulum obſcurius explicata, vt facile intuenti recte, clare videbitur.

Manifeſtum ergo eſt, quod nihil intereſt, nec ſi vniuerſaliter ponamus affirmationem: uniuerſalis enim negatio contraria erit; ut opinioni, quæ opinatur, quod omne, quod eſt bonum, bonum eſt; ea quæ eſt, quod nihil eorum, quæ bona ſunt, bonum eſt; nam ea, quæ eſt boni, quod bonum, ſi uniuerſaliter ſit bonum, eadem eſt, ei, quæ opinatur, quòd quicquid bonum eſt, quod bonum eſt; hoc autem nihil differt ab eo, quod eſt, quod omne,

A quod eſt bonum, bonum eſt; ſimiliter autem & in non bono.

Docet Ariſtoteles determinationem traditam nedum locum habere in opinionibus indefinitis, in quibus nulla eſt definitio vniuerſalis, vel particularis, quando ſcilicet bono, & non bono nullum additur ſignum diſtributiuum vniuerſale, vel particulare; ſed etiam in opinionibus definitis, quæ ſunt definitæ quantitatis. Et propterea dicit, id, quod B ſupra declaratum fuit, negationem ſcilicet in opinionibus eſſe contrariam affirmationi veræ, habere locum; & quando non additur ſignum vniuerſale, vt dictum eſt; ſed etiam quando ponitur ſignum vniuerſale. Sicut namque huic veræ opinioni indefinitæ, boni quod bonum eſt, contraria eſt hæc negationis contradictio falſa, indefinita, boni quod non eſt bonum, pari ratione ſi fuit determinatæ quantitatis; & eidem ſignum vniuerſale addatur, vt ſi dixerimus, omne eſt bonum, C quod bonum eſt, huic veræ affirmationi in opinione erit contraria negationis contradictio cum ſigno, nullum eſt bonum, quod bonum eſt. Id autem explicat tali ratione, quoniam ſi ea indefinita opinio boni, quod bonum eſt, de vniuerſali bono arbitratur, vti de virtute, de fœlicitate, vniuerſaliter æquipollet huic, quæ putat, quòd quicquid bonum eſt, quod bonum eſt; quæ opinio nihil diſcrepat ab ea, quæ aperte eſt terminationis vniuerſalis, quæ eſt omne, quod eſt bo- D num, bonum eſt: & quod dicit de bono, idem quoque ſtatuit in non bono. Ait inquam: *Manifeſtum ergo eſt, quòd nihil intereſt, nec ſi vniuerſaliter ponamus affirmationem*, hoc eſt, quòd ſtatutum eſt in affirmationibus indefinitis in opinione exiſtentibus, quod ſcilicet veræ affirmatiuæ contraria ſit negationis contradictio; idem euenit, vt locum habeat etiam in affirmationibus cum terminatione, & definitis, quòd ſcilicet eidem opinioni veræ affirmatiuæ contraria ſit negationis con- E tradictio, & ideo addit: *Vniuerſalis enim negatio contraria erit*, ſicuti in ijs indefinita negatio erat contraria, ita in his cum terminatione vniuerſali contraria exiſtet vniuerſalis negatio definita. Dat exemplum, *Vt opinioni, quæ opinatur, quod omne, quod eſt bonum, bonum eſt, ea, quæ eſt, quod nihil eorum, quæ bona ſunt, bonum eſt*, vt opinioni veræ vniuerſali de bono, omne bonum, bonum eſt, erit contraria opinio falſa boni, nullum bonum, bonum eſt, reddit rationem ſumptam à quid F nominis vniuerſalis affirmatiuæ. *Nam ea quæ eſt boni quod bonum eſt, ſi vniuerſaliter ſit bonum*; quoniam ea opinio indefinita boni, quod bonum eſt, ſi intelligatur vniuerſaliter de bono vniuerſali, veluti de virtute, fœlicitate, & reliquis, quæ putantur eſſe bona.

Eadem

Eadem eſt ei, quæ opinatur, quòd quicquid bonum eſt, quod bonum eſt. Ea inquam indefinita vniuerſalis, æquipollet huic, quæ opinatur quicquid bonum eſt, bonum eſſe. *Hoc autem nihil differt ab eo quod eſt, quod omne, quod eſt bonum, bonum eſt.* Ea autem non diſcrepat ab opinione vniuerſali, quæ putat omne bonum eſſe bonum, & tali ratione, quia indefinita vniuerſalis eadem eſt, & ea æquipollet vniuerſali, quicquid ſtatuitur de indefinita, etiam venit de vniuerſali determinandum; & quod aſſeruit Ariſtoteles in propoſitione affirmatiua, in opinione ipſius boni, idem quoque teſtatur euenire in opinione de non bono, quod etiam opinioni veræ non boni addito ſigno vniuerſali affirmatiuæ erit contraria negationis contradictio vniuerſalis.

Quare ſi in opinione ſic ſe habet, & ſunt hæ, quæ ſunt in voce affirmationes, et negationes notę earum, quæ ſunt in anima, manifeſtum eſt, quòd affirmationi contraria quidem ngatio eſt, quæ de eodem vniuerſaliter, vt ei quæ eſt, quòd omne bonum, bonum eſt, vel quòd omnis homo bonus eſt, ea, quæ eſt, quòd nullum, vel nullus; contradictoriæ autem quæ eſt, quòd non omne, aut non omnis.

Cum in principio Capitis propoſuerit Ariſtoteles quærere quæ nam ſit enunciatio contraria affirmationi, vel negatiua, vel priuatiua, & aſſeruerit hanc quæſtionem ab alia dependere, nempe ab ea, quæ terminat, nunquid opinio negatiua, vel quæ contrarium affirmet, ſit contraria veræ opinioni affirmatiuæ. Modo hac quæſtione determinata, ad principalem propoſitam difficultatem accedit, & inquit, quòd ſicuti affirmatiuæ veræ in mēte, & opinione exiſtenti eſt contraria negationis contradictio, non affirmatiua de prædicato contrario: Pariter quoque affirmatiuæ enunciationi contraria eſt enunciatio negatiua definita, vel vniuerſaliter, vel particulariter, non ea, quæ contrarium affirmat, vt huic affirmatiuæ, omne bonum, bonum eſt; contraria eſt, nullum bonum, bonum eſt, huic, omnis homo bonus eſt; contraria eſt nullus, homo bonus eſt, quæ ſunt negatiuæ definitæ qnantitatis vniuerſalis; vel illi, omne bonum, bonū eſt; contradictoria eſt, non omne bonum, bonum eſt; & ei, omnis homo bonus eſt, hæc, non omnis homo bonus eſt, quæ ſunt quantitatis definitæ particularis. Dicit itaque: *Quare ſi in opinione ſic ſe habet*, quòd ſcilicet negationis cōtradictio ſit contraria affirmationi veræ, non affirmationi de prædicato contrario. *Et ſunt hæ, quæ ſunt in voce*

A *affirmationes, & negationes notæ earum, quæ ſunt in anima.* Et enunciationes affirmatiuæ, vel negatiuæ inſequantur opiniones, eæ ſcilicet, quæ proferuntur, eas, quæ concipiuntur. *Manifeſtum eſt, quòd affirmationi contraria quidem negatio eſt, quæ de eodem vniuerſaliter.* Conſtat, inquam, quòd cum pari paſſu ambulent & affirmatiuæ vocales, & affirmatiuę mentales, quod ſicuti opinioni affirmatiuæ contraria eſt opinio negatiua de eodem, ita quoque enunciationi affirmatiuæ contraria eſt negatiua de eodem, ideſt de vna, B eademq; re, & vniuerſaliter, ſcilicet quę eodem modo vniuerſaliter negetur, ſicuti & affirmatur. Dat exemplum. *Vt ei, quæ eſt, quòd omne bonum, bonum eſt, uel quòd omnis homo bonus eſt, ea, quæ eſt, quod nullum*, videlicet bonum, bonum eſt reſpectu primæ; *uel nullus*, ſcilicet homo bonus eſt, reſpectu ſecundæ: & huiſmodi negatiuæ enunciationes ſunt definitæ vniuerſaliter, quod idem quoque verificatur de definitis particulariter, vt ſcilicet affirmatiuæ enunciationi negationis contradictio ſit oppoſita; ideo addit: *Con-* C *tradictoria autem, quæ eſt, quòd non omne*, reſpectu primæ, ſcilicet non omne bonum, bonum eſt, quæ eſt particularis negatiua. *Vel non omnis*, reſpectu ſecundæ, quæ pariter eſt negatiua particularis, ut alibi eſt declaratum: quapropter concludit contrariam eſſe negationem affirmatiuę enunciationi, nō autem affirmationem de prædicato contrario. Et addit.

Manifeſtum eſt autem, quòd & veram veræ non contingit eſſe con- D trarium, neque opinionem, neque contradictionem; contrariæ enim, quæ circa oppoſita ſunt: circa eadem autem contingit uerum dicere eundem; ſimul autē non contingit idem ineſſe contraria.

Confirmat Arſtoteles quoddam dictum ſuperius; idemq; amplificat. Dixit namque, quòd E veræ opinioni, opinio veræ minime contraria eſſe poteſt. Hoc idem profert hoc in loco, augetque, & inquit, nedū opinionem, verū etiam nec enunciationem vocalem veram veræ opinioni, aut vocali enunciationi contrariam exiſtere, & rationem reddit, quia contraria ſunt, quæ ſunt circa idem ſubiectum oppoſita: propterea opiniones, & enunciationes veræ circa diuerſa non poſſunt eſſe contrariæ: contingit autem circa idem ſubiectum plures opiniones, enunciationesq; veras ſimul verificari: & pro- F pterea huiuſmodi opiniones, & enunciationes non ſunt contrariæ, quia veræ contrariæ non poſſunt ſimul eidem ineſſe. Dicit igitur: *Manifeſtum eſt autem*, infra dicenda, *quòd & ueram ueræ non contingit eſſe contrariam*. Negationem veram affirmationi veræ contrariam minime exi-

ſtere. *Neque opinionem*, vel conſtitutæ ſint in opinione, vt prius dictum eſt. *Neque contradictionem*, vel conſtitutæ ſint in enunciatione vocali. Affirmatio enim, & negatio vocalis contradictionem formant. Addit rationem. *Contrariæ enim, quæ circa oppoſita ſunt*, quia illæ ſunt opiniones, & enunciationes contrariæ, quæ circa idem ſubiectũ oppoſita opinantur, & enunciant, at quæ ſunt ſimul veræ circa idem ſubiectum contingit eadem opinari, & enunciare. *Circa eandem autem contingit verum dicere eundem*. De eodem ſubiecto quempiam plura vera dicere poteſt, vt quod aliquod ſit bonum, quod non ſit malum, & huiuſmodi. Quæ contrariæ inuicem eſſe non valent. *Simul autem non contingit, idem ineſſe contraria*: quia contraria non contingit eidem ſimul ineſſe: idcirco nulla opinio, vel enunciatio vera, ſiue circa idem, ſiue circa aliud eſt alteri veræ opinioni, aut enunciationi contraria.

Vnum notat Magnus Albertus, quòd non eſt ſub ſilentio prætereundum: admodum enim facit ad intelligentiam eorum, quæ dicta ſunt; quod ferè in toto hoc cap. Philoſophus accipit contrarium in vniuerſali, prout continet etiam contradictionem, quia intentio Philoſophi nulla alia extitit, niſi demonſtrare, quod in enunciationibus non attenditur contrarietas penes res contrarias de eodem enunciatas, ſed penes veritatem, & falſitatem, quæ fit ſecundum modum affirmationis, & negationis.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc Capite

Super Quarto Capite Secundi libri de Interpretatione pro Iuris ſtudioſis.

ETſi quamplurima ponantur à Philoſopho in hac quinta, & vltima ſectione; tamen principale propoſitum eſt examinare quæſtionem hanc.

Quæ nam enunciatio cenſenda ſit contraria affirmationi, negatio ne, aut potius priuatio?

Vt huic enunciationi omnis homo eſt iuſtus, Socrates eſt iuſtus, eſt ne contraria? hæc negatiua, nullus homo eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus, vel affirmatiua de prædicato contrario, omnis homo eſt iniuſtus, Socrates eſt iniuſtus.

Plura præmittit pro notitia huius difficultatis, quæ ommittere decreui.

Propoſui dumtaxat concluſionem huius quæſtionis proponere cum ſimplici ſuppoſito, ac fundamento.

Concluſio itaque ſit negationem contrariam eſſe affirmationi, non priuationem.

Suppoſitum iſtud eſt; eæ enunciationes cenſendæ ſunt contrariæ, in quibus primum eſt fallacia.

Ex quo hoc aliud accipio, quòd enunciationes, quæ opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem ſunt contrariæ, quia in illis primum eſt fallacia; eo quoniam fallacia ſe habet vt generatio; ſicut namque generatio fit ex oppoſitis; nam omne quod fit, ex non ente fit, tanquam ex ſuo oppoſito, ita fallacia fit ex oppoſitis affirmationibus, & negationibus; nam qui fallitur id quod eſt res aliqua; eam non eſſe arbitratur.

His ſuppoſitis pono fũdamentũ cõcluſionis.

Ea eſt cenſenda enunciatio contraria affirmationi veræ, quæ magis eſt falſa: ſed enunciatio negatiua eſt magis falſa quam enunciatio priuatiua, quæ contrarium affirmat; ergo negatio potius, quàm priuatio eſt cenſenda affirmationi veræ contraria. Maior habetur ex ſuppoſitis, minor probatur dupliciter.

Primo, Ea enunciatio eſt magis falſa, quæ per ſe eſt falſa: at enunciatio negatiua eſt huiuſmodi; eo quoniam enunciatio, quæ dicit id non eſſe bonum, quod eſt bonum, eſt principaliter falſa: ea verò quæ enunciat id, quod eſt bonum eſſe malum, eſt conſequenter falſa, quatenus conſequitur quod non eſt bonum eſſe malum: propterea negatiua per ſe falſa, priuatiua per accidens: propterea ea enunciatio eſt magis falſa, quæ veriorem perimit; ſed negatiua perimit veriorem; nam non bonum perimit bonum, priuatiua minus verum, nam malum perimit non malum; propterea negatiua eſt per ſe falſa.

Applicando itaque ad ius ciuile; quando nobis ſe offert enunciatio aliqua negatiua, & pariter ſe offerat aliqua de prædicato contrario, ſemper arbitrabitur negatiuam contrariam affirmatiuæ veræ, potius quam priuatiuam. Exemplum in iure ſit, poſſeſſio bona, enunciatio affirmatiua vera deſumpta in cap. ius dictum. extra de verb. ſign. ſint duæ falſæ, poſſeſſio mala, poſſeſſio non bona, quæ nam ex eis potius cenſenda erit contraria, ex determinatione Ariſtotelis contraria cenſenda eſt ea, quæ per ſe falſa eſt, quæ veram per ſe perimit, quæ ex oppoſitis conſtat, eæ contrariæ ſunt conſtituenda, in quibus primum eſt fallacia, ſcilicet poſſeſſio bona, poſſeſſio non bona: negatiua namque hæc per ſe tollit, & deſtruit eam affirmatiuam; priuatiua verò ſi perimit affirmatiuam, hoc ideo operatur, quatenus implicite contingit negatiuam. Alia poſſent deſumi è corpore iuris exempla; ſed hæc non mihi videntur digna quidem, vt diutius in eis morari debeamus, ſed potius ad ſequentem librum vtiliorem omnino accedamus, & finem imponamus, Dei Optimi Maximi auxilio huic Tractatui Libri Periermenias.

Finis Tractatus Tertij de Interpretatione Ariſtotelis.

PETRI MARTAE
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
COMMENTARIA IN LIBRVM PRIMVM PRIORVM RESOLVTORIORVM ARISTOTELIS
Ad vſum Iuris Ciuilis accommodata.
TRACTATVS QVARTVS.

AGREDIOR Librum Priorum Reſolutoriorum exponendũ; ante cuius explicationem Græcos, & Latinos interpretes imitatus, decreui præmittere, more ſolito, ea, quæ ad librum facilius intelligendũ plurimum conferunt, quæ ſunt vt in præcedentibus ſtatui numero octo, videlicet,

Sibiectum Libri.
Vtilitas.
An liber ſit legitimus.
Libri inſcriptio.
Diuiſio.
Via Doctrinæ.
Ordo.
Nomen Auctoris.

Deuenio ad primum ſcilicet ad ſubiectum libri: verùm quoniá reſolutio huius veritatis quoquomodo pendet ex reſolutione alterius veritatis, ſcilicet ex cognitione vnitatis & multiplicitatis libri Priorum & Poſteriorum. Propterea primo videndum eſt, an libri Priorum, & Poſteriorum ſint vnus liber an duo.

Ex vno latere uidetur, quòd ſint vnus liber.

Primo quoniam ille liber, qui habet vnum Prologũ, & vnum epilogum, eſt unus liber: ſed libri Priorum & Poſteriorum habẽt unum pro-
A logum, & unum epilogum. Idcirco namque in libro Poſteriorum non fecit prologum; ergo libri Priorum & Poſteriorum ſunt unus liber. Maior probatur ex Ariſtotele tertio Rhetoricorũ Capite de Procemio dicente, quòd in una narratione & libro unum eſt prologũ, ſeu procemium & epilogum. Minor probatur ex eodem in principio primi Priorum, ubi proponens ſuam intẽtionem, & ſubiectum dicit: Primum dicendum circa quod, & de quo eſt intentio, quoniam circa demonſtrationem, & de diſciplina demon-
B ſtratiua eſt, & ſic proponit, deinde epilogat in ſecundo Poſteriorum Commento 100. & ſecundum antiquam diuiſionem textu 26. cum dicit de ſyllogiſmo igitur & de demonſtratione quid vnũquodque eſt, & quomodo fiat, manifeſtum eſt: ſimul autẽ & de ſcientia demõſtratiua, idem enim eſt, quare ſunt unus liber.

Secunda ratio, qua idem perſuadetur, eſt ubi eſt idem finis, ibi unus liber eſt: ſed in libris Priorũ, & Poſteriorũ eſt idẽ finis; ergo ibi unus liber eſt minor. Patet finis nãque principalis in libris
C Priorum & Poſteriorum, eſt demonſtratio, ut patet in principio libri. Hoc idem confirmatur ex inſcriptione; Libri nãque Priorum & Poſteriorũ eodem modo inſcribuntur, ſcilicet reſolutorij. Hinc Alexander libros Priorum & Poſteriorum unum librum facit.

Ex aduerſo videtur, quod libri Priorum & A Poſteriorum non ſint vnus liber, ſed duo; quod tali pacto comprobatur, vbi non eſt idem ſubiectum, ibi non eſt vnus liber: ſed in libris Priorum & Poſteriorum non eſt idem ſubiectum: ſubiectum enim libri Priorum, vt videbimus, eſt ſyllogiſmus; libri vero Poſteriorum demonſtratio; ergo non ſunt vnus liber.

Pro dilucida notitia huius difficultatis dico breuiter, quod libri Priorum & Poſteriorum poſſunt dupliciter conſiderari, vel ratione finis; vel ratione ſubiecti. Si conſideremus libros B Priorum & Poſteriorum ratione finis, dico quòd ſunt vnus liber; nam eadem principalis intentio, finisq; eſt in libro Priorum, & Poſteriorum: ſi autem conſideremus librum Priorum, & librum Poſteriorum ratione ſubiecti dico, quòd ſunt duo; nam diuerſum eſt ſubiectum libri Priorum a ſubiecto libri Poſteriorum: ſiquidem in libro Priorum ſubiectum eſt ſyllogiſmus ſimpliciter; in libro autem Poſteriorum ſubiectum eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus.

His declaratis accedo ad primum Caput pro- C poſitum; quod nam ſcilicet ſtatuendum ſit ſubiectum in hoc libro.

Vnde aduertendum ne decipiamur, quòd cum libri Priorum & Poſteriorum ſint vnus liber ratione finis; duo vero ratione ſubiecti, quòd quando quærimus de ſubiecto libri, aut intelligimus de ſubiecto totius libri totalis, Priorum ſcilicet, & Poſteriorum, aut de ſubiecto dumtaxat libri Priorum. Si quæramus ſubiectum libri totalis, iſtud adhuc eſt duplex, vel principalitatis, quod coincidit cum fine; & D hoc, vt vidimus, eſt demonſtratio ipſa, & quidem potiſſima; vel ſubiectum eſt adæquatum, & iſtud eſt ſyllogiſmus ſimpliciter, & ſpecies aliquæ iſtius ſyllogiſmi ſimpliciter imperfectæ, vt inductio, enthimema, & exemplum, & aliquæ perfectæ vt demonſtratio; quia propter quid & potiſſima, de quibus agitur in libro Poſteriorum. Si vero quæramus ſubiectum partiale, dumtaxat libri Priorum, eſt ſyllogiſmus ſimpliciter, non contractus ad aliquam materiam, pro quanto ſcilicet eſt communis, & vni- E uerſalis ſyllogiſmo demonſtratiuo, probabili, & ſophiſtico; ſi ſophiſticus fiat ſecundum formam in hoc libro traditam, qui dicitur ſyllogiſmus formalis, pro quanto eſt forma omnium ſyllogiſmorum; & hæc mea opinio, ſi recte perpendatur, non differt ab opinione Alexandri & Auerrois hoc in loco, licet non ita diſtincte explicent intentionem ſuam.

Sed contra hanc determinationem argumentatur pluribus argumentis.

Primum argumentum eſt: nihil eſt ſubiectum F totius, & partis, ſed ſyllogiſmus eſt ſubiectum in tota Logica, vt probat Scotus in tertia quæſtione vniuerſalium. Quo loci dicit, quòd de ſyllogiſmo præſupponitur quid, & quia de ipſo demonſtrantur paſſiones, vt habere tres terminos, & ad ipſum omnia habent attributionem: inde ſyllogiſmum ſtatuit ſubiectum in tota Logica; ergo ſyllogiſmus non eſt ſubiectum in libro Priorum.

Secundum argumentum eſt, nulla ſcientia conſtruit proprium ſubiectum, ſed in libro Priorum Ariſtoteles docet conſtitutionem ſyllogiſmi quomodo fiat; ergo ſyllogiſmus non eſt ſubiectum in libro Priorum. Maior patet primo Poſteriorum, textu commento ſecundo; quia ipſum ſubiectum præſupponitur, & non probatur eſſe.

Tertium eſt argumentum, ſi ſyllogiſmus ſimpliciter eſſet hic ſubiectum, ſequeretur quod de ipſo haberetur ſcientia, conſequens falſum; ergo & antecedens, probatur falſitas conſequentis, quia ſi de ipſo haberetur ſcientia, haberetur de ipſo per ſyllogiſmum: hoc autem eſt falſum, quia tunc ille alius ſyllogiſmus eſſet ignotius, & notius, per ignotius ſciri non poteſt, vt habetur primo Poſteriorum textu commento xi. Præterea ſequeretur, quòd daretur proceſſus in infinitum; quia aut de illo alio ſyllogiſmo habetur ſcientia, an non; non primum, quia per alium, & ſic vſque in infinitum; non ſecundum, quia ignorato ſyllogiſmo vniuerſali, ignoratur etiam particularis, per quem habetur ſcientia de ipſo ſyllogiſmo in communi. Augetur argumentatio, nam ſyllogiſmus non definitur, cum ſit quid complexum; ergo nec ſcitur. Probatur conſequentia, quoniam demonſtratiuus ſyllogiſmus, qui parit ſcientiam, habet pro medio ipſam definitionem. Inſuper ſyllogiſmus ſimpliciter non eſt ens, neceſſarium eſt vnum per accidens; ergo nec ſciens.

Quartum argumentum eſt, ratiocinatio ex Alexandro, ſeu argumentatio eſt hic ſubiectum; ergo non ſyllogiſmus ſimpliciter probatur, quoniam ſyllogiſmus eſt ſpecies ratiocinationis, ſeu argumentationis; ſimiliter inductio, enthimema, & exemplum ſunt ſpecies argumentationis, & ratiocinationis, & de his agit; ergo etiam debet agere de argumentatione & ratiocinatione: nam cuius eſt determinare ſpecies, eius eſt determinare & genus.

Nonnulli quintum addunt argumentum, ſatis leue. Logica determinat artem definiendi, & diuidendi, non autem colligendi; ergo non agit de ſyllogiſmo ſimpliciter. Conſequentia patet, quoniam ars de ſyllogiſmo ſimpliciter eſt ars colligendi; ergo ſyllogiſmus ſimpliciter non eſt ſubiectum in aliqua parte Logicæ.

In oppoſitum eſt noſtra determinatio, quę eſt ipſius Ariſtotelis, quam ſequuntur Græci, Alexander, Ioannes Grammaticus hic, Ammonius, & Simplicius in Prædicamentis, & eſt ſententia plurium Latinorum, Scoti in tertia quæſtione vniuerſaliū, & Alberti, & D. Thomę, & Egidij.

Idcirco ad primum argumentum reſpondeo, quòd nihil eſt ſubiectum totius, & partis eodem modo conſideratum. Propterea dato etiam, quòd ſyllogiſmus ſit ſubiectum in tota Logica,

poteſt

poteſt etiam eſſe ſubiectum libri Priorum non A
eodem modo, ſed diuerſo. Syllogiſmus enim
ſi conſideratur quo ad proprietates formaliter
ipſum conſequentes, eſt ſubiectum libri Prio-
rum: ſi vero conſideretur quo ad omnes paſſio-
nes in ſe, vel in ſuis partibus integralibus, &
ſubiectiuis, & reducibilibus ad ipſum, eſt ſub-
iectum in tota Logica, ex opinione eiuſdem
Scoti loco citato; & in hunc ſenſum ſyllogiſ-
mus poteſt eſſe ſubiectum totius & partis, quia
illud totum habetur conſiderari in aliqua par-
te ſcientiæ. Exemplum aptiſſimum habemus B
in Metaphyſica, in qua iuxta Alexandrum po-
nitur ens, in quantum ens, eſſe ſubiectum;
& tamen de hoc communiter agitur in quar-
to Metaphyſicæ. Sic igitur dicamus de ſyl-
logiſmo ſimpliciter, quod non inconuenit,
vt ſit ſubiectum totius & partis modo decla-
rato.

Ad ſecundum dico, quòd Logica & liber
Priorum præſupponit ſuum ſubiectum eſſe, &
docet quomodò fiat, hoc eſt, ſupponit ipſum
eſſe, & declarat quid ſit, & ex quibus conſtet; C
non autem ſimpliciter ipſum ponit, ſed quoquo
modo ſupponit.

Ad tertium dico, quòd ſyllogiſmus eſt hic
ſubiectum, & ſcitur non ſcientia demonſtrati-
ua, quia in Logica non habetur aliqua demon-
ſtratio; ſed bene ſcitur alia ſcientia, ſcilicet ſyl-
logiſmo Dialectico, & probabili, & ſi contin-
git in hac arte de ſyllogiſmo, ſyllogiſmum ali-
quid concludere de ſyllogiſmo ipſo, concludi-
tur particulari ſyllogiſmo, qui ſyllogiſmus eſt
naturalis, & ipſo vtimur ad concludendum ali- D
quid de ſyllogiſmo in communi; & eſt notus il-
le particularis ſyllogiſmus, pro quanto eſt na-
turalis; artificialiter tamen cognoſcitur cogni-
to vniuerſali, vel fieri poteſt, quòd ille ſyllo-
giſmus particularis ſit etiam nobis notus cum
ex ſingularibus vniuerſalia colliguntur; & ſicut
malleum malleo cõſtruimus, ſic intellectione in-
tellectionem intelligimus, ſicut intellectus ip-
ſo intellectu ſeipſum intelligit. Ita non eſt mi-
rum ſi ſyllogiſmo ſyllogiſmum cognoſcimus;
& ſi denique Logica quæ eſt modus ſciendi E
aliarum ſcientiarum, ſit etiam modus ſciendi,
& cognoſcendi ſe ipſam: quare dicitur etiam,
quòd non dabitur progreſſus in infinitum, quia
in illo particulari ſiſtimus ſyllogiſmo, qui eſt
nobis notus naturaliter, vel etiam notus arte,
modo, quo per inuentionem ſingularia, priuſ-
quam vniuerſalia, cognoſcuntur; & ſic dicitur,
quòd ante ſyllogiſmum erit ſyllogiſmus, cum
ante vniuerſalia collecta præintelligãtur etiam
ſingularia à quibus colliguntur.

Ad aliam confirmationem dico, complexa F
deſcribi, ſi non definiuntur, deſcribitur ſyllo-
giſmus: ad aliud dico, quòd ſyllogiſmus poteſt
aliter ſe habere, prout intellectus quandoque
diſcurrit, quandoque non; eſt tamen perpe-
tuus modo, quo intellectus dicitur eſſe perpe-
tuus: quandiu enim reperietur intellectus, repe-

rietur etiam eius operatio, & per conſequens
ſyllogiſmus; non tamen eſt ita perpetuus ſumen
do æternitatem eo modo, quo per ipſam aliqua
dicuntur cognoſci demonſtratiue.

Ad vltimam confirmationem dico, quòd nõ
eſt ens per accidens, licet ſit aggregatum ex tri-
bus propoſitionibus.

Ad quartum argumentum reſpondeo, quòd
argumentatio, & ratiocinatio non differunt à
ſyllogiſmo, vt videre eſt penes Alexandrum;
nam ſyllogiſmus Græce, Latine ſonat argumen
tationem, ſeu ratiocinationem, & ad ſyllogiſ-
mum reducitur exemplum, inductio, & enthi-
mema; nam Ariſtoteles enthimema appellat
ſyllogiſmum imperfectum. Exemplum, ſyllo-
giſmum exemplarem, inductionem ſyllogiſ-
mum inductiuum; quare ad ſyllogiſmum redu-
cuntur iſtæ ſpecies, & argumentatio nihil aliud
eſt, quàm ſyllogiſmus, pariterq; ratiocinatio.

Ad quintum & vltimum nego antecedens,
quia Logica docet artem componendi & colli-
gendi; nam ſyllogiſmus eſt quaſi collectio ratio-
num, & diuiſio eſt inuenta, maxime vt deſer-
uiat demonſtrationi, quæ eſt collectio ſcienti-
fica, & demonſtratiua: quare concludendum
ſyllogiſmum eſſe ſubiectum libri modo præ-
narrato.

Secundum Caput conſiderandum, eſt vtili-
tas huius libri Priorum, quæ quanta ſit, facile
oſtenditur; nam compertum eſt omnibus Phi-
loſophis, quanta ſit Logicæ facultatis vtilitas
toti Philoſophiæ, cum ipſa tradat inſtrumen-
tum ſcientificum, quod eſt demonſtratio; gra-
tia cuius demonſtrationis præcipue compoſi-
tus eſt iſte liber de Syllogiſmo ſimpliciter ab
Ariſtotele; nam impoſſibile eſt (dicunt Græ-
ci) ſcire demonſtrationem, ignorato quid ſit
ſyllogiſmus ſimpliciter. Cum igitur iſte liber
ſit apprimè vtilis ad cognitionem demonſtra-
tionis, quæ maximo eſt vſu toti Philoſophiæ,
ſequitur quòd iſte liber erit etiam vtilis Philo-
ſophiæ: quod vero demonſtratio ſit vtilis toti
Philoſophiæ, nulli dubium eſt: eſt enim inſtru-
mentum acquirendi ſcientiam, in qua fœlici-
tas conſiſtit humana; quare & iſte liber faciet
quoquomodo ad iſtam fœlicitatem acquiren-
dam; præterea vtilis eſt demonſtrationi, & ſyl-
logiſmo Dialectico, de quibus maxime pertra-
ctat ipſe Logicus. Cum igitur hic liber tantam
præſtet vtilitatem, toto conatu eſt eius cogni-
tio acquirenda.

Tertium erat Caput, an iſte liber ſit legiti-
mus Ariſtotelis, ad quod dicamus, quòd nulli
dubium eſt, quin iſte liber ſit legitimus ipſius
Philoſophi: & licet tempore Ptolemęi Phila-
delphi quadraginta libri reſolutorij ſint inuen-
ti; hi tamen ſolum Ariſtotelis proprij & germa-
ni iudicati ſunt, tum ob ſtyli grauitatem,
ſolitæque elocutionis, & dicendi breuitatem;
tum etiam quia in his libris citat alios libros,
quos eſſe Ariſtotelis, nulla eſt dubitatio:
præterea Laertius Philoſophus teſtatur hunc li-

brum eſſe Ariſtotelis, cuius teſtamentum haudquaquam eſt aſpernendum: dicit enim Laertius, nedum hos duos Priorum libros Ariſtotelem compoſuiſſe, ſed etiam nouem, ob id fortaſſe, quod quadraginta libri fuerunt oblati Ptolemęo Philadelpho. De hoc legas apud Burannam, & Ioannem Grammaticum; habetur etiam quòd Protagoras ſcripſit nouem libros reſolutorios, in quibus egit de ſyllogiſmo, & de alijs.

Sequitur quòd quartum Caput explicemus, nempe inſcriptionem; nã ignorato titulo, ignoratur quodammodo ipſa intentio. Hinc ſolebat dicere admodũ Reuerendus Frater Ioãnes Maria Euſtochius Seruita, pręceptor meus, ſemper ſummo honore, ſummiſq; laudibus colendus, quod inſcriptio eſt paruum Procœmium, vti eſt videre in libris de anima, in quibus cognita ipſa inſcriptione, habemus veluti quoddam breue Procœmium illorum trium librorum.

Titulus eſt igitur, Liber Priorum Analiticorum, ſeu Reſolutoriorum: vnde notandum eſt quid ſit reſolutio, quoniam ea cognita, habebimus notiſſimam, & exactiſſimam inſcriptionis cognitionem. Quapropter memoriæ repetenda ſunt quæ ego docui de reſolutiua methodo in Procœmio Vniuerſalium Porphyrij, videlicet quòd reſolutio eſt contraria compoſitioni: compoſitio enim à ſimplicibus ad compoſita procedit, ab inferioribus ad ſuperiora; reſolutio verò è contrario procedit à compoſitis ad ſimplicia, à ſuperioribus ad inferiora; quæ reſolutio triplex eſt, Naturalis, Artificialis, & Secundum rationem. Naturalis eſt, quando reſoluimus totum in elementa. Artificialis, quando reſoluimus aliquod arte factum in ſuas partes ſimplices, vt cum reſoluimus domum in ligna, & lapides. Secundum rationem eſt, quando concluſionem in ſua principia reducimus; quæ reſolutio Logica dici poteſt; & hæc habet duplicem modum reſoluendi, ſcilicet vel enim concluſionem formalem reſoluimus in ſua principia nuda ſine materia, vel concluſionem reſoluimus in principia cum materia. Reſolutio concluſionis in principia nuda eſt reſolutio, quæ fit in literis Alphabeti, vt ſi ponamus, quòd omne A, ſit C, & omne B, ſit A, ex his duabus præmiſſis concludimus hoc modo, quòd omne B, eſt C. Iſta concluſio, quòd omne B, ſit C, reſoluitur in pura, & nuda principia ſine nulla materia, ideſt in duas præmiſſas, quæ ſunt omne A, eſt C, & omne B, eſt A, quæ nullam habent materiam.

Reſoluitur concluſio in principia neceſſaria cum materia, vt cum habemus hanc concluſionem, quòd anima ſit immortalis, & eam reſoluimus in ſuas præmiſſas, & principia neceſſaria, omnis numerus ſe ipſum mouens eſt immortalis, anima eſt numerus ſe ipſum mouens, ex quibus neceſſario ſequitur ea cõcluſio; ergo anima eſt immortalis. Cum igitur modi reſoluendi ſecundum rationem ſint duo, ſecundum pu-

A

ram formam, & ſecundum materiam Ariſtoteles in libro Priorum agit de forma concluſionis reſoluenda in nuda principia ſine vlla materia. In libro autem Poſteriorum agit de concluſione reſoluenda ſecundum materiam: quæ reſolutio cum ſit poſterior prima; ideo iure merito hic liber Priorum, ille Poſteriorum Reſolutoriorum, ſeu Analiticorum Græce nuncupatur.

Et pro diſtincta huiuſce inſcriptionis cognitione affero dubitationem quandam, quam quis

B

fortaſſe adducere poſſet in medium; namque ſyllogiſmi ſunt vel in materia neceſſaria, vel ſophiſtica, vel probabili. Cum itaque ſyllogiſmi ſint in triplici materia, cur agit Ariſtoteles de reſolutione concluſionis ſolum in materia neceſſaria, non autem de reſolutione in materia ſophiſtica, & probabili, cum & ipſæ habeant ſuam propriam materiam.

Reſpondetur in præſenti, quòd Ariſtoteles non agit de reſolutione in materia ſophiſtica, quoniam reſolutio procedit vt habeatur rei ve-

C

ritatis; at Sophiſta non reſoluit, imò fallacia inſtruit, vt aduerſarium decipiat: quare neque Sophiſta ſcit bene ſyllogizare; & ideo Ariſtoteles de reſolutione in materia ſophiſtica non loquitur. Prætermiſit autem reſolutionem in materia topica, & ſi topicus conſideret veritatem, quoniam hæc reſolutio eſt nimis longa, videturq; admodum difficilis, quoniam concluſio topica, vt teſtatur idem Philoſophus 1. Poſter. tex. com. 94. poteſt ſyllogizari per multa principia, & per diuerſa media deduci; propte-

D

rea hanc reſolutionem prætermittit.

Quo ad diuiſionem, quæ eſt quintum Caput, liber reſolutorius diuiditur in duas partes, in librum Priorum, & Poſteriorum, quarum pars quælibet diuiditur in duos libros, quorum quilibet adhuc diuiditur in plura ſegmenta, & capita, quid agat in lib. ſequenti Poſteriorum. Deo fauente, dicam in interpretatione eiuſdem libri.

In præſenti accipio primum & ſecundum librum Priorum, horum quilibet diuiditur in

E

alias partes.

Liber primus, quem præ manibus explicandum habeo, ſecatur in tres partes.

In prima docet omnes ſyllogiſmos conficere, vel ex propoſitionibus de ineſſe, vel ex propoſitionibus modalibus; nam quicquid docet Ariſtoteles in lib. Perierum, hoc totum cõfert in lib. Priorum; ex propoſitionibus namque de ineſſe format ſyllogiſmos de ineſſe.

In ſecunda parte agit de copia propoſitionum, de abũdantia medij, & de ſyllogiſmis hy-

F

potheticis, ideſt conditionalibus. Agit autem de abundantia medij, & copia propoſitionum, vt facilius propoſito quolibet theoremate poſſimus conficere, vel diſſoluere ſyllogiſmos: agit verò de ſyllogiſmis hypotheticis, & conditionalibus, qui magis inſeruiunt Oratori, quàm Dialectico.

In tertia parte agit de reſolutione ſyllogiſmorum; & hinc notat Ioannes Grammaticus, quod Ariſtoteles meritò inſcripſit librum iſtum de reſolutione, quoniam ipſum denominauit à parte nobiliori; nam denominatio dupliciter fit, vel per ſuperabundantiam, vel à nobiliori; per ſuperabundantiam hoc modo, vt eſt aliquis, qui habet tres gradus caliditatis, & etiam habet quatuor gradus frigiditatis, iſte denominabitur frigidus à ſuperabundantia, quoniam habet plures gradus frigiditatis, quàm caliditatis; à nobiliori verò vt ſi quis ſit Grammaticus, & Philoſophus, is denominabitur Philoſophus a nobiliori, quia nobilior eſt Philoſophia, quàm Grammatica. Hic igitur liber ex Ioanne Grammatico non denominatur a ſuperabundantia, quoniam non vocaretur reſolutorius, cum minus tractet de reſolutione, quàm de alijs, ſed a nobiliori, à reſolutione, de qua agitur in tertia ſectione.

In ſecundo libro agit de materia ſyllogiſmorum, vnde poſſet quis tenere hanc concluſionem, non ſolum in libro Priorum Ariſtotelem agere de forma ſyllogiſmi, ſed etiam de materia ſyllogiſmi. Verùm ſciendum, quòd duplex eſt materia, Communis, & Propria. De materia propria ſyllogiſmorum agit Ariſtoteles in libro Poſter. Topic. & Elench. de materia verò communi, id eſt de materia ſyllogiſmi agitur in lib. Priorum.

Sequitur ſextum caput, quod eſt via doctrinæ, ſeu docendi modus, quo vtitur Ariſtoteles: Dico itaque, quod definit, diuidit, ſyllogizat; exemplificat, & reſoluit; præcipue autem vtitur via reſolutiua, eo modo, quo à Galeno explicatur, quæ procedit ex cognitione finis, & omnia ad finem dirigit. Hinc dicunt nonnulli, libri Priorum, & Poſteriorum dicuntur reſolutorij, quia modo reſolutiuo ſunt traditi, iuxta doctrinam reſolutiuam prænarratam: nam Ariſtoteles in 1. Priorum, præcognito fine ſyllogiſmi, qui eſt neceſſario concludere, præparat, & inuenit ea, quæ ad talem finem perducunt, puta quòd ſyllogiſmus debeat conſtare ex duabus propoſitionibus, & tribus terminis. Similiter 1. Poſter. præcognito fine demonſtrationis, qui eſt facere ſcientiam, præparat, & inuenit ea, quæ ad hunc finem perducunt, vt puta, quòd demonſtratio conſtet ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſq; concluſionis, ex neceſſarijs de omni, per ſe, vniuerſaliter, & ſecundum quod ipſum: propterea vtitur Ariſtoteles potiſſimum huiuſcemodi via reſolutiua.

Septimum caput eſt de ordine huius libri inter cęteros Logicæ libros. Quantum ad hoc dico, quòd hic liber Priorum habet quoſdam libros antecedentes, & quoſdam conſequentes: habet antecedentes præter vtilem libellum Porphyrij, librum Prædicamentorum, & librum Periermenias: conſequentes verò librum Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum: nam

A cum intellectus trinam habeat operationem; prima vt ſimplicia cognoſcat, ſecunda vt affirmet, & neget, tertia vt ſyllogizet, & ratiocinetur. Cumque Ariſtoteles docuerit in libro Prædicamentorum ſimplicia cognoſcere, in libro Periermenias affirmare, & negare, reliquum eſt, vt quod ſpectat ad tertiam operationem intellectus doceat, nempe ſyllogizare, & ratiocinari: verùm quia ſyllogiſmus ſecundum formam eſt prior ſyllogiſmo ſecundum materiam, quia communior eſt; & per conſequens

B prior, vt habuimus in Poſtprædicamentis, cap. de priori, & habetur 1. Poſteriorum, & 1. Phyſicorum; idcirco liber iſte Priorum, in quo agit Ariſtoteles de ſyllogiſmo formali, & in communi, præcedit librum Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum, quibus in libris agitur de ſyllogiſmo ſecundum materiam & minus communi.

Remanet vltimum Caput, nempe nomen Auctoris ex iam dictis ſatis notum, nempe Ariſtoteles ille, de quo D. Hieronymus miratus,

C teſtatus fuit ipſum extitiſſe magnum portentum naturæ: eſt enim Philoſophorum omnium facile Princeps, & præcipue ita veritatis amator, vt cuilibet arctæ neceſſitudinis ſibi deuincto, quinimo Præceptori proprio, diuino ſcilicet illo Platoni ſemper eam antepoſuerit. Hinc in Ethicorũ libro protulit hanc ſententiam, Amicus Socrates, Amicus Plato, magis amica veritas. De reliquis virtutibus huiuſce clariſſimi viri melius eſt ſilere, vt dici ſolet, quam pauca dicere, præſertim cum alibi, & ab alijs maxi-

D me fuerint celebratę, ſatis ſit Ariſtotelem nominaſſe, reliqua ſunt omnibus nota.

Reliquum eſt, vt his præmiſſis, quæ vtilitatem præſtant, ad rem ipſam, tractationemq; deſcendam, & ad textum explicandum accedam. Accipio itaque Caput primum Primi Priorum, ac Sectum primum de ſtructura ſyllogiſmi.

E

De Propoſitione, Termino, Syllogiſmo, Dicto de omni, ac Dicto de nullo. Caput Primum.

IN expoſitione verborum Ariſtotelis non diſcedam ab ordine, quem ſeruaui & in cæteris præcedentibus libris.

Primo, Auctoris intentionem declarabo.

F

Secundo, Intentionis illius cauſam.

Tertio, Vtilitatem rei intentæ; ſed non ſemper.

Quarto, Quomodo vna pars alteri continuetur.

Quinto, Diuiſionem textus.
Sexto, Notanda.
Septimo, Dubitationes.

Intentio Philoſophi in principio huius libri eſt ponere Proœmium, in quo proponit de quibus acturus ſit in toto libro Analitico, & in hoc ſpeciali libro, qui eſt liber Priorum. Proponit autem ſe acturum de demonſtratione, & demõſtratiua ſcientia, & adhuc de propoſitione, de termino, de ſyllogiſmo perfecto, & imperfecto, de eo, quod eſt in toto eſſe, & non eſſe in toto; denique de dici de omni, & dici de nullo, hæc ſunt quæ proponit Ariſtoteles agere in Proœmio.

Cauſa huius ſuæ intentionis eſt, vt perfectam nobis tradat ſyllogizandi artem, cuius medio rerum cauſas, principiaq; cognoſcere valeamus, & inde omnium rerum ſcientiam ſuſcipere.

Continuatur iſte liber cum præcedenti hunc in modum; quoniam cum in libro de Interpretatione nos docuerit conſtitutionem propoſitionum cum earum conſequentijs, oppoſitionibus, & æquipollentijs, in gratiam ſyllogiſmi, nunc de ipſo ſyllogiſmo pertractat.

Diuiditur liber Priorum in duas partes principales, in Proœmium ſcilicet, & Tractatum; Proœmium perdurat vſque ad illam partem, quæ habetur ibi, *Propoſitio igitur*: ibi namque incipit Tractatus. Dicit ideo Ariſtoteles.

Primum dicendum circa quid, & de quo eſt intentio, quoniam circa demonſtrationem, & de diſciplina demonſtratiua eſt; deinde determinandum, quid propoſitio & quid terminus, quid ſyllogiſmus, quis perfectus, & quis imperfectus; poſtea uerò quid eſt in toto eſſe, uel non eſſe hoc in illo, & quid dicimus de omni, aut de nullo prædicari.

Hæc eſt prima pars libri Priorum, in qua ponitur Proœmium, quòd ſtatim in ſui ipſius initio continet finem, ac ſcopum, quem habet Ariſtoteles in toto libro Analitico, nempe ſe acturum de demonſtratione, & demonſtratiua ſcientia. Hinc dixi in Prælectionibus quòd ratione finis libri Priorum, & Poſteriorum meritò dici poſſunt liber vnus, quoniam finis in toto libro Analitico eſt tum demonſtratio, tum demonſtratiua ſcientia.

Hinc dicunt Græci expoſitores, illum eſſe finem agentis, qui eſt primus in intentione, & vltimus in executione, gratia exempli, Ædificator proponit ſibi conſtruere ædificium, quo ſe tueatur a pluuia, & frigore; iſte finis eſt primus, quem in intentione ſibi proponit ædificator, eſt

A. tamen vltimus in executione; ſiquidem præcedunt calx, lapides, & huiuſcemodi, quæ ad finem illum, ad ædificium ſcilicet ſunt conducentia. Pariter Medicus cum ad ægrotum accedit, Primum proponit ſibi ſanitatem ægroti, ſanitasq; eſt prima in intentione ipſius Medici, eſt tamen vltima in executione, eo quoniam vtitur antea medicinis, inciſione venæ, cucurbiculis, & huiuſcemodi ſanitatem introducentibus. Hoc modo demonſtratio, & demonſtratiua ſcientia eſt finis libri Analitico-
B rum; vnde licet ſit primum in intentione Philoſophi, & in initio huius Proœmij proponat primum ſe agere de demonſtratione, & demonſtratiua ſcientia, tamen non agit de ea in libro Priorum, ſed Poſteriorum: nam licet demonſtratio, ſeu ſcientia demonſtratiua ſit præcipuus ſcopus, & finis Ariſtotelis, eſt tamen vltimus in executione.

Hoc Proœmium poteſt rectè diuidi in duas partes. In prima proponit ſubiectum intentum, finemque, & ſcopum ſuum. In ſecunda
C enumerat quædam, quæ finis cognitionem præcedunt. Et hæc duo facit in prima parte Capitis, in reliqua parte huius primi capitis quodammodo explicat enumerata, & dicit, *Primum*, quod denotat prioritatem intentionis, non executionis, *Dicendum circa quid, & de quo eſt intentio*. Hæc ſunt duo anteposita; ad vtraque autem duo ſubiungit reſponſa; primum, *quoniam circa demonſtrationem*: ſecundum, *& de diſciplina demonſtratiua eſt*. Quærunt hic expoſitores, quid Ariſtoteles intelli-
D gat per demonſtrationem, & demonſtratiuam ſcientiam.

Sunt qui dicunt, vt Alexander inter cæteros, quoniam demonſtratiua ſcientia eſt vt habitus, demonſtratio vt actus, qui præcedit ad habitum: hinc per demonſtrationem interpretatur ſubiectum intentum in libro Analiticorum, qui eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, & per ſcientiam demonſtratiuam explicat finem acquirendum per tale ſubiectum intentum, quoniam ſecundum ipſum ſcientia demonſtratiua
E eſt habitus, ex quo ratiocinari demonſtratiue poſſumus.

Verùm ego ſentio etiam aliter poſſe intelligi huiuſmodi verba, nempe quòd per demonſtrationem vere velit Philoſophus ſyllogiſmum demonſtratiuum, & per conſequens artem, & cognitionem fabricandi demonſtrationem, per ſcientiam verò demonſtratiuam capiat vtilitatem & fructum, qui habetur ex cognitione conſtruendi demonſtrationem: nam cum ſcimus quid ſit, & quomodo fiat de-
F monſtratio, cum vtimur hac arte, & demonſtramus per huiuſmodi demonſtrationem nos acquirimus ſcientiam demonſtratiuam de re, de qua ſit talis demonſtratio, quoniam demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, & hæc ſcientia demonſtratiua alibi ab Ariſtotele dicitur ſcientia, cum dicit, quòd

ſcien-

ſcientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, & de hac ſcientia intelligit hic Ariſtoteles: quæ quidem eſt veluti fructus, & finis, quem nos acquirimus ex cognitione artis demonſtrandi, cum tali arte vtimur.

Sed contra dicta dubitatur, quoniam videtur ex ſententia Ariſtotelis demonſtrationem, & demonſtratiuam ſcientiam non eſse inter ſe diſtinctas, ſed idem, cum expreſse ipſe hanc veritatem enunciauerit in 2. Poſter. prope finẽ contextu ſecundum antiquam diuiſionem 26. quando dicit ſe egiſse de demonſtratiua ſcientia, & demonſtratione in ijs verbis; *De ſyllogiſmo igitur, & de demonſtratione quidq; vnumquodque eſt, & quomodo ſit, manifeſtum eſt; ſimul autem & de ſcientia demonſtratiua idem enim eſt*. Ex quibus verbis ſatis patet per demonſtrationem, & demonſtratiuam ſcientiam idem intelligere.

Reſpondeo, quòd demonſtratio, & demonſtratiua ſcientia non ſunt idem, ſed differunt; nam demonſtratio dicitur eſse inſtrumentum acquirendi ſcientiam demonſtratiuam: ſcientia autem demonſtratiua eſt fructus acquiſitus per tale inſtrumentum. Ad auctoritatem Ariſtotelis dico, quòd cum dicit, quòd ſunt idem, ita intelligit, quòd idem eſt tractare de re, quæ acquiritur per inſtrumentum, & de inſtrumento; quoniam qui tractat inſtrumentum, videtur etiam tractare fructum, qui acquiritur per tale inſtrumentum.

Vel dicit Ariſtoteles idem eſse demonſtrationem & demonſtratiuam ſcientiam pro quanto demonſtratio eſt, ſyllogiſmus faciens ſcire. Sunt ergo idem, quia ſcientia eſt fructus, & effectus immediatus talis inſtrumenti demonſtrationis.

Cum itaque hactenus propoſuerit agere de demonſtratione, & demonſtratiua ſcientia, tanquam de ſubiecto, & fine libri Analiticorum, ſequitur enumerare in ſecunda parte ea, quæ ad hunc finem conducere videntur, & inquit: *Deinde*, hoc eſt propoſito fine, *determinandum eſt, quid propoſitio, & quid terminus*, quæ ſunt partes conſtituentes ſyllogiſmum, *quid ſyllogiſmus*, qui eſt veluti principium & forma demõſtrationis, *quis perfectus, & quis imperfectus*, vt inde doceat quomodo ſyllogiſmus imperfectus ad perfectũ ſyllogiſmum reducatur: *poſtea verò quid eſt in toto eſse, vel non eſse hoc in illo, & quid dicamus de omni, aut de nullo prædicari*; quoniam eſse in toto; & dici de omni idem ſignificant, nempe vniuerſalem affirmationem; pariter non eſse in toto, & dici de nullo idem ſonant, vt puta vniuerſalẽ negationem, vt inferius videbimus; & hæc ſunt veluti principia regulantia ſyllogiſmum: hæc ſunt quæ enumerat Ariſtoteles in hac ſecunda parte ante finem ſuum declaranda, ſcilicet ante demonſtrationem, demonſtratiuam ve ſcientiã. Eſt namque, vt vidimus, demonſtratio, demonſtratiuaq; ſcientia finis, & ſcopus, & intẽtio principalis libri Analitici: qui finis licet ſit primus in intentione, eſt tamen vltimus in executione;

A debent enim præcedere prædicta media, quæ prius eſt, opus eſt cognoſcere, ſcilicet quid ſit propoſitio, quid terminus, quid ſyllogiſmus, qualis perfectus, qualis imperfectus, quid ſit eſſe in toto, quid non eſſe in toto, quid de omni, & quid de nullo prædicari: hæc ſunt media, quæ nos cõducunt ad cognitionem finis, nempe demonſtrationis, demonſtratiuæ ve ſcientiæ.

Notandum, quòd ſicut in naturalibus datur compoſitum naturale, vt homo, qui conſtat ex corpore & anima, tanquam ex materia & forma, B & partibus eſſentialibus, & inſuper conſtat ex partibus integralibus, capite ſcilicet & brachijs, & particulis, digitis videlicet. Præterea q; ei competunt proprietates accidentales, vt riſibile, & diſciplinabile, & communia accidẽtia, vt agere, legere, & ſtudere: pari ratione in intellectualibus, & ſecundum rationem conſtitutis iſta omnia adhibentur; nam ars imitatur naturam, in quantum poteſt: & propterea ſyllogiſmus, qui ſecundum intellectum componitur, conſtat ex partibus eſſentialibus, & integralibus C ex materia & forma. Forma ſyllogiſmi eſt modus, & figura, & ratiocinandi materia, traditur in 2. Priorum, inſuper in libro Poſter. Topic. & Elench. Particulæ ſunt termini, accidentia communia ſunt perfectio, & imperfectio, paſſiones, & proprietates, principia regulantia, ſcilicet eſſe in toto, & dici de omni, non eſſe in toto, & dici de nullo.

Vlterius, ſicut compoſitum naturale præter illa, quæ ſuperius enunciauimus, habet ſuum finem, qui finis eſt fœlicitas contemplatiua, & ſpe- D culatio ipſa, vt docet Philoſophus in 10. Ethic. Similiter ſyllogiſmus vltra prænarrata, finem ſuum habere dicitur, nempe demonſtrationem, demonſtratiuam ve ſcientiam.

Sed contra prædicta inſurgunt nonnullę difficultates diluendæ.

Prima difficultas eſt, quoniam Ariſtoteles videtur eſſe ſuperfluus, cum agit in hoc libro de propoſitione, & de termino, de quibus etiã egit in præcedẽtibus: nam in lib. Perier. egit de propoſitione, ac de nomine, & verbo; præterea la- E tius de terminis egit in Prædicamentis; ergo videtur ſuperfluus.

Ad hanc difficultatem reſpondetur, quòd in lib. Perier. loquutus eſt de enunciatione in vniuerſali, non vt ingreditur, vel non ingreditur ſyllogiſmum, ſed vt ſimpliciter ea vtimur. At hic pariter agit de ipſa, quatenus ingreditur ſyllogiſmum, & ſic contrahit enunciationem ad ſyllogiſmum, & appellat enunciationem nomine propoſitionis. Dicitur enim propoſitio, quaſi ad ſyllogizandum proponatur: pariter de nomi- F ne & verbo egit in lib. Prędicamentorum, vt voces ſimplices, in lib. Perier. vt partes conſtituentes enunciationem; at in hoc libro agit de nomine, & verbo, prout ſunt ad ſyllogiſmum contracta, & quatenus ſunt termini, ſubiectum ſcilicet, & prædicatum, ex quibus conſtituitur, & in quæ diſſoluitur propoſitio ſyllogiſtica.

Secundo dubitatur de ordine Ariſtotelis, quoniam Ariſtoteles aut vult vti ordine compoſitiuo, aut reſolutiuo; ſi ordine compoſitiuo terminus cum ſimplicior ſit, præcedere debebat propoſitionem; ſi reſolutiuo, cum ſyllogiſmus ſit perfectior, eidem propoſitioni erat præferendus, tamen terminum medium inter propoſitionem, & ſyllogiſmum conſtituit.

Ad hanc difficultatem ſuperficialiter poſitam etiam in lib. Perier. dico, quod Ariſtoteles volebat vti ordine compoſitiuo a ſimplicioribus: verum fuit coactus primum ponere propoſitionē, B tum quia de ipſa mentionem fecerat in ſuperiori lib. Perier. tum etiam quoniam in definitione termini eam collocabit: quæ autem ponuntur in definitione alicuius debent præcedere illud, & præcognoſci; ideo Ariſtoteles præpoſuit propoſitionem termino, quamuis ſi conſideretur propoſitio, quatenus fit ex terminis, nō deberet præcedere, cum pars conſtituens, ipſum conſtitutum præcedat.

Propterea hoc ordine procedēs Philoſophus C proponit agere de propoſitione, & termino, quę ſunt partes ſimplices conſtituētes ſyllogiſmum: compoſita enim diſtincte cognoſcuntur ex precognitione partium componentium. Hinc cum ſyllogiſmi componantur ex terminis, & propoſitionibus, ſequitur quòd ſyllogiſmus tunc perfecte cognoſcitur, cum termini, & propoſitiones erunt cogniti. Sequitur textus.

Propoſitio ergo eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de ali- D quo.

In hac tertia parte capitis Ariſtoteles expleto Prooemio, incipit Tractatum, in quo cum ſuperius enumerauerit ea, quæ in hoc toto opere tractanda ſunt, incipit explicare propoſitionem: de ea namque primo tractare propoſuit, idcirco, ſtatim in initio exorditur ab ipſius definitione, & inquit, *quòd propoſitio eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo*, in hac definitione, *oratio*, ſe habet vt genus, *affirmatiua, & negatiua*, ponun- E tur loco differentiæ, licet vt dixi in præcedenti libro ſint ſpecies vniuocæ ipſius enunciationis. Dicit itaque Ariſtoteles, quòd propoſitio eſt oratio, quæ, *affirmat, vel negat aliquid*, id eſt quæ prędicatur aliquid de aliquo ſubiecto, vel affirmando, vel negando.

Notandum, quòd oratio poteſt cōſiderari vel ratione ſignificatiua, quatenus ſignificat verū, vel falſum, & hac cōſideratione proprie dicitur enunciatio. Alio modo poteſt conſiderari ratione qualitatis, quatenus affirmat, vel negat, & F tali conſideratione proprie dicitur propoſitio. Cum itaque Ariſtoteles particulariter, & præcipue in præſenti libro, propoſitionē non vt enunciatiuam veri, vel falſi, ſed vt affirmatiuam, vel negatiuam conſideret, hinc potius propoſitionem eam appellauit.

Sed contra prędicta primo dubitatur, quoniā A nullum genus definitur per ſuas ſpecies; ergo affirmatio, & negatio, quæ ponuntur in definitione propoſitionis non poſſunt eſſe ſuæ ſpecies, cuius contrarium atteſtatum fuit, & hoc in loco, & etiam 1. lib. Perier. Maior patet, quoniam inferius non ponitur in definitione ſuperioris: homo namque non ponitur in definitione animalis, ſed potius è contrario.

Reſpondetur, quòd de definitione ſubſtātiali propoſitionis eſt, vt ſit oratio prędicatiua de aliquo ſubiecto; quę prædicatio fit vel affirmando, B vel negando, vt quoque in explicatione verborum dicimus: & propterea affirmatio, & negatio non ponuntur in definitione propoſitionis, vti partes definitiuæ, ſed potius vt diuiſiuæ, & hoc modo non inconuenit, vt ait Magnus Albertus, partes ſubiectiuas, & inferiores poni in definitione ſuperioris.

Secundo dubitatur, quia Ariſtoteles definiēs propoſitionem, videtur diminutus, quādo dicit eam eſſe orationem affirmatiuam, vel negatiuā alicuius de aliquo, & omiſit alicuius ab aliquo; C nam illa verba, *alicuius de aliquo*, innuunt tantum affirmationem, non autem negationem, ſed negatio ſignificatur per hæc alia verba, *alicuius ab aliquo*, quoniam particula, *De*, ſignificat affirmationem; particula vero, *Ab*, ſignificat negationem: hinc in lib. Perier. dicit, quòd oratio enunciatiua ea eſt, quæ enunciat aliquid de aliquo, aut aliquid ab aliquo.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles tantum hoc in loco poſuit particulam, *Alicuius de aliquo*, D quoniam eſt particula vniuerſalis, quæ continet tum orationem affirmatiuam, tum negatiuam, quoniam in vtraque eſt aliquid, quod ſubijcitur, & aliquid, quod prædicatur: & propterea cum minus commune ſub magis cōmuni debeat intelligi. Hinc ſatis extitit Ariſtoteli dicere, quòd propoſitio eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo, eo magis etiam, quod poſuit particulam principalem denotantem habitum, ſub qua minus principalis ſubintelligitur.

E **Hæc autem aut uniuerſalis, aut particularis, aut indefinita; dico autem vniuerſalem quidem, cum aliquid omni, aut nulli ineſſe: particularem verò, cum alicui, aut non alicui, aut non omni ineſſe; indefinitam autem, cum quid ineſſe, vel non ineſſe ſignificat, ſine uniuerſali, uel particu- F lari, ut contrariorum eandem eſſe diſciplinam, aut uoluptatem non eſſe bonum.**

Hic Ariſtoteles diſtinguit propoſitionem definitam, & dicit, quòd ea eſt triplex, vel eſt vniuerſalis, vel particularis, vel indefinita. Declarat

Ariſto-

Ariſtoteles vnumquodque membrum huius diuiſionis, & inquit, quòd propoſitio vniuerſalis eſt illa, quæ enunciat aliquid omni, vel nulli ineſſe. Propoſitio particularis eſt illa, quæ enunciat aliquid ineſſe alicui, vel non alicui, ſiue non omni. Indefinita eſt illa, quę ſignificat ineſſe, vel non ineſſe aliquid alicui, ſine aliquo ſigno, vel vniuerſali, vel particulari. Dicit igitur, ***Hæc autem***, ideſt propoſitio ſyllogiſtica ſupra definita adhuc triplex eſt, nempe, ***aut vniuerſalis, aut particularis, aut indefinita.*** Declarat deinde membra diſtinguentia propoſitionem. ***Dico autem vniuerſalem quidem***, hoc eſt, ea eſt propoſitio vniuerſalis, ***cum aliquid omni, aut nulli ineſſe***, quæ enunciat aliquid omni, vel nulli ineſſe, ideſt quę habet ſubiectum vniuerſale cum ſigno vniuerſali, & affirmat, vel negat aliquod prædicatum de vniuerſali ſubiecto. Exemplum, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, & ſic habemus quid ſit propoſitio vniuerſalis, & quòd talis eſt duplex, vel affirmatiua, vel negatiua: declarat deinde quid ſit propoſitio in parte, ſeu particularis, & dicit: ***Particularem verò cum alicui, aut non alicui, aut non omni ineſſe***, hoc eſt, propoſitio particularis eſt, quæ enunciat aliquid ineſſe alicui, vel non alicui, ſiue non omni, quæ adhuc eſt duplex, vel affirmatiua, vel negatiua. Dicit autem Ariſtoteles non alicui, ſiue non omni, quoniam propoſitio negatiua poteſt dupliciter formari: primo, aliquis homo non eſt iuſtus: ſecundo, non omnis homo eſt iuſtus; iſtæ duæ propoſitiones idem ſonant: tertio, declarat quid ſit propoſitio indefinita, & dicit, quòd eſt illa, quæ ſignificat ineſſe, vel non ineſſe. ***Indefinitā autem, cum quid ineſſe, vel non ineſſe ſignificat, ſine vniuerſali, vel particulari***, hoc eſt, eſt illa, quæ ſimpliciter affirmat, vel negat aliquid de aliquo vniuerſali ſubiecto, cui nullū additur ſignū neque vniuerſale, neque particulare. Dat exemplum de propoſitione indefinita affirmatiua, ***vt contrariorum eandem eſſe diſciplinam***; deinde ponit exemplum negatiuæ indefinitæ, ***aut voluptatem non eſſe bonum.***

Dubitatur, cum Ariſtoteles diuidat enunciationem, ſeu propoſitionem ſyllogiſticam, cur inter membra huius diuiſionis non ponat propoſitionem ſingularem, de qua in 1. Perier. mentionem fecit, quando enunciationem eo loco pariter diuiſit.

Reſpondeo, quòd Ariſtoteles hoc in loco tantum commemorat eas propoſitiones, quæ conducunt ad finem ſibi propoſitum, nempe demonſtrationem: & propterea cum ſingularis propoſitio nihil afferat vtilitatis, & momenti ad demonſtrationem; nam demonſtratio non conſtat ex propoſitionibus ſingularibus; ideo Ariſtoteles eam dimiſit vt inutilem, & accepit tantum tres differentias propoſitionum, ſcilicet Vniuerſalem, Particularem, & Indefinitam. At in lib. Perier. egit de propoſitione ſingulari, quoniam tenebatur hoc facere, vt poſſimus ſcire omnes differentias propoſitionum; ſed hic non A opus fuit omnes differentias rurſus enunciare, ſed tantum (vt dixi) eas, quæ faciunt ad ſcopum, & finem propoſitum.

Vel ſecundo reſpondeo, quòd ſat fuit enumeraſſe hoc in loco particularem, quoniam particularis enunciatio ſumitur loco ſingularis.

Differt autem demōſtratiua propoſitio à Dialectica, quoniam demonſtratiua quidem ſumptio alterius B partis contradictionis eſt; non enim interrogat, ſed ſumit, qui demonſtrat: Dialectica verò interrogatio contradictionis eſt; nihil autem refert, vt fiat ex vtraque ſyllogiſmus: nam & qui demonſtrat, & qui interrogat, ſyllogizat, ſumens aliquid de aliquo eſſe, vel non eſſe: quare erit C ſyllogiſtica quidem propoſitio ſimpliciter affirmatio, vel negatio alicuius de aliquo ſecundum dictum modum. Demonſtratiua verò ſi vera ſit, & ex primis propoſitionibus ſumpta; Dialectica autem percontanti quidem interrogatio contradictionis eſt; ſyllogizanti verò ſumptio D apparentis, & probabilis, quemadmodum in Topicis dictum eſt.

Hic intendit Ariſtoteles declarare, quòd propoſitio definita eſt, vel demonſtratiua, vel dialectica, vt inde accipiamus definitionem traditam propoſitionis vtrique communem. Propterea cum propoſitio multis modis diſtingui poſſit, vel ex qualitate in affirmatiuam, & negatiuam: nam affirmatio, & negatio ſunt qualitates propoſitionum, vel ex quantitate in vniuerſa- E lem, particularem, & indefinitam, & ſingularem, vel ex ſignificatione in veram, vel falſam; vel ex numero in vnam, vel plures; vel ex conſtructione in ſimplicem, & compoſitam; vel ex materia in Topicam, & demonſtratiuam. Hic diſtinguit propoſitionem ratione materiæ in dialecticam, & demonſtratiuam: & declarat id, in quo differant iſtæ propoſitiones, & id, in quo conueniant, & inquit, quòd propoſitio demonſtratiua à dialectica differt, quoniam demonſtratiua eſt ſumptio alterius particulæ contradi- F ctionis & probat, quia demonſtrator non interrogat, ſed ſumit. Demonſtrator namque docet ſine interrogatione, & ſumit ſuas propoſitiones ſine interrogatione: ſumit namque alteram partem contradictionis, ſcilicet partem veram, vel affirmatiuam, vel negatiuam. Dialectica vero propoſitio eſt interrogatio contradictionis: nam

Dia-

Dialecticus interrogat vtramque partem contradictionis,& hoc eſt in quo differunt propoſitio dialectica,& demonſtratiua, videlicet quod demonſtrator non interrogat vtramque partem contradictionis, ſed alteram ſumit, quam putat eſſe veram: Dialecticus verò interrogat vtramque partem contradictionis. Conueniunt tamen in hoc demonſtratiua, & dialectica propoſitio, quòd ex vtriſque poteſt conſtrui ſyllogiſmus,& probat;nam & qui demonſtrat, & qui interrogat,ſyllogizat accipiēs aliquid de aliquo ineſſe, vel non ineſſe: quapropter infert, quòd propoſitio definita eſt propoſitio ſyllogiſtica,de qua dictum eſt ab eo,quod eſt affirmatio,aut negatio alicuius de aliquo: hæc etiam eſt duplex, vel eſt demonſtratiua, vel eſt dialectica. Propoſitio ſyllogiſtica demonſtratiua eſt illa, quæ eſt ex veris,& primis:propoſitio verò dialectica ſyllogiſtica eſt illa,quæ eſt ex probabilibus. At extra ſyllogiſmum ſumpta eſt interrogatio ſimplex contradictionis. Dicit ergo; *Differt autem demonſtratiua propoſitio à dialectica*. Diſcrepant autem inuicem demōſtratiua, & dialectica propoſitio: *quoniam demonſtratiua quidem ſumptio alterius partis contradictionis eſt*: quoniam demonſtratiua accipit vnam tantum partem contradictionis,partem ſcilicet veram, vel affirmatiuam,vel negatiuam,vt cum dicimus,quòd nullus lapis eſt homo, eſt propoſitio vera negatiua; & cum dicimus, quòd omnis homo eſt animal, eſt propoſitio vera affirmatiua. Sit itaque hæc contradictio, nullus lapis eſt homo, omnis lapis eſt homo: demonſtratiua propoſitio accipit tantum partem veram, nēpe negatiuā,quòd nullus lapis eſt homo: ſit inſuper hęc alia contradictio, nullus homo eſt animal,omnis homo eſt animal, demonſtratiua propoſitio accipit huius contradictionis partem alteram, id eſt affirmatiuā, quæ eſt,omnis homo eſt animal, & hoc modo dicit Ariſtoteles, quòd demonſtratiua propoſitio ſumit alteram partem tantum cōtradictionis,reddit rationem dicens, *Non enim interrogat,ſed ſumit, qui demonſtrat*: quoniam demonſtratiuus non interrogat, ſed ſumit. Hinc Ariſtoteles 1. Poſter, textu com. 80. dicit, quod demonſtratiuus non procedit interrogando, imò ex veris, & neceſſarijs principijs, veram, & neceſſariam concluſionem colligit,quia demonſtratiuus habet determinatum ſubiectum,ſolum interrogat Dialecticus, quia ipſe non habet determinatum ſubiectum: Dialecticus enim interrogat, vt puta an anima ſit immortalis, vel non? vt habita reſponſione ab aduerſario argumentetur contra illud,quod reſpondetur: demonſtratiuus vero cum habeat ſubiectum determinatum, non interrogat, ſed ſumit alteram tantum partem contradictionis, nempe veram, vt quòd anima ſit immortalis. Et propterea demonſtrator non determinat, ſed ſumit. *Dialectica verò interrogatio contradictionis eſt*: nam dicit Dialecticus, Peto abs te, vtrum anima ſit mortalis, vel immortalis? vtrum ſit immortalis, vel non immortalis? hoc eſt enim officium, vel minus ipſius Dialectici, totam interrogare cōtradictionem. *Nihil autem refert, vt fiat ex vtraque ſyllogiſmus.* Ponit conuenientiam inter propoſitionem demōſtratiuam,& dialecticam,& inquit, quòd etſi demonſtratiuus, & dialecticus diſcrepēt in hoc, quòd demonſtratiuus ſumit alteram tantū partem cōtradictionis, dialecticus verò vtramque; nihilominus ita ex dialecticis propoſitionibus, ſicut ex demonſtratiuis efficitur ſyllogiſmus;nā & qui interrogat, & qui demonſtrat vterque ſyllogizat de aliquo ineſſe affirmatiuæ, aut de aliquo non ineſſe negatiuæ. *Nam & qui demonſtrat, & qui interrogat, ſyllogizat, ſumens aliquid de aliquo eſſe, vel non eſſe*, tam dialecticus, quàm demonſtratiuus ſyllogizat, vterque tam affirmatiuæ,quam negatiuæ. *Quare erit ſyllogiſtica quidem propoſitio,ſimpliciter affirmatio,vel negatio alicuius de aliquo, ſecundum dictum modum*, hoc eſt, propoſitio itaque ſyllogiſtica hæc erit, quæ ſit affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo: & huius propoſitionis definitio communis eſt, & vniuerſalis tum dialecticæ, tum demonſtratiuæ propoſitioni modo quo declarabo, quatenus ſcilicet non ſit conſideratio materiæ, ſed formæ ſyllogiſticæ. *Demonſtratio verò,ſi vera ſit, & per primas propoſitiones ſumpta*: ea vero eſt propoſitio demonſtratiua,quæ conſtat ex veris,& nedū ex veris,ſed etiam ex primis, vt ſunt ſuppoſitiones,vel communes, vt communes animi ſententiæ, vel propriæ, vt ſe habent aliqua principia alicuius particularis ſcientiæ. *Dialectica autem percontanti quidem interrogatio contradictionis eſt, ſyllogizanti verò ſumptio apparentis, & probabilis, quemadmodum in Topicis dictum eſt*; hoc eſt, propoſitio dialectica dicitur ſyllogiſtica, cum dialecticus aſſumit illam apparētem, & probabilem: quæ videtur vel omnibus, vel pluribus, vel maxime ſapientibus,& ex illa incipit aliquid ſyllogizare, & ſyllogiſmo concludere, ſicut de hoc probabili dictum fuit in 1. lib. Topic. At propoſitio dialectica,ſi conſideratur vt conſiſtit in percontatione, tunc non dicitur ſyllogiſtica propoſitio,ſed ſolum dicitur interrogatio contradictionis, non dicitur actu ſyllogiſtica, quia nec affirmat,neque negat: dicitur autem propoſitio quatenus illa cōtradictio poſt interrogationem ſumitur ad aliquid ſyllogizandum.

Notandum, quòd propoſitio vel dici puram formam ſine materia; & ex his propoſitionibus conficitur ſyllogiſmus, qui traditur in hoc lib. Priorum,ex prior illica ſcilicet. Alia eſt propoſitio, quæ dicit formam cum aliqua materia; & quia materia triplex eſt, ideo oritur propoſitio triplicis generis, ſcilicet neceſſaria ſeu demonſtratiua, ex qua conficitur ſyllogiſmus demonſtratiuus;probabilis ſeu Topica, ex qua conficitur ſyllogiſmus Topicus;impoſſibilis, & ſophiſtica, ex qua conficitur ſyllogiſmus ſophiſticus; Demonſtratiuus conſideratur in lib. Poſter. Topicus in lib. Topic. Sophiſticus conſideratur in lib. Elench.

Notan-

Notandum inſuper, quod propoſitio priori- A
ſtica ſe habet ad dialecticam, demonſtratiuam,
& ſophiſticam ſicuti ſe habet ſyllogiſmus for-
malis ad dialecticum demonſtratiuum, & ſophi
ſticum. Sicuti enim ſyllogiſmus eſt veluti ge-
nus, demonſtratiuus, dialecticus, & ſophiſticus,
vt ſpecies huius generis, ita propoſitio prioriſti
ca ad dialecticam, demonſtratiuam, & ſophiſti-
cam ſe habet, vti genus ad ſuas ſpecies.

Remanent conſiderandæ nonnullę difficul-
tates circa prædicta.

Prima difficultas eſt; nam dicit Ariſtoteles, B
quòd propoſitio demonſtratiua poteſt ſumerę
partem contradictionis vel negatiuam, vel affir-
matiuam; ergo poteſt accipere vtramque par-
tem contradictionis, ergo non diſtinguitur à
propoſitione dialectica.

Reſpondetur ad hanc difficultatem, quòd
quando Ariſtoteles dicit, quòd demonſtratiua
poteſt ſumere vtramque partem, non accipit ter
minos in eadem re; nam verum eſt quòd de-
monſtratiua poteſt eſſe negatio, vel affirmatio
reſpectu diuerſorum; nam aliquando ſumet ne- C
gationem, aliquando verò affirmationem, non
autem in eadem re; ſed dialecticus in eodem pro
poſito ſumit contradictionem, & interrogat
matrem eſſe impiam, vel non vtramque accipit
dialecticus, & quodcumque ab aduerſario con-
cęditur, Dialecticus arguit contra id; & propte-
rea in hoc differunt, quia demonſtratiuus vel af-
firmationem, vel negationem ſumit; non enim
eadem re, ſed diuerſa, & reſpectu diuerſorum
terminorum, dialecticus verò in re, & propoſi-
to eodem ſumit vtramque. D

Secunda dubitatio eſt, quoniam Ariſtoteles
in 2. Perierum, cap. 2. de coniunctis, & diuiſis
proppoſitionibus dicebat, quòd dialecticus in-
terrogando expetit alteram partem contradi-
ctionis. Habetur enim ibi, quòd propoſitio dia-
lectica eſt petitio reſponſionis, vel propoſitio-
nis, vel alterius partem contradictionis, hoc eſt
dialecticus interrogando petit, vt ſibi reſpndea
tur altera pars contradictionis: ſic ergo alteram
partẽ contradictionis interrogat, non vtrãque.

Reſpondetur communiter, quòd dialectica E
interrogatio duplex eſt, vel actu, vel potentia,
dialecticus interrogat alteram tantum partem
contradictionis actu: at potentia vtramque par-
tem contradictionis expetit, præbet anſam re-
ſpondendi, vt vtram partem velit; & ſic hic lo-
quitur de dialectica interrogatione in potentia,
in lib. verò Perierum actu; ex qua communi re-
ſponſione videtur negari, quòd dialecticus poſ-
ſit interrogare actu vtramque partem.

Verum ego arbitror, poſſe dialecticum actu
vtramque contradictionem interrogare, cum F
non videam cauſam, quare non poſſit, nec expo
ſitores aſſignent, quòd poſſit vtramque actu in-
terrogare, oſtendo ex Ariſtotele 1. Topic. vbi di
cit, quòd ſi interrogamus, eſtne anima immor-
talis, vel non? eſt problema dialecticum, quan-
do ponit differentiam inter propoſitionem dia
lecticam, & problema dialecticum. Si problema
dialecticum ad Dialecticum ſpectat; ergo Dia-
lecticus poteſt actu vtramque partem contradi-
ctionis interrogare.

Quare ſciẽdu pro ſolutione, quòd Dialecticus
poteſt potentia vtramque partem contradictio-
nis interrogare, vt probant illi, & poteſt actu
vtramque interrogare, vt probaui, & poteſt
inſuper actu vnam tantum interrogare, cum
vnam tantum actu interrogat, dicitur propoſi-
tio, cum vtramque potentia interrogat, ſcilicet
vnam actu, alteram potentia, eſt pariter propoſi
tio; cum vero actu vtramque interrogat, dicitur
problema.

Tunc ad contradictionem dico, quòd nulla
eſt, quia propoſitio dialectica actu vnam interro
gat, & ſic loquitur 1. Perierum, ex hoc tamen
non ſequitur, quòd dalecticus non poſſit inter-
rogare vtramque actu, quia poteſt; ſed cum
vtramque actu interrogat, dicitur problema;
cum vtramque potentia, & vnam actu, dicitur
popoſitio. Sit ergo & hic loquitur de propoſitio
ne dialectica.

Vnde differt quærere, an propoſitio dialecti-
ca proferatur ſub vtraque parte contradictio-
nis, de qua ſolum hic, & 1. Perierum loquitur,
& quærere an dialecticus poſſit interrogare
vtramque partem contradictionis; nam poteſt
actu vtramque interrogare. Quare cum hic lo-
quatur de propoſitione dialectica recte dixit,
quod eſt interrogatio contradictionis potentia,
quod eſt vtriuſque partis contradictionis, & ſic
diſtinctio communis, quæ præcipue eſt Græco-
rum, eſt vera, quòd loquitur de propoſitione
dialectica, de qua 1. Topic. erratur tamen, cum
abſolute loquatur, quaſi quòd dialecticus non
interroget ad vtramque contradictionem, cum
interroget problematice tantum vt dixi.

Tertia dubitatio eſt, quia habetur a Philoſo-
pho 1. Poſter. tex. com. 103. quòd cum tres ſint
figuræ ſyllogizandi, prima, ſecunda, & tertia;
Prima pertinet ad demonſtratiuum; nã demon-
ſtrationes debent eſſe in prima figura, & affirma
tiuæ; quia prima figura affirmat. Secunda figura
ſyllogizãdi pertinet ad Dialecticum; nam cum
munus Dialectici ſit contradicere demonſtrati
uo, ideo argumentatur in ſecunda figura nega-
tiue. Tertia verò figura pertinet ad Sophiſtam,
quia particulariter concludit.

Cum itaque demonſtratiuus ſyllogizet tan-
tum affirmatiuæ, cur dicit, quòd poteſt ſyllogi-
zare demõſtratiuus, & affirmatiuę, & negatiuę?
pariter cum dialecticus contradicat demonſtra
tiuo, ſyllogizando negatiuæ in ſecunda figura,
cur dicit hic Ariſtoteles, quòd dialecticus ſyl-
logizat & affirmatiuæ, & negatiuæ? ergo & in
prima, & in ſecunda figura. Quomodo ergo de-
monſtratiuus tantum in prima, dialecticus tan-
tum in ſecunda ſyllogizare poteſt?

Ad hanc difficultatem reſpõdetur, quòd ve-
rum eſt, quòd vt plurimum demonſtratiuus ſyl-
logizat in prima figura affirmatiuæ & dialecti-
cus

cus negatiuæ in ſecunda figura; tamen iſta non eſt regula vniuerſalis; quoniam interdum demonſtratiuus ſyllogizat affirmatiuæ in prima figura: quandoque verò negatiuæ in ſecunda; pariter dialecticus quandoque ſyllogizat negatiuæ in ſecunda, quandoque etiam affirmatiuæ in prima, ita vt regula non ſit vniuerſalis, licet vt plurimum vera, & loco citato Ariſtoteles dicit, quòd prima figura maxime facit ad demonſtrationem, ſicut ſecunda ad dialecticum: non tamẽ propterea negat, & dialecticum in prima, & demonſtratiuũ in ſecunda ſyllogizari poſſe.

Quarta eſt quoque dubitatio, ſcilicet cum triplex ſit materia propoſitionis, probabilis, ex qua dialectica propoſitio neceſſaria, ex qua demonſtratiua, impoſſibilis, ſiue apparens, ex qua ſophiſtica conſtituitur: quare Ariſtoteles etiam non meminit huius tertiæ, ſicut fecit dialecticæ, & demonſtratiuæ.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles cum habeat pro fine cognitionem ueri, & materia ſophiſtica nunquam poſſit eſſe vera; propterea de ea, quæ ad finem ſuum ullo modo poteſt facere, non curauit mentionem facere; ideo omiſit.

Vel dico, quòd breuitatis cauſa omiſit, & præcipue quia non ingreditur ſyllogiſmum: facit namque ſyllogiſmum falſum, qui non meretur dici ſyllogiſmus. Ariſtoteles autem hic loquitur de propoſitione ſyllogiſtica, quæ ſignificat aliquid de aliquo ineſſe, vel non ineſſe, cum ſyllogizat.

Quinta eſt difficultas, quoniam dictum eſt, quòd propoſitio dialectica interrogatio eſſe poteſt, & etiam aſſumptio; nam ſi comparetur percontanti eſt interrogatio; ſi verò ſyllogizanti non eſt amplius interrogatio, ſed aſſumptio de re probabili, & apparenti. Modo hoc videtur eſſe falſum, quod topicus ſit apparens, cum tantum apparens ſit ſophiſta, vt ſupra proxima dubitatione dixi, non autem topicus, quoniam topicus argumentatur, ſed non deceptorie & apparenter, vt ſophiſta.

Reſpondetur ad hanc difficultatem, quòd apparentia poteſt accipi dupliciter, primo modo, prout eſt contingens quoddam, quod contra diſtinguitur a neceſſario, & ſic conſideratur à topico, vel apparentia ſumitur, prout contra diſtinguitur à probabili, & eſt falſa, & hoc pacto conſideratur a ſophiſtico, & ſic nullum eſt abſurdum. Dialectica namque propoſitio comparata ſyllogizanti eſt ſumptio probabilis, & apparentis, illius inquam, quod diſtinguitur a neceſſario, quod eſt contingens, nón illius apparentis, quod falſum eſt, & impoſſibile.

Quid eſt ergo propoſitio, & quid differt ſyllogiſtica à demonſtratiua, & dialectica, diligentius quidem in ſequentibus dicetur; ad præſentem uerò utilitatem ſufficienter nobis A determinata ſint, quæ nunc dicta ſunt.

In hac parte Ariſtoteles epilogat hactenus dicta, & addit, quòd quid ſit propoſitio, & quomodo differat ſyllogiſtica propoſitio à demonſtratiua, & dialectica, diligenter in ſequentibus dicetur, puta in lib. Poſter. At quantum ſit, vel pertinet ad præſentẽ vſum, hæc quę nunc dixit, ſufficiant, quoniã declarauit quid ſit propoſitio, & quomodo diſtinguatur per affirmationem, & B negationem, & per prioriſticam, quam vocat ſyllogiſticam; eam inquam, quæ habet tantum formam ſine materia, & quomodo diſtinguatur per demonſtratiuam, quæ habet formam cum materia neceſſària, & per dialecticam, quæ habet formam in materia probabili, & contingenti, & differt vt commune a ſuis ſpeciebus, vt dictum eſt, & quòd non omnis dialectica enunciatio, vel propoſitio dicitur ſyllogiſtica actu, ſed altera actu, altera virtute, & quòd demonſtratiuam nulla anteit, & præcedit interrogatio. Hic C eſt ſenſus verborum, quæ hic habet Ariſtoteles. Sequitur textus.

Terminum autem uoco, in quem reſoluitur propoſitio, vt prædicatum, & de quo prædicatur, uel appoſito, uel ſeparato eſſe, uel non eſſe.

Propoſuerat Ariſtoteles declararare duo principia ſyllogiſmi antequam eum definiret, quorum primum extitit propoſitio, alterum termi- D nus. Cum itaque declarauerit quid ſit propoſitio, quæ eſt principium proximum ſyllogiſmi, & pars conſtituens eum, nunc declarat alterum principium, quod eſt remotum, & eſt particula eiuſdẽ ſyllogiſmi, uempe terminum, ita vt intẽtio ipſius ſit in præſenti terminum ipſum definire, & ſic habemus ſimul iunctam intentionem, intentionis cauſam, & contradictionem.

Sed vt melius rem hanc percipiamus, notandum, quòd terminus capi ſolet multipliciter.

Primo, terminus accipitur pro fine, vnde 2. E Metaph. dicitur, finis verò ipſe terminus eſt, & hoc modo terminus dicitur, quicquid aliquam rem terminat, & finit, vnde terminos ſolemus vocare quoſdam lapides, qui ponuntur in fine agrorũ, vt priuatum a communi diſtinguatur, ſed non ita definitur hoc loco terminus. Secundo modo capitur terminus pro vltimo, & extremo rei, quod terminat, & claudit rem ipſam, extra quod nihil eſt accipere, vt patet 5. Metaph. & ita terminus eſt genus figurarũ, ſicut animal eſt genus hominum, nam cum definimus figu- F ram, hoc genere vtitur dicentes, figura eſt, quod termino, vel terminis clauditur. Punctus eſt terminus lineæ, linea eſt terminus ſuperficiei, ſuperficies eſt terminus corporis, & de hac ſignificatione termini dictum eſt quoque in Prædicamentis, cap. de quantitate, vbi dicebatur,

quod

quòd punctus eſt terminus lineæ, linea terminus ſuperficiei, ſuperficies terminus corporis; ſed neque iſto modo accipitur hoc in loco. Tertio modo capitur terminus pro eſſentia, quiditate, & definitione ipſius rei, quomodo terminus ſumitur 1. Poſter. tex. ſecundum antiquam diuiſionem 35. Hoc modo pariter accipitur 1. Topic. vbi Ariſtoteles enumerans prædicata dialectica, dicit, quòd ſunt quatuor, Genus, Proprium, Accidens, & Terminus. Per terminum intelligitur ipſam definitionem, quæ eſt oratio, quòd quid erat eſſe ſignificans & breuiter in vniuerſa Logica, & Philoſophia Ariſtoteles vocat definitionem terminum per metaphoram, quia definitio imponit certum ſtatum, & terminum rebus definitis. Dicebat enim Ammonius in Prædicabilibus, quòd quemadmodum fines, & termini in agris poſiti, vt lapis, vel lignũ determinant rem propriam, & noſtram ab alienis; ſic & definitiones rem ipſam complectũtur, atque ab aliorum cõfinio diſiunctam eſſe faciũt: ſicq; definitio in ſe claudit, & terminat totam rei definitæ eſſentiam; ſed neque iſto tertio modo accipitur terminus hic. Quarto modo ſumitur terminus, vt ſumitur in ratione, & intellectu pro termino propoſitionis, & eſt id, quod componit, & conſtituit propoſitionem, & in quod propinque reſoluitur propoſitio: & hoc dico propter ſyllabas, & eſt extremum propoſitionis; & hoc modo, ſumpto termino adhuc multipliciter ſumi poteſt. Primo communiſſime, & ſic capitur pro omni, eo quod componit propoſitionem, & eſt pars eius: ſic nomen, verbum, ſignificat aduerbia, propoſitiones, pronomina, coniunctiones, determinationes ſiue modi nominis, & verbi, ſiue ſubiecti, & prædicati, & breuiter quicquid ponitur in propoſitione; ſic quæuis pars ex octo partibus orationis dicitur terminus. Secundo capitur præſſius pro eo; quod poteſt eſſe ſubiectum, & prædicatum, & copula; & ſic ſolum nomina & verba ſunt termini. Tertio adhuc præſſius capitur pro eo, quod poteſt eſſe extremum propoſitionis, ideſt ſubiectum, & prædicatum, & ſic verbum non eſt terminus, & hoc modo definit hic terminus ab Ariſtotele, quòd ſit illud, in quod diſſoluitur propoſitio, vt in ſubiectum, & prædicatum. Dicit igitur, *Terminum autem voco, in quem reſoluitur propoſitio, vt prædicatum. & de quo prædicatur*, ideſt terminus eſt extremum propoſitionis, in quod finitur, & terminatur propoſitio, & in quod diſſoluitur: prædicatũ enim & ſubiectum eſt terminus, & pars propoſitionis, quia conſtituunt eam, & in ea ſcilicet in ſubiectum, & prædicatum reſoluitur propoſitio. Illæ enim ſunt partes alicuius rei, quæ conſtituunt illam rem, & in quas illa res reſoluitur, vt faciamus hanc propoſitionem, omnis homo eſt animal, ſubiectum eſt homo, prædicatum eſt animal; ita hæc propoſitio perficitur, & conſtituitur ex his duobus, nempe ex ſubiecto, & prædicato, & etiam in ſubiectum, & prædicatum reſoluitur termi-

A nus. Dicit itaque, *Terminum*, accipiendo terminum. Quarto modo vt eſt ſecundum rationem, & eſt pars proxima propoſitionis, prout eſt ſubiectum, & prædicatum, quæ ſunt partes proximæ conſtituentes propoſitionem, & in quas ipſa propoſitio reſoluitur.

Inſuper cum dicit illud verbum, *Voco*, indicat ſe fuiſſe inuentorem huius nominis termini; id etiam fuit obſeruatum in lib. Periermen, cap. de nomine, vbi innuens ſe fuiſſe inuentorem nominis infiniti, dicebat, infinitum autem
B nomen voco, vt non homo, quod indefinite omnia entia, & non entia ſignificat præter hominem. Non inuenit autem nomen propoſitionis, vel ſyllogiſmi: primus verò fuit, qui partes propoſitionis terminos appellauit, ſumpta metaphora, & tranſlatione a termino, vel à terminis agrorum. Hinc dicunt Græci, quod cum Ariſtoteles ipſe inuenit aliquod nomen, quòd vtitur his nominibus, vel vocibus, ſic voco, dico.

Præterea aduertendum, quòd particulę, *Re-*
C *ſoluitur*, alij legũt, *Diſſoluitur*; ſed melius quidem meo iudicio, *Reſoluitur*: nam reſolutio dicit aliquid ſecundum rationem, & intellectum noſtrum, re tamen permanente: verum diſſolui dicitur quidpiam per corruptionem, & interitum alicuius rei, & ita diſſolui dicitur aliqua domus, quæ funditus obruatur, & deſtruatur, tamen poteſt etiam domus reſolui, forma tamen permanente, vt reſoluendo per intellectum domum in eius parte, vt puta in lapides, calcem, & huiuſmodi, & iſta reſolutio non procederet per cor-
D ruptionem domus. Dico igitur melius eſſe, vt legamus, *Reſoluitur*: nam propoſitio per intellectum reſoluitur in terminos, nempe in ſubiectũ, & prædicatum, quæ ſunt partes conſtituentes propoſitionẽ, & in quas reſoluitur, propoſitio, per licet, *Vt prædicatum*, intelligitur prædicatũ, per licet, *Et de quo prædicatur*, intelligitur ſubiectum. *Vel appoſito, vel ſeparato eſſe, vel non eſſe.*

Hæc verba ita difficilia viſa ſunt, vt plurimi diuerſas imaginati ſint expoſitiones. Dicunt nonnulli, vt Alexander Aphrodiſæus, quod illa
E particula, licet, *Non eſſe*, eſt ſuperflua, & vult ipſe, quòd Ariſtoteles dicens, *appoſito eſſe*, ſignificet affirmationem, dicens, *ſeparato eſſe*, ſignificet negationẽ, & velit Ariſtoteles dicere, quòd termini conſtituunt propoſitionem, & in terminos etiam reſoluitur propoſitio, ideſt ſubiectũ, & prædicatum, vel iſta propoſitio ſit affirmatiua; vel negatiua, erit affirmatiua, quando habebit copulam appoſitã affirmatiuam, erit autem negatiua, quando non erit copula affirmatiua, ſed erit copula negatiua.

Verùm ſunt aliqui, quibus hæc expoſitio non ſatisfacit; nam ſi Ariſtoteles voluiſſet per hæc verba, *Appoſito, & ſeparato eſſe*, intelligere affirmationem, & negationem, his verbis minime vſus fuiſſet; ſiquidem ſeparatum non opponitur apppoſito, ſed appoſito opponitur ablatum.

Propte-

Propterea ſunt alij, qui aliter interpretantur, quos ſequebatur Excellentiſſimus præceptor meus Bernardinus Petrella, nempe quod cum propoſitiones ſint in duplici differentia, iuxta declarata in lib. Perierum. Aliæ quæ habent actu verbum eſt, vel non eſt, vt Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus. Aliæ potentia, vt Socrates currit, Socrates non currit. Tenent iſti, quòd Ariſtoteles per appoſitionem intelligit illas propoſitiones, in quibus apponitur actu ipſum eſt, vel non eſt, quæ ſcilicet habent actu ipſum eſt affirmatum vel negatum. Per ſeparationem verò intelligit eas propoſitiones, quæ habent actu diuiſum ipſum eſt, vel non eſt; potentia autem habẽt appoſitum, vt Socrates currit, Socrates non currit, habent actu ſeparatum eſſe, vel non eſſe; habent vero appoſitum potentia, videlicet ſi reſoluatur. Et quoniam Ariſtoteles in ſumma in lib. Perierum egit de propoſitionibus, quæ vel habent actu ipſum eſt, vel non eſt, vel potentia: ideo dictis inhærens in eo lib. dicit, quod terminus eſt ſubiectum, & prædicatum, in quæ, vt in extrema principalia reſoluitur quælibet propoſitio, de qua egit in lib. Perierum, tum illa quæ habet diuiſum, & ſeparatum eſſe, vel non eſſe actu, habet tamen potentia appoſitum: tum etiam illa, quæ habet actu appoſitum eſt, vel affirmatum, vt Socrates eſt iuſtus, quod intelligitur per licet, *Eße*, vel negatum, vt Socrates non eſt iuſtus, quod intelligitur per licet, *Non eſſe*. Et hæc quidem expoſitio videtur ingenioſa valde.

Eſt tamen adhuc tertia opinio, iudicio meo, non omnino ſpernenda, videlicet, quòd Philoſophus per hæc verba indicat, quòd verbũ non ſit terminus, ſed velit, quod ſubiectum, & prædicatum tantum ſint termini, & quaſi ſeparet verbum a ſubiecto, & prædicato, ita vt per licet, *Appoſito, vel ſeparato eſſe, vel non eſſe*, velit dicere, quòd termini ſunt, in quos reſoluitur propoſitio ſimpliciter, ſcilicet ſubiectum, & prædicatum. Nam verbum affirmatum, vel negatum, adiunctum, vel detractum nihil confert, ſeu facit ad diuiſionẽ propoſitionũ in terminos, cum non ſit pars propoſitionũ, neque terminos ſignificet: eſt enim verbum mera copula, quæ ſubiectum, & prædicatum coniũgit; ſubiectum namque, & prędicatum conſtituunt propoſitionem; verbum verò vnit tantummodo terminos: quare iure meritò Ariſtoteles videtur hoc in loco ſeparare verbum à terminis, cum non cadat ad conſtitutionem propoſitionum.

Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quidem ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit eo quod hæc ſunt.

Nunc Ariſtoteles abſoluit id, quod principaliter propoſuit agendum in hoc libro Priorum, videlicet de ſyllogiſmo.

Intentio igitur Ariſtotilis in hac parte eſt

A definire ſyllogiſmum. Cauſa intentionis eſt, quoniam eſt res conſiderata in hoc libro, quæ habet cognoſci. Cognitio autem maxime habetur de re per ſuam definitionem, & ſuæ naturæ declarationem.

Continuatio patet, quoniam declaratis principijs ſyllogiſmi, reliquum erat principiata aggredi, & ſyllogiſmum determinare.

Hæc pars duas habet partes: in prima definit ſyllogiſmum, in ſecunda particulas definitionis exponit.

B Exorditur igitur primo definitione ſyllogiſmi, dicens, *quòd ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quidam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit, eo quòd hæc ſunt*.

Hæc eſt tota definitio; in qua quidem definitione aliquid reperitur loco generis, aliquid loco differentiæ, licet, *Oratio*, eſt loco generis: cætera autem ſunt loco differentiæ; in genere conuenit cum ipſa propoſitione, & cum termino: at ſi addatur complexa, tunc differt ab ipſa propoſitione, quæ reſpectu ſyllogiſmi videtur eſſe
C vox ſimplex, maxime tamen differt ab ipſis terminis, nominibus, & verbis, quæ ſunt ſimplices voces. Senſus cæterarum particularum in ſumma hic eſt, quòd ſyllogiſmus eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam propoſitionibus, & præmiſſis ex illis neceſſario illatiue ſequitur, & infertur, *alterum quid*, ideſt concluſio; *neceßario*, inquam ex hoc, quòd illa poſitio, ideſt præmiſſæ, & propoſitiones tales ſunt. Verùm ſunt ſingulæ ſpeciatim declarandæ particulæ, & præcipue particulæ non declaratæ ab Ariſtotele.

D Prima particula eſt, *Oratio*, ſuper qua ſatis dixi ſuperius, verùm vnum pono, videlicet, quòd aliqui legunt licet, *Ratio*, loco orationis, ita vt ſyllogiſmus ſit ratio, ideſt diſcurſus, & ratiocinatio. Cauſa huius lectionis eſt ab his allata huiuſcemodi; quia dicunt iſti, quando eſt aliquis effectus, qui dependet à pluribus cauſis denominatur a perfectioribus potiùs, quam ab imperfectioribus. Hinc cum ſyllogiſmus dependeat tum ab oratione, tum etiam a ratione, & diſcurſu, homo ſolũ ſyllogizat, quia habet rationem;
E explicat autem ſyllogiſmum per ſermonem, & orationem: quapropter ſyllogiſmus eſt effectus potius rationis, quam orationis, quod eſt in cauſa, quoniã ratio eſt cauſa perfectior ſyllogiſmi, quam ſit ſermo: nam ratio perficit ſermonem; non autem è conuerſo, ſermo rationem; ergo cum ratio ſit cauſa perfectior, quam oratio, & effectus debeat denominari a cauſa perfectiori, patet ex his, quòd ſyllogiſmus debet denominari potius à ratione, quàm ab oratione: & per conſequens tenent iſti, quòd legendum eſt potius
F ſyllogiſmus eſt ratio, quam ſyllogiſmus eſt oratio. Verùm ego non diſcederem ab eis, quæ ſupra dixi, cũ hoc in loco non agatur de demonſtratione, ſed definitione, & de nàtura generis ſit, vt ſit quid cõmune, & vniuerſale: vnde cum particula ſit loco generis, videtur potius legi debere oratio, quàm ratio.

Reliquum eſt igitur examinare particulas, quæ ſe habent loco differentiæ. Prima particula eſt licet, *Quibuſdam poſitis*, ſcilicet propoſitionibus; dicit autem, *quibuſdam*, ad differentiam enthimematis, & eorum argumentorum, quibus Rhetorici vtuntur, & dicuntur ab Alexandro ratiocinationes, & ſyllogiſmi ſolius, & vnius ſumptionis, quæ vnam tantum capiunt propoſitionem antecedentem: & ex illa inferunt concluſionem, ſit illa maior, vel minor. Exemplum. Ille noctu vagatur, ergo fur eſt. Relinquitur maior, vel ſic, Quicunque noctu vagatur, eſt fur; vel tu viuis, ergo reſpiras: at ſyllogiſmus non ſumit vnam propoſitionem tãtum antecedentẽ, ſed plures vna, ad minus; duas ex quibus infert cõcluſionẽ; quòd vero ſyllogiſmus capiat plures propoſitiones, probat Alexander ex ethymologia huius vocabuli, *ſyllogiſmus*, qui proprie dicitur collectio plurium rationum, vel orationum, & ex pluribus propoſitionibus concluſionem colligit; nam ſyllogiſmus dici poteſt collectio plurium, reſpectu propoſitionum, & præmiſſarũ, & concluſionis, vel reſpectu concluſionis, quam colligit ex pluribus, ex duabus ſcilicet propoſitionibus. Enthimema igtiur, & ſyllogiſmus inferunt concluſionem, ſed illud ex vna propoſitione, videlicet ex antecedente infert conſequẽs, iſte ex duabus propoſitionibus. Hinc à Themiſtio 1. Poſter. 1. enthimema dicitur ſyllogiſmus truncatus. Patet ergo differentia inter ſyllogiſmum, & enthimema, quo ad inferre concluſionem ex vna, vel pluribus propoſitionibus.

Addit Alexander, quòd ſi capiamus plures propoſitiones, & voces, quæ idem dicant, & ſignificent, & ex illis inferamus concluſionem, illatio non erit ſyllogiſtica, quia non erunt plures propoſitiones, ſed vna, quia vnum ſignificant. Exemplum. Dies eſt, ſed & non dies non eſt; ergo lux eſt; hæc illatio non eſt ſyllogiſtica, quia non erunt plures propoſitiones, quia illa, ſed & non dies non eſt, nõ differt ab illa, dies eſt, ſecundum ſignificatum, ſed ſolis verbis differt. Dicit inſuper, *poſitis*, ideſt conceſſis, vt innuit Cõmentator ad differentiã quarundam orationum, in quibus nihil datur, neque conceditur, vt in oratione optatiua, imperatiua, & ſubiunctiua; iſtæ orationes nihil ſibi concedunt, & dant, nec alteri, nec oratiò interrogatiua, nec vocatiua, ſed ſola oratio ratiocinatiua ponit, ideſt cõcedit propoſitiones quaſdam, & hanc expoſitionem ſequitur Sueſſanus; dicit enim, *poſitis*, ideſt ſi concedantur à ſyllogizante, vnde dicit; quòd ſi propoſitiones falſæ concedantur à ſyllogizante, ex falſis erit ſyllogiſmus.

Vel dicit, *Poſitis*, vt ne dum intelligeret propoſita, cõceſſa, & accepta, quia ſyllogizans oportet accipiat, & concedat propoſitiones, ex quibus deinde inferat; ſed dicit, *poſitis*, vt denotaret modum ſumendi, & accipiendi illas, quòd ſcilicet oportet ſyllogizantes accipere, & concedere propoſitiones prædicatiuas cate-

A goricas, quas ſupra definiuit, non autem hypotheticas; namque hypotheticæ dicuntur ſupponi potius quam poni. Quare id dicit ad differentiam ſyllogiſmi hypothetici, qui ſupponit ſuas propoſitiones, non ſumit, & ex his vltimo loco dictis, primo colligitur, quòd per, *poſita*, ſumpta, conceſſa, accepta intelligit: ſecundo colligitur, quòd per illud vocabulum, *Poſitis*, determinauit, quòd ſumi debent propoſitiones categoricæ, non hypotheticæ: tertio, quòd hoc dixit ad differentiam ſyllogiſini hypothetici:
B quarto colligitur, quòd hic definitur ſyllogiſmus categoricus prædicatiuus, non autem hypotheticus ſecundum Græcos, licet vt teſtatur Buranna, Algazel dicat, quòd hęc definitio communis eſt ſyllogiſmo prædicatiuo, ſiue categorico, ſiue oſtenſiuo, & hypothetico. Confirmatur ex hoc, quia etiam in lib. Periermenias pertractat ſolũ propoſitiones categoricas, ſed de his aliàs.

Notandum tamen eſt, quòd per, *poſitis*, ſunt etiam qui exponunt, ideſt conceſſis, non à ſyllogizante, ſed ab aduerſario, & reſpondente, ſicut
C exponit Petrus Hiſpanus. Sequitur particula, *Aliud quidem ab his, quæ poſita ſunt*. Textus Alexandri, & Philoponi habent, *Diuerſum* Per hanc particulam denotare volunt concluſionem, quę concluſio debet eſſe alia; & diuerſa, vel altera, a propoſitionibus, & præmiſſis, datis, conceſſis, & poſitis, ex quibus illa infertur. Ponit autem iſtam particulam ad differentiam illarum rationum, quę colligunt illud idem, quod prius aſſumptum fuit, in quibus rationibus committitur manifeſta poſitio principij. Exemplum, vt dies eſt,
D ergo dies eſt, vel in forma ſyllogiſtica, ſi tu es homo, tu es homo, ſed tu es homo, ergo es homo, iſta eſt manifeſta poſitio principij, & tales ſyllogiſmi ſunt inutiles, & vt dicit Alexander, indecenter concludentes, & idem bis, & ſæpius repetentes, in quibus quod concludit, non eſt diuerſum ab his, ex quibus concluditur; quare Ariſtoteles ponit illam particulam, vt ſeparet ſyllogiſmum ab ijs vitioſis rationibus: vult enim, quòd ſyllogiſmus colligat quoddam diuerſum à præmiſſis. Sequitur, *ex neceſſitate accidit*. Ponit
E hanc aliam particulam, quoniam ſunt quædam rationes, vt illæ ſecundæ, & tertiæ figuræ, quæ ex ſe non colligunt de neceſſitate, niſi reducantur ad primam figuram.

Eſt vltima particula, *Eo quod hæc ſunt*. Hanc particulam ipſemet Ariſtoteles declarat in ſequentibus verbis, quando dicit.

Dico autem eo quod hæc ſunt, propter hæc accidere: propter hæc
F verò accidere, eſt nullius extrinſecus termini indigere, vt fiat neceſſarium.

In hac parte Ariſtoteles declarat nonnullas particulas poſitas in definitione ſyllogiſmi, pręſertum vltimam, quę dicit, *Eo quod hæc ſunt*, ideſt

dum-

dummodo propoſitiones præmiſſæ veræ ſint; nam quiſpiam obijcere poſſet,dicit Ariſtoteles, quòd ſyllogiſmus eſt oratio, in qua duabus propoſitionibus præmiſſis de neceſſitate aliud ab ijs diuerſum contingit, ſed ſi ſyllogiſmus fuerit in materia cõtingenti,vt hominem currere,& Platonem eſſe hominem; ergo Platonem currere. Iſta conſequentia non erit neceſſaria;nam ſi materia erit contingens, quomodo ſequetur conclusio neceſſaria? ideo Philoſophus per ea verba inquit,quod non vult dicere,quod concluſio ſequatur ex duabus præmiſſis de neceſſitate materiæ, quòd ſcilicet idcirco concluſio neceſſario ſequatur,quoniam ſit materia neceſſaria;ſed cõconcluſio ſequitur de neceſſitate formæ; nam ſi veræ erunt iſtæ duæ propoſitiones, homo currit,& Socrates eſt homo; ergo neceſſario ſequitur, vt Socrates currat; propterea dicit: *Dico autem eo quod hæc ſunt propter hæc accidere*, id eſt, propter hæc contingere concluſionem, *eo quod hæc ſunt*, quatenus hæ duæ propoſitiones præmiſſæ veræ ſint. *Propter hæc verò accidere eſt nullius extrinſecus termini indigere,vt fiat neceſſarium*, id eſt concluſio ſequatur ex neceſſitate per ſe nullius alterius formæ auxilio: & per hæc verba ſeparat ſyllogiſmum à ratiocinationibus in ſecunda, & tertia figura, quæ per ſe non concludunt neceſſario, niſi reducantur ad primam figuram.

Verùm dubitatur contra hanc definitionem ſyllogiſmi: videtur namque, quòd Ariſtoteles fuerit diminutus in ea, quoniam Boetius hanc eandem definitionem tradens in libro de ſyllogiſmis categoricis addit vnam particulam dicens,quòd ſyllogiſmus eſt oratio,in qua quibuſdam poſitis & conceſſis, neceſſe eſt aliud euenire,ita vt videatur Ariſtoteles deficiens,cum non ponit particulam, *Conceſſis*, vel quòd Boetius eo loci fuerit redundans.

Ad hanc dubitationem reſpondeo,quòd vtique iure fecit, Boetius enim eſt interpres, Ariſtoteles verò eſt auctor. Vbi autem aliqua prætermittit auctor, interpres ea clarius debet ſubiungere; vnde Boetius meritò illam particulam adiunxit per ſyllogiſmos falſos; nã ſyllogiſmus falſus poteſt etiam eſſe ſyllogiſmus, dummodo concedatur ab aduerſario,vt ſi dicero,homo eſt lapis,Ioannes eſt homo, ergo Ioannes eſt lapis: iſte ſyllogiſmus dummodo propoſitiones præmiſſæ concedantur, erit ſyllogiſmus,& neceſſario concludet,& erit neceſſaria concluſio,ſi concedantur præmiſſæ ab aduerſario. Ponit igitur illam particulam, *Conceſſis*, per ſyllogiſmos falſos.

Perfectum verò voco ſyllogiſmum, qui nullius alius indiget præter ea, quæ ſumpta ſunt, vt appareat neceſſarium. Imperfectum verò, qui indiget aut vnius, aut plurium, quæ ſunt quidem neceſſaria per ſub-

A iectos terminos; non autem ſemper ſunt per propoſitiones.

Hic Ariſtoteles diuidit ſyllogiſmum imperfectum,& in imperfectum,& ſimul & ſemel continuans declarare propoſita in Prooemio,docet, quis dicatur ſyllogiſmus perfectus, & quis imperfectus,dicens,quòd perfectus ſyllogiſmus eſt ille,qui nullo alio indiget, ſed ex ijs propoſitionibus aſſumptis per ſe neceſſario cõcludit, quales ſunt ſyllogiſmi in prima figura; imperfecti
B autem ſyllogiſmi ſunt, qui alterius figuræ ope indigent, vt ſunt illi ſecundæ & tertiæ figuræ, qui per ſe non concludunt neceſſario, niſi reducantur ad primam figuram,& per cõuerſionem, vel tranſpoſitionem,vel per deductionem ad impoſſibile, vt videbimus: quapropter iſti ſunt imperfecti,qui ad alteram formam reducuntur, vt neceſſario concludant. Dicit ergo: *Perfectum verò voco ſyllogiſmum*: & quo ad eſſe ſyllogiſmi, & quo ad apparentiam conſequentiæ. *Qui nullius alius indiget,præter ea,quæ ſumpta ſunt*; præ
C ter ſcilicet propoſitiones præmiſſas, *vt appareat neceſſarium*,vt ſcilicet conſequentia,quæ concludit,appareat neceſſaria. *Imperfectum verò*. Ille autem eſt ſyllogiſmus imperfectus, *qui indiget aut vnius*, quod dicit reſpectu illius ſyllogiſmi, qui non indiget niſi ſola propoſitionum conuerſione,ad hoc vt reducatur ad ſyllogiſmum perfectum: *aut plurium*, reſpectu ſcilicet illius ſyllogiſmi, qui ad hoc vt reducatur ad ſyllogiſmum perfectum, pluribus indiget, ſicut conuerſione, tranſpoſitione, & deductione ad impoſſibile,vt
D videbimus in ſequentibus. *Quæ ſunt quidem neceſſaria per ſubiectos terminos*, hoc eſt ea,quibus indigẽt ſyllogiſmi imperfecti, neceſſaria ſunt, quo ad eſſe ſyllogiſmi, neceſſaria nãque faciunt ſyllogiſmi conſequentiam per ſumptos terminos,quorum ordine,& poſitione naturali figura formatur. *Non autem ſumpta ſunt per propoſitiones;* ſed non ſunt neceſſaria per ſumptas, & poſitas in ſyllogiſmo propoſitiones, quo ad apparentiam, quoniam mutantur in reductione ſyl-logiſmi imperfecti ad perfectum termini pro-
E poſitionum per conuerſionem, licet termini idem maneant.

In toto autem eſſe alterum in altero,& de omni prędicari alterum de altero idem eſt. Dicimus autem de omni prædicari, quando nihil eſt ſumere ſubiecti,de quo non dicatur alterum,& de nullo ſimiliter.

F Dicit Ariſtoteles,quòd eſſe in toto, & dici de omni idem ſignificare, pariter non eſſe in toto, & dici de nullo; ſunt namque idem realiter, differunt tantum ratione. Verùm eſſe in toto denotat ſubiectum proprium adiunctum prędicato,quod prædicatum omnis ſubiecti partes participat, vt cum dico,omnis homo eſt rationalis,

ſubie-

ſubiectũ eſt homo, in toto eſt rationalis, quia ſecundum omnem partem participat de hoc prędicato: nã partes huius ſubiecti hominis, vt Plato, Socrates, Cicero, participant hoc prædicatũ rationale, igitur eſt in toto ſecundum omnẽ partem. Non eſſe in toto, eſt quòd nulli parti ſubiecti competit prædicatum, vt nullus homo eſt lapis; nam nulla pars ſubiecti hominis prędicatũ participant, nempe lapidem; ſed eſſe in toto, & dici de omni, non eſſe in toto, & dici de nullo, dicuntur idem realiter, ratione ſolum differre; nam diſtinguuntur eo modo, quo aſcenſus & deſcenſus eſt eadem uia montis, aut ſcalæ; nã ſi dixerimus hanc propoſitionem, omnis homo eſt animal, eſt in toto, nam ſubiectum homo continetur ſub toto animali: ſed ſi referamus prędicatum ad ſubiectũ, & dixerimus, omne animal eſt homo, eſt dici de omni. In prima namque procedimus a ſubiecto ad prædicatum, in ſecunda viceuerſa a prędicato in ſubiectum: pariter nõ eſſe in toto, & dici de nullo realiter ſunt idem, diſtinguuntur ratione; nã cum procedimus a ſubiecto ad prædicatũ, vt nullus homo eſt lapis, non eſt in toto: at quãdo procedimus à prędicato ad ſubiectum nullus lapis eſt homo, eſt dici de nullo.

Et hæc dicta ſatis ſuper primo Capite primi Priorum.

Super Capite primo primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.

TRia docentur à Philoſopho in hoc Capite, vt vidimus.

Partes conſtituentes ſyllogiſmum.

Principia regulantia ſyllogiſmum.

Naturam ſyllogiſmi.

Quo ad primum attinet, duo facit,

Primo, ſimul & ſemel definitionem & diſtinctionem tradit propoſitionis.

Secundo terminum declarat.

Quo ad primum dicit, propoſitio eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo; quę propoſitio vel eſt vniuerſalis, vel particularis, vel indefinita.

Propoſitio vniuerſalis ea eſt, quæ enũciat aliquid omne, vel nulli ineſſe, vel nõ ineſſe, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis.

Propoſitio particularis eſt, quæ enunciat aliquid alicui, vel non alicui ineſſe, vel non ineſſe, vel etiam non omni, vt aliquis homo eſt diſciplinabilis, aliquis homo non eſt diſciplinabilis, non omnis homo eſt diſciplinabilis.

Propoſitio indefinita ea eſt, quæ enunciat aliquid ineſſe, vel non ineſſe alteri, ſine ſigno vniuerſali, vel particulari, vt contrariorũ eandẽ eſſe diſciplinam, voluptatem non eſſe bonum.

Et hunc in modum habemus propoſitionem definitam, & diſtinctam: definitio verò propoſitionis traditæ cõmunis eſt, tum dialecticæ, tum demonſtratiuę; nam ex vtriſque fit ſyllogiſmus: verùm dialectica eſt interrogatio contradictio-

A nis, demonſtratiua verò ſumit alteram tantum partem contradictionis. Demonſtratiua conſtat ex veris, & primis, dialectica ex probabilibus.

Secundo terminum definit in hunc modum, Terminus eſt, in quem diſſoluitur propoſitio, vti ſubiectum, vel prædicatum; quæ propoſitio habet aut oppoſitum, aut diuiſum eſſe, vel non eſſe, vt in hac propoſitione, homo eſt animal, homo eſt ſubiectum, animal eſt prędicatum, in quæ vti partes ſyllogiſmum conſtituentes idem reſolui-

B tur, & habet appoſitum eſſe, verbum ipſum, in negatiua, homo non eſt animal, eſt appoſitũ non eſſe. In hac autem propoſitione, homo currit, homo eſt ſubiectum, currit gerit vicem prędicati, & eſt verbum diuiſum, quatenus ſcilicet potentia, non actu ineſt, vt ſi reſoluatur, homo eſt currens.

Quo ad ſecundum caput principale, duo declarat, quid ſit eſſe in toto, & dici de omni; quid ſit non eſſe in toto, & dici de nullo.

Eſſe in toto denotat ſubiectum proprium ad-

C iunctum prædicato, quod prædicatum omnes ſubiecti partes participat, vt omnis homo eſt rationalis, ſubiectum eſt homo, prędicatum eſt rationale, nil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur & prædicatum; nam partes huius ſubiecti, vt Plato, Socrates, Alcibiades participant rationalitatem, ita eſt in toto ſecundum omnem partem.

Non eſſe in toto eſt, quòd nulli parti ſubiecti competit prædicatum, vt nullus homo eſt lapis; nam nulla pars ſubiecti hominis prædicatum

D participat, vt puta lapidem.

Sed eſse in toto, eſt idem realiter, cum dici de omni, pariter non eſse in toto cum dici de nullo, diſtinguuntur ratione. Si incipimus à ſubiecto, & deſinamus in prædicatum, dicentes, omnis homo eſt animal, eſt eſse in toto: ſi incipiamus à prædicato, & deſinamus in ſubiectum, dicentes, omne animal eſt homo, eſt dici de omni: pariter ſe habet in dici de nullo, & non eſse in toto: nam ſi incipiamus a ſubiecto, & deſinamus in prædicatum, dicentes, nullus homo eſt lapis,

E eſt non eſse in toto: ſi autem incipiamus à prædicato, & deſinamus in ſubiectum, & dixerimus, nullus lapis eſt homo, eſt dici de nullo.

Quo ad tertium caput duo declarat; primo quid ſit ſyllogiſmus, ipſius tradẽs definitionem: ſecundo qualis ſit perfectus, & imperfectus ſyllogiſmus.

Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, & conceſſis, aliud quidam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate contingit, quod hæc ſunt.

Syllogiſmus perfectus eſt ille, qui ad hoc vt

F ex neceſſitate concludat, non eget alterius extrinſecus auxilio, vt ſunt ſyllogiſmi primæ figuræ.

Syllogiſmus imperfectus eſt ille, qui ad hoc vt ex neceſſitate cõcludit, eget alterius extrinſecus auxilio, & ſunt ſyllogiſmi ſecũdæ & tertiæ figuræ, qui ad hoc, vt neceſſario concludant, opus eſt vt reſoluantur in ſyllogiſmos primæ figuræ.

Modo ſupereſt applicare ea, quę faciunt ad A propoſitum iuris ciuilis.

Et quia de enúciatione vniuerſali, particulari, & indefinita, pariter de nomine, & verbo enunciationem cõſtituentibus, dixi in lib. Periierũ, idcirco hoc in loco non repetã; namq; eo loci, quæ appellantur enunciatio, nomen, & verbum, nõdum contracta, ad ſyllogiſmum: hoc loci ad ſyllogiſmum contracta hæc eadem, terminus, & propoſitio nuncupantur.

Verùm conſiderãdum eſt de principijs ſyllogiſmi, & de ipſo ſyllogiſmo, quæ nam ſcilicet ea B vſum habeant in iure.

Dico itaque de principijs ſyllogiſmi habere paſſim in diuerſis locis in corpore iuris, & præſertim de eſſe in toto, & dici de omni: habetur Inſt. de iniurijs, quòd ſcilicet omnis actio iniuriarum diſſimulatione aboletur, ſic actio iniuriarum, ob conuicia iniecta: ſic actio iniuriarum ob maxillam percuſſam: ſic actio iniuriarũ ob fuſtẽ alicui inflictam diſſimulatione aboletur. §. atrox §. non ſolum. eod. tit. Aliud exemplum de eſſe in toto, & dici de omni deſumitur in l. hęredem. in C prin. ff. de calumniatorib. quod omnia turpia lucra ab hęredibus extorqueri poſſunt: lucrũ namque factum ob falſum teſtamentũ, ob gratioſam ſentẽtiam, & quodlibet aliud ſcelere patratum, eſt turpe lucrum, & ab hęredibus extorqueri poteſt, ita colligit Vlpianus l. prædicta.

Pari ratione exempla leguntur varijs in locis in iure de non eſſe in toto, & dici de nullo, locus vnus eſt in l. ius publicum. ff. de pactis. pacta priuata ius publicum non mutant: nihil namque ſumi poteſt ſub hoc ſubiecto, de quo non negetur D prędicatũ in concluſione: propterea pactũ, quod paciſcũtur ſacerdotes, vt ſub profano iudice cõueniri poſſint, quod eſt priuatum pactum ius publicum non mutat. cap. ſi diligenti. extra de foro compet. Similiter hoc pactum priuatum, vt Dominus fundũ abſque colonis adſcriptitijsq; alienet iùs publicum non mutat. l. 2. vbi glo. in verſ. obnoxius. l. quemadmodũ. C. de agric. & cenſit. lib. 11. pariter ſi quis paciſcatur, ne quis opus nouum ex cauſa publica nuncietur quod eſt priuatum pactum, ius publicum non mutat. l. iuris E gentium. §. ſi paciſcar. ff. de pact.

De ſyllogiſmo quoque quamplurima exẽpla in iure formare valemus, vt videbimus ſuo loco. Ad præſens exemplificemus breuiter hũc in modum, omnis cõtractus iuris gentiũ conſenſu peragitur, emptio eſt contractus, qui conſenſu peragitur; ergo emptio eſt cõtractus iuris gentiũ. l. 1. §. eſt autẽ. ff. de cõtrah. empt. Aliud exemplum; alienatio eſt cum dominiũ ad aliũ transferimus. l. alienatio. ff. de contrah. empt. rei, quæ non noſtra eſt, dominium ad alium transferri nequit: er F go res, quæ non noſtra eſt, alienari non poteſt.

In his exemplis videmus ex quibuſdam poſitis, duabus nempe propoſitionibus, neceſſario aliud ſequi, puta concluſionem. Verùm de his in modo & figura latius agemus inferius.

Hęc dicta ſatis ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis.

De Conuerſione abſolutarum propoſitionum in terminis. Cap. Secundum.

QVoniam autem omnis propoſitio eſt aut de ineſſe, aut ex neceſſitate ineſſe, aut cõtingere ineſſe. Harum autem hæ quidem affirmatiuæ, aliæ autem negatiuæ, ſecundum vnamquamque appellationem. Rurſus autem affirmatiuarum, & negatiuarũ, aliæ ſunt vniuerſales, alię particulares, alię indefinitę.

Intentio Ariſtotelis in hoc capite eſt agere de Conuerſione propoſitionum de ineſſe; ſed vt generaliter habeamus intentionem, cauſam intentionis, & continuationis dico, quòd iſta pars ſumit continuationẽ cũ pręcedẽtibus, & ſequẽtib.

Ad præcedentia continuatur hunc in modũ, cum Ariſtoteles Mathematicorũ more definierit illa principia, quę deſeruiũt parti prioriſticæ, cũ ſcilicet definierit terminum, propoſitionem, ſyllogiſmum, & ipſum diuiſerit in perfectum, & in imperfectum, & declarauerit quid ſit in toto eſſe, & in toto non eſſe, & quid dici de omni, & quid dici de nullo: quæ omnia ſunt veluti principia, & elementa, quæ deſeruiunt huic libro, meritò nunc accedit ad elementa magis propria, quæ ſunt quomodo conuertantur propoſitiones de ineſſe neceſſario, & quõ de ineſſe contingẽti.

Habet etiam iſta pars continuationem ad ſequentia; nam cum ſyllogiſmi in triplici exiſtant figura, in prima, ſecunda, & tertia & cum ex iis, aliqui ſint perfecti, aliqui imperfecti. Perfecti ſunt illi primæ figuræ, qui non indigent vt reducantur ad aliam figuram, ſed ſua natura neceſſario concludunt; imperfecti autem ſunt illi ſecundæ, & tertiæ figuræ, qui indigẽt ope primę figuræ, & cum ſit neceſſariũ in ſyllogiſmis imperfectis tranſponere, & reducere eorũ propoſitiones ad primã figurã. Igitur vt ſciamus quomodo iſti ſyllogiſmi poſſint conuerti; nunc Ariſtoteles de cõuerſione propoſitionũ diſſerit. Et ſic habemus continuationẽ, intentionẽ, & cauſam intẽtionis.

Diuiditur hoc cap. in tres partes, in quarum prima diuidit propoſitiones, in ſecũda tradit regulas conuerſionum earundem propoſitionum; in tertia comprobat regulas traditas.

Sciendum prius pro notitia harum, quid ſit conuerſio. Conuerſio eſt tranſpoſitio ſubiecti in locum prędicati, & prædicati in locum ſubiecti, quando ſcilicet ſubiectum locum accipit prædicati, & prædicatum ſumit locum ſubiecti, vt cum dico, nullus lapis eſt homo, erit conuerſio, ſi dixero, tranſponendo ſubiectum in locum prædicati, & prædicatum in locum ſubiecti, nullus homo eſt lapis. Verùm cum oporteat videre, quæ ſint iſtæ propoſitiones, quæ conuertuntur, & hoc cognoſci nõ poſſit, niſi prius accipiamus diuiſionem propoſitionũ, quæ tractatę ſunt

in lib. Perihermenias, quòd ſcilicet propoſitiones ſunt vel de ineſse, vel modales: propoſitiones de ineſſe ſunt illæ, quæ conſiderantur a principio libri Perierum vſque ad ſectionē quartam, quæ dicuntur eſſe vel ſimplices, vel compoſitæ, vel de ſecundo, vel de tertio adiacente, vel de ſenſu diuiſo, vel compoſito, vel contrariæ, vel ſubcontrariæ, vel indefinitę, vel contradictorię; quæ omnes iſtæ dicuntur de ineſſe, quia nullum habent modum, vt hæc propoſitio, homo eſt iuſtus, eſt propoſitio de ineſſe, quia non habet modum, nec neceſſariū, nec cōtingentem, nec poſſibilem, nec impoſſibilem: propoſitiones autem modales tractātur ab Ariſtotele in quarta ſectione lib. Perihermenias, ſiue Perierum, vbi dicit, quòd hæ ſunt, quæ habent modum, vel neceſſarium, vel poſſibilem, vel impoſſibilem, vel cōtingentem. Dictum eſt enim, quòd propoſitiones modales ſunt in quadruplici differētia. Verùm quo ad præſentem partem ſpectat, non aſſumit niſi duas propoſitiones modales, quæ ſcilicet habent vel modum neceſſarium, vel contingentē.

Vnde hinc data eſt occaſio dubitādi; nā ſi Ariſtoteles in lib. Priorū ſumit propoſitiones declaratas in lib. Perierum, & ibi declaratum fuerit propoſitiones modales eſſe quatuor, quibus omnibus non vtitur in hoc libro: propterea videtur Ariſtoteles aut ibi ſuperfluus, aut hic diminutus.

Ad hoc reſpondetur, quòd neque Ariſtoteles hic eſt diminutus, nec ibi redundans, quoniā alia eſt intētio Ariſtotelis in lib. Perierum, & alia eſt intētio in lib. Priorum. Ariſtoteles nāque in lib. Perierum agens de omnibus propoſitionibus tenebatur tradere omnes propoſitiones modales: & ideo dicit, quòd modi propoſitionū ſunt quatuor, Neceſſarium, vt cum dico, Neceſſarium eſt cælum moueri; Impoſſibile, vt impoſſibile eſt hóminem eſſe lapidem; Contingens, vt contingēs eſt me ambulare; Poſſibile, vt poſſibile eſt me ire in forum; meritò itaque tradidit omnes propoſitiones modales: ſed quomā impoſſibile non videtur realiter diſtingui à neceſſario, neque contingens à poſſibile, ſed ſolo nomine; ideo neque ibi ſuperfluus, neque hic diminutus exiſtit Ariſtoteles: accepit enim hoc in loco duos tantum modos propoſitionum, neceſſarium, & contingētem, quoniam neque impoſſibile a neceſſario, neque contingens a poſſibili valent realiter diſtingui, licet fuerint quidam, qui diſtinxerint contingentem à poſſibili, quod hoc eſſet in potentia, alterum verò in actu.

Prætermiſit etiam impoſſibile, quoniam impoſſibile nihil facit ad ſcientiam, cum deſeruiat magis Sophiſtæ, quam demonſtratiuo; & ideo accipit Ariſtoteles duas tantū propoſitiones modales, vel de neceſſario, vel de cōtingenti, dicēs, quòd propoſitio eſt vel de ineſſe, vel modalis, vel neceſſaria, vel contingens, incipit ab illis de ineſſe, quę ſunt aut vniuerſales, aut particulares, & vtræque aut affirmatiuæ, aut negatiuæ.

Propoſitiones vniuerſales affirmatiuæ ſunt, cum dico, omne B eſt A; vniuerſales negatiuæ, A cum dico nullum B eſt A; particulares affirmatiuæ, aliquod B eſt A; particulares negatiuæ, aliquod B non eſt A; & hanc diuiſionē propoſitionum de ineſſe accommodat inferius ad regulas, quas ponit in cōtextu de cōuerſione propoſitionū. Dicit itaque in hac prima parte: *Quomā autē omnis propoſitio eſt*, prędicatiua ſcilicet, & ſyllogiſtica, quę inſuper definita eſt. Hoc enim denotat dictio, *Quoniam*, quòd hæc pars ſit cōtinuatio ſuperius dictorum; *Aut de ineſſe*, aut ſine modo, quę ſimpliciter prædicatur aliquid de ſubiecto, *Aut* B *ex neceſſitate ineſſe, aut cōtingenter ineſſe*, vel modalis, quę ſcilicet prędicatur aliquid de ſubiecto, cū modo, vel neceſſario, vel contingenti; Neceſſario, vt neceſſarium eſt cælum moueri; Cōtingenti, vt contingens eſt me legere. *Harum autem, hæ quidem affirmatiuæ, illæ autem negatiuæ*, & vtraque vel affirmatiua, vel negatiua; *Secūdum vnāquamque appellationem*, ideſt ſecundum vnamquāque elocutionem, & ſecundum omnem ſermonem: nam nullum eſt idioma, nullæ ſunt linguæ, quæ non habeāt in vſu cognoſcere, quòd propoſitio- C num, aliæ ſunt vniuerſales, aliæ particulares, alię affirmatiuę, aliæ negatiuæ: omnes enim linguæ, & omne idioma habent, quòd propoſitio eſt vniuerſalis, particularis, affirmatiua, & negatiua. *Rurſus autem affirmatiuarū, & negatiuarū, aliæ ſunt vniuerſales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ.* Diuidit propoſitiones tum affirmatiuas, tum negatiuas, quæ vel habent ſignum vniuerſale, vel particulare, vel ſunt indefinitę ſine aliquo ſigno, vel vniuerſali, vel particulari.

Notandum vt quoque habemus in Perierum D lib. quòd aliud eſt propoſitionem eſſe vniuerſalem, aliud vniuerſaliter, aliud particularē, aliud cum ſigno particulari, & in parte: nam vniuerſale, & partitulare ſignificāt rem, vniuerſaliter, & in parte reſpiciunt ſignum vniuerſaliter, vel particulariter. Vult igitur, quód propoſitionum de ineſſe, aliæ habent ſignum vniuerſale, vel particulare, aliæ autem ſunt indefinitæ, quæ nullum habent ſignum.

Vniuerſalem quidem priuatiuā de E eo, quod eſt ineſſe, neceſſe eſt in terminis cōuerti, vt ſi nulla voluptas eſt bonum, neque bonum nullū erit voluptas: prędicatiuam autem conuerti quidem neceſſarium eſt, non tamen vniuerſaliter, ſed in parte, vt ſi omnis voluptas eſt bonum, & bonum aliquod voluptas; particularem autem F affirmatiuam quidem conuerti neceſſe eſt particulariter; nam ſi voluptas aliqua bonum, & bonum aliquod erit voluptas; priuatiuam verò non eſt neceſsarium: non enim

ſi homo non ineſt alicui animali, & animal non ineſt alicui homini.

Hæc eſt ſecunda pars huius capitis, in qua traditam diuiſionem propoſitionũ de ineſſe accommodat ad regulas conuerſionum earundẽ, & tradit quatuor regulas huiuſcemodi conuerſionũ.

Prima regula eſt, quod propoſitio vniuerſalis negatiua cõuertitur in terminis ſimpliciter. Cõuerti autem ſimpliciter eſt, quando ſubiectum mutatur in prædicatum, & prędicatum in ſubiectum, remanente eadem quantitate, & qualitate B propoſitionis, vt cum dico, nullus lapis eſt homo, nullus homo eſt lapis; vtraque enim vera eſt, & remanet in conuerſione, eadem qualitas, & quantitas propoſitionis. Qualitas propoſitionis eſt affirmatio, & negatio; quantitas eſt vniuerſale, & particulare. Remanet igitur in hac conuerſione eadem propoſitio negatiua, & vniuerſalis, quoniam nullum A eſt B, conuertitur in terminis; & ſimpliciter nullum B eſt A, ſeruata eadem qualitate, & quantitate.

Secunda regula eſt, vniuerſalis affirmatiua nõ C conuertitur in terminis ſimpliciter, ſed in parte, ſcilicet in particularem, mutata quãtitate; nam ſi debeat conuerti, opus eſt, vt ex vniuerſali efficiatur particularis propoſitio. Vocant Iuniores etiam iſtam conuerſionem per accidens, quoniã ſcilicet ſeruatur qualitas, mutata quãtitate, vt ſi dixero, iſtam propoſitionẽ, omnis homo eſt animal, & in conuerſione aliquod animal eſt homo.

Tertia regula eſt, propoſitio particularis affirmatiua conuertitur in parte, vt aliquis homo eſt ſubſtantia, & aliqua ſubſtantia eſt homo, hæc di- D citur conuerſio in parte.

Quarta regula eſt, quòd de particulari negatiua non habemus certam regulam; nam iſta non conuertitur neceſſario; valet quidẽ aliquod animal non eſt homo, ſed non conuertitur aliquis homo nõ eſt animal. Quare cũ hęc non cõuertatur neceſſario. Ariſtoteles de ipſa nullã vult aſſignare regulã, & hæc ſunt, quæ habet Ariſtoteles in hac ſecunda parte: propterea dicit, *Vniuerſale quidem priuatiuam de eo, quod eſt ineſſe, neceſſe eſt in terminis conuerti.* Hic tradit primam regulam, E quæ eſt, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis ſimpliciter, tranſpoſito ſcilicet ſubiecto, & prædicato, altero in locum alterius, remanente eadem quantitate, & qualitate propoſitionis. Exemplificat de negatiua vniuerſali de prima regula dum ſequitur, *Vt ſi nulla voluptas eſt bonum, neque nullum bonum erit voluptas.* In hac enim conuerſione, nulla voluptas bonum, nullum bonum voluptas, remanet eadem quantitas; vniuerſalis enim eſt vtraque, & eadem qualitas, ſcilicet negatio. *Prædicatiuam autem* F *conuerti quidem neceſſarium eſt, non tamen vniuerſaliter, ſed in hac parte.* Secundam regulam hic affert Ariſtoteles, quæ eſt, quòd propoſitio vniuerſalis affirmatiua cõuertitur quidem, non tamen in terminis, ſed in parte, mutata quantitate, vniuerſale in particulare. Tradit exemplum, *Vt ſi*

A *omnis voluptas eſt bonum, & bonum aliquod voluptas.* In hac cõnerſione mutatur quãtitas; vniuerſale enim cõuertitur in particulare, verò remanet eadẽ qualitas; nã vtraque affirmatiua. *Particularem autem affirmatiuam quidem conuerti neceſſe eſt particulariter.* Tertia regula hæc eſt, quòd particularis affirmatiua conuertitur non in vniuerſalem, ſed in particularem. *Nam ſi voluptas aliqua bonum, & bonum aliquod erit voluptas.* In hoc exemplo remanet eadem quantitas, & qualitas; vtraque enim & affirmatiua, et particularis. *Priuatiuum verò non eſt neceſſarium.* De quarta propoſitione particulari negatiua, nulla datur certa regula, quoniã ea nõ cõuertitur neceſſario, vt patet exẽplo. *Non enim ſi homo non ineſt alicui animali, & animal non ineſt alicui homini.* Verũ eſt quidẽ dicere, aliquod animal non eſt homo, ſed nõ eſt vera cõuerſio, aliquis homo nõ eſt animal.

Primum ergo ſit priuatiua vniuerſalis A, B, propoſitio. Si ergo nulli B, ineſt A, neque A, nulli inerit B; nam ſi alicui ineſt vt C, non verum erit nullum B eſſe A: nam C, eorum, quę ſunt B, aliquod eſt. Si uerò omni B ineſt A, & B alicui A ineſt: nam ſi nulli, neque A, nulli B inerit, ſed poſitum erat omni ineſſe. Similiter autem et ſi particularis eſt propoſitio; nam ſi ineſt A alicui B, & B alicui eorũ, quę ſunt A, neceſſe eſt ineſſe: ſi enim nulli nec A, nulli inerit B; ſi autem A alicui eorũ, quæ ſunt B non ineſt, non neceſſe eſt, & B alicui A non ineſſe, vt ſi B quidem ſit animal, A uerò homo; homo enim non omni animali, animal E verò omni homini ineſt.

Docens Ariſtoteles quatuor iſtas regulas de conuerſione propoſitionum, maxime æmulatur ipſos Mathematicos; Mathematici enim proponunt ſua theoremata, deinde deſignant figuras, quæ ſub theorematibus continentur; denique ſuas figuras probant; eodem modo procedit Ariſtoteles in præſenti.

Primo namque poſuit quatuor regulas tanquam ſua theoremata, deinde poſuit eorũ exempla, modo in hac tertia parte capitis ipſas regu- F las intendit comprobare.

Dixit primo, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis ſimpliciter.

Secundo, quòd vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem.

Tertio, quòd particularis affirmatiua conuertitur in particularem.

Quar-

Quarto, quòd particularis negatiua non neceſſario conuertitur.

Probat igitur primam regulam recte traditam eſſe, quæ erat, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, & probat per elementa alphabetica dicens, *Primum ergo ſit priuatiua vniuerſalis A, B, propoſitio. Si ergo nulli B ineſt A, neque A nulli inerit B,* hoc eſt, ſi nulli eorum, quæ ſunt B ineſt A, ſequitur per conuertentiam, quod nulli eorum, quę ſunt A inerit B, vult dicere, quòd ſi nullum B eſt A, ſequitur per conuertentiam, quòd nullum A eſt B, accipit A pro prædicato, B pro ſubiecto. *Nam ſi alicui ineſt vt C, non verum erit nullum B eſſe A, nam C eorum, quæ ſunt B, aliquod eſt.* Argumētatur Ariſtoteles comprobans negatiuam traditam, quæ vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis ſimpliciter, hunc in modum. Si ad hanc, nullum B eſt A, non conuertitur nullum A eſt B; ergo conuertetur ſuum contradictorium, aliquod A eſt B, & ſic aliquod ſumptū ſub A eſt B, ſit illud C, quod continetur ſub A. Sequitur igitur quod C, quod erat B, eſt A; ergo non fuit verum, quod nullum B eſſet A, hoc autem eſt cōtra hypotheſim, quia iam datum fuit, quòd nullum B eſſet A, alioquin cōtradictoria ſimul de eodem verificarentur, ex quo C continetur ſub A, oportet quod C ſit aliquid eorum, quod ſunt A. Iſtud eſt argumentum formale, quia iſti characteres non dicunt certam materiam, ſed indifferenter poſſunt accommodari omni materiæ. Poſſum enim per B, intelligere hominem, per A, lapidē, & ſic dicitur, quòd B non eſt A, ideſt homo nō eſt lapis; poſſum etiā per B, intelligere Iuſtitiā, per A, Grammaticam, & ſic dicere, nullum B eſt A, ideſt nulla Iuſtitia eſt Grammatica, & ſic de ſingulis. Cum igitur iſti characteres careant omni materia, & ſint nudæ formæ, quæ poſſunt applicari omni materię, & cum Ariſtoteles in hoc libro agat de ſyllogiſmo formali, ſine vlla materia: idcirco coactus fuit exēpla deſumere ex his notis alphabeticis, quæ poſſunt applicari cuilibet materiæ; & in hoc etiam Ariſtoteles ęmulatur Mathematicos, qui habent in vſu ipſos characteres, quibus probat veritatem primæ regulæ per eundem traditæ; quam comprobationem poſſum etiam exemplificare in terminis cum materia, vt propoſitio nullum B eſt A, ſit, nullus homo eſt lapis, ea conuertitur, nullum A eſt B, ſcilicet nullus lapis eſt homo; nam ſi non erit vera, nullum A eſt B, nullus lapis eſt homo, ſequitur contradictoria, aliquod A eſt B, aliquis lapis eſt homo, ſed hoc eſt falſum; ergo erit vera cōtradictoria, quòd nullū A ſit B, quòd nullus lapis ſit homo; quare vniuerſalis negatiua cōuertitur in terminis. *Si verò omni B ineſt A, & B alicui A ineſt,* Probare intendit nunc ſecundam regulam, quæ erat, quòd vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem, ſcilicet ſeruata qualitate, non quantitate propoſitionis, & inquit, quòd ſi omni B ineſt A, alicui A ineſt B, hoc eſt, quòd omne B eſt A, conuertitur in hanc, quòd aliquod A eſt B, alioquin ſequere-

A tur contradictoria, quod addit in illis verbis, *Nā ſi nulli, neque A nulli B inerit, ſed poſitum erat omni ineſſe.* Probat hanc ſecundam regulam; nam ſi quis negauerit ita conuerti, opus eſt, quod abſurdum ſequatur, quod erit vera contradictoria, & conuertetur in vniuerſalem negatiuam, dicentes, nullum A eſt B, quod eſt falſum, cum poſitum ſit, quod omne B ſit A, & ex hac nullum A eſt B, ſequatur nullū B eſt A, ſed omne B eſt A, & nullum B eſt A, ſunt cōtrariæ; ergo non poſſunt eſſe ſimul veræ. Erit itaque conuerſio

B omne B eſt A, & aliquod A eſt B, verùm facilitatis gratia, ſumamus exemplū in materia, ſit omne B eſt A, in materia, omnis homo eſt animal. Ad hanc omne B eſt A, ſequitur aliquod A eſt B, ad propoſitionē in materia, omnis homo eſt animal, ſequitur aliquod animal eſt homo: verùm ſi negetur iſta cōuerſio, vera erit iſta, nullum A eſt B, nullū animal eſt homo, quod eſt falſum; ergo vera conuerſio erit iſta, omne B eſt A, aliquod A eſt B, omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo. *Similiter autē, & ſi particularis eſt propoſi-*

C *tio; nā ſi ineſt A alicui B, & B alicui eorū, quæ ſunt A, neceſſe eſt ineſſe.* Hic vult comprobare tertiam regulam, quę eſt, quòd propoſitio particularis affirmatiua conuertitur in particularem, ſcilicet ſimpliciter, ſeruata eadem quantitate, & qualitate: nāque ſi detur, quòd ineſt A alicui B, neceſſe eſt per cōuertentiam, quod etiam B inſit alicui eorū, quæ ſunt A, hoc eſt, ſi aliquod B eſt A, neceſſario conuertitur, quòd aliquod A ſit B, probat neceſſitatem huius conuerſionis, quādo dicit, *Si enim nulli, nec A nulli inerit B,* hoc eſt, ſi non vale-

D ret iſta conuerſio; ergo ſequeretur, quòd conuerteretur hoc modo, *quòd B nulli eorum, quæ ſunt A, inſit,* hoc eſt, quòd nullum A ſit B, & cū vniuerſalis negatiua conuertatur in hāc, nullū B eſt A, & hæc non poſſit ſimul eſſe vera, cū hac, aliquod B eſt A, iam data, quia eſt eius contradictoria; ergo ſua conuerſio erit aliquod B eſt A, aliquod A eſt B, & ſic particularis affirmatiua ſimpliciter conuertatur. Sic in terminis, aliquod B eſt A, ſit, aliquis homo eſt animal, conuertitur, aliquod A eſt B, aliquod animal eſt homo: nam ſi hæc non con-

E uerteretur, ſequeretur vniuerſalis negatiua, nullum A eſt B, nullum animal eſt homo, quod eſt falſum; ergo cōuertitur, aliquod B eſt A, aliquis homo eſt animal, in hāc, aliquod A eſt B, aliquod animal eſt homo. *Si autē A alicui eorum, quæ ſunt B, non ineſt, non neceſſe eſt & B alicui A non ineſſe.* Oſtendit quartam regulam, quòd ſcilicet particularis negatiua non neceſſario conuertitur, neque ſimpliciter, neque in parte; ſi enim concedatur, quòd A non ineſt alicui eorum, quæ ſunt B, non eſt neceſſe, quod & B non inſit alicui A,

F hoc eſt, ſi aliquod B non eſt A, non propterea conuertitur neceſſario, ergo aliquod A nō eſt B, q; vt facilioris ſit doctrinæ, & intelligentię ponit in terminis, *Vt ſi B quidē ſit animal, A verò homo: homo enim nō omni animali, animal verò omni homini ineſt,* hoc eſt, ſit B animal; A verò homo. Homo itaque nō ineſt omni animali, quia nō omne ani-

mal eſt homo, animal verò ineſt omni homini, A
quia omnis homo eſt animal. Particularis itaque negatiua non conuertitur, nam cum dico, aliquod animal non eſt homo, iſta propoſitio vera eſt, ſed non conuertitur, neque ſimpliciter, aliquis homo non eſt animal, neque in parte, nullus homo eſt animal, quia vtraque falſa eſt; & ſic hactenus habuimus quatuor negatiuas conuerſionum propoſitionum comprobatas: & hæc ſufficiant pro expoſitione textus.

Reliquum eſt, vt difficultates diluamus, quarum prima difficultas hæc eſt, cum Ariſtoteles B
diuidat propoſitiones in de ineſſe, & modales, quæ ſunt vel neceſſariæ, vel contingentes. Quæritur, an iſta diuiſio ſit tradita per modos, aut per res, id eſt per materiam, aut per vtrumque, decla ro vim dubitationis, conſideratur propoſitio ſecundum modum ſine materia, vt ſi dixerimus neceſſarium eſt me ambulare, in hac propoſitione modus eſt neceſſarius tantum, materia non eſt neceſſaria, conſideratur ſecūdum materiam ſine modo, vt contingens eſt, hominem eſſe animal, modus eſt contingens, materia verò neceſ- C
ſaria. Conſideratur propoſitio ſecundum modum & materiam, vt cum dixerimus, neceſſarium eſt cælum moueri; iſta neceſſitas eſt ex parte rei, & modi. Cum igitur neceſſarium, & contingens poſſint cōſiderari aut in modo, aut in re, quæritur, an Ariſtoteles diuidat propoſitionem in neceſſarium, & contingentem per modos, aut partes.

Ad hanc quæſtionem reſpondent quidam, quòd Ariſtoteles diuidit per modos, quia modi ſunt formales, & ſine materia per ſe conſiderati. D

Verùm iſta opinio ab alijs reijcitur, quoniam non ſolum agat Ariſtoteles de forma ſyllogiſtica, ſed etiam de materia communi ſyllogiſmorum, vt videre eſt in 2. lib. Priorum, vbi agit de propoſitionibus, & de elementis, quæ ſunt materiæ ſyllogiſmorum; quapropter dicunt, quòd nō eſt verum, quod hic Ariſtoteles teneatur tradere ſimpliciſſimam formam ſyllogizādi, & quòd hac ratione diuidat propoſitionem per modos, vnde nōnulli opinati ſunt, quòd Ariſtoteles diuidat propoſitionem per materiā ſine modo, qua- E
tenus iſta materia conuertitur; & ratio eſt, quoniam iſta conuerſio nullibi eſt tradita, neque in lib. Poſter. neque Topic. quoniam nullibi tradit regulas conuerſionum, præterquam in hoc lib. & cum modi non conuertantur, ſed materia Idcirco dicunt hi, quòd diuidit propoſitionem per materiam.

Verùm rectè dicere poſſumus, quòd Ariſtoteles diuidit propoſitionem modalem ex modis, & ex rebus, vt facit propoſitionem de ineſſe neceſſario in materia neceſſaria, & propoſitionem F
de ineſſe contingenti in materia contingenti; non autem dicendum eſt, quòd modus conſiderandus ſit diuerſus a materia; nam ſi ſic materia erit contingens, & additus modus neceſſarius, quapropter erit propoſitio falſa; propterea ſi modus erit contingens, materia erit cōtingens, ſi modus erit neceſſarius, & materia erit neceſſaria, & hoc modo propoſitiones erunt veræ.

Secunda dubitatio eſt contra primam, ſecundam, & tertiam regulam. Prima regula eſt, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, vt nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo. Secunda regula eſt, quòd particularis affirmatiua conuertitur in particularem, vt omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo. Tertia regula eſt, quòd particularis affirmatiua cōuertitur ſimpliciter in particularem, vt aliqua voluptas eſt bonum, & aliquod bonum eſt voluptas.

Contra primam inſto in hunc modum, quòd non conuertitur, nullus cœcus videt ens, nullum ens videt cœcum: prima quidem vera eſt, nullus cœcus videt ens, ſed non conuertitur, nullū ens videt cęcum, quoniam eſt falſa. Amplius verum eſt dicere, nulla domus eſt in homine, tamen falſa eſt conuerſio, nullus homo eſt in domo.

Contra ſecundā inſto, quòd cōuertitur ſimpliciter in terminis vniuerſaliter, vt omnis homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo.

Contra tertiam pariter do inſtantiā, quod cōuertitur in vniuerſalē, ſeu vniuerſaliter, aliquis homo eſt riſibilis, omne riſibile eſt homo.

Quod attinet ad hanc ſecundam quęſtionem, & ad has inſtantias, ſentio quòd Ariſtoteles hic, vt rectè notat Alexander, velit regulas tradere, quæ ſint ſempiternæ veritatis: nam etſi cæteræ regulæ patiantur inſtantiam, tamen prioriſticæ nunquam habent exceptionem: & ideo Ariſtoteles vtitur literis alphabeticis, quoniam regulæ inſtātes ſunt æternæ, & perpetuę veritatis. Ideo ad primam inſtantiam, cum dicebatur vniuerſalis negatiua non conuertitur in terminis, quoniam non conuertitur, nullus cæcus videt ens, ergo nullum ens videt cœcum.

Reſpondeo, quod ſi huius propoſitionis totum prędicatum acceperimus, reciprocabit hoc modo, nullus cœcus videt ens, nullum videns ens videbit cœcum, nulla domus eſt in homine, nullum ens in homine eſt in domo, & hoc modo omnes inſtantię ſoluuntur, ſi acceperimus vniuerſum prędicatum, ita vt propoſitiones euadant pares & conuertibiles.

Ad ſecundam regulam, quæ dicit, quòd vniuerſalis affirmatiua conuertitur in parte, inſtantia facta eſt nullius mométi, quòd ſcilicet ea conuertatur in vniuerſalem, vt omnis homo eſt riſibilis; ergo omne riſibile eſt homo.

Reſpondeo, quòd iſta conuerſio vniuerſaliter non eſt ratione formæ, ſed ratione materiæ, quod idem.

Reſpondeo ad inſtantiam contra tertiam regulam, quando dicitur, quòd particularis affirmatiua nō conuertitur in particularem, ſed vniuerſaliter, vt aliquis homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo. Hoc namque non procedit ratione formæ, & ipſius regulæ, ſed ratione materię, quoniā materia riſibilis vniuerſaliter prędicatur de omnib. hominibus, & ideo nihil ad rē.

Et hęc dicta ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super ſecundo Capite de Conuerſione abſolutarum propoſitionum in terminis pro Iuris ſtudioſis.

IN præſenti Capite tres tradidit Ariſtoteles regulas obſeruandas Conuerſionum propoſitionum de ineſſe.

Prima regula, vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis ſimpliciter, ſeruata ſcilicet qualitate,& quantitate propoſitionis, vt nullus lapis eſt homo,nullus homo eſt lapis.

Secunda regula, vniuerſalis affirmatiua cõuertitur in parte, ſeruata ſcilicet qualitate, ſed non quantitate,omnis homo eſt animal,aliquod animal eſt homo.

Tertia regula, particularis affirmatiua conuertitur ſimpliciter,ſeruata qualitate,& quantitate,aliqua voluptas eſt bonum,& aliquod bonum eſt voluptas.

De conuerſione vniuerſalis negatiuę in iure, exemplum elicitur in l.ſi vnus.§. pacta. ff. de pactis.nullum pactum cõtra bonos mores eſt obligatorium;ergo nullum obligatorium contra bonos mores eſt pactum. Aliud eſt exemplum in §.1.Inſt.tit.de vſufruct.nullus vſufructuarius eſt proprietarius;ergo nullus proprietarius eſt vſufructuarius.

De conuerſione vniuerſalis affirmatiuę habetur exemplum in l.nihil intereſt. ff.ad leg. Corneliam, de ſicarijs. omnis, qui mortis cauſam præbet, eſt homicida; ergo quidam homicida mortis cauſam præbet. Pariter exemplificare valemus in §.interdum.Inſt.titu.de obl. quæ ex del.naſc.omnis,cuius ope,& conſilio furtum factum fuit, furti tenetur;ergo quidam, qui furti tenetur,alium ope, & conſilio fouit. Tertium quoque exemplum elicitur in §.gratuitum.Inſt. quib.mod.re contrah.obl.omne commodatum gratuitum eſſe debet; ergo quoddam gratuito factum eſt commodatum.

De particulari affirmatiua exemplũ ſit,quoddam conſilium eſt obligatorium; ergo quoddam obligatorium eſt conſilium. Vide Dynum, C.nullus ex conſilio,de reg.iuris,in 6.

De quarta regula,quoniã non eſt obſeruanda, quin potius euitanda, exẽplificare nõ eſt opus.

Et hæc dicta ſatis ſuper Cap. ſecundo pro Iuris ſtudioſis.

De Conuerſione Propoſitionum de modo Caput Tertium.

EOdem autẽ modo ſe habebit in neceſſarijs propoſitionibus;nam vniuerſalis quidẽ priuatiua vniuerſaliter conuertitur; affirmatiuarum autẽ vtraque particulariter..

Tractatus Quartus.

A Cum in cap. præcedenti docuerit Ariſtoteles conuertere propoſitiones de ineſse, & aſſignauerit quatuor regulas, quarum tres ſunt obſeruandæ,vltima fugienda,& euitanda.

Prima regula extitit, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis; ſecunda & tertia eodem modo,ſcilicet vniuerſalis affirmatiua, & particularis affirmatiua in particularem; quarta regula, quòd particularis negatiua nullo modo conuertitur.

In præſenti vult docere, quomodo conuer-
B tantur propoſitiones modales; declaratis namque ijs de ineſse, remanent propoſitiones cum modo. Incipit autem à propoſitione modali neceſſaria, quoniam neceſsarium præcedit contingens, vt vidimus in fine libri Perihermenias, vbi redarguit antiquos, qui ponẽtes claſses illas propoſitionum modaliũ,in poſtrema parte collocabant neceſsarium, in ſuprema verò ipſum contingens: cõfutat enim ipſorum opinionem, quoniam neceſsarium, cum dicat actum, debet præcedere ipſum contingens. Meritò itaque
C Ariſtoteles agens de propoſitionibus cum modo exorditur ab illis,quæ habent modum neceſſarium: & eo magis quoniam propoſitiones de modo neceſſario ſe habent eadem ratione, qua illæ de ineſſe, eo quoniam vniuerſalis negatiua neceſſaria conuertitur in terminis, vniuerſalis affirmatiua neceſſaria conuertitur in particularem;ſimiliter particularis affirmatiua neceſſaria conuertitur in particularem;particularis autem negatiua neceſſaria non conuertitur.

Iſtæ conuerſiones non differunt cũ pręceden-
D tibus;verùm Ariſtoteles diuerſa via has comprobat,ac pręcedentes ſiquidẽ iſtas probat per contradictorium ſecundum modum: in probandis autem conuerſionibus propoſitionum de ineſſe, vtitur contradictorio ſecundum qualitatem,dicens,ſi nullum B eſt A,conuertitur nullum A eſt B,alioquin ſequetur contradictorium, quòd aliquod A,nempe C erit B,quod eſt abſurdũ:quare vera erit conuerſio nullum A eſt B;at in probandis conuerſionibus iſtarum modaliũ neceſſariarum,accipit contradictorium ſecundum modũ,
E vt ad hanc,neceſſarium eſt nullum hominẽ eſſe lapidem,conuertitur neceſſarium eſt nullum lapidem eſse hominem, quòd ſi hæc non conuerteretur,ſequeretur contradictorium,ideſt quòd contingens eſset aliquem lapidem eſse hominem: verùm quo ad conuerſionem eadem ratione, & via ſe habet conuerſio in propoſitionibus cum modo neceſsario, ſicuti ſe habet conuerſio illarum de ineſse. Dat itaque primam regulam, quòd vniuerſalis negatiua neceſsaria conuertitur in terminis, & dat
F reliquas duas, quod vtraque affirmatiua conuertitur in particularem dicens, *Eodem autem modo ſe habebit in neceſſarijs propoſitionibus*, hoc eſt in propoſitionibus cum modo neceſsario conuerſio fiet ſicuti in illis de ineſse hunc in modum ſcilicet, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis ſimpliciter; vtraque

autem affirmatiua & vniuerſalis, & particularis conuertitur in particularem, & particularis negatiua non conuertitur. *Nam vniuerſalis quidem priuatiua vniuerſaliter conuertitur*. Prima regula eſt, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis. *Affirmatiuarum autem vtraque particulariter*. Tradit ſecundam & tertiam regulam, quòd vniuerſalis affirmatiua, & particularis affirmatiua conuertantur in particularem.

Nam ſi neceſſe eſt A nulli B ineſſe, neceſſe eſt B nulli A ineſſe. Si enim alicui contingit, & A alicui B continget. Si autem ex neceſſitate A omni, vel alicui B ineſt, & B alicui A, neceſſe eſt ineſſe: nam ſi non ex neceſſitate ineſt, neque A alicui B ex neceſſitate inerit.

Docet Ariſtoteles, quare propoſitiones cum modo neceſſario conuertantur ratione ſupradicta: comprobat enim regulas traditas ipſarum per ſuum contradictorium, per contradictorium ſcilicet ſecundum modum, non ſecundum qualitatem.

Et primo comprobat primam regulam, quòd ſcilicet vniuerſalis negatiua neceſſaria conuertitur in terminis vniuerſaliter, & inquit, *Nam ſi neceſſe eſt A nulli B ineſſe, neceſſe eſt & B nulli A ineſſe*, hoc eſt, hæc propoſitio, neceſſarium eſt nullum B eſſe A, conuertitur neceſſarium eſt nulli A eſſe B. Quam conuerſionem deinde in ſequentibus comprobat dicens, *Si enim alicui contingit*, hoc eſt, ſi non ſequitur, neceſſarium eſt nullum A, eſſe B, conuertitur contingens eſt aliquod A eſſe B, ſed hæc conuertitur cum illa, quæ dicit contingens eſt aliquod B eſſe A, & id eſt, quod addit, *Et A alicui B continget*. Sed hæc contingens eſt aliquod B eſſe A, & neceſſarium eſt nullum B eſſe A, quæ eſt prima ſuppoſita, ſunt contrariæ: ergo patet, quòd ad eam neceſſarium eſt nullum B eſſe A, neceſſario ſequitur hæc, neceſſarium eſt nullum A eſſe B. Sumamus exemplum in terminis ſic, neceſſarium eſt nullum hominem eſſe lapidem, cõuertitur neceſſarium eſt nullum lapidem eſſe hominem, probatur hæc conuerſio, ſi namque non valebit; ergo valebit contradictoria, contingens eſt aliquem lapidem eſſe hominem, ſed hoc eſt falſum, ergo conuerſio vera erit, neceſſarium eſt nullum lapidem eſſe hominem. *Si autem ex neceſſitate A omni, vel alicui B ineſt, & B alicui A neceſſe eſt ineſſe*. Hic vult Ariſtoteles ſimul & ſemel comprobare vniuerſalem affirmatiuã, & particularem affirmatiuam neceſſariam conuerti in particularem: nam neceſſarium eſt omne B eſſe A, conuertitur neceſſarium eſt aliquod A eſſe B; eadem ratione neceſſarium eſt aliquod B eſſe A, conuertitur neceſſarium eſt aliquod A eſſe B. *Nam ſi nõ ex neceſſitate ineſt, neque*

A *A alicui B ex neceſſitate inerit*. Probat vtramque conuerſionem; nam ſi non ſequitur neceſſarium eſt aliquod A eſſe B, ſequitur contradictoria, contingens eſt nullum A eſſe B, ſed hæc conuertitur cum ea, contingens eſt nullum B eſſe A, quæ eſt contraria ſuprapoſitæ, neceſſarium eſt omne B eſſe A; ergo vera erit conuerſio, contingens eſt aliquod A eſſe B, quod idem dicitur de particulari. Exemplum de vtraque in terminis ſit hæc vniuerſalis affirmatiua neceſſaria, neceſſarium eſt omnem hominem eſſe ani-
B mal, hæc cõuertitur neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem; nam ſi non valebit neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem, ergo valebit ſuum contradictorium, contingens eſt nullum animal eſſe hominem, ſed hoc eſt falſum, quoniam eſt contrarium; ergo verum erit dicere conuerti neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem, exemplum de particulari affirmatiua pariter eſt manifeſtum, vt hæc particularis affirmatiua neceſſaria, neceſſarium eſt aliquem hominem eſſe animal, conuertitur neceſſarium eſt
C aliquod animal eſſe hominem; quòd ſi quis neget hanc conuerſionem, ſequetur neceſſarium eſt nullum animal eſſe hominẽ, quod eſt falſum; quare vera erit conuerſio, neceſſariũ eſt aliquod animal eſſe hominem.

Notandum, quòd cum propoſitio modalis, vt declaratum eſt in tractatu Periermenias, ſit vel negatiua de modo, vt non neceſſarium eſt, vel negatiua de dicto, vt neceſſarium non eſt. Hic Ariſtoteles non intelligit propoſitiones modales neceſſarias negatiuas, quæ ſunt de modo ne-
D gato, ſed eas, quæ ſunt negatiuæ de dicto: propterea quod propoſitiones neceſſariæ, quæ ſunt de modo negato, vt non neceſſarium eſt, quæ eſt negatiua ſimplex, vel non neceſſarium non eſt, quæ eſt negatiua declinata, realiter ſunt de contingenti, quoniam negatiua ſimplex non neceſſarium eſt æquiualet ei, quę dicit contingens nõ eſt, & negatiua declinata, non neceſſarium non eſt, æquipollet illi, quæ dicit contingens eſt; propterea Ariſtoteles per negatiuas neceſſarias, negatiuas de dicto, nõ de modo voluit nominare;
E idcirco in toto hoc libro negatiuas, & affirmatiuas appellat, quæ ſunt affirmatiuæ, & negatiuę de dicto, non de modo.

In contingentibus verò, quoniam multipliciter dicitur cõtingere (nam & neceſſarium, & nõ neceſſarium, & poſſibile contingere dicimus) In af-
F firmatiuis quidem ſimiliter ſe habebit ſecundum conuerſionem, in omnibus, nam A omni, aut alicui B contingit, & B alicui A contingit: ſi enim nulli, nec A vlli B, oſtenſum eſt enim hoc prius.

In hac parte huius capitis Philoſophus agit

de con-

de conuerſione propoſitionum modalium contingentium, & primum diſtinguit contingens, quod ſcilicet vel eſt contingens proprie, quod appellatur contingens poſſibile, vel eſt contingens communiter, & hoc duplex, vel neceſſarium, vel non neceſsarium: contingens neceſsarium eſt, vt contingens eſt cælum moueri; contingens non neceſsarium eſt, vt contingens eſt me currere. Contingens proprie, quod dicitur etiam poſſibile eſt, vt contingens eſt me ambulare, & non ambulare: deinde tradit nobis Ariſtoteles regulam generaliſſimam, quæ eſt, quod omnis propoſitio contingens, vel ſit contingens neceſsaria, vel contingens non neceſsaria, vel contingens poſſibilis, vel ſit vniuerſalis, vel particularis, dummodo ſit affirmatiua, conuertitur in particularem, quemadmodum illæ de ineſse, & neceſsariæ, vt hæc propoſitio vniuerſalis contingens neceſsaria affirmatiua contingens eſt omnem hominem eſse animal, conuertitur ſicut illæ de ineſse in particularem, contingens eſt aliquod animal eſse hominem; pariter particularis contingens neceſsaria affirmatiua, vt contingens eſt aliquem hominem eſſe animal, conuertitur in particularem contingens eſt aliquod animal eſſe hominem. Sumamus etiam contingens non neceſſarium, propoſitio contingens non neceſſaria vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem, vt hæc contingens eſt omnem hominem eſſe album conuertitur in hanc, contingens eſt aliquod album eſſe hominem; idem ſtatuitur de particulari: ita quoque propoſitio affirmatiua cõtingens poſſibilis conuertitur ſimiliter in particularem, vt contingẽs eſt omnem hominem currere, conuertitur contingens eſt aliquod currẽs eſſe hominem; quod idem euenit de particulari: quapropter concludẽdum eſt, quòd omnes propoſitiones vel vniuerſales, vel particulares, vel contingentes, neceſſariæ, vel non neceſſariæ, vel poſſibiles, dummodo ſint affirmatiuæ, ſubeant eandem rationem & regulam, vt illæ de ineſſe, & neceſſariæ. Dicit igitur primo, *In contingentibus verò, quoniam multipliciter dicitur contingere*. Traditurus regulas conuerſionum propoſitionum contingentium, diſtinguit prius contingens, quoniam habet pluralitatem ſignificationis, (*nam & neceſſarium, & non neceßarium, & poſſibile, contingere dicimus.*) Contingens etenim tripliciter dicitur, & tribus modis ſuperius declaratis, vel ſcilicet eſt contingens neceſſarium, vt cælum moueri, vel non neceſſarium, vt me currere; vel poſſibile, vt me ſtudere, & non ſtudere. *In affirmatiuis quidem ſimiliter ſe habebit ſecundum conuerſionem in omnibus*. Hic tradit regulam generalem, quòd omnis propoſitio contingens affirmatiua conuertitur in particularem, *Nam A omni, aut alicui B contingit, & B alicui A contingit*. Probat Ariſtoteles ſimul & ſemel vniuerſalem, & particularem affirmatiuam conuerti in particularem, dicens: ſi enim A omni, vel alicui eorum, quæ B contingit, & B alicui

A eorum, quæ A ſimul contingit, hoc eſt ſi contingens eſt omne B eſſe A, etiam contingens erit aliquod A eſſe B. Pariter ſi cõtingens erit aliquod B eſſe A, etiã contingens erit aliquod A eſſe B, quod probat, dum addit, *Si enim nulli, nec A vlli B, oſtenſum eſt enim hoc prius*. Probat vtramque regulã modo, quo ſuperius comprobat eas de ineſſe, & neceſſario, per contradictorium; nam ſi non valebit hæc, ſcilicet ſi ad hanc vniuerſalem, contingens eſt omne B eſſe A, & pariter ad particularem, contingens eſt B aliquod B eſſe A, ſi ad vtramque ſimul non ſequetur hæc, contingens eſt aliquod A eſſe B, ſequitur ſua contradictoria, contingens eſt nullum A eſſe B, quod eſt falſum, vt ſuperius demonſtratũ quoque eſt: quare prior cõuerſio vera erit, contingens ſcilicet eſt aliquod A eſſe B.

In negatiuis verò non ſimiliter, ſed quæcumque quidem contingere dicuntur ex eo, quod ex neceſſitate C inſunt, vel in eo, quòd non ex neceſſitate inſunt; ſimiliter vt ſi quis dicat hominem contingere non eſſe equum, aut album nulli tunicæ ineſſe; horum enim hunc quidem ex neceſſitate ineſt; illud verò non ex neceſſitate ineſt, & ſimiliter conuertitur propoſitio; nam ſi contingit nul- D li homini equum ineſſe, et hominem contingit nulli equo ineſse, & ſi album contingit nulli tunicæ, & tunicã contingit nulli albo: ſi enim alicui neceſſario, & album tunicę alicui inerit ex neceſſitate; hoc enim oſtenſũ eſt prius. Similiter autem, & in particulari negatiua.

E Cum hactenus Ariſtoteles docuerit conuerſiones propoſitionum contingentium affirmatiuarũ fieri eodem modo, ac illæ de ineſſe, & neceſſariæ, in pręſenti docet, quomodo fiat conuerſio contingentium negatiuarum: & quia hæ pariter ſunt in triplici differentia, ſcilicet neceſſariæ, non neceſſariæ, & poſſibiles: propterea inquit, quòd in his omnibus non ſimili modo procedit conuerſio ſicuti in ſupradictis: nam vt videbimus, propoſitiones contingentes de poſſibi- F li habent diuerſam regulam.

Verùm nunc tradit regulam conuerſionum vniuerſalium negatiuarum propoſitionum contingentium, neceſſariarum, & non neceſſariarum: vult enim has conuerti ſicut illæ de ineſſe, & de neceſſario vniuerſaliter, vt contingens neceſſarium eſt nullum hominem eſſe equum, conuertitur,

uertitur, contingens neceſſarium eſt nullum equum eſſe hominem, contingens non neceſſarium eſt nullum veſtimentum eſſe album, conuertitur contingens non neceſsarium eſt nullum album eſse veſtimentum; & ſicut vniuerſales propoſitiones contingentes neceſſariæ, & non neceſsariæ eodem modo ſe habent ad conuerſionem, ſicut illę de ineſſe, & neceſsarię, pariter ſe habent particulares. Dicit itaque, *In negatiuis verò non ſimiliter*. Negatiuæ propoſitiones contingentes non ſe habent omnino in conuerſione, ſicut affirmatiuæ iam declaratæ, ſicut illæ de ineſse, & neceſsariæ ſuperius poſitæ: ſed quædam habent eandem regulam, vt neceſſariæ, & non neceſsariæ, quædam diuerſam, vt poſſibiles: ideo diſtinguit dicens, *Sed quæcunque quidem contingere dicuntur ex eo, quod ex neceſſitate inſunt*, hoc eſt neceſsariæ, *vel in eo, quod non ex neceſſitate inſunt*, ſcilicet non neceſsariæ. *Similiter*. Simili modo conuertuntur propoſitiones contingentes negatiuæ neceſsariæ, & non neceſsariæ, ſicut illæ de ineſse, & de neceſsario, quoniam vniuerſales conuertuntur vniuerſaliter, quod declarat exemplo. *Vt ſi quis dicat hominem contingere non eſſe equum, aut album nulli tunicæ ineſſe*. Duo ſumit exempla, vnum, quod deſeruit contingenti neceſsario, aliud vero contingenti non neceſsario. Ideo ſequitur. *Horum enim, hoc quidem ex neceſſitate ineſt*. Primum ſcilicet exemplum intelligens, ſcilicet contingens neceſsarium eſse nullum hominem eſſe equum. *Illud verò non ex neceſſitate ineſt*, reſpectu ſecundi exempli, ſcilicet nullam tunicam eſse albā. *Et ſimiliter conuertitur propoſitio*. Simili inquā modo in his contingētibus, neceſsario ſcilicet, & non neceſsario fit conuerſio propoſitionis, nēpe vniuerſaliter. *Nam ſi cōtingit nulli homini equū ineſſe, & hominum contingit nulli equo ineſſe*, quoniā contingens neceſsarium nullum hominē eſse equū, conuertitur, contingens neceſsarium nullum equum eſse hominem: *Et ſi album contingit nulli tunicæ, & tunica contingit nulli albō*. Et contingens non neceſsarium nullam tunicam eſse albam, conuertitur, contingens non neceſsarium nullum album eſse tunicam. *Si enim alicui neceſſario, & album tunicæ alicui inerit ex neceſſitate, hoc enim oſtenſum eſt prius*. In hac parte poſtpoſita probatione primæ conuerſionis, tanquam manifeſta, probat conuerſionem contingentis non neceſſarij, eodem modo quo probauit eas de ineſse, & de neceſsario, per contradictoriam; nam ſi ad hanc contingens eſt nullā tunicā eſse albam, non conuertitur hæc, contingens eſt nullum album eſse tunicam, conuertetur contradictoria, ſcilicet neceſse eſt aliquod album eſse tunicam: ſed ex hac ſequitur hæc, neceſse eſt aliquam tunicam eſse albam, quæ eſt contraria ei ſuprapoſitæ, cōtingens eſt, nullam tunicam eſse albam; ergo vera erit conuerſio, contingens eſt, nullum album eſse tunicam. *Similiter autem & in particulari negatiua*. Magnus Albertus in Commentarijs hunc in locum vult, quòd Ariſtoteles per A hæc verba dicere velit, quòd ſicuti vniuerſalis negatiua de contingenti neceſsario, vel non neceſsario, conuertitur in terminis, ſcilicet ſeruata eadem quantitate, & qualitate propoſitionis, pari ratione conuertitur, & particularis negatiua contingens neceſsaria, vel non neceſsaria, vt cōtingens neceſsarium eſt quendam hominem non eſse equum, conuertatur contingens neceſſarium eſt quendam equum non eſse hominem; ſic contingens non neceſſariū eſt quandam tunicam nō eſse albā, cōuertatur contingens non neceſsarium eſt quoddam album non eſse tunicā. B

Quæcunquæ verò vt in pluribus, & in eo, quod nata ſunt, dicuntur contingere, ſecundum quem modum determinamus contingens: non ſimiliter ſe habebat in priuatiuis conuerſionibus, ſed & vniuerſalis quidem priuatiua propoſitio non C conuertitur, particularis verò conuertitur. Hoc autem erit manifeſtum, quando de contingenti dicemus; nunc autem nobis tantum ſit cum iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum, quoniam contingere nulli, aut alicui non ineſſe affirmatiuam habet D figuram; nam & contingit ipſi eſt, ſimiliter ordinatur. Eſt autem quibuſcunque adiacens prædicatur, affirmationem ſemper facit, & omnino, vt eſt non bonum, vel eſt non album, vel ſimpliciter, eſt non hoc; oſtendetur autem & hoc per ſequentia; ſecundum conuerſiones autem E ſimiliter ſe habebunt in aliis.

Ariſtoteles vult docere regulas cōuerſionum contingentium poſſibilium, quod appellatur contingens proprie, & contingens natum. Vt autem cognoſcamus quid ſit illud contingens natum, de quo loquitur hic Ariſtoteles, ſciendum eſt, quòd contingens tripliciter dicitur, Raro, Æquale, & Frequēter, vt quoque alias docui. Contingens raro dicitur monſtrum; monF ſtra enim quæ ſunt præter intentionem naturæ rariſſime accidunt, vt quòd homo naſcatur cum duobus capitibus, vel tribus, aut quatuor pedibus, & hoc contingens, dicunt expoſitores, cum non habeat perfectam cauſam, ſed fortuito accidat: propterea iſtud reſpuit Philòſophus, quoniam non deſeruit demonſtrationi. Hinc cum liber iſte ſit conſcriptus ad demonſtrationem,

meritò

perito iſtud contingens raro reijcitur. Contin-
gens ęquale eſt, quod in libro Periermen vocatur
contingens vtrumque: & de hoc dat exemplum
Alexāder in linea, ſi quis enim accipiat lineam,
& ipſam diuiſerit in partes æquales, erit diuiſio
ad vtrūque, ſic dicitur contingens æquale, quod
poteſt æqualiter verti ad oppoſita, vt cum ego
æqualiter poſſum ambulare in foro, & non am-
bulare; ſunt namque ambulare, & non ambulare
oppoſita, ad quæ poteſt æque flecti voluntas no-
ſtra; ambulare & non ambulare dicitur contin-
gens æquale, quod contingens habet ſimilitudi-
nem cum linea diuiſa in partes æquales. Contin-
gens autem frequenter eſt, quod vtplurimum
accidit, & vocatur ab Ariſtotele contingens na-
tum, vtpote quod ſit ex intentione naturæ ad ſi-
militudinem lineæ diuiſæ in lōgiorem partem,
quam in alterā; & de hoc ſermo eſt Philoſophi:
non agitur autem ab eo de contingenti æquali,
nec docet quomodo propoſitiones contingen-
tes æqualiter conuertātur, quoniam vt recte di-
cunt Alexander, & Ioannes Grammaticus tale
contingens eſt indefinitum, & indeterminatū;
non enim magis vertit ad vnum oppoſitū, quam
ad aliud; ideo dicitur indeterminatum, & inde-
finitum. Scientia autem demonſtratiua, cum ſit
definita & determinata, non eſt de rebus indefi-
nitis, & indeterminatis. Hinc iure meritò Ari-
ſtoteles non agit de conuerſione propoſitionum
ex contingenti ęquali.

His præhabitis pro notitia eorum, quæ decla
rantur in hoc loco ab Ariſtotele, accedēdum eſt
ad conuerſionem propoſitionum ex contingen-
ti vtplurimum, quod appellatur cōtingens pro-
prie, & natum, & diſtinguēdum eſt, quòd omnes
propoſitiones ex contingenti vtplurimum ſunt
in duplici differentia, vel affirmatiuæ, vel nega-
tiuæ, vel ſint vniuerſales, vel particulares.

Propoſitio ex contingenti poſſibili, & vt plu-
rimùm ſi fuerit affirmatiua, vel vniuerſalis, vel
particularis, conuertitur in particularem, ſicuti
illæ de ineſse, & de neceſsario. Si vero iſta pro-
poſitio contingēs vtplurimum fuerit negatiua,
contraria ratione procedit, ac illæ de ineſse, &
neceſsario: nā ſuperius docuit Ariſtoteles, quòd
vniuerſalis negatiua de ineſse, & neceſsario
conuertitur in terminis. Verùm hęc propo-
ſitio vniuerſalis negatiua de contingenti pro-
prio, & nato non conuertitur in terminis. Alia
differentia eſt, quod ſuperius dictum eſt, quod
particularis negatiua de ineſse, & neceſsario nō
conuertitur; ſed hæc propoſitio particularis ne-
gatiua de contingenti poſſibili proprie conuer-
titur. Licet igitur propoſitiones affirmatiuę de
contingenti proprio, eodem modo ſe habeant,
vt illæ de ineſsè, & neceſsario, quoniam vtraque
in particularem conuertitur; tamen particularis
negatiua non differt ab illis. Prima differentia
eſt, quòd negatiuæ illæ vniuerſales de ineſse, &
neceſsario conuertuntur in terminis. Hæ autem
contingentes poſſibiles negatiuę vniuerſales nō
conuertuntur in terminis. Secunda differentia

A eſt, illæ de ineſse, & neceſsariæ particulares ne-
gatiuæ non conuerti poſsunt: hę autem negati-
uę particulares contingentes propriæ conuer-
tuntur: quare iſtæ propoſitiones negatiuæ cum
ſuperioribus de ineſse, & neceſsario repugnant.
De his autem breuiſſimus eſt ſermo, quoniam
de conuerſione iſtarum propoſitionum contin-
gentium vtplurimum abunde diſseret in prima
figura de mixtione contingentium. Hic oſten-
dit, quomodo propoſitiones contingentes vtrę-
que negatiuæ non conuertuntur in terminis, &
B quomodo contingentes particulares negatiuæ
conuertuntur, quoniam habent figuram affirma
tionis. Dicit igitur, *Quæcunque verò vt in plu-*
ribus, & in eo, quod nata ſunt, dicuntur contingere, ſe-
cundum quem modum determinamus contingens non
ſimiliter ſe habebat in priuatiuis conuerſionibus.

Incipit agere de propoſitionibus ex contin-
gēti proprie, & nato, & vtplurimum priuatiuis,
ſcilicet negatiuis, & inquit, quòd propoſitiones
negatiuæ vniuerſales contingētes vtplurimum
valde differunt a negatiuis de ineſse, & neceſsa-
C rijs. *Sed & vniuerſalis quidem priuatiua propoſitio*
non conuertitur; particularis verò conuertitur; quo-
niam illę de ineſse, & neceſsario cōuertuntur in
terminis; hæ verò non conuertuntur, ſed oppoſi
to modo ſe habent, quoniam vniuerſalis negati-
ua ex contingenti vtplurimum non conuertitur
in terminis, ſed vertitur in affirmatiuam; pariter
particularis negatiua de ineſse, & neceſsario nul
lo modo conuertitur: hæc autem conuerſionē
ſuſcipit, vertitur namque & ipſa in affirmatiuā.

Ratio autem huius diuerſitatis, ſeu conuer-
D ſionis eſt aſſignata ab Ariſtotele in prima cōtin-
gentium mixtione; ideo ſubdit, *Hoc autem erit*
manifeſtum quando de contingenti dicemus. Et licet
ab Ariſtotele cap. de mixtione contingentium
demonſtretur, quare hæ negatiuæ vtplurimum
diuerſo modo ſe habeant, quam illæ de ineſse, &
neceſsarię; tamen hic aſſignat rationem, cur vni
uerſalis negatiua ex contingēti vt plurimum, &
proprie non conuertatur in terminis, & particu
laris negatiua ex contingenti nato, & proprio
conuertatur, & dicit; *Nunc autem nobis tantum*
E *ſit, cum ijs, quæ dicta ſunt, manifeſtum, quoniam con-*
tingere nulli, aut alicui non ineſſe affirmatiuam habet
figuram. Reddit rationem cur negatiua vniuer-
ſalis ex contingenti vtplurimum, & proprie nō
conuertatur in terminis, & particularis negati-
ua ex contingenti proprio conuertatur. Ratio
autem eſt, quia in contingentibus proprie, pro-
poſitiones negatiuæ habent figuram & ſimilitu-
dinem affirmationis; nā contingentis huius pro-
prium eſt verti in oppoſitam partem, vt ſi con-
tingens eſt nullum B eſse A, contingens etiam
F erit omne B eſse A, nam iſta propoſitio negati-
ua contingens nata, & proprie ratione contin-
gentiæ mutatur in affirmatiuam, quoniam con-
tingens eſt, quod poteſt in vtrumque oppoſito-
rum verti. At ſi dixero propoſitionem hanc de
ineſse negatiuā, nullū B, eſse A vel neceſsariam,
neceſsarium eſt, nullum B eſse A, hæ non poſ-
ſunt

ſunt in affirmationem verti, quia illæ actu ſunt, & perſiſtunt actu; ideo non poſſunt aliter ſe habere. Propoſitio igitur de ineſſe,& negatiua nõ poteſt aliter ſe habere, quia actu eſt, & dum actu eſt, eſt neceſſaria, & ideo non poteſt in affirmatiuam mutari, vt propoſitio hæc in terminis, nullus lapis eſt homo, non poteſt mutari in affirmatiuam, omnis lapis eſt homo, quoniam eſt falſa. Item negatiua vniuerſalis neceſſaria cõtingens non poteſt mutari in affirmatiuam, vt cum dico, neceſſarium eſt nullum B eſſe A, non conuertitur, neceſſarium eſt omne B eſſe A, ſiue in terminis neceſſarium eſt nullũ hominem eſſe lapidem, non mutatur in affirmationem, neceſſarium eſt omnem hominem eſſe lapidem, quoniam propoſitio redderetur falſa; verum in propoſitionibus vniuerſalibus ex contingenti proprio,& nato negatiuæ conuertuntur in propoſitionem affirmatiuam, quoniam illud, quod contingit non eſſe aliquod, contingit etiam eſſe illud, cum contingens verſetur in oppoſita, vt ſi contingens eſt nullum hominem ſedere, contingit etiam omnem hominem ſedere. Propoſitio igitur vniuerſalis negatiua ex contingenti proprio,& frequenter non conuertitur in terminis, ſicut illæ de ineſſe,& de neceſſario: non enim dicimus, contingens eſt nullum B eſſe A, & contingens eſt nullum A eſſe B, quoniam negatiuę contingentes propriæ habent vim affirmatiuarũ,& in affirmatiuas conuertuntur,& ſi vniuerſalis negatiua conuerteretur in terminis, ſequeretur etiam quòd vniuerſalis affirmatiua conuerteretur in terminis, quod eſt abſurdum, cum dictum fuerit, omnem contingentem affirmatiuam conuerti in parte. Patet conſequentia, quoniam ſi hæ contingentes vertuntur in oppoſitam partem, ſicut vniuerſalis negatiua conuertitur in vniuerſalem affirmatiuam, etiam vniuerſalis affirmatiua cõuerteretur in terminis, quod eſt falſum: nam omnis propoſitio contingens affirmatiua conuertitur in parte; ideoq; vniuerſalis negatiua contingens contrario modo ſe habet, quam illæ de ineſſe,& neceſſariæ; quod idẽ euenit de particularibus, nam illæ particulares negatiuæ non poterant conuerti. Hæ autem conuertuntur, & conuertuntur in oppoſitam qualitatem, vt ſi contingens eſt aliquod B non eſſe A, etiam contingens eſt aliquod B eſſe A. Conuertuntur autem in oppoſitã qualitatem, quoniam hæ contingentia poſſunt ad vtrumque oppoſitum verti, & ſe habent poteſtate ad vtrumque oppoſitum. Negatiuæ igitur propoſitiones contingentes habent figuram, id eſt ſimilitudinem,& rationem affirmatiuarũ, quoniam negatiuæ conuertuntur in affirmatiuas: ideo ſequitur, *Nam & contingit ipſi eſt ſimiliter ordinatur*, Nunc Ariſtoteles perſuadet quomodo forma negatiua habeat figuram, & rationem affirmationis, ſimilitudine ſumpta a verbo ſubſtantiuo, & inquit, quòd contingens, & verbum ſubſtantiuum ſimili gradu ambulant. Quomodo verò ſe habeat verbum ſubſtãtiuum

A ad affirmationem oſtẽdit, dum addit, *Eſt autem quibuſcunque adiacens prædicatur, affirmationem ſemper facit,& omnino, vt eſt non bonum, vel eſt non album, vel ſimpliciter, eſt non hoc*. Dat exemplum in propoſitionibus de tertio adiacente, quomodo verbum ſubſtantiuum faciat affirmationem, & negationem, vt iſta propoſitio, Scipio eſt non Philoſophus, habet negationem appoſitam prædicato, tamen iſta negatiua habet rationem affirmationis, cum verbum ſubſtantiuum eſt, non ſit negatiuum: ſed hæc propoſitio erit affirmatiua ex prædicato infinito, quia æquipollet negationi, vt hæc affirmatiua ex prædicato infinito homo eſt non iuſtus, æquiualet negatiuæ ſimpliciter, homo non eſt iuſtus. De hac autẽ mutua reciprocatione dixi in tractatu Periermenias in principio tertiæ ſectionis: ſicuti igitur ſe habent propoſitiones de tertio adiacente, quòd vbicunque verbum eſt, non fuerit negatum, illæ erunt affirmatiuæ, licet negatio addatur alteri parti propoſitionis, vt prædicato, vt ſi dixero, homo eſt non albus; quoniam iſta propoſitio, quamuis habeat negationem, tamen cum non ſit addita ad verbum, non eſt negatiua, ſed affirmatiua; affirmatiua inquam ex prædicato infinito, ita etiam ſe habent propoſitiones ex contingenti proprio negatiuæ, quoniam ſi propoſitionibus contingentibus proprijs non addita fuerit negatio ad modum, ſed ad aliam partem propoſitionis, vt cum dixero, contingens eſt Scipionem non eſſe Philoſophũ, non erit propoſitio negatiua, quando uerti poſſit in affirmatiuam, quoniam contingens poteſt ad vtrumque oppoſitum conuerti.

D *Oſtendetur autem & hoc per ſequentia*. Quomodo autem, & quapropter huiuſmodi negatiuæ contingentes in affirmationem verti poſſint,& tanquam affirmationes ſint accipiendæ pollicetur ſe poſtea demonſtraturum rurſus, & manifeſtaturum, præter hactenus dicta in tali propoſito. *Secundum conuerſiones autem ſimiliter ſe habebunt in alijs*, hoc eſt, concluſiue procedentes dicamus, quòd conuerſiones propoſitionum ex contingenti proprio,& nato negatiuarum eo modo ſe habebũt, ſicut illæ affirmatiuæ de ineſſe,& de

E neceſſario: nam ſicut illæ affirmatiuæ tum vniuerſales, tum particulares conuertuntur in parte, ita etiam iſtæ negatiuę ex contingenti proprio, quæ vim habent affirmatiuarum in particularem conuertuntur, tum vniuerſales, tum particulares. Et de his ſatis.

Super Capite tertio de Conuerſione propoſitionum de modo pro Iuris ſtudioſis.

F

IN hoc Capite tertio, in quo Ariſtoteles agit de propoſitionibus modalibus duo principaliter facit.

Primo, Docet conuerſionem propoſitionum modalium neceſſariarum.

Secun-

Secundo, Docet conuerſionẽ propoſitionum A modalium contingentium.

Quo ad primum tradit quatuor regulas.

Prima regula eſt, quòd vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, neceſſarium eſt nullum hominem eſſe lapidem, cõuertitur, neceſſarium eſt nullum lapidem eſſe hominem.

Secunda regula eſt, quod vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem, neceſſarium eſt omnem hominem eſſe animal, conuertitur, neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem.

B Tertia regula eſt, particularis affirmatiua conuertitur in particularẽ, neceſſarium eſt aliquem hominem eſſe animal, conuertitur, neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem.

Quarta regula eſt, quòd particularis negatiua non conuertitur, vt neceſſarium eſt aliquod animal non eſſe hominem, non conuertitur, neceſſarium eſt aliquem hominem non eſſe animal.

Harum regularum conuerſionem comprobat per contradictoriam ſecundum qualitatem: nam ſi ad vniuerſalem negatiuam, neceſſarium C eſt nullum hominem eſſe lapidem, non ſequitur conuerſio, neceſſarium eſt nullum lapidem eſſe hominem, eſſet vera contradictoria, contingens eſt aliquem lapidem eſſe hominem.

Pariter ſi ad vniuerſalem affirmatiuam, neceſſarium eſt omnem hominem eſſe animal, & ad particularem affirmatiuam, neceſſarium eſt alquem hominem eſſe animal, non ſequeretur particularis affirmatiua, neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem, eſſet vera contradictoria, contingens eſt nullum animal eſſe hominem: D quapropter cum huiuſmodi contradictoriæ falſæ ſint, reliquum eſt vt ſupra traditæ veræ exiſtant.

Quo ad ſecundum, cum contingens dicatur dupliciter, aliud proprie, quod poſſibile dicitur, aliud communiter, quod adhuc duplex eſt, neceſſarium, & non neceſſarium.

Docet primo, conuerſionem propoſitionum modalium contingentium poſſibilium neceſſariarum, & non neceſſariarum affirmatiuarum, & tradit hanc regulam generalem:

E Omnis propoſitio modalis contingens vel ſit poſſibilis, vel neceſſaria, vel non neceſſaria, vel vniuerſalis, vel particularis, dummodo fuerit affirmatiua, conuertitur in particularem, ſicut illæ de ineſſe, & neceſſariæ, vt.

Contingens neceſſarium eſt omnẽ hominem eſſe animal, conuertitur, Contingens neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem.

Contingens non neceſſarium eſt omnem tunicam eſſe albam, conuertitur, Contingens non neceſſarium eſt aliquod album eſſe tunicam.

F Contingens poſſibile eſt omnem hominem ambulare, conuertitur, Contingens poſſibile eſt aliquod ambulans eſſe hominem. Quod idem dicendum de particularibus.

Secundo docet conuerſionum propoſitionum contingentium negatiuarum neceſſariarum, & non neceſſariarum, quòd ſcilicet conuertuntur eodem modo vti illæ de ineſſe, & neceſſariæ.

Contingens neceſſarium eſt nullum hominem eſſe equum, conuertitur, Contingens neceſſarium eſt nullum equum eſſe hominem.

Contingens non neceſſarium eſt nullam tunicam eſſe albam, conuertitur, Contingens non neceſſarium eſt nullum album eſſe tunicam.

Tertio docet conuerſionem propoſitionum modalium poſſibilium negatiuarum, ſcilicet ex contingenti proprio, & nato ſeu vtplurimum.

Quod ſcilicet non conuertuntur eodem modo, neque procedunt ratione pari, ac illæ de ineſſe, & neceſſariæ.

Siquidem vniuerſalis, & particularis negatiua ex contingenti proprio conuertitur in affirmationem, vt

Contingens eſt nullum hominẽ ſedere, conuertitur, Cõtingens eſt omnẽ hominem ſedere.

Contingens eſt aliquem hominem non ſedere, conuertitur, Contingens eſt aliquem hominem ſedere.

Reliquum eſt, his poſitis, vt in iure quoque quoquomodo exemplificemus de propoſitionibus modalibus, tum neceſſarijs, tum contingentibus.

Exemplũ de vniuerſali negatiua modali neceſſaria elicitur in §. furioſi. Inſt. tit. quib. non eſt permiſ. fac. teſt.

Neceſſarium eſt nullum furioſum habere teſtamenti factionem, conuertitur, Neceſſarium eſt nullum habentem teſtamenti factionem eſſe furioſum.

De vniuerſali, & particulari affirmatiua modali neceſſaria, trahitur exemplũ Inſt. de empt. & vend. in princ.

Neceſſarium eſt omnem emptionẽ eſſe contractum, conuertitur, Neceſſarium eſt aliquem contractum eſſe emptionem.

Pariter, Neceſſarium eſt aliquã emptionem eſſe contractum, conuertitur, Neceſſarium eſt aliquem contractum eſſe emptionem.

Quod ſi huiuſmodi conuerſiones non eſſent veræ, ſequerentur contradictoriæ, vt puta, ſi ad hanc vniuerſalem negatiuam, Neceſſarium eſt nullum furioſum habere teſtamenti factionem, non ſequitur, Neceſſarium eſt nullum habẽtem teſtamenti factionem eſſe furioſum; ſequeretur ſua contradictoria, nempe, aliquem habentem teſtamenti factionem eſſe furioſum, quod eſt falſum.

Similiter ſi ad vniuerſalem affirmatiuam neceſſarium eſt omnem emptionem eſſe contractum, non ſequeretur, Neceſſarium eſt aliquam emptionem eſſe contractum, ſequeretur contradictoria, Neceſſarium eſt nullã emptionem eſſe contractum, quod eſt falſum. Idem dicẽdum de particulari.

Quarta quoque regula euitanda habet locum in iure, & deſumitur ex Inſt. de obl. ex conſenſu in princ.

Neceſſarium eſt aliquem contractum non eſſe emptio-

ſe emptionem, non conuertitur, Neceſſarium eſt aliquam emptionem non eſſe contractum.

De contingenti propoſitione affirmatiua, vel negatiua etiam poſſumus exemplificare in corpore iuris.

De affirmatiua deſumitur exemplum in l. habeat. C. de ſacro ſanct. eccleſijs.

Contingens eſt omnem hominem habere teſtamenti factionem, conuertitur, Contingens eſt aliquem habentem teſtamenti factionem eſſe hominem.

B Particularis quoque affirmatiua eodem modo conuertitur.

Contingens eſt aliquem hominem habere teſtamenti factionem, conuertitur, Contingens eſt aliquem habentem teſtamenti factionem eſſe hominem.

De negatiua modali contingenti poſſumus exemplum figurare in l. vnica. C. de cad. toll.

Contingens eſt in vltimis elogijs, Nullam voluntatem deficere, conuertitur, Contingens eſt eſt in vltimis elogijs omnem volũtatẽ deficere.

C Pariter de particulari, Contingens eſt in vltimis elogijs, aliquam voluntatem non deficere, conuertitur, contingens eſt in vltimis elogijs, aliquam voluntatem deficere,

Et hæc ſufficiant ſuper hoc Capite tertio pro Iuris ſtudioſis.

De tribus figuris ex propoſitionibus inexiſtentibus. Cap. Quartum.

D His uerò determinatis, dicemus iam per quæ, & quando, & quomodo fit omnis ſyllogiſmus; poſtea verò dicendum de demonſtratione. Prius enim de ſyllogiſmo dicendum, quàm de demonſtratione, eo quod uniuerſalior eſt ſyllogiſmus; nam demonſtratio quidem ſyllogiſmus quidam eſt; ſyllogiſmus uerò non omnis, demonſtratio.

E Cum hactenus Ariſtoteles docuerit conuerſiones propoſitionum de ineſſe, & propoſitionũ modalium in qualibet materia: cumq; docuerit iſtas conuerſiones, vt ſunt elementa, & præcognitiones ad artem ſyllogiſticam, quam nobis tradere intendit, vt ſciamus recte diſcurrere, & ſyllogizare, modo determinare proponit de ſyllogiſmo.

F Et ne credat aliquis, quòd non ſit ordo penes ipſum, quoniã non exequitur quod propoſuerat, primo ſcilicet agere de demonſtratione; idcirco

A vult Ariſtoteles in hac parte demonſtrare quod recte procedit, quoniam licet ſcopus & intentio ipſius in hoc libro ſit ipſa demonſtratio, tamen prius eſt agendum de ſyllogiſmo.

Et vt hoc liqueat, repetenda eſt illa diuiſio ſuperius tradita, cum hoc idem obijciebatur, cur non ſtatim ageret de demonſtratione, ſi demonſtratio ſcopus eſt in hoc libro.

Primum igitur bifariam capi poteſt, in intentione, & in executione, & tempore. Vt primum in intẽtione, quòd habet Medicus cum ad ęgrotum B accerſit, eſt ipſa ſanitas, quæ eſt vltimum in executione, primum tempore, & executione eſt ipſa dieta, expurgatio deteriorũm humorum, & ijs ſimilia; nam Medici neſciunt exordiri ad ſanitatem in corpus humanum reducendam, niſi ab aliqua euacuatione, & alijs conſimilibus. In intentione primum eſt ſanitas apud Medicum, verùm ſanitas eſt vltimum tẽpore, & executione; quoniam primum in executione eſt ipſa euacuatio dicta.

Sic ad rem, primum in intentione eſt ipſa deC monſtratio, ſed in executione eſt vltimum; verùm primum in executione, & tempore in hoc loco eſt docere terminos, propoſitiones, ſyllogiſmos, propoſitionũ conuerſiones, tum de ineſſe, tum modales, examinare quid ſit in toto, & non in toto eſſe, dici de omni, & dici de nullo, hæc ſunt prima in executione: quare in hoc textu vult oſtendere Ariſtoteles, quòd non aduerſatur ſibi ipſi, licet in initio agendum eſſe dixerit primum de demonſtratione, deinde de termino, propoſitione, & ſyllogiſmo, nunc autem diD cat, quòd primo loco agendum eſt de forma ſyllogizandi, poſterius de ipſa demõſtratione, quoniam ſuperius intelligebat demonſtrationẽ primum eſſe declarandam, capiens primum in intentione, quòd primum eſt vltimum in executione, quaſi velit dicere, quòd primum conſiderandum in hoc libro & ſcopus, & finis, ad quem dirigitur, eſt ipſa demonſtratio. Hic autem dicit, quòd poſtremo eſt agendum de demonſtratione, quoniam demonſtratio eſt vltimũ in executione: prima ſunt autem terminus, propoſitio, E ſyllogiſmus, eſſe in toto, non eſſe in toto, dici de omni, dici de nullo, propoſitionum conuerſio, ratio ſyllogizandi; quæ omnia præcedunt tempore ipſam demonſtrationem.

Prius enim tempore, & executione eſt agendum de ſyllogiſmo, quàm de demonſtratione: demonſtratio namque ſyllogiſmus eſt, ſed non omnis ſyllogiſmus demonſtratio: eſt enim ſyllogiſmus natura prior demõſtratione, quoniam eſt vniuerſalior, & illud eſt natura prius, a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, vt in F tractatu Prædicamentorum declarauit Ariſtoteles. Animal etenim prius natura ipſo homine, quoniam vniuerſalius, & ab eo non conuertitur conſequentia ſubſiſtendi. Verùm namque eſt dicere, eſt homo, ergo animal, non conuertitur, eſt animal, ergo homo. Pariter ad rem præſentem dicit Ariſtoteles, valet dicere, eſt demõſtratio

tio, ergo ſyllogiſmus; ſed non conuertitur, eſt ſyllogiſmus, ergo demonſtratio: propterea quod vniuerſalior eſt ipſa demonſtratione.

Et quoniam ſyllogiſmo accidunt tria, ſcilicet Figura, Modus, Perfectio, vel Imperfectio: ſciendum ideo eſt, quod ſyllogiſmo accidit figura, quia omnis ſyllogiſmus vel eſt in prima, vel in ſecunda, vel in tertia figura. Accidit modus ex quantitate, quoniam ſyllogiſmus vel eſt vniuerſalis, vel particularis, vel ex qualitate, quoniam affirmatiuus, vel negatiuus. Tertio etiam dicitur ſyllogiſmus perfectus, vt primæ figuræ, vel imperfectus, vt ſecundæ & tertiæ Figuræ, vt videbimus: idcirco modus eſt contextus ſyllogiſmi, & artificium, quod reſultat ex quantitate, & qualitate propoſitionum, vt ſi quis interroget Barbara, quis modus eſt, reſpondeo, quod eſt ſyllogiſmus; qui conſtat ex maiori, & minori, & concluſione vniuerſali affirmatiua, vt omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia; vnde patet, quòd modus eſt artificium ſyllogiſmi, quod reſultat ex quantitate, & qualitate; ex quantitate vel vniuerſali, vel particulari; ex qualitate vel affirmatiua, vel negatiua. Figura autem eſt contextus, ſiue artificium medij termini, cum maiori & minori extremo.

Vnde notandum eſt, quòd ſyllogiſmi non poſſunt habere plures, vel pauciores terminos, quam tres: primus maior, ſecundus minor, tertius medius terminus; ex variatione medij termini reſultant figuræ: nam medius terminus variatur tripliciter; vel enim medius terminus ſubijcitur in prima propoſitione, & prædicatur in ſecunda, & ſic reſultat prima figura, vel prædicatur medius terminus in vtraque propoſitione, & ſic reſultat ſecunda figura, vel idem medius ſubijcitur vtrobique, & ſic reſultat tertia figura. Galenus voluit, quòd medius terminus variaretur quadrifariam, quòd ſcilicet vltra hos tres modos variaretur etiam quarto modo, cum medium prædicaretur in prima, & ſubijceretur in ſecunda, & ſic daretur quarta figura; ſed hæc quæſtio examinabitur ſuo loco: loquamur nunc cum Ariſtotele, qui voluit tripliciter tantum medium variari, & ſic tres tantum oriri figuras. In prima itaque figura medius terminus ſubijcitur in prima propoſitione, & prædicatur in ſecunda, vt videre eſt in hoc exemplo Darij: omnis homo currit, Cicero eſt homo, ergo Cicero currit, homo eſt medius terminus, maior extremitas eſt currit, minor extremitas eſt Cicero. In iſta prima figura medius terminus, qui eſt homo, in prima

A propoſitione eſt ſubiectum maioris; nam dicimus, omnis homo currit, in ſecunda propoſitione iſte medius prædicatur de minori extremitate, quæ eſt Cicero; nam dicimus, Cicero eſt homo, & ſic colligitur concluſio affirmatiua, ergo Cicero currit. Vocatur autem medium, quia vtriuſque propoſitionibus tum maiori, tum minori communis eſt, & non ingreditur concluſionem, quatenus ad ſecundam figuram. Secunda figura eſt quando medium tum de maiori, tum de minori extremitate prædica-

B catur, vt in Ceſare, nullus lapis eſt homo, omne rationale eſt homo, ergo nullum rationale eſt lapis. In iſta ſecunda figura patet, quod homo, qui eſt medius terminus, prædicatur vtrobique tam de maiori, quam de minori extremitate. In tertia vero figura medius terminus ſubijcitur maiori, & minori extremo, vt in Darapti, omnis homo eſt videns, omnis homo eſt rationalis ergo aliquod rationale eſt videns.

Prima itaque figura habet hoc, vt medius terminus ſit ſubiectum maioris extremi, & prædicatum minoris.

C Modi verò ſyllogizandi in hac prima figura ſunt triginta ſex, teſte Ioanne Grammatico; nam vt ipſe dixit, & ſuperius vidimus ex Ariſtotele, omnis ſyllogiſmus conſtat ex duabus præmiſſis, ſimul coniugatis, ex quibus infertur concluſio, quæ dicuntur ſimul coniugatæ, ſumpta metaphora ab animalibus ipſis brutis; ſicut namque currus non amouetur, niſi boues fuerint coniugati, ideſt ſub eodem iugo vniti; ita quoque concluſio non procedit, niſi

D propoſitiones præmiſſæ fuerint coniugatæ, & vnitæ ſub eodem iugo, ideſt ſub eadem lege, & forma: & cum ſyllogiſmus in prima figura duas habeat præmiſſas, ſcilicet maiorem, & minorem, & quælibet propoſitio ſit in triplici differentia, vel vniuerſalis, vel particularis, vel indefinita, & adhuc hæ tres vel affirmatiuæ, vel negatiuæ, fiunt ſex genera propoſitionum: namque ſi maior propoſitio in prima figura erit vniuerſalis affirmatiua, minor neceſſe erit, vt ſit in ijs ſex generibus propoſitio-

E num; vel enim erit minor vniuerſalis affirmatiua, vel vniuerſalis negatiua, vel particularis affirmatiua, vel particularis negatiua, vel indefinita affirmatiua, vel indefinita negatiua, & ſic ſex fiunt coniugationes: pariter ſi maior fuerit vniuerſalis negatiua, minor variabitur ſex modis vt prius eodem pacto, ſi particularis, vel indefinita, & vtraque vel affirmatiua, vel negatiua fuerit maior, minor rurſus ſex modis variabitur, & ita combinationes ſyllogiſmorum in prima figura perueniunt ad numerum

F triginta ſex; ſed hoc dilucidius apparebit in diuiſione ſequenti deſcripta, videlicet.

Omnis propoſitio triplex eſt.

- Vniuerſalis.
  - Si maior fuerit vniuerſalis affirmatiua minor erit
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.
  - Si maior fuerit vniuerſalis negatiua minor erit.
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.
- Particularis.
  - Si maior fuerit particularis affirmatiua minor erit.
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.
  - Si maior fuerit particularis negatiua minor erit.
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.
- Indefinita.
  - Si maior indefinita affirmatiua minor erit.
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.
  - Si maior indefinita negatiua minor erit.
    1. Vniuerſalis affirmatiua.
    2. Vniuerſalis negatiua.
    3. Particularis affirmatiua.
    4. Particularis negatiua.
    5. Indefinita affirmatiua.
    6. Indefinita negatiua.

Hinc patet, quòd coniugationes ſyllogiſmorum in prima figura augentur ad numerum triginta ſex ex variatione tum maioris, tum minoris propoſitionis.

Ex his triginta ſex modis ſyllogizandi, ſi adimantur indefiniti, & alij inutiles, ſuperſunt tantũ vtiles quatuor, qui cõſtant vel ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, vt Celarent, vel ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, vt Barbara, vel ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, vt Darij, vel ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, vt Ferio: qui modi declarantur in terminis tranſcendentibus, & communibus, vt in literis alphabeticis A, B, C, qui termini nihil ſignificant, & pro omnibus poni poſſunt, eo quoniam hæc ars communis eſt, & omni materiæ aptabilis, & nullam ſibi determinat particularem, ſeu ſpecialem manum, vt in ſequenti eſt videre.

BAR BA RA — Primus modus. — Omne B eſt A, Omne C eſt B, ergo Omne C eſt A.

Nullum B eſt A, Omne C eſt B, ergo Nullum C eſt A. — Secundus modus — CE LA RENT.

DA RI I — Tertius modus. — Omne B eſt A, Aliquis C eſt B, ergo Aliquis C eſt A.

Nullum B eſt A, Aliquod C eſt B, ergo Aliquod C non eſt A. — Quartus modus. — FE RI O

Hi

Hi namque quatuor modi ſyllogizandi tantum ſunt vtiles in prima figura, reliqui ſunt inutiles: vanum eſt quærere modos inutiles, percurramus hos quatuor, qui his nominibus vocantur, *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*. His autem nominibus appellati ſunt, vt facilius eos memoriæ conſeruare poſſimus, & ſic recte ordinare omnes ſyllogiſmos; nam *Barbara*, nihil aliud ſignificat, quam ſyllogiſmum in prima figura, conſtantem ex maiori, & minori affirmatiua vniuerſali, vniuerſaliter affirmatiue concludentem. *Celarent*, verò ſyllogiſmum in prima figura ex maiori vniuerſali negatiua, minori vniuerſali affirmatiua, vniuerſaliter negatiue concludentem. *Darij*, ſyllogiſmum ex maiori vniuerſali affirmatiua, minori particulari affirmatiua, pariter affirmatiue concludentem. *Ferio*, ſignificat ſyllogiſmum ex maiori vniuerſali negatiua, minori particulari affirmatiua, pariter negatiue concludentem: nam A ſignificat vniuerſalem affirmatiuam, E vniuerſalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, O particularem negatiuam. Quatuor itaque iſti modi in prima figura tantum ſunt vtiles, cæteri omnes inutiles: dicuntur verò iſti vtiles, quia hi quatuor modi probant omnia quatuor genera problematum, vniuerſale affirmatiuum *Barbara*, vniuerſale negatiuum *Celarent*, particulare affirmatiuum *Darij*, particulare negatiuum *Ferio* Cum enim quatuor ſint problemata, vniuerſale affirmatiuum, vniuerſale negatiuum, particulare affirmatiuum, particulare negatiuum; ille ſyllogiſmus eſt bonus, & vtilis, qui concludit vnum ex quatuor problematibus, & ſiunt omnes iſti, quatuor ſyllogiſmi primæ figuræ. Ille verò eſt inutilis, & vitioſus, qui probat duo ex poſitis problematibus, nam ille ſyllogiſmus, qui concludit partem negatiuam, & affirmatiuam ſimul, falſus eſt. *Barbara* eſt bonus ſyllogiſmus, quia non poteſt concludere, niſi vniuerſale affirmatiuum. *Celarent*, quia non concludit niſi vniuerſale negatiuum: ille ſyllogiſmus eſt bonus, qui non concludit ex duabus negatiuis, ſed ex duabus affirmatiuis, vel ex vna affirmatiua, altera negatiua, videamus exemplum. *Barbara* eſt bonus ſyllogiſmus, vt omnis homo eſt ſubſtantia, omne rationale eſt homo; ergo omne rationale eſt ſubſtantia, hic ſyllogiſmus eſt bonus, & vtilis, quia conſtat ex maiori & minori affirmatiua vniuerſali; quare non ſequitur concluſio falſa, ſed vera: at ſyllogiſmus, qui conſtat ex ambabus præmiſſis negatiuis eſt falſus, quia poteſt concludere & partem affirmatiuam, & partem negatiuam ſimul, vt ſit iſte ſyllogiſmus ex ambabus præmiſſis negatiuis. Sumamus iſtos tres terminos A, B, C; A ſit ſcientia, B linea, C medicina, & dicamus, nulla linea eſt ſcientia, nulla me-

A dicina eſt linea; ergo omnis medicina eſt ſcientia: hoc pacto ille ſyllogiſmus ex duabus negatiuis colligit concluſionem affirmatiuam, poteſt etiam ille ſyllogiſmus colligere concluſionem negatiuam, vt nulla linea eſt ſcientia, nulla medicina eſt linea; ergo nulla medicina eſt ſcientia: igitur ſyllogiſmi ex duabus præmiſſis negatiuis ſunt inutiles, & vitioſi, quia ex ambabus vniuerſalibus negatiuis modo ſequitur affirmatio, modo negatio, & ideo ab Ariſtotele reijciuntur.

B Colligo itaque breuiter quæ ſpectant ad primam figuram.

Prima regula primæ figuræ eſt, quòd medius terminus ſubijciatur maiori extremitati, & prædicetur de minori.

Secunda regula eſt, quòd prima figura habet triginta ſex modos ſyllogizandi, ex quibus tantum quatuor ſunt vtiles, reliqui ſunt inutiles.

Tertia regula eſt, iſte ſyllogiſmus eſt vtilis, qui alteram tantum partem contradictio-

C nis concludit; Barbara concludit tantum vniuerſale affirmatiuum; nam A ſignificat vniuerſale affirmatiuum, E vniuerſale negatiuum, I particulare affirmatiuum, O particulare negatiuum, vt dixi ſuperius. Celarent concludit tantum vniuerſale negatiuum, Darij particulare affirmatiuum, Ferio particulare negatiuum.

Quarta regula in omni ſyllogiſmo ſunt duæ propoſitiones, quæ vocantur extremitates, maior ſcilicet & minor, & medium, qui nunquam

D ingreditur concluſionem; in prima figura medius terminus maiori extremitati ſubijcitur, & de minori prædicatur.

Quinta regula eſt, quòd prima figura eſt omnium aliarum præſtantiſſima, quia probat omnia quatuor problemata ex maiori ſemper vniuerſali, & minori ſemper affirmatiua, ſecunda figura probat negatiue, tertia probat particulariter.

Sexta regula eſt, quòd in prima figura maior extremitas non poteſt eſſe particularis quia

E eſſet falſa, & contra leges ſyllogiſticas, & ſi quis ſyllogizaret ex maiori particulari in prima figura, opus eſſet vt auſpicaretur librum Porphyrij, vtpote, quòd prorſus eſſet inſcius formæ ſyllogiſticæ.

In prima itaque figura opus eſt, vt, maior propoſitio ex quantitate ſit vniuerſalis minor propoſitio ex qualitate ſit affirmatiua; quantitate autem poteſt eſſe & vniuerſalis, & particularis. Concluſio verò libera eſt; poteſt enim qualitate fieri affirmatiua, & negatiua,

F quantitate eſſe vniuerſalis, vel particularis. Si quis itaque ſyllogizauerit in prima figura, opus eſt vt maior ſit quantitate ſemper vniuerſalis, qualitate autem modo affirmatiua, modo negatiua, minor propoſitio debet eſſe qualitate ſemper affirmatiua, quanti-

tate autem vel vniuerſalis, vel particularis; conclusio verò nullam habet legem; nam in prima figura concluſio poteſt eſſe quantitate vniuerſalis, vel particularis qualitate affirmatiua, vel negatiua.

Explicata prima figura, ſequitur explicanda ſecunda figura. Eſt autem ſecunda figura artificium ſyllogizandi, quo medius terminus prædicatur de maiori, & minori extremitate, vt ſi ita ſyllogizemus, nullus lapis eſt homo, omne riſibile eſt homo; ergo nullum riſibile eſt lapis; iſte ſyllogiſmus in ſecunda figura vocatur Ceſare, & medium prædicatur de vtroque extremo, homo eſt medium, quod prædicatur negatiue in prima propoſitione, in ſecunda affirmatiue: medium igitur prędicatur vtrobique, & ſicut iſta figura ſecunda differt a prima, ita etiam Ariſtoteles dat regulas differentes. Primo dat differentiam in terminis, ſecundo in modo ſyllogizandi. Primo in terminis; nam ſuperius dabat exemplum in literis A, B, C; hic autem N, M, X, ſecundo ponit differentiam in ſitu terminorum; nam ſitus terminorum in prima figura erat, quòd B, cum eſſet medium inter A, & C, denotaret medium terminum; A cum ſit prima litera alphabeti ſignificabat maiorem extremitatem; C verò cum ſit tertia ordine literali indicabat minorem propoſitionem, ſed Ariſtoteles in hac ſecunda figura ponit alium ſitum terminorum, nam capit alias literas M, N, X, alio ſitu: vult enim quòd prima iſtarũ literarum M ſit medius terminus, ſecunda N ſit maior propoſitio, tertia X ſit minor extremitas. Medium igitur in ſecunda figura primo loco conſtituitur; maior verò extremitas eſt, quæ eſt vicina medio; minor autem, quæ eſt remota ab ipſo medio: nam in iſta propoſitione nullum N eſt M: N quod eſt maior extremitas, eſt vicina ipſi medio, nempe M, & X, minor remota eſt ab ipſo medio. Regulæ

A igitur ſecundæ figuræ ſunt differentes ab ijs primæ figuræ ratione medij, quia medium in ſecunda figura non eſt inter extrema, ſed medium cadit extra, medium verò in prima figura cadit inter extrema & perfectiorem habet coniunctionem cum extremis.

Differunt inſuper prima & ſecunda figura in ratione ſyllogizandi, quia ſecundæ figuræ ſyllogiſmus eſt imperfectior; ſyllogiſmus verò primę figuræ eſt perfectior, quoniam prima concludit omnia quatuor genera problematum, & conclu- B dit ex neceſſitate, ſed ſecunda non probat omnia quatuor problemata, quia non concludit affirmatiuum, ſed tantum problema negatiuum. Item ſecunda figura non probat ex neceſſitate, ſed eget reductione ad primam.

Ioannes Grammaticus aſſerit, quòd prima figura pertinet ad demõſtratiuum ſyllogiſmum, quia probat omnia problemata ex neceſſitate, ſecunda pertinet ad Topicum, quia dialecticus ſemper negat, & quodcunque affirmaueris, Topicus inficiabitur: ideo ſecunda figura ipſi maxi- C mo in vſu eſt, tertia ſpectat ad Sophiſtam, cum particularia tantum concludat.

Modi, quibus ſyllogizamus in ſecunda figura tam vtiles, quam inutiles ſunt numero trigintaſex: & cum in iſta ſecunda figura trigintaſex ſint coniugationes, quatuor modi tantum ſunt vtiles, reliqui trigintaduo inutiles, quatuor modi vtiles in ſecunda figura ſunt *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco*; cum in primo modo *Ceſare*, ſint hæ literæ CE SA RE, ſcilicet E, A, E, patet, quòd in primo modo maior eſt vniuerſalis nega- D tiua, minor vniuerſalis affirmatiua: cõcluſio vniuerſalis negatiua. Sumamus has literas pro terminis M, N, X; M medius terminus, N maior propoſitio, X minor propoſitio: & quia affirmat A, negat E, ſed vniuerſaliter ambo, affirmat I, negat O, ſed particulariter ambo; ideo formatur ſyllogiſmus in *Ceſare*, in literis hũc in modũ, ſcilicet

In literis.

M, N, X.
CE- SA- RE } primus modus { Nullus N eſt M.
Omne X eſt M, ergo
Nullum X eſt N.

In terminis.

E Lapis, Homo, Rationale.
Nullus lapis eſt homo.
Omne rationale eſt homo. ergo
Nullum rationale eſt lapis.

Secundus modus eſt Cameſtres huius ſecundæ figuræ, qui habet maiorem vniuerſalem affirmatiuam; minorem vniuerſalem negatiuam, & concluſionem vniuerſalem negatiuam.

In literis.

CA- ME- STRES } ſecundus modus { Omne N eſt M.
Nullum X eſt M, ergo
Nullum X eſt N.

In terminis.

F Omnis homo eſt rationalis.
Nullus lapis eſt rationalis, ergo
Nullus lapis eſt homo.

Feſtino eſt tertius modus ſecundæ figuræ, & habet maiorem vniuerſalem negatiuam, minorem particularem affirmatiuam, concluſionem particularem negatiuam.

FE-

		In literis.	In terminis.
FE-		Nullum N eſt M,	Nullus homo eſt lapis.
STI-	tertius modus	Aliquod X eſt M, ergo	Aliqua ſubſtantia eſt lapis, ergo
NO		Aliquod X non eſt N.	Aliqua ſubſtantia non eſt homo.

Baroco eſt quartus modus huius ſecundæ figuræ, & habet maiorem vniuerſalem affirmati-
A uam, minorem particularem negatiuam, & concluſionem particularem negatiuam, vt

		In literis.	In terminis.
BA-		Omne N eſt M.	Omnis homo eſt rationalis.
RO-	quartus modus	Aliquod X non eſt M, ergo	Aliquis lapis non eſt rationalis, ergo
CO		Aliquod X non eſt N.	Aliquis lapis non eſt homo.

Iſti quatuor modi ſecundæ figuræ ſunt vtiles, quia ſunt conſtantes, & firmi, & non concludunt niſi vnam determinatam cõcluſionem: alij verò trigintaduo ſunt inutiles, & falſi, quia concludunt eſſe, & non eſſe, quoniam ex his omnibus terminis, ex quibus conſtituuntur illi ſyllogiſmi inutiles, poteſt ſequi concluſio & affirmatiua, & negatiua: præterea iſti quatuor modi vtiles ex ſe non concludunt neceſſario, niſi reducantur ad primam figuram; *Ceſare* qui eſt primus modus ſyllogizandi in ſecunda figura, & habet maiorem vniuerſalem negatiuam, minorem vniuerſalem affirmatiuam, & concluſionem vniuerſalem negatiuam, reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ, qui vocatur, *Celarent*, quoniam vterque tam Ceſare, quam Celarent incipit ab iſta litera C.

Ceſare reducitur ad Celarent conuerſa maiori in terminis; quare iſta vniuerſalis negatiua in Ceſare, nullus lapis eſt homo, conuertitur in terminis, nullus homo eſt lapis, & ſic conuerſa maiori propoſitione fit ſyllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ, ſcilicet in Celarent, hunc in modum, nullus homo eſt lapis; omne rationale eſt homo; ergo nullum rationale eſt lapis, & ita Ceſare reducit ad Celarent. Si maior inquã negatiua vniuerſalis conuertitur in terminis.

Cameſtres pariter reducitur ad Celarent, quoniam vterque inchoat a litera C, ſed iſte ſecundus modus differt à primo, ideſt Ceſare, quoniam ille vt reducatur, indiget vna tantum conuerſione, ſcilicet conuerſione maioris in terminis; ſed hic ſecundus indiget duabus conuerſionibus, & tranſpoſitionibus, quoniam oportet primo maiorem propoſitionem, minorem efficere, & minorem efficere maiorem. Inſuper oportet conuerſionem facere minoris & concluſionis in terminis, vt ſit exemplum in Cameſtres, omne rationale eſt homo, nullus lapis eſt homo; ergo nullus lapis eſt rationalis. Hic ſyllogiſmus vocatur ſecundus modus huius ſecundæ figuræ, ſcilicet Cameſtres: ita verò conuertitur ad Celarent in prima figura, primo conuertam minorem in terminis ſic, nullus homo eſt lapis, & efficietur maior; deinde accipiam maiorem, quæ minor redditur, omne rationale eſt homo, tunc infero concluſionem conuerſam; ergo nullum

A rationale eſt lapis, & ſic medium, quod eſt homo, ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori, & maior eſt negatiua, minor affirmatiua. Reducuntur itaque hi ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ, nempe Ceſare, & Cameſtres ad ſyllogiſmum primæ figuræ, nempe Celarent; verùm diuerſimòde, Ceſare, conuerſa tantum maiori in terminis, Cameſtres, conuerſa minori, & concluſione, & tranſpoſitis præmiſſis, ſcilicet minori in locum maioris, & maiori in locum minoris.

B Feſtino reducitur ad Ferio, conuerſa tantum maiori propoſitione in terminis, vt iſte ſyllogiſmus, nullus lapis eſt homo, aliquod animal eſt homo; ergo aliquod animal non eſt lapis, reducitur ad Ferio hoc modo, nullus homo eſt lapis; aliquod animal eſt homo; ergo aliquod animal non eſt lapis, & ſic homo ſubijcitur, & prædicatur.

Baroco quartus modus ſyllogizandi in ſecunda figura non poteſt reduci ad primam figuram, aliqua conuerſione, vel maioris, vel minoris C propoſitionis: nam maior cum ſit vniuerſalis affirmatiua, conuertitur in parte, vt vidimus ſuperius; ſi autem maior in prima figura fuerit particularis, ſyllogiſmus erit inutilis, & falſus, neque etiam minor poteſt conuerti, nam particularis negatiua de ineſſe non conuertitur. Itaque cum iſte quartus modus non poſſit reduci ex conuerſione propoſitionum, reducitur ſola reductione ad impoſſibile, & ad incongruum: reductio autem ad impoſſibile eſt, quandocunque facta concluſione, ſi ea non concedetur ab D aduerſario, ſumimus contradictorium concluſionis, & cum altera præmiſſarum inferimus concluſionem, & facimus ſyllogiſmum, vt ſit ſyllogiſmus in Baroco, omnis homo eſt rationalis, aliquis lapis non eſt rationalis; ergo aliquis lapis non eſt homo, ſi quis inficiabitur iſtam concluſionem, ergo aliquis lapis non eſt homo, accipiemus nos ſuum contradictorium; & illud inferremus, ſi vera non eſt concluſio, aliquis lapis non eſt homo; ergo vera erit ſua contradictoria, omnis lapis eſt homo: nam de quocunque dicitur affirmatio, vel ne- E gatio vera, ſi non eſt vera iſta negatio, aliquis lapis non eſt homo; ergo vera erit contradictoria, omnis lapis eſt homo. Si igitur ma-

ior propoſitio in hoc ſyllogiſmo erat, omnis homo eſt rationalis, & hæc eſt vera, vt putant aduerſarij, omnis lapis eſt homo; ergo ſequetur concluſio vniuerſalis, quòd omnis lapis eſt rationalis, & ſic efficimus ſyllogiſmum in prima figura, ideſt Barbara, licet falſus, omnis homo eſt rationalis, omnis lapis eſt homo; ergo omnis lapis eſt rationalis. Syllogiſmus igitur in Baroco non poteſt reduci ad primam figuram niſi per deductionem ad impoſſibile, vt viſum eſt, reducitur enim ad Barbara, licet ſyllogiſmus efficiatur falſus.

Concludo itaque breuiter, quòd modi ſecundæ figuræ reducuntur ad primam figuram in hunc modum, Ceſare qui eſt primus modus ſecundæ figuræ reducitur ad Celarent conuerſa maiori in terminis, Cameſtres reducitur ad Celarent, cõuerſa minori, & concluſione; & tranſpoſitis præmiſſis, Feſtino reducitur ad Ferio, conuerſa maiori in terminis, Baroco reducitur ad Barbara per deductionem ad impoſſibile, quoniam ſyllogiſmus reductus in Barbara eſt falſus.

Regulæ in hac ſecunda figura hæ ſunt.

Maior propoſitio in ſecunda figura, quantitate ſemper eſt vniuerſalis, in omnibus quatuor modis ſecundæ figuræ, omnes modi habent maiorem vniuerſalem, quoniam ſi quis non facit in ſecunda figura maiorem vniuerſalem, euenit vt ſyllogiſmus ſit inutilis, & concludat indifferenter eſſe, & non eſſe; quare maior debet eſſe ſemper quantitate vniuerſalis: qualitate autem maior poteſt eſſe affirmatiua, & negatiua, in

Omnis homo eſt rationalis.
Omne riſibile eſt rationale, ergo
Omne riſibile eſt homo.

Hoc exemplo patet ſyllogiſmum in ſecunda figura non poſſe concludere ex ambabus affirmatiuis, quoniam poſſet indifferenter concludere & eſſe, & non eſſe; propterea eſt inutilis, & falſus.

Cum itaque concludatur ex vna affirmatiua, & altera negatiua, & concluſio ſequatur deteriorem partem per neceſſitatem; nam ſyllogiſmus inuentus eſt, vt probaremus id, quod occultum eſt, opus eſt concludere id, quod eſt ignotum, & quo ad minus ſe habet, nõ autem quo ad illud, quod eſt in plus; nam quod eſt in plus, non habet neceſſitatem vt probetur, cum per ſe notũ ſit, ſi ſyllogiſmus conſtet maiori affirmatiua, & minori negatiua, negatio eſt imperfectior affirmatione; ideo cõcluſio debet eſſe negatiua; quoniã illud quod concluditur, imperfectius eſt, & ignobilius & ſic oportet concludi negatiuæ, quia ſequitur concluſio deteriorem, & viliorem partem ex neceſſitate. Cum ita compertum ſit, vt quod eſt imperfectius, & quo ad minus ſe habet concludatur.

Tertia figura eſt artificium ſyllogizandi, quo

A Ceſare maior eſt negatiua, in Cameſtres maior eſt affirmatiua, in Feſtino maior eſt negatiua, in Baroco maior eſt affirmatiua.

Minor propoſitio in ſecunda figura, tum quãtitate tum qualitate libera eſt, vt in Ceſare minor eſt vniuerſalis affirmatiua, in Cameſtres minor eſt vniuerſalis negatiua, in Feſtino minor eſt particularis affirmatiua, in Baroco minor eſt particularis negatiua.

Concluſio in ſecunda figura, quantitate indifferenter poteſt eſſe vniuerſalis, vel particu-
B laris; verùm qualitate ſemper eſt negatiua: Ceſare, & Cameſtres habent concluſionem vniuerſalem negatiuam, Feſtino, & Baroco particularem negatiuam. Ratio autem, quare concluſio in ſecunda figura ſit ſemper negatiua, eſt, quoniam concluſio ſequitur ſemper deteriorem partem ſyllogiſmi: habet enim naturam fœminarum; ideo ſi altera præmiſſarum fuerit negatiua, concluſio erit negatiua, ſi altera præmiſſarum fuerit particularis, concluſio erit particularis. Cum itaque in ſecunda figura non ſit
C concluſio ex ambabus præmiſſis affirmatiuis; idcirco nõ poteſt cõcluſio eſſe affirmatiua in ſecũda figura, ſed ſemper negatiua. In Barbara ſunt omnes præmiſſæ affirmatiuæ, ideo concluſio etiam eſt affirmatiua: ſecunda verò figura cum non concludat ex ambabus affirmatiuis, ſed ex vna affirmatiua, & altera negatiua, & negatiua ſit imperfectior, & deterior affirmatiua, meritò ſecunda figura ſemper cõcludit negatiue; quod verò ex ambabus affirmatiuis non poſſit concludere, patet exemplo ſequenti.

D

Omnis homo eſt animal.
Omnis aſinus eſt animal, ergo
Nullus aſinus eſt homo.

medium ſubijcitur maiori & minori extremo, & in hoc differt à prima, & ſecunda figura, quia in prima figura mediũ ſubijcitur in prima propoſitione, & prædicatur in ſecunda; in ſecunda figura medium prædicatur vtrobique; at in hac tertia figura medium ſubijcitur in vtraque, &
E hæc tertia habet ſex modos vtiles ad differentiam aliarum, vnde remanent tantum triginta inutiles; in hac tertia figura termini ſunt hæ tres litere P, R, S. S, quod eſt vltimo loco, eſt medium, & in hoc differt ab alijs duabus in ſitu, ſcilicet medij termini: nam prima figura habet medium B, quod erat inter A, & C; in ſecunda mediũ erat M, quod erat primo loco ante N, & X; in tertia medium erit S, quod eſt in vltimo loco poſt P, & R; eſt autem S medium in vltimo loco, quoniam medium in tertia debet
F ſubijci vtrique extremo. Cum itaque hæ tres literæ P, R, S, ſint termini in tertia figura, S eſt medium, P maior extremitas, R minor extremitas, quòd R eſt vicinior medio; P autem quod eſt maior extremitas, eſt remotior ab ipſo medio.

Modi

Modi tertiæ figuræ vtiles ſunt ſex, inutiles A verò triginta: vtiles ſunt Darapti, Felapton, Diſamis, Dariſi, Brocardo, Feriſon.

Darapti eſt primus modus conſtans ex maiori & minori vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari affirmatiua. Exemplum.

In literis.		In terminis.
DA-	Omne S eſt P.	Omnis homo nutritur.
RA-	Omne S eſt R, ergo	Omnis homo vigilat, ergo
PTI	Aliquod R eſt P.	Aliquis vigilans nutritur.

Felapton eſt ſecundus modus, qui habet maiorem vniuerſalem negatiuam, minorem vni- B uerſalem affirmatiuam, & concluſionem particularem negatiuam. Exemplum.

In literis.		In terminis.
FE-	Nullum S eſt P.	Nullus homo eſt lapis.
LA-	Omne S eſt R. ergo	Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo
PTON	Aliquod R non eſt P.	Aliqua ſubſtantia non eſt lapis.

Diſamis eſt tertius modus, qui conſtat ex maiori particulari affirmatiua, minori vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari affirmatiua, veluti exemplum.

C

In literis.		In terminis.
DI-	Aliquod S eſt P.	Aliquis homo currit.
SA-	Omne S eſt R, ergo	Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo
MIS	Aliquod R eſt P.	Aliqua ſubſtantia currit.

Dariſi eſt quartus modus, qui conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, minori particulari affirmatiua, & concluſione particulari affirmatiua. Exemplum.

In literis.		In terminis.
DA-	Omne S eſt P.	Omnis homo eſt animal.
RI-	Aliquod S eſt R, ergo	Aliquis homo currit, ergo
SI	Aliquod R eſt P.	Aliquod currens eſt animal.

D

Brocardo eſt quintus modus, qui conſtat ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari negatiua, vt exemplum.

In literis.		In terminis.
BRO-	Aliquod S non eſt P,	Aliquis homo non eſt lapis
CAR-	Omne S eſt R, ergo	Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo
DO	Aliquod R non eſt P.	Aliqua ſubſtantia non eſt lapis.

Feriſon eſt ſextus, & vltimus modus, qui conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, minori parti- E culari affirmatiua, & concluſione particulari negatiua. Exemplum.

In literis.		In terminis.
FE-	Nullum S eſt P.	Nullus homo eſt aſinus.
RI-	Aliquod S eſt R, ergo	Aliquis homo eſt ſubſtantia, ergo
SON	Aliquod R non eſt P.	Aliqua ſubſtantia non eſt aſinus.

Iſti ſex modi tantum ſunt vtiles, quia determinatam colligunt concluſionem, vel affirmatiuam, vel negatiuam, cæteri triginta ſunt inu- F tiles, quia colligunt vtramque partem contradictionis.

Leges proprie huius tertiæ figuræ hæ ſunt.

Prima lex eſt, quòd maior propoſitio in tertia figura poteſt eſſe quantitate vniuerſalis, & particularis, & qualitate affirmatiua & negatiua.

Secunda lex eſt, quòd minor in hac tertia figura, quantitate poteſt eſſe vniuerſalis, & particularis, ſed qualitate debet eſſe ſemper affirmatiua.

Tertia lex eſt, quòd concluſio qualitate poteſt eſſe affirmatiua, vel negatiua, ſed quãtitate ſemper eſt particularis; & cauſa eſt, quia prima figu-

ra ſyllogizat omnia quatuor problemata, ſecunda tantum negatiuum, tertia verò ſyllogizat tantum particulare, quia tertia figura accommodatur ſophiſtæ, qui afficit deceptionem in particulari, arguendo à ſecundum quid ad ſimpliciter.

Inſuper iſti ſex modi non concludunt ex neceſſitate, niſi reducantur ad primam figuram: A reducuntur autem artificio illarum literarum, quibus incipiũt, vt Darapti reducetur ad Darij in prima figura, quia incipiunt à litera D, Felapton ad Ferio, & ſic de reliquis.

Darapti, qui eſt primus modus tertiæ figuræ, reducitur ad tertium modum primæ, idest ad Darij conuerſa minori in parte.

Darapti ad Darij.

Omnis homo eſt ſubſtantia.	Omnis homo eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal, ergo	Aliquod animal eſt homo, ergo
Aliquod animal eſt ſubſtantia.	Aliquod animal eſt ſubſtantia.

Felapton, qui eſt ſecundus modus tertiæ figuræ, reducitur ad Ferio conuerſa minori in parte.

Felapton ad Ferio.

Nullus homo eſt lapis.	Nullus homo eſt lapis.
Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo	Aliqua ſubſtantia eſt homo, ergo
Aliqua ſubſtantia non eſt lapis.	Aliqua ſubſtantia non eſt lapis.

Diſamis reducitur ad Darij, conuerſa minori, & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis.

Diſamis ad Darij.

Aliquis homo currit.	Omnis homo eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo	Aliquod currens eſt homo, ergo
Aliqua ſubſtantia currit.	Aliquod currens eſt ſubſtantia.

Dariſi reducitur ad Darij, conuerſa minori in terminis.

Dariſi ad Darij.

Omnis homo eſt animal.	Omnis homo eſt animal.
Aliquis homo currit, ergo	Aliquod currens eſt homo, ergo
Aliquod currens eſt animal.	Aliquod currens eſt animal

Brocardo reducitur ad Barbara per deductionem ad impoſſibile.

Brocardo ad Barbara.

Aliquis homo non eſt lapis.	Omnis ſubſtantia eſt lapis.
Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo	Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo
Aliqua ſubſtantia non eſt lapis.	Omnis ſubſtantia eſt lapis.

Feriſon reducitur ad Ferio per conuerſionem minoris in terminis.

Feriſon ad Ferio.

Nullus homo eſt aſinus.	Nullus homo eſt aſinus
Aliquis homo eſt ſubſtantia, ergo	Aliqua ſubſtantia eſt homo, ergo
Aliqua ſubſtantia non eſt aſinus.	Aliqua ſubſtantia non eſt aſinus.

Prǫterea, vltra quatuor modos ſyllogizãdi enumeratos in prima figura, dãtur alij duo, nẽpe Fapeſmo, & Friſeſomorum, verum habẽt artificiũ præter naturam, quoniã maior ſubijcitur minori in concluſione, vt in exemplo Fapeſmon. B

Omnis homo eſt animal.
Nullus lapis eſt homo, ergo
Aliquod animal non eſt lapis.

Ecce quòd animal, quod eſt maior extremitas, ſubijcitur in concluſione minori extremitati,

ti, quæ eſt lapis, cum tamen animal deberet prędicari de lapide, dicendo, ergo aliquis lapis non eſt animal; at in omnibus quatuordecim modis enumeratis ab Ariſtotele ſuperius traditis, ſeruatur artificium naturale: nam maiori extremitati datur maior, & nobilior locus; minori minor locus, hoc enim eſt artificium naturale, vt maiora habeant nobiliorem locum. Et idcirco Deus Optimus Maximus, cum ſit omnium maior, nobiliſſimum quoque locum obtinet; cuius ordinis contrarium tamen ſeruant Ciues in Conſilijs, maxime popularibus, in ſtatu ſcilicet populari, in quibus ſemper viliores extollunt, & nobiliores deprimunt ob inuidiam, & ignorãtiam. Omnes igitur modi declarati in tribus figuris habẽt artificium naturale; quoniam in omnibus ijs maior extremitas habet nobiliorẽ locum, quoniam prædicatur de minori extremitate in concluſione, & ex conſequenti minor habet maiorẽ locũ, quoniam minor ſemper ſubijcitur maiori in cõcluſione: ſi verò cõuertitur ordo naturalis, ita vt minori detur nobilior locus, maiori verò ignobilior, quod erit quando minor extremitas prędicabitur de maiori in concluſione, tunc peruertitur ordo naturæ, quoniã minus prædicatur de maiori, vt ſi dicamus, animal eſt homo, iſta eſt prædicatio pręter naturam; nam animal cum ſit maius, dicitur etiam prædicari de homine, non ſubijci. Iſti itaque ſyllogiſmi, in quibus minor extremitas prędicatur de maiori in cõcluſione, dicuntur indirecti, & pręter naturã, quos Theophraſtus, & Eudemus aſſeruere numero eſſe

A quinque, nempe Baralepton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorũ. Ex his quinque modis Ariſtoteles duos tantum affert: nam Ariſtoteles eos ſolos modos nuncupauit indirectos, quibus concluſio directa non conueniret, veluti ſunt Fapeſmo, & Friſeſomorum.

Fapeſmo eſt modus, qui conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, minori vniuerſali negatiua, particularem negatiuam indirecte concludentem. Exemplum.

Omnis homo eſt animal,
B Nullus lapis eſt homo, ergo
Aliquod animal non eſt lapis.

Deberet namque concludere ordine naturę, ergo aliquis lapis non eſt animal.

Friſeſomorum eſt alter modus primæ figurę, qui concludit indirecte, & pręter ordinem naturę. Hic modus habet maiorem particularẽ affirmatiuam, minorẽ vniuerſalem negatiuam, concluſionem particularem negatiuam indirecte concludentem; nam maior extremitas, quę de minori deberet prędicari in concluſione; maior inquam ſubijcitur minori, & minor prędica-
C tur de maiori, vt exemplum Friſeſomorum.

Aliquis homo vigilat,
Nullus lapis eſt homo, ergo
Aliquod vigilans non eſt lapis.

Deberet concludere directe, aliquis lapis non eſt vigilans.

Fapeſmo, & Friſeſomorum, reducuntur ad Ferio, & directe concludunt, conuerſa maiori, & minori in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis.

Fapeſmo ad Ferio.

Omnis homo eſt animal.
Nullus lapis eſt homo, ergo
Aliquod animal non eſt lapis.

Nullus homo eſt lapis.
Aliquod animal eſt homo, ergo
Aliquod animal non eſt lapis.

Friſeſomorum ad Ferio.

Aliquis homo vigilat,
Nullus lapis eſt homo, ergo
Aliquod vigilans non eſt lapis.

Nullus homo eſt lapis.
Aliquod vigilans eſt homo, ergo
Aliquod vigilans non eſt lapis.

Hæc ſunt, quæ pro faciliori intelligentia eorum, quæ ſequuntur Philoponum imitati præuia doctrina præmitti decreui. Modo ad textum explanandum accedo.

Dicit igitur, *His verò determinatis*, ideſt poſteaquam determinatum eſt, quid propoſitio, quid terminus, quid ſyllogiſmus, quomodo conuertantur propoſitiones tum de ineſſe, tum modales. *Dicemus iam*. Nunc volumus tradere formam, & modum ſyllogizandi, & docere, *Per qua, & quando, & quomodo fit omnis ſyllogiſmus*. Cum tria, vt dicimus, accidant ſyllogiſmo, Figura, Modus & perfectio, vel Imperfectio, per licet, *Qua*, intelligit figuram, licet, *Quando*, perfectionem, & imperfectionem, licet, *Quomodo*, modum intelligit, inquit, licet, *Fit*, quoniam cum ſint tria verba, quibus vnumquodque ſignificamus, Eſſe, Dici, & Fieri: Dici pertinet ad vocẽ; Fieri ad illa, quę ſunt in intentione, & in anima; Eſſe ad res pertinet: cum autem ſyllogiſmus nõ ſit ſolida vox, nec res; ideo dicit ſyllogiſmum

D fieri, ideſt conſtitui, & effici; dicit, *Omnis ſyllogiſmus*, quia non tradit regulam, & artem conficiendi ſyllogiſmum aliquem in particulari, ſed tradit communem, & vniuerſalem regulam ſyllogizandi; & ideo dicebat Alexander, quòd regulæ Prioriſticę ſunt vniuerſales, & ſine vlla exceptione. Dicit igitur, *Omnis*, vt comprehendat omnem artem ſyllogizandi. *Poſtea verò dicendum de demonſtratione*, non intẽtione, ſed tempore, & executione. *Prius enim de ſyllogiſmo dicendum, quàm de demonſtratione*. Prius enim
E tempore, & executione eſt agendum de ſyllogiſmo, quam de demonſtratione. *Eo quod vniuerſaliter eſt ſyllogiſmus: nam demonſtratio quidem ſyllogiſmus quidam eſt, ſyllogiſmus verò non omnis, demonſtratio* Prius enim tractare debemus magis communia, veluti eſt ſyllogiſmus reſpectu demonſtrationis: nam demonſtratio quidem ſyllogiſmus eſt, ſed non omnis ſyllogiſmus demonſtratio; propterea quod ſyllogiſmus latior eſt ipſa demonſtratione.

Prima Figura.

QVando igitur tres termini ſic ſe habent adinuicem, vt & poſtremus ſit in toto medio, & medius in toto primo, vel ſit, vel non ſit, neceſſe eſt extremitatum perfectum eſſe ſyllogiſmum; voco autē medium, quod & ipſum in alio, & aliud in ipſo eſt, quod & poſitione medium eſt; extrema verò, quod & ipſum in alio, & in quo aliud eſt: ſi enim A de omni B, & B de omni C, neceſſe eſt A de omni C prædicari, Prius enim dictum eſt quomodo de omni dicimus: ſimiliter autem & ſi A de nullo B; B autem de omni C, quoniam A nulli C inerit.

Incipit Ariſtoteles tradere figuras ſyllogizandi; & quoniam ſyllogiſmi conſtant vel ex propoſitionibus de ineſſe, vel modalibus, iuxta earum diuiſionem traditam in tractatu Perierm, docet primum cōſtructionem ſyllogiſmorum, qui conſtituuntur ex propoſitionibus de ineſſe, vtpote ſimplicioribus. Inſuper cum tres ſint figuræ ſyllogiſmorum, accipit primam figuram in principio declarandam, quæ ex neceſſitate concludit, & ad quam reliquæ dicuntur: & in prima parte capitis conuertit ratiocinationes conſtantes ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus, ex quibus duæ oriuntur vtiles coniugationes, duæ verò inutiles. Fiunt enim ratiocinationes, vel ex vtraq; propoſitione affirmatiua, vel ex vtraque negatiua, vel ex vna affirmatiua, & altera negatiua, quod contingit duobus modis, quando ſcilicet maior eſt negatiua, & minor affirmatiua, vel è contrario, quādo maior eſt affirmatiua, & minor negatiua, & tali pacto quatuor formantur coniugationes, quarum duæ ſunt inutiles, ſcilicet quę habent vtramque negatiuam, vel dumtaxat minorem, vt poſuimus ſuperius in declaratione legum primæ figuræ.

Dicit itaque exordiens ab vtilibus, quas breuitatis ſtudioſus ſimul & ſemel enunciat. *Quando igitur tres termini ſic ſe habent adinuicem.* Cum adinuenerimus maiorem extremitatem, minorem extremitatem, & medium, ex quibus neceſſatio conſtituitur ſyllogiſmus, cum inquam hos tres terminos reperiemus, ita diſtributos, & diſpoſitos, *vt & poſtremus,* nempe minor extremitas, *ſit in toto medio,* videlicet ipſi medio ſubijciatur, *& medius in toto primo*, hoc eſt & medius ſubijciatur maiori extremitati, quæ de eodem medio prædicetur, *vel ſit*, ſcilicet affirmatiue, ex

A quo oritur prima coniugatio, nempe Barbara; *vel non ſit*, negatiue ex quo oritur ſecunda coniugatio, puta Celarent, *Neceſſe eſt extremitatum perfectum eſſe ſyllogiſmum*, ſcilicet vna extremitas, nempe maior neceſſario perfecta forma ſeruata concludetur de alia extremitate, videlicet de minori. *Voco autem medium, quod & ipſum in alio, & in ipſo aliud eſt, quod & poſitione medium eſt*. Deſcribit medium attributione trium conditionum: prima, *quòd ſit in alio*, vt in maiori extremitate; ſecunda, *& aliud in ipſo*, reſpectu mi-

B noris, quæ eſt in ipſo medio; tertia, *quòd ſit poſitione medium*, ita vt ibi vendicet locum medium inter extrema. *Extrema verò, quòd & ipſum in alio, & in quo aliud eſt*. Deſcriptio extremorum eſt, quòd requirunt duas conditiones duntaxat; prima, *quòd ſint in alio*, vt maior extremitas, quæ eſt in ipſo medio; ſecunda, *& in quo aliud*, vt minor extremitas, in qua eſt medium. *Si enim A de omni B, & B de omni C, neceſſe eſt A de omni C prædicari.*

Declarat exemplo ſumpto ab elementis, vt-

C puta communioribus, & cuilibet materiæ aptis, hanc duplicem vtilem cōiugationem; & primo primam: & quoniam eſſe in toto, & dici de omni, non eſſe in toto, & dici de nullo idem ſunt; ideo ſumit hoc in loco dictum de omni pro eſſe in toto, & ait, quòd ſi omne B eſt A, & omne C eſt B, neceſſario ſequitur, quòd omne C ſit A; reddit rationem huius neceſſariæ ratiocinationis, dum addit: *Prius enim dictum eſt, quomodo de omni dicimus*, quando ſcilicet docuit, quòd dictū de omni illud eſt, de quo verum eſt dicere, quòd

D nil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur & prędicatum: deinde docet ſecundam coniugationem, exemplo pariter deſumpto ex eiſdem literis alphabetici, & inquit, *Similiter autem & ſi A de nullo B, B autem de omni C, quoniam A nulli C inerit*. Docet neceſſitatem ratiocinationis in ſecunda coniugatione, quòd ſcilicet ſi nullum B eſt A, & omne C eſt B, neceſſario ſequitur, quòd nullum C ſit A, eo quoniam dici dę nullo, quod idem eſt, ac non eſſe in toto, eſt quòd nulli parti ſubiectu competit prædicatum. Si itaque A dę

E nullo B, igitur A ab omnibus eius partibus remouetur; ſed pars B eſt ipſum C; poſitum namque eſt omne C eſſe B; quapropter omnino negatur A de omni C, declaro in terminis cum Ioanne Grammatico, ſint tres termini, Lapis, Animal, Homo; Lapis maior extremitas, Animal medium, Homo minor extremitas, dicendo, nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis. Lapis negatur de qualibet parte animalis, & pars animalis eſt homo. Hinc lapis negatur de quocunque homine.

F Notandum, quod Ariſtoteles ideo dicit in textu in diſpoſitione terminorum ſuprapoſitorum, *perfectum eſſe ſyllogiſmum extremitatum*, quia in hac prima figura medium vere eſt medium, & extremitates vere ſunt extremitates, cum medius terminus poſitione vendicet ſibi locum medium inter maiorem, & minorem, & maior, &

minor

minor verè ſunt extremitates, medium ipſum ambientes, & claudentes: in alijs verò figuris medium & extrema non habent perfectam medij & extremorum rationem, cum in ſecunda figura medium obtineat primum locum; in tertia autem vltimum, & maior, nec minor non claudant intra ſe, atque ambiāt ipſum medium.

Dubitatur contra prædicta, quoniam ſi poſtremus debet eſſe in toto medio, & medium in toto primo, ita vt maior extremitas ſit quid cōmunius, medium quid minus commune, & minor adhuc minus; ergo ex paribus, & conuertibilibus non fiet ratiocinatio, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Falſitas conſequentis patet, quoniam demonſtratio conſtat ex conuertibilibus, vt habetur 1. Poſter. Sunt enim propriæ paſſiones conuertibiles, & in ſecundo modo dicendi per ſe, & iſte ſyllogiſmus eſt demonſtratiuus, omne riſibile eſt diſciplinabile, omnis homo eſt riſibilis; ergo omnis homo eſt diſciplinabilis, ergo male Ariſtoteles.

Reſpondetur, quod eſſe in toto, eſt de omni eius parte prædicari, nam in toto eſſe, vt omnis iuſtitia eſt virtus, eſt de omni prædicari, videlicet idem, ac virtus de omni iuſtitia dicitur; quapropter tam ex conuertibilibus, quàm ex non conuertibilibus, quæ vniuerſaliter prędicantur, fit ſyllogiſmus; ſiquidem in conuertibilibus in toto eſſe, de omni prædicatur: nam ſi omne riſibile eſt diſciplinabile, etiam è contrario diſciplinabile de omni riſibile prædicatur.

Si autem primum quidem omni medio conſequens eſt, medium verò nulli poſtremo, non erit ſyllogiſmus extremitatum: nihil enim neceſſarium accidit, eo quod hæc ſunt, nam & omni, & nulli contingit primum poſtremo ineſſe; quare neque particulare, neque uniuerſale fit neceſſarium. Cum autem nihil eſt neceſſarium, per hæc non erit ſyllogiſmus; termini uerò eius, quod eſt omni ineſſe, Animal, Homo, Equus, eius uerò quod eſt nulli, animal, homo, lapis.

Cum vt vidimus ſuperius quatuor ex præmiſſis vniuerſalibus fiant coniugationes, quarum duæ ſunt vtiles, duæ verò inutiles, fuerintq; à Philoſopho hucuſque declaratæ coniugationes vtiles, quando ſcilicet ambæ propoſitiones ſunt affirmatiuæ, vel maior negatiua, minor autem affirmatiua, nunc vult Ariſtoteles declarare cōiugationes inutiles, & inconcludentes, quando ſcilicet ambæ propoſitiones erunt negatiuę, vel maior affirmatiua, & minor negatiua: has enim aſſerit eſſe inutiles, & inconcludentes; propterea

A quod non concludunt neceſſario vnum ex problematibus, vel ſit vniuerſale affirmatiuum, vel vniuerſale negatiuum, vel particulare affirmatiuum, vel particulare negatiuum, ſed contradictionem inferre valent, cum ſcilicet concluſionem affirmatiuam, tum etiam negatiuam, quod oſtendit primum, quando vna præmiſſarum erit affirmatiua, altera verò negatiua, quoniam in his terminis, Animal, Homo, Equus, fit ratiocinatio affirmatiua, omnis homo animal, nullus equus homo; ergo omnis equus animal: B in his verò, Animal, Homo, Lapis, fit concluſio negatiua, omnis homo animal, nullus lapis homo; ergo nullus lapis animal: propterea cum ex maiori affirmatiua, & minori negatiua, nulla certa concluſio neceſſario ſequatur, inutilis, & inconcludens eſſe dicitur ab Ariſtotele, & ſi verificatur vniuerſale affirmatiuum, verificatur & particulare, quod eſt cōtradictorium vniuerſali negatiuo: pariter ſi verificatur vniuerſale negatiuū, verificatur quoque & particulare, quod eſt cōtradictorium vniuerſali affirmatiuo: quo-C circa nec vniuerſalis, nec particularis ſequitur neceſſario concluſio ex huiuſcemodi præmeſſis contra naturam ſyllogiſmi ſuperius traditam.

Dicit igitur, *Si autem primum quidem*, ideſt maior extremitas, *omni medio conſequens eſt*, omni ineſt medio, vel prædicatur de omni medio: quod enim prædicatur, conſequi ſolet quod ſub ipſo eſt, & ſic ponit maiorem vniuerſalem affirmatiuam. *Medium verò nulli poſtremo.* Medius verò terminus nulli inſit extremo, & de nullo extremo, ſcilicet minori prædicetur, & per hoc deno-D tat minorem eſſe negatiuam. *Nō erit ſyllogiſmus extremitatum.* Ex tali coniugatione nihil ſequetur, in quo maior extremitas de minori neceſſario concludatur. *Nihil enim neceſſarium accidit, eo quod hæc ſunt*: propterea quod ex præmiſſis diſpoſitis tali pacto nil neceſſario euenit, quod requiritur in ſyllogiſmo, & ratiocinatione, vt in definitione eiuſdem ſyllogiſmi ſuperius tradita aperte conſtat. *Nam & omni, & nulli contingit primum poſtremo ineſſe*. Ratio quare nō ſequitur aliquid certum ex neceſſitate, patet ex hoc, quo-E niam contingit maiorem extremitatem de minori concludi tum affirmatiuæ tum negatiuæ. *Quare neque particulare, neque vniuerſale fit neceſſarium*. Et ſicuti non concluditur aliqua propoſitio certa vniuerſalis, pariter neque ſequetur aliqua concluſio certa particularis, quoniam idem eſt de toto, & partibus eius, quia ſi verificatur omni, verificatur & alicui; nam poſito vniuerſo, ponuntur etiam eius partes, & ablato auferuntur; & ſi verificatur nulli, verificatur & alicui non: & ſic continget verificari oppoſitum F cum oppoſito, maiorem extremitatem & omni, & nulli ineſſe, quinimo & contradictorium cum contradictorio: ſiquidem omne, & aliquod non, & aliquod, & nullum ſunt contradictoria, quod eſt falſum: proinde nec vniuerſalis, nec particularis ſequitur concluſio ex talibus præmiſſis. Et ideo ſequitur. *Cum atuem nihil eſt neceſſarium,*

per

per hæc non erit ſyllogiſmus, quod ſcilicet, cum per A hæc, quæ præmiſſa ſunt, nihil neceſſario ſequatur, non poteſt fieri ſyllogiſmus, cum ſyllogiſmus ſit oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud ex his, quę ſunt poſita ex neceſſitate contingat. Demonſtrat Ariſtoteles in terminis oppoſita huic coniugationi, & dicit, *Termini vero eius, quod eſt omni ineſſe*, hoc eſt, termini in quibus ſequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua, in qua maior extremitas de minori concluditur, affirmatiuæ ſunt, *Animal, Homo, Equus*. In his terminis fit cõcluſio affirmatiua ſic, omnis homo eſt animal, B nullus equus eſt homo; ergo omnis equus eſt animal. Termini vero, in quibus ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua, in qua maior extremitas de minori negatiue concluditur, ponuntur a Philoſopho, dum addit, *Eius vero, quod eſt nulli, Animal, Homo, Lapis*. In his namque terminis ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua hunc in modum, omnis homo animal, nullus lapis homo, ergo nullus lapis animal: quare cum nulla certa concluſio ſequatur, poſita maiori affirmatiua, & minori negatiua patet, quód hæc ſit inutilis, & inconcludens coniugatio, ſequitur Ariſtoteles. C

Quando vero nec primum medio, nec medi poſtremo vlli ineſt, nec ſic erit ſyllogiſmus; termini vero vt ineſſe, ſcientia, linea, medicina, aut non ineſſe, ſcientia, linea, vnitas; vniuerſalibus igitur exiſteutibus D terminis, manifeſtum eſt in hac figura, quando erit, & quando non erit ſyllogiſmns, & quoniam cum eſt ſyllogiſmus neceſſarium eſt terminos ſic ſe habere vt diximus, & ſi ſic ſe habent, manifeſtum, quoniam erit ſyllogiſuus.

Cum demoſtrauerit Philoſophus coniugationem, in qua reperitur vna præmiſſarum, puta maior affirmatiua, & altera nempe minor negatiua eſſe inutilem, & inconcludentem, modo proſequitur oſtendere pariter coniugationem, in qua ambæ præmiſſæ ſunt negatiuæ, inutilem exiſtimari debere, eo quia in his quoque elici poteſt concluſio tum affirmatiua, tum negatiua, & propterea nulla ſequitur certa ratiocinatio: probat in his terminis, ſcilicet ſcientia, linea, medicina, effici concluſionem affirmatiuam, nulla linea eſt ſcientia, nulla medicina eſt linea; ergo F omnis medicina eſt ſcientia. At in his alijs terminis oritur concluſio negatiua, ſcientia, linea, vnitas, ſic nulla linea eſt ſcientia, nulla vnitas eſt linea; ergo nulla vnitas eſt ſcientia: quapropter cum hæc quoque coniugatio certum ſpeciale problema non concludat, ſed vtrumque contradictorũ inferre valeat, inutilis, & inconcludẽs exiſtit, ex quibus cõſtat quãdo erit ratiocinatio, & quando nõ, quod ſcilicet tũc ratiocinatio extabit, quando vtraque præmiſſarũ fuerit affirmatiua, vel vna nẽpe maior negatiua, minor verò affirmatiua, quę tali pacto coniugatæ neceſſario ſyllogiſmum conſtituunt. Dicit itaque, *Quando verò nec primũ medio, nec mediũ poſtremo ulli ineſt*, cũ ſcilicet nec maior extremitas de medio, nec mediũ de minori extremitate affirmatiue prędicatur, ſed vnum de altero negatur, hoc eſt ſi verò & maior, & minor erunt præmiſſæ negatiuę. *Nec ſic erit ſyllogiſmus*. Ex harum coniugatione nulla ratiocinatio certa ſequetur, ſed & affirmatiua, & negatiua cõcluſio effici poterit. Oſtendit in terminis vtramque ſequi. *Termini verò vt ineſſe, ſcientia, linea, medicina*. Ex his ſequitur affirmatiua concluſio, nulla linea eſt ſcientia, nulla medicina eſt linea; ergo omnis medicina eſt ſcientia. *Aut non ineſſe, ſcientia, linea, vnitas*. Ex his verò terminis ſequitur concluſio negatiua; nulla linea eſt ſcientia, nulla vnitas eſt linea; ergo nulla vnitas eſt ſcientia: quare cum ex ambabus negatiuis nil certũ cõcludatur. Hinc etiam hæc coniugatio inutilis exiſtit; quare epilogat ſupradicta: *Vniuerſalibus igitur exiſtentibus terminis, manifeſtum eſt in hac figura, quando erit, & quãdo non erit ſyllogiſmus*, ſcilicet quãdo in hac prima figura cõſtituũtur ratiocinationes, & ſyllogiſmi ex præmiſſis vniuerſalibus cõſtat quãdo ratiocinatio ſequitur, & quando non. *Et quoniam cũ eſt ſyllogismus neceſſarium eſt terminos ſic ſe habere, ut diximus*. Quod ſcilicet quãdo ratiocinatio vtilis exiſtit, ſequitur vt ambæ præmiſſarum ſint affirmatiuæ, vel maior negatiua, minor verò affirmatiua: ſic namque duæ coniugationes vtiles conſtituuntur, Barbara, Celarent. *Et ſi ſic ſe habent, manifeſtum, quoniam erit ſyllogiſmus*. Et quando ambo termini ſunt prædicatiui, ita quod ambæ pręmiſſę ſunt vniuerſales affirmatiuę, vel vna affirmatiua, altera negatiua, ſequit vtilis ratiocinatio in primo, & ſecũdo modo huius primę figurę.

Si autem hic quidem terminorum E vniuerſaliter, alius verò particulariter ad alium, quando vniuerſale quidem ponitur ad maiorem extremitatem, uel prædicatiuum, vel priuatiuum: particulare verò ad minorem prædicatiuum, neceſſe eſt ſyllogiſmum eſſe perfectum. Quando verò ad minorem, uel quolibet modo aliter ſe habeant termini, impoſſibile eſt: dico autem maiorem extremitatem quidem in qua medium eſt, minorem uero quæ ſub medio eſt.

Cum Ariſtoteles hactenus abſoluerit duos modos huius primæ figuræ, in quibus ſit vtilis ſyllogiſmus, ex duabus ſcilicet propoſitionibus vniuerſalibus, nunc afferre proponit alios duos modos vtiles particulares eiuſdẽ figuræ, conſtantes ex propoſitione vna vniuerſali, & altera particulari: duæ namque aliæ coniugationes reperiuntur in hac ſecunda figura vtiles, præter declaratas, quando ſcilicet maior vniuerſalis eſt, & affirmatiua, & minor particularis, & affirmatiua, & quando maior vniuerſalis eſt, & negatiua, & minor particularis, & affirmatiua, quarum vtramque ponit Ariſtoteles in præſenti parte, quando dicit, *Si autem hic quidem terminorum vniuerſaliter*, hoc eſt, ſi vnus terminorum, nẽpe maior ſe habeat ad medium, ita quod maior ſit vniuerſalis. *Alius verò particulariter ad alium*, ſcilicet terminus minor ad idem medium ſe habeat particulariter, ita quod minor particularis exiſtat. *Quando vniuerſale quidem ponitur ad maiorem extremitatem, vel prædicatiuum, vel priuatiuum: particulare verò ad minorem prædicatiuum*, ſcilicet tali pacto, quòd hic terminus, qui eſt maior extremitas ſe habeat ad medium vniuerſaliter, ita quòd vniuerſaliter prædicetur de ipſo: iſte verò qui eſt minor extremitas particulariter ſe habeat ad medium, ita quòd medium particulariter prædicetur de minori extremitate, quandoquidem id, quod eſt vniuerſaliter, ponitur ad maiorem extremitatẽ, ita quòd maior propoſitio, in qua prædicatur maior extremitas ſit vniuerſalis affirmatiua, vel negatiua, & minor particularis affirmatiua, ſiue prædicatiua, quod idẽ eſt, tunc *Neceſſe eſt ſyllogiſmum fieri perfectum*, ſequitur neceſſario fieri vtilem ſyllogiſmum in hac prima figura particulariter concludentem; quamuis maior ſit vniuerſalis, & minor prrticularis exiſtat; nam, vt ſuperius diximus, in hac prima figura minor propoſitio poteſt eſſe quantitate, vel vniuerſalis, vel particularis, dùm ſemper ſit qualitate affirmatiua. *Quando verò ad minorem*, hoc eſt, quando ad minus extremum priuatio poſita ſit, ita vt minor propoſitio negatiua euadat. *Vel quolibet modo aliter ſe habeant termini*, vt ſcilicet maior particularis, & minor vniuerſalis efficiatur, *impoſſibile eſt*. Fieri minime poteſt vt vtilis ſyllogiſmus conſtituatur, ſiquidem quo pacto minor ſẽper debet eſſe qualitate affirmatiua, eodem quoque maior ſemper debet eſſe vniuerſalis, vt videbimus. *Dico autem maiorem extremitatem quidem, in qua medium eſt, minorem verò qua ſub medio eſt*. Per hæc verba nos monet Ariſtoteles ea, quæ ſupra ab ipſo dicuntur, ita à nobis ſumi, vt de prima figura dicta intelligantur, in qua medium ſubijcitur in prima propoſitione, & prædicatur in ſecunda: in ea namque ita ſeſe habet, vt illud ſit maius extremum, in quo eſt medium, & minus, quod eſt ſub medio: at in ſecunda figura medium prædicatur vtrobique, tam maior, quàm minor terminus ſub medio eſt: in tertia verò mediũ ſubijcitur in vtraque; medium namque & ſub maiori, & ſub minori eſt, vt quoque in antehabitis declaraui.

A

Inſit enim A quidem omni B; B autẽ alicui C, ergo ſi eſt de omni prædicari, quod in principio dictum eſt, neceſſe eſt A alicui C ineſſe.

Cum poſuerit Philoſophus in hac prima figura alias duas vtiles reperiri coniugationes, nempe quãdo maior præmiſſarum ſit vniuerſalis affirmatiua, & minor particularis affirmatiua, B ſiue maior vniuerſalis negatiua, minor particularis affirmatiua. De his exemplificare intendit facilioris doctrinæ gratia, & primo ponit exemplum illius ſyllogiſmi vtilis, & particulariter concludentis ex maiori propoſitione vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, qui eſt tertius modus huiuſcemodi figuræ, exemplum deſumitur in terminis vniuerſalibus, & alphabeticis, ſint inquam A, B, C: A maior extremitas, B medium, C minor extremitas, tunc formabitur concludens in terminis ſyllogiſmus, qui conſtabit ex maiori affirma C tiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de parte in hunc modum, Omne B eſt A, aliquis C eſt B; ergo aliquis C eſt A, & ſic ſequetur concluſio affirmatiua particularis, & fiet tertia coniugatio in hac prima figura, quæ vocabitur Darij; poteſt quoque formari huiuſcemodi ratiocinatio perfecta in terminis materialibus; ſũpto aliquo genere, & ſpecie, & aliquo vtrique communi, puta ſit Animal, Homo, Animatum, Animal maius extremum, Homo medium, Animatum minus extremum: ex his inquam confici poteſt D ratiocinatio concludens in prima figura, & tertia coniugatione hunc in modum, omnis homo animal, aliquod animatum homo; ergo ſequitur concluſio particularis affirmatiua, aliquod animatum animal. Dicit igitur, *Inſit enim A quidem omni B*. ita vt omne B ſit A. *B, autem alicui C*, Et quoddam C ſit B. *ergo ſi eſt de omni prædicari, quod in principio dictum eſt, neceſſe eſt A alicui C ineſſe*, ideſt, ſequitur ergo neceſſario quòd quoddã ſit A, & cõfirmatur, quia dici de omni, & eſſe in toto, ſunt idem realiter, ratione tãtum E diſtinguuntur, vt in principio libri dictum eſt, ſcilicet cap. 1. in fine: nam ex quo A ineſt omni B vniuerſaliter, tunc oportet quòd inſit omni parti eius, quod eſt B: C autem aliqua pars eſt eius, quod eſt B. Oportet itaque quòd illi inſit A, Sequitur Ariſtoteles.

Et ſi A quidem nulli B ineſt, B uerò alicui C, neceſſe eſt A alicui C non ineſſe: determinatum eſt F enim & de nullo quomodo dicimus, quare erit ſyllogiſmus perfectus.

Hic ponitur exemplum quartæ coniugationis vtilis in hac prima figura, quæ concludit particulatim concluſionem negatiuam ex maiori negatiua vniuerſali, & minori affirmatiua particulari.

culari. Ex iiſdem autem terminis Alphabeticis conſtituitur exemplum hunc in modum, videlicet nullum B eſt A aliquod C eſt B; ergo aliquod C non eſt A, & ſic efficitur quartus modus huius primæ figuræ, cui eſt nomen impoſitum Ferio, de quo exemplificari poſſumus in materia quoque. Sint namque huiuſmodi termini Rationale maior extremitas, Irrationale medium, Animal minor extremitas, & formetur ſyllogiſmus talis, nullum irrationale eſt rationale, aliquod animal eſt irrationale; ergo aliquod animal non eſt rationale: propterea ſequitur: *Et ſi A quidem nulli B ineſt*, & fiat maior vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A. *B verò alicui C.* quæ ſit minor particularis affirmatiua, aliquod C eſt B, *neceſſe eſt A alicui C non ineſſe*; ſequitur neceſſario ſyllogiſmus particulariter, & negatiue concludens; ergo aliquod C non eſt A. *Determinatum eſt enim, & de nullo quomodo dicimus.* Hic confirmatur hæc ratiocinatio per principium pariter in 1. cap. huius libri ſumptum, quod ſcilicet non eſſe in toto, & dici de nullo ſint realiter idem, quoniam ex quo A nulli B ineſt, oportet quoque nulli eius parti ineſſe eius quod eſt B: C verò aliqua pars eſt eius quod eſt B: igitur ſequitur neceſſario A alicui C non ineſſe. *Quare erit ſyllogiſmus perfectus*: quapropter hic quartus modus ſyllogizandi erit vtilis, & perfecta ratiocinatio.

Similiter autem, & ſi indefinitum ſit B, C, prędicatiuum; nam idem erit ſyllogiſmus, indefinito, & particulari ſumpto.

Cum Philoſophus docuerit in lib. Perier. indefinitum æquipollere particulari, ideo in his verbis addit fieri perfectum ſyllogiſmum, nedum ſi propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis, aut negatiuis cõiunxerimus propoſitionem particularem affirmatiuam, vel prædicatiuam; verum etiam ſi indefinita affirmatiua, & prædicatiua ponatur minor propoſitio, quam deſignat per B, C; idem namque erit ſyllogiſmus ex indefinito, & ex particulari ſumpto, quia tantum valet particulare, quantum indefinitum, vt loco ſupraallegato ex Ariſtotele docuimus.

Sequitur textus.

Si autem ad minorem extremitatem uniuerſale ponatur, uel prædicatiuum, uel priuatiuum, non erit ſyllogiſmus; neque cum affirmatiua, neque negatiua, neque indefinita, neque particuaris ſit.

Hactenus Ariſtoteles docuit hoc ordine ſex coniugationes huius primæ figuræ; primũ, duas vtiles, vnam affirmatiuam vniuerſaliter concludentem ex maiori, & minori vniuerſali affirmatiua; quæ appellatur *Barbara*, alteram negatiuã vniuerſaliter cõcludentem ex maiori negatiua

A de vniuerſa re, & minori affirmatiua vniuerſali, quę vocatur *Celarent*, duas verò inutiles, quando ſcilicet ambæ propoſitiones erunt vniuerſales negatiue, vel maior affirmatiua, & minor negatiua, quas aſſeruit eſſe inutiles, ex quo cõcludere valent tum affirmatiuum, tum negatiuum problema; poſtmodũ declarauit duas alias vtiles coniugationes, vnam particulariter affirmatiue cõcludentem ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, quæ dicitur *Darij*, alteram particulariter negatiue concludõ-

B tẽ ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, nempe *Ferio*, Adiunxit inſuper eas, in quibus loco particularis, indefinitum minor propoſitio habet, reliquis iiſdem permanentibus, quæ etiam hoc modo ſumpta minori vtilem ratiocinationem efficiebant.

Modo in præſenti proſequitur docere alias coniugationes inutiles, conſtãtes ex minori propoſitione vniuerſali; & primo ſimul & ſemel, quę conſtituitur ex maiori de parte affirmatiua, & minori de vniuerſa re affirmatiua, & ex maio-

C ri de parte affirmatiua, & minori de vniuerſa re negatiua, quas probat per eoſdem terminos, quibus etiam ſuperiores inutiles comprobauit, ſcilicet de omni, & nullo, eo quoniam non concludũt vnum particulare problema affirmatiuum, vel negatiuum, ſed cõtraria colligi poſſunt. Dicit igitur, *Si autem ad minorem extremitatem vniuerſale ponatur*, ita quòd minor ſit vniuerſalis, *vel prædicatiuum, uel priuatiuum*, quæ ſit vel affirmatiua, vel negatiua, *non erit ſyllogiſmus, neque cũ affirmatiua, neque negatiua, neque indefinita, neque*

D *particularis ſit*, hoc eſt, nõ efficietur ratiocinatio vtilis, nec affirmatiuæ, nec negatiuæ concluſionis, ſiue ſit indefinita, ſiue ſit particularis, quę ponitur ad maiorem: tradit exemplum, vt

Si A quidem alicui B ineſt, vel nõ ineſt; B autem omni C ineſt, termini vt ineſſe, bonum, habitus, prudentia, vti non ineſſe, bonum habitus, indiſciplina. Rurſus ſi B quidem nulli

E C: A vero alicui B ineſt, vel nõ ineſt, vel non omni ineſt, nec ſic erit ſyllogiſmus, termini omni ineſſe, album, equus, cygnus, nulli ineſſe, album, equus, coruus: idem autem & ſi A, B indefinitum ſit.

Ponit exemplum primæ inutilis coniugationis minori vniuerſali exiſtẽte cum inquit: *Si A*

F *quidem alicui B ineſt, vel non ineſt*, ita vt maior ſit particularis ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, vt quoddam B eſt A, quoddam B non eſt A. *B autem omni C ineſt*: minor verò ſit affirmatiua vniuerſalis, irrationabilis complexio ſit, quoniam ſequitur omni, & nulli ineſſe, colligitur problema contrarium, & affirmatiuum, & negatiuum.

negatiuum. Declarat, *Termini vt ineſſe, bonum, habitus, prudẽtia.* Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe, & ex quibus colligitur problema affirmatiuum, ſunt bonum maior extremitas, habitus medium, prudentia minor extremitas. Sic, quidam habitus bonus, omnis prudentia habitus, ergo quædam prudentia bonum, quod eſt verum. Omnis namque prudentia bonum. Sequitur *Vti non ineſſe, bonum, habitus, indiſciplina.* Termini autem, in quibus ſequitur non ineſſe, & ex quibus colligitur contrarium problema negatiuum, ſunt, bonum maior extremitas, habitus medium, indiſciplina minor extremitas, vt quidam habitus bonum, omnis indiſciplina habitus, ergo nulla indiſciplina bonum, quia non valet quædam indiſciplina bonum. *Rurſus ſi B quidem nulli C.* Hic ponitur alius modus inutilis in hac prima figura, quando minor propoſitio vniuerſalis exiſtit, quæ coniugatio conſtituitur ex maiori de parte affirmatiua, & minori de vniuerſa re negatiua, *Vt ſi B nulli C ponatur ineſſe, A vero alicui B ineſt, vel non ineſt.* Maior verò ponatur particularis affirmatiua vel negatiua; vtroque enim modo poni poteſt, *Vel non omni ineſt*, vel in maiori ponatur A non omni B ineſſe, non omnis namque æquipollet negatiuæ ſimplici, aliquid non, vt vidimus in 2. Perier. cap. 2. *Nec ſic erit ſyllogiſmus*, neque tali modo ſequitur vtilis ratiocinatio, quoniam ſequitur omni, & nulli ineſſe, vtrumque ſcilicet problema contrarium colligitur, & affirmatiuum, & negatiuum. *Termini omni ineſſe, album, equus, cygnus.* Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe, & ex quibus colligitur concluſio affirmatiua in huiuſcemodi diſpoſitione, ſunt albũ maior extremitas, equus medium, cygnus minor extremitas; ſic, aliquis equus albus, nullus cygnus equus; ergo omnis cygnus albus, vel non omnis equus albus, nullus cygnus equus; ergo omnis cygnus albus. *Nulli ineſſe albũ, equus, coruus.* Termini vero, in quibus ſequitur nulli ineſſe, & ex quibus colligitur problema negatiuum, ſunt album maior extremitas, equus medium, coruus minor extremitas. Sic, aliquis equus albus, nullus coruus equus; ergo nullus coruus albus, vel non omnis equus albus, nullus coruus equus: ergo nullus coruus albus; & ita hucuſque ab Ariſtotele declaratæ fuere quatuor coniugationes vtiles, & quatuor inutiles; & ſicuti vtilibus adiunxit alias duas, in quibus minor propoſitio indefinitum continet, ita his inutilibus, inquit idem, per omnia accidere, ſi propoſitio A, B, quæ eſt maior, ſit indefinita, quia ſicut diximus indefinitum æquipollet particulari, & hoc eſt quod addit, *Idem autem et ſi A, B indefinitum ſit*: quod videlicet adinuenerimus pares inutiles coniugationes, ſi maiorem fecerimus indefinitam: concludent namque de omni & nullo ex iiſdem terminis.

A B C D E F

Nec quando ad maiorem extremitatem quidem uniuerſale ponatur, uel prædicatiuum, uel priuatiuum; ad minorem uerò particulare priuatiuum non erit ſyllogiſmus; uel indefinito, uel particulari ſumpto, uel ut ſi A quidem omni B ineſt; B autem alicui C non ineſt, uel non omni ineſt. Cui enim alicui non ineſt medium, hoc omne, & nullum ſequetur primum; ponantur enim termini, Animal, Homo Album; deinde & de quibus albis non prædicatur homo, ſumantur cygnus, & nix; ergo animal de uno quidem omni prædicatur; de altero uerò nullo, quare non erit ſyllogiſmus.

In hoc loco ab Ariſtotele tradit̃ quintus modus inutilis ratiocinationis, quãdo ſcilicet maior extremitas, ſiue maior ꝓpoſitio erit vniuerſalis, ſiue ſit affirmatiua, ſiue negatiua; & minor erit particularis negatiua; minori nãque exiſtẽte negatiua, nulla ſequit̃ in prima figura vtilis ratiocinatio, vel ſit minor negatiua indefinita, vel particularis; eo quia nullũ determinatũ problema concludit, ſed cõtrarium, veluti ſint huiuſmodi termini, Animal, Homo, Album; Animal maior extremitas, homo medium, album minor extremitas: ex iſtis inquam vtrumque problemã deducetur affirmatiuum, ſcilicet & negatiuum. Affirmatiuum, omnis homo eſt animal, non omne album homo; ergo omne album animal, puta olor, negatiuum, omnis homo eſt animl, non omne album homo, nullum album animal, puta nix: quapropter ex huiuſmodi coniugatione, nullus oriri poteſt ſyllogiſmus perfectus vt in verbis textus declaratur, quando dicit: *Nec quando ad maiorem extremitatem quidẽ vniuerſale ponatur, vel prædicatiuum, vel priuatiuum*, hoc eſt, pariter modus eſt imperfectus, & inutilis, quando ad maiorem extremitatem, ſiue ad maiorẽ propoſitionem ponitur vniuerſale, ſiue ſit affirmatiuum, ſiue negatiuum. *Ad minorem verò particulare priuatiuum*, & ad minorem particulare negatiuum; eo quoniam minori exiſtente negatiua, nulla ratiocinatio certa ſequitur in prima figura; ideo addit; *non erit ſyllogiſmus, vel indefinito, vel particulari ſumpto*, ſcilicet in conſtitutione tali, non ſit vtilis ratiocinatio, ſiue indefinita, ſiue particularis negatiua ponatur ad minorem extremitatem. *Veluti ſi A quidem omni B ineſt: B autem alicui C non ineſt, vel non omni ineſt.* Declarat exemplo, veluti ſi A, quod eſt maior extremitas, dicatur omni B ineſſe, quod eſt medium, vt omne B eſt A; C autem dicatur non ineſſe, vel non omni B ineſſe, quæ æquipollent; vt aliquod C non eſt B, vel non omne C eſt B; cau-

ſa huius eſt, quia aliquod acceptum, cui alicui medium non ineſt, huius & omne, & nullum ſequitur, quod indicat in ſequentibus verbis. *Cui enim alicui non ineſt medium, hoc & omne, & nullum ſequitur primum.* Hoc idem declarat in terminis, quando addit: *Ponantur enim termini, Animal, Homo, Album*, ita vt animal ſit maior extremitas, homo medium, album minor extremitas, vt omnis homo animal, non omne album homo. *Deinde & de quibus albis non prædicatur homo, ſumantur Cygnus, & nix.* Deinceps ſub albo accipiantur alba, de quibus homo non prædicatur, veluti olor, & nix: homo namque de nullo horum album prædicatur; ſiquidem neque olor, neque nix eſt homo. *Ergo animal de vno quidem omni prædicatur, de altero verò nullo.* Quare ſic & omni, & nulli ineſt animal, quod eſt maior extremitas, albo quod eſt minor extremitas, in concluſione ſcilicet omne album animal, puta olor, & nullum album animal, puta nix. Quapropter concludendũ huiuſmodi ratiocinationem non eſſe perfectam, & vtilem. *Quare non erit ſyllogiſmus*, ſcilicet ſecundum talem coniugationẽ non ſequitur vtilis ratiocinatio.

Rurſum A quidem nulli B inſit; B autem alicui C non inſit: & ſint termini, Inanimatum, Homo, Album; deinde ſumantur alba, de quibus non prædicatur homo, cygnus, & nix; nam inanimatum de hoc quidem omni prædicatur; de illo verò nullo.

Cum ſuperius declarauerit Ariſtoteles ſequi ratiocinationem inutilem minori exiſtente negatiua particulari, ſi maior extiterit affirmatiua vniuerſalis, modo in præſenti declarat exemplo pariter effici imperfectum ſyllogiſmum, minori particulari exiſtente negatiua, ſi maior fuerit vniuerſalis negatiua, eo quia datur idem inconueniens, quòd non concludatur vnum particulare problema, ſed contrarium, & inquit, *Rurſum A quidem nulli B inſit*, ſit maior vniuerſalis negatiua, ita vt A, quæ eſt maior extremitas, dicatur nulli B ineſſe, quod eſt medium, nullum B eſt A. *B autem alicui C non inſit*, & minor ponatur particularis negatiua, aliquod C non eſt B, vel non omne C eſt B, ſequitur omni, & nulli ineſſe maiorem extremitatem minori; effici inquam cõcluſionem affirmatiuam, & etiam negatiuam, quod manifeſtat in terminis, quando dicit: *Et ſint termini, Inanimatum, Homo, Album.* Inanimatum maior extremitas, homo medium, albũ minor extremitas, nullus homo inanimatum. *Deinde ſumantur alba, de quibus non prædicatur homo.* & ſub albo, quod eſt minor extremitas ſint aliqua alba, quæ homini non conueniunt, & de homine non prædicent, veluti *cygnus, & nix*, & dicamus quoddam album non eſt

A homo vel non omne album eſt homo, ſequitur ratiocinatio imperfecta ex huiuſcemodi diſpoſitione terminorum. *Nam inanimatum de hoc quidem omni prædicatur, de illo verò nullo*, eo quoniam vtrumque problema, & affirmatiuum, & negatiuum ſyllogizabimus, ſcilicet omne album eſſe inanimatum, puta niuem, & nullum album eſſe inanimatum, puta cygnum.

Amplius quoniam indefinitum
B eſt alicui eorum, quæ ſunt C non ineſſe B; verum eſt autem & nulli ineſt, & ſi non omni, quoniam alicui non ineſt; ſumptis autem his terminis veluti nulli ineſſe non fit ſyllogiſmus (hoc enim dictum eſt prius) manifeſtum ergo eſt, quoniam in eo, quod ſic ſe habent termini, non erit
C ſyllogiſmus; eſſet enim & in his; ſimiliter autem oſtẽdetur, & ſi vniuerſale ponatur priuatiuum.

Cum demoſtrauerit Philoſophus ex diſpoſitione complicationis conſtantis ex maiori vniuerſali, ſiue ſit affirmatiua, ſiue priuatiua, & ex minori particulari negatiua non effici vtilem ratiocinationem ex hoc, quod contrarium problema ſyllogizari poteſt, nunc eandem complicationis diſpoſitionẽ inutilem fore, alia quoque ratione
D cõfirmat, quod ſcilicet cũ particularis negatiua aliquod C nõ eſt B, ſit quid indefinitum, quod non habet determinatam cauſam ſuæ veritatis: propterea quod tum ab vniuerſali negatiua, tum a negatiua ſimplici cum terminatione veritatem ſuam ſortiri poteſt, prout poſcit materia, ex qua propoſitio eſt conſtituta, quoniam ſi fuerit propoſitio in materia, quæ fieri minime poteſt, verificatur ex propoſitione vniuerſali negatiua: ſi autem in materia contingenti, tũc veritatem ſumit à negatiua ſimplici cum
E terminatione, vt ſi in materia impoſſibili extabit propoſitio negatiua, aliquis homo non eſt lapis, hæc verificabitur per vniuerſalem negatiuam, nullus homo lapis, quod ſi ſumetur propoſitio negatiua conſtituta in materia contingenti, aliquis homo nõ eſt albus, hæc veritatem deſumet a negatiua ſimplici cum terminatione, non omnis homo albus. Hinc ſumpta propoſitione in materia contingenti, quæ ſit minor particularis negatiua, aliquis homo non eſt lapis, erit æquiualens vniuerſali negatiuæ, per quã
F verificabitur, nullus homo eſt lapis, ex qua & maiori vniuerſali affirmatiua minime conſtitui poteſt perfecta ratiocinatio, alioquin conſtitueretur etiam minori exiſtente vniuerſali negatiua, & maiori vniuerſali affirmatiua, quod fieri minime poteſt, vt ſuperius iam declaratum eſt, ſicuti nec eadem de cauſa poteſt conſtitui ex maiori vni-

ri vniuerſali negatiua, minori exiſtente particulari negatiua: ideo dicit, *Amplius quoniam indefinitum eſt alicui eorum, quæ ſunt C non ineſſe B*. Item quia indefinitum eſt, cum dicit aliquod C non eſt B, quia non habet definitam cauſam ſuæ veritatis. *Verum eſt autem et nulli ineſt, & ſi non omni, quoniam alicui non ineſt*. Duobus namque modis poteſt verificari, ſi dicatur B alicui C nõ ineſſe; eſt namque verũ ſi nulli C ineſt B; & pariter eſt verum, ſi non omni C ineſt B. *Sumptis autem his terminis vel vt nulli ineſſe, non fit ſyllogiſmus*. Acceptis autem terminis talibus, in quibus B nulli C inſit in minori propoſitione, veluti quando termini conſtituuntur in materia, quæ fieri non poteſt, & quãdo minor propoſitio verificatur non ex propoſitione negatiua ſimplici cum terminatione, ſed ex vniuerſali negatiua, tunc non ſequitur vtilis ratiocinatio. (*Hoc enim dictum eſt prius*) Hoc namque oſtenſum eſt prius, quãdo ſcilicet ſuperius patefecit, quod minori exiſtente vniuerſali negatiua non ſequitur perfectus ſyllogiſmus. *Manifeſtum ergo eſt, quoniam in eo quod ſic ſe habent termini, non erit ſyllogiſmus; eſſet enim & in his*. Patet itaque quòd ſumptis terminis tali pacto, quòd minor ſcilicet ſit particularis negatiua, non ſit vtilis ratiocinatio; ſi namque ex tali copulatione vniuerſaliter fieret ſyllogiſmus: pariter quoque ſequeretur ratiocinatio vtilis in terminis prędicto modo exiſtẽtibus, minori ſcilicet exiſtẽte vniuerſali negatiua, *Similiter autem oſtendetur & ſi uniuerſale ponatur priuatiuũ*. Hæc verba textus duplicem ſumunt ſibi expoſitionem ex Alexandro hoc in loco.

Primo poſſunt exponi, vt velit dicere Ariſtoteles per hæc verba, quòd eodem modo demonſtrabitur, ſyllogiſmum perfectum non efficere eam coniugationem, quæ copulabitur ex minori particulari negatiua, quo pariter illam, in qua minor vniuerſalis negatiua eadẽ exiſtit, quam etiam demonſtratum inquit.

Alio modo poſſunt exponi hæc verba, quòd eadem demonſtratione vti velit Philoſophus, vt nos doceat minori exiſtente particulari negatiua non effici vtilem ſyllogiſmum, vel maior ſit vniuerſalis affirmatiua, de qua prius intellexiſſe voluerit, vel etiam maior ſit vniuerſalis negatiua, quod afferat modo per hæc verba, vtroque modo eſt recta interpretatio, verùm poſterior meo iudicio magis eſt ad aures Ariſtotelis, & eã ſequitur Magnus Albertus.

Neque enim ſi ambo interualla particularia prædicatiue, vel priuatiue dicantur, aut hoc quidem prędicatiuum, illud verò priuatiuum, uel hoc quidem indefinitum, illud verò definitum, vel ambo indefinita non erit ſyllogiſmus vllo modo; termini verò communes omnium, Ani- A mal, Albũ, Equus, Animal, Album, Lapis.

Hucuſque patefecit Philoſophus dari plures modos vtiles ratiocinationis in hac prima figura; quorum primus conſtat ex maiori, & minori vniuerſali affirmatiua; ſecundus ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua; tertius ex maiori vniuerſali affirmatiua & minori particulari affirmatiua; quartus ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affir- B matiua; & adhuc qui conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, ſiue priuatiua, & minori indefinita affirmatiua: inſuperq; demonſtrauit plures modos inutiles ratiocinationis; quorum primus conſtat ex vtraque vniuerſali negatiua; ſecundus ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua; tertius ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua; quartus ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua: & inſuper qui conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, ſiue priua- C tiua, & minori particulari negatiua.

Modo in pręſenti, intentio ipſius eſt quamcitius ſe expedire de his inutilibus ratiocinationibus, & propterea ſimul & ſemel in hoc loco affert ſexdecim alias coniugationes inutiles, videlicet quæ conſtant ex vtraque propoſitione particulari, vel ex vtraque indefinita, vel ex eis, quę coaugmentantur ex vna particular., & altera indefinita. Ex vtraque particulari quatuor, ſcilicet vel ambæ affirmatiuæ, vel negatiuæ, vel vna affirmatiua, & altera negatiua, & hoc dupliciter, D vel maior affirmatiua, & minor negatiua; vel è contrario, ex vtraque indefinita quatuor, quæ pariter augentur ſecundum affirmationem, & negationem; reliquæ ſunt octo, ex vna particulari, & altera indefinita; vel enim maior eſt particularis, & minor indefinita; in quibus ſi permutetur qualitas, & quælibet propoſitio varietur ſecundum qualitatem, quatuor naſcuntur coniugationes; vel è contrario, maior eſt indefinita, & minor particularis, in quibus facta variatione ſecundum affirmationem, & negationem, E pariter quatuor aliæ oriuntur coniugationes, ita vt omnes aſcendant ad numerum ſexdecim coniugationes inutilium, quas inutiles eſſe oſtendit eadem via, qua in ſuperioribus vſus fuit, quod, ſcilicet non concludunt vnum tantum determinatum problema, ſed contrarium inferre valent termini communes, quibus hoc demonſtrat Ariſtoteles, videlicet huiuſmodi coniugationes concludere tam de omni, quam de nullo, ſunt; termini de omni, Animal, Album, Homo. In his ſequitur animal vniuerſaliter ad hominem: F termini de nullo ſunt, Animal, Albũ, Lapis; animal enim ſequitur nulli lapidi ineſſe. Inquit itaque, *Neque ſi ambo interualla particularia prædicatiue, vel priuatiue dicuntur*. Nec iterum fit vtilis ratiocinatio, ſi propoſitiones in figuram, & modum interuenientes dicuntur eſſe particulares, quia ex vtraque particulari non fit vtilis

ſyllo-

ſyllogiſmus, ſiue affirmatiuæ ſint ambæ, ſiue negatiuæ. *Aut hoc quidem prædicatiuum, illud verò priuatiuum*: ſiue vna affirmatiua, & altera negatiua, quomodocunque, *Vel hoc quidem indefinitum, illud verò definitum, vel ambo indefinita.* Præterea ſi vna propoſitionum ſit indefinita, alia verò definite particularis, vel vtraque propoſitio ſit indefinita, *Non erit ſyllogiſmus vllo modo.* Nullo iſtorum modorũ ſequitur vtilis ſyllogiſmus, addit rationem, quia ſcilicet vtrumque problema ſequitur, vt ait, *Termini verò communes omnium, Animal, Album, Equus, Animal, Album, Lapis.* Termini autem communes, quibus oſtenditur omnes has inutiles exiſtere coniugationes, & in quibus monſtratur omne, & nulli ineſſe, ſunt Animal, Album, Homo. In his enim ſequitur animal vniuerſaliter ad hominem, ſequitur inquam problema affirmatiuum: ad nulli autem ineſſe ſunt termini communes, Animal, Album, Lapis: in his ſequitur animal nulli lapidi ineſſe: colligitur etenim problema negatiue.

Notandum ex Philopono, quòd Ariſtoteles vocat propoſitiones interualla more Geometrico: eſt namque Geometræ æmulus, & imitator, vt etiam in Antepraedicamentis diximus. Sicut namque Geometræ puncta, quæ ſunt cæteris ſimpliciora, & quædam quaſi principia terminos appellant, & lineas, quæ ex his proficiſcuntur, nuncupant interualla, & quæ ex lineis conſtituuntur, figuras vocant: pari ratione Ariſtoteles nomen, & verbum, quæ ſunt ſimpliciora, & in quæ diſſoluitur ſyllogiſmus, terminos vocat, & propoſitiones, quæ ex his componuntur, appellat interualla, & quæ ex his conſtituũtur, figuras nuncupat. Et primo ponit terminos, ſecundo interualla, tertio figuras.

Sequitur textus.

Manifeſtum eſt igitur ex ijs, quæ dicta ſunt, quoniam ſi ſit ſyllogiſmus in hac figura particularis, neceſſe eſt terminos ſic ſe habere, vt diximus; aliter enim ſi ſe habentibus nullus fit. Palam autem quòd omnes, qui in hac ſunt ſyllogiſmi, perfecti ſunt; omnes enim perficiuntur per ea, quæ ex principio ſumuntur: & quoniam omnia problemata oſtenduntur per hãc figuram; etenim omni, & nulli, alicui, & non alicui ineſſe. Voco autem huiuſmodi figuram primam.

In hac poſtrema parte capitis tria colligit Ariſtoteles ex dictis: primum, quòd ad hoc vt perfecta ſequatur ratiocinatio particularis, neceſſario requiritur maiorem vniuerſalem reperiri, vel affirmatiuam, ex qua concluſio affirmatiua; vel negatiuã, ex qua concluſio negatiua cõſequitur,

[A] minori exiſtente particulari in vtriſque ratiocinationibus.

Secundum, omnes ratiocinationes, quæ in hac figura demonſtrantur, propterea eſſe vtiles, & perfectas, quoniam omnes perficiuntur à principijs regulantibus ſyllogiſmum, ſumptis ſupra in initio libri, videlicet dici de omni, & dici de nullo, quæ idem ſunt realiter cum eſſe in toto, & non eſſe in toto, ratione tantum diſtinguuntur.

Tertium, quod colligitur, eſt, quòd hæc fi-
[B] gura, quam idcirco primam appellat, & cæteris perfectiorem, concludit omnes quæſtiones, & omnia quatuor genera problematum; videlicet vniuerſale affirmatiuum, vniuerſale negatiuum, particulare affirmatiuum, & particulare negatiuum. Inquit igitur, *Manifeſtum eſt igitur ex ijs quæ dicta ſunt.* Palam eſt ex prædictis, *Quoniam ſi ſit ſyllogiſmus in hac figura particularis, neceſſe eſt terminos ſic ſe habere, vt diximus; aliter enim ſic ſe habentibus nullus fit.* Quod ad hoc vt ratiocinatio vtilis exiſtat particularis
[C] in hac figura, requiritur minori exiſtente particulari, maiorem reperiri vniuerſalem, vel affirmatiuam, ſcilicet ex qua affirmatiua concluſio; vel negatiuam, ex qua concluſio negatiua conſequatur; alioquin perfecta ratiocinatio non efficeretur. *Palam autem quòd omnes, qui in hac ſunt ſyllogiſmi, perfecti ſunt.* Perfecti ſunt igitur omnes ſyllogiſmi huius figuræ tam vniuerſales, quam particulares. *Omnes enim perficiuntur per ea, quæ ex principio ſumuntur.* Perficiuntur namque per ea principia poſita in prin-
[D] cipio iſtius libri, quæ ſunt regulantia ſyllogiſmum, ſcilicet per dici de omni, & dici de nullo. *Et quoniam omnia problemata oſtenduntur per hanc figuram.* Inſuper concludit omnes quæſtiones, omnia quatuor genera problematum. *Etenim omni, & nulli, alicui, & non alicui ineſſe.* Oſtenditur per eam vniuerſale affirmatiuum, omni ſcilicet ineſſe, in primo modo, puta Barbara, vniuerſale negatiuum, nulli ineſſe, in ſecundo modo, puta Celarent,
[E] particulare affirmatiuum, alicui ineſſe in tertio modo videlicet Darij, particulare negatiuum, alicui non ineſſe, per quartum modum, nempe Ferio. *Voco autem huiuſmodi figuram primam.* Hanc autem figuram, in qua medium ſubijcitur in maiori propoſitione, & in minori prædicatur, primam appellat, vel quia perfectiſſima eſt aliarum, vel ad differentiam ſecundæ figuræ, in qua minor propoſitio poteſt eſſe particularis negatiua, & maior vniuerſalis affirmatiua, quod in hac figura haud-
[F] quaquam euenire poteſt.

Notandum vt quoque alibi dictum eſt, quòd quoties Philoſophus rebus ipſe primum nomen imponit, Voco inquit: quapropter conſpicuum eſt, eundem primum extitiſſe, qui figuras appellarit.

Et hæc ſatis dicta ſuper Quarto Capite.

Super Capite Quarto de tribus figuris ex propoſitionibus inexiſtentibus, ad vſum Iuriſtarum.

PRo vſu Iuris ciuilis in quarto Capite huius primi libri Priorum, habemus primam figuram ſyllogizandi,& quatuor modos vtiles ſyllogiſmorum.

Vnde præmittendum pro faciliori notitia,

Quid ſit figura.

Quotuplex ſit figura.

Quid ſit modus.

Quot ſint modi.

Figura eſt contextus, ſiue artificium conſtans ex tribus terminis, maiori, minori extremitate, & medio; ex quibus pariter dicitur conſtare ſyllogiſmus.

Figura triplex eſt.

Prima, in qua medium ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori propoſitione.

Secunda, in qua mediū prędicatur vtrobique.

Tertia, in qua medium ſubijcitur vtrobique.

Modus eſt contextus ſyllogiſmi,& artificium reſultans ex quantitate, & qualitate propoſitionis, quatenus ſcilicet propoſitio eſt vel vniuerſalis, vel particularis, vel affirmatiuá, vel negatiua.

Modi ſunt plures in qualibet figura.

In prima figura ſunt modi vtiles quatuor.

BARBARA.

CELARENT.

DARII.

FERIO.

BARBARA, qui eſt primus modus, conſtat ex maiori & minori vniuerſali affirmatiua, vniuerſaliter affirmatiue concludentibus.

CELARENT, qui eſt ſecundus modus, conſtat ex maiori vniuerſali negatiua,& minori vniuerſali affirmatiua, vniuerſaliter negatiue concludentibus.

DARII, qui eſt tertius modus, conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua,& minori particulari affirmatiua, particulariter affirmatiue concludentibus.

FERIO, qui eſt quartus modus, conſtat ex maiori vniuerſali negatiua,& minori particulari affirmatiua, particulariter negatiue concludentibus.

Nam affirmat A, negat E, ſed vniuerſaliter ambo.

Affirmat I, negat O, ſed particulariter ambo.

De quibus omnibus modis, & coniugationibus ſupra in interpretatione capitis ſatis diſtinctè exemplificaui in terminis naturalibus, propterea fruſtra non repeto.

Reliquum eſt in medium adducere exempla in iure reperta, vt vſum eiuſdem ſyllogiſmorum facilem,& vtilem percipiamus.

Sumamus itaque hos tres terminos in iure, videlicet Reuocatorium re integra, Mādatum,

A Impoſitio gratuita alicuius operis.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus ſit medium, poſtremus minor extremitas: ex horum diſpoſitione formabimus figuram ſyllogizandi, pariterq; ſyllogiſmum.

Deinceps ſumpto medio, ſcilicet mandatum, in maiori propoſitione pro ſubiecto,& in minori pro prædicato, ſeruata eadem quantitate, & qualitate propoſitionum, conſtituamus primum modum primæ figuræ, videlicet BARBARA, tali pacto.

B BAR- Omne Mandatum adhuc integra re reuocari poteſt.

BA- Omnis, qui alicui aliquid gratuito faciēdum imponit, mandatum imponit.

RA Omne igitur, quod alicui gratuito imponitur faciendum re integra, reuocari poteſt.

Maior probatur Inſt. tit. de mandato. §. recte.

Minor definitione mandati, & §. in ſumma. eod. titu.

Aliud exemplū, Sint alij tres termini, ſcilicet,

C Operatio ſecundum legem conductionis, Conductor, Paciſcens vſum alicuius rei, certa pecunia conſtituta.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus ſit medium, vltimus minor extremitas.

Ex horum cōiugatione variato medio,& ſeruata quantitate,& qualitate propoſitionū, vt ſupra, efficiemus ſyllogiſmū in BARBARA talē.

BAR- Omnis conductor ſecundum legem conductionis facere debet.

BA- Omnis, qui cōſtituta alteri pecunia certa

D rei alicuius vsū paciſcitur, eſt cōductor:

RA Ergo, Omnis qui conſtituta alteri certa pecunia, rei alicuius vſum paciſcitur ſecundum legem pactá facere debet.

Maior elicicitur in §. conductor. Inſt. locat. & conduct.

Minor in princ. Inſt. eod. tit.

Pro exemplo ſecundi modi, puta CELARENT, ſint tres termini.

Comprehenſio omnium euentuum, Sētentia imperatiua,& prohibitiua. Lex.

E Tunc ſumpto medio, nempe ſententia imperatiua,& prohibitiua in maiori propoſitione loco ſubiecti,& in minori loco prædicati, variata quantitate propoſitionis tali pacto efficiemus coniugationem ſecundam, videlicet.

CE- Nullæ leges ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus comprehendantur.

LA- Omnes ſententię, quæ aliquid iubent,& aliquid vetant, ſunt leges.

RENT Nullę igitur ſentētię, quę aliquid iubēt,

F & aliquid vetant, ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus comprehendantur.

Maior probatur, l. neque leges. ff. de legibus.

Minor definitione legis confirmatur.

Aliud exemplum huius ſecundi modi, ſumantur tres termini.

Validitas, Mandatum rei flagitioſæ, Mandatum ſtupri.

Et poſito medio, videlicet mandatum rei flagitioſæ in maiori propoſitione loco ſubiecti, & in minori loco prædicati, variata propoſitione ſecundum affirmationem, & negationem conſtituamus huiuſcemodi ſyllogiſmum.

C E- Nullum mandatum flagitioſę rei vlias habet vires.

L A- Omnis, qui alicui ſtuprum mandat, rem flagitioſam mandat: ergo

R E N T Nullum ſtupri mandatum vires habebit vllas.

Maior probatur, l. quod ſæpe. §. veneni. ff. de contrah. empt.

Minor probatur, §. illud. Inſt. tit. de mandato.

Exemplum tertij modi, nempe DARII, ſint tres termini.

Debitũ ius, Promiſſum honeſtum, Sẽpronius.

Sumpto medio, ſcilicet Promiſſum honeſtũ pro ſubiecto in maiori, & pro prædicato in minori, variata quantitate propoſitionum, efficitur ſyllogiſmus talis.

D A- Omne promiſſum honeſtum cadit in debitum ius.

R I- Sempronius Titio rem honeſtam promiſit.

I Sempronius igitur Titio promiſſo ſtare cogendus eſt.

Maior probatur in l. iuriſgentium. §. prætor. ff. de pactis.

Minor ſupponitur.

Aliud exemplum DARII, ſint tres termini.

Forum rei, Actor, Meuius.

Sumatur mediũ loco ſubiecti in maiori propoſitione & in minori loco prędicati, & variata propoſitione ſecundum totum, & ſecũdum partem fiat ratiocinatio talis.

D A- Omnis actor forum rei ſequi debet.

R I- Meuius contra Titium experitur, & agit:

I Ergo Meuius forum Titij ſequi debet.

Maior probatur in l. iuris ordinem. C. de iuriſdict. omn. iud. & in l. hæres. ff. de iud.

Minor ſupponitur.

Supereſt exemplum quarti modi, nempe FERIO. Sintq; itaque tres termini.

Procurator, Reus criminis, Verres.

Et poſito medio in maiori, loco ſubiecti, & in minori loco prædicati, ſecundum quantitatem, & qualitatem, tali pacto.

F E- Nullus reus criminis antequam purget innocentiam, procurator eſſe poteſt.

R I- Verres eſt reus criminis repetundarum. ergo,

O Verres antequam purget innocentiam, procurator eſſe non poteſt.

Maior probatur in l. reum criminis. C. de procuratoribus & in l. is qui. ff. de publicis iudicijs.

Minor ſupponitur ex Cicerone, tertia in Verrem, addito toto titulo Digeſtorum ad leg. Iul. repetundarum.

Aliud exemplum, ſumantur tres termini.

Tranſlatio, Gladij poteſtas, Cicero.

Ex his poſitis, & variato medio, ac propo-

A ſitionibus, vt ſupra, efficitur ſyllogiſmus talis.

F E- Nemo poteſt poteſtatem gladij ſibi datam ad alium transferre.

R I- Cicero accepit à Populo Romano poteſtatem Conſularem: ergo

O Cicero poteſtatem Conſularem ad alium transferre non poteſt.

Maior habetur in l. nemo poteſt. ff. de reg. iur. & in l. ſolent. ti. de officio Proconſulis.

Minor ſumitur vt vera ex eodem Cicerone pro domo ſua, & de Conſulatu ſuo.

B Ex dictis, quo pacto prima ſyllogizandi figura vtilitatem præbeat in iure, facile oſtẽdi. Verùm quoniam oratores in iudicijs, iſtis ſimplicibus ratiocinandi formis non acquieſcunt, ſed illas ornamentis elocutionis honeſtant, & ornant.

Propterea quomodo id conſequi poſſimus, facili exemplo demonſtrare decreui.

Sit itaque ratiocinatio nuda in quarto modo huius primæ figuræ in his terminis.

C F E- Nullus, qui præeſt iuriſdictioni, ſibi ius dicere poteſt. l. qui iuriſdictioni. ff. de iuriſd. omn. iud.

R I- Metellus præeſt iuriſdictioni; ergo

O Metellus ius ſibi dicere non poteſt.

Vt itaque hæc ſimplex, & nuda ratiocinandi forma ſplendeſcat, & gratior fiat, præſtabit ornata elocutio.

Sic in maiori propoſitione quæremus cauſam, ob quam qui iuriſdictioni præeſt, ſibi ius dicere non debeat.

D Nimirum, quod non conueniat, & valde turpe ſit, quempiam ſemetipſum, aut rem propriam iudicare, cum quilibet proprio affectu moueatur; ita vt ſi ius dicat in ſua ipſius cauſa, præter æquum, & bonum facile aliquid ſtatuat.

In minori declarabimus, cui nam iuriſdictioni præſit Metellus, & quomodo ad illam peruenerit, in concluſione hortatione vtemur, vt iudices Metellus à iure in ſua cauſa dicẽdo abſtrahere velint, eis oſtendendo laudem, quam ſunt

E conſecuti, & bonum futurum toto ciuitati, ſunt quamplurimæ regulæ exornationum traditæ à Rhetoribus, quibus nudæ ratiocinandi formę in legibus proferuntur, ampliari maxime poſſunt, de quibus ſuo loco, ad pręſens, quę de prima figura dicta ſatis.

Secunda figura ex propoſitionibus exiſtentibus. Caput Quintum.

F QVando verò idem huic omni quidem, illi verò nulli ineſt, vel vtrique omni, vel nulli figuram quidem huiuſmodi uoco ſecundam; medium autẽ in

in hac dico quod de vtraque prædicatur, extremitates verò, de quibus dicitur hoc; maiorem quidem extremitatem, quæ iuxta medium poſita eſt; minorem uerò, quæ longius ſita eſt à medio.

Cum Ariſtoteles in præcedenti capite docuerit primam figuram ſyllogizandi, & tradiderit modos vtiles, atque inutiles ipſius.

In præſenti intentio eius eſt docere ſecundam figuram ſyllogizandi, modosq; vtiles, ac inutiles euidem adducere, vt inutilibus prætermiſſis, vtilibus vti valeamus, & ſic patet intentio, vtia & cauſa intentionis.

Hoc caput habet continuationem cum præcedenti, & ſubſequenti, quod cum poſt artem demonſtrandi ſuccedat ars diſſerendi, & poſtea ars cauſandi, & arti demonſtrandi prima figura ſit apprime apta, quoniam concludit affirmatiuam de vniuerſa re, & arti diſſerendi maxime congruat ſecunda figura; propterea quod omnes concluſiones inducit negatiuas, & diſputator conatur ea refellere, quæ ab aduerſario ſuo affirmantur, refellere verò perinde eſt, ac negare, tertiaq; figura captioſo argumento ſit conſentanea, quoniam omnes concluſiones particulariter concludit, in quibus potiſſimum verſatur Sophiſta, qui a veris declinat. Hinc Ariſtoteles iure meritò cum in ſuperiori capite egerit de prima figura, in præſenti ponit ſecundam, tractaturus de tertia in capite immediate ſequẽti. Cumq; figura ſit artificium conſtans ex tribus terminis, maiori, minori extremitate, & medio, in principio capitis ſtatim deſcribit quodammodo ſecundam figuram, & terminos, ex quibus eſt conſtituta hunc in modum, videlicet,

Quòd ſecunda figura ſyllogizandi ea eſt, in qua medius terminus enunciatur de vtroque extremorum, & de vno affirmatiue, & de altero negatiue, vel de vtroque affirmatiue, vel de vtroque negatiue.

Medium in hac ſecunda figura eſt illud, quod prædicatur de vtroque extremorum, in maiori propoſitione de maiori extremo, in minori propoſitione de minori extremo.

Extremitates in hac ſecunda figura ſunt de quibus enunciantur medium.

Maior extremitas ea eſt, quæ participatione prædicati eſt vicinior medio, quoniam in concluſione enunciatur de minori extremitate.

Minor extremitas eſt, quæ in ordine prædicabilium longior eſt à medio, quia nec ſemel eſt enunciatum. Dicit igitur, *Quando verò*, tres ſcilicet termini ita ſe habent adinuicem, quòd *idem huic omni quidem*, quòd idem terminus, qui prædicatum eſt, huic quidem termino, qui maior eſt extremitas, ineſt omni, *Illi verò nulli ineſt*, huic autem nẽpe alteri extremitati, nulli ineſt,

A ideſt negatiue, *Vel vtrique omni*, vel ita quòd medium vtrique extremitati ineſt omni, ita quod de vtraque prædicatur, & affirmatiue, *vel nulli*, ita quòd in vtraque præmiſſarum prædicatur negatiue, ita quòd bis prędicatur medium in maiori quidem propoſitione de maiori extremitate; in minori autem propoſitione de minori extremitate, quomodocunque hoc fiat, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue, ſiue vna exiſtenti affirmatiua, & altera negatiua. *Figuram quidem huiuſmodi voco ſecundam*. Quamuis enim proprium
B huius figuræ ſit, vt habeat minorem diſſimilem maiori in qualitate, ita vt non poſſint eſſe ambę præmiſſæ affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ ad conſtituendum modum aliquem vtilem huius figuræ; tamen tam in vtili coniugatione, quàm in ea, quæ inutilis eſt, ſeruatur eadem diſpoſitio terminorum in ſitu, & ordine. *Medium autem in hac dico*, ſcilicet in hac figura illud eſt mediũ; *quod de vtraque prædicatur*; quod in vtraque præmiſſarum prædicatur de vtroque extremorum, de maiori quidem extremitate in maiori
C propoſitione, & in minori ꝓpoſitione de minori extremitate. *Extremitates verò*, in hac ſcilicet ſecunda figura dicũtur eſſe, *de quibus dicitur hoc*, de quibus prædicatur hoc ipſum, quod eſt medium. *Maiorem quidem extremitatem*. Maiorem verò dicimus in hac figura extremitatem, *Quæ iuxta medium poſita eſt*, quæ in ordine prædicabilium eſt vicinior medio, quatenus ſcilicet magis participat de natura medij, quo ad prædicationem; ſicuti namque medium enunciatur de extremis, ita maior in concluſione de minori
D extremitate prædicatur. *Minorem verò*, ſcilicet extremitatem, *Quæ longius ſita eſt à medio*, quæ in ordine prædicabilium nullam habet cum medio propinquitatem, quoniam tantum ſubijcitur, nec ſemel enunciatur, nunquam eſt de ordine prædicabilium, ſed ſubijcibilium tantum.

Ponitur autem medium foras quidem extremitatum, primum uerò poſitione. Perfectus igitur non erit
E ſyllogiſmus nullo modo in hac figura; poſſibile uerò erit, & uniuerſalibus, & non uniuerſalibus exiſtentibus terminis.

Cum hactenus Ariſtoteles deſcripſerit ſecundam figuram, pariterq; terminos, ex quibus eſt conſtituta, ſcilicet maiorem extremitatem, minorem, & medium. Modo in præſenti duo colligit.

F Primum, quòd in hac figura non eſt ratiocinatio perfecta, ex quo medium in ipſa non eſt omnino perfectum, quoniam non obtinet locum medium, ſed primum. Cum enim de ratione perfecti medij ſit, vt locum medium obtineat inter extrema, & vt ſit vnitiuum, & coniunctiuum extremorum, medium

in hac figura caret prima conditione, ſiquidem primum tenet locum, retinet tamen alteram, ſcilicet eſſe vnitiuum, & coniunctiuum extremorum: quapropter ratiocinationes in hac figura ſunt imperfectæ ratione imperfectionis medij, ſicuti & ratiocinationes tertiæ figuræ eadem ratione medij imperfecti, in qua medium vltimum tenet locum, & ratiocinationes ſecundæ, & tertiæ figuræ non concludunt ex neceſſitate, niſi reducantur ad ſyllogiſmos primæ figuræ per conuerſionem præmiſſarum, vt videbimus inferius.

Secundum, quod colligit Ariſtoteles eſt, quòd ratiocinationes in hac figura poſſunt vtiles fieri, non ſolum ſi ambæ præmiſſæ ſint vniuerſales, ex quibus concluſio ſequitur vniuerſalis; ſed etiam ſi vna ſit vniuerſalis, & altera particularis, ex quibus concluſio ſequitur particularis. Dicit itaque, *Medium extra extrema collocatur*. In hac ſecunda figura, & diſpoſitione terminorum huius ſecundæ figuræ medium non poteſt poni inter extrema, ita vt medium locum obtineat, ſed ponitur, & collocatur extra extrema. *Primum verò poſitione*, & ponitur, & collocatur primo loco, ita vt primum locum obtineat. *Perfectus igitur non erit ſyllogiſmus nullo modo in hac figura*. Vnde in hac figura nulla erit perfecta ratiocinatio. *Poſſibile verò erit*. Poteſt tamen fieri ratiocinatio in hac figura. *Et vniuerſalibus, & non vniuerſalibus exiſtentibus terminis*. Si ambæ propoſitiones fuerint de vniuerſa re, atque ſi vna fuerit de parte, & altera de vniuerſa re, quod declarat in ſequentibus.

Sed prius notandum, quòd medium eſſe poſitione primum, vt dicit Ariſtoteles in præſenti, poſitione medium, vt in cap. præcedenti, & poſitione vltimum, vt dicet in cap. ſequenti, poteſt duobus modis intelligi, vel ratione ſitus, quatenus ſcilicet, vel in principio, vel in medio, & inter extrema, vel in fine collocatur, & tali pacto figuraliter videtur intellexiſſe Ariſtoteles, quandoquidem B, quod eſt poſitum inter extrema A, C, poſuit medium in prima figura M, poſitione primum, quod eſt primum extremorum N, X, appellauit, in hac ſecunda, & S, quod eſt vltimum, & in fine extremorum P, R, poſitione vltimum nominabit in tertia. Alio modo poteſt explicari, quòd medium dicatur primum, vltimum, & medium in ratione prædicabilium, quatenus ſcilicet ſubijcibile, & prædicabile, ita vt quatenus prædicabile dicatur ſuperiorem locum obtinere, & poſitione primum, quatenus ſubijcibile inferiorem locum obtinere, & poſitione vltimum, quatenus ſubijcibile, & prædicabile medium locum obtinere inter extrema, & poſitione medium, & tali pacto in prima figura, cum in prima propoſitione ſit loco ſubiecti, & in ſecunda loco prædicati dicatur poſitione medium, quatenus participat de ſubiecto, & prædicato; in hac ſecunda, quoniam in vtraque præmiſſarum obtinet vicem prædicati, & loco prædicati ponitur, dicatur poſitione pri-
A mum, in ſequenti, in qua vtrobique ſubijcitur, poſitione appelletur vltimum, & hæc eſt admodum ſubtilis, & ingenioſa interpretatio.

Secundo notandum, quod licet dicat Ariſtoteles ſyllogiſmum vtilem concludi in hac ſecunda figura, ſi vna præmiſſarum ſit vniuerſalis, & altera particularis, tamen ad hoc vt ſyllogiſmus neceſſario concludere poſſit, neceſſe eſt maiorem ſemper eſſe vniuerſalem, vel affirmatiuam, vel negatiuam, ratio eſt, quoniam ſyllogiſmi huius figuræ originem ducunt a ſyllogiſ-
B mis primæ figuræ, vt ſcilicet Ceſare, & Cameſtres a Celarent.

Secundum modum ad quem iſti reducuntur, ſiue per conuerſionem vniuerſalis negatiuæ, nempe maioris in terminis, ſiue per conuerſionem, & tranſpoſitionem, tranſpoſitis ſcilicet præmiſſis vniuerſalibus, & conuerſa minori, & concluſione in terminis, Feſtino ad Ferio conuerſa maiori in terminis, Baroco ad Barbara per reductionem ad impoſſibile. Quia ergo in prima figura maior vniuerſalis eſt, neceſſe eſt & in mo-
C dis ſecundæ figuræ à modis primæ originatis maiorem eſſe vniuerſalem.

Alia quoque poteſt aſſignari ratio ex Magno Alberto, quòd contingeret quandoque in hac ſecunda figura nullam ſequi concluſionem, ex quo maior extremitas quandoque in plus ſe haberet quàm medium: ſiquidem inferior de ſuo ſuperiori prædicatur tum affirmatiue, tum negatiue, vnde vera concluſio fieri non poſſet, cumq; concluſio affirmatiua pariter non ſequatur in hac ſecunda figura: propterea nulla eſſet
D concluſio, quòd exemplo mõſtratur, ſumpto ſcilicet aliquo genere, & ſpeciebus ſub eo, puta animali, homine, & aſino; licet enim aliquod animal ſit homo, & nullus aſinus homo, non ea propter ſequitur neceſſario, quòd nullus aſinus ſit animal, vel quòd aliquis aſinus non ſit animal, & ſic non ſequitur negatiua concluſio; ergo concluſio quandoque nulla erit; cum nec affirmatiua ſequatur in hac figura; maior itaque debet eſſe vniuerſalis.

E Vniuerſalibus igitur terminis erit ſyllogiſmus, quando medium huic quidem omni, illi verò nulli inerit, & ſi ad utrumuis ſit priuatiuum; aliter uerò nullo modo. Prædicetur enim M, de N quidem nullo, de X uerò omni. Quoniam igitur con-
F uertitur priuatiua, nulli M inerit N; at M omni X ſupponebatur: quare N nulli X inerit; hoc enim oſtenſum eſt prius. Rurſum ſi M, N quidem omni ineſt, X uerò nulli; neque N, X nulli inerit, nam ſi M nulli X

neque

neque X nulli M inerit. At verò M omni N inerat; quare X nulli inerit. Facta eſt enim rurſum prima figura: quoniam autem conuertitur priuatiuum; neque N ulli X inerit; quare erit idem ſyllogiſmus: eſt autem oſtendere hæc ad impoſſibile ducentes.

Cum poſuerit Ariſtoteles in hac ſecunda figura fieri vtilem ratiocinationem, tam ex ambabus præmiſſis vniuerſalibus, tum etiam ſi vna fuerit vniuerſalis, & altera particularis, in præſenti vult pertractare de formatione vniuerſalium ſyllogiſmorum, primo vtilium, deinde inutilium, poſita diſſimilitudine, quæ neceſſario requiritur in huiuſmodi ratiocinationibus, nempe quòd minor ſit qualitate diſſimilis maiori propoſitioni: ſi maior namque ſit affirmatiua, minor debet eſſe negatiua, & ſi maior eſt negatiua, C minor debet eſſe affirmatiua: qua diſſimilitudine exiſtente duos tradit modos vtiles ſyllogiſmorum in hac figura, quos etiam dupliciter probare videtur: primo per reciprocationem, ſecundo per deductionem ad impoſſibile. Primus modus concludit negatiuam de vniuerſale ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua: ſecundus modus pariter format concluſionem negatiuam vniuerſalem ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua. Hoc autem oſtendit exem- D plo in ſimplicibus literis, & nudis elementis: ſunt namque pro terminis hæ literæ M, N, X; M medius terminus, N maior extremitas, X minor extremitas; ex his formabimus primum modum huius ſecundæ figuræ negatiuæ concludentem ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, nullum N eſt M, omne X eſt M; ergo nullum X eſt N. Probat autem euidentiam huius coniugationis, primo per conuerſionem maioris in terminis; maiori namque ſimpliciter conuerſa, nullum M eſt N, E reliquis additis reducitur ad primum modum primæ figuræ, quæ perfecta eſt, vt vidimus: pariter in iiſdem terminis formabimus ſecundum modum vtilem eiuſdem ſecundæ figuræ vniuerſaliter negatiuæ concludentem ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, Omne N eſt M, nullum X eſt M; ergo nullum X eſt N. Huius euidentia ſimiliter probatur primo per reciprocationem, ſcilicet per tranſpoſitionem præmiſſarum, & conuerſionem minoris, & concluſionis in terminis, nul- F lum M eſt X, omne N eſt M; ergo nullũ N eſt X.

Alio quoque modo & via probatur euidentia harum coniugationum in hac ſecunda figura, ſcilicet per deductionem ad impoſſibile, quę fit quandocunque facta concluſione, ea non conceditur ab aduerſario; vnde ſumimus con- B tradictorium concluſionis, & ex ea, & altera præmiſſarum, puta maiori inferimus concluſionem, licet falſam, tali pacto, in prima coniugatione, nullum N eſt M, omne X eſt M; ergo nullum X eſt N; ſi negetur concluſio, nullum X eſt N; ergo verificabitur contradictorium, aliquod X eſt N, ex quo & poſita maiori propoſitione formabimus ſyllogiſmum talem, nullum N eſt M, aliquod X eſt N; ergo ſequitur, quod aliquod X non ſit M, poſitum tamen erat, omne X eſt M; quare idem omni, & non omni con- B gruet, quod fieri nequit; ergo impoſſibile ſequitur, quia recepimus aliquod X eſſe N. Hoc itaque falſum eſt, & eius contradictorium verum, nullum X eſt N: pariter de ſecundo modo, omne N eſt M, nullum X eſt M; ergo nullum X eſt N. Si concluſio negetur, repugnans contradictione erit verum, aliquod X eſt N, ex quo & maiori poſita formabimus talem ratiocinationem, omne N eſt M, aliquod X eſt N; ergo aliquod X eſt M; cuius oppoſitum erat poſitio, nullum X eſt M: quapropter idem congruet C alicui, & nulli, quod eſt abſurdum: & hoc ſequitur, quia nos poſuimus aliquod X eſſe N. Hoc igitur eſt falſum, & eius contradictorium erit verum, nullum X eſt N, quod erat demonſtrandum. Dicit ergo, *Vniuerſalibus igitur terminis*, vniuerſalibus exiſtentibus terminis ad medium. *Erit ſyllogiſmus*, efficietur ratiocinatio, *Quando medium huic quidem omni, illi verò nulli inerit*, ita quòd medium de vtraque extremitate vniuerſaliter prædicetur ſecundum dici de omni, & dici de nullo, affirmatiue, & ne- D gatiue, ſeruata diſſimilitudine præmiſſarum in qualitate, ſi medium huic quidem omni ineſt, illi verò nulli. *Et ſi ad vtrumuis ſit priuatiuum*, hoc eſt, ſiue maior, ſiue minor ſit affirmatiua, dummodo altera ſit vniuerſalis negatiua. *Aliter verò nullo modo*, alioquin in hac figura vniuerſalis non fit ſyllogiſmus. *Prædicetur enim M de N quidem nullo, de X verò omni*. Docet primum modum huius ſecundæ figuræ, acceptis literis, loco terminorum M, N, X; M pro medio, N pro maiori extremitate, X pro minori: E ex his formatur prima coniugatio talis conſtans ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, nullum N eſt M, omne X, M; ergo nullum X, N. *Quoniam igitur conuertitur priuatiua*. Probat euidentiam huius coniugationis per reciprocationem, ſcilicet per conuerſionem vniuerſalis negatiuæ in terminis. *Nulli M inerit N*. Conuertitur namque nullum N eſt M, ſimpliciter in terminis, nullum M eſt N. *At M omni X ſupponebatur*. Huic maiori conuerſæ addatur minor, quæ ponebatur omne X, M. F *Quare N nulli X inerit*. Sequetur concluſio, nullum X, N, & fiet ſecundus modus primæ figuræ, qui perfectus ſuperius monſtratus fuit, quod addit, dum ſequitur, *Hoc enim oſtenſum eſt prius*, ſcilicet in præcedenti capite. *Rurſum ſi M, N quidem omni ineſt, X verò nulli*. Docet ſecundum modũ huius ſecũdę figurę, qui conſtat ex maiori

affirmatiua vniuerſali, minori autem negatiua. A *Neque N, X nulli inerit*. Concluſio, ex illis præmiſſis ſequitur negatiua vniuerſalis: fiet enim talis ſyllogiſmus, omne N eſt M, nullum X, M; ergo nullum X, N. Euidentiam huius coniugationis comprobat pariter primo per reciprocationem, ſcilicet per tranſpoſitionem præmiſſarum, & conuerſionem minoris, & cõcluſionis in termini, dum dicit, *Nam ſi M nulli X, neque X nulli M inerit*. Si nullum X, M, ergo per conuerſionem etiam nullum M, X. *At vero M omni N inerat; quare X nulli N inerit*. efficietur ratiocinatio B talis tranſpoſita propoſitione nullum M eſt X, omni N, M, quod ſupponebatur; ergo nullum N, X. *Facta eſt enim rurſus prima figura*. Et tali ratione fiet iterum ſecundus modus primæ figuræ, qui perfectus eſt. *Quoniam autem conuertitur priuatiuum, neque N vlli X inerit*. Quapropter cum negatiua conuertatur in terminis, ideo conuerſa concluſione, quæ eſt negatiua vniuerſalis in terminis, nullum N, X fiet nullum X, N. *Quare erit idem ſyllogiſmus*, & ſic habemus eandem ratiocinationem. *Eſt autem oſtendere hæc ad impoſſibile ducentes*. C Comprobatur alio modo per deductionem ad impoſſibilem euidentiam huiuſmodi ratiocinationis: quomodo autem id fiat, oſtenſum eſt ſuperius. Sequitur textus.

Quoniam ergo fit ſyllogiſmus ſic ſe habentibus terminis manifeſtum, ſed nõ perfectus, non enim ſolum ex ijs, quæ ab initio ſumpta ſunt, ſed ex D alijs perficitur neceſſarium.

Colligit ex dictis, in coniugationibus traditis in hac ſecunda figura non fieri perfectam ratiocinationem; quoniam ad hoc vt neceſſario concludant, & ad eorum perfectam euidentiam aliquid addere oportet præter ea, quæ ſunt in ſyllogiſmi conſtitutione, veluti conuerſio, & tranſpoſitio in reciprocatione, & oppoſitum in deductione ad impoſſibile. Dicit igitur, *Quoniã ergo fit ſyllogiſmus ſic ſe habentibus terminis manifeſtum*. E Patet inquam in hac ſecunda figura conſtitui duos modos prænarratos de ſyllogiſmis vniuerſalibus, qui ſcilicet conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua vniuerſaliter negatiue concludentibus, & qui conſtant ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua vniuerſaliter negatiue concludentibus. Verùm ſunt imperfecti, quod inquit, *Sed non perfectus*. Ratiocinatio in hac ſecunda figura eſt imperfecta, quoniam ei deeſt F aliquid, eget alterius adminiculo: *Non enim ſolum ex ijs quæ ab initio ſumpta ſunt*. Quod intelligitur reſpectu reciprocationis. *Sed ex alijs perficitur neceſſarium*, ſcilicet argumento deducente ad impoſſibile, in quo aliquod ſumimus exemplum præter ea, quæ principio ſumebantur, vt puta oppoſitum concluſionis.

A Si autem M de omni N, & X prædicetur, nõ erit ſyllogiſmus. Termini ineſſe, Subſtantia, Animal, Ratio non ineſſe, Subſtantia, Animal Lapis; medium ſubſtantia. Nec quando de N, nec de X nullo, prædicatur M. Termini ineſſe, Linea, Animal, Homo, non ineſſe, Linea, Animal, Lapis. B

Expeditus Ariſtoteles de forma vtilium ſyllogiſmorum vniuerſalium, tranſit ad ſyllogiſmos inutiles vniuerſales, & docet ex ambabus præmiſſis affirmatiuis, ſeu negatiuis vniuerſalibus nõ poſſe fieri vtilem ratiocinationẽ in hac figura, quoniam hæ coniugationes qualitate diſſimiles, concludunt de omni, & nullo; id oſtendit primum in ea coniugatione, quæ procedit ex ambabus affirmatiuis, in his terminis namque, C Subſtantia, Animal, Homo, ſumpta ſubſtantia pro medio, ſequitur problema affirmatiuum vniuerſale, omni ineſſe, ſic, omne animal ſubſtantia, omnis homo ſubſtantia; ergo omnis homo animal. At in his, Subſtantia, Animal, Lapis, ſequitur problema negatiuum, nulli ineſſe; ſic, omne animal ſubſtantia, omnis lapis ſubſtantia; ergo ſequitur vere nullus lapis animal. Similiter inutilis eſt coniugatio, quæ procedit ex duabus præmiſſis negatiuis: ſequitur enim idem inconueniens, quod con- D trarium problema infertur, quod pariter oſtendit in terminis. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, omni ineſſe, ſunt Linea, Animal, Homo, ſumpta linea pro medio, nullum animal eſt linea, nullus homo eſt linea; ergo omnis homo animal. Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum, nulli ineſſe, ſunt Linea, Animal, Lapis, ſic nullum animal linea, nullus lapis linea; ergo nullus lapis animal. Dicit itaque, *Si autem M*, quod eſt medium, *de omni N*, quod eſt maius extre- E mum, *& X*, quod eſt minus extremum, *prædicetur*, ita vt ambæ præmiſſæ ſint vniuerſales affirmatiuæ, *non erit ſyllogiſmus*, non fiet vtilis ratiocinatio in hac figura, quod probatur, *Termini ineſſe Subſtantia, Animal, Ratio*, termini ſcilicet ſecundum quos ſequitur problema affirmatiuum omni ineſſe, *non ineſſe Subſtantia, Animal, Lapis*, termini ſcilicet, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe. *Medium ſubſtantia*, in quibus terminis ſumitur ſubſtantia pro medio, quod ſit poſitione F primum. *Nec quando de N, nec de X nullo prædicatur M*, pariter quando medium, quod eſt M, non affirmatiue prædicatur de N, quod eſt maius extremum, & de X, quod eſt minus extremum; ſed negatiuæ, ita vt de vtroque vniuerſaliter negetur, & ſcilicet ambæ ſint præmiſſæ negatiuæ non fit vtilis coniuga-

tio:

tio: & hoc oſtenditur per inſtantiam terminorum, quod ſcilicet non ſit perfecta ratiocinatio, quoniam ſequitur contrarium problema. *Termini ineſſe, Linea, Animal, Homo.* Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum omni ineſſe, ſunt Linea, Animal, Homo. *Non ineſſe, Linea, Animal, Lapis.* Termini autem, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe, ſunt Linea, Animal, Lapis.

Sequitur textus.

Manifeſtum ergo, quoniam ſi ſit ſyllogiſmus ex vniuerſalibus terminis, neceſſe eſt terminos ſic ſe habere, vt in principio diximus. Aliter enim ſe habentibus terminis non ſit concluſio neceſſaria.

In hac parte Ariſtoteles colligit ex dictis, quòd cum ex ambabus affirmatiuis, & ambabus negatiuis minime fieri valeat ratiocinatio perfecta in ſyllogiſmis vniuerſalibus, quod neceſſario requiritur diſſimilitudo præmiſſarum in qualitate in huiuſmodi coniugationibus in hac ſecunda figura; & quòd termini, & præmiſſæ debent copulari, ſicut docuit ſupra in principio, aliter & alio modo ſe habentibus terminis, & præmiſſis vniuerſalibus non fiet ſyllogiſmus, qui ex neceſſitate concludit alterum oppoſitorum, vt patet. Verba textus ſunt ita nota, vt nulla indigeant expoſitione.

D Si autem ad alterum ſit vniuerſaliter medium, quando ad maius quidem fuerit vniuerſaliter, vel prędicatiue, uel priuatiue; ad minus autem & particulariter, & oppoſite vniuerſali (Dico autem oppoſite ſi vniuerſale quidem priuatiuum, particulare prædicatiuum; uel ſi uniuerſale prædicatiuum, particulare priuatiuum) E neceſſe eſt ſyllogiſmum fieri priuatiuum particulariter: nam ſi M nulli quidem N; X autem alicui ineſt, neceſse eſt N alicui X non ineſse, quoniam enim conuertitur priuatiuum nulli M inerit N; M uero ſupponebatur alicui X ineſse, quare N alicui F eorum, quæ ſunt X, non inerit; ſit enim ſyllogiſmus per primam figuram. Rurſus ſi M, N quidem omni, X uerò alicui non ineſt, neceſse eſt N alicui X non ineſse; nam ſi X

A omni ineſt N, prędicatur autem & M de omni N, neceſse eſt M omni X ineſse, ſupponebatur autem alicui non ineſse, & ſi M, N omni quidem ineſt, X autem non omni, erit ſyllogiſmus, quoniam non omni X ineſſe N, demonſtratio autem eadem.

Declaratis ſyllogiſmis vniuerſaliter concluB dentibus vtilibus & inutilibus huius ſecundæ figuræ, modo accedit ad declarationem ſyllogiſmorum particulariter cõcludentium in eadem figura, & docet in præſenti in hac ſecunda figura fieri ſyllogiſmum vtilem particulariter concludentem ſi vna præmiſſarum fuerit alteri oppoſita in quantitate, & qualitate, ita quòd ſi maior ſit vniuerſalis & affirmatiua, minor ſit particularis, & negatiua, & ſi maior ſit vniuerſalis, & negatiua, minor ſit particularis & affirmatiua, & quorum terminorum diſſimilitudine in quanC titate & qualitate exiſtẽte docet in ſimplicibus literis duas formari vtiles coniugationes, vnam ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter negatiue concludentem, alterã ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua particulariter negatiue cõcludentem. Euidentia primę probatur per reciprocationem, conuerſa maiori in terminis, euidentia ſecundæ per deductionem ad impoſſibile. Vtramque coniugationem docet Philoſophus more ſolito exemplo deſumpto in nuD dis elementis M, N, X, in quibus prima coniugatio particulariter concludens formatur tali pacto, nullum N eſt M, aliquod X eſt M; ergo aliquod X non eſt N. Euidentia huius coniugationis probatur per reciprocationem, conuerſa ſcilicet maiori in terminis. Fit nãque reductio ipſius ad quartum modum primæ figuræ, nullum M eſt N, aliquod X eſt M; ergo aliquod X nõ eſt N; ſecũda coniugatio particularis ſic formatur, omne N eſt M, aliquod X non eſt M; ergo aliquod X non eſt N. Huius euidentia probatur arE gumento ducẽte ad impoſſibile; propterea quod negata concluſione per aduerſarium nos inferemus contradictorium; ergo omne X eſt N. Sic ergo eſt vera, omne N eſt M, & pariter hæc eſt vera per aduerſariũ, omne X eſt N, ergo ſequetur cõcluſio vniuerſalis in Barbara primo modo primæ figuræ, quòd omne X ſit M, tamen poſitum erat in minori propoſitione prioris ſyllogiſmi, quòd aliquod X non eſt M, & ſic contradictoria ſimul eſſent vera, quod eſt inconueniens; ergo ſequitur prima concluſio, quod aliquod X nõ eſt F N. Dicit igitur, *Si autem ad alterum ſit vniuerſaliter medium,* hoc eſt, ſi medium ad extremũ quodcũque ſiue maius, ſiue minus ſumatur vniuerſaliter ſecundum dici de omni, vel de nullo, ita quòd vniuerſaliter medium affirmetur, vel negetur de extremo. *Quãdo ad maius quidem fuerit vniuerſaliter vel prædicatiue, vel priuatiue,* quãdo ſci-

licet medium de maiori extremo vniuerſaliter quidem prædicatur affirmatiue, vel priuatiue. *Ad minus autem & particulariter, & oppoſite vniuerſali.* De minori verò prædicatur medium particulariter & in qualitate oppoſite ad maiorem. (*Dico autem oppoſite ſi vniuerſale quidem priuatiuũ, particulare prædicatiuum, vel vniuerſale prædicatiuum, particulare priuatiuum*) ita quod ſi maior ſit vniuerſalis, & affirmatiua minor ſit particularis negatiua, & ſi maior ſit vniuerſalis, & negatiua minor ſit particularis affirmatiua, ſic enim ſe habentibus terminis & propoſitionibus in hac figura. *Neceſſe eſt ſyllogiſmum fieri priuatiuum particulariter.* Fit ſyllogiſmus neceſſario concludens concluſionẽm priuatiuam ſiue negatiuam particularem: *Nam ſi M, nulli quidem N*, hoc eſt, ſi M, medium N, maiori extremitati nulli ineſt, ita quòd nullum N eſt M. *X autem alicui ineſt*, & illud idem medium ineſt alicui X, quod eſt minor extremitas, ita quòd quoddam X eſt M. *Neceſſe eſt N alicui X non ineße*, ſequitur neceſſario, quòd quoddam X non eſt N. Euidentia huius coniugationis probatur per reciprocationem, per conuerſionem ſcilicet maioris in terminis, quę eſt vniuerſalis negatiua. *Quoniam enim conuertitur priuatiuum nulli inerit N*, maior ſcilicet conuertitur in terminis, nullum M eſt N. *M verò ſup ponebatur alicui X ineſſe*, videlicet quoddã X eſt M. *Quare N alicui eorum, quæ ſunt X, non inerit*: ergo quoddam X non eſt N, & ſic reducitur ad quartum modum primæ figurę, qui perfectus eſt. Hinc cum iſte modus ſecundæ figuræ originem trahat à perfecta figura, & ipſe quoque concludet neceſſario. *Rurſus Si M, N quidem omni*, vlterius quarta coniugatio huius figurę fit ſi dicamus M, quod eſt medium omni N, maiori extremo ineſſe. *X verò alicui non ineſt.* Et idem medium dicamus alicui X, minori extremo non ineſſe. *Neceße eſt N alicui X non ineſſe*, fit ratiocinatio neceſſario concludens in hunc modum, omne N, M, quoddam X, non eſt M; ergo quoddam X non eſt N, & probatur hic ſyllogiſmus per deductionem ad impoſſibile: aut enim dabitur concluſio, aut oppoſitum. *Nam ſi X omni ineſt N.* Si oppoſitum huius concluſionis quoddam X non eſt N, inferratur ſcilicet omne X eſt N. *Prædicatur autem & M de omni N.* & principio ponebatur omne N eſſe M, *neceſſe eſt M omni X, ineſſe*, neceſſario ſequitur, quòd ſi omne N eſt M, & per aduerſarium omne X eſt N, quod etiã omne X eſt M. *Supponebatur autem alicui non ineße*, cum tamen in minori prioris ſyllogiſmi poneretur oppoſitum, quòd aliquod X non eſt M, & ſic contradictoria ſequentur. Idem namque congruet omni & non omni, quod eſt abſurdum: propterea falſum eſt, omne X eſſe N, & verum non omni. *Et ſi M, N omni quidem ineſt.* Pariter ſi M, medium dicatur omni quidem N ineſſe, ſcilicet omne N eſt M. *X autem non omni.* & illud idem medium, quod eſt M, non ineſt omni X, ita quòd non omne X eſt M. *Erit ſyllogiſmus.* Erit ratiocinatio concludens, quòd non

A omni X ineſt N, quod inquit, *Quoniam non omni X ineſt N.* Sequetur etenim concluſio non omne X eſt N. *Demonſtratio autem eadem.* Verùm iſte ſyllogiſmus idem eſt cum eo qui conſtat ex vniuerſali affirmatiua, & particulari negatiua, quia non omnis, & aliquis non, æquipollent: quapropter euidentia huius ratiocinationis comprobatur per deductionem ad impoſſibile ad inſtar præcedentis.

Si autem de X quidem omni, de B N uerò non omni, prædicatur M, non erit ſyllogiſmus. Termini ineſſe Animal, Subſtantia, Coruus, non ineſſe Animal, Album, Coruus, nec quando de X quidem ullo, de N verò aliquo. Termini ineſſe Animal, Subſtantia, Lapis, non ineſſe Animal, Subſtautia, Scientia.

C Cum hucuſque Ariſtoteles diſputauerit de coniugationibus vtilibus ſyllogiſmorum particulariter concludentium intentio eius in præſenti eſt diſſerere de inutilibus ſyllogiſmis particularibus, & primum confutat coniugationes inutiles, quæ ſunt qualitate diſſimiles, ſcilicet copulatas ex maiori de parte negatiua, & minori de vniuerſa re affirmatiua, eo quoniam concludunt oppoſitum problema de omni & de nullo, quod probat per inſtantiam terminorum; D termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal, Subſtantia, Coruus, tali pacto; quædam ſubſtantia non eſt animal, omnis coruus eſt animal; ergo omnis coruus eſt ſubſtantia. Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Animal, Album, Coruus, tali via, Quoddam album non eſt animal, omnis coruus animal; ergo nullus coruus albus. Poſt eam aliam ponit coniugationem inutilem in præmiſſis, qualitate diſſimilibus, copulatis ſcilicet, & maiori affirmatiua de parte, & minori negatiua E de vniuerſa re, quam pariter inutilem exiſtere comprobat conſimili ratione; quoniã contrarium problema valet inferre. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal, Subſtantia, Lapis, ſic, quædam ſubſtantia eſt animal, nullus lapis animal; ergo omnis lapis ſubſtantia. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Animal, Subſtantia, Scientia, ſic, quædam ſubſtantia eſt animal, nulla ſcientia eſt animal, ergo nulla ſciẽtia eſt ſubſtãtia. Dicit igitur, *Si autem de X quidem omni*, ſcilicet præ F dicetur M, ita quòd minor ſit vniuerſalis affirmatiua. *De N verò non omni prædicatur M.* Et hoc idem M prædicetur de N, non omni, ita quod maior ſit particularis negatiua, vel ei æquipollens. *Non erit ſyllogiſmus.* Non ſequitur ratiocinatio concludens neceſſario ex tali coniugatione, propterea quòd ſcilicet contrarium problema ratiocinabitur, quod oſtendit in terminis.

minis. *Termini ineſſe, Animal, Subſtantia Coruus.* Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal, Subſtantia, Coruus, ſumptò animali pro medio, ſubſtantia pro maiori extremo, coruo pro minori extremo. *Non ineſſe Animal, Album coruus.* Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Animal, Album, Coruus, ſumpto animali pro medio, albo pro maiori extremo, coruo pro minori extremo. *Nec quando de X quidem vllo*, ſcilicet M prædicatur, poteſt eſſe ſyllogiſmus neceſſario concludens *De N verò aliquo.* Et illud idem M prædicatur de aliquo N, ita vt minor ſit vniuerſalis negatiua, maior autem particularis affirmatiua, ſic quoddam N eſt M, omne X, M, nihil inquam neceſſario concludimus, quod probat per terminos, in quibus clare apparebit oppoſitum inferri problema. *Termini ineſſe Animal, Subſtantia, Lapis*, ſumpto animali pro medio, ſubſtantia pro maiori extremo, lapide pro minori extremo. *Non ineſſe Animal, Subſtantia, Scientia.* Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Animal, Subſtantia, Scientia, ſumpto animali pro medio, ſubſtantia pro maiori extremo, ſcientia autem pro minori. Sequitur.

Quando igitur oppoſitum eſt vniuerſale particulari, dictum eſt quando erit, & quando non erit ſyllogiſmus.

In præſenti colligit ex dictis conſtare, quando præmiſſæ diſcrepant quantitate quæ fuerint vtiles, quæ inutiles ratiocinationes. Ea enim eſt ratiocinatio vtilis, quæ ſeruata diſſimilitudine præmiſſarum in qualitate, habet inſuper maiorem vniuerſalem, & minorem eidem maiori in quantitate oppoſitam, ita vt ſi maior ſit vniuerſalis, & affirmatiua, minor erit particularis, & negatiua; & ſi maior fuerit vniuerſalis, & negatiua, minor efficiatur particularis, & affirmatiua: quæcunque verò præmiſſæ alio modo ſe habebunt, ita vt variata qualitate, in quantitate tamen non inuicem dicto modo opponantur, adeo quòd maior deſit eſſe quantitate vniuerſalis, ſed efficiatur particularis, inutilem ratiocinationem conſtituent, verba textus ſunt de ſe nota.

Quando autem ſimilis figuræ fuerint propoſitiones, aut ambæ priuatiuæ, vel affirmatiuæ, nullo modo erit ſyllogiſmus. Sint enim primum priuatiue, & uniuerſale ponatur ad maiorem extremitatem, vt M, N, quidem nulli, X autem alicui non inſit. Contingit ergo & omni, & nulli X ineſſe N; Termini quidem nulli ineſſe Nigrum, Nix, Animal: omni verò

A ineſſe non eſt ſumere. Si M alicui quidem X ineſt, alicui autem non: nam ſi omni X, ineſt N, & M nulli N, etiam M nulli X inerit, ſed poſitum erat alicui ineſſe; non igitur ſic ſumere contingit terminos. Ex indefinito autem oſtendendum eſt; quoniam enim verum eſt M non B ineſſe alicui X, & ſi nulli ineſt, nulli verò cum inſit, non erit ſyllogiſmus, manifeſtũ, quoniã neque nunc erit.

Cum ſuperius docuerit Ariſtoteles inutiles ratiocinationes exiſtentes ſecundum diſcrepantiam qualitatis, nunc vult oſtendere alias inutiles ratiocinationes ob ſimilitudinem qualitatis, ita vt ſicuti in præcedentibus habuimus declaratam primam proprietatem huius figuræ, quod C maior debet eſſe vniuerſalis, & minor eidem maiori in quantitate diſſimilis, in præſenti habeamus aliam proprietatem eiuſdem figuræ neceſſariam, ſcilicet quòd præmiſſæ debeant quoque eſſe qualitate diſſimiles.

Et primum docet eam eſſe inutilem coniugationem, quę conſtat ex maiori de vniuerſa re negatiua, & minori negatiua de parte; propterea quod contrarium problema inferre valet, & affirmatiuum, & negatiuum. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Nigrum, D Nix, Animal, ſumpto nigro pro medio, niue pro maiori extremo, animali pro minori extremo, ſic nulla nix nigrum, quoddam animal non eſt nigrum; ergo nullum animal nix. Sequitur inſuper problema affirmatiuum, quando termini in minori propoſitione non accipiantur particulariter, ita vt poſſint alicui ineſſe, & non ineſſe, veluti in materia contingenti, non omnis homo ambulat, ſed termini ipſi ſic accipiantur indeterminate, ita vt poſſit minor accipi particulariter, ſi alter non ineſt, & etiam vniuerſaliter ſi nulli E ineſt, veluti in materia neceſſaria, non omnis homo lapis, quæ indeterminate, & particulariter, aliquis homo non eſt lapis, & vniuerſaliter, nullus homo eſt lapis, accipi valet. In his inquam terminis problema affirmatiuum inferri poteſt, ſed non in aliis, quoniam tũc ſequeretur impoſſibile, ſcilicet aliquid alicui & nulli ineſſe. Termini autem in materia neceſſaria, in quibus affirmatiuum problema ſequitur, ſunt Animal, Inanimatum, Lapis, ſic nullũ inanimatum animal; non omnis lapis animal; ergo omnis la- F pis inanimatum, Dicit igitur: *Quando autem ſimilis figuræ fuerint propoſitiones.* Quando ſcilicet præmiſſæ conueniunt in qualitate. *Aut ambæ priuatiuæ, vel affirmatiuæ*, vt ambæ ſcilicet vniuerſalis, & particularis ſint negatiuę, vel affirmatiuæ. *Nullo modo erit ſyllogiſmus*, nullo pacto ſequitur ratiocinatio neceſſario concludens. Sint

enim

enim primam priuatiua. Primo conſideramus quod amb; præmiſſæ ſint negatiuæ. *Et vniuerſale ponatur ad maiorē extremitatem, vt M, N quidem nulli*, ita quod maior ſit vniuerſalis negatiua. *X autem alicui non inſit*, & minor ſit particularis negatiua, & hoc eſt ſic nullum N eſt M, aliquod X non eſt M, tunc non ſequetur ratiocinatio concludens neceſſario. *Contingit ergo & omni, & nulli X ineſſe N*; propterea quod contingit maiorem extremitatem, & omni, & nulli ineſſe minori extremitati: ita quod ſequitur & problema affirmatiuū, omne X eſt N, & negatiuum, nullum X eſt N. *Termini quidem nulli ineſſe nigrum, Nix, Animal*. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, & contingit nulli ineſſe, ſunt Nigrum, Nix, Animal, ſic ſumpto nigro pro medio, niue pro maiori extremo, & animali pro minori extremo, nulla nix nigrū, quoddam animal non eſt nigrum; ergo nullū animal nix. *Omni verò ineſſe nō eſt ſumere ſi M alicui quidē X ineſt, alicui autem non*. Termini verò, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, & contingit omni ineſſe, non eſt ſumere particulariter in materia ſcilicet contingenti, ita quòd M alicui inſit X, & alicui non inſit, ita vt poſſit alicui ineſſe, & non ineſſe, vt in hac coniugatione nullum N eſt M, aliquod X non eſt M; minor negatiua non debet ſumi particulariter, ita vt alicui ineſſe, & non ineſſe poſſit. *Nam ſi omni X ineſt N, ita quòd omne X ſit N, & M nulli N*: & prima propoſitio ſit, nullum M eſt N, *etiam M nulli X inerit*, ſequitur quòd nullum X ſit M, *Sed poſitum erat alicui ineſſe*. Et hoc eſt contra illud, quod ſupra ponebatur in minori aliquod X eſſe M, & aliquod X non eſſe M. *Non igitur ſic ſumere contingit terminos*: quapropter cum ſequatur id, quod fieri nequit, termini non ſic accipi debent, vt ſcilicet particulariter ſignificent. *Ex indefinito autem oſtendendum eſt*, ſed in minori termini ita ſunt ſumendi, vt indeterminate ſignificet particulariter ſi contingit alteri non ineſſe, & non vniuerſaliter ſi contingit nulli ineſſe. *Quoniam enim verū eſt M non ineſſe alicui X, et ſi nulli ineſt*: nullo namque modo nullū ſequatur inconueniens ob vtraque propoſitio, & particularis negatiua, & vniuerſalis veritatem amplecti valeat. *Nulli vero cum inſit non erit ſyllogiſmus*. Ea quia cum minor ſit particularis negatiua, non poteſt fieri ratiocinatio vtilis, vt ſi dicamus nullum N eſt M, nullum X eſt M: propterea quod, vt ſupra probatum fuit, vtrumque ſequitur problema. *Manifeſtum, quoniam neque nunc erit*. Patet ſimiliter non fieri vtilem ſyllogiſmum, quando minor eſt particularis negatiua, ſumpta indeterminate, propterea quod vniuerſali negatiuæ æquipollet. Sequitur textus.

Rurſum ſi prædicatiue, & vniuerſale ponatur ſimiliter, vt M omni quidem N; X autem alicui inſit: cōtingit ergo & omni, & nulli X in-

A eſſe. Termini nulli ineſſe Album, Cygnus, Lapis; omni verò non erit ſumere terminos propter eandē cauſam, quam & prius, ſed ex indefinito monſtrandum eſt.

Proſequitur docere Philoſophus inutiles coniugationes procedentes, & ſimilitudine in qualitate, & inquit eam coniugationē eſſe quoque inutilem, in qua ambæ præmiſſæ ſunt affirmati-
B uæ, ita vt maior ſit affirmatiua de vniuerſa re, & minor ſit affirmatiua de parte; propterea quod in huiuſcemodi coniugatione ſequitur problema contrarium omni, & nulli ineſſe. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Album, Cygnus, Lapis, ſumpto albo pro medio, cygno pro maiori extremo, & lapide pro minori extremo, ſic omnis cygnus albus, aliquis lapis albus; ergo nullus lapis cygnus. Problema affirmatiuū ſequitur in terminis ſūptis indefinite, nō particulariter eadem ratione, prout in proxima
C præcedēti coniugatione dicebatur. Sint itaque termini Subſtātia, Animal, Homo, ſūpta ſubſtātia pro medio, animali pro maiori extremo, homo pro minori extremo, ſic omne animal ſubſtātia, aliquis homo ſubſtantia; ergo omnis homo animal. Dicit igitur, *Rurſum ſi prædicatiue, et vniuerſaliter ponatur*. Vlterius inutilis erit coniugatio ſi medium vt prędicatiuū particulariter ponatur ad minorem extremitatem, ita quòd minor ſit particularis affirmatiua, & maior ſit ſimilis qualitatis cum ea, ſed diſſimilis quantitatis,
D ita ſcilicet quòd ſit vniuerſalis affirmatiua. *Vt M omni quidem N; X autem alicui inſit*. Vt dicatur M quidem omni ineſſe N, & idem M dicatur alicui X ineſſe, ſic omne N eſt M, aliquod X eſt M. Hæc coniugatio erit inutilis; propterea quod, *Contingit ergo & omni, & nulli X ineſſe*. Sequitur inquam vtrumque problema negatiuum, ſcilicet nulli ineſſe, & affirmatiuū omni ineſſe; quod probat per inſtantiam terminorum: *Termini nulli ineſſe, Album,*
E *Cygnus, Lapis*. Termini, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt Album, Cygnus, Lapis, ſumpto albo pro medio, cygno pro maiori extremo, lapide pro minori extremo. *Omni verò non erit ſumere terminos propter eandem cauſam, quā et prius*. Problema autē affirmatiuum, omni ineſſe non ſequitur in terminis particulariter ſumptis, in quibus ſequitur alicui non ineſſe, & alicui ineſſe. Ea propter enim maior extremitas non poteſt omni ineſſe. *Sed ex indefinito monſtrandum eſt*. ſed problema negatiuum ſequitur ſuper his terminis indefinitis, qui & vniuerſaliter, & parti-
F culariter poſſunt verificari; ea enim, quæ dicitur aliquod X eſt M, vera eſt in materia indefinitæ ſumpta ſi omne X eſt M, & ſi non omne X, ſed aliquod X eſt M, & aliquod non eſt M, [illegible] & maiori vniuerſali affirmatiua, & minori pariter vniuerſali affirmatiua vtilis ratiocinatio ſequi non poſſit, propterea quod vtramque pro-

problema infertur vt ſuperius mõſtratum fuit. A Hinc iuncta minori indefinita, quæ vniuerſali propoſitione æquipollet eidem maiori vniuerſali, ſyllogiſmus vtilis, ex tali coniugatione minime fieri poteſt.

Si autem uniuerſale ad minorem extremitatẽ eſt, & M, X quidẽ nulli, N verò alcui non ineſt; contingit N & omni, & nulli X ineſſe; Termini ineſſe Album, Animal, Coruus; B **non ineſſe Album, Lapis, Coruus.**

Pariter eam docet Ariſtoteles eſſe inutilem coniugationem in hac ſecunda figura, quæ copulatur ex minori, de vniuerſa re negatiua, & maiori de parte negatiua; propterea quod in ea ſequitur omni & nulli ineſſe. Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe, ſunt Animal, Album, Coruus, animal medium, album maior extremitas, coruus minor extremitas, ſic non omne animal album, nullus coruus albus; ergo omnis C coruus animal. Termini, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt Lapis, Albus, Coruus, albus medium, lapis maior extremitas, coruus minor extremitas, ſic nõ omnis lapis albus, nullus coruus albus: ergo nullus coruus lapis. Inquit igitur; *Si autem vniuerſale ad minorem extremitatem eſt.* Si medium ponatur vniuerſale in minori extremitate, ita vt minor ſit vniuerſalis negatiua. *Et M, X quidem nulli*, ita quod medium M nulli inſit X, minori extremo. *N verò alicui non ineſt.* Et illud idem mediũ M alicui N, quod eſt ma- D ius extremum non inſit; ita vt maior ſit particularis negatiua, & fiat coniugatio talis, Aliquod N non eſt M, nullum X eſt M, inutilis fit coniugatio: propterea quod *Contingit N & omni, & nulli X ineſſe.* Sequitur inquam contrarium problema affirmatiuum omni ineſſe, & negatiuum nulli ineſſe, quod probat per inſtantiam terminorum. *Termini ineſſe Album, Animal, Coruus.* Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt album ſumptum pro medio, animal ſumptum pro maiori extremo, & coruus pro E minori extremo. *Non ineſſe Albũ, Lapis, Coruus.* Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt album ſumptum pro medio, lapis pro maiori extremo, & coruus pro minori extremo. Sequitur textus.

Similiter autem & ſi prædicatiuæ fuerint propoſitiones, Termini non ineſſe Album, Animal, Nix, ineſſe Album, Animal, Cygnus. Manifeſtum eſt igitur quoniam ſi ſimilis figuræ ſint propoſitiones, & hæc quidem vniuerſalis; illa verò particularis, quoniam nullo modo fit ſyllogiſmus.

A In hac parte concludit Philoſophus inutiles cõiugationes ratione diſſimilitudinis qualitatis, & oſtendit eam quoque eſſe inutilẽ coniugationem, quę copulatur ex maiori affirmatiua de parte, & minori affirmatiua de vniuerſa re, cauſa ſæpe dicta: propterea quod ſequitur problema contrarium, & affirmatiuum, & negatiuum omni & nulli ineſſe. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe, ſunt Animal, Album, Nix, animal ſumptum pro maiori extremo, albũ pro medio, nix pro minori extre- B mo. Maior ſic, aliquod animal album, minor omnis nix alba; ergo cõcluſio, nulla nix animal. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuũ omni ineſſe, ſunt Animal, Album, Cygnus, animal loco maioris extremi, album loco medij, cygnus loco minoris extremi, ſic aliquod animal album, omnis cygnus albus; ergo omnis cygnus animal. Ponderamus verba. *Similiter autem & ſi prædicatiuæ fuerint propoſitiones* Pariter inutilis eſt coniugatio, ſi ambæ pręmiſſę fuerint affirmatiuę, vt puta maior ſit particularis affir- C matiua, & minor vniueſalis affirmatiua, & probatur inutilitas huius coniugationis per inſtantiam terminorum: propterea quod ſequitur maiorem extremitatem minori, & omni, & nulli ineſſe: *Termini non ineſſe, Album, Animal, Nix.* Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe; ſunt album ſumptum pro medio, animal pro maiori extremo, nix pro minori extremo. *Ineſſe Album, Animal, Cygnus.* Termini autem, in quibus ſequitur problema affirmatiuum omni ineſſe, ſunt album loco medij, D animal loco maioris extremi, cygnus loco minoris extremi. *Manifeſtum eſt igitur quoniam ſi ſimilis figuræ ſint propoſitiones.* Patet ergo ex ſupra declaratis, quod ſi ambæ præmiſſæ in hac ſecunda figura ſint ſimilis formæ & qualitatis. *Et hæc quidem vniuerſalis, illa verò particularis.* Et vna harum præmiſſarum ſit vniuerſalis, altera particularis, & ſic diſſimilis quantitatis. *Quoniam nullo modo fit ſyllogiſmus:* Quod ex huiuſmodi coniugationibus ſic copulatis, & ordinatis nulla ratiocinatio vtilis ſequi poteſt. E

Sed nec ſi alicui vtrique ineſt, vel non ineſt, vel huic quidem ineſt, illi verò non, vel neutri omni, vel indefinitæ. Termini autem communes omnium, Album, Animal, Homo; Album, Animal, Inanimatum.

Cum hactenus patefecerit Ariſtoteles quæ coniugationes ſint vtiles, & quæ inutiles, ex pro- F poſitionibus vniuerſalibus copulatis; & quæ pariter vtiles, & inutiles quando altera præmiſſarum ſit vniuerſalis, & altera particularis, modo in hac vltima parte capitis docet inſuper fieri inutilem ratiocinationem, quando coniugationes ita ſe habeant, vt ambæ præmiſſæ ſint particulares, vel ei æquiualentes, vel indefinitæ, vel

vna

vna partieularis, & altera indefinita, quæcumque fuerit ſiue maior, ſiue minor, & ambæ vel affirmatiuæ, vel negatiuæ, vel vna affirmatiua, & altera negatiua, quæcumque ſit vel maior, vel minor, omnes inquam hæ coniugationes, quæ ex variatione tali augentur vſque ad ſexdecim ſunt inutiles: propterea quod in eis ſequitur problema contrarium omni & nulli ineſſe. Termini communes harum omnium coniugationum, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt album pro medio; animal pro maiori extremo, homo pro minori extremo, ſic aliquod animal album, aliquis homo albus; ergo omnis homo animal. Termini verò communes, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Album, Animal, Inanimatum, album loco medij, animal loco maioris extremi, Inanimatum loco minoris extremi, ſic aliquod animal album, aliquod inanimatum album; ergo nullum inanimatum animal. *Sed nec ſi alicui vtrique ineſt, vel non ineſt.* Si ponatur vtraque præmiſſarum particularis, et ſi dicatur M medium vtique extremitatis, N ſcilicet & X ineſſe, vel non ineſſe. *Vel huic quidem ineſt, illi verò non.* Vel particulariter dicatur huic quidem extremitati maiori; vel minori ineſſe, illi verò maiori, vel minori dicatur non ineſſe, ita vt ambæ præmiſſæ ponatur particulares, *vel neutri omni*, vel ſi dicatur mediū neutro extremo ineſſe omni, quod æquipollet particulari, *vel indefinite*, vel dicatur medium vtrique extremo ineſſe, vel nō ineſſe indefinite, quoniam indefinitum, & particulare æquipollent; nulla inquam talium coniugationum vtilis erit; propterea quod vtrumque problema ſequetur. *Termini autem communes omnium Album, Animal, Homo.* Termini communes harum omnium coniugationum, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt album, quod eſt medium, animal, quod eſt maius extremum, homo, quod eſt minus extremus. *Album, Animal, Inanimatum.* Termini verò in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt album pro medio, animal pro maiori extremo, inanimatū pro minori extremo.

Sequitur textus.

Manifeſtum eſt igitur ex prædictis quoniam ſi ſic ſe habent termini ad inuicem, vt dictum eſt, fit ſyllogiſmus ex neceſſitate, & ſi fit ſyllogiſmus, neceſſe eſt terminos ſic ſe habere.

Conſtare ex prædictis, quòd ſi ſic ſe habēt termini in ordinatione ad inuicē, vt dictum eſt in diſpoſitione ſyllogiſmorum vtilium, quod ſcilicet præmiſſæ ſint ambæ vniuerſales, & vna affirmatiua, & altera negatiua, vel vna maior vniuerſalis, & altera minor particularis, & vna affirmatiua, altera negatiua, fit ſyllogiſmus perfectus, & vtilis vnum determinatū problema concludēs, & è conuerſo ad hoc vt vtilis ratiocinatio ſequa A tur, neceſſe eſt terminos & præmiſſas modo prędicto eſſe diſpoſitas, & copulatas. Verba ſunt de ſe nota.

Palam antem, & quoniam omnes imperfecti ſunt, qui in hac figura ſunt ſyllogiſmi; omnes enim perficiuntur aſſumptis quibuſdam. vel quæ inſunt terminis ex neceſſi B tate, vel ponuntur velut hypotheſes, vt quando per impoſſibile oſtendimus; & quoniam non fit affirmatiuus ſyllogiſmus per hanc figuram, ſed omnes priuatiui, & vniuerſales, & particulares.

Colligit inſuper ex prænarratis notum eſſe, quòd licet ſint aliqui ſyllogiſmi perfecti concludentes C ex neceſſitate ſuę inferentiæ aliquod particulare problema; omnes tamē qui reperiuntur in hac figura ſunt imperfecti, quatenus ad hoc vt concludant ex neceſſitate terminorum, perficiuntur quibuſdam aſſumptis, quæ vel inſunt terminis ex neceſſitate, vti quæ indigent reciprocatione, ſicut eſt conuerſio, & terminorum per conuerſionem tranſpoſitio, vel ponuntur, ſiue conceduntur velut hypotheſis, uti ſunt aſſumptiones datæ ab aduerſario, ex quibus deducitur id quod fieri nequit. Inſuper inquit eſſe D manifeſtum ex prædictis, quòd in hac ſecunda figura non fit ſyllogiſmus affirmatiue concludens; propterea quod neceſſe eſt alteram pręmiſſarum eſſe negatiuam: & ideo nec extremum extremo poteſt coniungi niſi per negationem, cum extremum non reſpiciat extremum, niſi per medium. Hinc omnes vtiles ſyllogiſmi in hac figura ſūt omnes negatiui: ita quòd negatiuas concludunt concluſiones, vel vniuerſaliter cōcludentes, vel particulariter, vt viſum eſt ſuperius.

E Et hæc de ſecunda figura dicta ſatis.

Super Quinto Capite de ſecunda figura ex propoſitionibus exiſtentibus pro Iurisſtudioſis.

DVo potiſſimum habentur in hoc Capite.

Primum, Quid ſit ſecunda figura.

Secundum, Quot ſint modi vtiles F in hac figura.

Quo ad primum, ſecunda figura ea eſt, in qua medium prædicatur de vtroque extremo, vt patet in hoc exemplo.

Nullus lapis eſt animal rationale,
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Nullus homo eſt lapis.

In

In hoc ſyllogiſmo Animal rationale, quod eſt medium, prædicatur de vtroque extremo in vtraque præmiſſarum. Hinc ratiocinatio talis dicitur fieri in ſecunda figura.

Quo ad ſecundum quatuor ſunt modi vtiles in hac ſecunda figura.

Primus modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua vniuerſaliter negatiue concludentibus, & appellatur *Ceſare*.

Secundus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua vniuerſaliter negatiue concludentibus, & appellatur *Cameſtres*.

Tertius modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, particulariter negatiue concludentibus, & appellatur *Feſtino*.

Quartus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua particulariter negatiue concludentibus, & appellatur *Baroco*.

De quibus omnibus tradidi exempla in terminis naturalibus in expoſitione capitis; propterea in præſenti miſſa facio.

Supereſt vt in iure huius ſecundæ figuræ, & coniugationum in ea exiſtentium vſum apperiamus.

Accipiantur itaque tres termini in iure, ſcilicet Obligatio, Conſilium, Suadens abſque dolo. Obligatio ſit maior extremitas, Cõſilium ſit medium, Suadens ſine dolo ſit minor extremitas.

In his terminis in ſecunda figura efficiamus primam coniugationem, nempe *Ceſare* variatis propoſitionibus ſecundum qualitatẽ, ita vt maior ſit vniuerſalis negatiua, minor ſit vniuerſalis affirmatiua, & ſumpto medio conſilium ita diſpoſitam, vt in vtraque præmiſſarum de vtroque extremorum prædicetur tali pacto.

CE- Nullus obligatur ex conſilio mandati, quod impertit alteri.
SA- Omnis, qui ſine dolo ſuadet alicui prædij venditionem dat alteri conſilium, ergo
RE. Nullus, qui ſuadet alicui ſine dolo prædij venditionem, obligatur.

Maior & minor probatur, §. tua tantum gratia. Inſtitu. mandati. & l. conſilij. ff. de regulis iuris.

Exemplum ſecundi modi, nempe *Cameſtres*, formetur in terminis ſequentibus, ſint namque,

Contractus ſocietatis,
Culpa, & dolum.
Depoſitum.

Primus terminus ſit maior extremitas. Secundus terminus ſit medium. Tertius terminus ſit minor extremitas.

Deinde ſumpto medio, nempe culpa, & doloi ita diſponatur, vt in vtraque propoſitione ſit loco prædicati, & variata qualitate propoſitionum copulemus coniugationem talem.

A CA- Omnis contractus ſocietatis, & culpam & dolum recipit.
ME- Nullum depoſitum culpa & dolum recipit, ergo.
STRES. Nullum depoſitum idem eſt, quod contractus ſocietatis.

Maior & minor probantur in l. contractus, ff. de reg. iur.

Pro exemplo tertij modi, puta *Feſtino*, ſunt tres termini, Furtum, Affectus furandi, Titius.

Primus terminus ſit maior extremitas. Secun-
B dus ſit medium. Tertius ſit minor extremitas.

Poſtea poſito medio affectu furãdi in vtraque præmiſſarum loco prædicati, variatiſq; iiſdem præmiſſis ſecundum quantitatẽ, & qualitatem, efficiatur coniugatio talis.

FE- Nullum furtum fit ſine affectu furandi.
STI- Titius rem alienam ſuſtulit ſine affectu furandi, ergo
NO. Titius furtum non commiſit.

Maior probatur. §. & in ſumma. Verſ. &
C placuit. Inſtitu. de oblig. quæ ex delicto naſcuntur.

Minor ſupponitur.

De quarto modo ponatur exemplum in his terminis, ſint Iniuria, Affectus, Sempronius.

Iniuria ſit maior extremitas, Affectus ſit medium, Sempronius ſit minor extremitas.

Tunc variatis maiori & minori propoſitionibus ſecundum quantitatem & qualitatem, & poſito medio affectu loco prædicati in vtraque præmiſſarum figuremus coniugationem
D ſequentem.

BA- Omnis iniuria ex affectu facientis conſiſtit.
RO- Sempronius Titium læſit ſine affectu, ergo
CO. Sempronius Titium non iniuria affecit.

Maior confirmatur, l. illud relatum. §. cum enim. ff. de iniurijs.

Minor ſupponitur.

Huiuſmodi nudis formis argumentandi in
E ſecunda figura, quandoque vtitur Imperator, veluti in l. emptio. C. de contrah. empt. in Cameſtres.

Omnis emptio, & venditio conſenſum deſiderant.
Furioſus non habet vllum conſenſum, ergo.
Furioſus non poteſt emere, & vendere.

Quandoque etiam Rhetorum imitatione in iure argumentationes tales conſtant quinque partibus, maiore ſcilicet, & eius confirmatione;
F minore & eius confirmatione, & concluſione, vt in principio Inſt. Inſtin. Maior eſt, Imperatoris eſt, vt armis & legibus valeat: mox additur ratio, vt vtroque tempore & bellorum & pacis recte ſubditos poſſit gubernare. Minor eſt; Ego Iuſtinianus vtriuſque rebus tam armis quam legibus pollui. Aſſumptio confirmatur Armis quod multas gentes barbaras bello ſuperaui legibus,

gibus, quod multas leges & ipſe promulgaui, & ab alijs compoſitas in lucem edidi, & produxi. Concluſio quæ manifeſta eſt more Rhetorum hic omittitur, quod ſcilicet ergo meritò ſibi vendicet Imperatoris nomen. A

Ex quibus ſatis conſtat quomodo copioſe argumẽtationes in ſecũda figura ampliari poſſint.

Et hæc ſuper ſecunda figura in gratiam Iuriſtarum ſufficiant.

Tertia figura ex propoſitionibus inexiſtentibus. Caput Sextum. B

SI autem eidem hoc quidem omni, illud uerò nulli ineſt; figuram quidem huiuſmodi uocotertiam; medium autem in hac dico, quo de ambo prædicamus: extremitates uerò quę prędicantur; maiorem autem extremitatem, quæ longius eſt medio, minorem uerò quæ propius. C

Expedictus Ariſtoteles de ſecunda figura accidet ad declarationem tertiæ eundem ordinem ſeruans, quem & in præcedentibus.

Primo, deſcribit ſecundam figuram.

Secundo, deſcribit medium ſecundæ figuræ. D

Tertio, extremitates.

Quarto, quid maior extremitas, quid minor.

Poſtea ſe conuertit ad modos vtiles, & inutiles aperiendos huius ſecunde figuræ.

Tertia figura ſyllogizandi ea eſt, in qua vtrũque extremum de medio enunciatur vel vniuerſaliter, vel particulariter, vel affirmatiuè, vel negatiue.

Medium in hac tertia figura illud eſt, quod ſubijcitur vtrique extremo.

Extrema in hac tertia figura ea ſunt, quæ de medio enunciantur. E

Maius extremum illud eſt, quod in ordine Prædicabilium longius abeſt a medio, quatenus ſcilicet minus aſſimilatur medio, ex quo medium ſemper ſubijcitur in hac figura, maior extremitas ſemper prædicatur.

Minus extremum illud eſt, quod eſt propius medio, vt pote quod in concluſione ſubijcitur. Dicit igitur, *Si autem eidem*, ſcilicet ſubiecto, quod medium eſt, *hoc quidem*, puta maius extremum, *omni*, ineſt ſcilicet, ita quod vniuerſaliter maius extremum prædicatur de medio: *Illud verò*, minus extremũ, *nulli ineſt*, medio; ita quòd vniuerſaliter minus extremũ remouetur à medio, *vel ambo omni*, vel ſi ambo extrema inſint omni medio; ita quòd vtrumque extremum de medio prædicatur vniuerſaliter, *vel nulli*, vel F etiam ſi ambo extrema nulli inſint medio, ita quòd vtrumque vniuerſaliter negetur de medio. *Figuram quidem huiſmodi voco tertiam.* figuram terminorum ita diſpoſitorum & ordinatorum voco tertiam, in qua mediũ bis ſubijcitur, & vtraque extremitas de medio prædicatur. *Medium autem in hac dico*. Illud vero eſt mediũ in hac figura per ſimilitudinẽ, & Metaphorice. *Quo de ambo prædicamus*. De quo ſicut de ſubiecto ambo extrema prædicãtur. *Extremitates verò quæ prædicantur.* Ipſa prædicata quæ enunciãtur de medio in vtraque præmiſſarum. *Maiorem autem extremitatem*, voco ſcilicet, *qui longius eſt medio*, quæ longius diſtat à medio. *Minorẽ verò*, extremitatem voco, *quæ propius*, quæ eſt proximior medio.

Ponitur autem medium quidem foras extremitatum, ultimum uerò poſitione eſt. Perfectus igitur non fit ſyllogiſmus nec in hac figura, poſſibilis uerò erit uniuerſaliter, & non uniuerſaliter terminis exiſtentibus ad medium.

Deſignata tertia figurá, & terminis eam conſtituentibus modo duo colligit ſicuti & in priori Capite; primum quòd in hac figura non reperitur ſyllogiſmus perfectus; propterea quòd medium in hac figurá non collocatur inter extrema, ita vt ſit poſitione medium, ſed vltimum tenet locum. Ex quo ſequitur quòd non ſit perfectus, poteſt tamen fieri quatenus reducitur ad primam figuram; alterum, quod colligit Philoſophus, eſt, quod ſyllogiſmi ſequuntur vtiles in hac tertia figura, non ſolum ſi vtrumque extremũ de medio prædicetur vniuerſaliter, ſed ſi vnũ prædicetur de medio vniuerſaliter, & alterum particulariter. Ideo inquit: *Ponitur autẽ medium quidem foras extremitatũ*. Nõ inter extrema collocatur. *Vltimum verò poſitione eſt*, ita vt locum vltimum ſibi vendicet. *Perfectus igitur non fit ſyllogiſmus nec in hac figura*. Ex quo ſequitur, quòd in hac tertia figura non ſit ratiocinatiò perfecta. *Poſſibilis verò erit vniuerſaliter, & non vniuerſaliter exiſtentibus terminis ad medium*. Poteſt inſuper ratiocinationem perfectam ſequi, ſi ambæ propoſitiones fuerint vniuerſales, & pariter ſi vna fuerit de vniuerſa re, & altera de parte, ita quòd in vna præmiſſarum vnius extremorum de medio vniuerſaliter enuncietur, & in altera præmiſſarum, alter extremorum de medio particulariter enuncietur.

Vniuerſaliter quidem, quando & P, & R inerunt omni S, quod alicui R inerit P ex neceſſitate; nam quoniam conuertitur prædicatiua inerit S alicui R. Quare quoniam P ineſt

omni

omni S, & S alicui R, neceſſe eſt P alicui R ineſſe. Fit enim ſyllogiſmus per primam figuram; eſt autem & per impoſſibile, & expoſitione facere demonſtrationem. Si enim ambo omni S inſunt, ſi ſumatur aliquod eorum, quæ ſunt S, vt N, huic & P & R inerũt ex neceſſitate. Quare alicui R inerit P.

In hac parte Ariſtoteles incipit declarare coniugationes huius tertiæ figuræ; & primo ponit primam, quæ conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue cõcludentibus sũptis pro terminis nudis elementis P, R, S: P pro maiori extremitate, R pro minori, S pro medio, ſic, omne S eſt P, omne S eſt R; ergo aliquod R eſt P. Euidentiam huius ratiocinationis oſtendit tripliciter, primo per reciprocationem, conuerſione ſcilicet minoris in parte: vniuerſalis enim affirmatiua conuertitur in particularem, aliquod R eſt S, & ſic fit tertia coniugatio primæ figuræ, omne S, P, aliquod R, S, ergo aliquod R, P: ſecundo idem oſtendit per deductionem ad impoſſibile, veluti ſi negatur conclusio aliquod R, P, vera erit contradictoria, nullum R, P, ſed ponebatur omne S, R; ergo ſequitur in ſecunda coniugatione primæ figuræ, nullum S, P, ſed ponebatur in maiori prioris ſyllogiſmi, omne S, P; quapropter idem de omni, & nullo enunciabitur: ſed hoc fieri nequit, & id procedit, quia ponebatur nullum R, P, quod eſt falſum; ergo contradictoria vera erat, aliquod R, P: tertio idem confirmat argumento, quod vocat per expoſitionem. Si enim P, & R, de omni S, prædicantur, omne S, P, omne S, R; ergo & de aliqua parte ipſius S. Hinc ſi aliquam partem accipiamus ipſius S, quæ ſit N, hæc erit communis pars ipſi P, & R. Quia ergo aliquod N, quod eſt pars ipſius S, ex neceſſitate eſt R, & P: ergo aliquod R, nempe N, eſt P. Exemplum de omnibus ſupradictis facilioris doctrinæ gratia ponatur in terminis naturalibus. Sint namque tres termini, Animal, Subſtantia, Homo, animal maior extremitas, ſubſtantia minor extremitas, homo medium, & formetur coniugatio talis, omnis homo animal, omnis homo ſubſtantia; ergo aliqua ſubſtantia animal. Euidentia huius ratiocinationis, comprobatur per ſimplicem reciprocationem, conuerſione minoris in parte, aliqua ſubſtantia eſt homo, & fiet tertia coniugatio primæ figuræ ex maiori affirmatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de parte cõcludens affirmatiuam de parte, omnis homo eſt animal, aliqua ſubſtantia eſt homo; ergo aliqua ſubſtantia animal. Comprobatur per deductionem ad impoſſibile huiuſcemodi coniu-

A gatio tali pacto: Si quiſpiam hanc cõcluſionem
negabit, aliqua ſubſtantia eſt animal, ſequitur ve
rum contradictorium, nulla ſubſtantia eſt ani-
mal. Si itaque per aduerſarium hæc eſt vera, nul
la ſubſtantia eſt animal, & ponebatur hæc vera,
omnis homo eſt ſubſtantia; ergo ſequitur in ſe-
cundo modo primæ figuræ, nullus homo eſt ani
mal, ſed ponebatur in maiori prioris ſyllogiſmi,
quod omnis homo eſt animal; ergo idem omni,
& nulli conueniet, quod fieri nequit, & hoc ſe-
quebatur, quia poſitum erat, quod nulla ſubſtan
B tia eſt animal; itaque hoc eſt falſum, & verum
contradictorium, aliqua ſubſtanria eſt animal.
Per ſyllogiſmum expoſitorium confirmatur ta-
li ratione; Si animal & ſubſtantia, de omni homi
ne enunciãtur, etiam de aliquo enunciabuntur.
Si ergo ſumatur aliquid hominis, puta Plato, hic
erit ſubſtantia & animal: quare aliqua ſubſtãtia,
nempe Plato eſt animal. Conſideremus textum.
Vniuerſaliter quidem. Fit ſyllogiſmus vniuerſali-
ter in hac figura, ſcilicet conſtans ex præmiſſis
vniuerſalibus, non quod vniuerſaliter conclu-
C dat, ſumptis pro maiori & minori extremitate
et medio terminis ſuprapoſitis P, R, S, *Quan-
do & P, & R inerunt omni S.* Quando P maior
extremitas, & R minor extremitas, ſicuti enun-
ciata prædicantur de omni S, tanquam medio.
Quod alicui R inerit P ex neceſſitate; concludent
virtute medij, quod alicui R inerit P; ſic, omne
S, P, omne S, R; ergo aliquod R, P, & eſt pri
mus modus vtilis in hac tertia figura, & proba-
tur hæc ratiocinatio per reductionẽ ad tertium
modum primæ figuræ per reciprocationem &
D conuerſionem minoris propoſitionis in parte
ſic, quod habet quando ſequitur. *Nam quoniam
conuertitur prædicatiua inerit S alicui R;* ex quo ſci
licet vniuerſalis affirmatiua conuertitur in par-
te minor propoſitio omne S eſt R, conuertitur
in parte, aliquod R eſt S: *Quare quoniam P ineſt
omni S,* quia omne S eſt P. *& S alicui R;* quo-
niam aliquod R eſt S, *Neceſſe eſt P alicui R ineſ-
ſe.* Sequitur concluſio aliquod R, P. *Fit enim
ſyllogiſmus per primam figuram.* Sic enim conuer-
ſa minori in parte fit ſyllogiſmus per primam fi-
E guram, ſcilicet in tertio modo, omne S, P, ali-
quod R, S; ergo aliquod R, P. *Eſt autem & per
impoſſibile.* Idem modus poteſt quoque demon-
ſtrari, argumento deducente ad id, quod fieri
nequit, vt poſuimus exemplum. *Et expoſitione
facere demonſtrationem.* Et pariter confirmari
poteſt argumento ſumpto per expoſitionem;
quod oſtendit. *Si enim ambo omni S inſunt,* hoc eſt,
ambo extrema P, R inſunt omni S, nẽpe medio.
Si ſumatur aliquod eorum, quæ ſunt S, vt N; ſi ſu-
matur aliquod particulare, quod ſit ſub S, & ſit
F illud N, *huic P, & R inerunt ex neceſſitate.* Huic
neceſſario ſequitur & P, & R ineſſe, maiorem
ſcilicet, & minorem extremitatem, eo quod me
dium vtrique extremorum ſubijcitur: ſi verò in-
ſunt maior & minor extremitas omni medio,
& aliquod particulare ſumatur ſub medio, ſequi
tur quod huic ſumptum ſub medio inerunt ex-

trema

trema P, & R. *Quare alicui R inerit P*. Et ſic ſequitur, quòd alicui R, quod eſt minor extremitas, inerit P maior extremitas. Sic itaque formatur modus primus primæ figuræ.

Sequitur textus.

Et ſi R omni quidem S; P, autem nulli S ineſt, erit ſyllogiſmus, quoniam P alicui R nõ inerit ex neceſſitate: nam idem modus erit demonſtrationis, conuerſa R, S propoſitione; oſtendetur autem & per impoſſibile, quemadmodum in prioribus.

In hac parte Philoſophus declarat ſecundum modum huius tertię figurę, concludentem ex maiori negatiua & minori affirmatiua de vniuerſa re propoſitionem de parte negatiuam, ſumptis iiſdem elementis P, R, S, ſic nullum S eſt P, omne S eſt R, ergo aliquod R non C eſt P; cuius modi euidentia probatur, & per reciprocationem, & per deductionem ad impoſſibile; per reciprocationem, conuerſione minoris in parte, nullum S eſt P, aliquod R eſt S; ergo aliquod R non eſt P: & ſic euadit quartus modus primæ figuræ, ex maiori de vniuerſa re negatiua, & minori de parte affirmatiua concludentibus negatiuam concluſionem de parte, per deductionem ad impoſſibile ſic conprobatur ſi negabitur concluſio, aliquod R non eſt P, erit vera contradictoria, omne R eſt P, ſed ponebatur D in minori prioris ſyllogiſmi omne S, R: ergo ſequitur omne S, P. Idem igitur & omne, & nullum, cum ſuperius haberetur nullum S eſt P, & id euenit, propterea quod dicebatur omne R eſt P; ergo hoc eſt falſum, & contradictorium verum, aliquod R non eſt P. Exemplum in terminis, ſint tres termini, Irrationale maior extremitas, Animal minor extremitas, Rationale medium. Ex his formetur coniugatio concludens negatiuam de parte ex maiori negatiua, & minori affirmatiua de vniuerſa re, nullum ratio E nale irrationale, omne rationale animal: ergo aliquod animal non eſt irrationale. Hæc coniugatio reducitur ad quartam primæ figuræ conuerſa minori in parte nullum rationale irrationale, aliquod animal rationale; ergo aliquod animal non eſt irrationale. Per deductionem ad impoſſibile comprobatur pariter euidentia huius coniugationis. Si enim per aduerſarium negatur concluſio, aliquod animal non eſt irrationale, erit vera contradictoria, omne animal irrationale, ſed ponebatur in minori prioris ſylogiſ F mi omne rationale animal; ergo ſequitur omne rationale irrationale, quod eſt contra id, quod ſuperius habetur, nullum rationale irrationale; & hoc ſequitur, quia ponebatur omne animal irrationale; ergo hoc eſt falſum, & vera ſua contradictoria, aliquod animal non eſt irrationale,

A Dicit igitur, *Et ſi R omni quidem S*, ſi dicatur R, quod eſt minor extremitas omni S ineſſe, ita quòd minor ſit vniuerſalis affirmatiua. *P autem nulli S ineſt*, & dicatur S nulli P, quod eſt maior extremitas ineſſe, ita quòd maiôr ſit vniuerſalis negatiua, tunc ſequetur neceſſario hæc concluſio, quod P alicui R non inerit. *Quoniam P non inerit alicui R ex neceſſitate*. Concludit enim hæc ratiocinatio particulariter, quòd maior extremitas alicui de minori extremitate nõ inerit. *Nam erit idem modus demonſtrationis, conuerſa R, S pro-* B *poſitione*. Demonſtratur namque euidentia huius ratiocinationis eadem via, quá comprobata fuit ſuperior coniugatio per reciprocationem, conuerſa ſcilicet minori propoſitione in parte, omne S, R, aliquod R, S, ita vt ſicuti in illa minor propoſitio de vniuerſa re affirmatiua reciprocabatur, & euaſit minor de parte affirmatiua: & tertius modus iterum ortus fuit primæ figuræ; ex maiori de vniuerſa re, & minori de parte affirmatiua: pariter in hac coniugatione ſi minor conuertitur, quarta coniugatio fit primæ fi- C guræ ex maiori de vniuerſa re, & minori affirmatiua de parte concludentibus concluſionem negatiuam de parte. *Oſtendetur autem & per impoſſibile, quemadmodum in prioribus*. Hoc idem etiã oſtendi poteſt per deductionem ad impoſſibile, ſicuti & in priori modo, & ita dupliciter probatur euidentia huius ſyllogiſmi.

Sequitur textus.

Si autem inſit R, S quidem nulli, P vero omni S, non erit ſyllogiſmus. D Termini ineſſe, Animal, Equus, Homo, nõ ineſſe, Animal, Inanimatum, Homo.

Declaratis coniugationibus vtilibus vniuerſaliter ſe habentibus terminis, incipit declarare coniugationes inutiles, ex iiſdem terminis vniuerſalibus copulatis.

Prima verò coniugatio inutilis huius figuræ ponitur ex maiore affirmatiua de vniuerſa re, & E minore negatiua de vniuerſa re. Eſt autem inutilis coniugatio, propterea quòd vnum determinatum problema non infert affirmatiuum, negatiuum ve, ſed concludit contrarium de omni & nullo. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal, Homo, Equus. Primus terminus maior extremitas, Homo medium, Equus minor extremitas, ſic, omnis homo eſt animal, nullus homo equus; ergo omnis equus animal. Termini verò, in quibus ſequitur F problema negatiuũ, ſunt Animal, Homo, Inanimatum, animal maior extremitas, homo medium, inanimatum minor extremitas, omnis homo animal, nullus homo inanimatus; ergo nullum inanimatum animal. Inquit itaque: *Si autem inſit R, S quidem nulli*, Si S medium ita ſe habet ad R minorem extremitatem, quòd nulli S ineſt R, ita quod minor ſit negatiua vniuerſalis.

lis. *P verò omni S*, & S ita ſe habet ad P maiorem extremitatem, quód P ineſt omni S, ita quód maior ſit affirmatiua vniuerſalis, *non erit ſyllogiſmus*, non fiet vtilis coniugatio; propterea quod non ſequetur aliquod determinatum problema, affirmatiuum ſcilicet, aut negatiuum, ſed vtrumque. *Termini ineſſe, Animal, Equus, Homo.* Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum omni ineſſe, ſunt animal maior extremitas, equus minor extremitas, homo medium, *non ineſſe, Animal, Inanimatum, Homo.* Termini autem, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe, ſunt animal pro maiori extremitate, inanimatum pro minori extremitate, homo pro medio.

Neque quando ambo de nullo S dicuntur, non erit ſyllogiſmus. Termini ineſſe, Animal, Equus, Inanimatum; non ineſſe, Homo, Equus, Inanimatum; medium inanimatum.

Declarat hic ſecundam inualidam tertiæ figuræ coniugationem copulatam ex vtraque negatiua de vniuerſa re, quæ pariter eſt inutilis; propterea quod concludit vtrumque problema contrarium. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal maior extremitas, Inanimatum medium, Equus minor extremitas ſic, nullum inanimatum animal, nullum inanimatum equus; ergo omnis equus animal. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Homo maior extremitas, Inanimatum medium, Equus minor extremitas, nullum inanimatum homo, nullum inanimatum equus; ergo nullus equus homo. Percurramus verba. *Neque quando ambo de nullo S dicuntur, non erit ſyllogiſmus.* Præterea inutilis erit coniugatio, & non ſequetur ratiocinatio perfecta, ſi ambæ præmiſſæ ſint vniuerſales negatiuæ, quod probat per inſtantiam terminorum. *Termini ineſſe, Animal, Equus, Inanimatum.* Termini, in quibus infertur affirmatiuum problema omni ineſſe ſint Animal maior extremitas, Equus maior extremitas, Inanimatum medium. *Non ineſſe, Homo, Equus, Inanimatum.* Termini verò, in quibus ſequitur nulli ineſſe problema negatiuum, ſunt homo maior extremitas, equus minor extremitas, inanimatum medium.

Manifeſtum eſt igitur & in hac figura, & quando erit, & quando

Tractatus Quartus.

A non erit ſyllogiſmus ex vniuerſalibus terminis. Quando enim ambo termini ſunt prædicatiui, erit ſyllogiſmus, quod ineſt alicui extremitas extremitati: quando verò priuatiui, non erit ſyllogiſmus; quando autem hic quidem priuatiuus, ille uerò affirmatiuus; ſi maior quidem fuerit priuatiuus, B alter verò affirmatiuus, erit ſyllogiſmus: quod alicui non ineſt extremitas extremitati; ſi autem è conuerſo, non erit.

In hac parte Ariſtoteles epilogat ſupradicta conſtare ſcilicet ex prænarratis, quando C fiat ex terminis vniuerſalibus, ratiocinatio perfecta, & quando non ſequatur; ſi namque vtraque præmiſſarum ſit affirmatiua, ſiue maior negatiua, & minor affirmatiua, ſyllogiſmus vtilis ſequitur; ſi verò vtraque præmiſſarum ſit negatiua, vel maior affirmatiua, & minor negatiua, non colligitur coniugatio valida: propterea inquit: *Manifeſtum eſt igitur*, ex dictis, *& quando erit, & quando non erit*, in hac figura, *ſyllogiſmus ex uniuerſalibus terminis*, quando fiat, & non fiat ra- D tiocinatio perfecta, ſi termini, & ambæ præmiſſæ fuerint vniuerſales. *Quando enim ambo termini ſunt prædicatiui*, ita quòd ambæ præmiſſæ ſint vniuerſales affirmatiuæ, *erit ſyllogiſmus*, ſequetur ratiocinatio perfecta, & eſt prima huius tertiæ figuræ coniugatio. *Quod ineſt alicui extremitas extremitati*, in qua infertur concluſio particularis affirmatiua, maiorem minori ineſſe in concluſione. *Quando uerò priuatiui*, termini ſcilicet ad medium ſint priuatiui, ita quòd ambæ præmiſſæ ſint vni- E uerſales negatiuæ, *non erit ſyllogiſmus*; non ſequitur vtilis ratiocinatio. *Quando autem hic quidem priuatiuus*, ſcilicet maior terminus, quod innuit in ijs verbis, *S maior quidem fuerit priuatiuus, ille verò affirmatiuus*, ſcilicet minor terminus, quod habet quando dicit: *Alter verò affirmatiuus erit ſyllogiſmus, quòd alicui non ineſt extremitas extremitati.* Sequitur vtilis coniugatio, quæ eſt tertia huius figuræ concludens maiorem extremitatem non ineſſe minori, ſcilicet concluſionem inferrens negatiuam. F *Si autem è conuerſo non erit.* Si verò è contrario maior ponatur affirmatiua, & minor negatiua, non eſt ratiocinatio vtilis, vt ex iam dictis clarum eſt.

Si autem hic quidem ſit uniuerſaliter ad medium, alter verò particulariter, ſi vterque ſit prædicatiuus, neceſſe eſt fieri ſyllogiſmum, & ſi alteruter ſit vniuarſalis terminorum: nam ſi R omni S inſit, P verò alicui S, neceſſe eſt & P alicui R ineſſe; nam quoniam conuertitur affirmatiua, inerit S alicui P; quare quoniam R omni S ineſt, S autem alicui P, & R alicui P inerit, quare & P alicui R.

Declaratis coniugationibus tertiæ figuræ conſtantibus ex ambabus præmiſſis vniuerſalibus cum vtilibus, tum inutilibus modo oſtendit eas, quæ conſtant ex vna præmiſſarum vniuerſali, & altera particulari, & primo ponit conſtantes ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, ſumptis iiſdem præmiſſis elementis P, R, S, ſic, aliquod S, P omne S, R., ergo aliquod R, P: cuius euidentia comprobatur per reductionem ad tertium modum primæ figuræ, conuerſa maiori, & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis, veluti aliquod S, P ſecum reciprocatur aliquod P, S. Si itaque loco maioris præponatur minor, omne S, P, & addatur maior conuerſa aliquo P, S, fit tertius modus primæ figuræ ex maiori vniuerſali affirmatiua; & minori particulari affirmatiua concludentibus particulariter affirmatiue aliquod P, R: qua concluſione in ſe ipſam conuerſa habebimus propoſitum alquod R, P, accipiamus pro faciliori intelligentia dictos tres terminos in materia, ſcilicet aliquo genere, aliqua ſpecie, & commune ambobus, veluti Homo, Animal, Animatum, homo ſit maior extremitas, animal ſit medium, animatum minor extremitas, & formetur talis ratiocinatio, aliquod animal homo, omne animal animatum; ergo aliquod animatum homo: quæ coniugatio reducitur ad tertium modum primæ figuræ, conuerſa maiori, & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis, omne animal animatum, aliquis homo animal; ergo aliquis homo animatus. Videamus textum. *Si autem hic quidem*, ſcilicet maior terminus, *ſit uniuerſaliter ad medium*, ita quod maior ſit vniuerſalis; *alter verò*, ſcilicet minor terminus, *particulariter*, ita quòd minor ſit particularis, *ſi uterque*, ſcilicet tam maior quàm minor terminus, *ſit prædicatiuus*, ita vt vtraque præmiſſarum ſit affirmatiua, *neceſſe eſt fieri ſyllogiſmum*: ſequitur neceſſario ratiocinatio perfecta in hac figura. *Et ſi alteruter ſit uniuerſalis terminorum*: quamuis alteruter ſiue maior, ſiue minor terminus ſit vniuerſalis, & alius particularis. *Nam ſi R omni S inſit*. Si namque minor terminus ſit vniuerſalis, veluti quòd R minor extremitas inſit omni S, quod eſt medium, & ſit minor affirmatiua de vniuerſa re. *P verò*, quòd eſt maior extremitas, *alicui S*, inſit, ita quòd maior ſit particularis affirmatiua, *neceſſe eſt*, per neceſſitatem conſequentiæ ſyllogiſticæ euenit, *& P alicui R ineſſe*, quod aliquod P ſit R, & hic eſt tertius modus vtilis huius tertiæ figuræ ex maiori de parte, & minori de vniuerſa re ambabus affirmatiuis. *Nam quoniam conuertitur affirmatiua, inerit S alicui P*. Probatur euidentia huius coniugationis conuerſione maioris, quæ eſt particularis affirmatiua, aliquod S, P, quæ in ſeipſam conuertitur aliquod P, S. *Quare quoniam R omni S ineſt*. Propterea tranſpoſitis præmiſſis, & loco maioris poſitâ minor, dices, omne S, R, aliquod P, S, quod inquit: *S autem alicui P*, ſequitur concluſio hæc, *& R alicui P inerit*, ſcilicet aliquod P eſt R: quæ concluſio cum ſit particularis affirmatiua, quæ in terminis conuertitur, habebimus ea conuerſa id, quod quærimus. *Quare & P alicui R*, quòd aliquod R eſt P.

A B C

D Rurſum ſi R alicui S, P verò omni S inſit, neceſſe eſt & P alicui R ineſſe; nam idem modus demonſtrationis. Eſt autem demonſtrare, & per impoſſibile, & expoſitione quemadmodum in prioribus.

In hac parte docet Ariſtoteles quartum modum vtilem huius tertiæ figuræ ex maiori E vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affimatiua concludentibus concluſionem particularem affirmatiuam, veluti omne S, P, aliquod S, R: ergo aliquod R, P.

Et in his terminis materialibus, ſcilicet animal loco maioris extremi, homo loco medij, & album loco minoris extremi, omnis homo animal, aliquis homo albus; ergo aliquod album animal.

Et hæc coniugatio demonſtratur, & per F conuerſionem minoris ſicuti & ſuperior: & inſuper alia duplici via, videlicet argumento ducente ad impoſſibile, & ſyllogiſmo expoſitorio.

Fit autem ſyllogiſmus expoſitorius quando ſub vniuerſali ſumitur aliquod ſenſibile, de quo & maior, & minor extremitas vel vniuerſaliter,

ter, vel particulariter prædicantur, vt puta ſi homo de aliquo animali, & animatum de omni animali prædicatur, ſi ſumatur aliquod ſenſibile animalis, in quo inſit homo, & animatum, quod vtrique ſit commune, veluti Plato, hic erit & homo & animatus; & ſic aliquod animatum, puta Plato erit homo. Demonſtratur igitur hæc quarta coniugatio duplici via præter conuerſionem minoris, argumento quod fieri nequit tali pacto: Si quis negabit concluſionem aliquod R, P, aliquod album animal, erit vera contradictio, nullum R, P, nullum album animal; ſed dicebatur quòd aliquod S eſt R, quod aliquis homo albus; ergo ſi nullum R, P, & aliquod S, R, ſi nullum album animal, & aliquis homo albus, ſequitur in quarto modo primæ figuræ, quòd aliquod S non eſt P, quod aliquis homo non eſt animal, ſed hoc eſt falſum, quia ponebatur omne S, P, omnem hominem eſſe animal; ergo contradictio vera erit, quod aliquod R ſit P, quod aliquod album ſit animal. Poteſt etiam deduci hoc impoſſibile, vt facit Philoponus in ſecundo modo primæ figuræ, ſi non eſt verum aliquod R, S, aliquod album animal, erit vera contradictio nullum R, P, nullum album animal: & quia vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, erit quoque vera, nullum P, R, nullum animal album; ſed poſitum fuit omne S, P, omnis homo animal in maiori prioris ſyllogiſmi; ergo ſequitur in ſecundo modo primæ figuræ nullum S, R, nullus homo albus, contra minorem prioris ratiocinationis, & id procedit, quia datum fuit nullum R, P, nullum album animal; ergo hæc concluſio falſa, & contradictio eius vera, quòd aliquod R, P, aliquod album animal, quod erat probandum. Monſtratur quoque hæc coniugatio per expoſitionem: ſi enim animal de omni homine, & album de aliquo homine affirmabitur, ſi ſumptum fuerit aliquod hominis, de quo dicitur eſt album, & animal, vt Franciſcus. Itaque aliquod album erit animal, Dicit igitur, *Rurſum ſi R alicui S*, ſcilicet ineſt in minori: *P verò omni S inſit*, ſcilicet ponatur in maiori ineſſe, *neceſſe eſt & P alicui R ineſſe*, ſequitur neceſſitate ſyllogiſtica per modum inferentiæ P alicui R ineſſe in concluſione, & ſic fit quarta coniugatio in hac tertia figura. *Nam idem modus demonſtrationis*. Per conuerſionem enim minoris in terminis euidentia huiuſmodi comprobatur ſicuti & prioris. *Eſt autem demonſtrare, & per impoſſibile, & expoſitione quemadmodum in prioribus*. Poteſt etiam hæc coniugatio, vt ſuperior demonſtrari per conuerſionem minoris, & inſuper per deductionem ad id, quod fieri nequit, ſuppoſita contradictoria concluſionis cum altera præmiſſarum, & concludendo oppoſitum alterius præmiſſarum, quod prius conceſſum fuerat: & etiam poteſt comprobari per ſyllogiſmum ex-

A poſitorium ſumptum ſcilicet aliquod ſingulare ſenſibile, de quo & maior & minor extremitas valeat prædicari, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem.

Sequitur textus.

Si autem vnus quidem ſit prædicatiuus, alius verò priuatiuus; vniuerſaliter autem prædicatiuus, quan-
B do minor quidem fuerit prædicatiuus erit ſyllogiſmus: nam ſi R omni S, P verò alicui S non ineſt, neceſſe eſt P alicui R non ineſſe. Si enim P omni R, & R omni S & P omni S inerit, ſed non inerat. Monſtratur autem & ſine deductione ſi ſumatur aliquid eorum, quæ
C ſunt S, cui P non ineſt.

Hucuſque Ariſtoteles declarauit duas vtiles coniugationes copulatas ex vna præmiſſarum de vniuerſa re, & altera de parte vtriſque affirmatiuis, & ſecundum qualitatem conuenientibus, modo proſequitur declarare alias coniugationes conſtantes pariter ex vna de vniuerſa re, & altera de parte ſecundum qualitatem diſcrepantibus quatenus ſcilicet vna exiſtit affirmatiua, & altera negatiua: & primo
D ponit eam, in qua maior eſt negatiua de parte, & minor affirmatiua de vniuerſa re, quam oſtendit vtilem eſſe tum argumento deducente ad impoſſibile, tum etiam per ſyllogiſmum expoſitorium, coniugatio hæc efficitur talis in elementis P, R, S, aliquod S non eſt P, omne S eſt R; ergo aliquod R non eſt P: & in his terminis materialibus, ſcilicet album pro maiori extremo, homo pro medio, animal pro minori extremo, aliquis homo non eſt albus, om-
E nis homo eſt animal; ergo aliquod animal non eſt album; cuius ratiocinationis euidentia comprobatur primò deductione ad id, quod fieri nequit, quoniam ſcilicet negatiua concluſione, aliquod animal non eſt album; erit vera contradictoria, omne animal eſt album, cui ſi addatur minor omnis homo animal, ſequitur concluſio omnis homo albus; ſed ponebatur in maiori, quod aliquis homo non ſit albus; ergo idem omni & non omni conueniet, quod eſt impoſſibile: ſed hoc ſeque-
F batur, quia ſupponebatur omne animal album; ergo hoc eſt falſum, & contradictorium verum, aliquod animal non eſt album. Probatur ſimiliter hæc coniugatio per expoſitionem. Si enim album negatur de aliquo homine, & animal affirmatur de omni ho-

mine, ſi acceperimus aliquid hominis, a quo remoueatur album, veluti Aethiops, qui pars eſt animalis, habebimus concluſionem, quòd aliquod animal non ſit album, quod erat probandum. Dicit itaque: *Si autem vnus quidem ſit prædicatiuus*. Si vnus terminorum fuerit affirmatiuus, puta minor. *Alius verò priuatiuus*, & alter terminorum fuerit negatiuus, ſcilicet maior, *Vniuerſaliter autem prædicatiuus*, ita vt minor terminus ſit vniuerſalis; *quando minor quidem fuerit prædicatiuus*, dummodo minor terminus ſit affirmatiuus, quia proprium huius tertiæ figuræ eſt, vt minor propoſitio ſit affirmatiua; *Erit ſyllogiſmus*: In huiuſmodi diſpoſitione terminorum erit vtilis ratiocinatio; & erit quinta coniugatio; *nam ſi R*, quod eſt minor extremitas, *omni S*, ineſt omni S, quod eſt medium in minori propoſitione: *P verò*, quod eſt maior extremitas, *alicui S non ineſt*, non ineſt alicui S, quod eſt medium in maiori propoſitione. *Neceſſe eſt*, ſequitur neceſſitate ſyllogiſtica, *P*, maiorem extremitatem, *alicui R*, hoc eſt minori extremitati, *non ineſſe*. Probatur iſta coniugatio primo argumento deducente ad id, quod fieri nequit. *Si enim P omni R*. Si namque detur oppoſitum concluſionis, quod omne R ſit P. *& R omni S*, & datum eſt in minori prioris ſyllogiſmi, quòd omne S eſt R. *& P omni S inerit*, ſequitur quòd omne S ſit P, quod eſt falſum, quia *non inerat*. in maiori prioris ſyllogiſmi, ſupponebatur aliquod S non eſt P. *Monſtratur autem & ſine deductione*. Euidentia huius coniugationis comprobatur etiam alio modo abſque argumento deducente ad impoſſibile, per expoſitionem ſcilicet: *Si ſumatur aliquid eorum, quæ ſunt S, cui P non ineſt*: Si ſumatur aliquod eorum ſingularium, quæ ſunt ſub S, ſcilicet medio, cui P maior extremitas non ineſt.

Quando verò maior fuerit prædicatiuus, non erit ſyllogiſmus, vt ſi P inſit omni S; R autem alicui S non inſit. Termini uerò omni ineſſe, Animatum, Homo, Animal; nulli verò non eſt ſumere terminos; ſi R ineſt alicui quidem S, alicui autem non. Si enim omni S ineſt P, R autem alicui S, & P inerit alicui R ſed poſitum erat nulli R ineſſe: ſed quemadmodum in prioribus dicendum eſt: nam cum indefinitum eſt alicui non A ineſſe, & quòd nulli ineſt, verum eſt dicere alicui non ineſſe; nulli verò cum ineſſet, non erat ſyllogiſmus. Manifeſtum ergo eſt, quòd non erit ſyllogiſmus.

Cum poſuerit Philoſophus eam coniugationem eſſe vtilem, quæ copulatur ex maiori negatiua particulari, & minori affir-
B matiua vniuerſali, modo docere vult, coniugationem è contrario ſe habentem, conſtantemque ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua fore inutilem, veluti omne S, P, aliquod S non eſt R; propterea quod inferre valet problema contrarium omni & nulli affirmatiuum & negatiuum. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animatum maior extremitas, Homo medium, Animal minor extremitas, ſic, omne animal animatum,
C aliquod animal non eſt homo; ergo omnis homo animatus: ad hoc autem vt ſequatur problema negatiuum, minor debet eſſe indeterminata adeo vt conſtitui debeat in materia neceſſaria, quæ & particulariter & vniuerſaliter valeat verificari; alioquin ſi minor accipiatur particulariter, & poſſit per ſe ipſam verificari, ita vt aliquod S ſit R, & aliquod S non ſit R, puta in materia contingenti ſequetur impoſſibile, idem & nulli, & alicui conuenire, quoniam ſi nullum
D R eſt P ob datum, & aliquod S eſt R; ergo aliquod S non erit P, ponebatur tamen quòd omne S eſt P. Pariter poteſt alio modo, vt facit Ariſtoteles, demonſtrari hoc abſurdum. Si omne S eſt P, & aliquod S eſt R, quæ conuertitur aliquod R eſt S; ergo ſequitur in tertio modo primæ figuræ, quòd aliquod R eſt P: tamen ob ſuppoſitionem datum eſt quod nullum R eſt P, & ſic idem alicui, & nulli conueniet: quapropter requiritur ad hoc & ſequatur negatiuum
E problema, quòd minor propoſitio accipiatur indeterminate quæ æquiualeat negatiuæ de vniuerſa re, & hoc pacto videbimus hanc coniugationem fore inutilem; cum conſtet ex prænarratis, ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua ſyllogiſmum vtilem minime ſequi poſſe: ex quo ſequatur vtrumque problema. Minor itaque propoſitio ſi fuerit indeterminate accepta, & in materia neceſſaria efficiet, vt nulli ineſſe ſequatur in huiuſcemodi coniugatione, vt his
F ſumptis terminis animatum pro maiori extremitate, Animal pro medio, Lapis pro minori extremitate, omne animal animatum, aliquod animal non eſt lapis; ergo nullus lapis animatum. Videamus textum. *Quando verò maior fuerit prædicatiuus, non erit ſyllogiſmus.*

Si autem propoſitiones, & ſecundum quantitatem, & ſecundum qualitatem ſint differentes, & maior terminus fuerit affirmatiuus ad medium, ita vt maior ſit vniuerſalis affirmatiua, minor terminus verò ſit priuatiuus, adeo quòd minor propoſitio ſit particularis negatiua, ſequetur inutilis ratiocinatio, *nesi P insit omni S*, in maiori propoſitione quæ ſit omne S eſt P. *R autem alicui S non inſit*, in minori propoſitione quæ ſit aliquod S non eſt R, non ſequitur ſyllogiſmus vtilis, propterea quod vtrumque problema inferre valet & affirmatiuum, & negatiuum. *Termini verò omni ineſſe, Animatum Homo, Animal*. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum omni ineſſe, ſunt Animatum, Homo, Animal. Primus terminus pro maiori extremo, ſecundus pro medio, tertius pro minori. *Nulli verò non eſt ſumere terminos, ſi R ineſt alicui quidem S, alicui autem non*. Ad hoc autem vt ſequatur negatiuum problema nulli ineſſe non debemus accipere terminos in minori propoſitione in materia contingenti; ſed neceſſaria, ita vt minor propoſitio non verificetur particulariter, ſed indeterminate, & æquipolleat vniuerſali, alioquin ſequetur inconueniens idem & nulli ineſſe & alicui. Probatur, *Si enim omni S ineſt P*. Si vera eſt propoſitio maior, omne S eſt P: *R autem alicui S*, ſicut aliquod S eſt R, minor propoſitio, quæ ſit particulariter vera, vt ſupponitur, tunc ſequitur in tertio modo primæ figuræ per conuerſionem ſcilicet huius minoris aliquod R eſt S. *Et P inerit alicui R*. Quod aliquod R eſt P, ſed quæ dicit, quod eſt ſumere terminos, in quibus ſequitur problema negatiuum, dicit per conſequens, quòd nullum R eſt P, & hoc habet in ſequentibus verbis. *Sed poſitum erat nulli R ineſſe*. Ergo idem & nulli & alicui conuenit, quod eſt abſurdum. Probat quoque alio modo ſequi hoc abſurdum ſi minor accipiatur, quod ſignificet particulariter, vt in præcedentibus habuimus. Eſt itaque ſumenda indeterminate minor propoſitio ad hoc, vt inutilitas huius coniugationis oſtendatur, ideo dicit; *Sed quemadmodum in prioribus dicendum eſt*. Sic enim fecit in præcedentibus. *Nam cum indefinitum eſt alicui non ineſſe*, quoniam ſi minor propoſitio indefinite accipiatur in materia ſcilicet neceſſaria, vt ſi dixerimus, aliquod animal non eſt lapis, æquipollet vniuerſali nullus homo eſt lapis; & ſic vniuerſaliter verificari poterit, & etiam particulariter, & hoc eſt quod inquit: *Et quod nulli ineſt, verum eſt dicere alicui non ineſſe*. Quando vero minor propoſitio erit vniuerſalis eo caſu; *Nulli verò cum ineſſet, non erat ſyllogiſmus*. Non ſequitur vtilis ratiocinatio: ſuperius namque demonſtratum fuit ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua vtilem non effici ratiocinationem; propterea quod contrarium problema ſequatur. *Manifeſtum ergo eſt, quod non erit ſyllogiſmus*. Patet itaque coniugationem ita diſpoſitam perfectum ſyllogiſmum non formare.

Si autem priuatiuus ſit vniuerſalis terminus, quando maior quidem priuatiuus fuerit, minor autem prædicatiuus, erit ſyllogiſmus. Si enim P nulli S, R autem alicui ineſt S, P alicui R non inerit. Rurſum enim prima erit figura R, S, propoſitione conuerſa.

Declaratum eſt ſuperius, quando terminus vniuerſalis eſt affirmatiuus, & particularis negatiuus; quæ vtilis, & quæ inutilis coniugatio conſtituatur, in præſenti monſtratur quæ vtilis, & quæ inutilis coniugatio ſit, quando vniuerſalis terminus ſit negatiuus, & particularis ſit affirmatiuus: & primo inquit Ariſtoteles, quòd ſi maior terminus fuerit vniuerſalis negatiuus, & minor terminus fuerit particularis affirmatiuus, ita vt maior propoſitio ſit negatiua de vniuerſali re, & minor ſit affirmatiua de parte, efficietur vtilis ratiocinatio, & erit ſexta coniugatio vtilis in hac tertia figura, quæ ſic formabitur in elementis, nullum S, P, aliquod S, R; ergo aliquod R non eſt P, & in terminis materialibus, nullus equus homo, aliquis equus albus; ergo aliquod album non eſt homo: cuius coniugationis euidentia demonſtratur per conuerſionem minoris in terminis, aliquod R, S, aliquod album equus: minori namque conuerſa efficitur quartus modus vtilis primæ figuræ. Dicit itaque: *Si autem priuatiuus ſit vniuerſalis terminus*, & particularis ſcilicet affirmatiuus, reſultabunt coniugationes tum vtiles, tum inutiles. *Quando maiòr quidem priuatiuus fuerit*. Si maior terminus fuerit priuatiuus, ita vt maior propoſitio ſit vniuerſalis negatiua. *Minor autem prædicatiuus*, & minor terminus ſit prædicatiuus, ita vt minor propoſitio ſit particularis affirmatiua, *erit ſyllogiſmus*, efficietur vtilis ratiocinatio. *Si enim P nulli S*. Si P maior extremitas nulli inſit S, quod eſt medium in maiori propoſitione, videlicet ſi nullum S eſt P. *R autem alicui ineſt S*. R autem minor extremitas alicui inſit S medio in minori propoſitione, vt aliquod S, R ſequetur de neceſſitate ſyllogiſtica. *Et P alicui R non inerit*, quod P non inerit alicui R, quòd aliquod R non eſt P, & erit coniugatio vtilis. *Rurſum enim prima erit figura R, S, propoſitione conuerſa*. Reducitur enim hæc coniugatio ad primam figuram, ſcilicet ad quartum modum per conuerſionem minoris propoſitionis in terminis, ſic, nullum S, P quoddam R; S; ergo quoddam R non eſt P.

Quando autem minor fuerit priuatiuus, non erit ſyllogiſmus. Termini ineſſe, Animal, Homo, Ferum; non ineſſe, Animal, Scientia, Ferum; medium in vtriſque ferum.

Hic tradit coniugationem cōſtantem ex maiori de parte affirmatiua, & minori negatiua de vniuerſa rē fore inutilem; ex quo in tali coniugatione contrarium problema ſequatur omni, & nulli ineſſe. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal pro maiori extremo, Homo pro minori, Ferum pro medio, ſic, aliquod ferum animal, nullum ferum homo; ergo omnis homo animal. Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum nulli ineſſe, ſunt Animal pro maiori extremo, Scientia pro minori, Ferum pro medio, ſic, aliquod ferum animal, nullum ferum ſcientia; ergo nulla ſcientia animal. Inquit igitur. *Quando autem minor fuerit priuatiuus*, ita vt maior propoſitio ſit affirmatiua particularis, & minor negatiua vniuerſalis, *non erit ſyllogiſmus*, erit inutilis coniugatio: probatur inutilitas huius coniugationis per inſtantiam terminorum: propterea quod ſequitur omni & nulli ineſſe. *Termini ineſſe, Animal, Homo Ferum*. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt animal ſumptum pro maiori extremo, homo pro minori, & ferum pro medio. *Non ineſſe, Animal, Scientia, Ferum*. Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, in eadem coniugatione ſunt animal pro maiori extremo, ſcientia pro minori, ferum pro medio. Ferum enim in vtriſque his terminis, & in vtraque coniugatione loco medij ponitur, vt habetur in his verbis ſequentibus: *Medium in vtriſque ferum*. Inutilis itaque eſt hæc coniugatio.

Nec quando ambo priuatiui ponuntur; eſt autem vnus quidem vniuerſalis; alter uerò particularis. Termini ineſſe, quando minor eſt vniuerſalis ad medium, Animal, Homo, Ferum; non ineſſe, Animal, Scientia, Ferum; quando autem maior, non ineſſe quidem Coruus, Nix, Album; ineſſe verò non eſt ſumere. Si R alicui quidem ineſt S, alicui autem non ineſt. Si enim P omni R inſit, R autem alicui S, & P inerit alicui S; poſitum eſt autem nulli, ſed ex indefinito monſtrandum eſt.

A Docetur a Philoſopho hoc in loco minus vtilem fore coniugationem conſtantem ex ambabus præmiſſis negatiuis, vel ſit minor vniuerſalis negatiua, & maior particularis negatiua, vel è contrario, minor particularis negatiua, & maior vniuerſalis negatiua; propterea quod ſequitur omni, & nulli ineſſe. Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe ſunt Animal pro maiori extremo, Homo pro minori extremo, & Ferum pro medio, ſic, aliquod ferum non eſt animal, nullum ferum eſt homo; ſequitur
B omnis homo eſt animal. Termini autem, in quibus ſequitur nulli ineſſe; ſunt Animal pro maiori extremo, Scientia pro minori extremo, Ferum pro medio, aliquod ferum non eſt animal, nullum ferum eſt ſcientia, ſequitur nulla ſcientia animal; deinde oſtendit Ariſtoteles eam coniugationem quoque fore inutilem, quę conſtat ex maiori negatiua de vniuerſa rē, & minori negatiua de parte, eadem de cauſa; propterea quod concludit contrarium problema. Termini, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt
C coruus pro maiori extremo, nix pro minori, album pro medio, ſic, nullum album coruus, aliquod album non eſt nix; ergo nulla nix coruus. Ad hoc autem vt ſequatur omni ineſſe in minori propoſitione accipiēdi ſunt termini indefiniti, adeo quod minor non ſignificet particularem, vt aliquod S ſit R, & aliquod non; ne ſequatur abſurdum quod monſtratur in elementis, quoniam ſi omne R eſt P, & aliquod S eſt R; ergo aliquod S erit P contra datum prius, quod nullum S eſt P, & ſic idem alicui, & nul-
D li conueniet. Eſt igitur demonſtranda inutilitas huius coniugationis ex terminis indefinitis, minori ſcilicet propoſitione ſumpta in ſignificato indefinito, prout æquiualet vniuerſali: nam in ſenſu vniuerſali accepta minori patet vtilem coniugationem copulari non poſſe, cum ex ſupradeclaratis ſatis manifeſte conſtet ex duabus præmiſſis vniuerſalibus negatiuis vtilem ratiocinationem non inferri, ex quo in ambobus terminis vniuerſalibus negatiuis contrarium problema ſequitur. Sunt ita-
E que ſumendi termini in minori propoſitione indefiniti, videlicet in materia neceſſaria, vt puta, Rationalis pro maiori extremo, Lapis pro medio, Homo pro minori extremo, ſic, nullus lapis eſt rationalis, aliquis lapis non eſt homo, ſequitur, omnis homo eſt rationalis. Conſideramus textum: *Nec quando ambo priuatiui ponuntur*; nec inſuper coniugatio vtilis erit quando vterque terminus, & maior & minor fuerit negatiuus. *Eſt autem vnus quidem vniuerſalis: alter verò parti-*
F *cularis*: poſſunt tamen eſſe ambo termini negatiui in diſſimili quantitate, ita vt vnus ſit vniuerſalis, & alter particularis. Verùm quoquomodo ſe habeant, ſyllogiſmus vtilis non ſequitur: propterea quod contrarium problema inferatur. *Termini ineſſe, quando minor eſt*

vniuer-

vniuerſalis ad medium Animal, Homo, Ferum. A Si minor ſit vniuerſalis & maior particularis, & vtraque negatiua. Termini, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt animal pro maiori extremo, homo pro minori, ferum pro medio. *Non ineſſe animal, ſcientia, ferum.* Termini, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt animal ſumptum pro maiori extremo, ſcientia pro minori, ferum pro medio. *Quando autem maior.* Si verò maior eſt vniuerſalis, & minor particularis, & vtraque negatiua. *Non ineſſe quidem coruus, nix,* B *album.* Termini in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt coruus pro maiori extremo, nix pro minori, album pro medio. *Ineſſe verò non eſt ſumere, ſi R alicui quidem ineſt S, alicui autem non ineſt.* Ad hoc autem vt ſequatur problema negatiuum non ſunt ſumendi termini in minori propoſitione, ita vt minor ſignificet particulariter quod poſſit verificari alicui ineſſe, & nō ineſſe, vt aliquod S eſt R, aliquod S non eſt R; propterea quod ſequeretur abſurdum, idē & nulli & alicui cōuenire. *Si enim P omni R inſit,* C ſi omne R eſt P; *R autem alicui S,* & aliquod S eſt R, *& P inerit alicui S*, ſequitur quòd aliquod S erit P. *Poſitum eſt autem nulli*; ſed ſuperius datum fuit nullum S eſt P; non eſt itaque accipienda minor in ſignificatione particulari, *ſed ex indefinito mōſtrandum eſt*. Sed probatio talis facienda eſt ex incerto, in materia ſcilicet neceſſaria, vt prius vidimus; ita vt particularis negatiua, pro ſenſu vniuerſali verificetur, & vniuerſalis negatiua, in cuius ſenſu particularis verificatur, loco D particularis ponatur, & ex dictis ſuperius concluditur inutilitas coniugationis.

Neque ſi vterque alicui medio ineſt, vel non ineſt: vel vnus quidem ineſt, alter verò non ineſt; vel hic quidem alicui, ille verò non omni, vel indefinite, vllo modo erit ſyllogiſmus. Termini autem commu- E nes omnium, Animal, Homo, Album, Animal, Inanimatum, Album.

In hac vltima parte Capitis ponit Ariſtoteles permixtim plures inutiles coniugationes, veluti quæ copulatur ex ambabus præmiſſis particularibus affirmatiuis, vel negatiuis, vel vna affirmatiua, & altera negatiua, vel ex æquipollentibus particularibus, vel etiam ex indefinitis; in F quibus omnibus terminis oriuntur imperfectæ coniugationes, quæ inferre valent vtrumque problema & affirmatiuum & negatiuum, quod probatur per inſtantiam terminorum. Termini communes omnium, in quibus ſequitur problema affirmatiuum, ſunt Animal pro maiori extremo, Homo pro minori, Album pro

medio, ſic, aliquod album animal, aliquod album homo; ergo omnis homo animal. Termini verò, in quibus ſequitur problema negatiuum, ſunt Animal pro maiori extremo, Inanimatum pro minori, Album pro medio, ſic, aliquod album animal, aliquod album inanimatum; ergo nullum inanimatum animal. Dicit itaque: *Neque ſi vterque*, ſcilicet terminus maior & minor, *Alicui medio ineſt, vel non ineſt*; ineſt alicui medio particulariter, ita vt vtraque propoſitio ſit affirmatiua vel negatiua particularis, *vel vnus quidem*, ſcilicet terminus, *ineſt*, & ſit particularis affirmatiuus. *Alter verò*, ſcilicet terminus, *non ineſt*, ita quòd ſit particularis negatiuus, & vna propoſitio ſit affirmatiua, & altera negatiua particularis, *vel hic quidem*, terminus, *alicui*, ſcilicet particulariter inſit medio, ita vt propoſitio vna ſit particularis. *Ille verò non omni.* Alter vero terminus inſit non omni, ita quòd aliqua propoſitio ſit particulari æquipollens, *vel indefinite*, vel terminus inſit medio indefinite, ita vt propoſitio reddatur indefinita, quæ particulari æquipollet. *Vllo modo erit ſyllogiſmus.* Nullo iſtorum modorum efficiemus vtilem ratiocinationem.

Manifeſtum eſt igitur & in hac figura, quando erit, & quando non erit ſyllogiſmus; & quoniam habentibus ſe terminis, vt dictum eſt, fit ſyllogiſmus ex neceſſitate, & ſi fit ſyllogiſmus, neceſſe eſt terminos ſic ſe habere. Manifeſtum eſt etiam, quia omnes imperfecti ſunt in hac figura ſyllogiſmi: omnes enim perficiuntur quibuſdam aſſumptis. Et quoniam ſyllogizare uniuerſale per hanc figuram non erit neque priuatiuum, neque affirmatiuum.

In calce huius capitis epilogat in eo declarata, ſcilicet conſtare quando ſequitur ratiocinatio perfecta, & quando non, & quòd terminis in coniugationibus vtilibus diſpoſitis, & ordinatis, vt dictum eſt, fit ſyllogiſmus concludens ex neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ, & è contrario ad hoc vt ſyllogiſmus de neceſſitate ſit concludens, requiritur, quòd termini ſic ſe habeant, vt declaratum eſt. Inſuper conſtat ex dictis, quòd omnes coniugationes huius figuræ ſunt imperfectæ; propterea quod perficiuntur quibuſdam extrinſecus aſſumptis, præter ea, quæ in ipſis continentur; veluti conuerſio, tranſpoſitio, ad impoſſibile deductio, & expoſitio, & non perficiuntur ſolum per dici

de omni, & dici de nullo, vti coniugationes primæ figuræ. Denique ſatis manifeſte patet in hac figura nullam coniugationem poſſe concludere concluſionem vniuerſalem, ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuam, ſed dumtaxat particulare.

Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc Cap.

Super Capite Sexto de Tertia figura ex propoſitionibus inexiſtentibus pro Iuris ſtudioſis.

TRia præcipue ad vſum iuris ſtudioſi declarantur a Philoſopho in hoc Capite.

Primum, Quid ſit tertia figura.

Secundum, Quot ſint modi vtiles in hac tertia figura.

Tertium, Quid ſit ſyllogiſmus expoſitorius.

Quo ad primum tertia figura ſyllogizandi ea eſt, in qua medium ſubijcitur vtrique extremorum, vt patet in hoc exemplo.

Omnis homo animal.
Omnis homo ſubſtantia, ergo
Aliqua ſubſtantia animal.

Homo enim quod eſt medium, per quod probatur animal ineſſe ſubſtantiæ, tũ animali, quod eſt vnus extremorum, nempe maior, tum ſubſtãtiæ, quod eſt alter extremorum, nempe minor ſubijcitur, & ita in vtraque præmiſſarum medium in hac figura ſubiecti loco ponitur.

Quo ad ſecundum, ſex ſunt modi vtiles in hac tertia figura.

Primus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus.

Secundus modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter negatiue concludentibus.

Tertius modus conſtat ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus.

Quartus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiuá particulariter affirmatiue concludentibus.

Quintus modus conſtat ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter negatiue concludentibus.

Sextus modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter negatiue concludentibus.

De quibus omnibus modis ſuper in explicatione capitis habuimus exẽpla naturalia. Modo reliquum eſt, conſimilia depromere exempla è corpore iuris ciuilis.

Quo ad tertium, ſyllogiſmus expoſitorius eſt, qui concludit per medium ſingulare ſub vniuerſali ſumpto, de quo ſingulari vtraque extremitas vel vniuerſaliter, vel particulariter prædicatur, vti ſi volo concludere, quòd aliquod animal ſit ſubſtantia per ſyllogiſmum expoſitorium accipiam ſub ſubſtantia, & ſub animali aliquod ſen-

A ſibile ſingulare, de quo vtraque extremitas prædicetur, vt hunc hominem, puta Socratem, vel Platonem, & ſyllogizabo hunc in modum, Hic homo, puta Socrates, vel Plato eſt quoddam animal, eſt quædam ſubſtantia; ergo aliquod animal eſt ſubſtantia, vel aliqua ſubſtantia eſt animal.

His præhabitis facilioris doctrinæ gratia accedo ad declarationem modorum prænarratorũ huius tertiæ figuræ, exemplis in iure deſumptis.

Sint itaque tres termini in iure; Teſtamenti
B factio, Furioſus, Carens animi iudicio.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus terminus ſit medium, tertius terminus ſit minor extremitas.

In his terminis in tertia figura formabimus primam coniugationem, ſcilicet Darapti, ſeruata in vtraque præmiſſarum eadem quantitate, & qualitate, ita quòd maior, & minor ſint vniuerſales affirmatiuæ, cõcludentes affirmatiuam de parte, & collocemus medium in ambabus propoſitionibus loco ſubiecti, tali pacto.

C DA- Omnis furioſus prohibetur facere teſtamentum.
RA- Omnis furioſus caret animi iudicio, ergo
PTI Quidam carens animi iudicio prohibetur facere teſtamentum.

Maior probatur, Inſt. tit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. §. præterea.

Minor, eod. tit. & §. verſic. item furioſi.

Exemplum ſecundæ coniugationis Felapton ſcilicet formetur in his terminis; Poſtulatio pro
D alijs, Mulier, Puer leui ſententia & mente.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus terminus ſit mediũ, tertius terminus ſit minor extremitas, ſumpto præfecta medio, ita vt ſubijciatur vtrique extremorũ, & variatis propoſitionibus ſecundum qualitatem, ſeruata eadem quantitate, efficiamus ſecundam coniugationem conſtantem ex maiori negatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de vniuerſa re, concludentibus concluſionẽ negatiuam de parte talem.

E FE- Nulla mulier poteſt pro alijs poſtulare.
LA- Omnis mulier eſt vt puer leui ſententia, & mente, ergo
PTON Quoddam quod eſt leui ſententia, & mente pro alijs poſtulare nõ poteſt.

Deſumitur probatio in l. fœminæ. ff. de reg. iur. & in l. 1. §. ſexum. ff. de poſtulando.

Pro exemplo tertiæ coniugationis, nempe Diſamis, accipiamus hos tres terminos; Nuncu-
F patiuum pro maiori extremo, Teſtamentum pro medio, Præſentiam teſtium pro minori extremo.

Et poſito medio Teſtamento in vtraque præmiſſarum loco ſubiecti, variatis propoſitionibus ſecundum quãtitatem, ſed ſeruata qualitate, copulabimus tertiam coniugationem concludentem affirmatiuam de parte, tali ratione.

DI-

DI- Quoddam teſtamentum dicitur nuncupatiuum.

SA- Omne teſtamentum condi debet præſentibus teſtibus, ergo

MIS Quoddam teſtamentum præſentibus teſtibus conditū dicitur nuncupatiuū.

Maior probatur, Inſt. tit. de teſtam. §. ſed hęc quidem.

Minor, l. hac conſultiſſima. l. fin. §. ſi autem. l. omni C. de teſt.

Cōcluſio pro vera habetur in dicto §. in verſ. ſi quis. Inſt. de teſt. ordinan.

De quarta coniugatione præbeamus exemplum, his ſumptis terminis videlicet Inſtitutio & exhæredatio, liberi, poſthumi.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus terminus ſit medium, tertius terminus ſit minor extremitas.

Et poſito medio loco ſubiecti in ambabus pręmiſſis, ſeruata eadem quantitate, & qualitate propoſitionum formabimus quartam coniugationem affirmatiuam de parte concludentem ſic;

DA- Omnes liberi nominatim ſunt vel exhæredandi, vel hæredes inſtituendi.

RI- Quidam liberi ſunt poſthumi, ergo,

SI Quidā poſthumi ſunt nominatim exhęredandi, vel hæredes inſtituendi.

Deſumitur in l. placet. §. ideoque. ff. de lib. & poſth. §. ſed hæc quidem. verſ. vt omnes. Inſt. de exher. lib.

Quinta coniugatio vt Brocardo conſtituatur in terminis ſequentibus; Realis, Actio, quod oritur ex oblig.

Primus terminus ſit maior extremitas, ſecundus medium, tertius minor extremitas.

Deinde poſito medio de more, & variatis pręmiſſis ſecundum totum, & ſecūdum partem, ſecundum affirmationem, & negationem fiat ratiocinatio ſequens.

BRO- Quædam actiones non ſunt reales.

CAR- Omnes actiones oriuntur ex obligationibus, ergo

DO Quoddam ortum ex obligatione in rem non dirigitur.

Maior perſpicua, §. omnium. Inſt. tit. de act.

Minor probatur, l. licet. §. ea oblig. ff. de proc.

Pro ſexta, & vltima coniugatione, puta Feriſon termini ſint iudex, & arbiter pro maiori extremo, homo loco medij, filiusfamilias loco minoris extremi.

Et poſito medio, quod vtrobique ſubijciatur, variatis præmiſſis ſecundum quantitatem & qualitatem ſyllogizabimus tali pacto.

FE- Nullus homo ſimul & iudex, & arbiter eſſe poteſt.

RI- Quidam homo eſt filiusfamilias, ergo

SON Quidam filiusfamilias ſimul & iudex & arbiter eſſe non poteſt.

A Maior clara in l. ſed & ſi. 2. §. ſi quis, ff. de recept. arbit.

Minor habetur in l. nam ciuium. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris.

Et hactenus fuere declaratæ coniugationes huius tertiæ figuræ, in præcedentibus exemplis iuri ciuili accommodatis, vt quorū media ſunt vniuerſalia. Supereſt tertium cap. propoſitum manifeſtare, videlicet ſyllogiſmum expoſitorium, cuius mediū eſt ſingulare, de quo ad vſum iuris ſtudioſi aliquid dicere decreui.

B Pro exemplo ſyllogiſmi expoſitorij; ſupponatur quod velim oſtendere, quòd controuerſia de aliqua re ſit realis, tunc accipiam aliquod ſingulare, de quo vtraque extremitas prædicetur, & ſit vtrique extremo commune, vt controuerſiæ, & reali, puta Titij actio, & ſic ſyllogizabo:

Titij actio eſt realis.

Titij actio eſt controuerſia de aliqua re.

Controuerſia igitur de aliqua re eſt realis.

Deſumuntur termini in §. omnium. Inſt. de actio. Realis eſt maior extremitas, Actio Titij eſt

C medium, controuerſia de aliqua re minor extremitas: & ſic per medium ſingulare facile demonſtrabo maiorem extremitatem minori ineſſe in concluſione.

Notandum, quòd iſte ſyllogiſmus appellatur expoſitorius, ex quo propoſitiones vniuerſales exponit, & declarat, veluti ſi contendatur hæc vniuerſalis propoſitio, An minor decem & ſeptem annis de iure publice reſponſitare poſſit, ita colligere poſſumus; Neruafilius de iure publice reſponſitauit, Neruæ filius erat, cum id faceret,

D decem & ſeptem annis natus; ergo decem & ſeptem annis nati de iure publice reſponſitare poſſunt. Huiuſmodi ſyllogiſmus expoſitorius habetur formaliter in l. 1. §. pueritiam. ff. de poſtulando.

Et hæc dicta ſatis ſufficiant ſuper hoc capite ſexto pro iuris ſtudioſis.

De Tribus figuris, & indirectis ſyllogiſmis adinuicem, & quo pacto ſyllogiſmi omnes perfecti fiant, & reducantur omnes in vniuerſales primæ figuræ. Caput Septimum.

E

PAlam autem eſt, quoniam in omnibus figuris quando non fit ſyllogiſmus; cum prædicatiui quidem, vel priuatiui ſunt vtrique termini, & particulares, nihil omnino fit neceſſariū. Cum autem prædicatiuus, & priuatiuus,

F

tiuus, & vniuerſaliter ſumptus priuatiuus, ſemper fit ſyllogiſmus minoris extremitatis ad maiorem, vt ſi A quidem omni B, uel alicui; B autem nulli C. Conuerſis enim propoſitionibus, neceſſe eſt C alicui A non ineſſe, ſimiliter autem & in aliis figuris: ſemper enim fit per conuerſionem ſyllogiſmus.

Declaratis a Philoſopho cõiugationibus vtilibus, & inutilibus ad ſyllogizandum in vna quaque figura, in hac parte conuertitur ad eaſdem inutiles coniugationes, & determinat quæ ſint omnino inutiles, & quæ quoquomodo reciprocatæ poſſunt fieri vtiles, & oſtendit quòd in omnibus figuris, quæcunque coniugationes ex ſimilibus propoſitionibus, & particularibus conſtant. Sunt prorſus ad ratiocinandum ineptę, ex quo neque poſſunt demonſtrare rẽ propoſitam, C neque aliud quidpiam colligere. Quæcunque uerò conſtant ex diſſimilibus propoſitionibus, & vniuerſali negatiua, & ſi non valeant demonſtrare propoſitũ, tamen reciprocatione, & tranſpoſitione perficiuntur, propterea quòd valent quidpiam colligere: patefecit hanc veritatem exemplo poſito in prima figura, ſumptis ſimul & ſemel duabus inutilibus coniugationibus primæ figuræ, prima ſcilicet, & quarta: quarum vna nẽpe prima conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua; altera verò, ſcilicet quarta ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua exemplificat in literis alphabeticis de more, A, B, C.

Prima coniugatio { Omne B eſt A. / Nullum C eſt B.

Concludit indirectè minorẽ non dici de maiori; ergo aliquod A non eſt C.

Alia coniugatio { Aliquod B eſt A. / Nullum C eſt B.

Concludit indirectè minorẽ non dici de maiori; ergo aliquod A non eſt C.

Huiuſmodi coniugationes ſunt inutiles; propterea quod directè non poſſunt concludere propoſitum; reciprocatione tamen facta valent quidpiam colligere: ſi enim tranſponentur & reciprocentur præmiſſæ, tali pacto.

Nullum B eſt C.
Omne A eſt B. } in prima, & ſecunda
Aliquod A eſt B. } figura.

Sequitur in quarto modo primæ figurę.

Aliquod A non eſt C.

Et tali via hæ duæ coniugationes poſſunt fieri vtiles. Exemplum in terminis materialibus ſit primæ coniugationis.

Omnis homo animal.
Nullus aſinus homo.

Non valet directè concludere rẽ propoſitam: A at reciprocatis, & tranſpoſitis præmiſſis.

Nullus homo aſinus.
Aliquod animal homo.

Colligitur ergo aliquod animal non eſt aſinus.

Pari ratione { Aliquis homo animal. / Nullus aſinus homo.

Eadem habita tranſpoſitione & reciprocatione.

Nullus homo aſinus.
Aliquod animal homo.

Eandem concluſionem valet inferre; colligi-
B tur enim, ergo

Aliquod animal non eſt aſinus.

Pariter ſe habet de aliquibus cõiugationibus etiam in alijs figuris, quarum exempla omittit Ariſtoteles, tradit ea Alexander hoc in loco, & etiam Magnus Albertus, & dicunt, quòd in ſecunda figura, quarta coniugatio inutilis, quæ ſcilicet conſtat ex maiori affirmatiua de parte, & minori negatiua de vniuerſa re. Hæc inquam, quamuis ſit inutilis; propterea quod directè non valet concludere propoſitum, vt

Hæc coniugatio. { Quædam ſubſtantia animal. / Nullus lapis animal.

Quæ non valet directè rem propoſitam concludere minorem non dici de maiori.

Quædam ſubſtantia non eſt lapis.

Tranſpoſitis tamen præmiſſis, & minori propoſitione reciprocata.

Nullum animal lapis.
Quædam ſubſtantia animal.

Rectè concludere valet.

Quædam ſubſtantia non eſt lapis.

D Euenit enim vt quæ prius erat minor, maior & vniuerſalis negatiua euadat; & quæ prius erat maior, minor & particularis affirmatiua efficiatur, ex quibus minorem à principio ſuppoſitum terminum alicui non ineſſe colligitur, qui à principio maior fuerat ſuppoſitus.

Idem ſe habet de prima coniugatione tertię figuræ conſtante ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, & de quarta eiuſdem figuræ conſtante ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, quòd
E licet ſint inutiles, ex quo nullam habent vim ad propoſitam rem demonſtrandam, tamen & ipſę reciprocationes maioris propoſitionis affirmatiuæ, aliquod vtręque ſcilicet particulare negatiuum colligere valent, vt

Prima coniugatio. { Omnis homo animal. / Nullus homo equus.

Et ſi non valeat directè concludere propoſitum, facta tamẽ reciprocatione maioris, & tranſpoſitis præmiſſis.

F Nullus homo equus.
Aliquod animal homo.

Valet concludere.

Aliquod animal non eſt equus.

Pari ratione procedit etiam quarta coniugatio.

Aliquis homo animal.
Nullus homo equus.

Quod

Quod facta eadem tranſpoſitione, & recipro- A catione.

Nullus homo equus.

Aliquod animal homo. Sequit eadẽ cõcluſio, Aliquod animal non eſt equus.

Dicit igitur *Palam autem eſt*, ſcilicet ex determinatis, *quoniam in omnibus figuris, quando non fit ſyllogiſmus*, quando in qualibet figura non fiat ratiocinatio, veluti, *cum prædicatiui quidem, vel priuatiui ſunt vtrique termini, & particulares*, quando ſcilicet negatiui, vel affirmatiui ſunt ambo termini, maior & minor; & iidem termini ſint par- B ticulares: *Nihil omnino fit neceſſarium.* Nihil neceſſarium ſequitur per conſequentiam ſyllogiſticam ex tali coniugatione. *Cum autẽ prædicatiuus, ſit vnus terminorum*, puta maior, *& priuatiuus, ſit alter terminorum*, puta minor, *& vniuerſaliter ſumptus priuatiuus*, ita quod minor terminus, qui negatiuus eſt, ſit vniuerſaliter ſumptus. *Semper fit ſyllogiſmus minoris extremitatis ad maiorem.* Fit ſyllogiſmus indirecte concludens, videlicet minorẽ extremitatem de maiori, quod eſt indi- C recte concludere, & huius exemplum ponit in duabus cõiugationibus ſimul & ſemel inductis, in prima ſcilicet & quarta primæ figuræ in elementis, *Vt ſi A quidem omni B, vel alicui*, vt ſi dicatur A quidem omni B, vel alicui B ineſſe, ſic, omne B eſt A, vel aliquod A eſt A. *B autem nulli C*, nullum C, B; tunc dicatur ineſſe, ſic, Fit ſyllogiſmus indirecte concludens minorem de maiori extremitate. *Conuerſis enim propoſitionibus, neceſſe eſt C alicui A non ineſſe.* Conuerſis, & tranſpoſitis præmiſſis.

D

Nullum B, C.

Omne A eſt B. in prima

vel Aliquod A eſt B. in ſecunda coniugatione

Sequitur quod Aliquod A non eſt C.

Similiter autem & in alijs figuris. Idem quoque euenit in reliquis figuris. *Semper enim fit per conuerſionem ſyllogiſmum.* Quod ſcilicet huiuſmodi coniugationes declarant minorem non dici de maiori, facta reductione ad quartũ modum primæ figuræ per reciprocationem, & tranſpo- E ſitionem præmiſſarum, vt propoſitis exemplis ex Alexandro, & Magno Alberto demonſtrauimus. Sequitur textus.

Palam etiam quoniam indefinitũm pro prædicatiuo particulari poſitum, eundem faciat ſyllogiſmum in omnibus figuris. Manifeſtum autem & quoniam omnes imperfecti ſyllogiſmi perficiuntur per primam figuram: aut enim oſtenſiue, aut per impoſſibile clauduntur omnes; vtrinque autẽ fit prima figura, & oſtenſiue quidem perfectis, quoniam per conuerſionem claudẽ- A bantur omnes; conuerſio autem primam faciebat figuram; per impoſſibile vero demonſtratis, quoniam poſito falſo, ſyllogiſmus fit per primam figuram, ut in poſtrema figura, ſi A, & B omni C inſunt, quoniam A alicui B ineſt; nam ſi nulli, & B, omni C, nulli C inerit A, ſed B inerat omni, ſimiliter autem in alijs.

Sequitur Ariſtoteles epilogare hactenus in ſuperioribus declarata, vt puta vlterius manifeſtum eſſe ex antedictis eandem fieri ratiocinationem in tribus figuris ex propoſitione indefinita affirmatiua; ac ex particulari ſi eius loco fuerit poſita; & quod inſuper omnes ſyllogiſmi perficiuntur per primam figuram; cum enim perficiantur vel oſtenſiue, quod fit per conuerſionem, & tranſpoſitionem, vel per argumenta- C tionem quod fieri nequit, quod fit ſumpto oppoſito concluſionis cum altera præmiſſarum, quoquomodo fiat, ſequitur permutatio diſpoſitionis terminorum, & proinde variatio figuræ; & quoniam de his, quæ deductione ad impoſſibile perficiuntur, maior videtur difficultas, quo modo reducantur ad primam figuram; idcirco tradit exemplum in primo modo tertiæ figuræ in elementis A, B, C, tali pacto:

Omne C, A.

Omne C, B, ſequitur

D Aliquod B, A.

Quod ſi negetur hęc concluſio, aliquod B, A, dabitur eius oppoſitum nullum B, A; ſed datum eſt omne C, B; ergo & oppoſitum concluſionis nullum B, A, & ſuppoſito in minori prioris ſyllogiſmi omne C, B, ſequetur in ſecundo modo primæ figuræ, quod nullum C ſit A. At dictum fuerat, quod omne C ſit A, & ſic patet, quod etiam illi ſyllogiſmi, qui probantur argumento deducente ad impoſſibile per primam figuram perficiuntur. Dicit ergo, *Palam etiam* E *quoniam indefinitum pro particulari prædicatiuo poſitum.* Ex iam dictis conſtat, quod ſi propoſitio indefinita ponatur loco affirmatiuæ particularis, *Eundem faciat ſyllogiſmum in omnibus figuris*: in qualibet figura formabit eandem ratiocinationem, ac faceret particulare ſi loco indefiniti poneretur. *Manifeſtum autem & quoniam omnes imperfecti ſyllogiſmi perficiuntur per primam figuram*. Inſuper conſtat etiam ex prædictis, quod omnes ratiocinationes imperfectæ ſecundæ & tertiæ figuræ reducuntur ad perfe- F ctas per primam figuram, quæ ſola in ſe ipſa eſt perfecta per dici de omni, & dici de nullo, quod confirmat, *aut enim oſtenſiue*, ſcilicet demonſtratiue, *aut per impoſſibile*, nempe argumento quod fieri nequit. *clauduntur omnes*, perficiuntur omnes; *Vtrinque autem fit in prima figura*. At in vtroque probationis modo fit perfectio facta reductio-

ductione ad primam figuram. Demonſtrat primum in perfectis per probationem oſtenſiuam, dicens, *Et oſtenſiue quidem perfectis, quoniam per conuerſionem claudebantur omnes*. In demonſtratiue perfectis idem fit reductio ad primam figuram, quia id fit in omnibus per conuerſionem & tranſpoſitionem terminorum. *Conuerſio autem primam faciebat figuram*. Ea mutatio autem conuerſionis, & tranſpoſitionis variabat figuram, ita vt primam conſtituebat, *Per impoſſibile verò demonſtratis*. Oſtendit quoque quod ſyllogiſmus perficiuntur argumēto deducente ad id, quod fieri nequit, quod perficiantur reductione ad primam figurā. *Quoniā poſito falſo ſyllogiſmus fit per primam figuram*. Propterea quod poſitus quòd concluſio ſit falſa, & dato oppoſito concluſionis ſumptæ cum altera præmiſſarum, fit mutatio diſpoſitionis terminorum in primam figuram ad hoc, vt conſtituatur ſyllogiſmus deducens ad impoſſibile, quod demonſtrat exemplo ſumpto in primo modo tertiæ figuræ conſtantæ ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis particularem affirmatiuam concludentibus, & inquit, *Vt in poſtrema figura, ſi A, & B omni C inſunt*. Si fiat coniugatio prima tertiæ figuræ, ita vt ponatur maior extremitas, quæ eſt A, & minor extremitas, quæ eſt B, omni C medio ineſſe, & vtraque præmiſſarum vniuerſalis affirmatiua conſtituatur omne C, A, omne C, B, concludatur, *Quoniā A alicui B ineſt*, hoc eſt quòd aliquod B eſt A, *nam ſi nulli*, quoniā ſi negetur concluſio, & ſuppoñatur contradictoria, nullum B eſt A. *& B omni C*, & fuerat ſuppoſitio in minori prioris ſyllogiſmi, quod omne C eſt B. ſequitur, *nulli C ineſt A*, quòd nullum C ſit A, quod eſt contra datum in maiori; & ideo dicit, *ſed inerat omni*, & ita copulatā & reducta eſt coniugatio prima in tertia figura ad ſecundum modum primæ figuræ: quapropter etiam illi ſyllogiſmi, qui perficiuntur deductione ad id, quod fieri nequit, ad primam figuram reducuntur. *Similiter autem & in alijs*. Et idem eſt in omnibus alijs ſyllogiſmis imperfectis, quòd his duobus modis perficiuntur tam ſcilicet imperfecti exiſtentes in ſecunda figura, quàm in tertia.

Eſt etiam reducere omnes ſyllogiſmos ad vniuerſales ſyllogiſmos primæ figuræ. Nam qui ſunt in ſecunda figura, manifeſtum quòd per illos perficiuntur. Verùm non ſimiliter omnes, ſed vniuerſales quidem, priuatiua conuerſa, particularium autem vtraque per ad impoſſibile reductionem.

In ſuperioribus dixit Ariſtoteles coniugationes primæ figuræ perfectione cæteris antecelle re, propterea quod reliquæ illis perficiuntur. Mo

A do intentio eius eſt oſtendere duas primas coniugationes primæ figuræ eſſe perfectiores alijs duabus, ex quo cunctæ coniugationes ad illas duas reducuntur, quod verum eſſe oſtendit primum ſumptis coniugationibus ſecundæ figuræ. Prima namque coniugatio ſecundæ figuræ reducitur ad ſecundam primæ conuerſa maiori in terminis, ſecunda coniugatio ſecundæ figuræ reducitur ad ſecundam primæ, conuerſa minori & concluſione, & tranſpoſitis præmiſſis, quarta ſecundæ reducitur ad primam primæ

B per deductionem ad impoſſibile, vt in antehabitis monſtratum eſt. Tertia quoque eiuſdem ſecundæ, & ſi reducatur ad tertiam primæ per conuerſionem maioris in terminis, tamen reducitur inſuper ad ſecundam primæ argumento deducente ad id quod fieri nequit, tali pacto.

FE Nullum N, M.
STI Aliquod X, M, ergo
NO Aliquod X non eſt N.

Reducitur ad ſecundam primæ hunc in modum, negato ſcilicet concluſione, & ſuppoſito

C falſo cum altera præmiſſarum.

CE Nullum N, M.
LA Omne X, N, ergo
RENT Nullum X, M.

Contra datum in minori ſuperioris coniugationis al. quod X, M, & ita etiam hæc coniugatio perficitur per impoſſibile in prima figura. Dicit ergo, *Eſt etiam reducere omnes ſyllogiſmos ad vniuerſales ſyllogiſmos primæ figuræ*. Reducuntur quoque coniugationes omnes imperfectæ ad

D primas perfectas vniuerſales quintæ figuræ, ſed non ſimiliter, & ſecundum vnum modum omnes reducuntur. *Nam qui ſunt in ſecunda figura, manifeſtum quòd per illos perficiuntur*. Incipit oſtēdere id verum eſſe in coniugationibus ſecundæ figuræ, ex quo perficiuntur in prima, & ſi non eodem, ſed diuerſo modo; quod inquit, *Verum nō ſimiliter omnes*, declarat, *ſed vniuerſales quidem* veluti duæ primæ coniugationes ſecundæ figuræ reducuntur in duas primas vniuerſales primæ figuræ. *priuatiua conuerſa*, conuerſa negatiua

E propoſitione. *Particularium autem vtraque*. Duæ verò particulares coniugationes, quæ ſunt vltimæ ſecundæ figuræ perficiuntur in prima, *Per ad impoſſibile reductionem*. Argumento deducēte ad id, quod fieri nequit.

Qui uerò in prima ſunt particulares, perficiuntur quidem per ſe. Eſt autem & per ſecundam figuram oſtendere ad impoſſibile ducentes,

F vt ſi A omni B, & B alicui C, quoniam A alicui C inerit. Si enim nulli B autem de omni, nulli C inerit B. Hoc enim ſcimus per ſecundam figuram; Similiter autem & in pri-

uatiuo erit demonſtratio: ſi enim A nulli B, & B alicui C ineſt, A alicui C non inerit; nam ſi A omni C, B autem nulli ineſt, nulli C inerit B. Hæc autem fuit media figura; quare quoniam qui in media ſunt ſyllogiſmi, omnes reducuntur in primæ figuræ vniuerſales ſyllogiſmos, qui verò particulares in prima ad eos qui ſunt in media; manifeſtum eſt, quoniam & particulares reducētur ad eos, qui in prima figura ſunt vniuerſales ſyllogiſmos.

Declarauit Ariſtoteles ſuperius omnes coniugationes ſecundæ figuræ reduci ad vniuerſales primæ figuræ: modo in hac parte idem oſtendit euenire de particularibus eiuſdem primæ figuræ, quæ quamuis per ſe ipſæ perficiantur per dictum de omni, & de nullo, tamen eæ quoque ad primas vniuerſales reduci valēt, verùm non immediate, ſed mediate ſecunda figura, quoniam per impoſſibile reducuntur ad ſecundam figuram, & inde ad vniuerſales primę, veluti prima coniugatio particularis primæ figuræ, quæ conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus.

DA Omne B, A.
RI Aliquod C, B, ergo
I Aliquod C eſt A,

Hæc per impoſſibile reducitur ad primum modum ſecundæ figuræ, quoniam ſi negetur concluſio, aliquod C eſt A; dabitur cōtradictio, nullum C eſt A, ſed omne B eſt A, vt in maiori prioris ſyllogiſmi. Sequitur igitur in primo ſecundæ figuræ, quòd nullum C eſt B, contra ſuppoſita in minori eiuſdem ſyllogiſmi, quod aliquod C eſt B: & ſic deductione ad id quod fieri nequit, probatur per ſecundam figuram; & inde perficitur per vniuerſales primæ, vt in ſuperioribus, pari gradu procedit coniugatio ſecunda particularis eiuſdem primæ figuræ, quæ conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiue particulariter negatiue concludentibus, quod etiam ipſa per impoſſibile reducitur primum, & immediate ad ſecundam coniugationem ſecundæ figuræ, & inde ad vniuerſales in prima, veluti

FE Nullum B, A.
RI Aliquod C, B, ergo
O Aliquod C non eſt A.

Quoniam ſi concluſio falſa, vera erit contradictio, omne C, A, ſed ſupponebatur in maiori prioris, nullum B, A; quare ex his præmiſſis nullum B, A, omne C, A, ſequitur in prima coniugatione ſecundæ, nullum C, B, contra id,

A quod dabatur in minori eiuſdem aliquod C, B, & tali ratione deducta ad id, quod fieri nequit, reducitur ad ſecundam, & inde ad vniuerſales primæ figuræ, vt in antehabitis. Quocirca hac via cū coniugatio omnis ſecundæ figuræ immediate reducatur ad vniuerſales primæ, & duæ particulares eiuſdem primæ, primo, & immediate ad coniugationes ſecundæ ipſis mediātibus ad vniuerſales primæ reduci poſſunt. Habemus ergo, *Qui verò in prima sūt particulares, perficiuntur quidem per ſe.* Particulares coniugatio-
B nes primæ figuræ, quamuis perficiantur per ſe per dictum de omni, & dictum de nullo, ſicut & vniuerſales, *Eſt autem & per ſecundam figuram oſtendere ad impoſſibile ducentes.* Euenit tamen quo ad euidentiam maioris neceſſitatis, quod etiam probantur per ſecundam figuram deductione ad id, quod fieri nequit, ſicut patet in prima coniugatione particulari primæ figuræ, *vt ſi A omni B.* Si enim A quidem omni B ineſt, ita quòd omne B ſit A; *& B alicui C*, vt aliquod C eſt B. Sequitur, *quoniam A alicui C inerit*, quod
C aliquod C erit A, & hæc eſt prima particularis coniugatio primæ figuræ. Si verò non ſequitur, hæc concluſio, detur contradictio. *Si enim nulli.* Scilicet nulli C ineſt A, vel nullum C, A, & ſumatur cum maiori prioris ſyllogiſmi. *B autem omni*, hoc eſt, omne B, A, tali pacto nullum C, A omne B, A, ſequitur in prima coniugatione ſecundæ figuræ, quòd *nulli C inerit B*, quòd nullum C eſt B per conuerſionem, nempe concluſionis nullum B eſt C, contra datum in minori ſuperioris ratiocinationis aliquod C, B, & ſic
D probatur neceſſitas talis ſyllogiſmi per ſecundam figuram. Ideo inquit. *Hoc enim ſcimus per ſecundam figuram.* Sequitur: *Similiter autem in priuatiuo erit demonſtratio.* Pariter probatur ſecunda coniugatio primæ figuræ, quæ priuatiua dicitur, ex quo concluſionem habet priuatiuam; Hæc enim & ipſa reducitur ad ſecundam figuram per impoſſibile, quod oſtendit, *Si enim A nulli B*, ſi concedatur A nulli B ineſſe, videlicet ſi conſtituatur coniugatio, quæ copuletur ex maiori vniuerſali negatiua, nullum B eſt A. *Et B ali-*
E *cui C*, & minori affirmatiua particulari, aliquod C, B. Sequitur in ſecunda particulari coniugatione primæ figurę, quòd *A alicui C non inerit*, quòd aliquod C non eſt A, *nam ſi A omni C*, quoniam ſi negetur concluſio dicta, & detur oppoſitum, omne C, A. *B autem nulli ineſt.* Data autē eſt prius in maiori prioris ſyllogiſmi, quòd nullū B eſt A: quare ex his duabus præmiſſis ſic ſimul iūctis, nullum B, A, omne C, A, concluditur per primam coniugationem ſecundæ figuræ, quòd *nulli C inerit B*, hoc eſt, nullum C eſt B. *Hæc autem*
F *fuit media figura.* Talis autem ratiocinatio extitit in ſecūda figura, *Quare, quoniam qui in media ſunt ſyllogiſmi*, propterea quia coniugationes ſecundę figuræ, *Omnes reducuntur in prima figura vniuerſales ſyllogiſmos:* Omnes reducuntur in primas coniugationes primæ figuræ vniuerſaliter concludentes. *Qui verò particulares in prima*, coniugatio-

tiones verò, quæ particulariter concludunt in prima figura, ſcilicet tertia & quarta, *ad eos qui ſunt in media*, reducũtur ad coniugationes ſecundę figuræ. *Manifeſtum eſt, quoniam & particulares reducentur ad eos, qui in prima figura ſunt vniuerſales ſyllogiſmos.* Colligitur manifeſte, quod etiam eædem primæ figuræ particulariter concludentes reducuntur ad eas, quæ vniuerſaliter concludunt in eadem figura.

Sed in textu videtur oriri quoddam dubium, quod etiam tangit Ariſtoteles, & Magnus Albertus ſoluit, videlicet, quòd perfectus non reducitur ad imperfectũ, ſed ſyllogiſmi ſecundæ figuræ ſunt imperfecti: ſyllogiſmi verò primæ figuræ ſunt perfecti, ergo videtur falſum, quòd ſyllogiſmi primæ figuræ particulariter concludentes, qui ſunt perfecti, reducantur ad imperfectos ſecundæ.

Reſponſio eſt facilis, quòd ſcilicet ſyllogiſmi primæ figuræ concludentes particulariter non reducuntur ad ſyllogiſmos ſecundæ, vti ad vltimum finem ſuæ reductionis, a quo magis perficiãtur, quia reductio non ſtat in imperfecto, ſed vt inde illis mediãtibus reducantur in vniuerſales primæ figuræ ſyllogiſmos, in quibus datur ſtatus; quoniã etiam quòd illi particulares ſint perfecti, ex quo perficiantur per dictum de omni, & dictum de nullo; tamen quo ad euidẽtiam neceſſitatis, euidentior eſt neceſſitas conſequentiæ in vniuerſalibus, quàm in particularibus, cũ vniuerſalis propoſitio habeat efficaciorẽ uim ad inferendum, quàm particularis.

Sequitur textus.

Qui verò sũt in tertia figura, cum vniuerſales ſint quidẽ termini & ſtatim perficiũtur per illos ſyllogiſmos. Si autem particulares ſumentur per particulares ſyllogiſmos primæ figuræ; ſed hi reducti ſunt ad illos, quare & tertiæ figuræ particulares. Manifeſtum ergo, quoniam omnes reducuntur in primæ figuræ ſyllogiſmos.

Vt patefaceret Ariſtoteles duas primas cõiugationes primæ figuræ eſſe cunctis alijs perfectiores, ex quo reliquę omnes ad ipſas reducũtur, declarauit quomodo cõiugationes ſecũdæ figuræ immediate ad primas vniuerſales reducantur, & quomodo duæ coniugationes particulares primę figurę reducantur, primum ad ſecundam figuram, & inde ea mediante ad vniuerſales primæ: vnde ſupereſt in hac parte manifeſtare quomodo etiam coniugationes tertiæ figuræ redigi dicantur ad vniuerſales primæ, quod aſſerit clarum eſſe, quoniam vniuerſales tertiæ figuræ, ſcilicet prima & ſecunda coniugatio illico & immediate reducũtur ad vniuerſales primæ, ſi-A cuti in reductione earundem iam ſupra demonſtratum fuit: aliæ vero particulares tertiæ figuræ, quæ reducuntur per conuerſionem, non reducuntur immediate in vniuerſales primæ, ſed primum perficiuntur per particulares primæ figuræ; & inde procedunt ad vniuerſales, veluti quarta coniugatio, quæ conſtat ex maiori affirmatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de parte particulariter affirmatiue concludẽtibus.

DA	Omne B eſt A.
RI	Aliquod B eſt C, ergo
B SI	Aliquod C eſt A.

Hæc inquam reducitur ad primam particularem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis ſic,

DA	Omne B eſt A.
RI	Aliquod C eſt B, ergo
I	Aliquod C eſt A.

Et inde reducitur ad vniuerſales primæ, vt antea: pariter ſexta coniugatio conſtans ex maiori negatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua C de parte particulariter negatiue concludentibus reducitur prius ad ſecundam particularem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis: & inde in vniuerſales eiuſdem, vt in antehabitis, ex quibus ſatis manifeſte conſtat ad primas vniuerſales reduci reliquas omnes coniugationes; & propterea eſſe aliarum perfectiſſimæ. Dicit itaque: *Qui verò ſunt in tertia figura*, ſcilicet ſyllogiſmi imperfecti, *cum vniuerſales ſint quidem termini*, cum præmiſſæ ſunt de vniuerſa re, ſicuti in prima & ſecunda coniugatione ter-D tiæ figuræ, *& ſtatim perficiuntur per illos ſyllogiſmos*, immediate per conuerſionem reducuntur ad coniugationes vniuerſales primæ figuræ. *Si autem particulares ſumuntur*, nempe reliquæ coniugationes tertiæ figuræ particulariter concludentes, & quæ per conuerſionem perficiuntur, *per particulares ſyllogiſmos primæ figuræ*. Illæ probantur per particulares primæ figuræ, *ſed hi reducti ſunt ad illos*. Cum autem particulares primę reducãtur in vniuerſales primæ: *quare & tertiæ figuræ particulares*. Hinc & ipſæ ad vniuerſales pri-E mæ earum medio redigi dicuntur, ex quibus colligit ſequentia; *Manifeſtum ergo, quoniam omnes reducuntur in prima figura ſyllogiſmos*, ſcilicet conſtat, quod omnes coniugationes & primæ, & ſecundæ, & tertiæ figuræ reducuntur in duas vniuerſales primæ figuræ ratiocinationes.

Concludit itaque.

Igitur ſyllogiſmi ineſſe, vel non ineſſe oſtendentes, dictum eſt quo-F modo ſe habent, & ad eos, qui ex eadem ſunt figura, & ad inuicem, & ad eos, qui ex alijs ſunt figuris.

Concludit ſufficienter declaraſſe quomodo ſe habeant ſyllogiſmi conſtantes ex propoſitionibus de ineſſe ſimpliciter tum ſeparatim in

vnaquaque figura, tũ permixtim in diuerſis, ex A quibus ſcilicet propoſitionibus cõſtant, & quomodo termini diſponi debeant in quantitate ipſarum, & de eorum reductione, & perfectione tum inter ſe comparati, quod eiuſdem ſunt figuræ, tum etiam qui diuerſarum, non morabor in expoſitione verborum, cum per ſe ſint facillima. Et hæc ſuper hoc Capite dicta ſatis.

Super Capite Septimo Primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.

AD vſũ iuris ſtudioſi habemus in hoc Capite, quod vltra quatuor modos ſyllogizandi in prima figura dantur alij duo, quos vulgares appellant, Fapeſmo vnum, & Friſeſomorum alterum.

Verùm habent artificium præter naturam, quoniã maior ſubijcitur minori in concluſione.

Fapeſmo primus modus, vt vidimus, conſtat ex maiori affirmatiua de vniuerſa re, & minori negatiua de vniuerſa re particulariter negatiue concludentibus.

Friſeſomorum ſecundus modus conſtat ex maiori affirmatiua de parte, & minori negatiua de vniuerſa re particulariter negatiue concludentibus.

Exemplum primi modi.

FA Omnis homo animal.
PES Nullus aſinus homo, ergo
MO Aliquod animal non eſt aſinus.

Exemplum ſecundi modi.

FRI- Aliquis homo animal.
SE- Nullus aſinus homo, ergo
SOMORVM Aliquod animal non eſt aſinus.

Hi duo modi dicuntur indirecte concludere, cauſa dicti, qui tamen perficiuntur per reciprocationem, & tranſpoſitionem præmiſſarum, velutI in primo modo, loco maioris poſita minor, & minoris loco repoſita maior, conuerſa negatiua in terminis, & affirmatiua in parte, efficitur namque quartus modus primæ figuræ, ſcilicet Ferio.

FE Nullus homo aſinus.
RI Aliquod animal homo, ergo.
O Aliquod animal non eſt aſinus.

Pariter in ſecũdo modo reciprocatis, & tranſpoſitis præmiſſis, vt ſupra reducitur ad quartũ perfectum primæ figuræ ſic,

FE Nullus homo aſinus.
RI Aliquod animal homo, ergo
O Aliquod animal non eſt aſinus.

De his duobus modis exempla deſumere valemus in corpore Iuris.

De primo ſit exemplum in tit. Inſt. de iure nat. gent. & ciuil.

FA Omne ius ciuile eſt ius humanum.
PES Nullum ius gentium eſt ius ciuile, ergo
MO Aliquod ius humanũ non eſt ius gentiũ.

De ſecundo ſit exemplum in tit. Inſt. de iu. perſonarum.

A FRI Aliquis libertinus eſt liber.
SE Nullus ingenuus eſt libertinus,
SOMORVM Ergo, Aliquis liber non eſt ingenuus.

Hi duo modi dicuntur indirecti ex quo in ambobus maior in concluſione ſupponitur minori, poſſunt tamen reduci ad perfectionem per reciprocationem, & tranſpoſitionem præmiſſarum, vt ſupra.

Exemplum pſimi.

FE Nullum ius ciuile eſt ius gentium.
RI Aliquod ius humanum eſt ius ciuile; ergo
O Aliquod ius humanum non eſt ius gentium.

Exemplum ſecundi.

FE Nullus libertinus eſt ingenuus.
RI Aliquis liber eſt libertinus, ergo
O Aliquis liber non eſt ingenuus.

Hos duos modos addere volui, vt patefacerem maximum vſum, quem habere poſſumus ſyllogiſmorum in ſcientia Iuris.

Sed dicta ſatis ſuper hoc Capite pro Iuris C ſtudioſis.

De Syllogiſmis ex ambabus de neceſſario in tribus figuris. Caput Octauum.

D QVoniam autem diuerſum eſt ineſſe, & ex neceſſitate ineſſe, & contingere ineſſe, (nam mulra inſunt quidem, non tamen ex neceſſitate, alia verò neque ex neceſſitate, neque inſunt omnino: contingit autem ineſſe.) Manifeſtum quoniam & ſyllogiſmus in vnoquoque horum diuerE ſus eſt, & non ſimiliter habentibus ſe terminis; ſed hic quidem ex neceſſariis, ille verò ex ijs, quę ſimpliciter inſunt, ille autem ex contingentibus.

Cum Ariſtoteles hactenus docuerit ſyllogiſmos conſtantes ex propoſitionibus de ineſſe, modo ſe conuertit ad ſyllogiſmos conſtantes F ex propoſitionibus modalibus; ſeruat namque in tradenda doctrina ſyllogiſmorum eundem ordinem, quem etiam ſeruauit in doctrina tradenda propoſitionum: prius enim declarauit propoſitiones de ineſſe vti ſimpliciores; deinde propoſitiones modales vti cõpoſitiores; & quoniam propoſitiones de neceſſario ſunt reliquis

moda-

A modalibus priores, vt lib. 2. Periermenias declaratur, idcirco ſtatim aggreditur tractationẽ ſyllogiſmorum conſtantium ex propoſitionibus modalibus de neceſſario; verùm prius determinat multiplicitatem concluſionis ſyllogiſticæ ex multiplicatione propoſitionis; quoniam ſicuti diuerſa eſt propoſitio, alia nempe de ineſſe, alia contingens, alia neceſſaria, diuerſa quoque erit concluſio, quoniam ex propoſitionibus de ineſſe erit concluſio de ineſſe, ex neceſſarijs neceſſaria, ex contingentibus contingens. Quod autem propoſitio ſit diuerſa, probatur ex hoc, quòd B multa inſunt, non tamen ex neceſſitate; alia inſunt, & ex neceſſitate inſunt; alia verò nec inſunt, nec ex neceſſitate inſunt; poſſunt tamen in eſſe, & non ineſſe. Prima eſt propoſitio de ineſſe ſimpliciter, ſecunda de neceſſario, tertia de contingenti; quarum differentia, appoſitione modorum agnoſcitur, vt viſum fuit in tractatu præcedenti. Dicit ergo; *Quoniam autem diuerſum eſt ineſſe*, ſimpliciter, *& ex neceſſitate ineſſe*, & cum modo neceſſario ineſſe, *& contingere ineſſe*, & cum modo contingentis ineſſe. Probat di- C uerſitatem propoſitionum ex multiplicitate rerum, & inquit: (*Nam multa inſunt quidem, non tamen ex neceſſitate.* Simpliciter enim ineſſe in plus ſe habet quam ex neceſſitate ineſſe; & ſimpliciter ineſſe eſt ſine modo. *Alia uerò neque ex neceſſitate, neque inſunt omnino, contingit autẽ ineſſe.*) Quędam verò ſic ſe habent, quæ nec ex neceſſario inſunt, nec ſimpliciter; contingit tamen talia ineſſe, ita vt contingens ineſſe communius eſt, quam ineſſe ſimpliciter, & ineſſe ex neceſſitate. *Manifeſtum quoniam & ſyllogiſmus in vnoquoque* D *horum diuerſus eſt*. Conſtat quòd cum ſyllogiſmus conſtituatur ex his diuerſis propoſitionibus, etiam ipſe diuerſus erit, *& non ſimiliter habentibus ſe terminis*, & non erit ex ijs terminis ſimilibus, *ſed hic quidem ex neceſſarijs*, ſed alter erit ex propoſitionibus modalibus de neceſſario. *Ille verò ex ijs, quæ ſimpliciter inſunt.* Alter ex propoſitionibus de ineſſe abſque modo aliquo: *Ille autem ex contingentibus*. Alter verò ex propoſitionibus de modo contingentis.

Sequitur textus. E

Ergo in neceſſarijs quidem ferè ſimililiter ſe habet, & in ijs, quæ inſunt, ſimiliter enim poſitis terminis, & in ijs, quæ inſunt, & in ijs, quæ ex neceſſitate inſunt, vel non inſunt, & erit, & non erit ſyllogiſmus. Verum diſtabit in eo, quod adiacet ter- F minis ex neceſſitate ineſſe, vel non ineſſe; nam & priuatiuum ſimiliter conuertitur, & in toto eſſe, & de omni ſimiliter aſſignabimus; ergo A in aliis quidem eodem modo oſtendetur per conuerſionem. Quòd concluſio neceſſaria, quomodo in eo quod eſt ineſse; in media autem figura quando fuerit vniuerſalis affirmatiua, particularis verò priuatiua, & rurſum in tertia quando vni- B uerſalis quidem prædicatiua, particularis verò priuatiuæ non ſimiliter erit demonſtratio; ſed neceſse eſt exponentes cui alicui vtrumque non ineſt de hoc facere ſyllogiſmum; erit autem neceſsarius in hoc, ſi autem de expoſito eſt neceſsarius, erit & de illo aliquo; nam hoc quod eſt expo- C ſitum ipſum quidem illud aliquod eſt. Fit autem uterque ſyllogiſmus in propria figura.

Declarata diuerſitate concluſionis ex diuerſitate propoſitionis, in præſenti exorditur agere de ſyllogiſmis conſtantibus ex propoſitionibus cum modo neceſſario, & docet quod ferè conſimiliter formantur, & demonſtrantur vtiles & inutiles coniugationes, quæ copulantur ex pro- D poſitionibus modalibus neceſſarijs, ac eæ, quæ copulantur ex propoſitionibus de ineſſe, probantur namque per eadem principia eſſe in toto, & dici de omni, & per eandem conuerſionem, exceptis quarta coniugatione ſecundæ figuræ, & quinta tertiæ, quę per oſtenſiuam expoſitionem vtriuſque priuatiuæ demonſtrantur, ſumptum ſcilicet aliquod ſub ſubiecto vtriuſque, & redactis ijſdem priuatiuis in vniuerſales; deinde formata ratiocinatione in ſecundo modo propriæ figuræ.

E Exemplum quartæ coniugationis ſecundæ figuræ in elementis ſit.

BA	Neceſſarium, omne B eſt A.
RO	Neceſſarium, aliquod G non eſt A,
CO	Ergo, Neceſſarium, aliquod G non eſt B.

Sumamus aliquod ſingulare poſitum ſub ſubiecto G minoris priuatiuæ, & ſit illud D.

Tunc redigamus eandem priuatiuam ſic expoſitam in vniuerſalem, & ſyllogizemus in ſeundo modo eiuſdem figuræ, tali F pacto.

CA-	Neceſſarium, omne B eſt A.
ME-	Neceſſarium, nullum D eſt A,
STRES	Ergo, Neceſſarium, nullum D eſt B.

Cum itaque D ſit pars G, habemus propoſitum, quod aliquod G non eſt B.

Exem-

Exemplum in terminis.

BA Neceſſarium, Omnem hominem eſſe animal.
RO Neceſſarium, Quoddam album non eſſe animal, ergo
CO Neceſſarium, Quoddam album non eſſe hominem.

Probatur concluſio, expoſita priuatiua, & in vniuerſalem conuerſa, ſi ſyllogizemus in ſecundo modo eiuſdem figuræ.

CA Neceſſarium, Omnem hominem eſſe animal.
ME Neceſſarium, Nullam niuem eſſe animal; ergo
STRES Neceſſarium, Nullam niuem eſſe hominem.

Et cum nix ſit aliquod album, habemus quod quærimus, nempe Neceſſarium, aliquod album non eſſe hominem.

Pari ratione per oſtẽſiuam expoſitionem demonſtratur quinta coniugatio tertiæ figuræ.

Exemplum in elementis.

BRO Neceſſarium, Aliquod G non eſt A.
CAR Neceſſarium, Omne G eſt B, ergo
DO Neceſſarium, Aliquod B non eſt A.

Probatur expoſita maiori priuatiua, & redacta in vniuerſalem ſi ratiocinabitur in ſecundo modo eiuſdem figuræ, ſic:

FE Neceſſarium, Nullum D eſt A,
LA Neceſſarium, Omne D eſt B, ergo
PTON Neceſſarium, Aliquod B non eſt A.

Si enim omne G eſt B, etiam omne D, quod eſt pars G, eſt B, Et ita habemus propoſitum.

Exemplum in terminis.

BRO Neceſſarium, Aliquod animal non eſt lapis,
CAR Neceſſarium, Omne animal eſt ſenſitiuum, ergo
DO Neceſſarium, Aliquod ſenſitiuum non eſt lapis.

Perficitur in ſecundo modo eiuſdem figuræ per expoſitionem, vt ſupra, tali pacto:

FE Neceſſarium, Nullum hominem eſſe lapidem
LA Neceſſarium, Omnem hominem eſſe ſenſitiuum, ergo
PTON Neceſſarium, Aliquod ſenſitiuum nõ eſſe lapidem.

Et ita per oſtenſiuam expoſitionem omiſſis longiſſimis circuitibus expoſitorũ, facillime habemus ex interpretum ſententia intentionem Ariſtotelis, quæ quomodo ſit ad aures eiuſdem, videamus. Dicit itaque: *Ergo in neceſſarijs quidem ferè ſimiliter ſe habet, & in ijs, quæ inſunt.* Eadem ferè eſt determinatio informatione ſyllogiſmorum conſtantium ex propoſitionibus cum modo neceſſario, & in his, quæ de ſimplici ſunt ineſſe. *Similiter enim poſitis terminis, & in ijs, quæ inſunt, & in ijs, quæ ex neceſſitate inſunt, vel non inſunt, erit, & non erit ſyllogiſmus*: quoniam in talibus propoſitionibus modalibus neceſſarijs tum affirmatiuis, tum negatiuis ſeruatur eadem di-

Tractatus Quartus.

A ſpoſitio cum illis de ineſſe ad hoc, vt conſtituatur vtilis, & inutilis ratiocinatio. *Verũ diſtabit in eo, quod adiacet terminis ex neceſſitate ineſſe, vel non ineſſe*; differunt tamen adinuicem in modo neceſſitatis, qui adiacet compoſitioni propoſitionis, & modificat compoſitionem, ex quo in ſyllogiſmo de neceſſario terminis adiacet modus, qui dicit ex neceſſitate ineſſe, & ex neceſſitate non ineſſe: at in ſyllogiſmo de ineſſe ſimpliciter non eſt modus. *Nam & priuatiuum ſimiliter conuertitur.* Verùm in principijs, quibus ſyllogiſmi
B perficiuntur, non eſt differentia, ſiquidem conuertuntur eodem modo: propterea quòd vniuerſalis priuatiua in ijs quæ ſunt de ineſſe, conuertitur ſimpliciter, & pariter euenit in ijs, quæ ſunt de neceſſario. *Et in toto eſſe, & de omni ſimiliter aſſignabimus*, & per eadem principia, quę ſunt in toto eſſe, & dici de omni regulantur ſyllogiſmi de neceſſario, ſicut & illi, qui ſunt de ineſſe. *Ergo in alijs quidem eodem modo oſtendetur per conuerſionem, quòd concluſio neceſſaria, quomodo in eo quod eſt ineſſe.* Quapropter in omnibus alijs figu-
C rarum coniugationibus cum modo neceſſario, eodem modo demonſtrabitur perfectio ſyllogiſmorum imperfectorũ, per cõuerſionem propoſitionum, & quòd talis ſequitur concluſio neceſſitate ſyllogiſtica, quo etiam perfectio, & imperfectio, ſyllogiſmorum de ineſſe ſimpliciter eſt demonſtrata pręterquam in quarto ſecundę, & quinto tertiæ, quod inquit: *In media autem figura quando fuerit vniuerſalis affirmatiua, particularis verò priuatiua; & rurſum in tertia quando vniuerſalis quidem prædicatiua, particularis vero priuatiua, non ſimiliter erit demonſtratio.* Verùm in ſe-
D cunda figura, quando fuerit propoſitio vniuerſalis affirmatiua, & maior; particularis verò priuatiua, & minor, prout eſt in quarta coniugatione ſecundæ figuræ. Et inſuper in tertia figura quando fuerit vniuerſalis quidem affirmatiua, & minor; particularis verò priuatiua, & maior, vt in quinta coniugatione eiuſdem tertię figuræ, non ſimiliter in illis de ineſſe erit demonſtratio, & reductio imperfecti ad perfectum, ſcilicet per conuerſionem. *Sed neceſſe eſt exponentes*
E *cui alicui*, reſpectu ſubiecti, *utrumque*, reſpectu prędicati, *non ineſt de hoc facere ſyllogiſmum.* Sed in iſtis oportet, quòd per expoſitionẽ particularis negatiuę in vtroque ſyllogiſmo faciamus demõſtrationẽ, *Erit enim neceſſarius in hoc.* In his enim quæ per oſtenſionẽ expoſitionis ſenſibiliter demonſtrantur, eſt ſyllogiſmus de neceſſitate concludens. *Si autem de expoſito eſt neceſſarius, erit & de illo aliquo.* Si autem de expoſito ſenſibili demonſtrato ſyllogiſmus eſt neceſſarius, ſequitur quòd etiam ſit neceſſarius de illo aliquo particu-
F lariter accepto. *Nã hoc quod eſt expoſitũ, ipſum quidem illud aliquid eſt.* Nã ſingulare per expoſitionẽ oſtenſiuam demonſtratum, illud idem eſt, quod eſt ipſum particulare, vel pars ipſius. *Fit autem vterque ſyllogiſmus*, tum expoſitus, tum per expoſitionem probans, *In propria figura*, ſcilicet quartus ſecundæ in eadem ſecunda, & quintus

tertiæ in eadem tertia: & ſic in propria vtriuſque, ſed in ſecundo modo, vt vidimus ſuperius, ex Interpretum conſenſu, quicquid in annotationibus ſcriptum ſit.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite Octauo pro Iuris ſtudioſis.

QVæ habuimus ad vſum iuris ſtudioſi in præſenti Capite, hæc ſunt, quòd eodem modo conſtituuntur ſyllogiſmi conſtãtes ex propoſitionibus modalibus neceſſarijs in tribus figuris, ac copulari ex propoſitionibus inexiſtentibus, hæc eſt duntaxat eorum differentia, quod in illis de neceſſario adiacet, modus de neceſſario, in illis verò de ineſſe modus nullus reperitur.

Exemplum in prima figura ſyllogiſmorum vtilium conſtantium ex ambabus de neceſſario, ſit in prima coniugatione.

BAR De neceſſitate, Omnis iuriſdictio eſt poteſtas de publico introducta cum neceſſitate iuris dicendi.
BA De neceſſitate, Omne merum imperiũ eſt iuriſdictio, ergo
RA De neceſſitate, Omne merum imperiũ eſt poteſtas de publico introducta cũ neceſſitate iuris dicendi.

Probatur in l. 1. & 2. ff. de iuriſdict. omn. iud.

Exemplum ſecundæ cõiugationis vtilis eiuſdem primæ figuræ in ſequentibus terminis.

CE De neceſſitate, Nullus contractus eſt manumiſſio.
LA De neceſſitate, Omnis emptio eſt cõtractus, ergo
RENT De neceſſitate, Nulla emptio eſt manumiſſio.

Demõſtratur Inſt. tit. de lib. & de emp. & vẽd.

Exemplũ tertiæ coniugationis eiuſdẽ figuræ.

DA De neceſſitate, Omnis contractus eſt vltro, citroq; obligatio.
RI De neceſſitate, Aliqua locatio eſt contractus, ergo
I De neceſſitate, Aliqua locatio eſt vltro, citroq; obligatio

Maior in l. Labeo, la 2. ff. de verb. ſign.

Minor Inſt. de locat. & conduct.

Exẽplum quartæ cõiugationis in ead. figura.

FE De neceſſitate, Nullus contractus eſt ſeruitus.
RI De neceſſitate, Aliqua locatio eſt contractus, ergo
O De neceſſitate, Aliqua locatio non eſt ſeruitus.

Deſumuntur termini huius quartę coniugationis. Inſt. tit. de loc. & conduct. & Inſt. de ſeru.

Conſimilia exempla figurare poſſumus etiam in ſecunda figura ſyllogizandi.

Exemplum primæ coniugationis in terminis ſumptis in tit. Inſt. de ſeruit. & de empt. & vend.

A CE De neceſſitate, Nulla manumiſſio eſt contractus.
SA De neceſſitate, Omnis emptio eſt contractus, ergo
RE De neceſſitate, Nulla emptio eſt manumiſſio.

Exemplum ſecundæ coniugationis.

CA De neceſſitate, Omnis locatio eſt cõtractus.
ME De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt contractus, ergo
B STRES De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt locatio,

Deſumuntur termini in eod. tit. Inſt. de ſeru. & locat. & vend.

Exemplum tertiæ coniugationis in tit. Inſt. de vſu & hab. & de donat.

FE De neceſſitate, Nulla habitatio eſt acquiſitio.
STI De neceſſitate, Aliqua donatio eſt acquiſitio, ergo
NO De neceſſitate, Aliqua donatio non eſt habitatio. C

Exemplum quartæ coniugationis in ſecunda figura.

BA De neceſſitate, Omnis irrogationis infamia, eſt iniuria.
RO De neceſſitate, Aliquod iure factum non eſt iniuria, ergo
CO De neceſſitate, Aliquod iure factum non eſt irragationis infamia

Deſumuntur in tit. Digeſtorum de iniurijs.

Supereſt paria adinuenire exempla in tertia
D figura.

Exemplum in prima coniugatione in terminis prænarratis.

DA De neceſſitate, Omnis contractus eſt vltro, citroq; obligatio.
RA De neceſſitate, Omnis contractus eſt iuris gentium, ergo
PTI De neceſſitate, Aliquod, quod eſt iuris gẽtium, eſt vltro, citroq; obligatio.

Maior probatur in l. Labeo. ff. de verb. & rer. ſignific.

E Minor in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.

Exemplum ſecundæ coniugationis.

FE De neceſſitate, Nullus ingenuus eſt ſeruus.
LA De neceſſitate, Omnis ingenuus eſt liber, ergo
PTON De neceſſitate, Aliquis liber non eſt ſeruus.

Probatur Inſt. ff. de ſtatu hominis.

Exẽplum tertiæ cõiugationis in tertia figura.

DI De neceſſitate, Aliqua manumiſſio eſt emancipatio
F SA De neceſſitate, Omnis manumiſſio eſt ſolutio poteſtatis, ergo
MIS De neceſſitate, Aliqua ſolutio poteſtatis eſt emancipatio.

Maior probatur in tit. Digeſtorũ, de adopt. & emancip. l. emancipati.

Minor

Minor probatur in tit. Digeſtorum de iuſt. & iure. l. manumiſſiones. A

Exemplum quartæ coniugationis in iiſdem terminis.

DA De neceſſitate, Omnis manumiſſio eſt ſolutio poteſtatis
RI De neceſſitate, Aliqua manumiſſio eſt emancipatio, ergo
SI De neceſſitate, Aliqua emancipatio eſt ſolutio poteſtatis.

Exemplum quintæ coniugationis.

BRO De neceſſitate, Aliqua iuriſdictio non eſt merum imperium
CAR De neceſſitate, Omnis iuriſdictio eſt iudicis dãdi licẽtia, ergo
DO De neceſſitate, Aliqua iudicis dandi licentia nõ eſt merum imperium.

Deſumitur in tit. Digeſtorum, de iuriſdict. omn. iud. l. imperium.

Remanet exemplum in ſexta & vltima vtili huius tertiæ figuræ, in his terminis. C

FE De neceſſitate, Nullum ius eſt iniuſtitia.
RI De neceſſitate, Aliquod ius eſt lex, ergo
SON De neceſſitate, Aliqua lex non eſt iniuſtitia.

Probatur in tit. Digeſtorum de iuſtitia, & iure.

Ex his exemplis facile in corpore iuris deſumptis, videtur vſus propoſitionum modalium in iure, & quomodo valent conſtituere ſyllogiſmos in qualibet figura ſyllogizandi. D

Quæ exempla volui in medium adducere, ne videatur omnino inutilis hæc tractatio iuris ſtudioſis.

Et hæc dicta ſatis ſufficiant.

De Mixtis, ex vna neceſſaria, & altera abſoluta in prima figura: Caput Nonum.

ACcidit autem quandoque altera propoſitione neceſſaria, neceſſarium fieri ſyllogiſmũ; verùm non vtralibet, ſed quæ ad maiorem extremitatem eſt, vt ſi A quidem B ex neceſsitate ſumptum eſt ineſse, vel non ineſse; B autem C ineſse tantum: ſic enim ſumptis propoſitionibus ex neceſſitate A inerit C, vel non inerit; nam quoniã omni B ex neceſſitate ineſt, vel non ineſt A; C autem aliquid eorum, quæ ſunt B, eſt; manifeſtum quoniam & C ex neceſsitate erit alterum horum.

Cum explicauerit Philoſophus ſyllogiſmos conſtantes tum ex propoſitionibus de ineſſe, tũ ex propoſitionibus de neceſſario ſeparatim, & per ſe ſumptis; modo docere vult ſyllogiſmos conſtantes ex propoſitionibus de ineſſe, & de neceſſario ſimul iunctis, & permixtim acceptis, ſeruans ordinem conſuetum.

Prius enim tradit ſyllogiſmos conſtantes ex præmiſſis vniuerſalibus: deinde procedit ad ſyllogiſmos particulares, & demonſtrat, quòd in huiuſmodi mixtione propoſitionum, concluſio ſequitur ſemper maiorem propoſitionem. Quãdo enim maior propoſitio ſit de modo neceſſario, & minor de ineſse, concluſio erit neceſſaria, & è contrario, ſi maior ſit de ineſſe, & minor de modo neceſſario concluſio erit de ineſſe. C

Ponit verò primam coniugationem conſtantem ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis, quarum maior eſt de neceſſario, minor autẽ de ineſſe ſimul & ſemel cum ſecunda cõiugatione conſtante ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua.

Exemplum primæ coniugationis.

BAR Neceſſarium, Omne B eſt A.
BA Omne C eſt B, ergo
RA Neceſſarium, Omne C eſt A.

D Probatur autem huiuſmodi ſyllogiſmus per dictum de omni, & dictum de nullo: nam cum de neceſſitate omne B ſit A, & C ſit aliquid eorum, quæ ſunt ſub B, ſatis manifeſte conſtant, quòd omne C de neceſſitate ſit A; alioquin non de neceſſitate omne B eſſet A.

Exemplum ſecundæ coniugationis.

CE Neceſsarium, Nullum B eſt A,
LA Omne C eſt B, ergo
RENT Neceſsarium, Nullum C eſt A.

Probatur huiuſmodi ratiocinatio per eadem E principia; quoniam ſi ex neceſſitate omni B non ineſt A, ita vt neceſsarium ſit nullum B eſse A, & C eſt aliquid eorum, quæ ſunt ſub B. Manifeſtum eſt quod ſequitur, quòd etiam A de neceſſitate non inſit C, quia aliter neceſsario nulli B ineſset A. Dicit igitur: *Accidit autem quandoque altera propoſitione neceſſaria, neceſſarium fieri ſyllogiſmum*. Aliquando euenit, quòd quando altera propoſitionum eſt neceſſaria, & altera de ineſse, quòd ſit ratiocinatio concludens concluſionem cum modo neceſſario. F *Verum non vtralibet*. Sed hoc non fit indifferenter quacunque præmiſsarum exiſtentium de neceſsario. *Sed quæ ad maiorem extremitatem eſt.* Sed quando maior propoſitio eſt de neceſſario, & minor de ineſse ſimpliciter ſequitur concluſio de neceſsario, ponit exemplum de vtraque coniugatione permixtim tum de conſtante ex ambabus affirmatiuis vniuerſalibus,

tum ex maiori negatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de vniuerſa re, & inquit, *Vt ſi A quidem B ex neceſſitate ſumptum eſt ineſſe.* Sic neceſſe eſt, omne B eſſe A, vt in prima coniugatione, *uel non ineſſe,* vel etiam negatiue ſumatur, vt in ſecunda coniugatione neceſſe eſt nullum B eſſe A, ita vt maior in prima ſit vniuerſalis, & affirmatiua, in ſecunda verò vniuerſalis, & negatiua. *B autem C ineſſe tantum.* Et minor propoſitio ſit de ineſſe ſimpliciter tum in prima, tum in ſecunda coniugatione, nullo appoſito neceſſitatis modo, vti in vtraque omne C eſt B. *Sic enim ſumptis propoſitionibus ex neceſſitate A inerit C.* Ita namque ordinatis, & diſpoſitis præmiſſis ſequitur concluſio cum modo neceſſario, quòd ſcilicet minori extremitati quæ eſt C inerit maior extremitas, quæ eſt A ex neceſſitate, veluti in prima neceſſarium omne C eſt A. *uel non inerit,* vti in ſecunda coniugatione neceſſarium nullum C eſt A. *nam quoniam omni B ex neceſſitate ineſt, uel non ineſt A.* Probatur neceſſitas huius ſyllogiſmi ex hoc, quòd ſi neceſſarium omne B eſt A, ſicuti in prima coniugatione, vel neceſſarium nullum B eſt A, ſicuti in ſecunda. *C autem aliquid eorum, quæ ſunt B eſt,* & C ponitur ſub B, vt eius pars. *Manifeſtum quoniam & C ex neceſſitate erit alterum horum.* Sequitur quod etiam de neceſſitate omne C ſit A, veluti in prima, vel nullum C ſit A, veluti in ſecunda coniugatione, alioquin non omne B, vel nullum neceſſario eſſet A.

Sequitur textus.

D Si autem A, B quidem non neceſſaria; B, C autem neceſſaria, non erit concluſio neceſſaria, nam ſi eſt, accidit A alicui B ineſſe ex neceſſitate per primam, & tertiam figuram, hoc autem falſum: contingit enim tale eſſe B, cui poſſibile eſt A nulli ineſſe. E Amplius autem & ex terminis manifeſtum, quoniam non erit concluſio neceſſaria, vt ſi A quidem ſit motus, B autem ſit animal, in quo autem C homo, namque homo animal eſt ex neceſſitate; mouetur autem animal non ex neceſſitate; quare nec homo: F ſimiliter autem & ſi priuatiua ſit A, B, nam eadem demonſtratio.

Cum docuerit in coniugatione vltima maiori exiſtente cum modo neceſſario, & minori de ineſſe ſequi concluſionem neceſſariam, ex quo concluſio ſemper ſequitur maiorem propoſitionem, modo oſtendit maiori exiſtente de ineſ-

A ſe, & minori cum modo neceſſario, quòd concluſio ſequitur de ineſse eadem de cauſa, veluti in affirmatiua coniugatione.

BAR Omne B eſt A.
BA Neceſſarium, Omne C eſt B, ergo ſequitur concluſio ſine modo neceſſario,
RA Omne C eſt A.
CE. Et in negatiua, Nullum B eſt A
LA Neceſſarium, Omne C eſt B, ergo ſequitur concluſio ſine modo neceſſario,
RENT Nullum C eſt A.

B Quod demonſtrat duplici ratione in elementis, primo, quia ſi daretur concluſio cum modo neceſſario, ſequeretur falſum, quod eſt inconueniens. Et hoc oſtendit per primam, & tertiam figuram, ſcilicet præmiſſa ſuppoſita, & addita minori prioris ſyllogiſmi in prima coniugatione tertiæ figuræ, & eadem minori reciprocata in tertia primæ, veluti

DA Neceſſarium, Omne C eſt A.
RA Neceſſarium, Omne C eſt B, ergo
PTI Neceſſarium, Aliquod B eſt A.

C Deinde minori reciprocata ſyllogizabimus in Darij.

DA Neceſſarium, Omne C eſt A.
RI Neceſſarium, Aliquod B eſt C, ergo
I Neceſſarium, Aliquód B eſt A.

Sed hęc concluſio neceſſarium aliquod B eſt A, deducta in vtraſque prænarratas figuras, eſt falſa, quoniam & ſi quandoque contingat, vt quod ineſt omni alicui neceſſario inſit; vt omni corpori ineſt moueri; motus autem corpori cæleſti neceſſario ineſt; tamen etiam euenit, vt D quod ineſt omni; nulli quoque inſit, vt homini ineſt ſedere, & ſi contingat omnem hominem moueri, hoc idem inconueniens dari, nempe falſum ſequi, ſi concluſio ſupponatur neceſſaria, oſtendit etiam in terminis in prima coniugatione eiuſdem primæ figuræ, ſumpto ſcilicet motu pro maiori extremitate, animali pro medio, & homine pro minori extremitate, tali pacto:

BAR Omne animal mouetur.
E BA De neceſſitate, Omnis homo eſt animal, ergo
RA De neceſſitate, Omnis homo mouetur.

Patet quòd ſi ponatur modus neceſſarius in hac concluſione, quòd eadem falſa redditur.

Simili via etiam demõſtratur ſequi idem inconueniens per primam, & tertiam figuram in priuatiua coniugatione ſi ſupponatur concluſio de modo neceſſitatis, & fuerit pręmiſſa loco maioris, eidem annexa F minori in ſecunda coniugatione tertiæ figuræ, & eadem minori reciprocata in ſecunda coniugatione tertiæ figuræ, ſic:

FE Neceſſarium, Nullum C eſse A.
LA Neceſſarium, Omne C eſſe B, ergo
PTON Neceſſarium, Aliquód B non eſſe A.

Po-

Poſtea minori reciprocata ratiocinabitur, in quarta coniugatione primæ figuræ tali pacto.

FE Neceſſarium, Nullum C eſſe A.
RI Neceſſarium, Aliquod B eſſe C, ergo
O Neceſſarium, Aliquod B non eſſe A.

Quæ concluſio in vtraque ratiocinatione deducta falſa eſt; ſiquidem in maiori prioris ſyllogiſmi fuit ſuppoſitum abſolute, quòd nullum B ſit A, hoc idem inconueniens etiam oſtendi poteſt in terminis ſuprapoſitis, ſcilicet Motu, Animali, & Homine in hunc modum.

CE Nullus homo mouetur.
LA De neceſſitate, Omne animal rationale eſt homo, ergo
RENT De neceſſitate, Nullum animal rationale mouetur.

Hæc concluſio falſa eſt, quia animal rationale moueri poteſt, & non moueri. Dicit igitur; *Si autem A, B quidem*, quę eſt maior propoſitio, *non eſt neceſſaria*, non ſit cum modo neceſſario. *B, C autē neceſſaria*, & minor propoſitio, quæ eſt B, C, ſit cum modo neceſſario, ex tali mixtione propoſitionum omne B eſt A, de neceſſitate omne C eſt B. *Non erit concluſio neceſſaria*, non ſequitur concluſio, quæ ſit cum modo neceſſitatis, quod probatur duobus modis per elementa, & per terminos, per elementa ſic. *Nam ſi eſt, accidit A alicui B ineſſe, ex neceſſitate per primam, & tertiam figuram.* quoniam ſi detur concluſio, quę ſit de neceſſitate ea poſita loco maioris propoſitionis, & eidem annexa minori in primo tertiæ figurę ſequetur, quód de neceſſitate aliquod B eſt A, quod idem etiam inferri poteſt in tertia primæ minori reciprocata, vt in ſuperioribus exemplis monſtraui, quod eſt inconueniens, ideo ſequitur. *Hoc autem falſum, contingit enim tale eſſe B, cui poſſibile eſt A nulli ineſſe*. Quæ concluſio nō eſt vera; propterea quod contingit quandoque, vt quod ineſt omni, nulli quoque inſit, vnde non erit verum, quód de neceſſitate aliquod B ſit A. Hanc eandem concluſionem patefacit falſam eſſe in terminis, quando inquit: *Amplius autem & ex terminis manifeſtum, quoniam non erit concluſio neceſſaria.* Præterea ſumptis terminis patebit concluſionem falſam ſequi, ſi inferatur cum modo neceſſitatis, *vt ſi A quidem ſit motus*, veluti ſi ponamus loco A maioris extremitatis motus; *B autem*, & loco B, quod eſt mediū. *Animal.* At *in quo C homo*, & loco C minoris extremitatis ponatur homo, & formetur ſyllogiſmus, ſi concluſioni apponatur modus neceſſitatis, falſo apponetur. *Namque homo animal eſt ex neceſſitate*, quoniam homo quidem eſt animal de neceſſitate. *Mouetur autem animal nō ex neceſſitate.* At quòd animal moueatur, non eſt neceſſarium; quapropter ſequitur: *Quare neque homo*, quod neque homo de neceſſitate mouetur, & inde concluſio, ꝙ de neceſſitate omnis homo moueatur, falſa erit. *Similiter autem & ſi priuatiua ſit A, B*, pariter in ſecunda coniugatione primæ figuræ, in qua maior eſt negatiua, ſignificata per A, B, quando

A illa eſt de neceſſario, & minor de ineſſe, ſequitur
concluſio neceſſaria: quando verò eſt de ineſſe
ipſa maior & minor de neceſſario, concluſio ſe-
quitur de ineſſe. *Nam eadem demonſtratio*. quod
verum eſſe demonſtrat eodem modo vti affir-
matiua, ſcilicet per elementa in prima & tertia
figura, & etiam per terminos, vt in præcedenti-
bus poſitis exemplis manifeſtaui.

Sequitur textus.

In particularibus autem ſyllogiſ-
B mis, ſi vniuerſalis quidem eſt neceſ-
ſaria, & concluſio erit neceſſaria, ſi
autem particularis, non neceſsaria,
ſiue priuatiua, ſiue prædicatiua fue-
rit vniuerſalis propoſitio. Sit A autē
primo vniuerſalis neceſsaria, & A
quidem omni B inſit ex neceſſitate,
B autem alicui C inſit ſolum; neceſ-
C ſe ergo A alicui C ineſſe ex neceſſi-
tate, nam C ſub B eſt; B autem om-
ni A inerat ex neceſſitate. Simili-
ter autem & ſi priuatiuus ſyllogiſ-
mus ſit; nam eadem erit demon-
ſtratio.

Declaratis vtilibus ſyllogiſmis vniuerſalibus
D copulatis ex mixtione propoſitionum neceſſa-
riarum, & de ineſſe in præſenti parte omiſſis inu
tilibus, qui oſtenduntur conſimili modo vt illi
de ineſſe, tranſit ad ſyllogiſmos particulares, ex
ijſdem mixtis propoſitionibus de ineſſe, & ne-
ceſſario conſtantibus, in quibus etiam concluſio
ſemper ſequitur maiorem propoſitinem. De-
clarat itaque Ariſtoteles, quod ſi maior fuerit
neceſsaria, & minor de ineſse, ſiue prædicatiua,
ſiue priuatiua ſit ipſa maior, exiſtente tamen
vniuerſali, quòd ſequitur concluſio modalis ne-
E ceſsaria, & ſic vnico amplexu ponit primam &
ſecundam coniugationem particularem. Exem
plum primæ coniugationis conſtantis ex maio-
ri affirmatiua de vniuerſa re, & minori affirma-
tiua de parte ſit in literis tale.

DA Neceſsarium, Omne B eſse A
RI Aliquod C eſt B, ergo
I Neceſsarium, Aliquod C eſse A.

Hanc concluſionem probat regula antepræ-
dicamentali, quæ eſt, quicquid prædicatur de
prædicato, prædicatur quoque de ſubiecto.
F Inquit enim, quòd ſi de neceſſitate omni B
ineſt A, & C eſt pars ſubſtantialis ipſius B,
conſtat manifeſte, quòd A inerit ex neceſſitate
alicui C.

Poteſt quoque dari exemplum in terminis,
ſumptis ſcilicet Scientia pro maiori extremo,
Grammatica pro medio, Homine pro minori
extremo, & formatur huiuſcemodi ratiocinatio

DA- Neceſſarium, Omnem Grammaticam eſſe ſcientiam.
RI- Aliquis homo eſt Grammaticus, ergo
I Neceſſarium, Aliquem hominem eſſe ſcientificum.

Nam ſcientia ineſt de neceſſitate omni Grãmaticæ, & Grammatices ineſt alicui homini: quapropter etiam ſcientia inerit de neceſſitate alicui homini.

Exemplum ſecundæ coniugationis particularis conſtantis ex maiori vniuerſali priuatiua, & minori affirmatiua de parte. In literis.

FE Neceſſarium, Nullum B eſſe A.
RI . Aliquod C eſt B, ergo
O Neceſſarium, Aliquod C non eſſe A.

Quæ concluſio ėſt nota: ſiquidem A de neceſſitate nulli B ineſt, & C eſt pars B, ſequitur quòd de neceſſitate A alicui C non inerit.

Exemplum in terminis ſit Vigilans pro maiori extremo, Somnium pro medio, Homo pro minori extremo, tunc

FE Neceſſarium, Nullũ ſomniãs eſt vigilans
RI Aliquis homo eſt ſomniãs,
O Neceſſarium, ergo Aliquem hominem non eſſe vigilantem.

Inquit igitur; *In particularibus autem ſyllogiſmis*, vti ſunt coniugationes tertia, & quarta primæ figuræ, quæ particulariter concludunt, *Si vniuerſalis quidem eſt neceſſaria, & concluſio erit neceſſaria.* Si mixtio præmiſſarum in huiuſmodi coniugatione ita ſe habeat, vt maior propoſitio, quæ eſt vniuerſalis, ſit cum modo neceſſitatis, & minor de ineſſe, etiam concluſio, quæ ſemper maiorem ſequitur propoſitionem, erit cum modo neceſſitatis. *Si autem particularis non neceſſaria.* Si verò minor propoſitio, quæ eſt particularis in vtraque coniugatione, erit cum modo neceſſitatis, & maior ſit de ineſſe, concluſio quoque erit ſine modo neceſſario. *Siue prædicatiua fuerit, ſiue priuatiua vniuerſalis propoſitio.* Et hoc euenit in vtraque cõiugatione particulari, tum ſcilicet in tertio modo primæ figuræ, in quo maior propoſitio eſt affirmatiua, & de vniuerſa re, tum etiam in quarto modo eiuſdem figuræ, in quo maior propoſitio eſt priuatiua, & de vniuerſa re: ſemper enim in ambabus his coniugationibus concluſio ſequitur maiorem propoſitionem. *Sit A autem primo vniuerſalis neceſſaria.* Ponatur autem primùm maiorem vniuerſalem affirmatiuam eſſe cum modo neceſſitatis, & minorem ſine modo. *Et A quidem omni B inſit ex neceſſitate*, ita quòd neceſſarium ſit omne B eſſe A. *B autem alicui C inſit ſolum*, & aliquod C ſit B, ita quòd minor propoſitio ſit ſine modo. *Neceſſe eſt ergo A alicui C ineſſe ex neceſſitate.* Sequitur concluſio cum modo neceſſario, ſcilicet de neceſſitate aliquod C eſſe A, cuius demonſtratio eſt, *Nam C ſub B eſt*, quoniam C minor extremitas eſt pars B, quod eſt medium. *B autem omni A. inerat ex neceſſitate.* B autem omni, quod medium eſt, ex neceſſitate A ineſt, quod eſt ma-
A ior extremitas.

Cum itaque A inſit omni B, & C ponatur ſub B, notum eſt quòd etiam A de neceſſitate inſit omni, vel alicui C per regulam anteprædicamẽtalem, quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto; & ita habemus exemplum primæ particularis coniugationis, nempe tertij modi primæ figuræ, in quo manifeſte videmus concluſionem ſequi maiorẽ propoſitionem vniuerſalem, & affirmatiuam: quòd idem
B etiam eſt in quarto modo eiuſdem figuræ, & in ſecunda particulari coniugatione, ideo dicit: *Similiter autem & ſi priuatiuus ſyllogiſmus ſit.* Eodem pacto ſe habet etiam ea cõiugatio, quæ habet maiorem vniuerſalem negatiuã, & quę concluſionem negatiuam concludit, quòd ſcilicet cõcluſio ſequitur maiorem propoſitionem: *nam eadem erit demonſtratio*, quia eadem regula, & eadem via hoc idem demonſtrari poteſt, vt in præcedentibus poſuimus: quicquid enim negatur de prædicato, remouetur etiam à ſubiecto.
C Sequitur textus.

Si autẽ particularis eſt neceſſaria, non erit concluſio neceſſaria; nihil enim impoſſibile euenit, quẽadmodũ nec in vniuerſalibus ſyllogiſmis: ſimiliter autem & in priuatiuis. Termini Motus, Animal, Album.

Volens Ariſtoteles nos docere, quòd ſicuti in
D vniuerſalibus ſyllogiſmis in mixta propoſitionum copulatione concluſio ſequitur maiorem propoſitionem, ita quoque accidit in particularibus mixtis, nempe quòd ſi maior propoſitio ſit cum modo neceſſitatis, ſiue prędicatiua, ſiue priuatiua, & minor propoſitio ſit de ineſſe, etiã concluſio ſit neceſſaria: ſin verò maior ſit de ineſſe, & minor cũ modo neceſſitatis concluſio ſequatur de ineſſe. Hactenus declarauit quomodo primum in vtraque coniugatione particulari eueniat, nunc oppoſitũ oſtendit, quòd maiori exiſtẽ
E te de ineſſe ſiue affirmatiua, ſiue priuatiua, & minori cum modo neceſſitatis, concluſio inferatur de ineſſe, non autem cum modo neceſſitatis, veluti in prima coniugatione particulari, in qua maior eſt affirmatiua.

Omne B eſt A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, infert concluſionem de ineſſe:
Aliquod C eſt A.

Pariter in ſecunda coniugatione particulari, in qua maior eſt priuatiua, concluſio ſequitur de
F ineſſe, non neceſſaria, veluti

Nullum B eſt A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo ſequitur concluſio de ineſſe
Aliquod C non eſt A.

Quod demonſtrat primo quoniam in elementis data concluſione de ineſſe in vtraque coniugatione,

gatione,nullum ſequitur falſum, ſicuti neque in A vniuerſalibus modis: data vero cõcluſione cum modo neceſſitatis,falſum ſequeretur,vti in vniuerſalibus ſyllogiſmis oſtenſum eſt. Secundo idem demonſtrat in his terminis, ſumptis ſcilicet Motu pro maiori extremo, Animali pro medio, Albo pro minori extremo, in quibus copulentur ambæ coniugationes particulares.

Exemplum primæ coniugationis.

DA — Omne animal mouetur.
RI — De neceſſitate. Aliquod album, veluti Cygnus eſt animal, ergo ſequitur concluſio de ineſſe
I — Aliquod album mouetur.

Exemplum ſecundæ coniugationis.

FE — Nullum animal mouetur.
RI — De neceſſitate Aliquod albũ veluti Cygnus eſt animal, ergo
O — Aliquod album non mouetur.

Percurramus verba. *Si autem particularis eſt neceſſaria*, ideſt ſi in coniugatione particulari formata ex mixtione præmiſſarum, minor propoſitio ſit cum modo neceſſitatis, & maior propoſitio affirmatiua ſit de ineſſe, veluti omne B eſt A, de neceſſitate omne C eſt B. *Non erit concluſio neceſſaria*. In tali coniugatione non ſequitur concluſio cum modo neceſſitatis, ſcilicet de neceſſitate aliquod C eſt A, ſed ſequitur concluſio de ineſſe ſine modo, aliquod C eſt A, cuius ratio eſt, *nihil enim impoſſibile euenit, quemadmodum nec in vniuerſalibus ſyllogiſmis*, quoniam dato quòd concluſio ſequatur de ineſſe, nihil ſequitur falſitatis ſicut neque in ſyllogiſmis copulatis, ex præmiſſis vniuerſalibus, quòd ſi detur concluſio in his cum modo neceſſitatis, ſequetur falſum, ſicuti & in illis ſequebatur; pariter demonſtratur etiam in terminis, quòd præmiſſis ex tali mixtione ſic copulatis non ſequitur concluſio neceſſaria, ſed de ineſſe: ideo dicit, *Termini, Motus, Animal, Album.* Motus namque ſumptus loco maioris extremi, & Animal loco medij, & Album loco minoris extremi: ex his terminis tum prima coniugatio particularis, in qua maior eſt vniuerſalis affirmatiua, tum etiam ſecunda coniugatio particularis, in qua maior eſt priuatiua vniuerſalis, habẽt concluſionem de ineſſe ſine modo neceſſario, vt ſuperius viſum fuit.

Hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite Nono Primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc Capite Ariſtoteles nobis tradit ſyllogiſmos conſtantes ex propoſitionibus mixtis de ineſſe, & neceſſarijs, & ponit quatuor coniugationes ex ipſis mixtis propoſitionibus copulatis in prima figura.

Tractatus Quartus.

Omnis autẽ coniugatio habet aut maiorem cum modo neceſſario, & minorem de ineſſe, aut è contrario, maiorem de ineſſe, & minorem cum modo neceſſario, ſi primum ſequitur concluſio neceſſaria, ſi ſecundum de ineſſe.

Exemplum primæ coniugationis habentis maiorem neceſſariam, & minorem de ineſſe.

BAR — De neceſſitate, Omne ius Romanorum eſt ius humanum.
BA — Omne ius ſcriptũ eſt ius Romanorum, ergo
B RA — De neceſſitate, Omne ius ſcriptum eſt ius humanum.

Maior eſt neceſſaria, minor de ineſſe, in huiuſmodi coniugatione ſequitur concluſio neceſſaria; quoniam cum omne ius Romanorum ſit ius humanum, & omne ius ſcriptum ſit pars iuris Romanorum, etiam ſcriptum ius, erit Romanorum ius, per regulam anteprædicamentalem.

Deſumuntur termini huiuſcemodi ratiocinationis in tit. Inſt. de iure naturali gent. & ciu.

Exemplum eiuſdem coniugationis maiori C exiſtente de ineſſe, & minori neceſſaria.

BAR — Omnis vltima volũtas eſt deficiens.
BA — De neceſſitate, Omne teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo
RA — Omne teſtamentum eſt deficiens.

Deſumitur in l. vnica. C. de caducis tollendis. in tit. Inſt. de teſt.

Exemplum ſecundæ coniugationis maiori exiſtente neceſſaria, & minori de ineſſe.

D CE — De neceſſitate, Nullus pupillus eſt tutor.
LA — Omnis paterfamilias eſt tutor, ergo
RENT — De neceſſitate, Nullus paterfamilias eſt pupillus.

Deſumitur in tit. Inſt. de excuſationibus tutorum §. item maior.

Exemplum eiuſdẽ coniugationis maiori exiſtente de ineſſe, & minori neceſſaria.

CE — Nullum teſtamentum eſt inoſ-
E ficioſum.
LA — De neceſſitate, Omnis iuſta ſẽtẽtia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, eſt teſtamentum, ergo
RENT — Nulla iuſta ſentẽtia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, eſt inofficioſa.

Deſumitur in tit. Digeſtorum de inoffic. teſt. & de teſt.

Exemplum tertiæ coniugationis eiuſdem primæ figuræ maiori exiſtente neceſſaria, & mi
F nori de ineſſe.

DA — De neceſſitate, Omnis arrogatus eſt in poteſtate arrogantis.
RI — Aliquis homo eſt arrogatus, ergo
I — De neceſſitate, Aliquis homo eſt in poteſtate arrogantis.

A Deſumitur Inſt. tit. de adopt. §. ſed hodie.

Exemplum eiuſdem coniugationis maiori exiſtente de ineſſe, & minori neceſſaria.

DA Omnis extraneus poteſt hæredem inſtitui in teſtamento.
RI De neceſſitate, Aliqui non exiſtentes in poteſtate teſtantium ſunt extranei, ergo
I Aliqui nõ exiſtẽtes in poteſtate teſtantium poſſunt hæredes inſtitui in teſtamento.

B Deſumitur Inſt. de hær. qual. & differentia.

Exemplum quartæ coniugationis maiori exiſtente neceſſaria & minori de ineſſe.

FE De neceſſitate, Nullus furioſus habet conſenſum.
RI Aliquis homo eſt furioſus, ergo
O De neceſſitate, Aliquis homo non habet conſenſum.

Deſumitur in l. emptionẽ C. de contrah. empt.

Exemplum eiuſdem coniugationis maiori
C exiſtente de ineſſe, & minori neceſſaria.

FE Nullus homo eſt manumiſſus.
RI De neceſſitate, Aliquis liber eſt homo, ergo
O Aliquis liber nõ eſt manumiſſus.

Deſumitur Inſt. tit de ingenuis, & libertinis.

Et hæc dicta ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

D *De Mixtis ex vna neceſſaria, & altera abſoluta in ſecunda figura.*
Caput Decimum.

IN ſecunda autem figura ſi priuatiua quidem propoſitio vniuerſalis ſit, & neceſſaria, con-
E cluſio erit neceſſaria: ſi autem prædicatiua non neceſſaria. Sit enim primum priuatiua neceſſaria, & A, B quidem nulli contingat; C autem inſit tantum, quoniam ergo conuertitur priuatiuum, & B nulli A contingit; A autem omni C ineſt, quare nulli C contingit B,
F nam C ſub A eſt. Similiter autem & ſi ad C ponatur priuatiuum: nam ſi A, C nulli contingit, & C nulli A poterit ineſſe, A autem omni B ineſt; quare nulli eorum, quæ
A ſunt B, contingit C. Fit enim prima figura rurſum, ergo neque B ipſi C, conuertitur enim ſimiliter.

Expleto ſermone de mixtis coniugationibus de ineſſe, & neceſſarijs in prima figura, in quibus patefecit concluſionem ſequi maiorem propoſitionem, modo docet mixtas coniugationes in ſecunda figura, & primum demõſtrat in mixtis coniugationibus vniuerſalibus cõcluſionem
B ſequi priuatiuam propoſitionem per conuerſionem ad ſecundam coniugationem primæ figuræ, à qua originem ducunt, & ad quas reducuntur.

Exemplum primæ coniugationis in ſecunda figura conſtantis ex maiori vniuerſali priuatiua de modo neceſſario, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, eſt

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Omne C eſt A, ergo
De neceſſitate, Nullum C eſt B.

C Hoc autem ideo fit, quoniam hæc coniugatio per conuerſionem maioris in terminis reducitur ad ſecundam primæ figuræ, in qua maior eſt priuatiua neceſſaria, quæ regulat concluſionem, ſcilicet

De neceſſitate, Nullum A eſt B.
Omne C eſt A, ergo
De neceſſitate, Nullum C eſt B.

Cum enim de neceſſitate nulli A inſit B, & C ſubſtantialiter ponatur ſub A, nulli quoque C de neceſſitate inerit B.

D Poſt hæc ponit Ariſtoteles ſecundam mixtionem coniugationum huius ſecundæ figuræ copulatam ex maiori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, & minori vniuerſali negatiua de modo neceſſario, in qua ſequitur concluſio pariter neceſſaria, quoniam ſimiliter reducitur ad ſecundam primæ a qua ortum habet.

Exemplum huius coniugationis eſt.

Omne B eſt A.
De neceſſitate, Nullum C eſt A, ergo
De neceſſitate, Nullum C eſt B.

E Demonſtratur huiuſmodi concluſio per conuerſionem ad ſecundam primæ minori propoſitione & concluſione reciprocatis, & tranſpoſitis præmiſſis, tali pacto:

De neceſſitate, Nullum A eſt C.
Omne B eſt A, ergo
De neceſſitate, Nullum B eſt C.

Cum enim negatiua conuertatur in terminis, ſi erit conuerſa concluſio, fiet iterum prima figura, ſcilicet de neceſſitate, nullum C eſt B, & ſic erit demonſtrata ratiocinatio. Dicit ergo,
F *In ſecunda autem figura:* Talis eſt regula in vniuerſalibus ſyllogiſmis, *Si priuatiua quidem propoſitio vniuerſalis ſit, & neceſſaria.* Si mixtio propoſitionũ ita ſe habeat, quòd in duabus primis coniugationibus de vniuerſa re propoſitio vniuerſalis priuatiua ſit cum modo neceſſitatis, & affirmatiua propoſitio ſit ſine modo neceſſario,

ſed

ſed de ineſſe. *Concluſio erit neceſſaria*. Sequetur concluſio cum modo neceſſitatis. *Si autem prædicatiua*. Si verò in his duabus coniugationibus vniuerſalibus propoſitio affirmatiua ſit cum modo neceſſario, & negatiua ſit ſine modo neceſſario, ſed de ineſſe. *Non neceſſaria*. Sequetur concluſio de ineſſe abſque modo neceſſitatis: concluſio namque priuatiuam ſequitur. Ponit exemplum primę coniugationis in ſecunda figura conſtantis ex negatiua vniuerſali cum modo neceſſitatis, & inquit: *Sit enim primum priuatiua neceſſaria*. Sit vniuerſalis negatiua, maior cũ modo neceſſitatis. *Et A, B quidem nulli contingat*. Et A nulli B inſit ex neceſſitate, vt de neceſſitate nullum B eſt A. *C autem inſit tantum*. At in minori propoſitione, quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, A inſit omni C abſolute, & ſit propoſitio de ineſſe vniuerſalis, omne C eſt A, ſequitur quòd C nulli B inerit ex neceſſitate ſcilicet de neceſſitate nullum C ſit B, quod demonſtratur per conuerſionem in ſecundum modum primæ figuræ. *Quoniam ergo conuertitur priuatiuum, & B nulli A contingit*. Quoniam vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis; idcirco maiori reciprocata ſuperioris ſyllogiſmi fiet reductio ad ſecundum modum primæ figuræ; vniuerſalis namque negatiua maior, quæ eſt de neceſſitate nullum B eſt A, conuertitur de neceſſitate nullum A eſt B. *A autem omni C ineſt*, cui maiori reciprocata ſi addatur minor eiuſdem ſyllogiſmi, omne C eſt A. *Quare nulli C contingit B*. Sequitur concluſio hæc, de neceſſitate nullum C eſt B, *nam C ſub A eſt*, quæ probatur ex hoc, quòd C eſt pars ſubſtantialis eius, quod eſt A. Poſt hæc ponit ſecundam coniugationem in ſecunda figura mixtam ex maiori affirmatiua vniuerſali de ineſſe, & minori negatiua vniuerſali de neceſſario, quando addit: *Similiter autem ſi ad C ponatur priuatiuum*, ſcilicet pari ratione ſi in ſecunda coniugatione ſecundæ figuræ ad C minus extremum ponatur modus neceſſarius, & fiat minor vniuerſalis priuatiua cum modo neceſſitatis, & maior affirmatiua vniuerſalis de ineſſe, vt omne B eſt A, de neceſſitate nullum C eſt A, ſequetur concluſio cum modo neceſſario. De neceſſitate nullum C eſt B, quod demonſtratur per reductionem ad ſecundam primæ reciprocata minori & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis; & hoc eſt quod ſequitur: *Nam ſi A, C nulli contingit*: quoniam ſi de neceſſitate nullum C eſt A, etiam conuertitur eadem vniuerſalis negatiua cum modo neceſſario. De neceſſitate nullum A eſt C: & ideo ait, *& C nulli A poterit ineſſe*: quæ cum euaſerit maior, *A autem omni B ineſt*, & eius loco fuerit repoſita minor omne B eſt A. *Quare nulli eorum quæ ſunt B, contingit C*. Sequitur concluſione reciproca prioris ſyllogiſmi, De neceſſitate nullum B eſt C. *Fit enim prima figura rurſum*, & tali pacto reducitur ad ſecundam coniugationem primæ figuræ.

A *Ergo neque B ipſi C: conuertitur enim ſimiliter*. Quare cum fuerit concluſum, quòd de neceſſitate nullum B eſt C, & vniuerſalis negatiua conuertatur in terminis. Habebimus etiam probatum, quòd de neceſſitate nullum C eſt B, quod erat propoſitum.

Si autem prædicatiua propoſitio eſt neceſſaria, non erit concluſio neceſſaria: inſit enim A omni B ex neceſſitate, C autem nulli inſit tantum: Conuerſa ergo priuatiua, fit prima figura. Oſtenſum eſt autem in prima, quoniam cum non eſt neceſſaria, quæ ad maiorem eſt priuatiua, nec concluſio erit neceſſaria: quare neque in his erit ex neceſſitate.

B

C Demonſtrato quòd in ſecunda figura in vniuerſalibus ſyllogiſmis quando priuatiua eſt neceſſaria, & affirmatiua de ineſſe, ſequitur concluſio neceſſaria. Oſtendit in præſenti, quòd ſi in iiſdem vniuerſalibus ſyllogiſmis oppoſito modo ſe habeat, quòd ſcilicet affirmatiua ſit neceſſaria, & negatiua de ineſſe, tunc non ſequitur cõcluſio neceſſaria, ſed de ineſſe; & ponit exemplum in ſecundo modo ſecundæ figuræ conſtante ex maiori vniuerſali affirmatiua neceſſaria, & minori vniuerſali negatiua ſimpliciter, vniuerſaliter negatiue concludentibus, veluti

D De neceſſitate, Omne B eſt A,
Nullum C eſt A, ergo ſequitur concluſio ſine modo,
Nullum C eſt B.

Quod probatur tripliciter. Primo per conuerſionẽ: conuerſa enim minori, pariterq; concluſione reciprocata, & præmiſſis tranſpoſitis huiuſcemodi coniugatio ſecunda ſecundæ figuræ reducitur ad ſecundam coniugationem primæ, in qua ſi maior non ſit neceſſaria, ſed de ineſſe, nõ ſequitur concluſio neceſſaria, ſed de ineſſe, veluti

E

Nullum A eſt C.
De neceſſitate, Omne B eſt A, ergo
Nullum B eſt C.

Et quoniam vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, hinc concluſione nullum B eſt C conuerſa, fiet nullum C eſt B, quod erat propoſitum demonſtrandum. Habemus itaque, *Si autem prædicatiua propoſitio eſt neceſſaria*. Quod ſi in ſyllogiſmis vniuerſalibus priuatiua vniuerſalis ſit de ineſſe, & vniuerſalis affirmatiua ſit

F cum modo neceſſitatis, *non erit concluſio neceſſaria*. Non ſequitur concluſio cum modo neceſſitatis, ſed de ineſſe ſimpliciter: cuius ponit exẽplu in ſecũda ſecundę, (omiſſa prima, quę per ſolã conuerſionẽ maioris demonſtratur) & inquit. *Inſit enim A omni B ex neceſſitate*, fiat maior affirmatiua

firmatiua cùm modo neceſſitatis, videlicet de A
neceſſitate omne B eſt A. *C autem nulli in-
ſit tantum*, fiat verò minor vniuerſalis negatiua
de ineſſe, nullum C eſt A, ſequitur concluſio
ſine modo, nullũ C eſt B, quæ demonſtratur per
conuerſionem. *Conuerſa ergo priuatiua ſit prima
figura.* Conuerſa enim minori negatiua nullum
A eſt C, & facta maior, eiuſq; loco repoſita
maiori de neceſſitate omne B eſt A, & facta
minori ſequitur concluſione reciprocata in ſe-
cunda coniugatione primæ figuræ, quòd nul-
lum B eſt C, quæ conuerſa fiet nullum C B
eſt B, quod erat propoſitum. Cumq; ad ſe-
cundam primæ reducatur, patet quòd ab ipſa
originem habet. *Oſtenſum eſt autem in prima,*
demonſtratumq; fuit in prima figura, *quoniam
cum non eſt neceſſaria, quæ ad maiorem eſt priuatiua,*
quòd cum maior propoſitio vniuerſalis negati
ua non eſt cum modo neceſſitatis, *nec concluſio
erit neceſſaria*, quod non ſequitur concluſio ne-
ceſſaria. *Quare nec in his erit ex neceſſitate.* Quare
neque in ſecunda figura, quæ formatur à prima,
& ad eam reducitur, quando negatiua erit de in C
eſſe ſine modo neceſſario, non ſequetur conclu-
ſio cum modo neceſſitatis.

Amplius autem ſi concluſio eſt
neceſſaria, accidit C alicui A non
ineſſe ex neceſſitate. Si enim B nul-
li C ineſt ex neceſſitate, neque C
vlli B inerit ex neceſſitate: B autem
alicui A neceſſe eſt ineſſe, ſiqui- D
dem & A omni B ex neceſſitate in-
erat. Quare C neceſſe eſt alicui A
non ineſſe, ſed nihil prohibet, A
huiuſmodi accipere, cui omni C con
tingit ineſſe.

Probatur ſecundo concluſio poſita per dedu
ctionem ad falſitatem, quoniam ſi detur conclu
ſio cum modo neceſſitatis, ſcilicet de neceſſita- E
te nullum C eſt B, tuuc eum vniuerſalis
negatiua conuertatur in terminis, fiet quoque
de neceſſitate nullum B eſt C, cui ſi addatur
maior conuerſa aliquod A eſt B, ſequitur in
quarto modo primæ figuræ, quòd de neceſſita-
te aliquod A non eſt C: ex duabus namque
præmiſſis neceſſarijs ſequitur concluſio neceſſa
ria, & quia in minori prioris ſyllogiſmi dice-
batur, quòd nullum C eſt A, eadem conuerſa
fiet nullum A eſt C. Verùm quod eſt tale de F
ineſſe, idem omni & nulli ineſſe poteſt; igitur
etiam omne A eſt C ſimpliciter. Idem ergo
ineſt omni de ineſſe, & alicui non ineſt ex neceſ
ſitate, quod eſt abſurdum. Hoc autem ſequitur,
ex quo ſuppoſita fuit concluſio hæc De neceſſi-
tate nullum C eſt B, igitur prima concluſio
vera erat, nullum C eſt B, quod erat propoſi-
tum. Dicit itaque: *Amplius autem ſi concluſio
eſt neceſſaria, accidit C alicui A non ineſſe ex ne-
ceſſitate.* Vlterius ſi dicatur, quòd ſequatur in
coniugatione poſita concluſio cum modo ne-
ceſſitatis, incidemus in falſitatẽ, eo quoniam eue
niet, quòd de neceſſitate aliquod A nõ erit C, &
omne A erit C ſimpliciter, quod eſt abſurdũ. De
terminat hoc: *Si enim B nulli C ineſt ex neceſſitate,*
quoniã ſi erit cõcluſio de neceſſitate nullum C
eſt B. *Neque C ulli B inerit ex neceſſitate.* Ip-
ſa conuerſa erit quoque verã propoſitio de ne-
ceſſitate nullum B eſt C. *B autem alicui A ne-
ceſſe eſt ineſſe: ſiquidem & A omni B ex neceſſitate
inerat.* Et quoniam vniuerſalis affirmatiua con-
uertitur in parte, maior poſita conuertetur de
neceſſitate aliquod A eſt B. *Quare C neceſſe
eſt alicui A non ineſſe.* Quapropter ſequitur in
quarto modo ſecundæ figuræ de neceſſitate ali-
quod A non eſt C. *Sed nihil prohibet A huiuſ-
modi accipere, cui omni C contingat ineſſe.* Verùm
hoc eſt falſum, ex quo etiam ſequi poteſt ex
dictis, quòd omne A eſt C, quoniam cum in
minori prioris ſyllogiſmi ſupponatur abſolute,
quòd nullum C eſt A; ergo per reciprocatio-
nem conuertitur nullum A eſt C; ſed quod
eſt tale de ineſſe, idem omni & nulli ineſſe po-
teſt: igitur etiam omne A eſt C, & cum po-
ſitum fuerit de neceſſitate aliquòd A non eſt
C; idem igitur ineſt omni de ineſſe, & alicui
non ineſt ex neceſſitate, quod eſt abſurdum.
Hoc autẽ ſequitur ex quo datum fuit de neceſ-
ſitate nullum C eſt B; ergo hoc falſum, &
prima concluſio vera nullum C eſt B, quod
erat propoſitum.

Amplius et ſi terminos ponentes
ſit oſtendere, quòd concluſio non
eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed his exi-
ſtentibus neceſſarijs, vt ſit A, ani-
mal, B verò homo, C autem album:
& ſimiliter propoſitiones ſumptæ
ſint; contingit enim animal nulli al-
bo ineſſe: non inerit ergo nec homo
ulli albo, ſed non ex neceſſitate; con
tingit enim hominem fieri albũ; non
tamen donec animal nulli albo inſit.
Quare cùm hæc ſint, neceſſaria
erit cõcluſio, ſimpliciter autem non
neceſſaria.

Tertio probatur, quòd in dicta coniugatione
non ſequatur concluſio neceſſaria ſimpliciter.
Ex poſitione in terminis, ponatur namque ani-
mal pro maiori extremo, homo pro medio, al-
bum pro minori extremo, & ex his formetur
hæc coniugatio.

De

De neceſſitate, Omnis homo eſt animal. A
Nullũ albũ eſt animal, ergo ſequitur concluſio ſine modo,
Nullum album eſt homo.

Probatur per reductionem ad ſecundam coniugationem primæ figuræ, reciprocata minori & concluſione, & tranſpoſitis præmiſſis in hunc modum.

Nullum animal eſt album.
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal, ergo
Nullus homo eſt albus.

Quę concluſio conuerſa fit nullum album eſt homo, quod erat propoſitum: & cum ad ſecundam coniugationem primæ figuræ talis coniugatio reducatur, & ab ea formetur, hinc cum fiat maior propoſitio de ineſſe, & concluſio ſequatur de ineſſe, & ſi ſit neceſſaria, eſt ſecundũ quid ex ſuppoſitione non ſimpliciter. Inquit itaque: *Amplius & terminos ponentes ſit oſtendere, quòd concluſio non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed his exiſtentibus neceßarijs.*

Inſuper exemplo in terminis probari poteſt, C quòd in hac coniugatione copulata ex maiori affirmatiua vniuerſali cum modo neceſſario, & minori vniuerſali negatiua de ineſſe concluſio non ſequitur neceſsaria ſimpliciter; ſed ſi ſit neceſsaria, erit neceſsaria ſecundum quid, & ex ſuppoſitione. *Vt ſit A*, maior extremitas animal *B verò* medium homo, *C autem* minor extremitas album. *Et ſimiliter propoſitiones ſumptæ ſint.* Et ex his terminis fiat coniugatio in ſecundo modo ſecundæ figuræ, ſumpta maiori cum modo neceſsario, & minori ſine modo, vt D poſuimus. *Contingit enim animal nulli albo ineſſe.* In hac poſitione habemus, quòd ſimpliciter nullum album eſt animal, *Non inerit ergo nec homo vlli albo.* Ex quo ſequitur quod pariter nullum album eſt homo, *Sed non ex neceſſitate*, tamẽ hoc quòd nullum album ſit homo non ſequitur ex neceſſitate abſoluta, ſed ſecũdum quid. *Contingit enim hominem fieri album*: nam homo poteſt fieri albus: *non tamen donec animal nulli albo inſit.* Verum non poteſt homo fieri albus exiſtente hac B ſuppoſitione, quòd nullum album ſit animal, quia donec manet illa poſitio, ſequitur de neceſſitate, quòd nullus homo ſit albus, ſed hæc neceſſitas non eſt ſimpliciter & re ipſa, ſed ſecundum quid, & ex ſuppoſitione. *Quare cum hæc ſint neceßaria erit concluſio, ſimpliciter autem non neceſſaria.* Quapropter in his terminis, ita poſitis non ſequitur concluſio neceſsaria ſecundum rẽ, ſed ſecundum quid, & de ineſse.

Similiter autem ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis: quando F enim priuatiua quidem propoſitio, & vniuerſalis fuerit, & neceſſaria, & concluſio erit neceſſaria. Quando autem prædicatiua vniuerſalis fuerit neceſſaria; priuatiua verò particularis non neceſſaria, nõ erit concluſio neceſſaria. Sit enim primum priuatiua, & vniuerſalis neceſſaria, & A, B quidem nulli contingat ineſſe, C autem alicui inſit: quoniam ergo conuertitur priuatiua, & B nulli A continget ineſſe; A autem alicui C ineſt: quare ex neceſſitate alicui eorum, quæ ſunt C, non inerit B. Rurſum ſit prædicatiua, & vniuerſalis, & neceſſaria, & ponatur ad B quidem prædicatiuum. Si ergo A omni B ex neceſſitate ineſt; C autem alicui non ineſt: quoniam non inerit B alicui C, manifeſtum, ſed non ex neceſſitate: nam ijdem termini erũt ad demonſtrationem, qui & in vniuerſalibus ſyllogiſmis.

Docet in præſenti Ariſtoteles ſimiliter ſe habere in mixtis ſyllogiſmis particularibus huius ſecundæ figuræ, ſicuti & in vniuerſalibus prænarratis, quòd concluſio ſequitur vniuerſalem priuatiuam: cum enim priuatiua fuerit vniuerſalis, & neceſsaria, & affirmatiua de ineſse, ſiue particularis, ſiue vniuerſalis concluſio erit neceſsaria, ſi autem affirmatiua ſit vniuerſalis & neceſsaria, & negatiua particularis de ineſse concluſio non ſequitur neceſsaria. Ponit in primis exemplum primæ ratiocinationis particularis conſtantis ex maiori vniuerſali negatiua neceſsaria, & minori particulari affirmatiua de ineſse particularem negatiuam neceſsariam concludentibus, veluti

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Aliquod C eſt A, ergo ſequitur concluſio.
De neceſſitate, Aliquod C non eſt B.

Quæ concluſio demonſtratur per reductionem ad quartam coniugationem primæ figuræ, à qua formatur conuerſa maiori in terminis.

De neceſſitate, Nullum A eſt B.
Aliquod C eſt A, ergo ſequitur concluſio.
De neceſſitate, Aliquod C non eſt B, quod erat propoſitum.

Poſtea ponit ſecundam particularem coniugationem huius ſecundæ figuræ conſtantem ex maiori vniuerſali affirmatiua neceſsaria, & minori particulari negatiua de ineſse, quam concludere ait de ineſse concluſionem, tali pacto:

De neceſſitate, Omne B eſt A.
Aliquod C non eſt A, ergo ſequitur cõcluſio de ineſse,
Aliquod C non eſt B.

Quæ

Quæ concluſio demonſtratur per eoſdē terminos, quibus etiam vniuerſales ſyllogiſmi demonſtrabantur quando affirmatiua erat neceſſaria, ſumpto ſcilicet animali, homine, & albo,

De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.
Aliquod album non eſt animal, ergo
Aliquod album nō eſt homo.

Inquit itaque: *Similiter autem ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis*. Eodem modo inquam regulabuntur in ſecunda figura mixti ſyllogiſmi particulares, ſicuti & vniuerſales, quòd concluſio ſequetur priuatiuam vniuerſalem propoſitionem. *Quando enim priuatiua quidem propoſitio vniuerſalis fuerit & neceßaria*, veluti in prima coniugatione particulari huius ſecundæ figuræ. *Et concluſio erit neceſſaria*. Sequitur etiam concluſio cum modo neceſſitatis. *Quando autem prædicatiua vniuerſalis fuerit neceſſaria: priuatiua verò particularis non neceſſaria*, vt in ſecunda coniugatione particulari eiuſdem figuræ, *Non erit concluſio neceßaria*. Non ſequitur concluſio cū modo neceſſitatis, ſed de ineſse, quod patet exemplis. *Sit enim primum priuatiua, & vniuerſalis neceſſaria*. Ponatur exemplum de prima particulari coniugatione huius ſecundæ figuræ, in qua maior eſt vniuerſalis negatiua, quæ ſit etiam neceſsaria. *Et A, B quidem nulli contingat ineſſe*. Veluti de neceſſitate nullum B eſt A. *C autem alicui inſit*, vt aliquod C eſt A, ſequitur concluſio negatiua particularis neceſsaria, quòd de neceſſitate aliquod C non eſt B, quæ concluſio demonſtratur per reductionem huius coniugationis ad quartam coniugationē primæ figuræ maiori in terminis reciprocatis. *Quoniam ergo conuertitur priuatiua, & B nulli A continget ineſſe*. Cum enim vniuerſalis negatiua conuertatur in terminis, maior propoſitio, de neceſſitate nullum B eſt A conuertitur de neceſſitate nullum A eſt B. *A autem alicui C ineſt*, ſed etiam aliquod C eſt A. *Quare ex neceſſitate alicui eorum, quæ ſunt C, non inerit B*. Quapropter ſequitur in quarto modo primæ figuræ, quod de neceſſitate aliquod C non eſt B, quòd erat propoſitum demonſtrandum. *Rurſum ſit prædicatiua & vniuerſalis, & neceßaria*. Ponit ſecundam coniugationem huius ſecundę figuræ, in qua maior eſt vniuerſalis affirmatiua, quæ etiam ſit neceſsaria. *Et ponatur ad B quidem prædicatiuum*. Et ponatur inquam modus neceſsarius ad maiorem extremitatem, quę eſt affirmatiua. *Si ergo A omni B ex neceſſitate ineſt*. Si enim in tali coniugatione de neceſſitate omne B eſt A. *C autem alicui non ineſt*. Minor verò ſit particularis negatiua de ineſse tantum aliquod C non eſt A. *Quoniam non inerit B alicui C, manifeſtum, ſed non ex neceſſitate*. Sequitur concluſio aliquod C non eſt B, ſed non de neceſſitate. *Nam iidem termini erunt ad demonſtrationem, qui in vniuerſalibus ſyllogiſmis*. Hæc autem concluſio demonſtratur per eoſdem terminos, qui poſiti ſunt in

A vniuerſalibus ſyllogiſmis, quando affirmatiua erat neceſsaria.

Sed nec ſi priuatiua neceſſaria eſt particulariter ſumpta, erit concluſio neceſſaria; nam per eoſdem terminos demonſtratio eſt.

Cū in ſecunda coniugatione particulari mixtio propoſitionis dupliciter fieri poſſit, vel maiori exiſtente neceſsaria, & minori de ineſse, vel

B è contrario, maiori exiſtente de ineſſe, & minori neceſsaria, cum patefecerit Ariſtoteles ex maiori vniuerſali affirmatiua neceſsaria, & minori priuatiua particulari de ineſse, non ſequi concluſionem neceſsariā, modo ſimiliter aſserit idem euenire, quamuis maior ſit vniuerſalis affirmatiua de ineſse, & minor ſit particularis priuatiua neceſsaria, quod ſcilicet nō ſequitur propter ea concluſio neceſsaria, ſed de ineſse, vt ſumptis iiſdem terminis prænarratis manifeſte aſserit conſtare, ordine tamen ipſorum terminorum tranſ-

C mutato, ſcilicet homine pro medio, albo pro maiori extremo, animali pro minori extremo, tali pacto:

Omne album eſt homo.
De neceſſitate, Aliquod animal non eſt homo, ergo non ſequitur ut patet,
De neceſſitate, Aliquod animal non eſt albū.

Et hæc ſufficiant in hoc Capite. Verba enim textus de ſe aperta ſunt.

D *Super Capite Decimo Primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.*

HAbemus in hoc Capite ſyllogiſmos conſtantes ex mixtione propoſitionum de ineſse, & de neceſsario in ſecunda figura, in quibus concluſio ſequitur priuatiuam vniuerſalem. Si enim in vniuerſalibus ſyllogiſmis negatiua vniuerſalis ſit neceſsaria, & affirmatiua ſit de ineſse, & con-

E cluſio erit neceſsaria: ſi verò negatiua vniuerſalis ſit de ineſſe. & affirmatiua ſit neceſsaria, concluſio erit de ineſse.

In particularibus verò ſyllogiſmis huius figuræ, ſi in prima cōiugatione negatiua ſit vniuerſalis, & neceſsaria, & affirmatiua particularis de ineſse, concluſio erit neceſsaria; & in ſecunda coniugatione ſi affirmatiua fuerit vniuerſalis neceſsaria, & negatiua particularis de ineſse, concluſio non ſequitur neceſsaria, ſicuti neque ſi affirmatiua vniuerſalis fuerit de ineſse, & priuatiua particularis neceſsaria, concluſio ſequitur

F neceſsaria.

De quibus omnibus ſupra poſuimus exēpla naturalia, ſatis erit in præſenti exempla conſimilia notare in terminis Iuris ciuilis.

Exemplū primæ coniugationis vniuerſalis cōſtātus ex maiori vniuerſali negatiua neceſſaria, & minori

minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe vniuer- A
ſaliter negatiue, de neceſſario concludentibus.

De neceſſitate, Nullus ſeruus eſt Princeps.
Omnis legum conditor eſt Princeps, ergo
De neceſſitate, Nullus legum conditor eſt ſeruus.

Maior probatur in l. 3. ff. de ſtatu hominum.

Minor in l. 1. ff. de leg. & Sen. Conſ. & l. 1. ff. de conſt. Principum.

Huiuſcemodi concluſio demonſtratur per reductionem ad ſecundam coniugationem primę B
figuræ per conuerſionem maioris in terminis.

De neceſſitate, Nullus Princeps eſt ſeruus.
Omnis legum conditor eſt Princep, ergo
De neceſſitate, Nullus legum conditor eſt ſeruus.

Pro exemplo ſecundæ coniugationis cōſtantis ex maiori affirmatiua vniuerſali de ineſſe, & minori priuatiua vniuerſali de neceſſario, negatiuam de neceſſario vniuerſalem concludentibus accipiamus terminos in tit. Digeſto- C
rum de adopt.

Omnis iuri alieno ſubiecto eſt arrogatus.
De neceſſitate, Nullus in ſua poteſtate eſt arrogatus, ergo
De neceſſitate, Nullus in ſua poteſtate eſt iuri alieno ſubiectus.

Demonſtratur hæc concluſio per reductionē ad ſecundam coniugationem primæ figuræ, reciprocatione minoris, & concluſionis, & tranſpoſitis præmiſſis. D

De neceſſitate, Nullus arrogatus eſt in ſua poteſtate.
Omnis iuri alieno ſubiectus eſt arrogatus, ergo
De neceſſitate, Nullus iuri alieno ſubiectus eſt in ſua poteſtate.

Quæ concluſio conuerſa habemus propoſitum, De neceſſitate, Nullus in ſua poteſtate eſt iuri alieno ſubiectus.

Exemplum primæ particularis coniugationis conſtantis ex maiori vniuerſali negatiua de E
neceſſario, & minori particulari affirmatiua de ineſſe concludentibus concluſionem particularem negatiuam neceſſariam.

De neceſſitate, Nullus homo eſt incorporalis.
Aliqua res eſt incorporalis, ergo
De neceſſitate, Aliqua res non eſt homo.

Probatur maior & minor in tit. Digeſtorum, de rer. qualit. & diuiſ. l. 1.

Quæ concluſio probatur per reductionem ad F
quartam coniugationem primæ figuræ, conuerſa maiori in terminis.

De neceſſitate, Nullū incorporale eſt homo.
Aliqua res eſt incorporalis, ergo
De neceſſitate, Aliqua res non eſt homo.

A Exemplum ſecundæ particularis coniugationis ex maiori vniuerſali affirmatiua neceſſaria, & minori particulari negatiua de ineſſe, concluſionem de ineſſe concludentibus.

Deſumitur Inſt. tit. de iniurijs. tali pacto:

De neceſſitate, Omnis irrogationis infamia eſt iniuria.
Aliqua verberatio non eſt iniuria, ergo
Aliqua verberatio non eſt infamia.

B Quod ſi maior in eadem coniugatione ſit vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, & minor ſit particularis priuatiua neceſſaria; non tamen ſequitur concluſio neceſſaria, ſed de ineſſe.

Exemplum in iiſdem terminis tranſmutatis.

Omnis verberatio eſt infamia
De neceſſitate, Aliqua iniuria non eſt infamia, ergo
De neceſſitate, Aliqua iniuria non eſt verberatio.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſis.

C

De Syllogiſmis mixtis, ex altera neceſſaria, & altera abſoluta in tertia figura. Caput XI.

IN poſtrema autem figura terminis quidem vniuerſalibus ad medium, & prædicatiuis vtriuſque propoſitionibus, ſi vtralibet ſit neceſſaria, & D
concluſio erit neceſſaria: ſi autem hæc quidem ſit priuatiua, illa verò prædicatiua, quando priuatiua quidem fuerit neceſſaria, & concluſio erit neceſſaria; quando autem præ- E
dicatiua non erit neceſſaria. Sint enim primum vtræque prædicatiuæ propoſitiones, & A, & B omni C inſint; neceſſaria autem ſit A, C: quoniam ergo B omni C ineſt, & C alicui B inerit, eo quod conuertitur vniuerſalis particulariter; quare ſi A ineſt omni C ex neceſſitate, F
& C alicui B, neceſſarium eſt ineſſe, nam B ſub C eſt. Fit igitur prima figura. Similter autem oſtendetur ſi B, C eſt neceſſaria; conuer-

tititur

titur enim C alicui A; quare ſi omni C ineſt B ex neceſſitate, & A alicui B inerit ex neceſſitate. Rurſum ſit, A, C quidem priuatiua; B, C verò affirmatiua, neceſſaria autem priuatiua. quoniam ergo conuertitur affirmatiua erit C alicui B; A autem nulli C ex neceſſitate, neque A alicui B inerit ex neceſſitate; nam B ſub C eſt. Si autem prædicatiua ſit neceſſaria, non erit concluſio neceſſaria. Sit enim B, C prædicatiua, & neceſſaria, A, C autem priuatiua, & non neceſſaria. Quoniam ergo conuertitur affirmatiua, inerit & C alicui B ex neceſſitate. Quare ſi A quidem nulli eorum, quæ ſunt C, ineſt; C autem alicui eorum quæ ſunt B, & A alicui eorum, quæ ſunt B, non inerit; ſed non ex neceſſitate. Oſtenſum enim eſt in prima figura, quòd priuatiua propoſitione non neceſſaria, nec concluſio erit neceſſaria.

Cum demonſtrauerit Ariſtoteles, quomodo ſe habeant ſyllogiſmi conſtantes ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & neceſſarijs, & in prima, & in ſecunda figura, in præſenti vult declarare, quomodo ijdem ſe habeant in tertia figura. Et primò docet, quòd in vniuerſalibus ſyllogiſmis. Si in prima coniugatione ſiue maior affirmatiua ſit de neceſſario, & minor affirmatiua de ineſſe, ſiue è contrario maior affirmatiua de ineſſe, & minor de neceſſario ſemper quomodocumq; fiat, concluſio erit neceſſaria; ſi autem in ſecunda coniugatione priuatiua ſit neceſſaria, & affirmatiua de ineſſe, cõcluſio pariter erit neceſſaria; & è conuerſo, ſi priuatiua ſit de ineſſe, & affirmatiua neceſſaria, concluſio erit de ineſſe, non neceſſaria.

Exemplum primæ coniugationis vniuerſalis, in qua maior eſt affirmatiua neceſſaria, & minor de ineſſe affirmatiua.

De neceſſitate, Omne C eſt A,
Omne C eſt B, ergo
De neceſſitate, Aliquod B eſt A.

Hæc concluſio demonſtratur per reductionem ad tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori in parte.

A De neceſſitate, Omne C eſt A.
Aliquod B eſt C, ergo
De neceſſitate, Aliquod B eſt A, quod erat propoſitum.

Exemplum eiuſdem coniugationis, in qua maior affirmatiua exiſtit de ineſſe, & minor affirmatiua de neceſſario.

Omne C eſt A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo
De neceſſitate, Aliquod B eſt A.

Demonſtratur hæc concluſio per reductionẽ
B ad tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa maiori, & concluſione, & tranſpoſitis præmiſſis, ſic:

De neceſſitate, Omne C eſt B.
Aliquod A eſt C, ergo
De neceſſitate, Aliquod A eſt B, quæ concluſio ſi conuertatur habebimus propoſitum.
De neceſſitate, Aliquod B eſt A.

Exemplum ſecundæ coniugationis vniuerſalis, quando priuatiua eſt neceſſaria, & affirmatiua de ineſſe.

C De neceſſitate, Nullum C eſt A.
Omne C eſt B, ergo
De neceſſitate, Aliquod B non eſt A.

Hæc cõcluſio reducitur ad tertiam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in parte, ſic:

De neceſſitate, Nullum C eſt A.
Aliquod B eſt C, ergo
De neceſſitate, Aliquod B non eſt A, quod erat propoſitum.

Exemplum eiuſdem ſecundæ coniugationis
D vniuerſalis, in qua priuatiua exiſtit de ineſſe, & affirmatiua de neceſſario concludentibus, particularem de ineſſe priuatiuam.

Nullum C eſt A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo
Aliquod B non eſt A.

Demonſtratur hæc concluſio per reductionem ad quartam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori in parte.

Nullum C eſt A.
De neceſſitate, Aliquod B eſt C, ergo
E Aliquod B non eſt A, quod erat propoſitum.

Cum enim hæc coniugatio ad quartam primæ figuræ reducatur, & ab ea formetur, regulatur ab eadem: ſiquidem in prima figura concluſio ſequitur priuatiuam, vt declaratum fuit, & cum priuatiua non ſit neceſſaria, neque pariter concluſio ſequitur neceſſaria. Dicit itaque: *In poſtrema autem figura terminis quidem vniuerſalibus ad medium, & prædicatiuis vtriſque propoſitionibus*, hoc eſt in tertia, & vltima figura, quando
F termini ſcilicet maior & minor extremitas ſunt vniuerſales ad medium, quod vtrique extremitati ſubijcitur. & de quo vtraque extremitas prędicatur vniuerſaliter & affirmatiue, vt in primo modo. *Si vtralibet ſit neceſſaria, & concluſio erit neceſſaria.* Vtralibet propoſitio ſit de neceſſario, & altera de ineſſe, ſequitur concluſio neceſſaria, & hæc

& hæc eſt prima regula in primo modo tertiæ ſiguræ. *Si autem hæc quidem ſit priuatiua, illa verò prædicatiua*. Si vero hæc quidem ſcilicet maior ſit negatiua, illa vero nempe minor affirmatiua, & vniuerſalis vtraque vt in ſecundo modo, talis eſt regula. *Quando priuatiua quidem fuerit neceſſaria, & conclusio erit neceſſaria*, quando vniuerſalis negatiua propoſitio eſt de neceſſario, & vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, ſequitur concluſio negatiua de neceſſario. *Quãdo autẽ prædicatiua, non erit neceſſaria*. Quando verò in eadem coniugatione vniuerſalis affirmatiua fuerit de neceſſario, non ſequitur concluſio de neceſſario. Ponit exemplum de vtraque. *Sunt enim primum vtraque prædicatiua propoſitiones*. Sint enim ambę pręmiſſę affirmatiuę ſicuti in prima coniugatione *Et A, & B omni C inſint*, ita quòd A maior extremitas, & B minor extremitas, inſint omni C medio. *Neceſſaria autem ſit A, C*. Et A, C maior propoſitio ſit de neceſſario, vti de neceſſitate omne C eſt A. *Quoniam ergo B omni C ineſt*. Quia ergo B minor eſt vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, ita quòd B minor extremitas omni C ineſt, uti omne C eſt B, ſequitur concluſio de neceſſitate aliquod B eſt A; quæ concluſio, demonſtratur per reductionem ad tertiam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris, ideo addit, *Et C alicui B inerit, eo quod conuertitur vniuerſalis particulariter*, hoc eſt ſi B minor extremitas omni C ineſt, ita quòd omne C eſt B, & vniuerſalis affirmatiua conuertitur in parte, oportet quòd C inſit alicui B, & aliquod B ſit C: quapropter ſi maior eſt de neceſſitate omne C eſt A, quod vult dicere in illis verbis: *Quare ſi A ineſt omni C ex neceſſitate*, & in conuerſione minoris, *C alicui B*, vt aliquod B eſt C, *neceſſarium eſt ineſſe*, ſequitur concluſio de neceſſario in tertia coniugatione primæ figuræ de neceſſitate aliquod B eſt A, & hoc ideo ſequitur, *nam B ſub C eſt*. propterea quòd B minor extremitas ſub C medio ſumpto eſt eſſentialiter. *Fit igitur prima figura*. Et in tali reductione hæc prima coniugatio tertiæ figuræ perficitur per tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori in parte. *Similiter autem oſtendetur ſi B, C eſt neceſſaria*. Pariter oſtendetur, quòd concluſio ſequitur de neceſſario in eadem prima coniugatione ſi minor propoſitio, quæ eſt omne C eſt B ſit de neceſſario, & maior de ineſſe: quæ concluſio demonſtrabitur neceſſaria per conuerſionem maioris, & concluſionis & per tranſpoſitionem præmiſſarum. *Conuertitur enim C alicui A*. Hæc enim coniugatio omne C eſt A de neceſſitate omne C eſt B; ergo de neceſſitate aliquod B eſt A, maior ſcilicet omne C eſt A, conuertitur in particularem aliquod A eſt C. *Quare ſi omne C ineſt B ex neceſſitate*. Quare cum minor tranſponatur ita quòd fiat maior, ſcilicet de neceſſitate omne C eſt B, & minor eius loco reponatur aliquod A eſt C. *Et A alicui B inerit ex neceſſitate*. Concluſio ſequitur neceſſaria, puta in tertia con-

A iugatione primę figurę de neceſſitate aliquod A eſt B, quę cõuerſa habemus propoſitũ de neceſſitate aliquod B eſt A, & tali pacto fit mixtio propoſitionis neceſſarię & de ineſſe in prima coniugatione tertię figuræ: in ſecunda verò coniugatione quomodo fiat, oſtẽdit in ſequẽtibus. *Rurſũ ſit A, C quidẽ priuatiua*. Inſuper in ſecũda cõiugatione, in qua maior propoſitio eſt negatiua vniuerſalis, nullum C eſt A. *B, C verò affirmatiua*. Minor autem propoſitio eſt affirmatiua vniuerſalis. *Neceſſaria autem priuatiua*. Si vniuerſa-

B lis priuatiua, quæ eſt maior, ſit de neceſſario, ſequitur concluſio particularis negatiua de neceſſario. Quæ concluſio demonſtratur per reductionem ad quartam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori ſcilicet affirmatiua de ineſſe in parte. Sit namque ratiocinatio de neceſſitate nullum C eſt A, omne C eſt B; ergo de neceſſitate aliquod B non eſt A, in hac coniugatione. *Quoniam ergo conuertitur affirmatiua, erit C alicui B*. Minor affirmatiua cum ſit vniuerſalis in particularem cõuerſa fiet aliquod B eſt C.

C *A autem nulli C ex neceſſitate*. Quare addita maiori de neceſſitate nullum C eſt A, & hęc minor conuerſa aliquod B eſt C, *neque A alicui B inerit ex neceſſitate*. Sequitur hæc concluſio in quarta coniugatione primæ figuræ de neceſſitate aliquod B non eſt A, quòd erat propoſitum demõſtrandum; *nam B ſub C eſt*. Et hoc ideo fit, quoniam B minor extremitas eſſentialiter eſt ſub C medio. *Si autem prædicatiuã ſit neceſſaria, nõ erit concluſio neceſſaria*. Si autem in hac ſecunda coniugatione tertiæ figuræ vniuerſalis affirmatiua

D ſit de neceſſario, & vniuerſalis negatiua de ineſſe, non ſequitur concluſio de neceſſario. *Sit enim B, C prædicatiua & neceſſaria*. Sit enim minor propoſitio, quæ eſt omne B eſt C, affirmatiua vniuerſalis de neceſſario: *A, C autem priuatiua, & non neceſſaria*. Maior verò propoſitio negatiua vniuerſalis nullum C eſt A ſit de ineſſe, ſequitur concluſio de ineſſe Aliquod B non eſt A. Quæ concluſio demonſtratur per reductionem ad quartam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori in parte, quod dicit. *Quoniam ergo con-*

E *uertitur affirmatiua inerit & C alicui B ex neceſſitate*. Quia enim conuertitur vniuerſalis affirmatiua de neceſſario in particularem, hęc minor de neceſſitate omne C eſt B conuertitur in hãc particularem de neceſſitate aliquod B eſt C. *Quare ſi A quidem nulli eorum, quæ ſunt C, ineſt*. Quapropter ſi maior propoſitio eſt nullum C eſt A, cui additur hæc minor conuerſa, de neceſſitate aliquod B eſt C. *Et A alicui eorum, quæ ſunt B, non inerit, ſed non ex neceſſitate*. Sequitur hæc con-

F cluſio particularis negatiua in quarta coniugatione primæ figuræ, quòd aliquod B non eſt A: quæ concluſio ſequitur de ineſſe, non de neceſſario; rationem reddit. *Oſtenſum eſt enim in prima figura, quòd priuatiua propoſitione nõ neceſſaria, nec concluſio erit neceſſaria*. Iam enim oſtẽſum eſt in prima figura, quòd quando priuatiua vniuerſalis non eſt de neceſſario, neque concluſio ſequitur neceſſaria.

Am-

Amplius autem & per terminos ſit manifeſtum: ſit enim A quidem bonum, in quo B animal, C autem equus: ergo bonum quidem contingit nulli equo ineſſe; animal verò neceſſe eſt omni equo ineſſe: ſed non neceſſe eſt aliquod animal non eſſe bonum; ſiquidem contingit omne eſſe bonum, aut ſi non hoc poſſibile; ſed vigilare, vel dormire terminum ponendum. Omne enim animal ſuſceptibile eſt horum. Si igitur termini vniuerſaliter ad medium ſint, dictum eſt quando erit concluſio neceſſaria.

Cum oſtenderit in literis alphabeticis, quòd quando in ſecunda coniugatione priuatiua eſt de ineſſe, & affirmatiua neceſſaria, non ſequitur concluſio neceſſaria, ſed de ineſſe. Hoc idem etiam declarat in terminis, ſumpto nempe bono pro maiori extremo, equo pro medio, & animali pro minori extremo, vti in hoc exemplo.

	Nullus equus bonus.
De neceſſitate,	Omnis equus eſt animal, ergo ſequitur
	Aliquod animal non eſt bonum,

Quoniam contingit omne animal eſſe bonum.

Et quoniam quis poſſet hoc in dubium reuocare, propterea quod de neceſſitate aliquod animal non ſit bonum, veluti ſerpentes, & omnia venenoſa, proinde addit pro maiori extremo vigilare, vel dormire: tunc namque nulla cadet difficultas, quin cõcluſio ſequatur de ineſſe non neceſſaria, veluti,

	Nullus equus vigilans.
De neceſſitate,	Omnis equus eſt animal, ergo
	Aliquod animal non eſt vigilans.

Amplius autem, & per terminos ſit manifeſtum: Inſuper patet in terminis, quod ſi in ſecũda coniugatione priuatiua ſit de ineſſe, & affirmatiua de neceſſario, quòd non ſequitur concluſio neceſſaria. *Sit enim A quidem bonum:* ponatur enim loco A maioris extremitatis; hic terminus bonum, *in quo B animal:* loco autem B minoris extremitatis animal: *C autem equus*, & loco C medij ſit equus. *Ergo bonum quidem contingit nullo equo ineſſe.* Tunc formetur maior talis priuatiua, nullus equus bonus. *Animal verò neceſſe eſt omni equo ineſſe.* Cui maiori addatur hæc minor affirmatiua de neceſſitate omnis equus eſt animal. *Sed non neceſſe eſt aliquod animal non eſſe*

A *bonum.* Patet quod non ſequitur concluſio de neceſſitate aliquod animal non eſt bonum, ſed de ineſſe aliquod animal non eſt bonũ, ſine modo neceſſario, cuius ratio ſequitur. *Si quidem contingit omne eſſe bonum:* propterea quòd accidit quòd omne animal ſit bonum, *Aut ſi non hoc poſſibile.* Quòd ſi quis id neget omne animal eſſe bonum, cum animalia venenoſa de neceſſitate non ſint bona. *Sed vigilare, vel dormire terminum ponendum*, loco boni, quod fuit ſumptum pro maiori extremo, collocetur vigilare vel dor-

B mire, quod accidit & equo, & animali, *omne enim animal eſt horum ſuſceptibile*, nempe ſomni, & vigiliæ; & tunc in his terminis conſtat manifeſte, quod non ſequitur concluſio de neceſſario, vt exemplo patet: *Si igitur termini vniuerſaliter ad medium ſint, dictum eſt quando erit concluſio neceſſaria.* Concludit ex ſupradictis declaraſſe in vniuerſalibus ſyllogiſmis, in quibus ambo extrema vniuerſaliter prædicatur de medio, quando concluſio ſit de neceſſario, & quando de ineſſe.

C Si autem hic quidem vniuerſalis, ille verò particularis, prædicatiuus vterque, quando vniuerſalis fuerit neceſſarius, & concluſio erit neceſſaria. Demonſtratio autem eadem, quæ & prius; conuertitur enim & particularis affirmatiua. Si ergo neceſſe eſt B omni C ineſſe; A autem

D ſub C eſt, neceſſe eſt B alicui A ineſſe: ſi autem B alicui A, & A alicui B ineſſe neceſſarium; cõuertitur enim. Similiter autem & ſi A, C ſit neceſſaria vniuerſalis, nam B ſub C eſt.

Vbi de vniuerſalibus ſyllogiſmis mixtis, ex propoſitionibus de ineſſe, & neceſſario copulatis in tertia figura, docuit in quibus concluſio ſe-

E quatur neceſſaria, & in quibus de ineſſe, modo peragere vult de illis, qui alteram propoſitionẽ habeat particularem; affirmatiuis verò vtriſque exiſtentibus præmiſſis, & declarat quòd in habentibus alteram propoſitionem vniuerſalem, & alteram particularem exiſtentibus ambabus propoſitionibus affirmatiuis, quòd concluſio ſequitur vniuerſalem, & primo ponit exemplum illius coniugationis, quæ habet maiorem particularem affirmatiuam de ineſſe, & minorem vniuerſalem affirmatiuam de neceſſario, in ele-

F mentis ſic:

	Aliquod C eſt A.
De neceſſitate,	Omne C eſt B, ergo
De neceſſitate,	Aliquod B eſt A.

Quæ concluſio demonſtratur per reductionem ad tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa maiori, & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis, vt infra.

De neceſſitate, Omne C eſt B.
Aliquod A eſt C, ergo
De neceſſitate, Aliquod A eſt B, quæ cum conuertitur, fit
Aliquod B eſt A, quod erat propoſitum.

Deinde ponit Exemplum alterius coniugationis conſtantis ex maiori affirmatiua vniuerſali de neceſſario, & minori affirmatiua particulari de ineſſe, veluti

De neceſſitate, Omne C eſt A.
Aliquod C eſt B, ergo
De neceſſitate, Aliquod B eſt A.

Hæc concluſio demonſtratur per eandem reductionem ad tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori,

De neceſſitate, Omne C eſt A
Aliquod B eſt C, ergo
De neceſſitate, Aliquod B eſt A, quod erat propoſitum. Dicit ergo: *Si autem hic quidem vniuerſalis, ille verò particularis prædicatiuus vterque*. Hoc eſt in ſyllogiſmis autem particularibus huius tertiæ figuræ, quando vnus terminus vniuerſaliter ſe habet ad mediũ; alter verò particulariter, & vterque terminus eſt prædicatiuus, ſicut eſt in tertia coniugatione tertię figuræ, in qua maior eſt particularis affirmatiua, & minor vniuerſalis affirmatiua, tunc *quando vniuerſalis fuerit neceſſarius, & concluſio erit neceſſaria*, tali regula fit mixtio, vt cõlcuſio ſit de neceſſario, quãdo ſcilicet vniuerſalis ſit de neceſſario *Demonſtratio autẽ eadẽ, quæ et prius*. Demõſtratur autẽ quòd ſequatur de neceſſitate cõcluſio dicta eadẽ demõſtratione, quę prius poſita eſt in prima cõiugatione huius tertiæ figuræ. *Cõuertitur enim & particularis affirmatiua*, particularis enim affirmatiua, cõuerſa ſcilicet maiori, & cõcluſione, & tranſpoſitis præmiſſis reducitur in tertiam coniugationem primæ figuræ, quoniam vt in hac coniugatione patet, aliquod C eſt A, de neceſſitate omne C eſt B; ergo de neceſſitate aliquod B eſt A *Si ergo neceſſe eſt B omni C ineſſe*, ſi neceſſe eſt quòd omni C inſit B. *A autem ſub C eſt*, & A ſumptum eſt ſub C eſſentialiter, *neceſſe eſt B alicui A ineſſe*, ſequitur quòd neceſſe eſt B alicui A ineſſe. *Si autem B alicui A, & A alicui B ineſſe neceſſarium; conuertitur enim.* Si autem de neceſſitate aliquod B eſt A, etiã de neceſſitate aliquod B eſt A, particularis enim propoſitio cõuertitur in terminis. *Similiter autem, & ſi A, C ſit neceſſaria vniuerſalis.* Pariter in quarta coniugatione huius tertiæ figuræ, quæ conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, ſi maior, quę eſt vniuerſalis affirmatiua eſt de neceſſario, & minor particularis affirmatiua ſit de ineſſe, ſequitur concluſio de neceſſario. *nam B ſub C eſt*, propterea quòd B ſub C eſt eſſentialiter, vt in poſitis exemplis ſuperius patet.

Si autẽ particularis eſt neceſſaria, non erit cõcluſio neceſſaria. Sit enim B, C particularis, & neceſſaria, A autem inſit omni C, non tamen ex neceſſitate. Conuerſa ergo B, C, prima fit figura, & vniuerſalis quidem propoſitio non neceſſaria, particularis autem neceſſaria: quando autem ſic ſe habebant propoſitiones, nõ erat concluſio neceſſaria; quare nec in his: amplius autem & ex terminis manife-
B ſtum. Sit enim A quidem vigilatio, B autem bipes; in quo autem C animal, ergo B alicui C neceſſe eſt ineſſe; A autem omni C contingit, & A non neceſſario B. Non enim neceſſe eſt aliquem bipedem dormire, vel vigilare. Similiter autem oſtendetur
C per eoſdem terminos etiam ſi A, C ſit particularis, & neceſſaria.

Cum dixerit Ariſtoteles, quòd in habentibus alteram propoſitionem vniuerſalem, & alteram particularem, concluſio ſequitur vniuerſalis, & docuerit exẽplo, quòd quando vniuerſalis eſt de neceſſario, & particularis de ineſſe, vtriſque exiſtentibus affirmatiuis, & in prima, & ſecunda coniugatione particulari huius tertiæ figuræ, cõcluſio eſt neceſſaria, modo oſtendit è contrario ſe habere, quando in ijſdem coniugationibus vni-
D uerſalis ſit de ineſſe, & particularis de neceſſario. Concluſio namque ſequitur de ineſſe, & non de neceſſario: & primo, exemplum ponit de coniugatione, in qua maior eſt vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, & minor particularis de neceſſario, tum in elementis, tũ in terminis, tali pacto:

Omne C eſt A.
De neceſſitate, Aliquod C eſt B, ergo
Aliquod B eſt A.

Quæ concluſio probatur per reductionem ad tertiam coniugationem primæ figurę, conuerſa
E minori in terminis.

Omne C eſt A.
De neceſſitate, Aliquod B eſt C, ergo
Aliquod B eſt A.

Cũ enim reducatur in tertiam primę, & maior ſit vniuerſalis nõ neceſſaria, nec cõcluſio ſequitur neceſſaria, vt demonſtratum eſt in prima figura.

Hoc idem, quod ſcilicet in eadem cõiugatione vniuerſali exiſtẽte de ineſſe, & particulari de neceſſario non ſequatur cõcluſio de neceſſario,
F patet in terminis ſi acceperimus vigilãtem pro maiori extremo, animal pro medio, & bipedem pro minori.

Omne animal eſt vigilans
De neceſſitate, Aliquod animal eſt bipes, ergo
Aliquod bipes eſt vigilans.

Exemplũ alterius coniugationis particularis, in qua maior eſt particularis de neceſſario, & minor vniuerſalis de ineſſe, ſic:

De neceſſitate, Aliquod C eſt A.
Omne C eſt B, ergo
Aliquod B eſt A.

Hæc concluſio demonſtratur per reductionē ad tertiam coniugationem primæ figuræ, conuerſa maiori, & concluſione, & tranſpoſitis pręmiſſis, hunc in modum:

Omne C eſt B.
De neceſſitate, Aliquod A eſt C, ergo
Aliquod A eſt B, quę cõuerſa fit
Aliquod B eſt A.

Et etiam ſic terminis diſpoſitis fit concluſio de ineſſe, ſumpto bipedi pro maiori extremo, animali pro medio, & vigilanti pro minori extremo, ſic:

De neceſſitate, Aliquod animal eſt bipes
Omne animal eſt vigilans, ergo
Aliquod vigilans eſt bipes.

Quę concluſio demonſtratur per reductionem ad ternam primæ, tali pacto:

Omne animal eſt vigilans.
De neceſſitate, Aliquod bipes eſt animal, ergo
Aliquod bipes eſt vigilans, quæ conuerſa fit
Aliquod vigilans eſt bipes.

Habemus ergo. *Si autem particularis eſt neceſſaria, non erit concluſio neceßaria.* Quod ſi in particularibus mixtis ſyllogiſmis, in quibus altera propoſitio eſt vniuerſalis, & altera particularis, vniuerſalis ſit de ineſſe, & particularis de neceſſario, concluſio ſequitur de ineſſe non neceſſaria: ponit exemplũ illius coniugationis, quæ habet maiorem vniuerſalem de ineſſe, & minorē particularem de neceſſario. *Sit enim B, C particularis, & neceſſaria.* Sit namque propoſitio minor particularis de neceſſitate aliquod C eſt B. *A autem inſit omni C, nõ tamen ex neceſſitate.* Maior verò propoſitio omne C eſt A ſit de ineſſe, patet quod in huiuſmodi coniugatione ſequitur concluſio de ineſſe, puta aliquod B eſt A; propterea quod reducitur hæc coniugatio ad tertiam primę per conuerſionem minoris. *Conuerſa ergo B. C, prima fit figura.* Conuerſa enim minori propoſitione in particularem fit coniugatio tertia in prima figura. *Et vniuerſalis quidem propoſitio non neceſſaria, particularis autem neceßaria.* Qua facta reductione, maior propoſitio vniuerſalis eſt de ineſſe, minor particularis verò neceſſaria. *Quando autem ſic ſe habebant propoſitiones, non erat concluſio neceſſaria.* Quo caſu, ſic ordinatis propoſitionibus in tertia primæ concluſio non erat neceſſãria, cũ maiorē vniuerſalē ſequatur. *Quare nec in his*: propterea etiam in hac cõiugatione tertiæ figuræ, quę deſcendit a tertia cõiugatione primę figurę idem erit, quod etiam probat in terminis. *Amplius autem & ex terminis manifeſtum*, hoc idē etiam demonſtratur per inſtãtiam terminorũ. *Sit enim A quidē vigilatio*, accipiatur loco A maioris termini vigilatio, *B autē bipes*, & loco B, minoris termini ſit bipes, *in quo autē C animal*: & loco C medij ponatur animal, & his terminis poſitis. *Ergo B alicui C neceſſe eſt ineſſe*, ſcilicet quod eſt bipes neceſſe eſt ineſſe alicui C, quod eſt animal. *A aũt omni C*

A *contingit.* A vero quod eſt vigilatio contingit ineſſe C, nempe animali, *& A non neceſſario B*: quapropter A, quod eſt vigilatio non neceſſario inerit B, ſcilicet bipedi. *Non enim neceße eſt aliquē bipedē dormire, vel vigilare.* Somnus namque vel vigilia neceſſario bipedi non debent ineſſe. Ponit deinde Ariſtoteles aliam coniugationē conſtantem ex maiori particulari de neceſſario, & minori vniuerſali de ineſſe, & inquit: *Similiter autē per eoſdē terminos oſtendetur etiã ſi A, C ſit particularis, & neceßaria*; vult dicere quòd etiã in ea
B coniugatione, in qua particularis minor exiſtit, & in qua maior vniuerſalis, veluti in tertia cõiugatione tertię figurę, ſi maior propoſitio vniuerſalis ſit de ineſſe, & minor particularis de neceſſario. Sequitur cõcluſio de ineſſe, quòd probari poteſt per eoſdē terminos, quibus etiã ſuperior fuit demonſtrata tũ alphabeticos, tũ etiam naturales tranſmutatos, vt vidimus in exemplis poſitis ſuperius. Sequitur textus.

Si autem hic quidem terminorũ ſit
C prędicatiuus, ille priuatiuus & neceſſarius, quãdo vniuerſalis fuerit priuatiuus & neceſſarius, & concluſio erit neceſſaria. Si enim A nulli C ex neceſſitate contingit; B autem alicui C ineſt, neceſſe eſt A alicui B nõ ineſſe; quando autē affirmatiua neceſſaria ponetur, vel vniuerſalis, vel particu-
D laris, vel priuatiua particularis, non erit concluſio neceſſaria: nã alia quidē eadē quę & in prioribus dicemus. Termini autē cum vniuerſalis quidē affirmatiua eſt neceſſaria, Vigilatio, Animal, Homo, mediũ homo. Cũ autē particularis prędicatiua neceſſa-
E ria, Vigilatio, Animal, Albũ: animal enim neceſſe eſt alicui albo ineſſe: Vigilatio autē contingit nulli, & non neceſſe eſt alicui animali non ineſſe vigilationem: quãdo autem priuatiua particularis eſt neceſſaria, Bipes, Motus, Animal, medium animal.

Proſequitur Philoſophus declarare, quomo-
F do mixti ſyllogiſmi de ineſſe, & neceſſario ſe habeãt in tertia figura, vt puta in quinta & ſexta coniugatione particulari negatiua, & cũ quatuor modis valeamus in eis ratiocinari, nēpe vel ex maiori vniuerſali negatiua de neceſſario, & minori affirmatiua de ineſſe; & è contrario ex maiori vniuerſali negatiua de ineſſe, & minori affirmatiua particulari de neceſſario; vt in ſexta cõiugatione, vel in quinta ex maiori particulari

nega-

negatiua de neceſsario, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſse; & è conuerſo ex maiori particulari negatiua de ineſse, & minori vniuerſali affirmatiua de neceſsario. Declarat quòd quando ratiocinatio formatur ex maiori vniuerſali negatiua de neceſsario, & minori affirmatiua particulari de ineſse, concluſio ſequitur neceſſaria: in reliquis verò ſyllogiſmis mixtis modo pręmiſso nulla concluſio ſequitur neceſſaria.

Exemplum primæ coniugationis conſtantis ex maiori negatiua vniuerſali de neceſsario, & minori affirmatiua particulari de ineſse ponit in elementis.

De neceſſitate, Nullum C eſt A.
Aliquod C eſt B, ergo
De neceſſitate, Aliquod B non eſt A.

Quæ concluſio demonſtrari poteſt per reductionem ad quartam coniugationem primæ figuræ, conuerſa minori in terminis.

Exemplum ſecundæ coniugationis habentis maiorem particularem negatiuam de ineſse, & minorem affirmatiuam de neceſsario vniuerſalem ponit in his terminis, vigilatione pro maiori extremo, homine pro medio, animali pro minori extremo.

Aliquis homo non eſt vigilans.
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal, ergo
Aliquod animal non eſt vigilans.

Exemplũ alterius coniugationis exiſtentis ex maiori vniuerſali de ineſſe negatiua, & minori particulari affirmatiua de neceſsario; ponit in terminis, Vigilatione pro maiori termino, Animali pro minori, Albo pro medio.

Nullum album eſt vigilans.
De neceſſitate, Aliquod albũ eſt animal, ergo
Aliquod animal nõ eſt vigilãs.

Exemplũ verò cõiugationis, in qua maior eſt particularis priuatiua de neceſsario, & minor affirmatiua vniuerſalis de ineſse tradit in his terminis, bipede pro maiori termino, moueri pro minori, & animali pro medio.

De neceſſitate, Aliquod animal non eſt bipes.
Omne animal mouetur, ergo
Aliquis motus non eſt bipes.

Dicit igitur: *Si autem hic quidẽ terminorum ſit prædicatiuus, ille priuatiuus, & neceſſarius*, Quod ſi in particularibus ſyllogiſmis negatiuis, ſeu negatiue concludentibus, vnus terminorum ſit affirmatiuus, & alter negatiuus. *Quando vniuerſalis fuerit priuatiuus, & neceſſarius, & concluſio erit neceſſaria.* Quando maior terminus fuerit vniuerſalis, & negatiuus de neceſsario, & minor terminus affirmatiuus particularis de ineſse, ſequetur concluſio neceſsaria, quod oſtendit exẽplo. *Si enim A nulli C ex neceſſitate contingit*: nam ſi maior extremitas medio ineſt de neceſſitate, vel de neceſſitate nullum C eſt A. *B autem alicui C ineſt*, & minor extremitas ineſt alicui medio de ineſse, aliquod C eſt B. *Neceſſe eſt A alicui B non ineſſe*. Sequitur cõcluſio neceſsaria, ſcilicet quòd de neceſſitate aliquod B non eſt A, qua tradita

A coniugatione tranſit ad inutiles, in quibus concluſio nõ ſequitur neceſsaria ſed de ineſse. *Quando autem affirmatiua, neceſſaria ponetur, vel vniuerſalis, vel particularis, uel priuatiua particularis, non erit concluſio neceſſaria.* Quod ſi affirmatiua ponatur propoſitio neceſſaria, vel ea ſit vniuerſalis vti in quinta cõiugatione, minor propoſitio, vel particularis, vt in ſexta coniugatione eadem minor, vel etiam ſi priuatiua particularis vti maior in quinta coniugatione ponatur de neceſſário, ſemper concluſio ſequetur de ineſſe non neceſ-

B ſaria. *Nam alia quidem eadem, quæ & in prioribus dicemus.* Hæc verba vel poſſunt referri ad coniugationem vtilem, in qua ſcilicet maior eſt vniuerſalis negatiua de neceſſario, & minor de ineſſe vti Philoponus, & tunc vult dicere, quòd ea demonſtratur per conuerſionem, ſcilicet minoris, vti & in præcedentibus probatum fuit, quatenus ſcilicet reducirur ad quartam coniugationem primæ figuræ, vel hęc verba poſſunt referri ad alias inutiles, quæ pariter demonſtrantur tales, ſicuti & aliæ inutiles oſtenduntur: & inſuper

C etiam per terminos, ponit autem primo inſtantiam in terminis de coniugatione conſtante, ex vniuerſali affirmatiua neceſſaria. Et inquit: *Termini autem, cum uniuerſalis quidem affirmatiua eſt neceſſaria*, hoc eſt, quòd ea coniugatio, quę habet maiorem particularem negatiuam de ineſse, & minorem affirmatiuam vniuerſalem neceſsariã inferrat concluſionem de ineſſe patet in his terminis, *Vigilatio, Animal, Homo.* Primo, ſumpto termino pro maiori, ſecundo pro minori, *medium homo*, vltimò verò pro medio. *Cum autem*

D *particularis prædicatiua neceſſaria.* Quod vero in ea coniugatione conſtante ex maiori vniuerſali negatiua de ineſse, & minori particulari affirmatiua de neceſſário, concluſio non ſequatur de neceſsario patet his ſumptis terminis, *Vigilatio, Animal, Album*: primo termino pro maiori, ſecundo pro minori, tertio pro medio. *Animal enim neceſſe eſt alicui albo ineſſe*, veluti de neceſſitate aliquod album eſt animal, nempe Cygnus. *Vigilatio autem contingit nulli*, puta albo, vt nullum album eſt vigilans. *Et non neceſſe eſt alicui non*

E *ineſſe uigilationem*, unde ſequitur in concluſione aliquod animal non uigilare. *Quando autem priuatiua particularis eſt neceſſaria.* Quod ſi coniugatio conſtet, ex maiori priuatiua particulari de neceſſario, & minori affirmatiua uniuerſali de ineſſe, quòd non ſequatur concluſio neceſſaria conſtat in his terminis, ſcilicet, *Bipes, Motus, Animal, medium animal*, ſumpto bipede pro maiori termino, animali pro medio, quod mouetur pro minori termino.

Sequitur textus.

F

Manifeſtũ igitur, quòd ineſse quidem non eſt ſyllogiſmus, ſi vtræque propoſitiones nõ ſint in eo, quod eſt ineſse; neceſsarij verò eſt, & altera ſolum exiſtente neceſsaria. In vtriſ-

que autē & affirmatiuis, & priuatiuis ſyllogiſmis neceſſe eſt alteram propoſitionem ſimilē eſse concluſioni. Dico autem ſimilem, ſi ineſse quidē exiſtentem, ſi autem neceſſaria, neceſſariam; quare & hoc palam, quod non erit concluſio, neque neceſſaria, neque ineſse, nō ſumpta vel neceſsaria, vel quę ineſse ſignificet propoſitione. Igitur de neceſsario, quomodo fit, & quam differentiā habeat ad ineſse, ſufficienter pene dictum eſt.

Cum hactenus Ariſtoteles docuerit tum ſyllogiſmos conſtantes ex propoſitionibus inexiſtentibus, tum etiam cōſtantes ex propoſitionibus modalibus neceſſarijs, colligit in pręſenti ex omnibus ſupra declaratis differentiam, & cōuenientiam horum ſyllogiſmorū, differūt in hoc, quòd in ſyllogiſmis de ineſſe oportet vt vtraque præmiſſarum ſit de ineſſe, vna namque tantummodo inexiſtente non ſequitur vtilis immediata cōcluſio de ineſſe: at in ſyllogiſmis de neceſſario, non ſolū ex ambabus præmiſſis de neceſſario, ſed inſuper ex vna tantū neceſsaria concluſio ſequitur de neceſsario, concordant verò in hoc, quod in vtriſque, & de ineſse, & de neceſsarijs tum affirmatiuis, tum priuatiuis oportet vt altera præmiſsarum ſit conſimilis concluſioni: nulla namque præmiſsarum de ineſse exiſtente concluſio non ſequitur de ineſse, pariter, nulla præmiſſarum exiſtente de neceſsario nulla cōcluſio ſequitur neceſsaria. Dicit itaque, *Manifeſtum igitur*, ex omnibus ſupra declaratis, *quòd ineſſe quidem non eſt ſyllogiſmus*, quòd nō efficitur ſyllogiſmus vtilis de ineſse, *ſi vtraque propoſitiones non ſunt de ineſſe*, niſi ambæ præmiſsæ ſint de ineſse, & ſic ponit diſcrepantiā a ſyllogiſmis neceſsarijs dū addit; *neceſſarij verò*: at ſyllogiſmus de neceſsario concluditur nō ſolum ex vtriſque de neceſſario, verùm *& altera exiſtente neceſſaria*, & ſi vna tantum præmiſsarum ſit de neceſsario, poſita differētia horum ſyllogiſmorū, ponit conuenientiam. *In vtriſque autē & affirmatiuis, & priuatiuis ſyllogiſmis*, in vtriſque verò ſyllogiſmis tū de ineſse, tū neceſsarijs ſiue affirmatiue, ſiue negatiue concludentibus; *neceſſe eſt alteram propoſitionem ſimilem eſſe concluſioni*; oportet alterā pręmiſsarum ad minus eſse conſimilē concluſioni, veluti, *Dico autem ſimilem, ſi ineſſe quidē exiſtentē*, ſi concluſio ſequitur de ineſse, quòd pręmiſsa ſit de ineſse: *Si autem neceſſaria, neceſſariam*. Si autem concluſio ſequitur de neceſsario, oportet quòd altera præmiſsarū, vel ambæ ſint de neceſsario. *Quare & hoc palam, quod non erit concluſio, neque neceſſaria, neque ineſſe*. Ex quo vlterius conſtat, quòd non erit concluſio ſiue inexiſtens, ſiue neceſsaria, *Non ſumpta vel neceſſaria, vel quæ ineſſe ſignificet propoſitione*, niſi altera dūtaxat propoſi-

A tio ſit de neceſsario, vel de ineſse. *Igitur de neceſſario quomodo ſit, & quam differētiam habeat ad ineſſe, ſufficienter penè dictum eſt*: Quātum itaque ad propoſitam intētionē conſtitutionis ſyllogiſmi neceſsarij, & quomodo differat in conſtitutione à ſyllogiſmo de ineſse ſatis ſufficienter dictū eſt.

Notandum, quòd Ariſtoteles dicit *penè ſufficienter* dictū eſse de his, ex quo aliquid remanet dicendum in ſequentibus in mixtione contingenti & neceſsarij. Et hęc dicta ſatis in pręſenti.

B

Super Capite vndecimo de Syllogiſmis mixtis, ex altera neceſſaria & altera abſoluta in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

DOcet in hoc Capite Ariſtoteles formare ſyllogiſmos conſtantes ex mixtione propoſitionum de ineſse, & de neceſsario in tertia figura ſyllogizandi, & tria determinat.

C Primum, quòd in prima coniugatione vniuerſali vtralibet propoſitionum ſit neceſsaria, & altera de ineſse, concluſio ſequitur neceſsariā. In ſecunda vero coniugatione vniuerſali, concluſio ſequitur priuatiuam propoſitionem; ea enim exiſtente neceſsaria, cōcluſio erit neceſsaria, ſin minus nec concluſio.

Secundum, quod determinat, eſt, quòd in ſyllogiſmis tertiæ figurę particulariter affirmatiue concludentibus, qui alteram propoſitionem habent vniuerſalem, alteram particularem, concluſio ſequitur vniuerſalem: Si nāque cōcluſio erit neceſsaria, etiam cōcluſio erit neceſsaria: ſi verò de ineſse, concluſio quoque erit de ineſse.

D

Tertium, quod determinat, eſt, quòd in ſyllogiſmis particulariter negatiue concludentibus, quomodocunque fiat mixtio propoſitionū, concluſio ſequitur de ineſse, ſolum in coniugatione quarta negatiua, quando negatiua erit de neceſsario, & particularis affirmatiua de ineſse, concluſio ſequitur neceſsaria, in reliquis nulla ſequitur concluſio neceſsaria.

E De quibus omnibus coniugationibus ad vtilitatem Iuris ſtudioſi, exempla ſunt deſumenda in iure ciuili.

Exemplum primæ coniugationis vniuerſalis cōſtantis ex maiori vniuerſali neceſsaria, & minori affirmatiua de ineſse particularem concluſionem affirmatiuā de neceſsario concludētibus.

DA De neceſſitate, Omnes cloacæ ſunt loci concaui, in quibus colluuies fluit.

RA Omnes cloacę purgandæ ſunt, ergo

F

PTI De neceſſitate, Aliqua, quę purganda veniūt, ſūt loci cōcaui, in quib. colluuies fluit.

Deſumitur ff. tit. de cloacis.

Exemplum eiuſdem coniugationis, in qua maior affirmatiua vniuerſalis reperitur de ineſſe, & minor affirmatiua vniuerſalis de neceſſario, concluſionem particularem affirmatiuam concludentes.

DA

DA Omnia relicta mortis cauſa reuocari poſſunt. A

RA De neceſſitate, Omnia relicta mortis cauſa ſunt donationes, ergo

PTI De neceſſitate, Aliquæ donationes reuocari poſſunt.

Deſumitur huiuſmodi ratiocinatio in l. Senatus.& l.1.& 2.ff.de don. cauſa mortis.

Exemplum ſecundę coniugationis vniuerſalis conſtantis ex negatiua vniuerſali de neceſſario,& affirmatiua vniuerſali de ineſſe.

FE De neceſſitate, Nulli ſerui ſũt in propria poteſtate. B

LA Omnes ſerui poſſunt manumitti, ergo

PTON De neceſſitate, Aliqui, qui poſſũt manumitti, nõ ſunt in propria poteſtate.

Probatur huiuſmodi ſyllogiſmus in l. & ſeruorum.l.libertini.ff.de ſtatu hominum.

Exẽplum eiuſdem coniugationis vniuerſalis copulatę ex priuatiua de ineſſe,& affirmatiua de neceſſario concludentibus priuatiuam particularem de ineſſe. C

FE Nullum parricidiũ remanet impunitum.

LA De neceſſitate, Omne parricidium eſt delictum, ergo

PTON Aliquod delictum non remanet impunitum.

Deſumitur in tit. Digeſtorũ ad leg. Pompeiam. de parricidijs.

His habitis ſequitur videre exempla coniugationum particulariter affirmatiue concludentium in hac eadem figura. D

Exemplum coniugationis particularis ex maiori particulari affirmatiua de ineſſe, & minori vniuerſali affirmatiua de neceſſario particularẽ affirmatiuam neceſſariam concludentibus.

DI Aliquod teſtamentum eſt teſtamentum nuncupatiuum.

SA De neceſſitate, Omne teſtamẽtum eſt iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult.

MIS De neceſſitate, Aliqua iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, eſt teſtamẽtum nuncupatiuum. E

Deſumitur Inſt. tit. de teſt.

Exemplum alterius coniugationis conſtantis ex maiori affirmatiua vniuerſali de neceſſario, & minori particulari affirmatiua de ineſſe, particularem affirmatiuam neceſſariam concludentibus.

DA De neceſſitate, Omnis tutela eſt vis, atque poteſtas in Capite libero conſtituta.

RI Aliqua tutela eſt officium virile, ergo F

SI De neceſſitate, Aliquod officiũ virile eſt vis, atq; poteſtas in Capite libero cõſtituta.

Deſumitur in tit. Digeſtorum de tutelis.

Declarata coniugatione particulariter affirmatiue de neceſſario concludente, ſequitur exẽpla tradere de concludente particulariter affirmatiue de ineſſe.

Exemplum cõiugationis particularis, in qua maior eſt affirmatiua de ineſſe vniuerſalis,& minor particularis de neceſſario, particularem concluſionem de ineſſe concludentibus.

DA Omne teſtamentũ eſt deficiens.

RI De neceſſitate, Aliquod teſtamentum eſt iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortẽ ſuam fieri vult, ergo

SI Aliqua iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, eſt deficiens.

Maior probatur in l. vnica. C de cad. tollend.

Minor probatur in tit. Inſt. de teſt. definitione teſt.

Exemplum alterius coniugationis particularis, in qua maior eſt affirmatiua particularis de neceſſario, & minor vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, particularem affirmatiuam de ineſſe concludentes.

DI De neceſſitate, Aliqua iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.

SA Omnis iuriſdictio poteſt alteri demandari, ergo

MIS Aliquod, quod poteſt alteri demandari, eſt iudicis dandi licentiam.

Maior probatur in l. imperium. ff. de iuriſd. omnium iud.

Minor in l. ſolutio. ff. eod.

Poſitis exemplis vniuerſalem ſyllogiſmorũ, necnon particulariter affirmatiue concludẽtium, ſupereſt exemplificare de ſyllogiſmis particulariter negatiue concludentibus.

Exemplũ coniugationis conſtantis ex maiori negatiua vniuerſali de neceſſario, & minori affirmatiua particulari de ineſſe, particularẽ affirmatiuam concluſionẽ de ineſſe concludẽtibus.

FE De neceſſitate, Nullus manumiſſus eſt in poteſtate.

RI Aliquis manumiſſus eſt emancipatus, ergo

SON De neceſſitate, Aliquis emancipatus non eſt in poteſtate.

Deſumuntur in tit. Digeſtorum de adopt. & emancip.

Exemplum ſecundæ cõiugationis habentis maiorem particularem negatiuam de ineſſe, & minorem vniuerſalem affirmatiuam de neceſſario, particularem negatiuam de ineſſe concludentes.

BRO Aliquis homo non eſt libertinus.

CAR De neceſſitate, Omnis homo eſt res corporalis, ergo

DO Aliqua res corporalis non eſt libertinus.

Maior probatur in tit. Digeſtorum, de ſtatu hominis.

Minor in tit. Digeſtorum. de rer. diuiſione.

Exemplum alterius cõiugationis, in qua maior eſt vniuerſalis negatiua de ineſſe, & minor par-

particularis affirmatiua de neceſsario particulariter negatiue de ineſse concludentes.

FE Nullus arrogatus eſt legatarius.
RI De neceſſitate, Aliquis arrogatus eſt in poteſtate, ergo
SON Aliquis exiſtens in poteſtate non eſt legatarius.

Deſumitur in tit. Digeſtorum, de adopt.

Poſtremo loco remanet exemplum coniugationis conſtantis ex maiori particulari priuatiua de neceſſario, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, particularem negatiuam de ineſſe concludentibus in his terminis.

BRO De neceſſitate, Aliquis pupillus non eſt tutor.
CAR Omnis pupillus eſt legatarius, ergo
DO Aliquis legatarius nõ eſt tutor,

Probatur in tit. Inſt. qui teſt. tut. dari poſsunt, §. furioſi. Et hæc ſatis dicta ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis.

De contingenti, non neceſſario, & propoſitionum ſecundum contingens conuerſionibus. Cap. XII.

DE contingenti auté poſt hæc dicemus, Quando, & Quomodo, & per quæ erit ſyllogiſmus. Dico autem contingere, & contingens, quo non exiſtente neceſſario; poſito autem ineſſe, nihil erit propter hoc impoſſibile: nam neceſſarium æquiuoce contingere dicitur. Quod autem hoc ſit contingens, manifeſtum ex affirmationibus, & negationibus oppoſitis. Nam non contingit eſſe, non poſſibile eſſe, & impoſſibile eſſe, & neceſſe eſt non eſſe, vel eadem ſunt, vel ſequuntur ſe inuicem: quare & oppoſita his, contingit eſſe, & non impoſſibile eſſe, & non neceſſe non eſſe, eadem erunt, vel ſequentia ſe inuicem, de omni enim affirmatio, vel negatio vera. Erit ergo contingens non neceſsarium, & non neceſsarium contingens.

Explicatis ſyllogiſmis conſtantibus ex propoſitionibus inexiſtentibus, & de neceſſario, aggreditur ſyllogiſmos conſtãtes ex propoſitionibus
A contingentibus, quibuſdam præaſſumptis.

In primis autem ſupponit de quo contingenti velit agere, nempe de contingenti, quod non eſt neceſſarium, & quo poſito non conſequitur impoſſibile. Quod ſupponit, oſtendit ex hoc cõmuni principio, de quocunque vera eſt affirmatio, vel negatio: propterea quod ſi ad non contingens eſſe, ſequitur impoſſibile eſſe, & neceſſarium non eſſe, etiam his oppoſita ſe conſequũtur, ad contingens eſſe, non impoſſibile eſſe, non neceſſarium non eſſe, vt in ſecundo lib. Perie-
B rum patefecit Ariſtoteles, ex quibus manifeſte patet, quòd contingens eſt non neceſſarium, & non neceſſarium contingens. Et hæc habẽtur in his verbis: *De contingenti autem poſt hæc dicemus.* Poſt tractationem ſyllogiſmorũ de neceſſario, dicẽdum eſt de generatione ſyllogiſmorum de contingenti: neceſſarium enim eſt veluti principium contingentis, vt aliàs dictum fuit. De his autem determinabit; *Quando, & Quomodo, & per quæ erit ſyllogiſmus.* In qua figura, & in qua coniugatione, & in quibus terminis ratiocinatio con-
C ſtituatur. Declarat autem in primis de quo contingenti ſermonem habeat, & inquit, *Dico autem contingere, & contingens.* loquor autem de eo contingenti, *quo non exiſtente neceſſario; poſito autem ineſſe, nihil erit propter hoc impoſſibile.* Quod cum non ſit neceſſarium, nec etiã eſt impoſſibile; ſed aliud eſt ab impoſſibili, & neceſſario, quod ne videatur dictum abſurdum, cum neceſſarium contingẽs etiam videatur. Sequitur; *Nam neceſſariũ æquiuoce contingere dicitur.* Neceſſarium ſic, impropriè dicitur contingens, prout eſt quid com-
D mune, & vniuerſale: ipſe verò loquitur de contingẽti propriè accepto, & in proprio ſignificato, quod tale eſſe vt poſuit, oſtẽdit quãdo addit: *Quod autem hoc ſit contingens manifeſtum ex affirmationibus, & negationibus oppoſitis.* Quod verò contingens ſit nõ neceſſarium, & à neceſſario, & impoſſibili quid contra diſtinctũ conſtat in claſſibus, & ordinibus propoſitionum modaliũ poſitis in ſecundo lib. de Interpretatione. *Nam non contingit eſſe, non poſſibile eſſe, & impoſſibile eſſe, & neceſſe eſt non eſſe, vel eadem ſunt, vel ſequũtur ſe in-*
E *uicem.* Quoniam in dicta figura propoſitionum modalium in tertia claſſe: prænarratæ omnes propoſitiones modales, vel eædem ſunt, vel ſe conſequuntur. Ex quo ſequitur quòd etiam illis oppoſitæ, quæ ſunt in prima claſſe, vel erunt eędem, vel conſequentes, & hoc eſt quod inquit: *Quare & oppoſita his*, nempe propoſitiones mòdales primæ claſſis, quæ ſunt, *Contingit eſſe, & non impoſſibile eſſe, & non neceſſe non eſſe, eadem erunt, vel ſequentia ſe inuicem.* Et ſic probatur prima claſſis per tertiam, vti minus notum per magis
F notum. Quod autem hæc ſint conſequẽtia, probatur ex hoc principio: *De omni enim affirmatio, vel negatio vera.* Quod de quocunque verũm eſt affirmare, vel negare, ex quibus colligit ſuã intẽtionem eſſe manifeſtam. *Erit ergo contingens non neceſſarium, & non neceſſarium contingens.* Quod inquam contingens, & non neceſſarium idem ſunt, & ſe inuicẽ conſequuntur. Sequitur textus.

Acci

Accidit autem omnes, quæ ſecundum contingere ſunt propoſitiones, conuerti ſibi inuicem. Dico autem non affirmatiuas negatiuis, ſed quæcunque affirmatiuam habent figuram ſecundum oppoſitionem, vt ea quę eſt, contingit eſſe, ei quę eſt, contingit non eſſe, & ea quæ eſt, contingit omni, ei quæ eſt, contingit nulli, vel non omni, & quæ alicui, ei quæ non alicui; eodem autem modo & in alijs; quoniam enim quod eſt contingens, nõ eſt neceſſarium, & quod non eſt neceſſarium, poſſibile eſt nõ eſſe. Manifeſtum quòd ſi contingit A ineſse B, contingit & non ineſse; & ſi omni contingit ineſse, & omni contingit non ineſse. Similiter autem & in particularibus affirmationibus; non eadem demonſtratio. Sunt autem huiuſmodi propoſitiones prædicatiuæ: nam contingere ei quod eſse, ſimiliter ponitur, quemadmodum dictum eſt prius.

Ponit Ariſtoteles hoc in loco, quòd omnes propoſitines contingentes in ſe conuertuntur, & hoc erit vnum ex principijs perficiẽtibus ſyllogiſmos imperfectos: Conuertuntur itaque ex Philoſopho affirmatiuas in negatiuas, & negatiuas in affirmatiuas de dicto, non de modo, ſcilicet contingens ineſſe in contingens non ineſse; contingens omni ineſse in contingens nulli ineſse & non omni cõtingens alicui ineſse, in contingens non alicui ineſse, & ſic dicimus vniuerſalem affirmatiuam de dicto conuerti in negatiuam vniuerſalem de dicto, & in particularem; & è contrario, vniuerſalem, & particularem negatiuas de dicto in vniuerſalem affirmatiuam de dicto: pariter particulárem affirmatiuam de dicto in particularem negatiuam de dicto; & è conuerſo, non tamen particularem in vniuerſalem. Declaremus exemplo: Contingens ineſse conuertitur in contingeus non ineſse, vt contingens eſt hominem ambulare, conuertitur in contingens eſt hominem non ambulare. Contingẽs omni ineſse, conuertitur in contingens nulli ineſse, & non omni, vt contingens eſt omnem hominem ambulare in contingens eſt nullum hominem ambulare, & cõtingens eſt nõ omnẽ hominẽ ambulare, contingens alicui ineſse in contingens nõ alicui ineſse, vt contingens eſt aliquẽ hominem ambulare, contingens eſt aliquem

A hominẽ nõ ambulare: particularis autẽ minimè conuertitur in vniuerſalẽ, vt contingens eſt aliquẽ hominem nõ eſſe album nõ conuertitur in cõtradictoriã contingens eſt omnẽ hominẽ eſſe albũ, ſiquidẽ aliqs homo nõ eſt albus vti Aetiops.

Quòd autem propoſitiones contingentes in hunc modum conuertantur, affirmatiuæ de dicto in negatiuas de dicto; & è contrario, probatur ex natura contingentis: nam ſi contingens omnibus, quibus ineſt, non ex neceſſitate ineſt, ſed poteſt eiſdem non ineſse, patet quod de quibus eſt affirmationem aſſerrere, & de eiſdem eſt negationem dicere; nam ſi omni homini motus contingit non ex neceſſitate, etiam nulli homini idem motus contingit. Dicit igitur: *Accidit autem omnes, quæ ſecundum contingere ſunt propoſitiones, conuerti ſibi inuicem*, euenit propoſitiones de cõtingenti in ſe conuerti, declarat quomodo propoſitiones cõtingentes inuicẽ conuerti. *Dico autẽ non affirmatiuas negatiuis*. Conuertuntur autẽ ſecundum oppoſitas qualitates, & ſecũdum dictum, C non autem ſecundum modum: ex quo declaratum eſt in Tractatu Periermenias, modales propoſitiones dici affirmatiuas, vel negatiuas; opponitur itaque vt addit: *Sed quæcunque affirmatiuam habent figuram ſecundum oppoſitionem*, hoc eſt opponuntur ſecundum dictum, etiam ſi ſint eædem in modo, *ut ea quæ eſt, contingit eſſe, ei quæ eſt, contingit non ineſſe*, vt contingens eſt hominem ambulare, conuertitur in negatiuam de dicto contingens eſt hominem non ambulare. *Et ea quæ eſt contingit omni, ei quæ eſt, contingit nulli, vel* D *non omni*. Et contingens eſt omnem hominem ambulare, conuertitur in contingens eſt non omnem hominem ambulare, vel in hanc contingens eſt nullum hominem ambulare. *Et quæ alicui, ei quæ non alicui*. Et hæc pariter contingens eſt aliquem hominem ambulare conuertitur in negatiuam de dicto, contingens eſt aliquem hominem non ambulare. *Eodem autem modo, & in alijs eadem ratio conuertendi eſt in omnibus alijs*. Probatur cauſa huiuſmodi conuerſionis contingentis ex ſuamet natura. *Quoniam* E *enim quod eſt contingens, non eſt neceſſarium*, Si nãque contingens non eſt ex neceſſitate, *& quod non eſt neceſſarium, poſſibile eſt non eſſe*; & quod nõ eſt de neceſſitate, poteſt etiam non eſſe. *Manifeſtum quod ſi contingit A ineſſe B, contingit & non ineſſe*; conſtat quod illud quod ſic contingit ineſſe, contingit illud idem non ineſſe, vt ſi contingens eſt B eſſe A, etiam contingens eſt B non eſſe A. *Et ſi omni contingit ineſſe, & omni contingit non ineſſe*. Et quod euenit in indefinitis, accidit quoque in definitis, & vniuerſalibus, quo- F niam ſi contingens eſt omne B eſſe A, contingens etiam erit non omne B eſſe A, vel nullum B eſſe A. *Similiter autem & in particularibus affirmationibus; nam eadem eſt demonſtratio*. Et quod poſitum eſt in propoſitionibus indefinitis, & vniuerſalibus, etiam ſe habet in particularibus; nam eodem modo demonſtratur quòd ſcilicet per hoc, quod contingens non eſt neceſſarium,

ſequitur quòd poſſibile ſit ad eſſe, & ad non eſſe. A Et quia quis poſſet dubitare, numquid huiuſmodi propoſitiones ſic, & eo modo conuerſæ ſint contrariæ ſecundum affirmationem, & negationem, & ſecundum dictum, & ſecundum modum, addit: ***Sunt autem huiuſmodi propoſitiones prædicatiuæ***, quod ſcilicet hæ propoſitiones ſic conuerſæ ſunt omnes affirmatiuæ quo ad modum, licet ſecundum dictum opponantur ſecundum affirmationem, & negationem ratio eſt: ***nam contingere ei quod eſſe ſimiliter ponitur, quemadmodum dictum eſt prius***. B Propterea quod contingens qui eſt modus, pariter ponitur ſcilicet affirmatiuum & eſſe & non eſſe, vt vidimus; quo caſu ſemper propoſitio remanet affirmatiua: ad hoc enim vt propoſitio modalis ſit negatiua, oportet vt negatio cadat ſuper modum, ſicut in illa de ineſſe requiritur vt negatio cadat ſuper verbum, vt in Tractatu Periermeniarum declarauimus ſecundum Ariſtotelem.

Determinatis autem his, rurſum dicimus, quòd contingere duobus C modis dicitur, vno quidem quod plerunque fit, & deficit neceſſarium, vt caneſcere hominem, vel augeri, vel minui, vel omnino quod natum eſt eſſe. Hoc enim non continuum habet neceſſarium, eo quod nō ſemper eſt homo; cum tamē homo eſt, aut ex neceſſitate, aut in pluribus eſt: D alio autem modo infinitum, quod & ſic, & non ſic poſſibile, vt animal ambulare, vel ambulante fieri motum terræ, vel omnino quod caſu fit: nihil enim magis ſic natum eſt, vel è contrario. Conuertitur ergo & ſecundū oppoſitas propoſitiones vtrūque cō- E tingens, nō tamen eodem modo, ſed quod natum quidem eſt eſſe, ei quod non ex neceſſitate eſſe. Sic enim contingit non caneſcere hominem: infinitum autem ei, quod nihil magis ſic, vel illo modo.

Cum hucuſque poſuerit Ariſtoteles dari contingens non neceſſarium, quod in ſe ipſum reci- F procatur, quoniam adhuc tale contingens non dicitur ſimpliciter, ideo determinat, quod dicitur duobus modis; aliud namque eſt contingens definitum, aliud indefinitum, contingens definitum appellat illud, quod habet innatam cauſam ſuæ inexiſtentiæ, veluti hominem in ſenectute caneſcere, in iuuentute augeri, & deficiente virtute nutritiua eundem minui; quæ cauſa innata non ſemper continuatio exiſtit neceſſaria, tum ob defectum ſubiecti, vt puta quia homo moritur ante ætatem, tum ob defectum ipſius prædicati; ſiquidem etiam viuente homine, aut ex neceſſitate, aut plerunque caneſcit, & ſic non ſemper; & tale contingens definitum appellatur contingens vt plurimum, & frequenter. Aliud eſt contingens infinitum, quod nō habet cauſam innatam ſuæ inexiſtentiæ, quod adhuc eſt duplex, vel contingens vtrūque, quod æqualiter ſe habet tum ad eſſe, quam ad non eſſe, vt animal ambulare, & non ambulare, vel contingens Raro, quod magis ſe habet ad non eſſe, quam ad eſſe, vt ambulantem fieri terræmotū, & quæcunque à caſu eueniunt, de quibus 2. Phyſic. cumq; tale contingens ſumatur, pluribus his modis, quodcūque ſit in oppoſitas de dicto propoſitiones conuertitur, verumtamen contingēs vtplurimum magis indicat affirmationē, quam negationem; contingens vtrumque æqualiter indicat affirmationem, & negationem; contingens Raro magis indicat negationem, quam affirmationem: hinc habetur quod contingens definitum & vt plurimum, conuertitur in contingens non neceſſarium: contingens verò infinitum reciprocatur in contingens æquale. Inquit ergo: ***Determinatis autem his, rurſum dicimus, quòd contingere duobus modis dicitur***. Poſitis ſupradictis inſuper diſtinguimus contingens non neceſſarium, quod dupliciter dicitur. ***Vno quidem, quod plerunque fit, & deficit neceſſarium***. Vno quidem modo dicitur contingens frequenter, vel vtplurimum, diſtinguitur tamen à neceſſario, quia non habet continuo cauſam ſtantem, & neceſſariam, ***vt caneſcere hominem, uel augeri, uel minui***, vt hominem in ſenectute caneſcere, vel augeri, in iuuentute, vel minui deficiente virtute nutritiua, ***uel omnino quod natum eſt eſſe***, vel vniuerſaliter loquendo quicquid innatam habet cauſam ſuæ exiſtentiæ, quod appellatur contingens natum: ***Hoc enim non continuum habet neceſſarium***; quod contingens natum nō ſemper continuam habet cauſam ſuæ inexiſtentiæ neceſſariam; ſiquidem quandoque deficit, vel ex parte ſubiecti, ***eo quod non ſemper eſt homo***, vti ſi homo moriatur ante ſenectutem, vel ex parte prædicati; ***cum tamen homo eſt***, exiſtente namque homine, ***aut ex neceſſitate***, eidē ſcilicet ineſt canicies in ſenectute, ***aut in pluribus eſt***, aut vt plurimum, & ſic non ſemper; declarato contingenti finito, accedit ad infinitum. ***Alio autem modo infinitum, quod & ſic, & non ſic poſſibile***. Alio modo ſumitur contingens prout dicitur contingens indefinitum, quod indifferenter ſe habere poteſt & ad eſſe, & ad non eſſe, quatenus nō habet cauſam innatam, quod adhuc eſt duplex, vel contingens vtrumque, quod æqualiter ſe habet ad fieri & non fieri, ***vt animal ambulare***. Animal enim æqualiter ambulare, & non ambulare poteſt, vel contingens Raro, quod minus ſe habet ad eſſe, quàm ad non eſſe, ***vel ambulante fieri***

motum

motum terræ, vt ambulante animali fieri terræ motum, *vel omnino quod caſu ſit*, vel quodcumque euenit à caſu, & à cauſa accidentali, & præter finẽ agentis. *Nihil enim ſic magis natum eſt, vel è contrario*, in quibus non eſt cauſa innata magis ad eſſe, quam ad non eſſe. *Conuertitur ergo & ſecundum oppoſitas propoſitiones vtrumque contingens*. Tam itaque contingens definitum, quam indefinitum conuertitur, in contrarias propoſitiones de dicto, *non tamen eodem modo*, ſed non ſimiliter, *ſed quod natum quidem eſt eſſe, ei quod non ex neceſſitate eſſe*: Verum contingens frequenter & definitum, quod appellatur contingens natũ magis indicat affirmationem, quam negationẽ; & propterea conuertitur in non neceſſarium, quod pariter non euenit vt plurimum, ſed poſſibile eſt euenire, cum cauſa innata non continuo exiſtat neceſſaria, vt contingens eſt hominem in ſenectute caneſcere, conuertitur in contingens eſt hominem in ſenectute non caneſcere, ideo addit: *Sic enim contingit non caneſcere hominem*. Aliud verò contingens infinitum alio modo conuertitur. *Infinitum autem, ei quod nihil magis ſic, vel illo modo*. Contingens verò infinitum, quod æquale, & vt raro comprehendit, in ſe ipſum reciprocatur. Sequitur textus.

Diſciplina autem, & ſyllogiſmus demonſtratiuus, ex infinitis quidem non eſt, eo quod inordinatum eſt medium: ex ijs verò, quæ nata ſunt eſſe, penè orationes, & conſiderationes fiunt de ſic contingentibus; ex illis autem poſſibile quidem eſt fieri ſyllogiſmum; non tamen ſolet quæri. Hæc ergo definientur magis in ſequentibus; nunc autẽ dicemus, quando, & quomodo, & quis erit ſyllogiſmus ex contingentibus propoſitionibus.

Poſito duplici contingentis ſignificato, definiti ſcilicet & infiniti, cum ea quæ docentur ab Ariſtotele in hoc loco tradantur potiſſimum in gratiam diſciplinæ & ſyllogiſmi demonſtratiui, & diſciplina demonſtratiua ſit de contingenti natę, ſeu vt plurimum; propterea aſſerit in pręſenti, quòd plenè omnes diſceptationes, & quæſtiones verſantur circa tale contingens, quod in ſe habet cauſam innatam, non tamen continuo ſtantem neceſſariam. At circa contingens infinitum teſtatur, diſciplinam, & ſyllogiſmum demonſtratiuum non verſari; propterea quod ſit medium inordinatum, quod non minus ſubijcitur vni extremorum, quam non, & non minus prædicatur de altero extremorum, quàm non, indeterminatio namque ipſius facit, vt non minus inſeruiat ratiocinationi propoſitæ, quam op-

A poſitæ: hinc eſt inutilis, & ſi valeat ingredi ſyllogiſmum, tamen non eſt in vſu, quia de ipſo non ſolet eſſe quæſtio, quæ proponi debet de quodam definito, & determinato, verum de his in ſequenti pollicetur Ariſtoteles ſe diſtinctè tractaturum ad pręſens rem incœptam proſequi mauult, quando ſcilicet, & quomodo, & quis ſit ſyllogiſmus de contingẽtibus propoſitionibus. *Diſciplina autem, & ſyllogiſmus demonſtratiuus*, de quo in libro, ſeu tractatu ſequenti videbimus: *ex infinitis quidem non eſt*, non poteſt fieri de con-

B tingenti infinito, *eo quod inordinatum eſt medium*: propterea quod in tali contingenti indeterminato inordinatum eſt medium, quod inſeruit & propoſitæ, & oppoſitæ ratiocinationi. *Ex ijs verò quæ nata ſunt eſſe*. At de contingenti definito & nato, quod plerunque fit, *pene orationes & conſiderationes fiunt de ſic contingentibus*, omnes ferè quęſtiones, & diſputationes oriuntur dicit, *penè*, quia quandoque etiã quęſtio fit de contingenti indefinito, vt ſequitur: *Ex illis autẽ poſſibile quidẽ eſt fieri ſyllogiſmũ*: poteſt enim & de altero contin-

C gẽti fieri ratiocinatio: *non tamen ſolet quęri*: verũ cum diſputatio proponi debeat de re determinata, & contingens infinitum ſit indeterminatum, idcirco de eo non eſt in vſu diſſerere. *Hæc ergo definientur magis in ſequentibus*. Quam difficultatẽ pollicetur poſtea diſcurſum ad pręſens cœptum proſequi mauult. *Nunc autem dicemus, quando, & quomodo, & quis erit ſyllogiſmus ex contingentibus propoſitionibus*, tractabimus ſcilicet de coniugationibus, quæ ex contingentibus propoſitionibus in vnaquaque figura ad ſyllogizan-

D dum vtiles & inutiles conſtituantur.

Quoniam autem contingere hoc huic ineſse dupliciter eſt accipere; aut enim cui ineſt hoc, aut cui cõtingit ipſum ineſse, nam de quo B, A cõtingere, horum alterũ ſignificat, aut de quo dicitur B, aut de quo contingit dici; de quo autem B, A contin-

E gere, aut omni B poſſibile ineſse A, nihil differt. Manifeſtum igitur, quoniã dupliciter dicitur A omni B ineſse contingere. Primum ergo dicemus, ſi de quo C contingit B, de quo B contingit A, quis erit, & qualis ſyllogiſmus; ſic enim vtræque

F propoſitiones ſumuntur ſecundum contingere, quando autem de quo B eſt, contingit A; hæc quidem ineſse, illa uero contingens; quare à ſimilibus figuris incipiẽdum, quemadmodum & in alijs.

In

In hac parte tradit duo alia ſignificata ipſius A contingere, quód ſcilicet contingere dicitur dupliciter, uel quando contingit prædicatum ineſſe ſubiecto exiſtenti in actu, vt quando motus contingit ineſſe ei, quod actu album eſt, vel cum prædicatum contingit ineſſe ſubiecto non exiſtente adhuc in actu, poſſibili tamen, vt quando motus contingit ineſſe ei, quod album eſſe poteſt; nondum tamen ſit in actu, quapropter cum propoſitio contingens formari poſſit tum de prædicato ſubiecto in actu inhærente, tum de prædicato non inhærente ſubiecto in actu, ſed B poſſibili, & propoſitio mere contingens accipiatur in vniformi generatione ſyllogiſmorum: mixta verò in mixtis de contingenti, & ineſſe, determinat Ariſtoteles primum ſe velle agere de ſyllogiſmis conſtantibus, & ſimilibus propoſitionibus mere contingentibus, poſtea de conſtantibus ex mixtione propoſitionum, mere contingentium, & de ineſſe, ſicut etiam ſeruauit in præcedentibus, quod prius pertractauit de ſyllogiſmis vniformibus, de neceſſario, deinde de mixtis, ex vna neceſſaria, & altera abſoluta. In- C quit ergo: *Quoniam autem contingere hoc huic ineſſe dupliciter eſt accipere.* Cum contingere hoc prædicatum ineſſe huic ſubiecto dicatur duobus modis. *Aut enim cui ineſt hoc, aut cui contingit ipſum ineſſe.* Aut enim dicitur contingere prædicatum ſubiecto exiſtenti in actu, quod eſt vnó modo, aut dicitur contingere ſubiecto nondum ad actum deducto, quod eſt altero modo: *nam de quo B, A contingere, horum alterum ſignificat*: nam cum dicimus contingens eſt B eſſe A in altero duorum ſenſuum accipitur: *aut de quo dicitur B,* D vt ſcilicet A contingat ei, quod eſt actu B, *aut de quo contingit dici,* aut quod A contingat ei, quod poteſt eſſe B. *De quo autem B, A contingere, aut omni B poſſibile ineſſe A nihil differt.* Cumq; de quo vniuerſali, ac de omni idem ſignificent. *Manifeſtum igitur, quoniam dupliciter dicitur A omni B ineſſe contingere,* patet quod ſi de quo B, A contingere duo ſignificat, huius quoque propoſitionis A omni B contingit duo erunt ſignificata, *primum ergo dicemus ſi de quo C contingit B, de quo B contingit A.* In primis itaque dicendum de coniugationibus conſtantibus ex vtraque propoſi- E tione mere contingenti, maiori ſcilicet contingens eſt omne B eſſe A, & minori contingẽs eſt omne C eſſe B. *Quis erit, & qualis ſyllogiſmus.* Quã ratiocinationem conſtituant. *Sic enim vtraque propoſitiones ſumuntur ſecundum contingere.* Sic namque ſumptæ ambæ propoſitiones & maior & minor ſunt mere contingentes, vniformem conſtituentes ſyllogiſmum. *Quando autem de quo B eſt, contingit A.* Quando verò ſecundum alterum modum ſumitur altera præmiſſarum, vt puta maior contingens eſt B eſſe A, ita quòd prædicatum ſubiecto exiſtenti in actu contingat ineſſe. *Hæc quidem ineſſe, illa verò contingens.* Tunc hæc maior ſic, & hoc modo accepta eſt de ineXiſtenti, illa verò nempe minor ſuprapoſita remanet mere contingens. Et ſic vna præmiſſa-

A rum de ineſse, altera contingens, ex quibus formatur generatio mixtorum ſyllogiſmorum. *Quare à ſimilibus figuris incipiendum, quemadmodum & in alijs.* Propterea exorſi proponit a coniugationibus copulatis ex vniformibus propoſitionibus, ex vtraque puta mere contingenti, ſicuti etiam in præcedentibus prius pertractauit de coniugationibus copulatis ex ſimilibus de neceſſario.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc Capite.

B

Super Capite XII. de contingenti non neceſſario, & propoſitionum ſecundum contingens conuerſionibus, pro Iuris ſtudioſis.

TRactaturus Ariſtoteles de ſyllogiſmis conſtantibus ex propoſitionibus contingentibus determinat in hoc capite, C de quo contingenti fit ſermo apud ipſum ex multiplici contingentis diuiſione.

Prima diuiſio contingentis eſt, quód contingens aliud eſt impropríe, & communiter ſumptum, quo pacto etiam neceſsarium dicitur contingere, vti ſi neceſsarium eſt hominem eſse animal, contingit quoque homini ineſse animal. Aliud eſt contingens propríe acceptum, quod à neceſsario contra diſtinguitur, & appellatur cõtingens non neceſsarium.

Secunda diuiſio contingentis eſt, quód con- D tingens non neceſsarium duplex eſt. Aliud definitum, quod eſt contingens natum, & frequenter accidit, vti hominem in ſenectute caneſcere: Aliud eſt contingens infinitum, quod nõ habet cauſam innatam; & hoc duplex; vel enim æqualiter ſe habet ad eſse & non eſse, vt hominem ambulare, & non ambulare, & appellatur contingens vtrumque, vel magis ſe habet ad nõ eſse, quam ad eſse, vt áliquo ambulante fieri terræmotum, & omnia, quæ caſu accidunt, & appellatur contingens Raro.

E Tertia eſt diuiſio, quòd cõtingens natum adhuc eſt duplex, & duobus modis ſumitur. Primo pro eo prædicato contingenti inhærente ſubiecto exiſtenti in actu, vt album moueri dum albũ exiſtit: vel ſecũdo accipitur pro prædicato contingenti inhærente ſubiecto in eſse poſſibili, vt album moueri, dum album non ſit exiſtens, ſed in potentia ad eſse. Ex quibus diuiſionibus, & ſubdiuiſionibus colligit Ariſtoteles ex quo nam contingenti velit ſuas propoſitiones, & terminos cõſtituentes ſyllogiſmos, conſtruere; & determinat ſermonem habere de contingenti non neceſsario, definito inhærente ſubiecto non exiſtenti in actu, ſed poſſibili.

De contingenti itaque definito, necnon de contingenti infinito membra conſtituentia contingens nominatum non neceſsarium, habetur potiſſimum in tit. Digeſtorum de legibus. l. ex

his,

his,l.quæ fortuito.l. nam ad ea. Quibus in locis, A & de contingenti frequenter circa quod tota ciuilis ſcientia verſatur, & etiam de contingenti perraro ſit mentio à Iuriſconſultis.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De Syllogiſmis ex ambabus contingentibus in primâ figura. Caput XIII.

QVando ergo A contingit omni B, & B omni C, ſyllogiſmus erit perfectus, quoniam A contingit omni C ineſſe. Hoc autem manifeſtum eſt ex definitione; nam contingere omni ineſſe ſic dicebamus. Similiter autem & ſi A quidem contingit nulli B; B autem omni C, quoniam A contingit nulli C: nam de quo B contingit A non contingere, hoc erat nullum dimittere ſub B contingentium.

In præſenti Ariſtoteles aggreditur tractationem ſyllogiſmorum conſtantium ex propoſitionibus contingentibus in prima figura, & in primis ponit duas vtiles eorum coniugationes vniuerſales, quæ ſcilicet conſtant ex vtraque præmiſſarum affirmatiua de vniuerſa re, & inſuper quæ copulatur ex maiori negatiua vniuerſali, & minori vniuerſali affirmatiua, tradit exemplum primæ coniugationis copulatæ ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis vniuerſalẽ affirmatiuam ratiocinationem concludentibus, ſumptis vniuerſaliter elementis A, B, C, ſic:

BAR	Contingens eſt,	Omne B eſſe A.
BA	Contingens eſt,	Omne C eſſe B, ergo
RA	Contingens eſt,	Omne C eſſe A.

Quæ ratiocinatio probatur à Philoſopho per definitionem eius, quod eſt dici de omni in contingenti. Sic enim definimus dictum de omni in contingentibus, quando prædicatum omni ei contingit, cui ſubiectum contingit; vnde ſi de omni B, A contingit ineſſe, & pars ipſius B poſſibile eſt eſſe C: igitur etiam de omni C, A contingit ineſſe.

Poſſumus quoque ſumere exemplum in terminis, ſumpto motu pro maiori extremo, vigilantia pro medio, & homine pro minori extremo, tali pacto:

A BAR	Contingens eſt,	Omnem vigilantem moueri.
BA	Contingens eſt,	Omnẽ hominem eſſe vigilãtem, ergo
RA	Contingens eſt,	Omnem hominem moueri.

Præterea ponit ſecundam coniugationem in prima figura de terminis contingentibus copulatam ex maiori negatiua de vniuerſa re, & minori affirmatiua de vniuerſa re, negatiuam concluſionem de vniuerſa re concludentibus.

B CE	Contingens eſt,	Nullum B eſſe A.
LA	Contingens eſt,	Omne C eſſe B, ergo
RENT	Contingens eſt,	Nullũ B eſſe A.

Quæ ratiocinatio probatur per dici de nullo in contingenti, quòd eſt, quòd nulla fuerit pars eius, quòd contingit ineſſe B, à qua non remoueatur A cõtingere ineſſe; & ideo ſequitur, quòd cum C poſſibile ſit eſſe aliquid eorum, cui contingit ineſſe B, quòd nullum C cõtingat eſſe A.

C Exemplum in terminis eiuſdem ſecundę coniugationis.

CE	Contingens eſt,	Nullum vigilãtem moueri.
LA	Contingens eſt,	Omnem hominem eſſe vigilantem, ergo
RENT	Contingens eſt,	Nullum hominem moueri.

Percurramus textum, in cuius principio format in prima figura coniugationem conſtantẽ ex contingentibus propoſitionibus ſic: *Quando*
D *ergo A contingit omni B*. Quando maior extremitas contingit medio, ita quòd propoſitio ſit vniuerſalis affirmatiua contingens eſt omne B eſſe *A, & B omni C*, & medium contingit minori extremitati, ita quòd propoſitio ſit vniuerſalis affirmatiua, puta contingens eſt omne C eſſe B, *ſyllogiſmus erit perfectus*. Tunc ſequitur vtilis ratiocinatio de contingentibus propoſitionibus, nempe *quoniã A contingit omni C ineſſe*. Sequitur inquam concluſio vniuerſallis affirmatiua de contingenti, contingens eſt omne C eſſe A, &
E eſt ratiocinatio vtilis in coniugatione prima primæ figuræ, cuius validitatem oſtendit Ariſtoteles per definitionem eius, quod eſt dici de omni in contingenti, cum addit. *Hoc autem manifeſtum eſt ex definitione* eius, quòd dictũ eſt de omni: *nam contingere omni ineſſe ſic dicebamus*; nam de omni erat quando nihil erat ſubiecti, de quo prædicatum non diceretur: quapropter ſi de omni B, A contingit ineſſe, & pars ipſius B ponatur eſſe ipſum C: igitur etiam de omni C contingit A ineſſe, qua prima expoſita coniugatione accedit
F ad ſecundã explicandam, & inquit: *Similiter autem & ſi A quidem cõtingit nulli B*, ſit etiam vtilis coniugatio ad concludendã concluſionẽ de contingẽti, quãdo maior eſt negatiua vniuerſalis, veluti contingens eſt nullum B eſſe A, & minor ſit affirmatius vniuerſalis, vt ſi dicatur contingens eſt omne C eſſe B. Et hoc eſt *B autem omni C*. Ex his

his namque tali pacto copulatis propoſitionibus, ſequitur hæc concluſio vniuerſalis negatiua, *quoniam A contingit nulli C*, contingens eſt nullum C eſſe A. Quæ ratiocinatio demonſtratur per illud principium, quod eſt dictum de nullo in contingenti. Erat autem dictum de nullo, quando nulla fuerit pars ſubiecti, de quo non remoueatur prædicatum: quapropter habet, *nam de quo B contingit A, non cõtingere, hoc erat nullum dimittere ſub B contingentium*, hoc eſt, quoniã cum dicitur quod A nulli B contingit, vel quòd A non contingit ei, de quo contingit B, hoc erat per definitionem eius, quod eſt dictũ de nullo, nihil dimittere eorum, quibus contingit B ineſſe, a quo non remoueatur A contingere ineſſe. Et id ſequitur cum C ſit aliquid eorum, cũ contingit ineſſe B, quod nullum C cõtingat eſſe A, & ita habemus duos vniuerſales ſyllogiſmos de contingenti. Sequitur textus.

Quando autem A contingit omni B, B autem nulli C, per ſumptas quidem propoſitiones nullus fit ſyllogiſmus: conuerſa autem B, C, ſecundum contingere, fit idem quemadmodum & prius; quoniam enim contingit B nulli C ineſſe, contingit & omni ineſſe. Hoc autem dictum eſt prius: quare ſi B quidem omni C, A autem omni B, rurſum idem fit ſyllogiſmus. Similiter autem & ſi ad vtraſque propoſitiones negatio ponatur cum contingere (dico autem vt ſi A contingit nulli B, & B nulli C.) Igitur per ſumptas quidem propſitiones nullus fit ſyllogiſmus. Conuerſus autem rurſus idem erit qui & prius. Manifeſtum eſt igitur, quòd negatione poſita ad minorem extremitatem, vel ad vtraſque propoſitiones, aut non fit ſyllogiſmus, aut fit quidem, ſed non perfectus; ex conuerſione enim fit neceſſarium.

Cũ quatuor fiant variationes propoſitionum ex complicatione vniuerſalis, quoniam vel ambæ ſunt affirmatiuæ, vel ambę negatiuæ, vel vna affirmatiua, & altera negatiua, & hoc dupliciter: vel enim maior eſt negatiua, & minor affirmatiua, vel ę contrario, maior affirmatiua, & minor negatiua. Cũ hactenus explicauerit Ariſtoteles duas vtiles coniugationes vniuerſales; quarũ

A prima conſtituitur ex ambabus affirmatiuis, altera ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, in hac parte intentio eiuſdem eſt alias duas aſyllogiſticas, & inutiles manifeſtare, quæ ſcilicet copulatur ex maiori affirmatiua, & minori negatiua, & quæ ex ambabus negatiuis quæ de ſe ſunt inutiles, redduntur vtiles per conerſionem.

Exemplum primæ inutilis eſt,

Contingens eſt, Omne B eſſe A.

Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Ex his enim propoſitionibus non ſequitur ne-
B ceſſario; ergo contingens eſt omne C eſſe A; ſed ad hoc vt hæc concluſio neceſſario conſequatur, opus eſt conuertere minorem in oppoſitam qualitatem de dicto, & hanc contingens eſt nullum C eſſe B, fieri contingens eſt omne C eſſe B: tunc namque ex ea maiori contingens eſt omne B eſſe A; & hac minori conuerſa contingens eſt omne C eſſe B, fit prima coniugatio, in qua infertur neceſſario concluſio hæc contingens eſt omne C eſſe A: Pariter alia coniugatio copulata ex vtraque negatiua eſt inutilis, veluti pro
C exemplo,

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.

Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Ex tali coniugatione non ſequitur concluſio aliqua neceſſario ſiue affirmatiua contingens eſt omne C eſſe A, vt in prima coniugatione vniuerſali, ſiue negatiua contingens eſt nullum C eſſe A, vt in ſecunda vtili coniugatione, ſed ad hoc vt concluſio vniuerſalis affirmatiua neceſſario ſequatur, opus eſt vtramque propoſitionem & maiorem, & minorem reciprocari, & has con-
D tingens eſt nullum B eſse A, contingens eſt nullum C eſse B, fieri affirmatiuas de dicto contingens eſt omne B eſse A, contingens eſt omne C eſse B: tunc enim ſequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua neceſsario ex illis, & fit prima vtilis coniugatio contingens eſt omne C eſse A: pariter ad hoc vt ſequatur concluſio negatiua vniuerſalis neceſsario, requititur vt fiat conuerſio minoris contingens eſt nullum C eſse B, in oppoſitam qualitatem contingens eſt omne C eſse B: eo caſu namque ex maiori poſita contingens
E eſt nullum B eſse A, & minori reciprocata contingens eſt omne C eſse B, ſequitur neceſsario concluſio vniuerſalis negatiua contingens eſt nullum C eſse A, & rurſum fit ſecunda vtilis coniugatio vniuerſalis: Inquit itaque pro declaratione inutilium ſyllogiſmorum vniuerſalium de contingenti. *Quando autem A contingit omni B*, hoc eſt cum maior propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua; velut contingens eſt omne B eſse A: *B autem nulli C*, & minor propoſitio de contingenti eſt vniuerſalis negatiua, vti contingens
F eſt nullum C eſse B. *Per ſumptas quidem propoſitiones*. Ex huiuſmodi coniugatione, *nullus fit ſyllogiſmus* nulla ſequitur vtilis ratiocinatio, ſed ad hoc vt reddatur perfecta, eget conuerſione minoris propoſitionis in oppoſitam qualitatem. *Conuerſa autem B, C, ſecundum contingere, fit idem quemadmodum & prius*: quoniam tali habita conuerſione

A uerſione minoris rurſum fit prima vtilis coniu-gatio, quæ reciprocatio fieri poteſt. *Quoniã enim contingit B nulli C ineſſe, contingit & omni ineſſe. Hoc autem dictum eſt prius.* Declaratum namque eſt contingens eſse nullum C eſse B, vniuerſalem negatiuam de dicto conuerti in affirmatiuam de dicto vniuerſalem, cõtingens eſse omne C eſse B. *Quare ſi B quidem omni C.* Quapropter ſi conuerſa minori ponatur contingens eſt omne C eſse B: *A autem omni B*, & eidem præponatur maior contingens eſt omne B eſse A, B concluſio ſequitur vniuerſalis affirmatiua contingens eſt omne C eſse A. *Rurſum idem fit ſyllogiſmus.* Prima inquam vtilis coniugatio reſultat, idem accidit & in alia inutili cõiugatione, hinc addit: *Similiter autem & ſi ad vtraſque propoſitiones negatio ponatur cum contingere*: pariter etiam ſi fiat coniugatio copulata ex vtraque propoſitione negatiua vniuerſali. (*Dico autem vt ſi A contingit nulli B, & B nulli C*) veluti exemplificando, contingens eſt nullum B eſse A, contingens eſt nullum C eſse B. *Igitur per ſumptas quidem propoſitiones nullus fit ſyllogiſmus.* Ex his pro- C poſitionibus ita coniugatis nulla ſequitur vtilis concluſio neceſsario, ſiue affirmatiua vniuerſalis de contingenti, ſiue negatiua vniuerſalis de contingenti. *Conuerſus autem rurſum idem erit, qui & prius*: ſed opus eſt vt reddatur perfectus per conuerſionem, vel minoris tantum, quo caſu reducitur ad ſecundam vtilem coniugationem, vel vtriuſque præmiſſarum maioris, & minoris, & tunc reducitur ad primam coniugationẽ iam declaratam, ex quibus colligit ſequentia. *Manifeſtum eſt igitur, quòd negatione poſita ad minorem ex-* D *tremitatem*, conſtat, quòd ſi minor propoſitio de contingenti fuerit negatiua, *vel ad vtraſque propoſitiones*, aut ambæ propoſitiones ſint negatiuæ, maior ſcilicet & minor, quòd *aut non fit ſyllogiſmus*, aut ratiocinatio non ſequitur, *aut fit quidem, ſed non perfectus*, vel ſi aliqua ſequatur ratiocinatio, non tamen vtilis, & neceſsario. *Ex conuerſione enim fit neceſſarium*; quoniam ad hoc vt perfecta ſequatur ratiocinatio, & concluſio inferratur neceſsario, opus eſt reductio ad vtiles coniugationes per conuerſionem propoſitionũ, E & tali pacto eſt explicata generatio ſyllogiſmorum vniuerſalium de contingenti tum vtilium, tum inutiliũ in prima figura, poſtea accedit ad explanationem particularium.

Si autem hæc quidem propoſitionum vniuerſalis, illa verò particularis ſumatur ad maiorem quidem extremitatem poſita vniuerſali, ſyllogiſmus erit perfectus: nam ſi A omni B contingit, B autem alicui C, A alicui C contingit: hoc autem manifeſtum ex definitione contingentis. Rurſum ſi A contingit nulli B, B autem contingit: alicui C ineſſe, neceſſe eſt A contingere alicui C non ineſſe. Demonſtratio autem eadem, quæ in his. Si autem priuatiua ſumatur particularis propoſitio: vniuerſalis autem affirmatiua, poſitione autem ſimiliter ſe habeant (vt A quidem, omni B contingit, B autem alicui C contingat non ineſſe) per ſumptas quidem propoſitiones non fit manifeſtus ſyllogiſmus. Conuerſa autem particulari, & poſito B alicui C contingere ineſſe, eadem erit concluſio, quæ & prius, quemadmodum in ijs, quæ ex principio.

C Declaratis vniuerſalibus ſyllogiſmis de contingenti in prima figura aggreditur tractationẽ particularium, & docet, quòd cum coniugationes particulares quadrupliciter variari poſſint ſecundum qualitates, quatenus ſcilicet vel conſtant ex vtraque præmiſſarum affirmatiua, vel ex vtraque negatiua, vel ex maiori affirmatiua, & minori negatiua; vel è cõtrario, ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, quod quando maior propoſitio fuerit vniuerſalis, & minor affirmatiua coniugationes aut ſunt per ſe vtiles ſine D conuerſione, aut redduntur vtiles conuerſione.

Et in primis ſimul & ſemel ponit duplicem coniugationem, ſcilicet copulatam, ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, & copulatã, ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, quas ambas demonſtrat per ſolita principia dici de omni, & dici de nullo eſſe vtiles per ſe.

Exemplum coniugationis conſtantis ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua particularem affirmatiuam con-

E cludentibus:

DA Contingens eſt, Omne B eſse A.
RI Contingens eſt, Aliquod C eſse B, ergo
I Contingens eſt, Aliquod C eſse A.

Exemplum eiuſdem in terminis.

DA Contingens eſt, Omne album moueri.
RI Contingens eſt, Aliquod animal eſse album, ergo
I Contingens eſt, Aliquod animal moueri.

Et ita efficitur tertia vtilis coniugatio in prima figura.

Exemplum coniugationis conſtantis ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particularem negatiuam concluſionem concludentibus.

FE Contingens eſt, Nullum B eſse A.
RI Contingens eſt, Aliquod C eſse B, ergo
O Contingens eſt, Aliquod C non eſse A.

Exem-

Exemplum eiuſdem coniugationis in terminis.

FE	Contingens eſt,	Nullum album moueri.
RI	Contingens eſt,	Aliquod animal eſſe album, ergo
O	Contingens eſt,	Aliquod animal non moueri.

Et ita efficitur quarta vtilis coniugatio in prima figura.

Aliæ duæ coniugationes, quæ oriuntur ex variatione affirmationis & negationis ſunt per ſe quidē imperfectę, reddvtur vtiles per conuerſionem. Ariſtoteles ponit vnam vt inde tanquam manifeſtam valeamus per noſmetipſos alteram ponere.

Exemplificat Philoſophus de coniugatione conſtante ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua, veluti

Contingens eſt, Omne B eſſe A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.

Hæc quidem coniugatio per ſe neceſſario inferre non valet.

Contingens eſt, aliquod C eſse A: ſed eget cōuerſione minoris in oppoſitam qualitatē: oportet enim hanc negatiuam de dicto, Contingēs eſt, Aliquod C non eſse B, conuerti in affirmatiuam de dicto, & ſecundum modum, Contingēs eſt, Aliquod C eſse B, & tunc ſequitur concluſio particularis affirmatiua de dicto, & de modo, Contingens eſt, Aliquod C eſſe A, & rurſus efficitur tertia vtilis coniugatio in prima figura; quod idem in terminis poſitis euenire cuilibet per ſe intuenti facile videbitur.

Exemplum coniugationis conſtantis ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari negatiua erit hoc pacto:

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſse B.

Ex his namque ſic coniugatis propoſitionibus non ſequitur neceſſario concluſio ulla ſiue affirmatiua, contingens eſt, Aliquod C eſſe A, vt in tertia vtili coniugatione, ſiue negatiua, contingens eſt, Aliquod B non eſſe A, uti in quarta. Sed ad hoc vt reddatur vtilis, opus eſt conuerſione, aut alterius, aut vtriuſque propoſitionis, ſi conuertitur minor, contingens eſt, Aliquod C non eſſe B, in oppoſitam, cōtingens eſt, Aliquod C eſſe B, ſequetur concluſio particularis negatiua, contingens eſt, Aliquod C non eſſe A, & erit quarta vtilis coniugatio; quòd ſi inſuper etiam conuertitur maior, contingens eſt, Nullum B eſſe A, in oppoſitam cōtingens eſt, Omne B eſſe A, ſequetur concluſio particularis affirmatiua, contingens eſt, Aliquod C eſse A, & iterum efficitur in tertia vtilis coniugatio. Dicit igitur: *Si autem hæc quidem propoſitionum vniuerſalis, illa verò particularis ſumatur*. Si verò in hac ſimplici generatione ſyllogiſmorum de contingenti ambæ propoſitiones non ſint vniuerſales, ſed vna vniuerſalis, & altera particularis. *Ad maiorem quidem extremitatem poſita vniuerſali, ſyllogiſmus*

A *erit perfectus*. Si ad maiorem extremitatem poſuerimus vniuerſalē, ita vt maior propoſitio ſit vniuerſalis ſiue affirmatiua, ſiue negatiua; & ad minorem poſuerimus particularē, ita vt minor propoſitio ſit particularis & affirmatiua, ſyllogiſmus erit vtilis, & perfectus per dici de omni, & dici de nullo. Ponit exemplum: *Nam ſi A omni B contingit*, quoniam ſit maior propoſitio ſit vniuerſalis affirmatiua, contingens eſt, omne B eſſe A. *B autem alicui C*, & minor proopoſitio ſit particularis affirmatiua, contingens eſt, aliquod C eſſe B. *A alicui C contingit*. Sequitur perfecta ratiocinatio, & concluſio particularis affirmatiua infertur neceſſario, contingens eſt, aliquod C eſſe A. *Hoc autem manifeſtum ex definitione contingentis*, hoc eſt ex definitione dici de omni in contingenti, & ſic fit tertia vtilis coniugatio; deinde ponit exemplum alterius vtilis coniugationis. *Rurſum ſi A contingit nulli B*. Pręterea ſi maior propoſitio fuerit vniuerſalis negatiua, contingens eſt nullum B eſse A. *B autem contingit alicui C ineſſe*, & minor ſit particularis affirmatiua, contingens eſt, aliquod C eſse B. *Neceſſe eſt A contingere alicui C non ineſſe*. Sequitur neceſſario concluſio particularis negatiua; contingens eſt aliquod C non eſſe A. *Demonſtratio autem eadem quæ in his*. Demonſtratur autem perfectio huius ratiocinationis per idem principium dici de nullo, quod poſitū eſt ſuperius in contingenti, declaratis vtilibus per ſe cōiugationibus continuat explicare inutiles dicens *Si autem priuatiua ſumatur particularis propoſitio*. Quòd ſi negatiua propoſitio, nempe minor de contingenti ſumatur particularis, *Vniuerſalis autem affirmatiua*, & affirmatiua nempe maior ponatur de contingenti vniuerſalis. *Poſitione autem ſimiliter ſe habeant*, ita vt maior remaneat ſuo loco, & minor ſimiliter; *Vt A quidem omni B contingat; B autem alicui C contingat non ineſſe*, veluti

Contingens eſt, Omne B eſse A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.

Per ſumptas quidem propoſitiones non fit manifeſtus ſyllogiſmus, ex propoſitionibus ſic coniugatis non fit vtilis ſyllogiſmus per ſe, & neceſſario concluſio non infertur. *Conuerſa autem particulari*, ſed per conuerſionem minoris negatiuæ de dicto particularis in oppoſitam. *Et poſito B alicui C contingere ineſſe*: Si conuertitur Contingens eſt, aliquod C eſſe B, *eadem erit concluſio quæ & prius*, efficitur eadem concluſio, quæ ſequebatur in tertio modo, ſcilicet contingens eſt, aliquod C eſſe A, & erit tertia vtilis coniugatio, *quemadmodum in iis, quæ ex principio*, ſicuti etiam vniuerſales inutiles per conuerſionem reddebantur vniuerſales vtiles, vt in præcedentibus declaratum fuit.

Si autem quæ ad maiorem extremitatem particularis ſumatur, quæ ad minorem vniuerſalis, ſiue vtræque ſumantur affirmatiuæ, ſiue priuatiuæ,

natiuæ, ſiue non ſimiles figuræ, ſiue vtræque indefinitæ, vel particulares, nullo modo erit ſyllogiſmus; nihil enim prohibet B tranſcendere A, & non prędicari de æquis; in quo enim B tranſcendit A, ſumatur C; huic neque omni, neque nulli, neque alicui, neque non alicui contingit A ineſſe; ſiquidem conuertuntur ſecundum contingere propoſitiones, & B pluribus contingit quàm A ineſſe.

Vbi Ariſtoteles determinauit vtiles fieri propoſitiones de contingenti in prima figura vel per ſe, vel per conuerſionē, maiori exiſtenti vniuerſali, & minori particulari quoquomodo varientur propoſitiones ſecundum qualitatem, in præſenti demonſtrat, quòd ſi maior propoſitio de contingenti fuerit particularis, & minor vniuerſalis, quælibet ratiocinatio erit prorſus inutilis, vel ſint ambæ propoſitiones affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel maior affirmatiua, & minor negatiua; & è conuerſo maior negatiua, & minor affirmatiua, quòd idem etiam aſſerit euenire, ſi ambæ propoſitiones ſint indefinitæ, vel ambæ particulares, ratio eſt, quoniam in huiuſcemodi coniugationibus accedit in maiori propoſitione medium in plus ſe habere, quàm maior extremitas; & proinde de æquis ambo non prædicari, ſed medium quidem verificari de minori extremitate, & maior extremitas haud prædicari, veluti ſi ſit propoſitio maior Contingens eſt, aliquod B eſſe A, & accipiatur in minori propoſitione C minor extremitas, de quo B medium prædicatur, & A maior non prædicatur, vti Contingens eſt, omne vel aliquod C eſſe B, tunc ex talibus ſic coniugatis propoſitionibus nulla ſequitur concluſio, non quidem vniuerſalis affirmatiua Contingens eſt, omne C eſſe A; ſiquidem medium tranſcendit maiorem extremitatem, neque ſequitur vniuerſalis negatiua, contingens eſt nullum C eſſe A, quoniam ſequeretur etiam affirmatiua vniuerſalis, cū de natura contingentis ſit in oppoſitum reciprocari, minus ſequitur particularis affirmatiua contingēs eſt, Aliquod C eſſe A, occaſione eiuſdem ſuperabundantię, vnde ſequi minime poteſt negatiua particularis cauſa dictæ reciprocationis: quapropter cum ex tali copulatione nulla prorſus concluſio ſequi poteſt; ideo omnino quęlibet talis coniugatio erit inutilis, quòd clariori exemplo in terminis videri poteſt. Sumantur nāque hi termini de contingenti, Dormiens, Grammaticus, Equus, primus terminus loco medij, ſecundus loco maioris extremi, tertius loco minoris extremi. Ex his formetur Iugatio talis:

A Contingens eſt, Aliquē dormientem eſſe Grāmaticum.

Contingens eſt, Omnem equum eſſe dormientem.

Aequidem ex iugatione tali in his terminis conſtante, nulla prorſus concluſio ſequitur; propterea quod medium in plus ſe habet quam maius extremum, & de equo ambo æqualiter non prædicantur. In primis non ſequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua Contingens eſt, omnem equum eſſe Grammaticum, quoniam medium, B quod eſt dormiēs, prædicatur quidem de equo: at Grammaticus, quod eſt maius extremum, de equo non prædicatur, quia medium tranſcendit maius extremum, & cum non ſequatur concluſio vniuerſalis affirmatiua Contingens eſt, omnem equum eſſe Grammaticū, minus ſequi valet concluſio vniuerſalis negatiua, quoniam de natura contingentis vniuerſalis eſt vt in oppoſitum ſecundum qualitatem cōuerti poſſit. Quocirca ſi vniuerſalis negatiua concluſio verificaretur, etiam affirmatiua vniuerſalis ſequi poſſet, C quod vidimus aperte falſum; pariter non poteſt ſequi concluſio particularis affirmatiua Contingens eſt, aliquem equum eſſe Grammaticum, eadem ratione medij ſuperabundantis maius extremum, & cum non ſequatur affirmatiua particularis per cōſequens, nec etiam negatiua particularis dicta de cauſa, quia contingens particulare in oppoſitum ſecundum qualitatem reciprocatur, & ſi negatiua particularis verificaretur, conuerti poſſet in affirmatiuam particularem, quam falſam exiſtere ſatis aperte conſtat, D & tali pacto percipitur clare ſenſus verborum Ariſtotelis. Dicit itaque: *Si autem quæ ad maiorem extremitatem particularis ſumatur.* Quòd ſi in prima figura maior propoſitio ſit particularis, *quæ ad minorem vniuerſalis*, & minor propoſitio ſit vniuerſalis, *ſiue vtraque ſumantur affirmatiuæ*, vel ſint ambæ & maior & minor affirmatiuæ, *ſiue priuatiuæ*, vel ſint ambæ negatiuæ, *ſiue non ſimilis figuræ*, ſiue non conſimilis formæ & qualitatis, ſed vna affirmatiua, & altera negatiua, *ſiue vtraque indefinitæ*, ſiue etiam ponantur E ambæ præmiſſæ & maior & minor indefinitæ, *vel particulares*, ſiue etiam ambæ particulares, *nullo modo erit ſyllogiſmus*, nulla prorſus ſequitur ratiocinatio, reddit rationem in ſequenti: *Nihil enim prohibet B tranſcendere A*, quoniam in talibus coniugationibus euenit quandoque B medium in plus ſe habere, quàm A maior extremitas, *& non prædicari de æquis*, ita quòd ſequitur medium, & maior extremitas de paribus, & ijſdem non prædicari, quod declarat exemplo. *In quo enim B tranſcendit A, ſumatur C.* Quando enim B medium in plus ſe habet, quàm A maior extremitas, accipiatur minor extremitas quæ ſit C: de hac minori extremitate, puta C, prædicabitur quidem B medium, negabitur autem A maior extremitas, & propterea, *neque omni, neque nulli, neque alicui, neque non alicui contingit A ineſſe*. Hinc maior extremitas non poteſt cōclu-

di

di de minori extremitate, neque vniuerſaliter, neque particulariter, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue, & per conſequens nulla prorſus concluſio ſequitur. *Siquidem conuertuntur ſecundum contingere propoſitiones, & B pluribus contingit, quàm A ineſſe.* Cauſa quare nulla prorſus concluſio ſequatur, eſt, quoniam propoſitiones de contingenti conuertuntur ſecundum oppoſitas qualitates, & B medium cõtingit pluribus ineſſe, quam A, quod eſt maius extremum.

B Amplius autem ex terminis manifeſtum eſt; nam ſic ſe habentibus propoſitionibus primum poſtremo, & nulli contingit, & omni ex neceſſitate ineſſe. Termini autem communes omnium, ineſſe quidem ex neceſſitate, Animal, Album, Homo; non contingere uerò, Animal, Album, Veſtis.

Non contentus Ariſtoteles ratione adducta ad boc vt manifeſtaret maiori propoſitione de contingenti exiſtente particulari nullam prorſus ſequi concluſionem, ſiue vniuerſalem, ſiue particularem, ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuã, quoniam ſcilicet medium quandoque ſuperabũdat maius extremum; hoc idem nunc in terminis confirmare conatur, demonſtrans, quòd ſi maior exiſtat particularis, contingit maiorem extremitatem ineſſe minori, ex neceſſitate omni, & ex neceſſitate nulli; ex quo deinde colligit ſic ſe habentibus terminis nullam pariter in quauis materia ſequi concluſionẽ, ſiue in materia inexiſtenti, ſiue neceſſaria, ſiue contingenti. Termini, in quibus ad prædictas omnes coniugationes ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt Animal loco maioris, Album loco medij, Homo loco minoris, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
Contingens eſt, Aliquem hominem eſſe album, ergo ſequitur
Contingens neceſſarium eſt, Omnem hominẽ eſſe animal.

Termini verò communes ad eaſdem omnes coniugationes, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt Animal pro maiori extremo, Album pro medio, Veſtis pro minori extremo.

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
Contingens eſt, Aliquam veſtẽ eſſe albã, ergo
Contingens neceſſarium eſt, Nullam veſtẽ eſſe animal.

Inquit ergo: *Amplius autem ex terminis manifeſtum eſt.* Inſuper nedum ratione poſita, verùm etiam ex terminis eſt manifeſtum in omnibus dictis coniugationibus nullam ſequi concluſionem in quauis materia, *nam ſic ſe habentibus propoſitionibus*, quoniam ſic ſe habentibus terminis, & exiſtenti maiori particulari, ſiue indefinita. *Primum poſtremo & nulli contingit, &*

A *omni ex neceſſitate ineſſe.* Maiorem extremitatem contingit minori ineſſe, & ex neceſſitate omni, & ex neceſſitate nulli. *Termini autem communes omnium ineſſe quidem ex neceſſitate.* Termini verò communes ad omnes dictas coniugationes, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Homo*, animal pro maiori extremo, album pro medio, homo pro minori extremo. *Non contingere verò.* Termini autem communes ad eaſdem omnes coniugationes, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Veſtis*, animal loco maioris extremi, album loco medij, veſtis loco minoris extremi.

Manifeſtum igitur quòd hoc modo habentibus ſe terminis, nullus fit ſyllogiſmus: nam omnis ſyllogiſmus vel eius quod eſt ineſſe eſt, vel ex neceſſitate, vel contingere. Non eſt au-
C tem eius quod eſt ineſſe, neque neceſſarij; manifeſtum quod non eſt, nam affirmatiuus interimitur priuatiuo, & priuatiuus affirmatiuo. Relinquitur ergo eius, quod contingere eſſe, hoc autem impoſſibile. Oſtenſum eſt enim, quoniam ſic ſe habentibus terminis, & omni poſtremo pri-
D mum neceſſe ineſſe, & nulli contingere ineſſe: quare nõ erit eius, quod eſt contingere ſyllogiſmus; nam neceſſarium non erat contingens.

Cum in dictis coniugationibus pateſecerit in terminis ſequi omni, & nulli neceſſario ineſſe, modo colligit, quòd cum tali pacto ſe habuerint termini maiori exiſtente particulari nullus fit
E ſyllogiſmus; quoniam cum omnis ſyllogiſmus ſit vel de ineſſe, vel de neceſſario, vel de contingenti, neuter eſt talis ſyllogiſmus: quoniam ex quo ſequitur affirmatiua neceſſaria, aufertur cõcluſio negatiua de ineſſe, & neceſſaria; & ex quo ſequitur concluſio negatiua neceſſaria, tollitur affirmatiua de ineſſe, & neceſſaria. Nec etiam dici poteſt, quòd concluſio ex tali ſyllogiſmo ſit de cõtingenti, cum determinatum fuerit, quod contingens non ſit neceſſariũ: quapropter nullus ſequitur ſyllogiſmus, vt patet. Ideo dicit:
F *Manifeſtum eſt igitur, quòd hoc modo habentibus ſe terminis.* Conſtat itaque, quòd cum termini ſic ſe habeant, vt dictum eſt, *nullus fit ſyllogiſmus*, nulla ſequitur ratiocinatio, quod probatur, *nam omnis ſyllogiſmus, uel eius quod eſt ineſſe eſt*, quoniã omnis ſyllogiſmus vel eſt concluſionis de ineſſe, *vel ex neceſſitate*, vel concluſionis neceſſariæ, *uel contingere*, vel concluſionis contingentis.

Non eſt autem eius quod eſt ineſſe, neque neceſſarij, ſed talis ſyllogiſmus non eſt concluſionis inexiſtentis, vel neceſſariæ. *Manifeſtum quod non eſt*, quod conſtat ex hoc; *nam affirmatiuus interimitur priuatiuo*, quia ſi ſit affirmatiuus de ineſſe, vel de neceſſario, deſtruitur per negatiuam concluſionem de neceſſario, *& priuatiuus affirmatiuo*, vt ſi ſit negatiuus de ineſſe, vel de neceſſario, perimitur per affirmatiuam concluſionem de neceſſario. *Relinquitur ergo eius quod contingere eſſe*. Quapropter remanet dicendum quòd ſit ſyllogiſmus contingentis concluſionis. *Hoc autem impoſſibile*, quod nullo modo dici poteſt. *Oſtenſum eſt enim, quoniam ſic ſe habentibus terminis*. Determinatum namque antea fuit, quòd cum termini ſic ſe habeant, *& omni poſtremo primum neceſſe ineſſe, & nulli contingere ineſſe*, maiorem extremitatem, & omni & nulli ex neceſſitate ineſſe minori. *Quare non erit eius quod eſt contingere ſyllogiſmus*: propterea non erit ſyllogiſmus concluſionis contingentis, *nam neceſſarium non erat contingens*, quoniam contingens determinatum, de quo eſt ſermo in præſenti, eſt contingens non neceſſarium, quod opponitur neceſſario, vt in principio declaratum fuit.

Manifeſtum autem, & quoniam cum vniuerſales ſunt termini in contingentibus propoſitionibus, ſemper fit ſyllogiſmus in prima figura, ſiue ſint prædicatiui, ſiue priuatiui. Verùm ex prædicatiuis quidem perfectus, ex priuatiuis autem imperfectus. Oportet autem contingere ſumere non in neceſſarijs, ſed ſecundum dictam definitionem, aliquoties autem latet huiuſmodi.

In hac poſtrema parte epilogat Ariſtoteles ſupra declarata, ſcilicet conſtare ex dictis, quòd quando ambæ propoſitiones ſunt vniuerſales de contingenti, ſiue ſint termini affirmatiui, ſiue negatiui, ſemper fit ſyllogiſmus, vel perfectus vt in affirmatiuis, vel imperfectus vt in negatiuis. Demum in calce capitis connectens vltima primis, concludit, quòd in iſta generatione ſyllogiſmorum, accipiendum eſt contingens non neceſſarium, prout in principio deſcriptum fuit, quòd ſcilicet nec neceſſarium, nec impoſſibile eſt: ſæpe enim nos latet, cum dicimus, aliquid alicui contingere, an illud inſit ex contingenti, vel ex neceſſario. Habemus igitur: *Manifeſtum autem, & quoniam cum vniuerſales ſunt termini in contingentibus propoſitionibus*, hoc eſt ſcilicet ex dictis, quòd cum am-

A bo termini, & propoſitiones ſunt vniuerſaliter ſumpti in ijs de contingenti, *ſemper fit ſyllogiſmus in prima figura*, ſemper ſequitur ratiocinatio in prima figura, *ſiue ſint prædicatiui*, ſiue ambo termini, & propoſitiones ſint affirmatiui, *ſiue priuatiui*, ſiue negatiui, hæc eſt ſola differentia. *Verùm ex prædicatiuis perfectus*, quòd quando termini ſunt affirmatiui, fit per ſe vtilis ratiocinatio: *ex priuatiuis autem imperfectus*. Quando verò ambo termini ſunt negatiui, fit imperfecta ratiocinatio per
B ſe, & inutilis; redditur tamen vtilis & perfecta per conuerſionem. *Oportet autem contingere ſumere non in neceſſarijs*. Opus eſt autem in iſta generatione ſyllogiſmorum ſumere contingens non quatenus eſt neceſſarium, nec impoſſibile, *ſed ſecundum dictam definitionem*, ſed prout in principio capitis deſcriptum fuit pro non neceſſario: *aliquoties autem latet huiuſmodi*, quòd multoties difficile eſt cognitu.

Et hæc ſatis ſufficiant in hoc Capite.

C

Super Capite XIII. de Syllogiſmis ex ambabus contingentibus in prima figura pro Iuris ſtudioſis.

QVæ habentur a Philoſopho in hoc Capite conducentia Iuris ſtudioſis ſunt quatuór coniugationes ſyllogiſmorum ex propoſitionibus contingen-
D tibus in prima figura.

Prima coniugatio, quæ conſtat ex vtràque vniuerſali affirmatiua concludentibus concluſionem vniuerſalem affirmatiuam in terminis legalibus, erit:

BAR Contingens eſt, Omnem tutorem eſſe legatarium.
BA Contingens eſt, Omnem conſanguineū eſſe tutorem, ergo
E RA Contingens eſt, Omnem conſanguineū eſſe legatarium.

Secunda coniugatio conſtans ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiuà concluſionem vniuerſalem negatiuam concludentibus, erit:

CE Contingens eſt, Nullum tutorem eſſe legatarium.
LA Contingens eſt, Omnem cōſanguineū eſſe tutorem, ergo
RENT Contingens eſt, Nullum cōſanguineū eſſe legatarium.

F Deſumuntur termini in vtraque in tit. Digeſtorum de leg. & de legit. tut.

Tertia coniugatio conſtans ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua: particulariter affirmatiue concludentibus, erit:

DA Contingens eſt, Omne teſtamentum eſſe caducum.
RI Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem eſſe teſtamētum, ergo
I Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem eſſe caducam.

Quarta coniugatio conſtans ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, particulariter affirmatiue concludentibus, erit:

FE Contingens eſt, Nullum teſtamentum eſſe caducum.
RI Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem eſse teſtamentum, ergo
O Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem non eſse caducam.

Ex quibus terminis tali pacto applicatis ſatis aperte conſtat. Vſum quoque horum ſyllogiſmorum mere contingentium in Iure, deſumptis terminis tertiæ & quartæ coniugationis in l. vnica. C. de cad. toll.

Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis:

De ſyllogiſmis ex vna abſoluta, & altera contingenti in prima figura. *Caput XIV.*

SI autem hæc quidem ineſſe, illa verò contingere ſumatur propoſitionum, quando quæ ad maiorem extremitatem contingere ſignificauerit, perfecti erunt omnes ſyllogiſmi, & contingenti ſecundum dictam determinationem. Quando autem quæ ad minorem & imperfecti omnes, & priuatiui ſyllogiſmi, non contingentis ſecundum dictam determinationem, ſed eius quod eſt nulli, vel non omni ex neceſſitate ineſſe. Si enim nulli, aut non omni ex neceſſitate, contingere dicimus, & nulli, & non omni ineſſe.

Declaratis ſyllogiſmis conſtantibus ex ambabus contingentibus propoſitionibus in prima figura, determinat in præſenti ſyllogiſ-
A mos conſtantes ex mixtione propoſitionum de ineſse, & de contingenti; & in primis ponit vniuerſales coniugationes in prima figura, in quibus inquit, quòd quando maior fuerit contingens, & minor de ineſse, ſequitur concluſio contingentis determinati, nempe non neceſsarij: quando verò maior fuerit de ineſse, & minor contingens non ſequitur concluſio contingentis determinati, ſed contingentis impropriè, & æquiuocè, nempe contingentis neceſsarij; quæ concluſio ideo
B differt a neceſsaria, quia non habet modum neceſsarium, res tamen eſt neceſsaria; ideo dicit: *Si autem hæc quidem ineſſe, illa vero contingere ſumatur propoſitionum.* Quòd ſi propoſitiones non ſunt ſimpliciter ambæ contingentes, ſed mixtæ de contingenti, & ineſse, ita vt vna præmiſſarum ſit de ineſse, & altera contingens. *Quando quæ ad maiorem quidem extremitatem contingere ſignificauerit.* Quando in tali præmiſsarum diſpoſitione propoſitiones ita ſe habent quòd ea quæ eſt ad ma-
C iorem extremitatem, puta maior eſt de modo contingenti, & quæ ad minorem eſt extremitatem, nempe minor eſt de ineſse, *perfecti erunt omnes ſyllogiſmi*, omnes tales coniugationes vtilem concluſionem inferrent, & erunt ratiocinationes perfectæ per principia regulantia ſyllogiſmos, ſcilicet per dictum de omni, & dictum de nullo. *Et contingentis ſecundum dictam determinationem.* Et ex coniugationibus ſic copulatis ſequetur concluſio contingentis determinati in præcedentibus,
D nempe non neceſsarij. *Quando autem quæ ad minorem.* Quando verò illa propoſitio, quæ eſt ad minorem extremitatem, vt puta minor, ſcilicet eſt de contingenti determinato, & maior de ineſse, *& imperfecti omnes*: omnes quidem ſyllogiſmi erant imperfecti, & inutiles per ſe, *& priuatiui ſyllogiſmi*, & erunt negatiui concludentes negatiuas de contingenti concluſiones, *non contingentis ſecundum dictam determinationem*: ſed hæc concluſio non erit contingentis determinati, ſcilicet non
E neceſsarij, *Sed eius quod eſt nulli, aut non omni ex neceſſitate ineſſe.* ſed erit contingens impropriè, & æquiuocè dicti, ſuper quod cadit etiam neceſſarium: erit namque concluſionis concludentis id quod eſt nulli, vel non omni ex neceſſitate ineſse; quæ concluſio differt a modali neceſsaria; ex quo non habet modum, res tamen ipſa eſt neceſſaria. Quòd verò hoc neceſsarium impropriè dici poſſit contingens probatur ex hoc, *Si enim nulli, aut non omni ex neceſſitate contingere dicimus.* Quia ſi dicatur aliquod prædicatum, vt A nulli, aut non omni ineſt ſubiecto ſicuti B, & hoc eſt neceſsarium, veluti de neceſſitate nullum, vel non omne B eſt A. *Et nulli, & non omni ineſſe*, etiam dicere valemus, quòd contingat nullum, vel non

omne B eſse A, quia tale contingens ſequitur ad neceſsarium, cumq; neceſsarium improprie & æquiuoce dicatur contingens.

Contingat enim A omni B; B autem omni C ponatur ineſſe. Quoniam igitur ſub B eſt C; A autem contingat omni B, manifeſtum quod & C omni contingit A. Fit ergo perfectus ſyllogiſmus. Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B propoſitio: B, C autem affirmatiua; & hæc quidem contingere, illa verò ineſſe ſumetur, perfectus erit ſyllogiſmus, quoniam A contingit nulli C ineſſe.

Ariſtoteles declarat exemplo vniuerſales coniugationes ex maiori contingenti, quæ ſunt duæ; quarum vna conſtat, ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis, altera ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, quas oſtendit concludere concluſionem contingentem.

Exemplum primæ.

Contingens eſt, Omne B eſse A.
Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Omne C eſſe A.

Exemplum ſecundæ.

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe A.

Inquit itaque pro exemplo primæ coniugationis: *Contingat enim A omni B.* ponamus coniugationem primam in prima figura. Ita quòd contingat A maior extremitas omni B medio vniuerſaliter ineſſe, ita vt ſit maior propoſitio, Contingens eſt, omne B eſse A. *B autem omni C ponatur ineſſe.* B autem in minori propoſitione ponatur ineſse vniuerſaliter C minori extremo, & ſit minor propoſitio omne C eſt B. Sequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua de contingenti contingens eſt, omne C eſse A, quod ideo ſit. *Quoniam igitur ſub B eſt C*, quia cum C ſit pars ipſius B. *A autem contingit omni B*, & A omni B contingat ineſse, *Manifeſtum quod & C omni contingit A.* Sequitur manifeſte, quòd A contingenter ineſt C, quod eſt pars ipſius B. *Fit ergo perfectus ſyllogiſmus.* Et ita fit prima vtilis coniugatio in prima figura, quæ perficitur per dictum de omni, poſt hæc ponit ſecundam vniuerſalem coniugationem in eadem

A prima figura, quando dicit: *Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B propoſitio*, pariter etiam ſecunda coniugatio vniuerſalis, quæ fit, quando propoſitiones ita ſunt diſpoſitæ, vt maior propoſitio A, B ſit negatiua vniuerſalis. *B, C autem affirmatiua*, & minor propoſitio B, C ſit vniuerſalis affirmatiua, *& hæc quidem contingere*, & maior propoſitio ſit de contingenti, veluti contingens eſt, nullum B eſse A. *illa verò ineſſe ſumetur*, & minor propoſitio ſit de ineſse omne C eſt B, *perfectus erit ſyllogiſmus.* Sequi-
B tur vtilis ratiocinatio, & erit ſecunda coniugatio vniuerſalis, quæ perficitur per dictum de nullo. *Quoniam A contingit nulli C ineſſe.* Sequitur namque concluſio vniuerſalis negatiua, Contingens eſt, nullum C eſse A.

Sequitur textus.

Quod ergo ineſſe poſito ad minorem extremitatem, perfecti ſyllogiſmi fiunt; manifeſtum: quod
C autem contrarie ſe habente erunt ſyllogiſmi per impoſſibile moſtrandum eſt. Simul autem erit manifeſtum, & quod imperfecti: nam oſtenſio non ex ſumptis propoſitionibus.

Cum explicauerit Philoſophus duas vtiles coniugationes vniuerſales in prima figura mixtas ex propoſitionibus de ineſse, & contingen-
D tibus, maiori exiſtente de contingenti, declaraturus, mixtas coniugationes oppoſitas, in quibus maior exiſtit de ineſse: primum colligit ex dictis conſtare, quòd dictæ coniugationes, quæ habent maiorem de contingenti, & minorem de ineſse perfectæ ſunt, quia pro eius demonſtratione nō egent alterius adiumento, ſeu conuerſione, aut deductione ad impoſſibile, ſed probat per poſita principia regulantia ſyllogiſmum, ſcilicet dici de omni, & dici de nullo: ve-
E rùm de oppoſito modo ſe habentibus coniugationibus conſtantibus ſcilicet ex maiori de ineſſe, & minori de contingenti inquit aliter ſe habere, quòd puta demonſtrantur deductione ad impoſſibile, & per conſequens ſunt imperfectæ, cum opus ſit alia aſsumere pro earum probatione, & dicit: *Quod ergo ineſſe poſito ad minorem extremitatem perfecti ſyllogiſmi fiunt, manifeſtum.* Patet itaque ex declaratis, quòd in vniuerſalibus coniugationibus mixtis ex vna de ineſse, & altera de contingenti, quando ea quæ
F eſt de ineſse ponitur ad minorem, & ea quæ eſt de contingenti ad maiorem, perfecti ſunt ſyllogiſmi per principia poſita regulantia ſyllogiſmū, ſcilicet dici de omni, & dici de nullo in contingentibus. *Quod autem contrarie ſe habente erunt ſyllogiſmi.* Quādo verò præmiſse oppoſito modo erunt poſitę ita vt maior propoſitio ſit de ineſse,

& minor de contingenti ſit quidem ſyllogiſmus, ſed imperfectus, cuius cauſa eſt, quoniam *per impoſſibile monſtrandum eſt*, quando huiuſmodi ſyllogiſmi non demonſtrantur per principia poſita dici de omni, & dici de nullo, ſed per impoſſibile. *Simul autem erit manifeſtum, & quod imperfecti*, ex quo manifeſte conſtat, quod non ſunt per ſe vtiles, & perfecti: *nam oſtenſio non ex ſumptis propoſitionibus*, quia ex eis, quæ ſunt in ſumptis propoſitionibus, non poſſunt probari, ſed oportet alia ad demonſtrandum aſſumere, veluti contradictorium concluſionis, & ſimilia.

Primum autem dicendum, quod ſi cum eſt A, neceſſe eſt eſſe B, & cum poſſibile eſt eſſe A, poſſibile erit B, ex neceſſitate. Sit enim, ſic ſe habentibus rebus, in quo quidem A poſſibile; in quo autem B impoſsibile. Si ergo aliud poſsibile quidem eſt, eum poſsibile eſſe ipſum fiet: hoc verò impoſsibile, quoniam impoſsibile non vtique fiet. Simul autem ſi A poſsibile, & B impoſsibile, continget fieri A præter B. Si autem fieri & eſſe: nam quod fit, quando factum eſt, eſt.

Tranſit Ariſtoteles ad declarationem mixtorum ſyllogiſmorum de ineſſe, & contingentium maiori exiſtenti de ineſſe, ſed prius præmittit quædam, quæ ad dictorum ſyllogiſmorum demonſtrationem plurimum conferunt: & primo, quòd aliquo exiſtenti, quòd aliud neceſſario conſequatur. Si illud antecedens ſit poſſibile, etiam conſequens erit poſſibile, veluti ſi A exiſtenti, B neceſſario conſequatur: ſi A antecedens ſit poſſibile, etiam B conſequens ad illud erit poſſibile, quod probatur hunc in modum. Si namque negabitur B conſequens poſſibile eſſe, erit impoſſibile; ſed quod poſſibile fieri poteſt, valet ad actum exire, & quod factum eſt, & quod impoſſibile eſt, numquam valet ad actum exire: ergo A antecedens erit præter B conſequens contra ſuppoſitionem. Dicit itaque: *Primum autem dicendum*, hoc eſt ad hoc vt valeamus demonſtrare, quod poſuimus de mixtis coniugationibus, quando maior exiſtit de ineſſe, & minor de contingenti præmittere debemus. *Quòd ſi cum eſt A, neceſſe eſt eſſe B.* Quod ſi aliquo exiſtenti antecedenti, veluti A, illud aliud neceſſario ſequitur vti B. *Et cum poſſibile eſt eſſe A, poſſibile erit B ex neceſ-*

A *ſitate*. Si antecedens A poſſibile ſit, etiam B conſequens de neceſſitate, poſſibile erit, quod probatur. *Sit enim, ſic ſe habentibus rebus*. Sumantur namque A, B termini tali pacto: *in quo quidem A poſſibile*; vt antecedens A ſit poſſibile. *In quo autem B impoſſibile*, & B conſequens impoſſibile. *Si ergo aliud poſſibile quidem eſt*. Si itaque A antecedens ſit poſſibile, *eum poſſibile eſſe ipſum fiet*. Hoc antecedens, cum poſſibile ſit fieri, aliquandò fiet. *Hoc verò impoſſibile*, & conſequens B ſi eſt im-
B poſſibile, *quoniam impoſſibile non vtique fiet*. Iſtud conſequens cum ſit impoſſibile, non fiet vnquam. *Simul autem ſi A poſſibile, & B impoſſibile*. Quare ſequitur, quod cum A antecedens ſit poſſibile, & B conſequens ſit impoſſibile, *continget fieri A præter B*, quod A aliquando ſit præter B. *Si autem fieri & eſſe*: & ſi A aliquando ſit præter B, etiam aliquando ſit præter B. *Nam quod ſit quando factum eſt, eſt*. Quod enim ſit quando iam factum eſt, tunc eſt in actu, & ita A exi-
C ſtente in actu, conſequens non erit, vt ſuppoſitum fuit; quare dicendum, quod A poſſibili exiſtente, etiam B poſſibile ſit.

Oportet autem accipere non ſolum in generatione poſſibile, & impoſſibile, ſed & in verum eſſe, & in quod actu eſt, & quocunque modo ſimpliciter aliter dicitur poſ-
D ſibile: in omnibus enim ſimiliter ſe habebit.

Pro maiori declaratione ſuppoſiti ſupra præmiſſis ponit Philoſophus, quod per poſſibile nedum intelligere debemus poſſibile, prout eſt in fieri, ſed etiam prout actu eſt, vel ſimpliciter, & prout eſt verum veritate exiſtentiæ, vel quocunque alio modo etiam in complexis, ſicuti in propoſitionibus, pari-
E ter impoſſibile non ſolum ſumere debemus prout in fieri, ſed etiam prout in actu: nam quouis modo accipiamus poſſibile & impoſſibile, ſemper ſequitur, quod dictum eſt. Ideo dicit. *Oportet autem accipere non ſolum in generatione poſſibile*, ſcilicet non eſt ſumere poſſibile tantum quod fieri poteſt, *& impoſſibile*, pariter impoſſibile, prout eſt ſolum in generatione, *ſed & in verum eſſe*: ſed etiam quando verum eſt, *& in quo actu eſt*, vel ſit ve-
F rum veritate entis. *Et in quocunque modo ſimpliciter aliter dicitur poſſibile*, vel quocunque alio modo poſſibile dicatur verum, vt etiam in complexis, & in propoſitionibus. *In omnibus enim ſimiliter ſe habebit*: nam quouis modo ſumatur poſſibile, ſemper verificatur quod dictum eſt.

Am-

Amplius cum eſt A, B eſſe non tanquam vno aliquo exiſtente A erit B, oportet opinari; nihil enim eſt ex neceſſitate vno aliquo exiſtente, ſed duobus ad minus, vt quando propoſitiones ſic ſe habent, vt dictum eſt, ſecundum ſyllogiſmum: nam ſi C dicitur de D, D autem de E, & C de E ex neceſſitate; & ſi vtrumque poſſibile, & concluſio erit poſſibilis, quemadmodum ergo ſi quis ponat A quidem propoſitiones, B autem concluſionem, accidet non ſolum A exiſtente neceſſario, & B ſimul eſſe neceſſarium, ſed etiam poſſibili, poſſibile.

Cum Ariſtoteles explanauerit quomodo accipere debeamus poſſibile in præmiſſo theoremate, functus officio interpretis, proſequitur alterius declarare quid intelligat per A antecedens, & B conſequens, & ponit quòd A antecedens non intelligitur vnum aliquid, quoniam ex vnico termino, nihil ſequitur illatione ſyllogiſtica, ſed ex duabus dumtaxat propoſitionibus, & tribus terminis: propterea per A antecedens accipit duas præmiſſas, ex quibus conſequens, nempe concluſio neceſſario infertur, vti in præcedentibus declaratum fuit, veluti ſi pro antecedenti ſint hæ duæ propoſitiones coniugatæ omne D eſt C, omne E eſt D, ex his vti conſequens neceſſario infertur concluſio hæc omne E eſt C. Si itaque huiuſcemodi propoſitiones erunt poſſibiles, etiam concluſio erit poſſibilis, ſicut etiam in neceſſarijs quando præmiſſæ ſunt neceſſariæ, ſequitur concluſio neceſſaria: propterea inquit. *Amplius cum eſt A, B eſſe*, hoc eſt cum dicimus, quòd cum eſt A antecedens, quòd ſit B conſequens, *Non tanquam vno aliquo exiſtente A, erit B, oportet opinari*, non oportet opinari, quod accipiamus A, tanquam vnum aliquod ſit, ex quo ſyllogiſtice ſequatur B conſequens: *nihil enim eſt ex neceſſitate vno aliquo exiſtente*, nihil enim ſequitur ſyllogiſtice ex vna propoſitione, & duobus tantum terminis exiſtentibus, *ſed duobus ad minus*, ſed ex duabus ad minus propoſitionibus, & tribus terminis; quapropter A ponitur non pro vno, ſed pro duabus propoſitionibus antecedentibus, & B ponitur pro concluſione, & ſic antecedens ſunt duæ propoſitiones inferentes concluſionem, *vt quando propoſitiones ſic ſe habent, vt dictum eſt, ſecundum ſyllo-* A *giſmum*, veluti quando propoſitiones ſic ſe habent, vt ſuperius fuit declaratum in doctrina ſyllogiſmorum, veluti exemplo declarat: *nam ſi C dicitur de D, D autem de E*, quoniam ſi ſint hæ duæ propoſitiones omne D eſt C, maior, & omne E eſt D minor, quæ ſe habent, veluti præmiſſæ, & antecedens, *& C de E ex neceſſitate*. Sequitur neceſſario concluſio hæc, quòd omne E eſt C, per neceſſitatem nempe ſyllogiſticam. *Et ſi vtrumque poſſibile*. Et ſi vtrumque antecedens harum præmiſſarum B vel vtraque propoſitio poſſibilis, *& concluſio erit poſſibilis*; erit etiam poſſibilis concluſio, *quemadmodum ergo ſi quis ponat A quidem propoſitiones, B autem concluſionem*. Determinat itaque quòd ſicut ſe haberet in neceſſarijs, ita etiam in contingentibus euenit. Quòd ſi ponatur A antecedens pro duabus præmiſſis, & B conſequens pro concluſione, *accidet non ſolum A exiſtente neceſſario, & B ſimul eſſe neceſſarium*. Si antecedens ſit neceſſarium etiam conſequens eſt neceſſarium, ita pariter in con- C tingentibus, *Sed etiam poſſibili, poſſibile*, ſi antecedens erit poſſibile, conſequens quoque poſſibile extiterit.

Hoc autem oſtenſo, manifeſtum eſt, quòd falſo poſito, & non impoſſibili, & quod accidit propter poſitionem falſum erit, & non impoſſibile, vt ſi A falſum quidem D eſt, non tamen impoſſibile. Cum autem ſit A, & B eſt, & B erit falſum quidem, non tamen impoſſibile: nam oſtenſum eſt, quòd cum eſt A, eſt B, & cum poſſibile eſt A, poſſibile eſt B: poſitum autem eſt A poſſibile eſſe, & B erit poſſibile. Si enim impoſſibile eſt E B, ſimul idem erit poſſibile, & impoſſibile.

In hac parte antequam aggrediatur Philoſophus tractationem ſyllogiſmorum mixtorum ex propoſitionibus de ineſſe, & cōtingentibus maiori propoſitione exiſtente de ineſſe, vnum aliud colligit ex theoremate ſupra declarato, quòd ſcilicet ſi antecedens ſuppoſitum falſum ſit, & non impoſſibile, conſequens pariter fal- F ſum erit non impoſſibile, veluti ſi Socratem ambulare, quod ſit antecedens falſum ſit, non impoſſibile etiam Socratem moueri, quod eſt conſequens falſum erit, non impoſſibile, quòd probatur per hypotheſim, quia ſi B ſequitur A tum ad eſſe, tum ad poſſibile eſſe, & nunc ſupponamus

mus A antecedens falſum eſſe, non tamen impoſſibile; ergo & B conſequens falſum erit non impoſſibile, quoniam A exiſtente poſſibili, etiam B erit poſſibile, & ſic idem eſſet poſſibile, & impoſſibile, & ens & non ens, ſi A poſſibile, B impoſſibile ſequeretur. Et hoc eſt quod dicit: ***Hoc autem oſtenſo manifeſtum eſt***; ex poſito nempe theoremate conſtat. ***Quod falſo poſito, & non impoſſibili***, quod ſi antecedens falſum ſit, & non impoſſibile: ***& quod accidit propter poſitionem falſum erit, & non impoſſibile***; etiam conſequens falſum erit, nō tamen impoſſibile per hypotheſim, ponit exemplum, quo id declarat per dictum theorema, ***vt ſi A falſum quidem eſt, non tamen impoſſibile***, veluti ſi antecedens ſit falſum non tamen impoſſibile, ***Cum autem ſit A, & B eſt***, & cū ſit A, ſequitur eſſe B, ***& B erit falſum quidem, non tamen impoſſibile***, ſequitur quod B conſequēs erit falſum, non tamen impoſſibile, ***nam oſtenſum eſt, quòd cum eſt A, eſt B***. Iam enim demonſtratū eſt, quòd cum eſt A, eſt B, ***& cum poſſibile eſt A, poſſibile eſt B***: & quod A, poſſibili exiſtente, etiam B poſſibile erit. ***Poſitum autem eſt A poſſibile eſſe***, & poſitum eſt, quòd A ſit poſſibile, ***& B erit poſſibile***. Sequitur itaque quòd etiam B conſequens ad illud ſit poſſibile. ***Si enim impoſſibile eſt B***, quoniā ſi detur oppoſitum, quòd B conſequens ſit impoſſibile. ***Simul idem erit poſſibile, & impoſſibile.*** Sequitur quòd ſimul idem erit poſſibile, & idem impoſſibile.

Sequitur textus.

Determinatis autem iis, inſit A omni B; B autem contingat omni C, neceſſe eſt A igitur contingere omni C ineſſe; non enim contingat, B autem omni C, ponatur ineſſe; hoc autem falſum quidem, non tamen impoſſibile: ſi ergo A quidem non contingit omni C, B autem omni C inſit, A non omni B contingit: Fit enim ſyllogiſmus per tertiam figuram: ſed poſitum erat omni C cōtingere ineſse. Neceſse eſt ergo A omni C contingere; falſo enim poſito, & non impoſſibili, quod accidit eſt impoſſibile.

Incipit declarare coniugationem cōſtantem ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti maiori exiſtente de ineſſe; & in primis ponit coniugationem conſtantem ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis tali pacto formatum.

Omne B eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Omne C eſſe A.

A Quam concluſionem demonſtrat tali pacto, quòd ſi eam negabimus, dabimus contradictoriam.

Non contingens eſt, Omne C eſſe A.

Quæ æquipollet huic,

Neceſſe eſt, Aliquod C non eſſe A.

Cui ſi addatur minor, quæ eſt de contingenti ineſſe poſito, quod fieri poteſt, quoniam etſi falſa, non tamen impoſſibilis, & cōiungas has duas propoſitiones ſic:

Neceſſe eſt, Aliquod C non eſſe A.
B Omne C eſt B.

Ex his duabus propoſitionibus mixtis & vna de ineſſe, minori ſcilicet affirmatiua vniuerſali, & altera neceſſaria, nempe maiori negatiua particulari; ſequetur in quinta coniugatione tertiæ figuræ.

Concluſio particularis negatiua,
Non omne B eſt A.

Contra ſuppoſitum in maiori prioris ſyllogiſmi, vbi poſitum fuit, quòd omne B eſt A. & ſic idem eidem omni & non omni inerit, quod C eſt impoſſibile, & hoc impoſſibile ſequitur ex præmiſſa poſſibili, licet falſa omne C eſt B; ergo contra datum ſuperius, quoniam ex poſſibili, poſſibile, non impoſſibile ſequi debet; ſed hoc accidit, quia ſupponebatur oppoſitum concluſionis ſcilicet, non cōtingens eſt omne C eſſe A: igitur falſa hæc ſuppoſitio, & concluſio poſita vera, nempe cōtingens eſt, omne C eſſe A, quod eſt demonſtrandum. Inquit itaque: ***Determinatis autem iis***. His præmiſſis dicamus de mixtis coniugationibus de ineſſe, & contingenti maio- D ri exiſtente de ineſſe; & primum de coniugatione conſtante ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis. ***Inſit A omni B***. Maior propoſitio ſit de ineſſe vniuerſalis affirmatiua, ita vt A maior extremitas, inſit omni B medio, veluti omne B eſt A. ***B autem contingat omni C***, & minor propoſitio ſit affirmatiua vniuerſalis de contingenti, ita vt B medium contingat omni C minori extremitati, & ſit contingens eſt, omne C eſſe B, neceſsario ſequitur cōcluſio vniuerſalis affirmatiue de con- E tingenti ex his præmiſſis. ***Neceſſe eſt A igitur contingere omni C ineſſe***. Neceſse eſt A omni C contingere in concluſione, nempe contingens eſt omne C eſse A, quæ concluſio demonſtratur. ***Non enim contingat***, quia ſi negabitur hæc concluſio, & detur eius oppoſita non contingens eſt omne C eſse A. ***B autem omni C ponatur ineſſe***. Et ei addatur minor, quæ erat de contingenti, ſed poſſibili ineſse omne C eſt B. ***Hoc autem falſum quidem, nō tamen impoſſibile***, quod quidem falſum eſt, ſed non eſt impoſſibile, quia contingens. ***Si*** F ***ergo A quidem non contingit omni C, B autem omni C inſit***. Ex his duabus ſic ſumptis propoſitionibus, non contingens eſt omne C eſſe A, quę huic neceſsariæ negatiuæ particulari ęquipollet. Neceſse eſt, Aliquod C non eſse A, & ex hac Omne C eſt B. ***A non omni B contingit***. Sequitur quòd A non contingit omni B ineſse; ita vt fiat

conclu-

concluſio particularis negatiua in quinta coniu-
gatione tertiæ figuræ de ineſse B. Non omne B
eſt A. Quod innuit quandò ſequitur: *Fit enim ſyllo-
giſmus per tertiam figuram*: & ſic ſequitur oppoſi-
tum concluſionis idem eidem omni, & non om
ni ineſse, quod eſt impoſſibile: *Sed poſitum erat
omni C contingere ineſſe*. Sed præmiſsa, nempe mi-
nor poſita erat poſſibilis contingens eſt omne C
eſse B, ad actum ſuppoſita omne C eſt B, *Neceſſe
eſt ergo A omni C contingere*, ergo vera erat con-
cluſio prima in priori ſyllogiſmo, contingens eſt
omne C eſse A, quæ eſt poſſibilis, quoniam ex
oppoſita & præmiſsa minori falſa poſſibili ta-
men, ſequitur impoſſibile contra datum ſupe-
rius. Et hinc addit: *Falſo enim, poſito & non im-
poſſibili, quod accidit eſt impoſſibile*, dato ſcilicet
oppoſito concluſionis, ſequitur oppoſitum ma-
ioris datæ in priori ſyllogiſmo, quod eſt falſum
& impoſſibile: & cum in minori, quæ fuit de cō-
tingenti non fuerit poſitum niſi falſum, & poſſi
bile, & poſſibile non debeat ſequi impoſſibile;
ideo hoc eſt inconueniens, quòd cum eueniat,
quia ponitur contradictoria concluſionis: ita-
que ea erit falſa, & concluſio poſita contingens
eſt omne C eſse A, erit vera; quod proban-
dum erat.

Poſſibile eſt autem & primam fi-
guram facere impoſsibile, ponentes
B ineſse C; nam ſi B omni C ineſt; A
autem omni B contingit, & omni C
continget A, ſed poſitum erat non
omni poſſibile ineſse.

Demonſtrat alio modo Ariſtoteles conclu-
ſionem ſuprapoſitam cōtingens eſt omne C eſse
A ſequi ex poſita coniugatione, omne B eſt A,
contingens eſt omne C eſse B, quod ſcilicet non
ſolum ſequeretur impoſſibile in tertia figura, da
to oppoſito illius cōcluſionis, ſed inſuper in pri-
ma figura, conuerſis præmiſſis minori de contin
genti in maiorem de ineſse, & maiori de ineſse
in minorem de contingenti tali pacto:

Contingens eſt, Omne B eſse A.
Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Omne C eſse A.

Sed prius fuit ſuppoſitum, non contingens
eſt omne C eſſe A: ergo idem eidem omni, & nō
omni inerit, quod eſt impoſſibile, Dicamus er-
go. *Poſſibile eſt autem & primam figuram facere
impoſſibile*. Quod impoſſibile ſequatur dato op-
poſito concluſionis prænarratæ poteſt etiam
oſtendi per primam figuram, *Ponentes B ineſſe C*,
ponentes minorem de contingenti mutatam in
propoſitionem de ineſſe, veluti omne C eſt B, &
maiorem de ineſſe cōuerſam in propoſitionem
de contingenti, ſcilicet contingens omne B eſ-
ſe A. *Nam ſi B omni C ineſt, A autem omni B con-
tingit*. Nam ſi omne B contingit eſſe A, & om-

A ne C eſt B; *& omni C continget B*, ſequetur hæc
concluſio cōtingens eſt omne C eſſe A. *Sed poſi-
tum erat non omni poſſibile ineſſe*, ſed in oppoſito
concluſionis prioris ſyllogiſmi ſuppoſitum erat
non contingens eſt omne C eſſe A: quapropter
datet idem omni & non omni contingere ineſ-
ſe, quod eſt impoſſibile.

Oportet autem accipere omni in-
eſſe non ſecundum tempus determi-
B nantes, vt nunc, aut in hoc tempore,
ſed ſimpliciter (per huiuſmodi enim
propoſitiones, & ſyllogiſmos faci-
mus) quoniam ſecundum nunc ſum-
pta propoſitione non erit ſyllogiſ-
mus: nihil enim fortaſſe prohibet quá
doque & omni mouenti hominem
ineſſe, vt ſi nihil aliud moueatur: mo-
C uens autem contingit omni equo, ſed
homo nulli equo contingit. Amplius
ſit primum quidem animal, medium
verò mouens, poſtremum verò ho-
mo. ergo propoſitiones quidem ſimi-
liter ſe habebunt; concluſio verò erit
neceſſaria non contingens; ex neceſ-
ſitate enim homo eſt animal. Maniſe-
D ſtum igitur quòd vniuerſale ſumen-
dum ſimpliciter, & non tempore de-
terminantes.

Cum ſuperius maniſeſtauerit Philoſophus,
quomodo accipiat poſſibile in mixtis ſyllogiſ-
mis ex propoſitionibus de ineſſe, & contingen-
ti patefacit in preſēti, quomodo accipiat propo
ſitionem de ineſse, & inquit, quòd quādo ponit
vniuerſalem affirmatiuam de ineſse, omne B eſt
E A, non dicit omni ineſse, vt nunc, & in hoc præ-
finito, & determinato tempore, ſed ſimpliciter
ſemper: propterea quòd coniugatio fieret aſyl-
logiſtica, quoniam ex maiori de ineſse, & mino-
ri de contingenti ſequeretur cōcluſio vniuerſa-
lis neceſsaria tum affirmatiua, tum negatiua.
Termini, in quibus oſtendit ſequi concluſionem
negatiuam, ſunt homo maior extremitas, mo-
uens medium, minor extremitas equus, ſic:

Omne quod mouetur eſt ho-
mo.
F Contingens eſt, Omnem equum moueri, er-
go ſequitur
De neceſſitate, Nullus equus eſt homo.

Termini autem, in quibus oſtendit ſequi con
cluſionem affirmatiuam, ſunt Animal maior ex-
tremitas, Mouens medium, & Homo minor ex-
tremitas, ſic:

	Omne quod mouetur eſt animal. A
Contingens eſt,	Omnem hominem moueri, ergo
De neceſſitate,	Omnis homo eſt animal.

Ex quibus ſatis manifeſte conſtat, quòd ſi accipiatur propoſitio de ineſse vt nunc, nulla ſequitur concluſio de contingenti ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, cum ſequatur neceſsaria affirmatiua, & neceſsaria negatiua, & ſic eſset inutilis coniugatio. Inquit ergo: *Oportet autem accipere omni ineſſe;* in mixtione propoſitionum de ineſ- B ſe, & de contingenti accipiendũ eſt ineſse, *Non ſecundum tempus determinantes, vt nunc, aut in hoc tempore, ſed ſimpliciter*. Quod non determinetur ſecundum hoc tempus præfinitum, vt in hoc tempore, ſed ſimpliciter inſit & ſemper. *Per huiuſmodi enim propoſitiones, & ſyllogiſmos facimus:* quoniam per huiuſmodi propoſitiones, quæ ſunt de ineſse ſimpliciter conſtituimus mixtos ſyllogiſmos de ineſse, & de contingenti, *quoniam ſecundum nunc ſumpta propoſitione, non erit ſyllogiſmus:* quoniam ſi ſumatur maior dicta in hac mix- C tione de ineſse vt nunc inutilis erit ratiocinatio, quod oſtendit in terminis, in quibus manifeſtat concluſionem cõtingentem minime ſequi, ſed aut negatiuam, aut affirmatiuam de neceſsario. *Nihil enim fortaſſe prohibet quandoque & omni mouenti hominem ineſſe, vt ſi nihil aliud moueatur.* Termini, in quibus ſequitur affirmatiua de neceſsario, ſunt Homo, Mouens, Equus: ponatur maior de ineſse, vt nunc talis, ſuppoſito quòd nihil aliud moueatur quàm homo, omne quod mo- D uetur eſt homo. *Mouens autem contingit omni equo,* & minor ſit, cõtingens eſt omnem equum moueri. *Sed homo nulli equo contingit,* tamen non ſequitur contingens eſt omnem equum eſse hominem; quinimo de neceſſitate nullum equum eſse hominem. *Amplius,* Inſuper ex eadem diſpoſitione propoſitionum ſequitur concluſio affirmatiua neceſsaria in his alijs terminis. *Sit primum quidem animal,* poſitum pro maiori extremo animal, *Medium verò mouens,* & mouens loco medij, *Poſtremum verò homo,* & homo loco E minoris extremi. *Ergo propoſitiones quidem ſimiliter ſe habebunt.* Sic enim propoſitiones pariter ſe habebunt in modo & figura. *Concluſio verò erit neceſſaria, non contingens.* Concluſio verò non ſequitur de contingenti, ſed neceſsaria. *Ex neceſſitate enim homo eſt animal.* Ex propoſitionibus namque ſic diſpoſitis, ſcilicet omne quod mouetur eſt animal, contingens eſt omnem hominem eſse mouentem, ſequitur concluſio affirmatiua vniuerſalis neceſsaria, de neceſſitate omnis homo eſt animal. *Manifeſtum igitur quòd vniuerſa- F le ſumendum ſimpliciter & non tempore determinantes.* Cõcludit itaque quòd ex dictis patet ad hoc vt ſequatur vtilis ratiocinatio, quòd propoſitio de ineſse vniuerſalis accipi debet de ineſſe ſimpliciter, & ſemper, non de ineſse vt nunc, & in hoc tempore præfinito & determinato.

A Rurſum ſit priuatiua vniuerſalis propoſitio A, B, & ſumatur A quidem nulli B ineſſe, B autem contingat omni C ineſſe. His igitur poſitis neceſſe eſt A contingere nulli C ineſſe.

Explicata coniugatione conſtante ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis maiori exiſtente de ineſse, accedit ad declarationem alterius cõſtantis ex maiori vniuerſali negatiua de ineſse, B & minori vniuerſali affirmatiua contingenti concluſionem negatiuam de contingenti vniuerſalem concludentibus. Exponit exemplum in ſolitis elementis ſic:

CE		Nullum B eſt A.
LA	Contingens eſt,	Omne C eſt B, ergo
RENT	Contingens eſt,	Nullum C eſse A.

Et inquit: *Rurſũ ſit priuatiua propoſitio uniuerſalis A, B* ſit vlterius propoſitio maior vniuerſalis negatiua de ineſse, A, B, ſcilicet nullum B eſt A, quod dicit: *Et ſumatur A quidem nulli B ineſſe,* C ita quòd ſumatur in maiori A nulli B ineſse, *B autem contingat omni C ineſſe*. Minor verò ſit vniuerſalis affirmatiua de contingenti vt contingens eſt omne C eſse B. *His igitur poſitis,* ex terminis, & propoſitionibus ita diſpoſitis, *neceſſe eſt A contingere nulli C ineſſe,* ſequitur neceſſario per illationem conſequentiæ ſyllogiſticæ, contingens eſt nullum C eſse A.

Non enim contingat, B autem ponatur ineſſe C, ſicut prius. Neceſſe D eſt igitur A alicui B ineſſe: fit enim ſyllogiſmus per tertiam figuram. Hoc autem impoſſibile. quare contingit A nulli C, poſito enim falſo, & non impoſſibili, impoſſibile eſt quod accidit: hic ergo ſyllogiſmus non eſt contingentis ſecundum definitionem, ſed nulli ineſſe ex neceſſitate. Hæc eſt E contradictio factæ hypotheſis. Poſitum eſt enim ex neceſſitate A alicui C ineſſe: ſyllogiſmus autem per impoſſibile oppoſitæ eſt contradictionis.

Demonſtrat Philoſophus hanc concluſionẽ concluſam in ſuperiori coniugatione conſtante ex maiori de ineſse, & minori de contingenti, ſcilicet contingens eſt nullum C eſse A per ſyl- F logiſmum ad impoſſibile; quoniam ſi negabitur hæc concluſio, dabitur contradictoria, non contingens eſt nullum C eſse A, quæ æquipollet alteri,

Neceſse eſt, Aliquod C eſse A.

Cui ſi addatur minor poſita de cõtingenti in eam de ineſse mutata; quod fieri licet, nempe

Omne C eſt B.

Seque-

Sequetur in tertia coniugatione tertiæ figuræ A ſequens concluſio,

Neceſse eſt, Aliquod B eſse A.

Quæ erit contradictoria ſuppoſitioni exiſtenti in maiori propoſitione,

Nullum B eſt A.

Et ſic idem & alicui, & nulli inerit, quod eſt impoſſibile, quod ſequitur ex minori ineſse mutata, quę licet ſit falſa, tamē eſt poſſibilis: ſed hoc euenit, quia ponebatur oppoſitum concluſionis: ergo ad falſum, & concluſio vera, nempe contingens eſt nullum C eſse A, quod erat probādum: B quam concluſionem determinat non eſse contingentis ſuperius definiti, ſed communiter accepti ad neceſsarium, & non neceſsarium, quod ex eo tale apparet: quoniam cum per ſyllogiſmum ad impoſſibile demonſtramus, probamus oppoſitam propoſitionem ſuppoſitioni, ex qua impoſſibile ſecutum eſt, veram eſse. Hinc cum ſuppoſitio concluſioni contradictoria, non contingens eſt nullum C eſse A, talis ſit contingentis communiter cum æquipolleat illi neceſse eſt aliquod C eſse A: propterea inquit, quòd contingens hic poſitum non ſumitur prout in præcedenti fuit definitum, ſed æquiuoce, & prout communiter ſe habet ad neceſsarium & non neceſsarium, & quatenus contra diſtinguitur ab impoſſibili.

Dicit enim cōcluſio dicta probatur. *Non enim contingat*, ſi negabitur eā concluſio contingens eſt nullum C eſse A, dabitur oppoſitum, non contingens eſt nullū C eſse A, quæ propoſitio æquiualet alteri neceſse eſt aliquod C eſse A. *B autem ponatur in eſse C ſicut prius*, cui ſi addatur minor, hæc de ineſse quæ erat de contingenti, Omne C eſt B, vt in præcedenti, & fiat ſyllogiſmus in tertia coniugatione tertiæ figuræ, vbi ex maiori particulari affirmatiua de neceſsario, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſse, ſequitur concluſio particularis de neceſsario. *Neceſse eſt igitur A alicui B ineſse*, ex præmiſſis propoſitionibus infertur hæc concluſio neceſse eſt aliquod B eſse A quæ opponitur maiori propoſitioni ſuppoſitę nullum B eſt A. *Fit enim ſyllogiſmus per tertiam figuram*. Et hoc ſequitur, quia fit ratiocinatio in tertia coniugatione tertię figuræ, quæ ex dictis pro poſitionibus dictam concluſionem per neceſſitatem conſequentiæ ſyllogiſticæ habet inferre. *Hoc autem impoſſibile*. At iſtud eſt impoſſibile, quia idem nulli & alicui ineſset, & ſic contradictoriæ eſsent ſimul veræ. *Quare contingit A nulli C*. Quapropter concluſio poſita vera erit contingens eſt, nullum C eſse A, cum ex oppoſita ipſius impoſſibile detur: *poſito enim falſo, & non impoſſibili, impoſſibile eſt quod accidit*. Ex minori enim de ineſse poſita poſſibili licet falſa, falſum & impoſſibile ſequitur, quod ſcilicet contradictoriæ ſint ſimul veræ, quod non contingit ſicuti in antehabitis eſt oſteſum in præmiſſo theoremate. *Hic ergo ſyllogiſmus non eſt contingentis ſecundum definitionem*. Verùm hic ſyllogiſmus non concludit concluſionem de contingenti ſecundum ſuperius datam contingentis definitionem; *ſed nulli ineſſe ex neceſſitate*; ſed contingentis communiter accepti quod æquiuoce etiā dicitur de neceſsario, quod oſtendit, *Hæc eſt contradictio factæ hypotheſis*, quia hæc concluſio eſt contradictoria ſuppoſitionis datæ. *Poſitum eſt enim ex neceſſitate A alicui C ineſſe*: quoniam ſuppoſitio erat non cōtingens eſt nullum C eſse A, quæ æquipollet huic neceſse eſt aliquod C eſse A. *Syllogiſmus autem per impoſſibile oppoſitæ eſt contradictionis*, quia ſyllogiſmus ad impoſſibile eſt oppoſitæ contradictionis, ex oppoſito namque concluſionis, & minore poſita ineſse ſyllogizat oppoſitum maioris in tertia coniugatione tertiæ figuræ, vt poſitum eſt.

Amplius autem & ex terminis manifeſtum, quod non erit concluſio contingens: ſit enim A quidem coruus, in quo autē B intelligens, in quo C autem C homo. Nulli ergo B ineſt A; nam nullum intelligens, coruus: B autem contingit omni C: omni enim homini ineſt intelligere, ſed A ex neceſſitate nulli C. Non igitur concluſio contingens, ſed nec neceſſaria ſemper: ſit enim A quidem mouens, B autem ſcientia, in quo autem C homo, D ergo A quidē nulli B inerit, B autem omni C contingit, & non erit concluſio neceſſaria: non enim neceſſe eſt nullum hominem moueri, ſed neceſſe eſt aliquem: manifeſtū igitur, quod eſt concluſio eius, quòd eſt nulli ex neceſſitate ineſſe, ſumēdum autem melius terminos.

E Cum dixerit, quòd proxima concluſio contingentis, non eſt contingentis definiti, ſed communiter accepti ad neceſsarium, & non neceſſarium, & id oſtenderit, ex quo ſuppoſitio contradictoria concluſionis eſt contingentis talis, nunc proſequitur hoc clarius manifeſtare, & demonſtrat ex huiuſcemodi diſpoſitione præmiſſarum, maiori ſcilicet priuatiua vniuerſali de ineſse, & minori affirmatiua vniuerſali de contingenti in prima figura, ſequi concluſionem neceſſariam, & etiam concluſionem non neceſſa- F riam, ex quibus apertè patebit, cōcluſionem dictam in coniugatione poſita extitiſse contingentis impropriè, & communiter accepti.

Termini, in quibus ſequitur concluſio contingentis neceſsarij ſunt, coruus pro maiori extremo, intelligens pro medio, homo pro minori extremo ſic:

Nullus

Nullus intelligens eſt coruus.

Contingens eſt, Omnem hominem eſse intelligentem, ergo

Contingens neceſsarium eſt, Nullum hominē eſse coruum.

Termini verò in quibus ſequitur concluſio contingentis non neceſsarij, ſunt Scientia, pro maiori extremo, Mouens pro medio, Homo pro minori extremo ſic:

Nulla ſcientia mouetur.

Contingens eſt, Omnem hominem eſse ſcientem, ergo

B

Contingens non neceſsarium eſt, Nullum hominem moueri.

Inquit ergo: *Amplius autem & ex terminis manifeſtum, quod non erit concluſio contingens*. Inſuper quòd concluſio, quæ ſequitur ex poſita coniugatione non ſit contingentis definiti conſtabit in terminis diuerſis, ex quibus aliquando ſequitur neceſsarium, aliquando nō neceſsarium. *Sit enim A quidem coruus*; ponantur namque ſic termini, quod A maior extremitas ſit coruus. *In quo autem B intelligens*. B autem medium ſit intelligens. *In quo autem C homo*, & C minor extremitas ſit homo, ex his terminis conſtat, *nulli ergo B ineſt A*, quod Maior propoſitio erit nullum B eſt A, quia nullus intelligens eſt coruus. *B autem contingit omni C*. Et minor propoſitio extabit contingens eſt omne C eſse B, *Omni enim homini ineſt intelligere*: quoniam contingens eſt omnem hominem eſse intelligentem, *ſed A ex neceſſitate nulli C*: ex quibus ſequitur concluſio neceſsaria nullum C eſt A, quia nullus homo eſt coruus de neceſſitate. *Non igitur concluſio contingens*: Quapropter in his terminis conſtat, quòd non ſequitur concluſio merè contingentis, ſed contingentis neceſsarij, quoniam neceſsarium æquiuocè dicitur contingens. Subdit poſtea terminos, in quibus ſequitur contingens non neceſsarium, quādo inquit: *Sed non neceſſaria ſēper*. Verùm non ſemper ſequitur concluſio de contingenti neceſſario. *Sit enim A quidē mouens*. Ponantur enim hi termini, quod A maior extremitas ſit mouens: *B autem ſcientia*, B autem mediū ſit ſcientia: *in quo autem C homo*. C verò minor extremitas ſit homo. *Ergo A quidem nulli B inerit*. Ex his itaque terminis fiet maior propoſitio nullum B eſt A, quia nulla ſcientia mouetur. *B autem omni C contingit*. Minor verò propoſitio extabit contingēs eſt omne C eſse B, quia contingens eſt omnem hominem eſse ſcientem; *& non erit concluſio neceſſaria*. Ex quibus præmiſſis non infertur concluſio neceſsaria, de neceſſitate nullum C eſt B? *Non enim neceſſe eſt nullum hominem moueri, ſed neceſſe eſt aliquem*, quoniam nō contingit de neceſſitate nullum hominem moueri: quapropter hæc concluſio erit de contingenti non neceſsario, quæ & in oppoſitum, & in particularem conuertitur. Ex quibus inſuper colligit in his verbis. *Manifeſtum igitur quod eſt concluſio eius, quod eſt nulli ex neceſſitate ineſſe*. Quod ſcilicet ex dictis manifeſte conſtat, quòd concluſio proxime dicta non eſt contingentis definiti, ſed communiter accepti. *Sumendum autem melius terminos*.

A

Notandum, quòd Ariſtoteles ideo addidit hæc vltima verba contextus, quòd termini meliores ſunt accipiendi, quia poſtremum exemplum poſuit in terminis de ineſse vt nūc, & medium variatur per abſtractum, & cōcretam: proinde ſi quis cupiat aptiores terminos, ſumantur, deambulans, alteratum, animal, & formetur ex his coniugatio talis.

Nullum alteratum eſt ambulans.

Contingens eſt, Omne animal eſse alteratū, ergo

Contingens non neceſsarium eſt, Nullum animal eſse ambulans.

Sequitur textus.

Si autem priuatiuum ponatur ad minorem extremitatem contingere ſignificant, ex ipſis quidem ſumptis

C

propoſitionibus nullus erit ſyllogiſmus. Conuerſa autem ſecundum contingens propoſitione, erit quemadmodum in prioribus. Inſit enim A omni B. B autem contingat nulli C. Sic ergo habentibus ſe terminis, nihil erit neceſſarium. Si autem conuertatur B, C, & ſumatur B contingere omni

D

ni C, fiet ſyllogiſmus, quemadmodum prius. Similiter enim habent ſe termini in poſitione. Eodem autem modo, & cum priuatiua ſunt vtraque interualla; ſi A. B quidem non ineſſe, B, C autem nulli cōtingere ſignificat, nam per ea quidem, quæ ſumpta ſunt nullo modo fit neceſſarium. Conuerſa

E

autem ſecundum contingens propoſitione erit ſyllogiſmus. Sumatur enim A quidem nulli B ineſſe, B autem contingere nulli C. Per hæc quidem nihil neceſſarium. Si autem ſumatur B omni C contingere, quòd uerum eſt; A B autem propoſitio ſimiliter ſe habeat, rurſus erit idem ſyllo-

F

giſmus.

Vbi expoſuerit Ariſtoteles omnes coniugationes vniuerſalium ſyllogiſmorum conſtantium ex minori affirmatiua propoſitione, & maiori vel affirmatiua, vel negatiua tum eas, in quibus maior exiſtit de contingenti, & minor de ineſse, tùm è contrario ſe habentes.

In

In præſenti docet earum coniugationum, in quibus minor fuerit negatiua de contingenti nullam vtilem effici ratiocinationem per ſe, niſi per conuerſionem.

Et primo ponit eam coniugationem, quę conſtat ex maiori de ineſſe affirmatiua, & minori de contingenti negatiua, eamq; demonſtrat per ſe inutilem, ſic ſumptis & diſpoſitis elementis,

Omne B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Ex hac cõiugatione nulla vtilis ratiocinatio ſequitur, quod ſi minor conuertatur, & tranſmutetur in affirmatiuam,

Contingens eſt, Omne C eſſe B.

Tunc temporis ſequitur vt etiam in præcedentibus fuit demonſtratum hæc concluſio contingens eſt omne C eſſe A.

Deinde tradit exemplum illius coniugationis, quæ habet maiorem de ineſſe negatiuam, & minorem de contingenti negatiuam, quam pariter inutilem manifeſtat tali pacto:

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Ex tali coniugatione nulla ſequitur concluſio, ex quo minor in prima figura non poteſt eſſe negatiua. Quod ſi minor conuertatur, & tranſmutetur in affirmatiuam,

Contingens eſt, Omne C eſſe B.

Sequitur ratiocinatio vtilis, & infertur concluſio talis, quæ neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ procedit, ſcilicet contingens eſt nullum C eſſe A, vti quoque in ſuperioribus cõſtitit. Dicit igitur: *Si autem priuatiuum ponatur ad minorem extremitatem contingere ſignificans*. Si priuatiuum vniuerſale ponatur ad minorem extremitatem, & ſit de contingenti, ita quòd minor propoſitio ſit vniuerſalis negatiua de modo contingenti, maiori vniuerſali exiſtente de ineſſe affirmatiua. *Ex ipſis quidem ſumptis propoſitionibus, nullus erit ſyllogiſmus* Ex ipſis ſic ſumptis propoſitionibus, & præmiſſis tali pacto diſpoſitis nulla concluſio ſequitur. *Conuerſa autem ſecundũ contingens propoſitione*. Quòd ſi minor, quæ eſt contingentis in oppoſitum ſecundum qualitatem tranſmutetur. *Erit quemadmodum in prioribus*. Sequitur vtilis ratiocinatio in prima coniugatione primæ figuræ, quemadmodum in præcedentibus habitum eſt, declarat exemplo. *Inſit enim A omni B*. Sit namque maior propoſitio de ineſſe vniuerſalis affirmatiua, omne B eſt A. *B autem contingat nulli C*, & minor propoſitio ſit vniuerſalis negatiua de contingenti, contingens eſt nullum C eſſe B. *Sic ergo habentibus ſe terminis nihil erit neceſſarium*. Sic igitur diſpoſitis terminis & præmiſſis nulla concluſio ſequitur de neceſſitate ſyllogiſtica. *Si autem conuertatur B, C*: quod ſi ad oppoſitam qualitatem minor conuertatur quæ eſt, contingens eſt nullum C eſſe B, *& ſumatur B contingere omni C*, & ea in hanc conuertitur contingens eſt omne C eſſe B, *fiet ſyllogiſmus quemadmodũ prius*. Sequitur ratiocinatio in prima cõiugatione primæ figuræ. *Similiter enim*
A *habent ſe termini in poſitione*, quia conſimiles termini ſunt diſpoſiti vt in ea, quòd ſcilicet maior eſt de ineſſe affirmatiua, & minor de contingenti affirmatiua. *Eodem autem modo, & cum priuatiua ſunt vtraque interualla*. Pariter alia cõiugatio, in qua ambæ propoſitiones ſunt negatiuæ, ſicuti *ſi A, B quidem non ineſſe*, ſi A dicatur vniuerſaliter non ineſſe B, ita vt maior ſit vniuerſalis negatiua de ineſſe, nullum B eſt A. *B, C autem nulli contingere ſignificat*. B autem dicatur vniuerſaliter contingere non ineſſe C, ita quòd minor ſit
B de contingenti vniuerſalis negatiua, contingẽs eſt nullum C eſſe B. Hæc inquam coniugatio eſt inutilis. *Nam per ea quidem quæ ſumpta ſunt, nullo modo fit neceſſarium*: propterea quod per ea, quæ ſumpta ſunt in terminis, & propoſitionibus ſic acceptis nulla fit ratiocinatio, quoniam nulla ſequitur concluſio neceſſitate ſyllogiſtica. *Conuerſa autem ſecundum contingens propoſitione erit ſyllogiſmus*, quòd ſi conuertatur minor propoſitio, quæ eſt de contingenti ſecundum oppoſitum fit ratiocinatio vtilis in ſecunda coniuga-
C tione primæ figuræ, quod declarat exemplo. *Sumatur enim A quidem nulli B ineſſe*. Si enim ſumatur in maiori propoſitione, quòd nullũ B ſit A, ita quòd ſit vniuerſalis negatiua de ineſſe. *B autem contingere nulli C*. Et in minori ſumatur B contingere nulli C, & ſit propoſitio vniuerſalis negatiua de modo contingenti, contingens eſt nullum C eſſe B. *Per hæc quidem nihil neceſſarium*. Per hæc quidem ſic ſumpta nulla concluſio ſequitur neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. *Si autem ſumatur B omni C contingere*. Quod ſi
D ſumatur minor conuerſa in oppoſitam qualitatem, contingens eſt omne C eſſe B: *quod verum eſt*. Quæ conuerſio fieri poteſt, cum minor in terminis contingentibus ſumenda ſit. *A, B autem propoſitio ſimiliter ſe habeat*, & maior propoſitio omne B eſt A ſic fuerit diſpoſita, vti in præcedentibus. *Rurſus erit idem ſyllogiſmus*: eo caſu efficietur iterum ſecunda coniugatio ſecundæ figuræ.

Si autem non ineſſe ponatur B om-
E ni C, & non contingere non ineſſe, non erit ſyllogiſmus vllo modo, ſiue priuatiua ſit, ſiue affirmatiua A, B propoſitio. Termini autem communes ex neceſſitate quidem ineſſe, Album, Animal, Nix: non contingit autem Album, Animal, Pix.

Cum explicauerit coniugationem conſtantem ex minori negatiua contingenti, & maiori de ineſſe, vel negatiua, vel affirmatiua, modo declarat coniugationem conſtantem ex minori negatiua de ineſſe, & maiori contingenti vel affirmatiua, vel negatiua, quas patefacit fore inutiles, quoniam non inferrunt concluſionem de contingenti, ſed omni & nulli ineſſe ex neceſſitate,

ſtate, quòd demonſtrat in terminis diuerſis.

Termini in quibus ſequitur omni ineſſe, ex neceſſitate ſunt album maior extremitas, animal medium, nix minor extremitas, ſic:

Contingens eſt, Omne vel nullum animal eſſe album.

Nulla nix eſt animal, ergo
Omnis nix alba.

Quæ concluſio eſt neceſſaria non cõtingens. Termini vero, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt album maior extremitas, animal medium, pix minor extremitas in hunc modum:

Contingens eſt, Omne vel nullum animal eſſe album.

Nulla pix animal, ergo
Nulla pix alba.

Quæ concluſio eſt neceſſaria non contingẽs. Dicamus itaque: *Si autem non ineſſe ponatur B omni C.* Si minor propoſitio ſit de ineſſe, & vniuerſalis negatiua, veluti ſi dicatur nullum C eſt B. *& non contingere non ineſſe*: & non ſumatur minor, quod ſit negatiua vniuerſalis de contingenti, contingens eſt nullum C eſſe B, *non erit ſyllogiſmus vllo modo*, nullo modo fit ſyllogiſmus habens ſyllogiſticam conſequentiam de neceſſitate, *ſiue priuatiua, ſiue affirmatiua ſit A, B propoſitio*, ſiue maior propoſitio, quæ eſt B eſt A, ſit vniuerſalis negatiua, ſiue ſit vniuerſalis affirmatiua, quoniam quoquomodo ſe habeat, non ſequitur concluſio contingens, ſed inferri poteſt & omne, & nulli ex neceſſitate ineſſe. *Termini autem communes ex neceſſitate quidem ineſſe*. Termini communes, in quibus ſequitur concluſio ex neceſſitate ineſſe omni, ſiue maior ſit affirmatiua, ſiue negatiua, ſunt *Album, Animal, Nix*, Album pro maiori extremo, Animal pro medio, Nix pro minori extremo. *Non contingit autem, Album, Animal, Pix*. Termini autem communes, in quibus ſequitur nulli ineſſe ex neceſſitate ſunt, Albũ pro maiori extremo, Animal pro medio, Pix pro minori extremo: in his inquam diuerſis terminis conſtant, quòd non ſequitur concluſio contingens, ſiue non cõtingens, ſed omni ex neceſſitate ineſſe, vel nulli ex neceſſitate ineſſe: & propterea coniugationes ſunt inutiles.

Manifeſtum eſt igitur quòd cum vniuerſales ſunt termini, & hæc quidem propoſitionum ineſſe; illa verò ſumitur contingens, quando quæ ad minorem eſt extremitatem contingere ſumitur propoſitio, ſemper erit ſyllogiſmus; verumtamen quandoque ex ipſis, quandoque autem propoſitione conuerſa: quando verò vtrumque horum, & ob quam cauſam, diximus.

A Epilogat Ariſtoteles in præſenti hactenus ab eo declarata de vniuerſalibus ſyllogiſmis conſtantibus ex propoſitionibus de ineſſe, & contingentibus, minori exiſtente de cõtingenti, quòd ſcilicet quando ambæ præmiſſæ ſunt vniuerſales, & minor exiſtit de contingenti ex hac mixtione de contingenti, & ineſſe ſemper fit ſyllogiſmus; verùm quandoque per ſe vtilis fit, ſumptis ſcilicet propoſitionibus, quandoque autem per conuerſionem ad oppoſitam qualitatem. Ideo inquit: *Manifeſtum eſt igitur*. Conſtat ita-
B que ex dictis ſuperius de vniuerſalibus ſyllogiſmis minori exiſtente de contingenti. *Quòd cum vniuerſales ſunt termini*. Quòd ſi ambæ præmiſſæ ſint vniuerſales. *Et hæc quidem propoſitionũ ineſſe*. Et vna quidem præmiſſarum ſumitur de ineſſe. *Illa verò ſumitur contingens*, & altera de cõtingenti, ex hac mixtione præmiſſarum de ineſſe, & contingenti. *Quando quæ ad minorem eſt extremitatem contingere ſumitur propoſitio*. Si ea præmiſſarum, quæ eſt minor, ſit de contingenti; *ſemper fit ſyllogiſmus*, ſemper ſequitur ratiocinatio. *Ve-*
C *rumtamen quandoque ex ipſis*: ſed aliquando fit vtilis ratiocinatio per ſe, ex ipſis ſumptis propoſitionibus. *Quandoque autem propoſitione conuerſa*. Aliquãdo verò per conuerſionem minoris propoſitionis in oppoſitam qualitatem. *Quando verò vtrumque horum, & ob quam cauſam, diximus*. Quod quando fiat, & qua de cauſa dictum eſt.

Si autem hoc quidem vniuerſale, illud vero particulare ſumitur interuallorum,
D quando ad maiorem quidem extremitatem vniuerſale ponitur, & contingens ſiue negatiuum, ſiue affirmatiuum: particulare autem affirmatiuum, & ineſſe, erit ſyllogiſmus perfectus, quemadmodum & cum vniuerſales ſunt termini: demonſtratio autem eadem, quæ &
E prius.

Expleto ſermone de ambabus vniuerſalibus ex mixtione de ineſſe, & contingenti exiſtentibus, nunc aggreditur tractationem earum coniugationum habentium alteram præmiſſarum particularem, & exponit in primis eas coniugationes, quæ habent maiorem de contingenti, & alteram de ineſſe, quod ſcilicet minori exiſtente affirmatiua de ineſſe, & maiori affirmatiua, vel negatiua de contingenti, fit vtilis ratiocinatio de contingenti, & ſequitur concluſio contingẽs,
F ſicut fiebat etiam quando ambæ præmiſſæ erant vniuerſales ſimili modo diſpoſitæ & ordinatæ.

Exemplum primæ coniugationis particularis.

Contingens eſt, Omne B eſſe A.
Aliquod C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A.

Quæ

Quæ cõcluſio probatur per dictum de omni: nam ſi A omni B ineſſe contingit; ergo & omnibus partibus eius; ſed aliquod ipſorum C eſt pars ipſius B; ergo ſequitur etiam quòd A alicui eorum, quæ ſunt C contingat ineſſe.

Exemplũ alterius coniugationis particularis.

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
Aliquod C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe A.

Quæ concluſio pariter probatur per dictum de nullo, quoniam ſi A nulli B contingit ineſſe; ergo nec alicui parti ipſius, ſed aliquod eius, quod eſt C, eſt pars ipſius B. Itaque etiam A alicui eorum, quæ ſunt C, non ineſſe contingit. Dicit igitur: *Si autem hoc quidem vniuerſale, illud verò particulare ſumitur interuallorum*, hoc eſt in ſyllogiſmis particularibus, nempe in tertia, & quarta coniugatione primæ figuræ conſtantis ex tali mixtione propoſitionum de ineſſe, & contingenti vna propoſitione exiſtente vniuerſali, & altera particulari, *quando ad maiorem quidem extremitatem vniuerſale ponitur, & contingens*. Quando maior propoſitio eſt vniuerſalis & de contingenti, & minor de ineſſe, *ſiue negatiuum, ſiue affirmatiuum*, vel ſit maior de contingenti affirmatiua, ſicut in tertia coniugatione, vel negatiua, ſicuti in quarta, *Particulare autem ſit affirmatiuum, & ineſſe*, & minor de ineſſe ſit particularis affirmatiua in vtraque coniugatione, *erit ſyllogiſmus perfectus*, ſequitur ſemper vtilis ratiocinatio de contingenti per dictum de omni, & dictum de nullo; *quemadmodum & cum vniuerſales ſunt termini*, ſicuti etiã ſequitur perfecta ratiocinatio, quãdo ambo termini, & ambæ propoſitiones ſunt vniuerſales, ſicuti in ſuperioribus dictum eſt, *Demonſtratio autẽ eadem quæ & prius*. Cuius ſyllogiſmi particulariter concludentis perfectio demõſtratur per dictũ de omni, & dicto de nullo in contingenti, ſicuti & prius per eadem principia demonſtratum eſt in vniuerſalibus ſyllogiſmis.

Quãdo autem vniuerſale quidem fuerit ad maiorem extremitatem ineſſe, & non contingens. Alterum verò particulare & contingens, ſiue affirmatiuæ, ſiue negatiuæ ponãtur vtræque, ſiue hæc quidem negatiua, illa verò affirmatiua, omnino erit ſyllogiſmus imperfectus. Verùm hi quidem per impoſſibile oſtenduntur, illi verò per conuerſionem contingentis, quemadmodum in prioribus.

Explicatis coniugationibus particularibus, in quibus maior exiſtit de contingenti, & minor de ineſſe, nunc exponit coniugationes oppoſito modo ſe habentes, in quibus ſcilicet maior exiſtit de ineſſe, & minor de contingenti, & inquit, quòd ſi vniuerſalis propoſitio fuerit de ineſſe, & particularis propoſitio de contingenti,

A vel ſit vtraque affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel vna affirmatiua, & altera negatiua, omnes hæ coniugationes erunt per ſe imperfectæ; verùm aliquæ perficientur per impoſſibile, aliquæ etiam per conuerſionem, ſicuti & vniuerſales tali pacto ſe habentes dictum eſt in prioribus ad perfectionẽ reduci, & dicit: *Quando autem vniuerſale quidem fuerit ad maiorem extremitatem ineſſe, & non contingens*. Cum verò vniuerſalis propoſitio ſit de ineſſe, & non de contin-
B gẽti, *ſiue affirmatiuæ, ſiue negatiuæ ponantur vtræque*, vel ſint ambæ propoſitiones affirmatiuæ, ſcilicet maior & minor, vel ſint ambæ negatiuæ, *ſiue hæc quidẽ negatiua, illa verò affirmatiua*, ſiue vna propoſitio ponatur affirmatiua, & altera negatiua, *omnino erit ſyllogiſmus imperfectus*. In omnibus talibus coniugationibus ſequitur concluſio, & ratiocinatio imperfecta, quæ non demonſtratur per dictum de omni, & dictum de nullo in contingenti, etiam ſi ſequatur concluſio contingens. *Verùm hi quidem per impoſſibile oſtenduntur*:
C ſed quidam horum perficiuntur per impoſſibile: *illi verò per conuerſionem contingentis*: quidam verò perficiuntur per conuerſionem, ſecundum qualitatem oppoſitam, *quemadmodum in prioribus*: ſicut etiam fit in præcedentibus ſyllogiſmis vniuerſalibus.

Erit autem ſyllogiſmus per conuerſionem, & quando vniuerſalis quidem ad maiorem extremitatem poſi-
D ta ſignificauerit ineſſe, vel non ineſſe: particularis verò cum ſit priuatiua, ſumatur contingens, ut ſi A quidem omni B ineſt, vel non ineſt; B autem alicui contingit non ineſſe; conuerſa enim B, C, ſecundum contingere fit ſyllogiſmus.

Cum dixerit ſuperius, quòd minori exiſtente de contingenti negatiua, & maiori exiſtente de
E ineſſe fit ſyllogiſmus, modo quod id ipſum fieri poſſit, declarat, ex quo ſcilicet minor conuertatur in oppoſitum ſecundum qualitatem: negatiua enim de contingenti in affirmatiuam de contingenti mutatur; quapropter altera exiſtente particulari negatiua, ſi mutetur in particularem affirmatiuam, fiet perfectus ſyllogiſmus, quod manifeſtat exemplo in tertia, & quarta coniugatione particulari. Exemplum tertię.

Omne B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.
F Hæc minor negatiua cõuerſa in affirmatiuam,
Contingens eſt, Aliquod C eſſe B Sequitur in tertia coniugatione,
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A.

Exemplum quartæ.

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.

tmus, in quo concluſio ſequatur de contingenti, A quoniam ex præmiſſis ſecundum dictum modum & qualitatem ſumptis ſequitur concluſio neceſſaria, vel affirmatiua, vel negatiua, quod patefacit in terminis. Termini communes ad omnes has coniugationes, in quibus ſequitur concluſio affirmatiua de neceſſitate, sũt animal pro maiori extremo, album pro medio, homo pro minori extremo, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
Omnis homo eſt albus, ergo
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal. B

Termini autem communes, in quibus ſequitur concluſio negatiua de neceſſitate, ſunt animal loco maioris extremi, album loco medij, tunica loco minoris extremi, tali pacto:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
Omnis tunica eſt alba; ergo
De neceſſitate, Nulla tunica eſt animal, & ſic de alijs.

Dicit igitur. *Si autem vniuerſale quidem ponatur ad minorem extremitatem*. Si vniuerſalis propoſitio ſit minor altera præmiſſarum. C *Particulare autem ad maiorem*, & maior ſit particularis propoſitio, quæ eſt altera præmiſſarum, *ſiue priuatiuum, ſiue affirmatiuum*, vel ſit minor vniuerſalis affirmatiua, vel negatiua, *ſiue contingens, ſiue ineſſe vtrumuis*, ſiue de contingenti, ſiue de ineſſe, quodcũque quiſpiam voluerit, *nullo modo erit ſyllogiſmus*, nulla erit vtilis coniugatio, quoniam nulla ſequetur concluſio de contingenti. *Nec cum particulares, vel indefinitæ ponentur propoſitiones*. Pariter nullus erit ſyllogiſmus, quando ambæ præmiſſæ ſunt particulares, vel indefinitę, D *ſiue contingere ſumptæ, ſiue ineſſe*, ſiue ſumantur ambæ propoſitiones ſecundum contingere, ſiue ſumantur ambæ de ineſſe, *ſeu permutatim*, ſeu permixtim, ita quòd vna ſit particularis, & alia indefinita, *nec ſic erit ſyllogiſmus*, quoniam nec tali pacto fit vtilis ratiocinatio: ſed omnes hæ dictæ coniugationes erunt inutiles. *Demonſtratio autem eadem, quæ & in prioribus*. Hoc autem demõſtrat eodem modo ſicut & in pręcedentibus per inſtantiam ſcilicet terminorum. *Termini autem communes ineſſe quidē ex neceſſitate*. E Termini communes ad omnes has coniugationes, in quibus demõnſtratur ſequi cõcluſionem affirmatiuam neceſſariam, ſunt *Animal, Album, Homo*, animal pro maiori extremo, album pro medio, homo pro minori extremo, *non contingere verò*. Termini verò cõmunes, in omnibus, in quibus demonſtratur ſequi concluſionem negatiuam neceſſariã, ſunt *Animal, Album, Tunica*, animal pro maiori extremo, album pro medio, tunica pro minori extremo. F

Manifeſtum eſt igitur, quòd vniuerſali poſito ad maiorem extremitatem ſemper erit ſyllogiſmus, ad minorem autem nunquam.

In calce huius Capitis colligit conſtare ex dictis, quòd ſi maior ſit vniuerſalis vel affirmatiua, vel negatiua, ſemper ſyllogiſmi perfecti erunt in hac figura, ex quo perficientur per dici de omni, & dici de nullo in contingenti, & ſequitur concluſio concludens de contingenti in hac mixtione. At ſi minor fuerit negatiua vniuerſalis de ineſſe, nullus fit ſyllogiſmus, vt patet per declarata, quoniam nulla ſequitur concluſio contingens ſiue affirmatiua, ſiue negatiua.

Et hæc dicta ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite XIV. primi Priorum, ſcilicet de ſyllogiſmis ex vna abſoluta, & altera contingente in prima figura pro Iuris ſtudioſis.

QVatuor ſunt vtiles ſyllogiſmorũ coniugationes traditæ ab Ariſtotele in hoc capite ex mixtis propoſitionibus de ineſſe, & de contingenti conſtitutę, perfectæ per dici de omni, & dici de nullo, quarum vſus in Iure reperiri valet.

Prima coniugatio conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, concluſionem vniuerſalem affirmatiuam de contingenti concludentibus.

Secunda coniugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, concluſionem negatiuam vniuerſalem de contingenti concludentibus.

Tertia coniugatio conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de ineſſe particularem concluſionem de contingenti concludentibus.

Quarta coniugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de ineſſe, concluſionem particularem negatiuam de contingenti concludentibus.

De quibus omnibus coniugationibus poſuimus exempla in terminis Logicis in explicatione cõtextus. Ad præſens ſupereſt commemorare exempla deſumpta in corpore Iuris ciuilis.

Exemplum primæ coniugationis conſtat in his terminis, Caducitas pro maiori extremo, Legatum pro medio, Relictum in teſtamento pro minori extremo, ſic:

Contingens eſt, Omne legatum eſſe caducum.
Omne relictũ in teſtamento eſt legatum, ergo
Contingens eſt, Relictum in teſtamento eſſe caducum.

Deſu-

Deſumuntur termini in l. vnica. §. ſin autem. A C. de cad. tollend.

Exemplum ſecundæ coniugationis elicitur eodem loco ex ijſdem terminis.

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe caducum.

Omne relictum in teſtamento eſt legatum, ergo

Contingens eſt, Nullum relictum in teſtamento eſſe caducum.

Exemplum tertiæ coniugationis ponitur in his terminis, ſcilicet, ſi ſumatur Reuocatio pro B maiori extremo, Legatum pro medio, Diſpoſitio pro minori extremo, tali pacto:

Contingens eſt, Omne legatum reuocari.

Aliqua diſpoſitio eſt legatum, ergo

Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem reuocari.

Deſumitur in l. 3. §. fin. ff. de adimendis legatis.

Exemplum quartæ coniugationis ponitur in ijſdem terminis, ibidem deſumptis, ſic: C

Contingens eſt, Nullum legatum reuocari.

Aliqua diſpoſitio eſt legatum, ergo

Contingens eſt, Aliquam diſpoſitionem non reuocari.

Et hunc in modum habemus exempla in terminis legalibus harum omnium coniugationũ, de quibus ſatis ſuper hoc capite.

Mixtio Neceſſarij, & Contingentis, in prima figura. Cap. XV.

D

QVando autem hæc quidem propoſitionum ex neceſſitate ineſſe, vel nõ ineſſe, illa verò contingere ſignificat, ſyllogiſmus quidem erit hoc modo habentibus ſe terminis, & perfectus quando ad minorem extremitatem ponitur neceſſaria: cõcluſio autem ſi prædicatiui ſunt quidem termini contingentis, & non ineſſe erit, ſiue vniuerſaliter, ſiue non vniuerſaliter ponantur. Si autem ſint hoc quidem affirmatiuũ illud verò priuatiuum, quando affirmatiuum quidem fuerit neceſſarium, & contingentis erit cõcluſio, & non eius quod eſt non ineſſe; quando autem priuatiuum neceſſarium & contingentis non eſſe, & non ineſſe, ſiue vniuerſales, ſiue non vniuerſales ſint termini.

Declaratis vtilibus, & inutilibus coniugationibus mixtis ex propoſitionibus de ineſſe, & cõtingentibus in prima figura, vult pertractare vtiles & inutiles coniugationes copulatas ex mixtione propoſitionum de neceſſario & cõtingentium in eadem figura dicens in initio huius capitis, quòd ſi ita fuerint propoſitiones diſpoſitę, & ordinatæ, quòd vna ſit neceſſaria, & altera contingens, efficietur ſyllogiſmus: ſi vero minor fuerit de neceſſario, & maior de cõtingenti, ſyllogiſmus erit perfectus, & concluſio ſequetur de contingenti: verùm ſi ambæ propoſitiones fuerint affirmatiuæ, ſiue ſint vniuerſales, ſiue non ſint, concluſio erit contingens, quòd ſi vna pręmiſſarum ſit affirmatiua, & altera negatiua, ſi affirmatiua erit neceſſaria, & negatiua de contingenti, ſequitur duntaxat concluſio contingens negatiua: ſi autem è contrario, affirmatiua ſit de contingenti, & negatiua de neceſſario, non ſolum ſequitur concluſio cõtingens negatiua, ſed inſuper & negatiua de ineſſe, ſiue ſint ambę propoſitiones vniuerſales, ſiue non ſint. Dicit itaque: *Quando autem hæc quidem propoſitionum ex neceſſitate ineſſe, vel non ineſſe*. Quando vna propoſitionum fuerit de neceſſario ſiue affirmatiua, ſiue negatiua: *illa verò contingere ſignificat*, & altera propoſitionum fuerit de contingenti, *ſyllogiſmus quidem erit hoc modo ſe habentibus terminis*. ex tali diſpoſitione præmiſſarum, & ordinatione terminorum efficietur ſyllogiſmus. *Et perfectus quando ad minorem extremitatem ponetur neceſſaria*, & fiet ratiocinatio perfecta minori exiſtente de neceſſario, & maiori exiſtente de contingenti. *Concluſio autem ſi prædicatiui ſunt quidē termini contingentis & non ineſſe erit*: verùm ſi ambæ propoſitiones ſint affirmatiuę, concluſio erit cõtingens, non abſoluta de ineſſe, *ſiue vniuerſaliter, ſiue non vniuerſaliter ponantur*, ſiue ſint ambæ propoſitiones vniuerſales, ſiue nõ ſint ambę vniuerſales, ſed vna vniuerſalis, & altera particularis. *Si autē ſint hoc quidē affirmatiuum, illud verò priuatiuum*. Quod ſi vna præmiſſarum fuerit affirmatiua, & altera negatiua: *Quando affirmatiuum quidem fuerit neceſſarium*; ſi affirmatiua propoſitio erit de neceſſario, *& contingentis erit concluſio, & non eius quod eſt non ineſſe*, etiam concluſio erit contingens, non negatiua abſoluta. *Quando autem priuatiuum neceſſarium*. Si verò negatiua propoſitio erit neceſſaria, *& contingentis non eſſe, & non ineſſe*, ſequitur concluſio negatiua tum contingens, tum abſoluta; *ſiue vniuerſales, ſiue non vniuerſales ſint termini*, ſiue ſint ambæ propoſitiones de vniuerſa re, ſiue non ſint ambæ de vniuerſa re, ſed vna de vniuerſa re, & altera de parte.

E

F

Con-

Contingere autem in concluſione A eodem modo accipiendum eſt quo in prioribus. Eius autem quod eſt ex neceſſitate non ineſſe, non erit ſyllogiſmus: aliud enim eſt non ex neceſſitate ineſſe, & ex neceſſitate non ineſſe.

Cum poſuerit in dictis ſyllogiſmis, ex mixtione propoſitionum contingentium, & neceſſa- B riarum conſtitutis, quo ſupra modo diſpoſitis & ordinatis ſequi concluſionem de contingenti, modo quoniam multiplex eſt contingentis ſignificatum, idcirco exponit quòd nam in eis ſequitur contingens, & inquit, quòd idem contingens ſequitur in his ſyllogiſmis, ex tali mixtione conſtantibus, ac ſequitur in ſyllogiſmis conſtantibus, ex mixtione propoſitionū de ineſſe, & contingēti, quoniam in perfectis ſyllogiſmis ſequitur contingens determinatum, in reliquis verò aliud: nunquam verò concluſio ſequitur neceſſa C ria. Et quoniam quis dubitare poſſet, quòd concluſio ſequeretur neceſſaria; propterea quod ſuperius dictum fuit, quòd non ex neceſſitate ineſſe, idem eſt cum contingere: propterea occurrens huic ſuperuenienti dubitationi addit, quòd aliud eſt ipſum ex neceſſitate nō ineſſe, & ipſum non ex neceſſitate ineſſe, cum neceſſarium non ineſſe, nunquam vllo pacto ſignificet ineſſe, & hoc dicit hic Ariſtoteles non concludi: at nō ex neceſſitate ineſſe ſolum aliquo tempore ineſſe negatur, & non neceſſario, ſed contingenter. Inquit itaque: *Contingere autem in concluſione, eodem modo accipiendum eſt, quo in prioribus*. Contingere in concluſione, quod ſequitur in tali mixtione omnium dictarum coniugationum, accipi debet ſicut in præcedenti mixtione. *Eius autem quod eſt ex neceſſitate non ineſſe, non erit ſyllogiſmus.* At neceſsaria concluſio nunquam fiet in dictis ſyllogiſmis. *Aliud enim eſt non ex neceſſitate ineſſe, & ex neceſſitate non ineſſe.* Diſtinguuntur autem ad inuicem ipſum nō ex neceſſitate ineſse, in quo negatur modus, & affirmatur dictum, & ipſum ex neceſſitate non ineſse, in quo modus affirmatur, & dictum negatur. Sequitur textus.

Quod igitur vniuerſalibus affirmatiuis exiſtentibus terminis non fiat cōcluſio neceſſaria manifeſtum: inſit enim A omni B ex neceſſitate, B autem contingat omni C; erit igitur ſyllogiſmus imperfectus, quòd A contingit omni C ineſſe. Quod autem imperfectus ex demonſtratione palam; eodem enim modo oſtendetur, quo & in prioribus; rurſum A quidē cōtingat omni B ineſſe, B autē omni C inſit ex neceſſitate: erit itaque ſyllogiſmus, quòd A cōtingat omni C ineſſe, ſed non quod ineſt, & perfectus quidem, ſed non imperfectus; ſtatim enim perficitur per propoſitiones, quæ à principio.

Exorditur Philoſophus exponere mixtas cōiugationes copulatas ex propoſitionibus de neceſsario, & contingenti, & in primis ponit perfectam & imperfectam cōſtantes ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis: imperfecta cōſtat ex præmiſſis, quarum maior eſt de neceſsario, & minor de contingenti affirmatiuā de contingenti concluſionem vniuerſalem concludentes: perfecta verò conſtat ex propoſitionibus, quarum maior eſt affirmatiua vniuerſalis de contingenti, & minor affirmatiua vniuerſalis de neceſsario, affirmatiuam vniuerſalem concluſionem de contingenti concludentes. Exemplum primæ.

De neceſſitate, Omne B eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Omne C eſse A.

Quæ concluſio ideo dicitur imperfecta, quoniā non perficitur ex ſe per principia regulātia, ſyllogiſmum ſcilicet per dici de omni, & dici de nullo, ſed perficitur per impoſſibile tali pacto:

Quia ſi negabitur concluſio, dabitur contradictoria.

Non contingens eſt, Omne C eſse A, quæ æquipollet huic

D Neceſse eſt, Aliquod C non eſse A, cui ſi addatur minor prioris ſyllogiſmi in exiſtente conuerſa, ſcilicet Omne C eſt B.

Sequitur in quinta tertiæ hæc cōcluſio de ineſse Aliquod B non eſt A.

Contra maiorem prioris ſyllogiſmi, quæ inquit, Neceſse eſt, omne B eſse A.

Quod eſt impoſſibile; ſed hoc ſequitur ex eo quod datum eſt oppoſitū cōcluſionis; ergo illud falſum, & concluſio erat vera, nempe Contingēs eſt, Omne C eſse A, quòd erat probandum.

E Exemplū alterius cōiugationis, puta perfectæ.
Contingens eſt, Omne B eſse A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Omne C eſse A.

Qui ſyllogiſmus ideo dicitur perfectus, quoniam concluſio demonſtratur per principia poſita dici de omni, & dici de nullo; nāque ſi A omni B contingit; ergo etiam omnibus partibus ipſius B contingit ineſse, ſed C eſt pars ipſius B. Itaque etiam A omni C contingenter inerit. Dicit igitur: *Quod igitur vniuerſalibus affirmati-* F *uis exiſtentibus terminis*. Quod itaque quando ambo termini, & ambæ ſcilicet propoſitiones ſunt affirmatiuæ vniuerſales: *non fiat concluſio neceſſaria*, non ſequatur concluſio de neceſſario, *manifeſtum*, puta ex dicendis, & exemplo poſita maiori de neceſsario, & minori de contingenti. *Inſit enim A omni B ex neceſſitate*: ſit namque maior propoſitio neceſsaria vniuer-

alis, De neceſſitate, omne B eſt A. *B autem contingat omni C*, & minor propoſitio ſit vniuerſalis contingens, puta contingens eſt omne C eſse B, ex huiuſmodi diſpoſitione terminorum ſequitur, quòd *erit igitur ſyllogiſmus imperfectus*, concludens *quòd A contingit omni C ineſſe*, in quo ſyllogiſmo non ſequitur concluſio de neceſsario, ſed affirmatiua vniuerſalis de contingenti, videlicet cõtingens eſt omne C eſse A. *Quòd autem imperfectus ex demonſtratione palam.* Quòd autem hic ſyllogiſmus ſit imperfectus, eſt manifeſtum ex demonſtratione. *Eodem enim modo oſtendetur, quo & in prioribus.* Perficitur enim eodem modo quo & modi imperfecti in præcedenti mixtione perficiuntur, vt dictum eſt. *Rurſum A quidem contingat omni B ineſſe.* vlterius ſi maior propoſitio ſit affirmatiua vniuerſalis de contingenti, ſcilicet contingens eſt omne B eſse A: *B autem omni C inſit ex neceſſitate*, & minor ſit affirmatiua vniuerſalis de neceſsario, ſcilicet de neceſſitate, omne C eſt B. *Erit itaque ſyllogiſmus*, ex tali diſpoſitione præmiſsarum efficietur ſyllogiſmus concludens hanc concluſionem vniuerſalē affirmatiuam de contingenti, *quòd A contingat omni C ineſſe*, contingens eſt omne C eſse A: *ſed non quod ineſt*: non autem ſequitur concluſio de ineſse, *& perfectus quidem, ſed non imperfectus*. Et iſte ſyllogiſmus eſt perfectus, quoniam probatur per principia poſita, quod inquit; *Statim enim perficitur per propoſitiones, quæ à principio.* Demunſtrat inquam ex ſe immediate per principia propria regulantia ſyllogiſmum, nempe per dici de omni, & dici de nullo in prioribus declaratis. Sequitur textus.

Si autem non ſimilis figuræ ſint propoſitiones, ſit primum priuatiua neceſſaria, & A quidem nulli contingat B ex neceſſitate, B autem contingat omni C. Neceſſe eſt igitur A nulli C ineſſe: ponatur enim A ineſſe, aut omni, aut alicui; poſitum autem eſt A nulli contingere B; quoniam ergo conuertitur priuatiua, & B nulli A contingit; A autem poſitum eſt ineſſe C aut omni, aut alicui. Quare nulli, aut nõ omni C continget B ineſſe, ſed ſupponebatur omni ex principio. Manifeſtum autem quod & eius, quod eſt contingere non ineſſe, fit ſyllogiſmus; ſiquidē & eius quod eſt non ineſſe.

Vbi declarauerit Ariſtoteles Coniugationes copulatas ex ambabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis, nunc explicat eas, quæ copulantur ex propoſitionibus exiſtentibus diſſimilis

A figuræ, quæ ſcilicet copulantur ex vna negatiua, & altera affirmatiua, & docet, quòd ſi coniugationes copulentur ex maiori negatiua vniuerſali neceſsaria, & minori affirmatiua vniuerſali de cõtingenti, ſequitur concluſio negatiua vniuerſalis de ineſse, vti

Neceſsarium eſt, Nullum B eſse A.
Contingens eſt, Omne C eſse B, ergo
Nullum C eſt A.

Quoniam ſi negetur hæc concluſio, ſequitur aut eius cõtradictoria aliquod C eſſe A, aut eiuſ-
B dem contraria omne C eſt A: & quoniã vniuerſalis negatiua cõuertitur in terminis maiori propoſitione conuerſa efficietur propoſitio, De neceſſitate, nullum A eſt B, cui ſi addatur cõtraria, vel contradictoria ſuppoſitæ omne vel aliquod C eſt A, ſequitur de neceſſitate, nullum vel non omne C eſt B. Contra datũ in minori prioris ſyllogiſmi ſcilicet cõtingens eſt omne C eſse B, qđ eſt impoſſibile, & id ſequitur, quoniã ponebatur contradictoria, ſiue contraria concluſionis; ergo vtraque falſa, & concluſio, nullum C eſt A vera,
C quod erat probandũ: verùm imperfecta eſt coniugatio hæc, quæ demonſtratur per impoſſibile, & non ſolum deducitur concluſio negatiua de ineſſe, ex huiuſmodi coniugatione; verum etiam de contingenti negatiua, quoniam ſi C eſt A, ſequitur, quod contingens ſit C eſse A, & ſi C non eſt A, ſequitur, quòd contingens ſit C nõ eſse A. Dicit itaque: *Si autem non ſimilis figuræ ſint propoſitiones.* Quòd ſi præmiſſæ non ſunt ambæ eiuſdem qualitatis ſcilicet affirmatiuæ, ſed vna affirmatiua, & altera negatiua, *ſit primum priuatiua ne-*
D *ceſſaria*, ſit maior propoſitio negatiua de neceſſario, *& A quidem nulli contingat B ex neceſſitate*, veluti de neceſſitate, nullũ B eſt A, & minor ſit affirmatiua de contingenti. *B autem contingat omni C*, veluti cõtingens eſt, omne C eſse B. *Neceſſe eſt igitur A nulli C ineſſe.* Sequitur itaque neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ hæc concluſio vniuerſalis negatiua de ineſse, nullum C eſt A. Quæ concluſio demonſtratur per impoſſibile, quoniam ſi ea negetur, addit, *Ponatur enim A ineſſe aut omni, aut alicui*, dabitur contradictoria ali-
E quod C eſt A, vel contraria omnē C eſt A. *Poſitũ autem eſt A nulli contingere B*: cumque poſitum fuerit in maiori de neceſſitate, nullum B eſt A; quę eſt vniuerſalis negatiua. *Quoniam ergo conuertitur priuatiua*, quia vniuerſalis negatiua cõuertitur in terminis, hęc propoſitio de neceſſitate nullum B eſt A. *& B nulli A contingit*, conuertitur in hanc de neceſſitate, nullum A eſt B. *A autem poſitum eſt ineſſe C, aut omni, aut alicui*, cui ſi addatur ſuppoſitã, ſiue contraria omne C eſt A, ſiue contradictoria aliquod C eſt A. *Quare nulli, aut non omni C contingit B ineſſe.* Sequitur concluſio, vel vniuerſalis negatiua de neceſsario in ſecũda coniugatione, vel particularis negatiua de neceſsario, in quarta ſcilicet de neceſſitate, nullũ vel nõ omne C eſt B, contra minorē prioris ſyllogiſmi, in qua dicebatur, ꝙ contingens eſt, omne C eſse B, qđ dicit quãdo addit, *ſed ſupponebatur omni ex*

prin-

principio. ſcilicet omne C eſse B ponebatur in minore prioris ratiocinationis, quare cum hoc detur impoſſibile, concluſio vniuerſalis negatiua de ineſſe nullum C eſt A vera erat. *Manifeſtum autem, quòd & eius, quod eſt contingere non ineſſe, fit ſyllogiſmus.* Patet inſuper quòd ex tali coniugatione ſequitur non ſolum negatiua vniuerſalis abſoluta; verumetiam negatiua vniuerſalis de contingenti. *Siquidem & eius quod eſt non ineſſe*, quoniam cum ſequatur negatiua de ineſſe contingens & affirmatiue & negatiue ſequitur ad ineſſe, vt dictum eſt.

Rurſum ſit affirmatiua quidem propoſitio neceſſaria, & A quidem contingat nulli B ineſse; B autem inſit omni C ex neceſſitate; ergo fit ſyllogiſmus quidem perfectus, ſed non eius, quod eſt non ineſse, ſed eius quod eſt contingere non ineſſe: nam & propoſitio ſic ſumpta eſt, quę ad maiorem eſt extremitatem, & ad impoſſibile non eſt ducere: nam ſi ponatur A ineſse vlli C. Poſitum eſt autẽ & A, B contingere nulli ineſſe, nihil accidit per hæc impoſſibile.

Declaratur, quod maiori exiſtente negatiua de neceſſario, & minori affirmatiua de contingenti ſequitur de ineſſe concluſio, ſe conuertit ad patefaciendum, quòd maiori exiſtente negatiua de contingenti, & minori affirmatiua de neceſſario concluſio ſequitur de contingenti; propterea eſt iugatio perfecta, quæ per dictum de nullo demonſtratur, nec vllo modo ſequi poteſt concluſio de ineſſe, quoniam per impoſſibile demonſtrari minime poteſt. Declarat exemplo, ſit ratiocinatio.

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe A.

Hæc concluſio demonſtratur per dictum de nullo, quoniam, ſi A nulli eorum, quę ſunt B, contingenter ineſt; ergò & de omnibus eius partibus contingenter negatur; ſed C eſt pars B; ergo A nulli C contingit ineſſe. Quod autem non ſequatur concluſio negatiua de ineſse, ſicut in præcedenti iugatione, nempe nullum C eſt A, patet ex hoc, quoniam non poteſt per impoſſibile demonſtrari vt dicta, quoniam ſi ſupponatur contradictoria, aliquod C eſt A, & eidem præferatur maior data, contingens eſt nullum B eſse A, ita vt fiat iugatio talis.

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
Aliquod C eſt A.

Non propterea ſequitur aliquod impoſſibile, ſiquidem in ſecunda figura, maiori exiſtente negatiua de contingenti, & minori affirmatiua de ineſse, nihil ſequetur impoſſibile, quòd deſtruat

A minorem, ſed inepta euadit iugatio, vt in ſequentibus videbimus. Dicit itaque: *Rurſum ſit affirmatiua quidem propoſitio neceſſaria.* vlterius ita diſponantur præmiſsæ, quòd affirmatiua minor ſit de neceſsario, & maior negatiua ſit de contingẽti. *Et A quidem contingat nulli B ineſſe*, ſic quòd maior propoſitio ſit, contingens eſt, nullum B eſse A. *B autem inſit omni C ex neceſſitate.* & minor propoſitio ſit de neceſſitate, omne C eſt B. *Ergo fit ſyllogiſmus quidem perfectus*, ex tali mixtione propoſitionum ſic copulatarũ, fit qui-
B dem ſyllogiſmus perfectus, qui demõſtratur per dictũ de nullo, *ſed non eius, quod eſt non ineſſe*, ſed ex tali iugatione non ſequitur concluſio negatiua de ineſſe, *ſed eius, quod eſt contingere, non ineſſe*, ſed infertur concluſio negatiua de contingenti, cuius ratio eſt: *nam & propoſitio ſic ſumpta eſt, quæ ad maiorem eſt extremitatem*, quoniam etiam maior propoſitio eſt de cõtingenti, quam imitatur concluſio, *& ad impoſſibile non eſt ducere.* Sequitur inſuper concluſio de contingenti, quoniam ſi ſequeretur concluſio de ineſſe, nullum C eſt A, nõ
C poſſet demõſtrari per impoſſibile: *nam ſi ponatur A ineſſe vlli C*, quoniam data concluſione de ineſſe, nullum C eſt A, eius oppoſitum erit, aliquod C eſt A. *Poſitum autem eſt & A, B contingere nulli ineſſe*, ſed maior poſita erat contingens eſt, nullũ B eſſe A. Quapropter hæ duæ propoſitiones, maior dicta, & minor ſuppoſita ſimul iunctæ in ſecunda figura nullam iugationem cõſtituunt concludentem aliquam concluſionem contra minorem prioris ſyllogiſmi: propterea inquit, *Nihil accidit per hæc impoſſibile*, ex tali iugatione nihil
D impoſſibile ſequitur.

Si autem ad minorem extremitatem ponatur priuatiuum, quãdo contingere quidem ſignificauerit, ſyllogiſmus erit per cõuerſionem, quemadmodum in prioribus. Quando autem non contingere nõ erit ex neceſſitate, nec quando vtraque quidẽ pro-
E poſitio priuatiua, non ſit autem contingens quod ad minorem eſt. Termini autem ineſse quidem, Album, Animal, Nix; non ineſse quidem, Album, Animal, Pix.

Cum explicauerit coniugationem ex mixtione propoſitionum de contingenti & de neceſſario, in quibus minor eſt affirmatiua, nunc propo-
F nit exponere eas coniugationes, in quibus minor eſt negatiua, & docet quòd minori exiſtente negatiua, dummodo fuerit de contingenti, maiori verò exiſtente neceſſaria, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, fit vtilis ſyllogiſmus per conuerſionem, mutata ſcilicet negatiua contingenti in affirmatiuam, quemadmodum in prioribus dictum eſt contingentibus conuerti, &

eædem ſequuntur concluſiones, ac in præcedentibus iugationibus, quæ habent maiorem neceſſariam affirmatiuam, vel negatiuam, & minorem contingentem negatiuam, veluti gratia exempli hæc iugatio.

De neceſſitate, Omne B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B, Minori in ſe ipſam reciprocata, & conuerſa ſecundum qualitatem oppoſitam, Contingens eſt, Omne C eſſe B, infert hanc concluſionem affirmatiuam de contingenti, contingens eſt omne C eſſe A. vti in antehabitis fuit declaratum pariter hæc alia coniugatio.

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B. Conuerſa minori ſecundum qualitatem oppoſitam.
Contingens eſt, Omne C eſſe B. Infert concluſionem negatiuam de contingenti.
Contingens eſt, Nullum C eſſe A, vt etiam in præcedentibus habuimus.

Si verò minor non fuerit de contingenti, & extiterit negatiua, ſequitur inepta iugatio, cum ex minori negatiua in prima figura nulla ratiocinatio ſequatur, & negatiua de neceſſario eſt vera negatiua, quippeque in affirmatiuam minime conuerti poteſt.

Pariter ſi vtraque propoſitio ſit negatiua minori non exiſtente de contingenti, nullo modo fit ſyllogiſmus, valens concludere concluſionem de contingenti, quod oſtendit per inſtantiam terminorum, quoniam in his terminis Album, Animal, Nix, album pro maiori extremo, animal pro medio, nix pro minori extremo,

Sequitur affirmatiua cõcluſio de neceſſario, tali pacto:

Contingens eſt, Nullum animal eſſe album.
De neceſſitate, Nulla nix eſt animal, ergo
De neceſſitate, Omnis nix eſt animal in his autem aliis terminis ſequitur negatiua concluſio de neceſſario.

Contingens eſt, Nullum animal eſſe album
De neceſſitate, Nulla pix eſt animal, ergo
De neceſſitate, Nulla pix eſt alba,

Dicit itaque. *Si autem ad minorem extremitatem ponatur priuatiuum*. Quòd ſi minor negatiua fuerit, *quando contingere quidem ſignificauerit*, & eadem minor erit de contingenti, maiori videlicet exiſtente neceſſaria, & indifferenter ſecundum qualitatem, vel affirmatiua, vel negatiua, *ſyllogiſmus erit per conuerſionem*, fiet ſyllogiſmus per conuerſionem minoris ad oppoſitam qualitatem, *quemadmodum in prioribus*, concludens ſicut in ſuperioribus iugationibus, quæ ſcilicet habent maiorem de neceſſario affirmatiuam, vel negatiuam, & minorem de contingenti negatiuam. *Quando autem non contingere*. Quod ſi minor erit negatiua, non tamen de contingenti, ſed neceſſaria, *non erit ex neceſſitate*, nulla erit iugatio, quæ inferat ali-

A quam concluſionem neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ, *nec quando vtraque quidem propoſitio priuatiua*, ſimiliter nullus erit ſyllogiſmus concluſionem de contingenti concludere valens, quando vtraque præmiſſarum, & maior & minor erit negatiua: *non ſit autem contingentis, quod ad minorem eſt*, & minor non fuerit de contingenti, quod demonſtrat per inſtantiam terminorum, in quibus ſequitur omni, & nulli neceſſario ineſſe. *Termini autem ineſſe quidem Album, Animal*, Nix. Termini, in quibus ſequi-
B tur concluſio vniuerſalis affirmatiua de neceſſario, ſunt Album loco maioris extremi, Animal loco medij, Nix loco minoris extremi, *non ineſſe quidem, Album, Animal, Pix*. Termini verò, in quibus ſequitur vniuerſalis negatiua concluſio de neceſſario, ſunt album pro maiori extremo, animal pro medio, pix pro minori extremo.

Notandum quod ideo dixit Ariſtoteles in textu exiſtente vtraque præmiſſarum negatiua, ſi minor non fuerit de contingenti nullam fore
C vtilem ratiocinationem de contingenti, quoniam ſi minor eſſet de contingenti, fieret ſyllogiſmus in ſecunda iugatione primæ figuræ per reciprocationem minoris in oppoſitam qualitatem.

Sequitur textus.

Eodem autem modo ſe habebit & in particularibus ſyllogiſmis. Quando enim fuerit priuatiua ne-
D ceſſaria, & concluſio erit eius quod eſt non ineſſe, vt ſi A quidem nulli B contingit ineſſe ex neceſſitate; B autem alicui C contingat ineſſe, neceſſe eſt A alicui eorum, quæ ſunt C non ineſſe. Si enim A omni C ineſt, nulli autem contingit
E B, & B nulli A contingit ineſſe. Quare ſi omni C ineſt A nulli C contingit B, ſed poſitum erat alicui contingere.

Vbi ſe expedierit de ſyllogiſmis vniuerſalibus ex mixtis propoſitionibus de neceſſario, & contingenti copulatis tranſit ad particulares, quos eodem modo ſe habere dicit, ſicuti & vniuerſales; habent namque eaſdem concluſiones, & demonſtrationes; ſed in primis ponit coniugationem inferentem de ineſſe concluſionem, & docet, quòd ſi propoſitiones ita fuerint diſpoſitæ, vt maior ſit vniuerſalis negatiua de neceſſario, & minor affirmatiua vniuerſalis de contingenti, ſequitur concluſio particularis negatiua de ineſſe, quæ concluſio probatur per impoſſibile. Exemplum.

De

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe B, ergo
Aliquod C non eſt A.

Hæc concluſio demonſtratur per impoſſibile, quoniam ſi ea falſa, contradictoria vera erit, videlicet

Omne C eſt A: Cui ſi fuerit præpoſita maior
De neceſſitate, Nullum B eſt A, tali pacto conuerſa
De neceſſitate, Nullum A eſt B.
Omne C eſt A.

Sequitur in ſecunda coniugatione primæ figuræ ex maiori neceſſaria, & minori de ineſſe. Hæc concluſio negatiua neceſſaria vniuerſalis.
De neceſſitate, Nullum C eſt B.

Contra minorem prioris ſyllogiſmi, Contingens eſt, aliquod C eſſe B. Quapropter contradictio ſuppoſita eſt falſa, & concluſio vera, quod erat probandum. Dicit ergo: *Eodē autē modo ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis*, hoc eſt, ſicuti ſe habet, quo ad concluſionem, & demonſtrationem in ſyllogiſmis vniuerſalibus in tali mixtione ſic ſe habebit in particularibus. *Quando enim fuerit priuatiua neceſſaria*. Exiſtente enim maiori vniuerſali negatiua de neceſſario, & minori particulari de contingenti, *& concluſio erit eius, quod eſt non ineſſe*: ſequitur concluſio negatiua particularis de ineſſe in quarta coniugatione primæ figuræ, veluti, *Vt ſi A quidem nulli B contingit ineſſe ex neceſſitate*. Si maior ſit negatiua vniuerſalis de neceſſario, neceſſarium nullum B eſt A. *B autem alicui C contingat ineſſe*, & minor ſit particularis affirmatiua de contingenti, contingens eſt, aliquod C eſſe B, *neceſſe eſt A alicui eorum, quæ ſunt C, non ineſſe*, ſequitur neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ particularis negatiua concluſio de ineſſe, aliquod C non eſt A, probatur hæc concluſio per impoſſibile. *Si enim A omni C ineſt*, quoniam ſi concluſio negabitur, & detur contradictoria, quæ eſt vniuerſalis affirmatiua de ineſſe, omne C eſt A. *Nulli autem contingit B*, & maior ſit negatiua vniuerſalis de neceſſitate, nullum B eſt A, *& B nulli A contingit ineſſe*. Hæc maior poteſt conuerti in terminis, ſcilicet de neceſſitate, nullum A eſt B. *Quare ſi omni C ineſt A*: quapropter ex copulatione harum præmiſſarum de neceſſitate, nullum A eſt B, omne C eſt A, *A nulli contingit B*. ſequitur in ſecunda coniugatione primæ figuræ, quòd de neceſſitate, nullum C eſt B, *ſed poſitum erat alicui contingere*. Contra poſitum in minori prioris ſyllogiſmi, quod contingens eſt, aliquod C eſſe B: quare contradictoria falſa, & concluſio vera, quod erat probandum.

Quando autem particularis affirmatiua neceſſaria fuerit, quæ in priuatiuo eſt ſyllogiſmo, vt B, C, aut vniuerſali in affirmatiuo, vt A, B, non erit ineſſe ſyllogiſmus: demonſtratio autem eadem quæ in prioribus.

Sequitur Ariſtoteles exponere coniugationes copulatas ex vna vniuerſali, & altera particulari docens quæ ſint perfectæ, & quæ imperfectæ, & inquit, quòd ſi coniugationes tales conſtituantur, vt vniuerſalis negatiua ſit de contingenti, & affirmatiua de neceſſario, non ſequitur concluſio de neceſſario, ſed perfecta de contingenti, quòd ſi ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ, & maior ſit affirmatiua vniuerſalis de neceſſario, & minor particularis affirmatiua de contingenti, ſequitur concluſio de contingenti, quæ demonſtratur per impoſſibile.

Exemplum primæ coniugationis.
Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
De neceſſitate, Aliquod C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe A.

Hæc concluſio demonſtratur per dici de nullo, quoniam cum A nulli B contingat, remouetur etiam ab omnibus eius partibus, ſed C eſt pars ipſius B. Igitur alicui eorum, quæ ſunt A contingenter non ineſt.

Exemplum alterius coniugationis.
De neceſſitate, Omne B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A.

Hæc concluſio demonſtratur per impoſſibile; nam ſi negetur vera erit contradictoria, non contingens eſt, aliquod C eſſe A, quæ huic æquipollet, neceſſarium eſt nullum C eſſe A, cui addita maiori prioris ſyllogiſmi neceſſarium eſt omne B eſſe A.

Sequitur ex duabus neceſſarijs in ſecunda coniugatione ſecundæ figuræ concluſio vniuerſalis negatiua neceſſaria.

De neceſſitate, Nullum B eſt C.
Contra minorem prioris ſyllogiſmi, quæ eſt,
Contingens eſt, Aliquod C eſſe B.

Quod eſt impoſſibile, & tale impoſſibile ſequitur ob datam contradictoriam, igitur ipſa eſt falſa, & oppoſita concluſio vera, nempe
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A, quod erat probandum.

Inquit ergo: *Quando autem particularis affirmatiua neceſſaria fuerit*. Quando verò particularis propoſitio affirmatiua fuerit de neceſſario. *Quæ in priuatiuo eſt ſyllogiſmo*, ſicuti in ſyllogiſmo negatiuo, videlicet in quarta coniugatione primæ figuræ, *vt B, C*, in qua minor particularis affirmatiua, aliquod C eſt B, *aut vniuerſalis in affirmatiuo*, aut quando vniuerſalis propoſitio affirmatiua erit neceſſaria, ſicuti in tertia coniugatione primæ figuræ,

figuræ, in qua maior eſt vniuerſalis affirmatiua, *ut A, B*, omne B eſt A, *non erit ineſſe ſyllogiſmus*, non ſequitur concluſio de ineſſe in huiuſmodi ratiocinationibus, ſed de contingenti. *Demonſtratio autem eadem quæ in prioribus*. quæ coniugatio eodem modo demonſtratur, ſicut & ſimiles coniugationes in vniuerſalibus ſyllogiſmis fuere demonſtratæ, altera ſcilicet per dici de nullo, altera per impoſſibile, vt declaratum fuit.

Si autem vniuerſale quidem ponatur ad minorem extremitatẽ, vel affirmatiuum, vel priuatiuum contingens: particulare autem neceſſarium, non erit ſyllogiſmus. Termini autem ineſſe quidem ex neceſſitate, Animal, Album, Homo: non contingere autem, Animal, Album, Tunica. Quando ſimiliter vniuerſali quidem eſt neceſſarium, particulare autem contingẽs, cum priuatiuum quidem eſt vniuerſale, ineſſe quidem termini, Animal, Album, Coruus; nõ ineſſe, Animal, Album, Pix. Cum autem affirmatiuum, ineſſe quidem Animal, Album, Cygnus; non contingere autem Animal, Album, Nix.

Declaratis mixtis coniugationibus de cõtingenti, & de neceſſario, in quibus maior eſt vniuerſalis, & minor particularis; nunc oppoſitas exponere decernit, quæ ſcilicet habent maiorẽ particularem, & minorem vniuerſalem, quas omnes eſſe inutiles oſtendit, vel ſit eadem minor de contingenti, vel ſit de neceſſario, vel affirmatiua, vel negatiua. Verùm in primis ponit coniugationes habentes minorem contingentem, quas idcirco debet eſſe inutiles; propterea quod & omni, & nulli ex neceſſitate concludũt.

Termini, in quibus ponit omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt Animal, Album, Homo, animal pro maiori extremo, album pro medio, homo pro minori extremo; ſic

De neceſſitate, Aliquod album veluti olor eſt animal,
Contingens eſt, Omnem, vel nullum hominem eſſe albũ; ergo ſequitur
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.

Termini, in quibus ponit nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt Animal, Album, Indumentum, animal pro maiori extremo, album pro medio, indumentum pro minori extremo, ſic:

A De neceſſitate, Aliquod album eſt animal.
Contingens eſt, Omne, vel nullum indumentum eſſe album, ergo ſequitur
De neceſſitate, Nullum indumentum eſſe animal.

His explicatis, eas ponit inutiles coniugationes, quæ habent minorem neceſſariam, quas pariter determinat fore aſyllogiſticas; propterea quod omni & nulli ineſſe concludere valent.

Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe ex
B neceſſitate minori exiſtente negatiua, ſunt animal loco maioris extremi, albũ loco medij, coruus loco minoris extremi, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
De neceſſitate, Nullus coruus albus, ergo ſequitur.
De neceſſitate, Omnis coruus animal.

Termini, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt animal pro maiori extremo, album pro medio, pix pro minori extremo, tali
C pacto:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
De neceſſitate, Nulla pix eſt alba, ergo ſequitur
De neceſſitate, Nulla pix eſt animal.

Termini autem, in quibus ſequitur omni ineſſe ex neceſſitate minori exiſtente affirmatiua, ſunt animal pro maiori extremo, album pro medio, cygnus pro minori extremo, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
D De neceſſitate, Omnis cygnus eſt albus, ergo
De neceſſitate, Omnis cignus eſt animal.

Termini, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt animal pro maiori extremo, album pro medio, nix pro minori extremo, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe animal.
De neceſſitate, Omnis nix eſt alba, ergo
De neceſſitate, Nulla nix eſt animal.

Hæc ſunt quæ habemus in his verbis quando dicit; *Si autem vniuerſale quidem ponatur ad minorem extremitatem*: quod ſi minor propoſitio ſit vniuerſalis, maiori exiſtente particulari, *vel affirmatiuum, vel priuatiuum contingens*, ſiue ſit ea minor affirmatiua, ſiue negatiua & de contingenti, maior verò neceſſaria, quod innuit, cũ dicit: *particulare autem neceſſarium*, tunc ex tali diſpoſitione præmiſſarum, *non erit ſyllogiſmus*, non erit vtilis coniugatio, ſed aſyllogiſtica; propterea quod omni & nulli ineſſe ex neceſſitate ſequi valet. *Termini autem ineſſe quidem ex neceſſitate*.
F Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe ex neceſſitate, ſunt *Animal, Album, Homo*. Primus terminus pro maiori extremo, ſecundus pro medio, vltimus pro minori extremo: *non contingere autem*. Termini verò, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Tunica*. Primus terminus pro maiori extremo, album pro medio, tunica pro minori extremo.

Quan-

Quando ſimiliter vniuerſale quidem eſt neceſſarium. A Pariter quando propoſitio vniuerſalis, nempe minor eſt de neceſſario. *Particulare autem contingens*, & particularis propoſitio, vt maior eſt de contingenti, vel ſit ipſa minor affirmatiua, vel negatiua ſit aſſyllogiſtica coniugatio eadem de cauſa. *Cum priuatiuum quidem eſt vniuerſale, ineſſe quidem termini*, quando minor eſt negatiua. Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Coruus*. Primus terminus pro maiori extremo, ſecūdus pro medio, tertius pro minori extremo. *Non ineſſe.* Termini B autem, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Pix*, animal pro maiori extremo, album pro medio, pix pro minori extremo. *Cum autem affirmatiuum.* Quando verò minor vniuerſalis eſt affirmatiua, *ineſſe quidem.* Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe ex neceſſitate, ſunt *Animal, Album, Cygnus*. Primus terminus pro maiori extremo, ſecūdus pro medio, vltimus pro minori extremo: *non contingere autem*: Termini verò, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Nix*, ani- C mal pro maiori extremo, album pro medio, nix pro minori extremo.

Sequitur textus.

Nec quando indefinitæ ſumuntur propoſitiones, aut vtræque particulares, ſic erit ſyllogiſmus. Termini autem communes ineſſe quidem, Animal, Album, Homo; non ineſſe autem, Animal, Album, Inanimatum.

Proſequitur Ariſtoteles manifeſtare alias aſſyllogiſticas coniugationes, & docet, quòd ſi ambæ propoſitiones ſint particulares, vel ambæ indefinitæ, vel ſit maior de neceſſario, & minor de contingenti, vel è contrario, quòd fiunt ſemper inutiles ſyllogiſmi; propterea quod omni & nulli ex neceſſitate ineſſe valet inferre.

Termini verò cōmunes ad omnes ineſſe quidem ex neceſſitate ponit eſſe Animal, Album, Hominem. Primus terminus pro maiori extremo, ſecundus pro medio, tertius pro minori extremo.

Termini autem, in quibus ponit nulli ineſſe ex neceſſitate, ſunt animal pro maiori extremo, album pro medio, inanimatum pro minori extremo, vt clarius videtur in ſequentibus iugationibus.

Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, minori exiſtente de contingenti conſtituunt iugationem talem.

De neceſſitate, Album, vel aliquod album eſt animal.
Contingens eſt, Hominem, vel aliquem hominem eſſe album. Sequitur
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.

Termini, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe figurant coniugationem talem.

De neceſſitate, Album, vel aliquod album eſt animal.
Contingens eſt, Inanimatum, vel aliquod inanimatum eſſe albū. Sequitur
De neceſſitate, Nullum inanimatum animal.

Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, minori exiſtente de neceſſario copulant coniugationem ſequentem.

Contingens eſt, Album, vel aliquod album eſſe animal.
De neceſſitate, Homo, vel aliquis homo albus Sequitur
De neceſſitate, Omnis homo animal.

Termini, autem in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe figurant infrapoſitam coniugationem.

Contingens eſt, Album, vel aliquod album eſſe animal.
De neceſſitate, Inanimatum, vel aliquod inanimatum album. Sequitur
De neceſſitate, Nullum inanimatum animal.

Dicit igitur: *Nec quando indefinitæ ſumuntur propoſitiones.* Adhuc inutiles ſunt coniugationes, quando ambæ propoſitiones ſumuntur indefinitæ, *aut vtraque particulares*, vel etiam ſi ambæ propoſitiones ſint particulares, *ſic erit ſyllogiſmus*; quando ſic erunt diſpoſitæ in mixtis neceſſarijs, & contingentibus, vt in præcedetibus fiet inutilis ratiocinatio, quoniam ſequetur omni, & nulli ex neceſſitate ineſſe. *Termini autem communes, ineſſe quidem.* Termini communes ad has om- D nes coniugationes, in quibus ſequitur ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal, Album, Homo*. Primus terminus pro maiori extremo, ſecundus terminus pro medio, tertius terminus pro minori extremo: *non ineſſe autem*. Termini verò communes ad eaſdem, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt *Animal, Album, Inanimatū*, animal pro maiori extremo, album pro medio, inanimatum pro minori extremo.

Nam & animal alicui albo, & album inanimato alicui, eſt neceſſarium ineſſe, & non contingit ineſſe, & in contingente ſimiliter; quare ad omnia vtiles ſint termini.

Docet in præſenti Ariſtoteles, quòd termini ſuperius poſiti ſint communes ad omnes prænarratas coniugationes, ex quo animal neceſſario ineſt alicui albo, vt olori, & alicui albo neceſſario non ineſt, vt niui, & album alicui inanimato neceſſario ineſt, vt lacti, & alicui inani- F mato neceſſario non ineſt, vt pici, quod idem inquit ſe habere & in contingenti, quòd ſcilicet animal alicui albo contingenter ineſt, & alicui albo contingenter non ineſt, & album alicui inanimato cōtingēter ineſt, & alicui inanimato cōtingenter non ineſt. Dicit igitur: *Nam & animal alicui albo.* In talibus terminis animal ineſt

neceſſario alicui albo, *& album inanimato alicui,* A
&;album ineſt neceſſario alicui inanimato, *eſt neceſſarium ineſſe,& non contingit ineſſe,*& non ſolum neceſſario animal ineſt alicui albo, & albũ alicui inanimato; verùm etiam neceſſario non ineſt,*& in contingenti ſimiliter,* & in contingenti quoque euenit,quod idem alicui ineſſe, & alicui non ineſſe dicit, *Quare ad omnia vtiles ſint termini* : quapropter termini poſiti valent ad cognoſcendas omnes dictas cõiugationes inutiles.

Manifeſtum ergo ex ijs, quæ dicta ſunt,quod ſimiliter habentibus ſe B
terminis, & in eo quod eſt ineſſe, & in neceſſarijs,& fit, & non fit ſyllogiſmus: verumtamen ſecundum ineſſe quidem poſita priuatiua propoſitione, eius quod eſt contingere erat ſyllogiſmus; ſecundum neceſſarium C
autem priuatiua, & contingere, & non ineſſe. Palam autem, & quòd omnes imperfecti ſyllogiſmi, & quomodo perficiuntur per prędictas figuras.

In hac poſtrema parte capitis comparat Ariſtoteles coniugationes mixtas ex propoſitionibus de contingenti,& de neceſſario,cum declaratis coniugationibus in præcedenti capite copulatis ex mixtione propoſitionum de ineſse,& de contingenti,& ponit earum ad inuicem conuenientiam,& diſcrepantiam:conueniunt enim in hoc huiuſcemodi coniugationes, quòd tot & ſimiles ſunt coniugationes, & vtiles & inutiles in hac,ac in illa mixtione;diſcrepant verò,quòd in illis maiori exiſtente negatiua de ineſſe,& minori contingenti affirmatiua cõcludebatur vnica ſolum concluſio de contingenti: at in his ſimiliter ſe habentibus propoſitionibus, ſcilicet maiori neceſsaria negatiua, & minori contingenti affirmatiua concludebatur duplex concluſio,nempe concluſio negatiua de ineſse, & concluſio negatiua de contingenti. Denique in calce capitis inquit conſtare ex dictis,quod quicunque ſyllogiſmi ſunt tales, vt minorem habeant contingentem,ſunt imperfecti, & perficiuntur per reductionem ad primam figuram. Et dicit; *Manifeſtum ergo ex ijs,quæ dicta ſunt.* Ex declaratis ſatis aperte cõſtat, *quòd ſimiliter habentibus ſe terminis,*quod exiſtentibus terminis eodẽ modo in mixtione propoſitionum de ineſse,& contingenti præcedenti,ac in mixtione propoſitionum de contingenti,& de neceſſario præſenti, quod habetur in ijs verbis: *Et in eo quod eſt ineſſe,* reſpectu præcedentis mixtionis,*& neceſſarij,* reſpectu præſentis,*& fit & non fit ſyllogiſmus:* conſimiliter fit vtilis & inutilis ratiocinatio: *Verumtamen ſecundum ineſſe, quidem poſita priuatiua propoſitione*, ſed maiori exiſtente negatiua de ineſſe,*eius quod eſt contingere,erat ſyllogiſmus*, non ſequebatur,niſi concluſio de cõtingenti;*ſecundum neceſſarium autem priuatiua*. At maiori exiſtente negatiua de neceſſario, ſequebatur duplex concluſio *& contingere,& non ineſſe.* Concludebatur concluſio negatiua de cõtingenti, & negatiua abſoluta. *Palam autem,& quòd omnes imperfecti ſyllogiſmi.* Conſtat ex dictis,quòd omnes tales ſyllogiſmi imperfecti ſunt, *& quomodo perficiuntur* B
per prædictas figuras, & quod perficiuntur per reductionem ad primam ex dictis figuris ſicuti antea demonſtratum eſt.

Et hæc dicta ſufficiant in hoc capite.

Super Capite XV. primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.

C IN hoc capite tres docet Ariſtoteles perfectas coniugationes per dici de omni, & dici de nullo; & quartam quæ perficitur per impoſſibile,copulatas ex mixtione contingentis & neceſsarij, quarum vſum in iure adinuenire valemus.

Prima coniugatio perfecta in tali mixtione conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti,& minori vniuerſali affirmatiua de neceſsario, affirmatiuam vniuerſalem de contingenti concludentibus.

D Secunda coniugatio perfecta conſtat ex maiori negatiua vniuerſali de cõtingenti,& minori affirmatiua vniuerſali de neceſsario negatiuam vniuerſalem de contingenti concludentibus.

Tertia coniugatio perfecta conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de neceſsario concluſionem particularem negatiuam de contingenti concludentibus.

Quarta coniugatio, quæ perficitur per impoſ
E ſibile in tali mixtione conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de neceſſario,& minori particulari affirmatiua de contingenti particularem affirmatiuam de contingenti concludentibus.

De quibus omnibus coniugationibus exempla in iure ciuili adinuenienda remanent.

Pro exemplo primæ & ſecundæ coniugationis deſumantur hi termini in l. vnica.C.de cad. toll:nempe defectus pro maiori extremitate, vltima voluntas pro medio,teſtamentum pro minori extremitate,& formetur ex eis.

F Prima coniugatio talis:

Contingens eſt, Omnem vltimam voluntatem deficere:

De neceſſitate, Omne teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo

Contingens eſt, Omne teſtamentum deficere.

Ex ijſdem terminis poteſt formari ſecunda coniugatio tali pacto:

Secun-

Secunda coniugatio.

Contingens eſt, Nullam vltimam voluntatem deficere.
De neceſſitate, Omne teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo
Contingens eſt, Nullum teſtamentũ deficere.

Pro exemplo tertiæ coniugationis ſumãtur termini Inſt. tit. de legat. §. legatus. & ff. titu. de adimend. leg. & fideicom. ſcilicet ademptio legati pro maiori extremo, legatum pro medio, quædam donatio à defuncto relicta ab hærede præſtanda pro minori extremo, ſic:

Contingens eſt, Nullum legatum adimi.
De neceſſitate. Quædam donatio à defuncto relicta ab hærede præſtanda eſt legatum, ergo
Contingens eſt, Nullam donationem à defuncto relictam ab hærede præſtandam adimi.

Quartæ coniugationis termini deſumuntur in tit. Digeſtorum de ſponſalib. videlicet, Mentio, & Repromiſſio futurarum nuptiarum pro maiori extremo, Sponſalia pro medio, Abſentia pro minori extremo, ſic:

De neceſſitate, Omnia ſponſalia ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum;
Contingens eſt, Inter abſentes aliqua fieri ſponſalia, ergo
Contingens eſt, Inter abſentes aliquã fieri mentionem, & repromiſſionem futurarum nuptiarum.

Et huiuſcemodi concluſio non perficitur per dictum de omni vti reliquæ priores, ſed perficitur per impoſſibile tali pacto:

Quoniam ſi ea negabitur, vera erit eius contradictoria.

Non contingens eſt, Inter abſentes fieri aliquam mentionem, & repromiſſionem futurarũ nuptiarum, quæ æquipollent huic.

Neceſſarium eſt, Inter abſentes nullam fieri mentionem, & repromiſſionem futurarum nuptiarum.

Cui addita maiori prioris ſyllogiſmi,

De neceſſitate, Omnia ſponſalia ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum.

Sequatur in ſecunda coniugatione ſecundæ figuræ.

De neceſſitate, Nulla ſponſalia fiunt inter abſentes, quod eſt impoſſibile; namque eſt contra minorem prioris ſyllogiſmi.

Contingens eſt, Inter abſentes aliqua fieri ſponſalia.

Quapropter contradictoria poſita falſa eſt, & concluſio vera, quod erat probandum.

Et hunc in modum videtur, quod non ſolum ſyllogiſmi ſunt vtiles, & apprime apti etiam in materia ciuili; verum inſuper eadem quoque via demonſtrantur, & perficiuntur.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſis.

A

De ſyllogiſmis ex ambabus contingentibus in ſecunda figura. *Caput XVI.*

B IN ſecunda autem figura, quando contingentes quidem ſumuntur vtræque propoſitiones, nullus erit ſyllogiſmus, ſiue ſint affirmatiuæ, ſiue priuatiuæ, ſiue vniuerſales, ſiue particulares. Quando autem hæc quidem ineſſe, illa verò contingere ſignificat, affirmatiua quidem ineſſe ſignificante, C nunquam erit ſyllogiſmus, priuatiua vniuerſali exiſtente, ſemper, eodem modo, & quando hæc quidem ex neceſſitate, illa verò contingere aſſumatur: oportet autem & in iis accipere; quòd in concluſionibus eſt contingens, quemadmodum in prioribus.

D Vbi explicauit Ariſtoteles ſyllogiſmos vniformes de contingenti in prima figura, & copulatas ex mixtis de ineſſe, & contingenti, & de neceſſario, & contingenti in eadem figura, nunc accedit ad declarationem ſyllogiſmorũ de contingenti in ſecunda figura, & primum declarat ſimplices, poſtea mixtos ſyllogiſmos de contingenti. Ponit autem in principio huius capitis, quòd ſi in ſecunda figura ambæ propoſitiones ſint de contingenti, vel ſint ambæ vniuerſales, E vel particulares, & eædem affirmatiuæ, vel negatiuæ, vel quouis modo ſe habeant in quantitate & qualitate nullus fit ſyllogiſmus; quod ſi in hac ſecunda figura vna præmiſſarum ſit de ineſſe, & altera contingens, ſi vniuerſalis affirmatiua fuerit de ineſſe, non erit ſyllogiſmus; ſi verò de ineſſe, fuerit vniuerſalis negatiua, fiet ſyllogiſinus valens inferre concluſionem contingentis, quòd in tali mixtione, & generatione ſyllogiſmorum ſequebatur in prima figura. Pariter ſi vna præmiſſarũ F ſit neceſſaria, & altera contingens, ſi vniuerſalis negatiua erit neceſſaria, fit vtilis ſyllogiſmus; ſi autem vniuerſalis affirmatiua ſit neceſſaria, fit ineptus ſyllogiſmus in tali mixtione. Inquit igitur: *In ſecunda autem figura quando contingentes quidem ſumuntur vtraque propoſitiones*. In media figura quando ambæ præmiſſæ ſunt de contingenti, *nullus erit ſyllogiſmus*, nullo modo ſequitur ſyllo-

ſyllogiſmus,*ſiue ſint affirmatiuæ,ſiue priuatiuæ,ſiue uniuerſales,ſiue particulares*, quouis modo ſe habeant ipſæ præmiſſæ ſecundũ qualitatẽ,& quãtitatẽ, ita vt ſint vel vniuerſales,vel particulares,& eædẽ vel affirmatiuæ,vel negatiuæ. *Quando autẽ hæc quidẽ ineſſe, illa verò cõtingere ſignificat*. Quod ſi in ſecunda figura nõ ſint ambę præmiſſæ contingentes,ſed vna de ineſſe, & altera de contingenti. *Affirmatiua quidem ineſſe ſignificante.* Si vniuerſalis affirmatiua fuerit de ineſſe, *nunquam erit ſyllogiſmus*,fiet ineptus ſyllogiſmus. *Priuatiua vniuerſali exiſtente.* Si verò de ineſſe fuerit vniuerſalis negatiua,*ſemper* ſcilicet erit vtilis ſyllogiſmus *Eodem modo & quando hæc quidem ex neceſſitate, illa verò contingere aſſumatur*. Pariter ſe habet ſi vna præmiſſarum extiterit neceſſaria, & altera cõtingens, nempe quòd vniuerſali negatiua exiſtente de neceſſario fit ſyllogiſmus,ſed vniuerſali affirmatiua exiſtente de neceſſario, nullus fit ſyllogiſmus, valens concludere concluſionem de contingenti. *Oportet autem & in iis accipere quod in concluſionibus eſt contingens*. Contingens autem,qnod concluditur in tali mixtione, & generatione ſyllogiſmorum de cõtingenti in hac ſecunda figura ſumi debet illud idem,*quemadmodum & in prioribus*,quod accipiebatur in generatione, & mixtione eorundem ſyllogiſmorum in prima figura.

Primum igitur oſtẽdendum quod non conuertitur in contingenti priuatiua,vt ſi A contingit nulli B, non neceſse eſt, & B contingere nulli A. Ponatur enim hoc, & contingat B nulli A ineſſe; ergo quoniam conuertuntur, quæ ſunt in eo, quod eſt contingere, affirmationes negationibus,& contrariæ, & contraiacẽtes, B autem contingit nulli A ineſse, manifeſtum eſt quòd & omni A contingit B ineſse. Hoc autem falſum eſt; non enim ſi hoc huic omni contingit, & hoc huic contingat neceſſarium; quare non conuertitur priuatiua.

Cũ terminauerit Philoſophus ex duabus contingentibus propoſitionibus nullum fieri ſyllogiſmum in ſecunda figura, quoniam quiſpiam credere poſſet, quòd ſaltim aliquis fiat ſyllogiſmus, qui per conuerſionem,aut per impoſſibile perfici poſſit; ideo huic difficultati occurrens in præſenti,primum oſtendit, quòd per conuerſionem perfici minime poteſt ſyllogiſmus,ex vtraque contingenti in hac figura: ex quo vniuerſalis priuatiua in terminis non valet cõuerti,quòd autem vniuerſalis priuatiua in terminis haud

A conuerti nequeat, in terminis oſtendit; propterea quod impoſſibile ſequeretur, quoniam affirmatiua vniuerſalis in affirmatiuam vniuerſalem in terminis reciprocari poſſe ſequeretur, ſi namque contingens eſt nullum B eſſe A,conuertitur in hanc contingens eſt nullum A eſſe B, etiam hæc eadem in terminis conuerſa,conuerti poſſet ſecundum oppoſitam qualitatem, nempe contingens eſt, omne A eſſe B, quod eſt falſum & impoſſibile: ſiquidem illa vniuerſalis affirmatiua contingens eſt, omne B eſſe A, quæ B ſupponitur & ea contingens eſt, nullum B eſſe A,non poteſt inferre hanc vniuerſalem affirmatiuam,contingens eſt,omne A eſſe B,cum ut dictum eſt,vniuerſalis affirmatiua in terminis non conuertatur:non enim ſequitur ſi aliquod prędicatum alicui ſubiecto omni, vel vniuerſaliter contingit ineſſe, quod etiam è conuerſo, ſubiectum illud omni prædicato per conuerſionem contingat ineſſe:quapropter negatiua vniuerſalis contingens non conuertitur. Dicit igitur: *Primum igitur oſtendendum, quod non conuertitur* C *in contingenti priuatiua.* Demonſtrandum eſt primo,quòd vniuerſalis negatiua non conuertitur in terminis, ex quo non poteſt dici, quòd ſyllogiſmus ex vtraque contingenti perficiatur per conuerſionem. Declarat exemplo,*Vt ſi A contingit nulli B*, vt ſit hæc propoſitio vniuerſalis priuatiua contingens eſt, nullum B eſſe A. *Non neceſſe eſt, & B contingere nulli A*. Non eſt neceſſe per conſequentiam conuerſionis,quòd in terminis conuertatur, videlicet cõtingens eſt, nullum A eſſe B,quod oſtẽdit per impoſſibile, & inquit: D *Ponatur enim hoc*. Supponatur namque huiuſmodi conuerſio. *Et contingat B nulli A ineſſe*, & vniuerſalis priuatiua contingens eſt, Nullum B eſſe A conuertatur ſimpliciter contingens eſt, Nullum A eſſe B, *quoniam conuertuntur quæ ſunt in eo, quod eſt contingere, affirmationes negationibus.* Cum igitur in ſuperioribus demonſtratum fuerit propoſitiones contingentes adinuicem reciprocari in qualitatem oppoſitam, negatiuam in affirmatiuam,*& contrariæ*, puta vniuerſalis affirmatiuam in vniuerſalem negatiuam, & è con- E trario ſimiliter particularis affirmatiua in particularem negatiuam, & è conuerſo: has enim in præſenti contrarias apppellat, quæ habent contrarias terminationes, ſcilicet omnis, & nullus, aliquis & non omnis, *& contraiacentes*, ſcilicet vniuerſales in particulares,quas appellat contradictorias,eodem reſpectu,ſcilicet terminis nullus,& aliquis,ſiue particularem in particularem omnis & non omnis. *B autem contingit nulli A ineſſe*,& fit vniuerſalis priuatiua conuerſa in terminis contingens eſt,nullum A eſſe B. *Manifeſtum eſt,quod & omni A contingit B ineſſe*. Aperte conſtat,quòd hæc eadem in ſe ipſam reciprocatur,ſcilicet euadit,contingens eſt,omne A eſſe B,quæ eſt vniuerſalis affirmatiua. *Hoc autem falsũ eſt*,ſed hoc eſt falsũ & impoſſibile. *Non enim ſi hoc huic omni contingit*. Non enim ſequitur ſi aliquod prædicatum alicui ſubiecto omni vel vniuerſa-

uerſaliter contingit, *Et hoc huic contingit neceſſarium:* quod è contrario pariter ſubiectum illud omni prædicato per conuerſionem, contingat ineſse, quod ſequeretur, ſi vniuerſalis negatiua contingens eſt, nullum B eſse A, conuerteretur in terminis, in hanc ſcilicet contingens eſt, nullum A eſse B, vt patefecimus, & ſic daretur falſum & impoſſibile. *Quare non conuertitur priuatiua:* quapropter negatiua vniuerſalis non conuertitur, & hypotheſis falſa eſt.

Sequitur textus.

Amplius autem nihil prohibet A quidem contingere nulli B: B autem alicui A ex neceſſitate non ineſse, vt album quidem contingit omni homini non ineſse, & ineſse: hominem autem non verum eſt dicere, quod contingit nulli albo. Pluribus enim ex neceſſitate non ineſt; neceſſarium autem non inerat contingens.

Hoc idem quòd vniuerſalis negatiua non conuertitur ſimpliciter declarat ſumptis terminis, Homine, & Albo loco elementorum A, B, & inquit, quòd manifeſte conſtat exemplo ſumpto materiali, quòd vniuerſalis negatiua non conuertitur ſimpliciter, quoniam vniuerſalis negatiua contingens eſt, nullum hominem eſse album non conuertitur in terminis in hanc contingens eſt, nullum album eſse hominem, cum hæc eadem in affirmatiuam minime conuerti valeat, ſcilicet contingens eſt, omne album eſse hominem, quoniam homo aliquibus albis neceſſario non ineſt, puta niui, oleri, & ſimilibus, & quòd neceſſario non ineſt, haudquaquam contingit ineſſe, & nõ ineſſe, cum tale neceſſarium, & contingens ſint oppoſita. Inquit itaque. *Amplius autem nihil prohibet.* Inſuper ſequitur, *A quidem contingere nulli B*, in quibuſdam terminis, A quidem prædicatum nulli B ſubiecto contingere, ita vt ſit propoſitio vniuerſalis negatiua contingens eſt, nullum B eſſe A. *B autem alicui A ex neceſſitate non ineſſe*, & tamen B ſubiectum alicui, quod eſt ſub A prædicato de neceſſitate non inſit, ita vt valeamus dicere de neceſſitate, aliquod A non eſt B. Ex quo ſequitur quòd non conuerti poſſit contingens eſt, nullum A eſſe B. Si quidem tale contingens illi neceſſario opponitur, oſtendit dictum in terminis materialibus, *vt album quidem contingit omni homini non ineſſe, & ineſſe.* Contingit enim hoc prædicatum, album omni homini non ineſse, ſiue nulli homini ineſse, & etiam contingit hoc idem prædicatum omni homini ineſse. Siquidem contingens eſt, nullum hominem eſse album, & conuertitur cõtingens eſt omnẽ hominem eſſe album. *Hominem autẽ non uerum eſt dicere, quòd contingit nulli albo*, tamen non conuertitur contingens eſt, nullũ

A album eſſe hominem, quod probatur. *Pluribus enim ex neceſſitate non ineſt*, quia quædam alba neceſse eſt non eſſe hominem, ſicuti Cygnus, nix, & ſimilia. *Neceſſarium autem non inerat contingens.* Verùm quòd neceſſario alicui non ineſt, non contingit ineſse, & non ineſse.

Sed nec impoſſibili oſtendetur conuertens, vt ſi quis putet, quoniam falſum eſt B contingere nulli A ineſ-
B ſe: verùm non contingere nulli A; affirmatio enim & negatio. Si autem hoc verum, ex neceſſitate alicui A ineſſe B: quare & A alicui B ineſſe, hoc autem impoſſibile: non enim ſi B non contingit ulli A, neceſſe eſt B alicui A ineſſe: nam non contingere nulli dicitur dupliciter; hoc qui-
C dem ex neceſſitate alicui ineſt; illud verò ſi ex neceſſitate alicui non ineſt, nam quod ex neceſſitate alicui eorum, quæ ſunt A, non ineſt, non eſt verum dicere, quòd omni contingit non ineſſe, quemadmodum nec quod alicui ineſt ex neceſſitate, quo-
D niam omni contingit ineſſe.

Sequitur Ariſtoteles demonſtrare vniuerſalem priuatiuam de contingenti non conuerti ſimpliciter, & addit, quòd ſi conuerteretur, talis conuerſio oſtendi poſſet per deductionem ad impoſſibile, quæ tali pacto fieret vniuerſalis priuatiua.

Contingens eſt, Nullum B eſse A. Conuertitur
Contingens eſt, Nullum A eſse B.

Quoniam ſi non conuertitur, dabitur oppoſitum,

E Non contingens eſt, Nullum A eſse B, quæ æquipollet huic
Neceſse eſt Aliquod A eſse B.

Quæ cum ſit particularis affirmatiua conuertitur in parte.

Neceſse eſt Aliquod B eſse A, quæ eſt impoſſibilis,

Quoniam opponitur priori priuatiuæ vniuerſali.

Contingens eſt, Nullum B eſse A.

F Sed hoc impoſſibile ſequitur ex ſuppoſitione.

Non contingens eſt, Nullum A eſse B.

Ergo ea ſuppoſitio falſa, & conuerſio vera dicenda videtur, ſcilicet, quod cõtingens eſt, Nullum A eſse B. Verùm cum per impoſſibile huiuſmodi conuerſio demonſtrari deberet ſi vera extaret; hanc tamen deductionem fieri minime, poſse, quinimo peccare oſtendit Ariſtoteles; pro-

pterea

pterea quod hęc propoſitio non contingens eſt A nullum A eſſe B, nedum continet hanc, Neceſſe eſt aliquod A eſſe B, ſed vlterius eam, Neceſſe eſt non omne A eſſe B, quod ſic perſimile declarat, quoniam ſicut neceſſe eſt aliquod A eſſe B, non continetur in hac contingens eſt omne A eſſe B, quia contingens eſt omne A eſſe B reciprocatur in hanc contingens eſt, nullum A eſſe B, & cum in hac non contineatur, neceſſe ſit contineri ſub contradictoria oppoſita, non contingens eſt, omne A eſſe B. Pari ratione hæc propoſitio, neceſſe eſt, non omne A eſſe B, non con- B tinetur in hac, contingens eſt, nullum A eſſe B: nam contingens eſt, nullum A eſſe B conuertitur in hanc, contingens eſt, omne A eſſe B, & quod contingit omni, non eſt verum dicere, quòd neceſſe non omni: quapropter ſi neceſſe eſt non omne A eſſe B, non continetur in hac, contingens eſt, nullum A eſſe B, neceſſario oportet, vt contineatur in hac, Non contingens eſt, nullum A eſſe B. Quocirca manifeſte conſtat, quòd hæc propoſitio, non contingens eſt, nullũ A eſſe B, continet inſimul neceſſe eſt aliquod C A eſſe B, & neceſſe eſt non omne A eſſe B: vnde oportet ſupponere totum oppoſitum, non dimidium, ad hoc, vt deductio ſequatur ad impoſſibile. At ſuppoſito non contingens eſt, non omne A eſſe B, nullo modo ſequitur impoſſibile, cum neque in principio particularis negatiua conuertatur: propterea iure merito dicit Ariſtoteles, non valemus per impoſſibile demonſtrare vniuerſalem priuatiuam contingentem in terminis conuerti. Hinc ait: *Sed nec impoſſibile oſtendetur conuertens.* Inſuper nec deductione ad im- D poſſibile oſtendi poteſt, quòd negatiua vniuerſalis contingens conuertatur, *vt ſi quis putet quoniam falſum eſt B contigere nulli A ineſſe*, veluti ſi quis neget hanc vniuerſalem priuatiuam contingens eſt, nullum B eſſe A, conuerti poſſe in hanc contingens eſt nullum A eſſe B, *verùm non contingere nulli A*, & ſupponat hanc veram non contingens eſt, nullum A eſſe B, ſeu neceſſe eſt aliquod A eſſe B eidem æquipollentem. *Affirmatio enim & negatio.* Sunt namque hæ contingens E eſt, nullum A eſſe B & non contingens eſt, nullum A eſſe B contradictoriæ. *Si autem hoc verum ex neceſſitate alicui A ineſſe B.* Et ſi vera ſupponitur propoſitio non contingens eſt, nullum A eſſe B, ſiue neceſſe eſt aliquod A eſſe B æquipollens. *Quare & A alicui B ineſſe*, quoniam affirmatiua particularis conuertitur, ſequitur etiã quòd vera ſit, neceſſe eſt aliquod B eſſe A. *Hoc autem impoſſibile*, quod eſt impoſſibile, cum ſit oppoſita vniuerſali priuatiuæ contingens eſt, nullum B eſſe A. Quo pacto ſi quis velit per impoſſibile F demonſtrare huiuſcemodi conuerſionem, neceſſario procederet, tamen eſſet vitioſa demonſtratio. *Non enim ſi B non contingit vlli A*: propterea quod hæc propoſitio non contingens eſt, nullum A eſſe B, de neceſſitate non infert hanc, *neceſſe eſt B alicui A ineſſe*, neceſſe eſt aliquod A eſſe B, cuius cauſa eſt: *nam non contingere nulli dicitur dupliciter*, quoniam hæc propoſitio non contingens eſt, nullum A eſſe B, duas continet propoſitiones, particularem affirmatiuam, *hoc quidem ex neceſſitate alicui ineſt*, neceſſe eſt aliquod A eſſe B, & particularem negatiuam. *Illud verò ſi ex neceſſitate alicui non ineſt*, neceſſe eſt non omne A eſſe B, & ſic ineſt fallacia, cum fuerit ſimpliciter ſumpta altera pars contradictoria, non tota cõtradictio: quod verò hæc propoſitio non contingens eſt, nullum A eſſe B, non contineat alteram tantum partem contradictoriæ, probatur proportione quadam: *nam quod ex neceſſitate alicui eorum, quæ ſunt A, non ineſt*, quoniam hæc negatiua propoſitio, neceſſe eſt non omne A eſſe B, *non eſt verum dicere, quòd omni contingit non ineſſe*, non continetur in hac contingens eſt, nul A eſſe B, *quemadmodum nec quod alicui ineſt ex neceſſitate*, ſicuti nec hæc affirmatiua propoſitio, neceſſe eſt aliquod A eſſe B, continetur in hac, *quoniam omni contingit ineſſe*, contingens eſt, omne A eſſe B.

C Si ergo aliquis putet, quoniam non cõtingit C omni D ineſſe, ex neceſſitate alicui non ineſſe, ipſum falſum ſumet; omni enim ineſt ſi contingat: ſed quoniam quibuſdam ex neceſſitate ineſt, propter hoc dicimus non omni contingere. Quare ei, quod eſt contingere omni ineſſe; & D ea, quæ eſt ex neceſſitate alicui ineſſe opponitur; & ea, quæ eſt ex neceſſitate alicui non ineſſe; ſimiliter autem & ei quæ eſt contingere nulli.

Pro maiori declaratione dictorum oſtendit Ariſtoteles, quòd hæc propoſitio non contingens eſt, omne D eſſe C, non ſolum continet negatiuam particularem de neceſſario, neceſſe eſt non omne D eſſe C, ſed inſuper particularem E affirmatiuam de neceſſario, neceſſe eſt aliquod D eſſe C, & inquit, quòd ſi quis velit comprobare hanc affirmatiuam vniuerſalem contingens eſt, omne C eſſe D, conuerti in hanc contingens eſt, omne D eſſe C per ſuam contradictoriam non contingens eſt, omne D eſſe C, & ſumat pro æquipollenti ſolum negatiuam de neceſſario particularem, neceſſe eſt non omne D eſſe C, minime recte ageret; quoniam etiam omne D eſt C, & licet ponatur non contingens eſt, F omne D eſſe C, hoc ſit perinde ac inſit quibuſdam ex neceſſitate, & quibuſdam de ineſſe, veluti corpus cuidam motui, nempe circulari ipſius cæli ineſt ex neceſſitate cuidam verò motui de ineſſe, non de neceſſario, veluti deambulationi; ſiquidem corpus, & ambulatio neceſſario nõ connectuntur: quocirca ſi falſum eſt dicere, non contingens eſt, omne D eſſe C ſolum contine-

re,

re, neceſse eſt non omne D eſse C, cum contineat quoque neceſse eſt aliquod D eſse C; pariter non contingens eſt, nullum D eſſe C, nedum continet neceſſe eſt aliquod D eſſe C, ſed etiam neceſſe eſt non omne D eſſe C. Inquit ergo: *Si ergo aliquis putet, quoniam non contingit C omni D ineſſe.* Si quiſpiam arbitretur & ſupponat hanc propoſitionem non contingens eſt, omne D eſſe C, *ex neceſſitate alicui non ineſſe,* ſolum continere hãc propoſitionem neceſse eſt non omne D eſſe C, *ipſum falſum ſumet,* falſum credit. *omni enim ineſt, ſi contingat,* quia omne D eſt C. *Sed quoniam quibuſdam ex neceſſitate ineſt.* Sed ex quo quibuſdam neceſſario, ineſt quibuſdam veró minime. *Propter hoc dicimus non omni contingere;* ideo ſupponimus non contingens eſt, omne D eſſe C. *Quare ei quod eſt contingere omni ineſſe,* Hinc illi propoſitioni, quæ dicit contingens eſt, omne D eſse C. *Et ea quæ eſt ex neceſſitate alicui opponitur;* contradicit hæc neceſse eſt aliquod D eſse C, *Et ea quæ eſt ex neceſſitate alicui non ineſſe,* etiam inſuper contradicit hęc altera neceſse eſt non omne D eſse C. *Similiter autem & ei quæ eſt contingere nulli,* & eædem ambæ opponuntur illi, quæ dicit contingens eſt, nullum D eſse C.

Palam ergo quod ad ſic contingens, & non contingens vt in principio definiuimus, non ſolum ex neceſſitate alicui ineſſe, ſed & ex neceſſitate alicui non ineſſe ſumendum. Hoc autem ſumpto nihil accidit impoſſibile: quare non fit ſyllogiſmus. Manifeſtum ergo ex ijs quæ dicta ſunt, quod non conuertitur priuatiua.

Nunc colligit ex declaratis, quòd ſumpto contingenti, & non contingenti in prioribus determinato quod communiter dicitur de hac propoſitione vniuerſali priuatiua contingens eſt, nullum B eſse A, & de hac vniuerſali affirmatiua contingens eſt, omne B eſse A, duæ vnicuique ſunt propoſitiones oppoſitæ, affirmatiua, neceſſe eſt aliquod B eſse A, & negatiua neceſse eſt non omne B eſse A: qua ſumpta contradictione nullum ſequitur impoſſibile, ſi ex hoc voluerimus demonſtrare vniuerſalem priuatiuam conuerti; ſiquidem poſita negatiua ab initio non fit reciprocatio, ex quibus conſtat non poſſe fieri ſyllogiſmum deducentem ad impoſſibile, & priuatiuam vniuerſalem de contingenti non conuerti. Ideo dicit: *Palam ergo quod ad ſic contingens, & non contingens vt in principio definiuimus.* Contra itaque contingens & non contingens in prioribus determinatum, *non ſolum ex neceſſitate alicui ineſſe, ſed & ex neceſſitate alicui non ineſſe ſumendum,* non ſolum patet opponi affirmatiuam propoſitionem de neceſſario, ſed & inſuper negatiuam. *Hoc autem ſum-*

A *pto nihil accidit impoſſibile.* Qua ſumpta contradictione, nullum ſequitur impoſſibile, quoniam particularis negatiua non conuertitur. *Quare non fit ſyllogiſmus,* quapropter non poteſt fieri ſyllogiſmus deducẽs ad impoſſibile. *Manifeſtum ergo ex ijs quæ dicta ſunt,* Et ſic conſtat ex dictis, *quod non conuertitur priuatiua,* quod vniuerſalis negatiua non conuertitur. Sequitur textus.

Hoc autem oſtenſo ponatur A, B quidem contingere nulli, C verò omni, per conuerſionem ergo non erit ſyllogiſmus: dictum eſt enim quod non conuertitur huiuſmodi propoſitio; ſed nec per impoſſibile: nam poſito B omni C contingere ineſſe, nihil accidit falſum: continget enim A, & omni, & nulli C ineſſe.

Cum declarauerit vniuerſalem negatiuam in terminis non conuerti, nunc proſequitur oſtendere ex duabus contingentibus in ſecunda figura nullum fieri ſyllogiſmum, qui per conuerſionem, aut per impoſſibile perfici poſſit, & cum in hac ſecunda figura opus ſit, quod propoſitiones ſint diſſimiles in qualitate, ſupponit iugationem primam, ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, videlicet

Contingens eſt, Nullum B eſse A.
Contingens eſt, Omne C eſse A.

In hac iugatione aſserit nullam ſequi concluſionem, quoniam talis concluſio non poteſt demonſtrari per conuerſionem, facta reductione ad primam figuram, cum vniuerſalis negatiua minime conuertatur, neque poteſt demonſtrari hæc concluſio per impoſſibile, quòd ſcilicet negatiua concluſione, quę ſequeretur ex dictis propoſitionis ſi aliqua diceretur, nempe contingens eſt, nullum C eſse B, ſit vera contradictoria non contingens eſt, nullum C eſse B, quam idẽ Philoſophus ex ſuperabundanti probatione in vniuerſalem neceſsariam loco particularis tráſmutauit, nempe neceſse eſt omne C eſse B, nullum namque impoſſibile accideret: ſiquidem ex eadem et [illegible] propoſitione, ſcilicet contingens eſt, nullum B eſse A, neceſſe eſt omne C eſse B, ſyllogizabitur in prima figura contingens eſt nullum C eſse A, quæ minori prioris ſyllogiſmi non eſt oppoſita, quinimo eadem cum in ipſam verti valeat, vt ſuperius monſtratum fuit. Dicit igitur: *Hoc autem oſtenſo,* declarato vniuerſalem negatiuam non conuerti in terminis, fit prima iugatio in ſecunda figura, & *ponatur A, B quidem contingere nulli,* fiat maior propoſitio contingens eſt, nullum B eſse A. *C verò omni,* & ſit minor propoſitio contingẽs eſt, omne C eſse A, ex huiuſcemodi diſpoſitione præmiſſarum nulla ratiocinatio ſequitur. *Per conuerſionem ergo non erit ſyllogiſmus: dictum eſt enim, quod non conuertitur huiuſmodi propoſitio,* quoniam

quoniam cum determinatum ſit negatiuã vniuerſalem in terminis non conuerti, tunc ratiocinatio non poteſt per conuerſionem demonſtrari, facta ſcilicet reductione ad primam figuram, *ſed hac per impoſſibile*, ſed nec vlterius hæc concluſio deductione ad impoſſibile perfici poteſt; *nam poſito B omni C contingere ineſſe*, quoniam negata concluſione, & ſuppoſita contradictoria ex abundanti in neceſſariam vniuerſalem tranſmutata, vt poſuimus, *nihil accidit falſum*, nullum impoſſibile ſequitur, quoniam concluſio vniuerſalis priuatiua de contingenti, quæ ex poſitis præmiſſis ſequetur, non foret oppoſita minori propoſitioni prioris ſyllogiſmi, quæ eſt affirmatiua vniuerſalis de contingenti. *Continget enim A, & omni, & nulli C ineſſe*, quia ſi A contingit nulli C, contingit etiam omni C, & è conuerſo, cum priuatiua vniuerſalis de contingenti in affirmatiuam verti poſſit, & è contrario.

Omnino autem ſi eſt ſyllogiſmus palam quod contingẽs erit, eo quod neutra propoſitionum ſumpta eſt in eo quod eſt ineſſe; & hic vel affirmatiuus, vel priuatiuus; neutro autem modo poſſibile eſt: affirmatiuo enim poſito, oſtendetur per terminos quod non contingit ineſſe: priuatiuo autem, quod concluſio non eſt contingens, ſed neceſſaria. Sit enim A quidem album, B autem homo; in quo autem C equus: ergo album A contingit. Huic quidem omni, illi verò nulli ineſſe, ſed B neque ineſſe contingit C, neque non ineſſe. Quod igitur ineſſe non poſſibile, eſt manifeſtum; nullus enim equus homo, ſed neque contingere non ineſſe: neceſſe eſt enim nullum equum hominem eſſe; neceſſarium autem non erat contingens, non igitur fit ſyllogiſmus.

Philoſophus non contentus ſuperioribus dictis ad demonſtrationem ſuæ ſententiæ, ſcilicet ex duabus propoſitionibus contingentibus, nullam ſequi concluſionem in ſecunda figura, nũc etiam nititur eandem ſententiam alia ratione confirmare; quoniam ſi ex duabus de contingentibus propoſitionibus aliqua infertur concluſio, ea eſſet contingens, cum concluſio debeat eſſe quoquomodo ſimilis pręmiſſis, à quibus deducitur, & ſi contingens concluſio, hæc autem affirmatiua, aut negatiua exiſtere debet; ſed neutro modo ſequitur: igitur dicendum, quòd ex dua-

A bus contingentibus in ſecunda figura nulla concluſio ſequi valeat; quod autem neutro modo ſequatur concluſio, demonſtratur per eoſdem terminos, ex quibus infertur concluſio negatiua de neceſſario. Ex quo enim priuatiua eſt concluſio, excluditur affirmatiua quælibet: ex quo verò neceſſaria excluditur contingens quęlibet. Termini verò ſunt Homo, Album, Equus. Primus terminus pro maiori extremo, ſecundus terminus pro medio, tertius terminus pro minori extremo. In his namque terminis neque af-

B firmatiua, neque negatiua de contingenti concluſio ſequi poteſt in ſecunda figura, vt patet in ſequenti coniugatione.

Contingens eſt,	Nullum hominem eſſe album.
Contingens eſt,	Omnem equum eſſe album, ergo
Neceſſarium eſt,	Nullum equum eſſe hominem.

Hæc enim concluſio cum non contingat ineſſe, non poteſt dici affirmatiua, & cum neceſſa-

C rio non inſit, non poteſt pariter dici contingẽs negatiua: quapropter nullo modo fieri poteſt ratiocinatio. Dicit igitur: *Omnino autem ſi eſt ſyllogiſmus*. Si autem ex duabus contingentibus in ſecunda figura fiat aliquo modo ratiocinatio. *Palam quod contingens erit*, conſtat quòd ea erit contingens, cuius cauſa eſt, *eo quod neutra propoſitionum ſumpta eſt in eo, quod eſt ineſſe*: propterea quòd ambæ præmiſſæ ſunt de contingenti, & neutra de ineſſe, *& hic vel affirmatiuus, vel priua-*

D *tiuus*; & hæc ratiocinatio contingentis erit vel affirmatiua, vel negatiua. *Neutro autem modo poſſibile eſt*. At neutra ſequi poteſt ratiocinatio talis: quapropter *affirmatiuo enim poſito, oſtendetur per terminos, quod non contingit ineſſe*, quoniã ſi dicatur, quòd ratiocinatio ſit affirmatiua, demonſtrabitur per terminos, quòd concludetur id quod non contingit ineſſe. *Priuatiuo autem*. Quòd ſi ponatur, quod ratiocinatio ſit negatiua per eoſdem terminos monſtrabitur, *quòd concluſio non erit contingens, ſed neceſſaria*, quòd illa ra-

E tiocinatio non erit de contingenti, ſed de neceſſario. *Sit enim A quidem album*, veluti ſi loco A medij termini, ſumatur album, *B autem homo*; loco autem B maioris extremi ponatur homo; *in quo autem C equus*, & loco C minoris extremi ponatur equus. *Ergo album A contingit*. In his inquam terminis album A, quod eſt medium contingit ineſſe. *Huic quidem omni*, nẽpe equo, *illi verò nulli ineſſe*, vt puta homini, *ſed B neque ineſſe contingit C*, ſed maius extremum minori extremo, neque affirmatiue contingit ineſſe, *neque*

F *non ineſſe*, neque negatiue, non ineſſe contingit, quod patet in dictis terminis. *Quod igitur ineſſe, non poſſibile eſt manifeſtum*. In quibus patet minime ſequi poſſe concluſionem, ſeu ratiocinationem affirmatiuam; ſiquidem ſequitur *nullus equus equus homo*. Concluſio inquam eſt negatiua, nẽpe nullum equum eſſe hominem, *ſed neque contingere non ineſſe*, nec vlterius ex iiſdem termi-

nis

nis ſequitur concluſio negatiua de contingenti. A *Neceſſe eſt enim nullum equum hominem eſſe*, quoniam ſequitur concluſio neceſſaria, neceſſarium eſt nullum equum eſſe hominem: *neceſſarium autem non erat contingens*. Declaratum autem eſt, quod neceſſarium opponitur contingenti. *Non igitur fit ſyllogiſmus.* Patet itaque ex duabus contingentibus in ſecunda figura, nullam ſequi ratiocinationem. Sequitur textus.

Similiter autem oſtendetur, et ſi è conuerſo ponatur priuatiua, & ſi vtrę B que affirmatiuæ ponantur, vel priuatiuæ: nam per eoſdem terminos erit demonſtratio. Et quando hæc quidem vniuerſalis, illa verò particularis, vel vtraque particulares, vel indefinitæ, aut quolibet modo aliter contingit permutari propoſitiones: ſemper enim erit per eoſdem termi C nos demonſtratio. Manifeſtum ergo quòd vtriſque propoſitionibus ſecundum contingere poſitis, nullus fit ſyllogiſmus.

Hactenus oſtenſo, quòd ex duabus contingentibus vniuerſalibus in ſecunda figura nullus fit ſyllogiſmus, maiori videlicet exiſtente negatiua, & minori affirmatiua, nunc in hac poſtrema parte capitis generaliter determinat, quod ſiue maior ſit negatiua, & minor affirmatiua, vt antea poſitum fuit, ſiue è conuerſo, maior ſit affirmatiua, & minor negatiua per priores terminos poterit demonſtrari nullam ſequi ratiocinationem; quod idem etiam teſtatur Ariſtoteles euenire, ſi ambæ propoſitiones ſint affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ: pariter aſſerit ſe habere in particularibus ſyllogiſmis, in quibus ſiue vna præmiſſarum ſit vniuerſalis, & altera particularis, ſiue vtraque particularis, aut indefinita quoquomodo ſumantur ſecundum affirmationem, & negationem dummodo ambæ ſint contingentes, per eoſdem terminos monſtrabitur nullam fieri ratiocinationem, ex quibus concluſiue colligitur ſatis manifeſte conſtare, nullum in ſecunda figura fieri poſſe ſyllogiſmum ex duabus propoſitionibus contingentibus. Et inquit: *Similiter autem oſtendetur, & ſi è conuerſo ponatur priuatiua?* pariter euenire monſtrabitur etiam in ſecunda coniugatione ſecundæ figuræ, ſumpta vniuerſali negatiua è contrario, ac in præcedentibus, ſcilicet ſi minor fuerit negatiua, & maior affirmatiua. *Et ſi vtræque affirmatiuæ ponantur, vel priuatiuæ.* Similiter ſi ambæ propoſitiones ſint affirmatiuæ, vel negatiuæ: *nam per eoſdem terminos erit demonſtratio*, quoniam per poſitos terminos demonſtrabitur nuullam fieri ratiocinationem ex eis, & quod accidit in vniuerſalibus ſyllogiſmis, pariter euenire in particularibus, *Et quando hæc quidem vniuerſalis, illa verò particularis*, videlicet ſi vna præmiſſarum fuerit de vniuerſali re, & altera de parte, *vel vtraque particulares*, vel ſint ambæ propoſitiones de parte, *vel indefinitæ*, vel etiam ſi ſumãtur indefinitę, *aut quolibet modo aliter contingit permutari propoſitiones*, vel quolibet alio modo valent permutari propoſitiones in ſecunda figura ſecundum quantitatẽ, & qualitatem, nullo modo fiet ratiocinatio. *Semper enim erit per eoſdem terminos demonſtratio.* B Semper namque hoc demonſtratur per priores terminos. *Manifeſtum ergo.* Patet itaque, *quòd vtriſque propoſitionibus ſecundum contingere poſitis*, ex duabus propoſitionibus contingentibus, *nullus fit ſyllogiſmus*, nullum in ſecunda figura fieri ſyllogiſmum, nec vniuerſalem, nec particularem.

Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite XVI. De ſyllogiſmis ex ambabus contingentibus in ſecunda figura pro Iuris ſtudioſis. C

IN præſenti Capite demonſtratur ab Ariſtotele ex duabus contingentibus in ſecunda figura nullum fieri ſyllogiſmum duabus rationibus.

Prima, quoniam cum ſyllogiſmi in ſecunda figura ſint diſſimilis qualitatis, & vniuerſalis ne- D gatiua non poſſit conuerti in terminis; per conuerſionem autẽ deductione ad impoſſibile perfici non valent.

Secũda, quia ex duabus contingentibus in ſecunda figura, neque affirmatiua, neque negatiua de contingenti concluſio ſequi valet.

Iiſdem rationibus in terminis legalibus dicendum ex duabus contingentibus in ſecunda figura nullum fieri poſſe ſyllogiſmum, veluti gratia exempli, ſit hæc coniugatio ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua de con- E tingenti ex terminis ſumptis in tit. ff. de don.

Contingens eſt, Nullam donationem reuocari.

Contingens eſt, Omnem vltimam voluntatem reuocari.

Ex his præmiſſis ſic coniugatis, nulla ſequi poteſt concluſio, eo quia eadem non poteſt demonſtrari, vel per cõuerſionem, facta reductione ad primam figuram, quoniam vniuerſalis negatiua non conuertitur vel per deductionem ad impoſſibile, veluti, ſi negata concluſione, quę F ſequeretur ex dictis propoſitionibus.

Contingens eſt, Nullam vltimã voluntatem eſſe donationem.

Supponitur contradictoria.

Non contingens eſt, Nullam vltimam voluntatem eſſe donationẽ

Quæ equipollet particulari, Neceſſe aliquam vlti-

vltimam voluntatem eſſe donationem, tamen A nullum daretur impoſſibile; ſiquidem ex ea, & maiori propoſitione ita diſpoſitis.

Contingens eſt, Nullam donationem reuocari.
Neceſſe eſt, Aliquam vltimam voluntatem eſſe donationem.

Sequitur in prima figura huiuſcemodi conclusio,

Contingens eſt, Nullam vltimā voluntatem reuocari.

Quę concluſio minori prioris ſyllogiſmi non B eſt oppoſita, quæ dicit,

Contingens eſt, Omnem vltimam voluntatem reuocari.

Propterea deductione ad impoſſibile hęc concluſio minime demonſtrari valet.

Inſuper etiam, quod in terminis legalibus nullus detur ſyllogiſmus ex duabus contingentibus, in ſecunda figura demonſtrari quoque poteſt alia ratione, quoniam ſcilicet neque affirmatiua, neque negatiua concluſio de contingenti ſequi valet. C

His inquam ſumptis terminis, Societas, Imperfectum, Teſtamentum, ſic:

Contingens eſt, Nullam ſocietatem eſſe imperfectam
Contingens eſt, Omne teſtamentum eſſe imperfectum, ergo
Neceſſarium eſt, Nullum teſtamentum eſſe ſocietatem.

Quoniam hæc concluſio non eſt cenſenda affirmatiua, in qua maiorem negamus ineſſe minori, neque negatiua de contingenti dicenda D eſt, cum ſit neceſſaria: quapropter accidit quibuſdam terminis ſumptis in iure ex duabus contingentibus in ſecunda figura, nullam ſequi concluſionem ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuam contingentem.

Concludendum igitur eſt ex duabus contingentibus in ſecunda figura nullum fieri legalem ſyllogiſmum.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſi ſuper hoc capite

Mixtio Abſoluti, & Contingentis in ſecunda figura. Caput XVII.

SI autem altera quidem ineſſe, altera verò contingere ſignificat, prędicatiua quidem ineſſe poſita, priuatiua verò contingere, nunquam erit ſyllogiſmus, ſiue vniuerſaliter, ſiue particulariter ſumantur termini; demonſtra- A tio autem eadem, & per eoſdem terminos: quādo autem affirmatiua contingere, priuatiua ineſſe, erit ſyllogiſmus. Sumatur enim A, B quidem nulli ineſſe; C verò omni A contingere, conuerſa ergo priuatiua, B ineſt nulli A; A autē omni C contingebat. Fit ergo ſyllogiſmus, quòd B contin- B git nulli C per primam figuram.

Tranſit Ariſtoteles in hoc capite ad declarationem mixtorum ſyllogiſmorum de ineſſe, & contingenti in ſecunda figura, & docet in tali mixtione omnem coniugationem ſiue vniuerſalem, ſiue particularem habētem affirmatiuam de ineſſe, & negatiuam de contingenti fore aſſyllogiſticam, quoniam cum in ſecunda figura propoſitiones debeant eſſe diſſimiles ſecundum qualitatem, ſi negatiua fuerit contingens, pote- C rit verti in affirmatiuam, & ſic euadet figura ſimilis cum altera, & ad demonſtrandum inutilitatem harum coniugationum accipere poſſumus terminos præmiſſos, ſcilicet Hominem, Album, Equum. Primus terminus ſumi debet pro maiori extremo, ſecundus pro medio, tertius pro minori extremo, veluti in prima coniugatione.

Contingens eſt, Nullum hominem eſſe album.
Omnis equus eſt albus, ergo
D De neceſſitate, Nullus equus eſt homo.

Et ſic de reliquis: ex quo namque fit concluſio neceſſaria, ſequitur quin poſſit eſſe de ineſse, ſiue contingens, quoniam quod contingit nulli, contingit etiam omni, & quod ineſt nulli, poteſt etiam aliquando ineſſe omni, ac neceſse nulli non poterit contingere omni, aut omni quandoque ineſse.

Verùm in ſecunda figura, affirmatiua exiſtente de contingenti, & negatiua de ineſse efficie- E tur vtilis ſyllogiſmus, quoniam ſi in hac prima iugatione.

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſſe A.

Conuertatur maior propoſitio in hanc

Nullum A eſt B.

Fit ſecunda iugatio primæ figuræ, quæ concludit.

Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Pariter ſi in ſecunda iugatione maior ſumatur vniuerſalis affirmatiua de contingenti, & F minor vniuerſalis negatiua de ineſse.

Contingens eſt, Omne B eſse A.
Nullum C eſt A.

Conuerſa maiori, & concluſione, & tranſpoſitis præmiſſis fit reductio eadem, veluti

Nullum A eſt C.
Contingens eſt, Omne B eſse A, ergo
Contingens eſt, Nullum B eſse C.

Quæ

Quæ concluſio ſi conuertatur, fiet iterum iu- A
gatio dicta concludens,

Contingens eſt, Nullum C eſſe B, quod erat probandum.

Propterea dicit: *Si autem altera quidem ineſſe,*
altera verò contingere ſignificat, quòd ſi fiat talis
mixtio propoſitionum, vt vna ſit abſoluta, & al-
tera contingens; *prædicatiua quidem ineſſe poſita,*
priuatiua vero contingere, ſi affirmatiua fuerit de
ineſſe, & negatiua de contingenti. *nunquam erit*
ſyllogiſmus, in tali mixtione nunquam fiet vtilis
ratiocinatio: *ſiue vniuerſaliter, ſiue particulariter* B
ſumantur termini, quoquomodo accipiantur ter
mini, & propoſitiones ſiue de parte, ſiue de vni-
uerſa re. *Demonſtratio autem eadem, & per eoſdem*
terminos. Quod autem in huiuſcemodi mixtione
propoſitionum ſic diſpoſita nullus fiat ſyllogiſ-
mus, probari poteſt eodem pacto, quo præceden-
tes, & per præmiſſos terminos, Hominem, Al-
bum, Equum. *Quando autem affirmatiua cõtingere,*
priuatiua ineſſe. Si verò affirmatiua propoſitio
fuerit de contingenti, & negatiua extiterit ab-
ſoluta, *erit ſyllogiſmus*, fiet vtilis ſyllogiſmus. *Suma* C
tur enim A, B quidem nulli ineſſe, veluti ſi A me-
dium, B maiori extremo nulli ineſſe, dicatur, nul
lum B eſt A, quæ ſit maior propoſitio negatiua.
C verò omni A contingere, & ſit minor affirmati-
ua, quod A medium contingit ineſſe C minori
extremo, contingens eſt, omne C eſſe A. *Conuerſa*
ergo priuatiua; in hac iugatione negatiua conuer
ſa, *B nõ eſt nulli A*, fit propoſitio maior, nullum A
eſt B. *A autem omni C contingebat*: minor verò
erat, contingens eſt, omne C eſſe A. *Fit ergo ſyllo-*
giſmus. Quapropter euadit ſyllogiſmus in prima D
figura, nempe ſecunda iugatio concludens, *quòd*
B contingit nulli C per primam figuram, contingens
eſt, nullum C eſſe B, ex reductione tali ad pri-
mam figuram. *Similiter autem ſi ad C ponatur pri-*
uatiua. Similiter ſi fiat iugatio ſecunda in ſecun-
da figura, & ad C minorem extremitatem pona-
tur priuatiua vniuerſalis, ita vt efficiatur minor
propoſitio negatiua de ineſſe, & maior affirma-
tiua vniuerſalis de contingenti, vt ſuperius poſi-
tum fuit, fit vtilis ſyllogiſmus, qui reducitur ad
eandem ſecundam iugationem primæ figuræ E
per conuerſionem maioris propoſitionis, & con
cluſionis in terminis, & tranſpoſitionem præ-
miſſarum, vt dictum eſt.

Sequitur textus.

Si autem vtræque ſint priuatiuæ,
ſignificet autem hæc quidem non in-
eſſe; illa verò contingere non ineſſe,
per ea quidẽ, quæ ſumpta ſunt, nihil
accidit neceſſarium. Conuerſa au- F
tem ſecundum contingere propoſi-
tione fit ſyllogiſmus, quòd B contin-
git nulli C ineſſe, quemadmodum in
prioribus. Erit enim rurſum prima
figura: ſi autem vtræque ponantur prædicatiuæ, non erit ſyllogiſmus. Termini quidem ineſſe, Sanitas, Animal, Homo; non ineſſe, Sanitas, Equus, Homo.

Vbi pertractauit mixtas coniugationes vniuerſales de ineſſe, & contingentis in figura diſſimiles, docens quæ ſint vtiles, & quæ inutiles, nunc ponit coniugationes ex eadem mixtione in figura ſimiles, & inquit, quòd ſi ambæ præmiſſæ ſint negatiuæ, & vna de ineſſe, altera contingens, ſiue maior, ſiue minor, per ſe erit inutilis ſyllogiſmus, perficitur tamen reductione facta ad primam figuram, & conuerſa contingente propoſitione ſecundum qualitatem oppoſitam, veluti ea iugatio, quæ conſtat ex maiori negatiua de ineſſe, & minori negatiua de contingenti,

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe A.

Per ſe ex terminis poſitis eſt inutilis, ſiquidem in ſecunda figura ex duabus negatiuis nulla concluſio ſequitur: verùm facta reductione ad ſecundam primæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis vti in præmiſſis, & minori contingenti conuerſa in affirmatiuam, tali pacto:

Nullum A eſt B.
Contingens eſt, Omne C eſſe A. Sequitur concluſio,
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Pariter hęc alia iugatio, conſtans ex maiori de contingenti, & minori de ineſſe,

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
Nullum C eſt A,

Ex terminis poſitis eſt inutilis, verùm præmiſſis tranſpoſitis, & conuerſis maiori, & concluſione vt antea, facta conuerſione contingentis negatiuæ in affirmatiuam, tali pacto:

Nullum A eſt C.
Contingens eſt, Omne B eſſe A.

Euadit eadem iugatio, & ſequitur concluſione conuerſa,

Contingens eſt, Nullum B eſſe C, quæ ex tali iugatione ſequitur
Contingens eſt, Nullum C eſſe B, quæ eſt eadem, ac in prioribus.

Si verò ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ, & vna de ineſſe, altera contingens, ſiue maior, ſiue minor, non fit vtilis ſyllogiſmus, quoniam omni & nulli ſequitur ex neceſſitate.

Termini in quibus ſequitur omni ineſſe ex neceſſitate ſunt Sanitas, Animal, Homo, ſic:

Contingens eſt, Omne animal eſſe ſanum.
Omnis homo eſt ſanus, ergo
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.

Termini, in quibus ſequitur nulli ineſſe ex neceſſitate ſunt Sanitas, Equus, homo, ſic:

A Contingens eſt, Omnem equum eſſe ſanum.
Omnis homo eſt ſanus, ergo
De neceſſitate, Nullus homo eſt equus.

Ait itaque: *Si autem vtraque ſint priuatiuæ.* Quòd ſi ambæ propoſitiones ſint negatiuæ in tali mixtione; *ſignificet autem hæc quidem non ineſſe, illa verò contingere non ineſſe*, vna ſcilicet exiſtente de ineſſe, & altera contingenti: *per ea quidem quæ ſumpta ſunt, nihil accidit neceſſarium*; tunc ex poſitis terminis nulla concluſio ſequitur
B neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. *Conuerſa autem ſecundum contingere propoſitione fit ſyllogiſmus*, ſed mutata propoſitione negatiua de contingenti, fit vtilis ſyllogiſmus, *quòd B contingit nulli C ineſſe*, inferrens concluſionem negatiuam de contingenti, *quemadmodum in prioribus: erit enim rurſum prima figura*, quoniam per conuerſionem, & tranſpoſitionem præmiſſarum, vt in præcedentibus fiet reductio ad primam figuram. *Si autem vtraque ponantur prædicatiuæ, non*
C *erit ſyllogiſmus*, Si verò ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ, nullus erit ſyllogiſmus, quoniam ſequitur omni & nulli ex neceſſitate ineſſe. *Termini quidem ineſſe, Sanitas, Animal, Homo.* Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe ſunt ſanitas pro medio, animal pro maiori, & homo pro minori termino, *non ineſſe, Sanitas, Equus, Homo.* Termini verò, in quibus ſequitur nulli ineſſe ſunt ſanitas loco medij, equus loco maioris extremi, & homo loco minoris.

D **Eodem autem modo ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis: quando autem erit affirmatiua ineſſe, ſiue vniuerſaliter, ſiue particulariter ſumpta, nullus erit ſyllogiſmus Hoc autem ſimiliter & per eoſdem terminos demonſtratur quibus & prius.**
E **Quando autem & priuatiua erit per conuerſionem, quemadmodum in prioribus.**

In præſenti declarat Ariſtoteles eodem modo ſe habere in tali mixtione contingentis, & ineſſe in particularibus ſyllogiſmis, quemadmodum & in vniuerſalibus, quòd ſcilicet affirmatiua exiſtente de ineſſe, ſiue vniuerſali, ſiue particulari, fit inutilis ſyllogiſmus, prout demonſtrari poteſt per eoſdem terminos ſumptos
F in vniuerſalibus, veluti in prima iugatione particulari.

Contingens eſt, Nullum hominem eſſe album.
Aliquis equus eſt albus, ſequitur
De neceſſitate, Nullus equus eſt homo.

Et in ſecunda iugatione particulari.

Omnis homo eſt albus.
Contingens eſt, Aliquem equum eſſe album.
Sequitur
De neceſſitate, Nullus equus eſt homo.

Et ſic nulla dari poteſt in his concluſio de contingenti, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, cum negatiua concludat affirmationem, & neceſſitas opponatur contingenti: negatiua autem exiſtente de ineſſe vniuerſali fit vtilis ſyllogiſmus per conuerſionem, ſicuti etiam in præmiſſis, veluti in prima iugatione particulari,

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A.

Conuerſa maiori in terminis.

Nullum A eſt B,

Euadit quarta iugatio, quæ concludit,

Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.

Dicit itaque: *Eodem autem modo ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis*: in tali mixtione ſyllogiſmorum de ineſſe, & contingenti pari gradu ambulant vniuerſales, & particulares iugationes. *Quando autem erit affirmatiua, ineſſe*, quod quando in prima, vel ſecunda iugatione particulari propoſitio affirmatiua ſit de ineſſe, *ſiue vniuerſaliter, ſiue particulariter ſumpta*, ſiue ſit vniuerſalis, ſiue particularis, *nullus erit ſyllogiſmus*, nulla ſequetur ratiocinatio de contingenti. *Hoc autem ſimiliter, & per eoſdem terminos demonſtratur quibus & prius*: quòd per eoſdem terminos inſtantiarum demonſtratur, ſicuti & vniuerſales in præcedentibus. *Quando autem & priuatiua erit*: at negatiua exiſtente de ineſſe, *per conuerſionem*, fiet vtilis ratiocinatio per conuerſionem, reductione facta ad primam figuram, *quemadmodum in prioribus*, ſicuti & in præcedentibus.

Rurſum ſi ambo quidem interualla priuatiua ſumantur; vniuerſaliter autem quod non ineſſe, ex ipſis quidem propoſitionibus non erit neceſſarium: conuerſa autem contingenti, ſicut in prioribus erit ſyllogiſmus; ſi autem ineſſe quidem ſit priuatiua, particulariter quidē ſumpta, non erit ſyllogiſmus, neque prædicatiua, neque priuatiua exiſtente, altera propoſitione.

Proſequitur Ariſtoteles declarare vtiles, & inutiles ſyllogiſmos particulares, & docet, quòd ſi ambæ præmiſſæ ſint negatiuæ maiori exiſtente de ineſſe & vniuerſali, & minori de contingenti,

genti,& particulari expoſitis terminis, nullus eſt A ſyllogiſmus, tamen per conuerſionem maioris de ineſſe in terminis, & minoris de contingenti in oppoſitam redditur vtilis ratiocinatio, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ, in qua ſequitur conclusio negatiua particularis de contingenti, veluti hæc iugatio,

Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe A.

Per ſe quidem ex poſitis terminis eſt inutilis, ſed per conuerſionem maioris in terminis, & minoris in oppoſitam fit vtilis, tali pacto: B

Nullum A eſt B.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A, ergo
Contingens eſt, Aliquod C non eſſe B.

Dicit igitur: *Rurſum ſi ambo quidem interualla priuatiua ſumantur.* Vlterius ſi ambæ propoſitiones fuerint negatiuæ; *vniuerſaliter autem quod non ineſſe*, maiori exiſtente vniuerſali negatiua de ineſſe, & minori particulari negatiua exiſtente de contingenti; *ex ipſis quidem propoſitionibus non erit neceſſarium*, per ſe ex terminis poſitis nulla ſequitur concluſio neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. *Conuerſa autem contingenti ſicuti in prioribus erit ſyllogiſmus*, euadit tamen vtilis ratiocinatio per conuerſionem illius, quæ eſt de contingenti in oppoſitam qualitatem, & illius de ineſſe in terminis, vti in præcedentibus. C *Si autem ineſſe quidem ſit priuatiua particulariter quidem ſumpta*, quòd ſi particularis negatiua fuerit abſoluta, *non erit ſyllogiſmus*, nulla ſequitur vtilis ratiocinatio, *neque prædicatiua, neque priuatiua exiſtente, altera propoſitione*, quoquomodo ſe habeat reliqua propoſitio, vel ſit vniuerſalis affirmatiua, ſiue ſit vniuerſalis negatiua. D

Nec quando vtræque ponuntur indefinitæ, vel affirmatiuæ, vel negatiuæ, aut particulares: demonſtratio autem eadem, & per eoſdem terminos.

In poſtrema parte huius capitis vniuerſaliter determinat Ariſtoteles, quòd quando ambæ præmiſſæ ſumuntur indefinitæ, vel particulariter quouis modo ſe habeant ſecundum qualitatem vel ſint affirmatiuæ, vel negatiuæ, nullus fit ſyllogiſmus, quoniam ex eis ſequitur omni & nulli ex neceſſitate ineſſe, vt demonſtrari poteſt poſitis terminis, ſiquidem in his, Sanitas, Animal, Homo, ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, veluti

Contingens eſt, Aliquod animal eſſe ſanum.
Aliquis homo eſt ſanus, ergo ſequitur
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.

In his verò terminis, Sanitas, Equus, Homo, ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, veluti

Contingens eſt, Aliquem equum eſſe ſanum.
Aliquis homo eſt ſanus. Sequitur
De neceſſitate, Nullus homo eſt equus.

Idem euenit ſi in vtriſque coniugationibus accipiantur termini indefinite, quoniam indefinita etiam æquipollet particulari. Inquit ergo: *Nec quando vtræque ponuntur indefinitæ*, adhuc ſi ambæ præmiſſæ ſumantur indefinitæ, *vel affirmatiuæ, vel negatiuæ*, quouis modo ſe habeant ſecundum qualitatem vel ſint affirmatiuæ, vel negatiuæ, *aut particulares*, & idem ſi particulares ponantur, nullus fit ſyllogiſmus. *Demonſtratio autem eadem*, quod demonſtrari poteſt, vt in præcedentibus, ex quo omni & nulli inferunt ex neceſſitate, *& per eoſdem terminos*, præmiſſis terminis ſumptis, vt poſuimus.

Et hæc ſatis ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite XVII. De mixtione Abſoluti & Contingentis in ſecunda figura pro iuris ſtudioſis.

Docet in præſenti capite Ariſtoteles mixtas coniugationes de ineſſe, & contingenti in ſecunda figura, & ponit quatuor vtiles coniugationes vniuerſales, & duas particulares, non quidem per ſe, ex poſitis terminis perfectas, ſed per conuerſionem, facta reductione ad primam figuram.

Prima vtilis vniuerſalis coniugatio conſtat ex maiori negatiua vniuerſali de ineſſe, & minori affirmatiua vniuerſali de contingenti, quæ perficitur facta reductione ad ſecundam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis.

Secunda vtilis coniugatio vniuerſalis conſtat ex maiori affirmatiua vniuerſali de contingenti, & minori negatiua vniuerſali de ineſſe, quæ perficitur facta reductione ad eandem ſecundam iugationem primæ figuræ per conuerſionem maioris, & concluſionis in terminis, & per tranſpoſitionem præmiſſarum. E

Tertia vtilis coniugatio vniuerſalis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de ineſſe, & minori negatiua vniuerſali de contingenti, quæ perficitur facta reductione ad eandem ſecundam iugationem primæ figuræ per conuerſionem maioris de ineſſe in terminis, & minoris contingenti in affirmatiuam.

Quarta vtilis coniugatio vniuerſalis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori vniuerſali negatiua de ineſſe, quæ perficitur, facta reductione ad prænarratam iugationem ſecundam primæ figuræ per conuerſionem maioris, & concluſionis in terminis, & per tranſpoſitionem præmiſſarum, contingenti negatiua in affirmatiuam mutata. F

Prima vero vtilis coniugatio particularis conſtat ex maiori negatiua vniuerſali de ineſſe, & minori affirmatiua particulari de contingenti, quæ perficitur, facta reductione ad quartam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis.

Secunda vtilis coniugatio particularis conſtat ex maiori negatiua vniuerſali de ineſſe, & minori negatiua particulari de contingenti, quę perficitur, facta reductione ad dictam iugationem quartam primæ figuræ per conuerſionem maioris de ineſſe in terminis, & minoris contingentis in oppoſitam.

De quibus omnibus iugationibus & vniuerſalibus & particularibus poſuimus exempla ex Ariſtotele, remanet eadem figurare cum Iuris peritis.

Exemplum primæ iugationis vniuerſalis ſumantur hi termini in iure, videlicet Delictum, Impunitas, Iudicium, ſic:

Nullum delictum eſt impunitum.
Contingens eſt, Omne iudicium eſſe impunitum.

Per conuerſionem enim maioris in terminis euadit ſecunda iugatio primæ figuræ, quæ concludit negatiuam vniuerſalem de contingenti, tali pacto:

Nullum impunitum eſt delictum:
Contingens eſt, Omne iudicium eſſe impunitum, ergo
Contingens eſt, Nullum iudicium eſſe delictum.

Deſumuntur termini in tit. Digeſtorum de priuatis delictis, & de publicis iudicijs.

Exemplum ſecundę vniuerſalis coiugationis, iiſdem ſumptis terminis.

Contingens eſt, Omne delictum eſſe impunitum.
Nullum iudicium eſt impunitum.

Hæc iugatio per conuerſionem maioris, & concluſionis, & per tranſpoſitionem præmiſſarum perficitur, facta reductione ad poſitam iugationem primæ figuræ, tali pacto:

Nullum impunitum eſt iudicium.
Contingens eſt, Omne delictum eſſe impunitum, ergo
Contingens eſt, Nullum delictum eſſe iudicium.

Hac concluſione conuerſa, euadit iugatio dicta concludens,

Contingens eſt, Nullum iudicium eſſe delictum,

Exemplum tertiæ iugationis vniuerſalis in dictis terminis.

Nullum delictum eſt impunitum.
Contingens eſt, Nullum iudicium eſſe impunitum.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad eandem ſecundam iugationem primæ figuræ, maiori de ineſſe in terminis conuerſa, & minori negatiua de contingenti in affirmatiuam mutata, tali pacto:

Nullum impunitum eſt delictum.
Contingens eſt, Omne iudicium eſſe impunitum, ergo
Contingens eſt, Nullum iudicium eſſe delictum.

Exemplum quartæ coniugationis vniuerſalis in poſitis terminis.

Contingens eſt, Nullum delictum eſſe impunitum.
Nullum iudicium eſt impunitum.

Hæc iugatio tranſpoſitis præmiſſis, & conuerſa maiori, & concluſione in terminis, mutataq; contingenti negatiua in affirmatiuam, fit iugatio dicta primæ figuræ, videlicet

Nullum impunitum eſt iudicium.
Contingens eſt, Omne delictum eſſe impunitum, ergo
Contingens eſt, Nullum delictum eſſe iudicium.

Quæ concluſio conuerſa fit

Contingens eſt, Nullum iudicium eſſe delictum.

Declaratis exemplo coniugationibus vniuerſalibus in tali mixtione, remanet declarare particulares.

Sit itaque exemplum primæ particularis in præmiſſis terminis.

Contingens eſt, Nullum delictum eſſe impunitum.
Aliquod iudicium eſt impunitum.

Hæc iugatio perficitur per conuerſionem maioris in terminis, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ, ſcilicet

Contingens eſt, Nullum impunitum eſſe delictum.
Aliquod iudicium eſt impunitum, ergo
Contingens eſt, Aliquod iudicium non eſſe delictum.

Exemplum ſecundæ iugationis particularis in iiſdem terminis, nempe.

Nullum impunitum eſt delictum.
Contingens eſt, Aliquod iudicium non eſſe delictum.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad quartam iugationē primæ figuræ per conuerſionē maioris in terminis, & minoris cōtingētis negatiuæ in affirmatiuam, tali pacto, videlicet:

Nullum

Nullum delictum impunitum.
Contingens eſt, Aliquod iudicium eſſe delictum, ergo
Contingens eſt, Aliquod iudicium eſſe impunitum.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſis.

Mixtio Neceſſarij, & Contingentis in ſecunda figura. Cap. XVIII.

SI autem hæc quidem propoſitionum ex neceſſitate, illa verò contingere ſignificat, priuatiua quidem neceſſaria, erit ſyllogiſmus, non ſolum ipſum quod contingit non ineſſe, ſed quod non ineſt. Affirmatiua autem non erit. Ponatur autem A, B quidem nulli ineſſe ex neceſſitate; C autem omni contingere. Conuerſa ergo priuatiua, & B nulli A inerit: A autem omni C contingebat. Fit igitur rurſum per primam figuram ſyllogiſmus, quòd B contingit nulli C ineſſe: ſimul autem manifeſtum, quod neque ineſt B vlli C: ponatur enim ineſſe; ergo ſi A nulli B contingit, B autem ineſt alicui C, A alicui C non contingit, ſed omne ponebatur contingere. Eodem autem modo oſtendetur, & ſi ad C ponatur priuatiuum.

Vbi explicaſſet ſyllogiſmos ex mixtione de ineſſe,& contingentis in ſecunda figura,accedit ad ſyllogiſmos conſtantes ex mixtis propoſitionibus de contingenti, & de neceſſario, & in primis ponit de more ſyllogiſmos vniuerſales, dicens quòd exiſtente neceſſaria negatiua propoſitione,ſiue ſit maior, ſiue minor fit vtilis ſyllogiſmus valens concludere negatiuam concluſionem contingentem,& inſuper negatiuam abſolutam: at neceſſaria exiſtente affirmatiua, contingenti verò negatiua nullo modo fit vtilis ſyllogiſmus in tali mixtione, quoniam cum negatiua valeat conuerti in affirmatiuam,propoſitiones non erunt in figura diſſimiles; & per conA ſequens in ſecunda figura ſyllogizari ex iiſdem non valebimus. Determinat igitur Ariſtoteles duas vniuerſales iugationes, quarum vna conſtat ex maiori vniuerſali negatiua neceſſaria, & minori affirmatiua contingenti vniuerſali, altera ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori vniuerſali negatiua neceſſaria, in quibus colligitur duplex concluſio, negatiua ſcilicet vniuerſalis de contingenti, & negatiua abſoluta.

Exemplum primæ.

B De neceſſitate, Nullum B eſt A,
Contingens eſt, Omne C eſſe A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe B. Vel ſequitur negatiua abſoluta,
Nullum C eſt B.

Concluſio contingens negatiua demonſtratur per conuerſionem maioris in terminis, facta reductione ad ſecundam iugationem primæ figuræ, tali pacto:

C De neceſſitate, Nullum A eſt B.
Contingens eſt, Omne C eſſe A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Negatiua concluſio abſoluta demonſtratur deductione ad impoſſibile; hoc modo:

Si negetur concluſio Nullum C eſt B, dabitur ſua contradictoria, quæ eſt, Aliquod C eſt B.

Ex qua & maiori ſic diſpoſitis,

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Aliquod C eſt B.

D Infertur in quarta iugatione primæ figuræ.
De neceſſitate, Aliquod C non eſt A.

Quæ illatio eſt oppoſita minori propoſitioni prioris ſyllogiſmi, quę ponit Contingens eſt, omne C eſſe A: quare falſa eſt ſuppoſitio, & concluſio vera, quæ dicit, nullum C eſt B.

Exemplum ſecundæ iugationis vniuerſalis.

Contingens eſt, Omne B eſſe A.
Neceſſe eſt, Nullum C eſſe A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

E Vel ſequitur inſuper negatiua abſoluta.
Nullum C eſt B.

Contingens negatiua probatur per conuerſionem, ſcilicet per tranſpoſitionem præmiſſarum, & conuerſa minori, & concluſione in terminis, ſic:

Neceſſe eſt, Nullum A eſſe C.
Contingens eſt, Omne B eſſe A, ergo ſequitur,
Contingens eſt, Nullum B eſſe C.

F Quæ concluſio ſi conuertatur, ſit
Contingens eſt, Nullum C eſſe B, quod erat probandum.

Negatiua verò abſoluta demonſtratur deductione ad impoſſibile, quoniam ſi negetur, nullum C eſt B, dabitur contradictoria, aliquod C eſt B; ex qua & maiori ſic diſpoſitis.

Contingens eſt, Omne B eſſe A. A
Aliquod C eſt B. Sequitur in tertio modo primæ figuræ.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe A, quæ eſt oppoſita minori prioris ſyllogiſmi, quæ dicit,
Neceſſe eſt, Nullum C eſſe A. Quapropter data falſa erit, & concluſio vera.

Inquit ergo: *Si autem hæc quidem propoſitionũ ex neceſſitate, illa verò contingere ſignificat.* Si vna propoſitionum præmiſſarum ſit de modo neceſſario, alia vero de modo contingenti, in vniuerſalibus ſcilicet ſyllogiſmis in ſecunda figura. B *Priuatiua quidem neceſſaria.* Si negatiua vniuerſalis in prima & ſecunda iugatione ſit neceſſaria, & affirmatiua ſit contingens, *erit ſyllogiſmus non ſolum ipſum quod contingit non ineſſe, ſed quod non ineſt*, erit vtilis ſyllogiſmus valens inferre duplicem concluſionem, nempe concluſionem negatiuam vniuerſalem de contingenti, & negatiuã vniuerſalem concluſionem de ineſſe. *Affirmatiua autem non erit.* Quòd ſi propoſitio affirmatiua ſit de neceſſario, & negatiua de contingenti, C nullo modo erit ſyllogiſmus, declarat vtramque iugationem exemplo, & primo primam. *Ponatur autem A, B quidem nulli ineſſe ex neceſſitate.* Sumatur maior propoſitio ſic de neceſſitate, nullum B eſt A. *C autem omni contingere.* Et minor ſit contingens eſt, omne C eſſe A, ſequitur concluſio de contingenti, contingens eſt nullum C eſſe B, probatur hæc concluſio. *Cõuerſa ergo priuatiua*, quoniam conuerſa maiori negatiua in terminis, *& B nulli A inerit*, fiet de neceſſitate, nullum A eſt B. D *A autem omni C contingebat*, cui maiori conuerſæ addita minori, quæ erat contingens eſt, omne C eſſe A. *Fit igitur rurſum per primam figuram ſyllogiſmus.* Syllogizatur facta reductione ad ſecundam iugationem primæ figuræ, *quòd B contingit nulli C ineſſe*, Contingens eſt, nullum C eſſe B. *Simul autem manifeſtum.* Ex eadem iugatione patet, *quod neque ineſt B vlli C*, quod etiam ſequitur concluſio negatiua vniuerſalis abſoluta, nullum C eſt B: *ponatur enim ineſſe*, quoniam ſi negetur, probatur per impoſſibile, quoniam ſi quis falſam dicat concluſionem, nullum E C eſt B, ſupponemus veram ſuam contradictoriam aliquod C eſt B; ex qua maiori fiet deductio ad impoſſibile, ſic: *Ergo ſi A nulli B contingit.* Si maior ſumatur, quæ eſt de neceſſitate, nullum B eſt A: *B autem ineſt alicui C*, & ei addatur ſuppoſitio, aliquod C eſt B, *A alicui C non contingit.* Sequitur hæc concluſio, de neceſſitate, aliquod C non eſt A, *ſed omni ponebatur contingere*, contra minorem poſitam cõtingens eſt, omne C eſſe A. *Eodem autem modo oſtendetur, & ſi ad C ponatur priuatiuum.* Iiſdem medijs & per conuerſionem, & F per impoſſibile monſtrabitur etiam in ſecunda iugatione, in qua minor eſt negatiua vniuerſalis de neceſſario, ſequi hanc duplicem concluſionẽ, ſcilicet vnã negatiuã contingentem, alterã abſolutam, vt poſuimus exemplo. Sequitur textus.

Rurſum ſit prædicatiua quidem neceſſaria, altera autem priuatiua & contingens & A, B contingat nulli, C autem omni inſit ex neceſſitate; ſic ergo habentibus ſe terminis nullus erit ſyllogiſmus; accidit enim B ex neceſſitate non ineſſe C; ſit enim A quidem album, in quo autem B homo, in quo verò C cygnus; ergo album cygno quidem ex neceſſitate ineſt: homini autem contingit nulli, & homo nulli cygno ex neceſſitate. Quod igitur eius quod eſt contingere, non eſt ſyllogiſmus, manifeſtum eſt; nam ex neceſſitate non erat contingens; ſed tamen non neceſſarij; nam neceſſarium, aut ex vtriſque neceſſarijs, aut ex priuatiua neceſſaria contingebat.

Cum declarauerit, quod exiſtente negatiua neceſſaria vtilis ſit ſyllogiſmus in mixtione neceſſarij & contingentis in ſecunda figura, nunc ſequitur explicare oppoſitam, quòd ſcilicet affirmatiua exiſtente neceſſaria in tali mixtione ſiue maior, ſiue minor, nullus ſit ſyllogiſmus. Et in primis ponit coniugationem habentem minorem affirmatiuam neceſſariam vniuerſalem tum in elementis, tum in terminis.

In elementis ſic:

Contingens eſt, Nullum B eſſe A.
De neceſſitate, Omne C eſt A, ergo
De neceſſitate, Nullum C eſt B.

In terminis ſic:

Contingens eſt, Nullum hominem eſſe album.
De neceſſitate, Omnis cygnus eſt albus, ergo ſequitur.
De neceſſitate, Nullus cygnus eſt homo.

Quæ concluſio cum ſit neceſſaria; & excluditur quin poſſit eſſe contingens, quoniam neceſſarium opponitur cõtingenti: nec propterea dicere poſſumus ex præmiſſis ſequi concluſionem neceſſariam, licet negatiua vniuerſalis de neceſſario ſtare poſſit, quoniam concluſio neceſſaria aut ex duabus neceſſarijs concluditur, vel ex priuatiua exiſtente neceſſaria. Dicit igitur. *Rurſum ſit prædicatiua quidem neceſſaria, altera autem priuatiua & cõtingens.* Præterea ſit affirmatiua vniuerſalis ſiue maior, ſiue minor de neceſſario; altera verò propoſitio, quæ eſt vniuerſalis negatiua, ſit de contingenti, *& A, B contingat nulli*; & in prima iugatione ponatur maior talis

talis contingens eſt, nullum B eſſe A. *C autem A omni inſit ex neceſſitate* : minor verò ſit affirmatiua vniuerſalis neceſſaria, veluti de neceſſitate, omne C eſt A. *Sic ergo habentibus ſe terminis, nullus erit ſyllogiſmus*, ex tali diſpoſitione terminorum nullo modo ſequitur ratiocinatio de contingenti. *Accidit enim B ex neceſſitate non ineſſe C*, quoniam ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua neceſſaria, de neceſſitate, nullum C eſt B, quod magis aperte patet in terminis. *Sit enim A quidem album*. Sumatur album loco A medij termini; *in quo autem B homo*, & homo ponatur loco maioris extremi; *in quo verò C cygnus*; cygnus verò accipiatur loco C minoris extremi, ex his terminis. *Ergo album cygno quidem ex neceſſitate ineſt*. Album, quod eſt medium cygno, quod eſt maior extremitas ineſt ex neceſſitate, vnde fit minor propoſitio de neceſſitate, omnis cygnus eſt albus. *Homini autem contingit nulli*, & album contingit nulli ineſſe homini maiori extremo, & fit maior propoſitio contingens eſt, nullum hominem eſſe album, *& homo nulli cygno ex neceſſitate*. Ex quibus præmiſſis ſequitur concluſio vniuerſalis neceſſaria, ſcilicet de neceſſitate, nullus cygnus eſt homo, & ſic nulla ſequitur concluſio de contingenti, vnde addit: *Quod igitur eius quod eſt contingere, non eſt ſyllogiſmus manifeſtum eſt*. Patet ex dictis huiuſcemodi iugationibus inutiles reperiri ad concludendum ſyllogiſmum de contingenti: *nam ex neceſſitate non erat contingens*; quoniam contingens, & neceſſarium opponuntur. *Sed tamen non neceſſarij*. neque propterea ex poſitis præmiſſis in tali iugatione dici poteſt ſequi concluſionem de neceſſario, etſi ponatur negatiua vniuerſalis neceſſaria: *nam neceſſarium aut ex vtriſque neceſſarijs, aut ex priuatiua neceſſaria contingebat*, quia ponebatur in ſuperioribus concluſionem de neceſſario, tunc ſequi, quando ambæ præmiſſæ erant neceſſariæ vel negatiua talis extaret.

Sequitur textus.

Amplius & poſſibile eſt ijs poſitis B ineſſe C; nihil enim prohibet C quidem ſub B eſſe: A autem B quidem omni contingere: C verò ex neceſſitate ineſſe, vt ſit quidem C vigilia, B autem animal; in quo autem A motus: nam vigilanti quidem ex neceſſitate ineſt motus: Animali autem nulli contingit, & omne vigilans animal. Manifeſtum ergo quod nôn eius quod eſt non ineſſe: ſiquidem ſic ſe habentibus terminis, neceſſe eſt ineſſe, neque autem oppoſitarum af-

A firmationum; quare nullus erit ſyllogiſmus.

Ariſtoteles progreditur oſtendendo affirmatiua vniuerſali exiſtente neceſſaria nullum fieri ſyllogiſmum, quoniam ſic in præmiſſis terminis patet inferri negatiuam concluſionem de neceſſario, quæ penitus deſtruit affirmatiuam de contingenti, ſic in alijs terminis conſtare facit ſequi affirmatiuam concluſionem neceſſa-
B riam, quæ pariter negatiuam de contingenti excludit, vnde cum nulla ex tali diſpoſitione præmiſſarum concluſio ſequi valeat, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua de contingenti, dicendum eſt ex eis nullum fieri ſyllogiſmum in tali mixtione & figura. Termini ſumpti ſunt Animal, Motus, Vigilans: tali pacto formatur iugatio.

Contingens eſt, Nullum animal moueri.
De neceſſitate, Omne vigilans mouetur, ergo
ſequitur
C De neceſſitate, Omne vigilans eſt animal.

Et ita patet quomodo omni & nulli ex neceſſitate ſequatur in tali iugatione affirmatiua exiſtente neceſſaria, & negatiua contingenti. Inquit ergo: *Amplius & poſſibile eſt ijs poſitis B ineſſe C*. Inſuper fieri poteſt, quòd in tali diſpoſitione terminorum ſequatur concluſio affirmatiua vniuerſalis de neceſſario, ſcilicet de neceſſitate, omne C eſt B. *Nihil enim prohibet C quidem ſub B eſſe*, veluti ſi C minor extremitas ſumpta fuerit ſub B maiori extre-
D mitate. *A autem B quidem omni contingere*. & A medius terminus, maiori qui eſt B omni contingat. *C verò ex neceſſitate ineſſe*, & idem A medius inſit C, minori extremo de neceſſitate, *vt ſit quidem C vigilia*, ſicuti ſi accipiatur vigilans loco C, minoris extremi: *B autem animal*, & animal ponatur loco B maioris extremi, *in quo autem A motus*, & motus conſtituatur medius loco A: *nam vigilanti quidem ex neceſſitate ineſt motus*, quoniam de neceſſitate omne vigilans mouetur. *Animali au-*
E *tem nulli contingit*, & contingens eſt, nullum animal moueri, cum etiam contingens ſit, omne animal moueri, *& omne vigilans animal*, & de neceſſitate, omne vigilans ſit animal. *Manifeſtum ergo, quòd non eius, quod eſt non ineſſe*. Conſtat itaque in his terminis, quod inferri nequit negatiua de contingenti, quæ dicitur non ineſſe. *Siquidem ſic ſe habentibus terminis neceſſe eſt ineſſe*, quoniam in huiuſcemodi terminorum diſpoſitione ſequitur concluſio affirma-
F tiua de neceſſario. *Neque autem oppoſitarum affirmationum*, neque inferri poteſt oppoſita de dicto affirmatiua contingens, quoniam, vt habuimus in prioribus terminis, colligitur negatiua de neceſſario: *Quare nullus erit ſyllogiſmus*: quapropter in tali mixtione affirmatiua exiſtente neceſſaria, nullo modo fieri poteſt ſyllogiſmus de contingenti.

Similiter autem oſtendetur, & è conuerſo poſita affirmatiua: ſi autem ſimilis figurę ſint propoſitiones, cum priuatiuæ ſint, ſemper fit ſyllogiſmus, conuerſa ſecundum contingere propoſitione, quẽadmodum in prioribus. Si ſumatur enim A, B quidem ex neceſſitate non ineſſe; C autem contingere non ineſſe; conuerſis autem propoſitionibus B quidem nulli ineſſe A: A autem omni C contingit. Fit igitur prima figura; & ſi ad C ponatur priuatiuum ſimiliter.

Cum declarauerit iugatinnem habentem maiorem vniuerſalem contingentem negatiuam, & minorem vniuerſalem affirmatiuam neceſſariam eſse aſyllogiſticam in ſecunda figura, illic ponit, eam quoque iugationem eſse inutilẽ, quæ e contrario conſtituitur ex maiori affirmatiua vniuerſali de neceſſario, & minori vniuerſali negatiua de contingenti, quam faſserit talem demonſtrari per eandem viam, per quam, & ſuperior oſtenditur, & addit, quod ſi ambæ propoſitiones ſint negatiuæ maiori exiſtente de neceſſario, & minori contingenti fit vtilis ratiocinatio per conuerſionem contingentis in qualitatem oppoſitam, veluti hæc coniugatio,

De neceſſitate, Nullum B eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſse A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſse B.

Hæc inquam ratiocinatio perficitur, facta reductione ad ſecundam iugationem primæ figurę per conuerſionem maioris neceſſariæ in terminis, & minoris cõtingentis in oppoſitam, ſic;

De neceſſitate, Nullum A eſt B.
Contingens eſt, Omne C eſse A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

At maiori exiſtente de contingenti, & minori de neceſſario fit vtilis ratiocinatio, facta reductione ad eandem ſecundam iugationem primę figuræ per tranſpoſitionem terminorum, per conuerſionem minoris, & concluſionis in terminis, & mutata maiori contingenti in qualitatem oppoſitam, veluti hæc coniugatio

Contingens eſt, Nullum B eſse A.
De neceſſitate, Nullum C eſt A, ergo
Contingens eſt, Nullum C eſse B.

Perficitur tali pacto per reductionem ad primam figuram.

De neceſſitate, Nullum A eſt C,
Contingens eſt, Omne B eſse A, ergo
Contingens eſt, Nullum B eſse C.

Qua concluſione conuerſa habemus propoſitum.

Contingens eſt, Nullum C eſse B.

A Inquit igitur: *Similiter autem oſtendetur, & è conuerſo poſita affirmatiua*, ſicuti demonſtratum ſunt eam eſse aſyllogiſticam coniugationem, quæ conſtituitur ex maiori vniuerſali contingẽti negatiua, & minori vniuerſali neceſſaria affirmatiua: pariter oſtendetur inutilitas illius coniugationis, quæ copulabitur e contrario, ex maiori affirmatiua vniuerſali de neceſſario, & minori vniuerſali negatiua contingenti. *Si autem ſimilis figuræ ſint propoſitiones*. Si verò præmiſſæ ſint conſimilis qualitatis, *cum priuatiuæ ſint*, quando ambæ ſint negatiuæ, *ſemper fit ſyllogiſmus, conuerſa ſecundum contingere propoſitione*, ſemper fit ratiocinatio vtilis per conuerſionem contingentis in qualitatem oppoſitam. *quemadmodum in prioribus*, ſicuti in ſuperioribus dictum eſt, oſtendit exemplo. *Si ſumatur enim A, B quidem ex neceſſitate non ineſſe*, veluti ſi ponatur hæc iugatio, quæ habeat maiorem negatiuam vniuerſalem de neceſſario, ſcilicet de neceſſitate, nullum B eſt A. *C autem contingere non ineſse*, & minor exiſtat vniuerſalis negatiua de contingenti, contingens eſt, nullum C eſse A, ex quibus infertur cõcluſio contingens eſt, nullum C eſse B, hæc iugatio perficitur per conuerſionem maioris in terminis, & minoris in oppoſitam, ideo dicit: *conuerſis autem propoſitionibus*, per conuerſionem præmiſſarum ſcilicet maioris in terminis. *B quidem nulli ineſſe A*, fit nullum A eſt B de neceſſitate. *A autem omni C contingit*, & minoris in oppoſitã fit contingens eſt, omne C eſse A. *Fit igitur prima figura*, & ſic efficitur ſecunda iugatio primę figuræ, quæ infert dictam concluſionem contingens eſt nullum C eſse B. *Et ſi ad C ponatur priuatiuum ſimiliter*, quod ſi ad C minorem exiſtentem ponatur neceſſarium, ita vt maior ſit negatiua vniuerſalis de contingenti, & minor vniuerſalis negatiua de neceſſario, perficitur etiam vt præcedentes, nempe conuerſis minori, & concluſione in terminis, & tranſpoſitis præmiſſis, & inſuper mutata maiori in qualitatem oppoſitam, vt vidimus.

Si autem prædicatiuæ ponantur, non erit ſyllogiſmus; nam eius quod eſt non ineſſe, aut eius quod eſt ex neceſſitate nõ ineſſe, manifeſtum quod non erit, eo quod non ſumpta ſit priuatiua propoſitio, neque in eo, quod eſt ineſſe, neque in eo quod eſt ex neceſſitate ineſſe, ſed neque eius quod eſt contingere non ineſſe: ex neceſſitate enim ſic ſe habentibus B non inerit C, vt ſi A quidem ponatur albũ; in quo autem B cygnus, in quo autem C homo, neque oppoſitarum affirmationum, quoniam oſtenſum

eſt

eſt B ex neceſſitate non ineſſe C; non ergo fit ſyllogiſmus omnino.

Dicit in præſenti, quòd vtriſque propoſitionibus exiſtentibus affirmatiuis, nullo modo fit ſyllogiſmus, propterea quod ex ipſis nulla concluſio inferri poteſt, ſiue negatiua, ſiue affirmatiua, non quidem negatiua de ineſſe, ſiue negatiua de neceſſario; quippe quoniam nulla priuatiua propoſitio ſiue de ineſſe, ſiue neceſſaria exiſtat in tali iugatione, ex quibus iſtæ ſequuntur concluſiones, nec inſuper ex iiſdem propoſitionibus deducitur aliqua concluſio negatiua de contingenti, quando ex ambabus affirmatiuis colligitur negatiua vniuerſalis de neceſſario, quod magis aperte oſtendit, ſumptis terminis Cygno, Albo, & Homine, tali pacto:

De neceſſitate, Omnis cygnus eſt albus.
Contingens eſt, Omnem hominem eſſe album,
ergo
De neceſſitate, Nullus homo eſt cygnus.

Hæc concluſio, cum ſit neceſſaria negatiua, opponitur negatiuæ contingenti, & inſuper tollit quamcunque aliam affirmatiuam ſiue de ineſſe, ſiue de neceſſario, ſiue contingentem. Ideo dicit: *Si autem prædicatiuæ ponantur, non erit ſyllogiſmus.* Si ambæ præmiſſæ ponantur affirmatiuæ; nulla erit ratiocinatio talis mixtionis in ſecunda figura: *nam eius quod eſt non ineſſe, aut eius quod eſt ex neceſſitate non ineſſe, manifeſtum quod non erit.* patet enim quod ex iis minime ſequi valet concluſio negatiua de ineſſe, ſiue neceſſaria, *eo quod non ſumpta ſit priuatiua propoſitio*, quoniã in tali iugatione nulla reperitur præmiſſarum, quæ ſit negatiua de ineſſe, ſiue de neceſſario, quod inquit, *neque in eo quod eſt ineſſe, neque in eo quod eſt ex neceſſitate ineſſe*. Ad hoc enim vt negatiua concluſio de ineſſe, ſiue neceſſaria ſequatur, requiritur aliqua præmiſſarũ talis, *ſed neque eius quod eſt contingere non ineſſe*, nec inſuper colligitur negatiua concluſio contingens. *Ex neceſſitate enim ſic ſe habentibus B non inerit C*, quoniam ex tali diſpoſitione terminorum B maior extremitas ex neceſſitate non inerit C minori extremitati ſequitur negatiua concluſio de neceſſitate, quod declarat clarius in terminis, *vt ſi A quidem ponatur album*, veluti ſi accipiatur loco A medij albũ: *in quo autem B cygnus*, & loco B maioris extremi ponatur cygnus, *in quo autem C homo*, & loco C minoris extremi ſumatur homo. In his inquam terminis conſtat ſequi negatiuam de neceſſario in tali iugatione, vt exemplo patefeci; quæ negatiua concluſio de neceſſario tollit cõtingentem negatiuam, & ſic nulla negatiua cõcluſio ſequitur ex vtriſque affirmatiuis, vel ſit negatiua de ineſſe, ſiue de cõtingenti, ſiue de neceſſario; *neque oppoſitarum affirmationum*: nec inſuper ſequitur aliqua concluſio affirmatiua dictis negatiuis, oppoſita ſcilicet vel de ineſſe, vel contingens, vel neceſſaria, *quoniam oſtenſum eſt B ex neceſſitate non ineſſe C*, quando poſitum fuit ſequi B maiorẽ extremitatem ex neceſſitate non ineſſe C mino-

A ri extremitati, ſequi ſcilicet negatiuam concluſionem de neceſſario, quæ quamlibet affirmatiuam tollit. *Non ergo fit ſyllogiſmus omnino.* Nullus itaque fit ſyllogiſmus, præmiſſis vtriſque affirmatiuis exiſtentibus.

Sequitur textus.

Similiter autem ſe habebit & in particularibus ſyllogiſmis. Quando autem fuerit priuatiua, & vniuerſa- B lis, & neceſſaria, ſemper erit ſyllogiſmus, & eius quod eſt contingere non ineſſe, & eius quod eſt non ineſſe: demonſtratio autem per conuerſionem; quando autem affirmatiua nunquam; eodem autem modo oſtendetur, quo & in vniuerſalibus, & per eoſdem terminos, nec quando vtræ- C que ſumuntur affirmatiuæ: nam & huius eadem demonſtratio, quæ & prius, quando vtræque quidem priuatiuæ; vniuerſalis autem & neceſſaria, quæ non ineſſe ſignificat, per ea quidem, quæ ſumpta ſunt, non erit neceſſarium. Conuerſa autem ſecundum contingere propoſitione, D erit ſyllogiſmus, quemadmodum in prioribus.

Explicatis ſyllogiſmis vniuerſalibus huius mixtionis in ſecunda figura tranſit ad particulares, quos inquit eodem modo ſe habere, ſicuti & vniuerſales, quoniam exiſtente neceſſaria negatiua vniuerſali propoſitione, vt in prima iugatione particulari fit vtilis ſyllogiſmus, valens concludere concluſionem negatiuam abſolutã, & negatiuam concluſionem contingentem, & E demonſtratur eodem modo vti vniuerſales, nẽpe per conuerſionem maioris in terminis: neceſſaria verò exiſtente vniuerſali affirmatiua, vt in ſecunda particulari iugatione fit inutilis ſyllogiſmus, cuius inutilitas pariter ponit oſtendi per eoſdem terminos, per quos etiam in vniuerſalibus, in quibus affirmatiua vniuerſalis fuerat de neceſſario, idẽ quoque atteſtatur euenire, quando in ſyllogiſmis particularibus ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ, quòd ſcilicet nulla ſequitur ratiocinatio; propterea quod nec in vniuerſalibus F ſimilis figuræ nulla cõcluſio ſequi valeat. Quando verò ambæ præmiſſæ ſunt negatiuæ, negatiua vniuerſali exiſtente de neceſſario non fit vtilis ſyllogiſmus, quod conſimiliter probari poteſt per terminos poſitos, euadit tamẽ vtilis per conuerſionem contingentem negatiuæ in qualitatem oppoſitam, vti quoque in præcedẽtibus

huiuſce-

huiuſcemodi figurę. Dicit ergo: *Similiter autem ſe habebit, & in particularibus ſyllogiſmis.* Eodem modo ſe habet in particularibus ſyllogiſmis, ſicuti & in vniuerſalibus, *Quando autem fuerit priuatiua & vniuerſalis, & neceſſaria,* quòd exiſtente negatiua vniuerſali de neceſſario, & particulari affirmatiua de contingenti, *ſemper erit ſyllogiſmus, & eius quod eſt contingere non ineſſe, & eius quod eſt non ineſſe,* ſemper ſequitur vtilis ratiocinatio, valens concludere & contingentem, & abſolutam concluſionem. *Demonſtratio autem per conuerſionem,* & demonſtratur per conuerſionem maioris in terminis. *Quando autem affirmatiua.* At vniuerſali affirmatiua exiſtente de neceſſario, *nunquam,* nullo modo fit ſyllogiſmus in tali mixtione. *Eodem autem modo oſtendetur quo & in vniuerſalibus, & per eoſdem terminos:* & probabitur eius inutilitas eodem modo, & ijſdem terminis, quibus & in vniuerſalibus huius qualitatis, & figuræ, *nec quando vtraque ſumuntur affirmatiua,* pariter inutilis erit ſyllogiſmus ambabus prædicatiuis exiſtentibus: *nam & huius eadem demonſtratio, qua & prius,* quoniam hæc inutilitas probari poteſt per eoſdem terminos, per quos in vniuerſalibus ſimiliter demonſtrabatur. *Quando vtræque quidem priuatiuæ,* quod ſi ambæ præmiſſæ ſint negatiuæ; *vniuerſalis autem & neceſſaria, quæ non ineſſe ſignificat,* negatiua vniuerſali propoſitione exiſtente, de neceſſario. *Per ea quidem, quæ ſumpta ſunt, non erit neceſſarium,* per ſumptas propoſitiones non concludit aliquid neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. *Conuerſa autem ſecundum contingere propoſitione.* At conuerſa minori propoſitione, quæ eſt particularis de contingenti in qualitatem oppoſitã, *erit ſyllogiſmus,* fit vtilis ratiocinatio, *quemadmodùm in prioribus.* vti quoque in prioribus conſimilis figuræ.

Si autem vtræque indefinitæ, vel particulares ſumantur, non erit ſyllogiſmus· demonſtratio autẽ eadem, & per eoſdem terminos.

Terminat in præſenti aſſyllogiſticas coniugationes talis mixtionis in ſecunda figura, & ponit, quòd neque ex ambabus particularibus, neque ex vtriſque indefinitis, quæ particularibus æquipollent, fit vtilis ſyllogiſmus, ſicuti nec in alia quappiam figura, vel mixtione. Verba textus ſunt de ſe nota.

Manifeſtum igitur ex prædictis, quòd priuatiua quidem vniuerſalis poſita neceſſaria, ſemper fit ſyllogiſmus, non ſolum eius quod eſt contingere non ineſſe, ſed & non ineſſe, affirmatiua autem nunquam, & quod eodem modo ſe habentibus, & in neceſſarijs, & in ijs quæ inſunt, fit, &

A non fit ſyllogiſmus; palam autẽ quòd imperfecti omnes ſunt ſyllogiſmi; & quoniam omnes perficiuntur per prędictas figuras.

In hac poſtrema, & vltima parte Capitis epilogo colligit Ariſtoteles ex declaratis conſtare, quod in mixtione contingentis, & neceſſarij in ſecunda figura exiſtente vniuerſali negatiua de neceſſario, & altera de contingenti, ſequitur
B ſemper vtilis ratiocinatio, & in vniuerſalibus, & in particularibus ſyllogiſmis, valens inferre duplicem concluſionem, videlicet de ineſſe, & contingentem: affirmatiua autem exiſtente de neceſſario, & altera negatiua de contingenti, nullo modo fit vtilis ratiocinatio, nec in vniuerſalibus, nec in particularibus ſyllogiſmis; paritérq; colligit, quòd eodem modo, & quãdo pręmiſſæ ſunt neceſſariæ, & quando ſunt de ineſſe, fit & non fit ſyllogiſmus; & quòd omnes ſyllogiſmi imperfecti perficiuntur per reductionem
C ad primam figuram, vel immediate, vel mediate, ſcilicet aliquando, facta reductione ad ſecundam, & inde tandem ad primam.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XVIII. de mixtione Neceſſarij, & Conticngentis, in ſecunda figura pro Iuris ſtudioſis.

D

QVatuor declarat vtiles ingationes in mixtione Neceſſarij, & Contingentis in ſecunda figura.

Prima conſtat ex maiori vniuerſali negatiua neceſſaria, & minori vniuerſali affirmatiua contingenti, vniuerſalem negatiuam contingentem concluſionem concludentibus, ſiue negatiuam vniuerſalem abſolutam.

Secunda conſtat ex maiori vniuerſali affirma
E tiua de contingenti, & minori vniuerſali negatiua neceſſaria, vniuerſalem negatiuam concluſionem de contingenti concludentibus ſiue vniuerſalem negatiuam abſolutam.

Tertia conſtat ex maiori vniuerſali negatiua neceſſaria, & minori vniuerſali negatiua contingenti, vniuerſalem negatiuam contingentem concludentibus.

Quarta conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori vniuerſali negatiua neceſſaria vniuerſalem negatiuam de cõtingen
F ti concludentibus.

Exemplum primæ in his terminis ſumptis in tit. Digeſtorum de ſeruit. & de aliment.

De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt alimentum.
Contingens eſt, Omne legatũ eſſe alimentum,
ergo
Contingens eſt, Nullũ legatũ eſſe ſeruitutem.
Siue ſimpliciter Nullũ legatũ eſſe ſeruitutem.

Con-

Concluſio negatiua contingens probatur per A conuerſionem maioris in terminis, ſic:

De neceſſitate, Nullum alimentum eſt ſeruitus.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum, ergo

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe ſeruitutem.

Negatiua concluſio perficitur deductione ad impoſsibile, quoniam ſi negetur, nullum legatū eſſe ſeruitutem dabitur ſua contradictoria, quæ eſt aliquod legatum eſſe ſeruitutem, B

Ex qua ſuppoſitione cum maiori prioris ſyllogiſmi, ſcilicet

De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt alimētum. Aliquod legatum eſt ſeruitus.

Colligitur in quarto modo primę figurę, ergo

De neceſſitate, Aliquod legatum non eſt alimentum.

Contra minorem eiuſdem ſyllogiſmi, quæ dicit,

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum. C

Exemplum ſecundæ iugationis in iiſdem terminis.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum.

De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt alimentum, ergo

Contingens eſt, Nullam ſeruitutem eſſe legatum.

Siue ſimpliciter, Nulla ſeruitus eſt legatum.

Contingens concluſio negatiua probatur per conuerſionem minoris, & concluſionis in terminis, & per tranſpoſitionem præmiſſarum. D

De neceſſitate, Nullum alimentum eſt ſeruitus.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum, ergo

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe ſeruitutem,

Quæ concluſio ſi conuertatur habemus propoſitum. E

Contingens eſt, Nullam ſeruitutem eſſe legatum.

Negatiua abſoluta oſtenditur per impoſsibile, quoniam ſi ea negetur ſcilicet

Nulla ſeruitus eſt legatum

Supponetur contradictoria, nempe

Aliqua ſeruitus eſt legatum.

Ex qua & maiori prioris ſyllogiſmi ſimul tali pacto coniugatis,

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum. F

Aliqua ſeruitus eſt legatum.

Sequitur in tertio modo primæ figuræ.

Contingens eſt, Aliquam ſeruitutem eſſe alimentum.

Cōtra minorem prioris ſyllogiſmi, quæ dicit

De neceſſitate, Nullam ſeruitutem eſſe alimentum.

Exemplum tertiæ.

De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt alimētum.

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe alimentum, ergo

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe ſeruitutem.

Hęc concluſio perficitur, facta reductione ad ſecundum modum primæ figurę per conuerſionem maioris in terminis, & minoris contingentis in oppoſitam, tali pacto:

De neceſſitate, Nullū alimentū eſt ſeruitus.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentū, ergo

Contingens eſt, Omne legatum eſſe ſeruitutē.

Exemplum quartæ.

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe alimentum.

De neceſſitate, Nulla ſeruitus eſt alimētum, ergo

Contingens eſt, Nullam ſeruitutē eſſe legatū.

Hæc concluſio probatur, facta reductione ad ſecundam iugationem primæ figuræ, tranſpoſitis præmiſſis, conuerſa minori, & concluſione in terminis, & maiori contingenti mutata in qualitatem oppoſitam, tali pacto:

De neceſſitate, Nullū alimētum eſt ſeruitus.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe alimentum, ergo

Contingens eſt, Nullū legatum eſſe ſeruitutē.

Qua concluſione conuerſa fit.

Contingens eſt, Nullam ſeruitutem eſſe legatum, quod erat probandum, & hunc in modum habemus quatuor vtiles iugationes vniuerſales in tali mixtione in ſecunda figurą.

Reperitur quoque alia iugatio vtilis particularis conſtans ex vniuerſali negatiua neceſſaria, vt particulari affirmatiua contingēti duplicem inferre, valens concluſionem, ſcilicet negatiuam contingentem, & negatiuam abſolutam, ſicuti dictum eſt in vniuerſalibus, quæ pari modo demonſtratur vt ipſe, nempe per conuerſionem maioris in terminis, de qua non reperitur exemplum apud Ariſtotelem, quoniam facile eſt, ideo omittamus & nos. Sed ſint dicta ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De Syllogiſmis ex ambabus contingentibus in tertia figura. Cap. XIX.

IN poſtrema autem figura, & vtriſque contingentibus, & altera erit ſyllogiſmus. Quando ergo contingere ſignificant propoſitiones, & concluſio erit contingens, & quando hæc quidem contin-

contingere, illa vero ineſſe; ſimiliter erit ſyllogiſmus: quando autem altera ponitur neceſſaria, ſi affirmatiua quidem non erit, concluſio, neque ne ceſſaria, neque ineſſe: ſi autem priuatiua, eius quod eſt non ineſſe erit ſyllogiſmus, quemadmodum in prioribus. Sumendum autem & in his ſimiliter, quod eſt in concluſionibus contingens.

Cum hactenus explicauerit ſyllogiſmos vniformes, & mixtos de cõtingenti in ſecunda figura, aggreditur declarare mixtos, & vniformes de contingenti in tertia. Et primo docet ex vtriſque contingentibus propoſitionibus in vltima figura ſequi concluſionem de contingenti, & eadem quoque inferri, ex vna præmiſſarum, puta maiori de contingenti, & altera nempe minori de ineſſe: quando verò vna fuerit de neceſſario, & altera de contingenti, ſi neceſſaria ſit negatiua vniuerſalis, & reliqua ſit affirmatiua contingens, ſequitur duplex concluſio, vna ſcilicet de ineſſe, & altera contingens: quod ſi neceſſaria ſit vniuerſalis affirmatiua, & reliqua de contingenti negatiua, non ſequitur concluſio aliqua de ineſſe, ſiue de neceſſario, ſed ſimpliciter contingentis proprij a principio determinati. Dicit igitur: *In poſtrema autem figura*, in tertia & vltima figura ſyllogiſmi, *& vtriſque contingentibus, & altera eric ſyllogiſmus*. ex ambabus præmiſſis cõtingentibus, & ſimilibus, & etiam ex vna contingenti, & altera diſſimili, & neceſſaria, vel de ineſſe ſit vtilis ratiocinatio. *Quando ergo contingere ſignificant propoſitiones, & concluſio erit contingen*: Vtriſque igitur exiſtentibus propoſitionibus contingentibus in tertia figura, concluſio quoque ſequitur contingens. *Et quando hac quidem contingere, illa verò ineſſe*: exiſtente verò vna præmiſſarum, nempe maiori propoſitione de contingenti, & altera ſcilicet minori de ineſſe, *ſimiliter erit ſyllogiſmus*, pariter fit ſyllogiſmus, inferrens concluſionem de contingenti. *Quando autem altera ponitur neceſſaria*, vna verò exiſtente de neceſſario, & altera de contingenti. *Si affirmatiua quidem*, Si neceſſaria ſit vniuerſalis affirmatiua, & reliqua contingens negatiua, *non erit concluſio neque neceßaria, neque ineſſe*, non ſequitur aliqua concluſio abſoluta, vel neceſſaria, ſed ſolum contingens. *Si autem priuatiua*. Si verò neceſſaria ſit negatiua vniuerſalis, & altera affirmatiua de contingenti, *eius quod eſt non ineße, erit ſyllogiſmus, quemadmodum in prioribus*. Sequitur concluſio contingens, & inſuper abſoluta, ſicuti & in præcedentibus. *Sumendum autem & in his ſimiliter quod eſt in concluſionibus contingens*, & ſumi debet contingens, quod concluditur in his ſyllogiſmis, ſicuti & in prioribus,

A puta contingens propriè, non communiter, & addit.

Sint ergo primum contingentes, & A, B contingant omni C ineſſe, quoniam ergo conuertitur affirmatiua particulariter: B autem omni C contingit, & C alicui B contingit: quare ſi A quidem omni C contingit, C autem alicui B, & A alicui B contingit. Fit enim prima figura.

B

Exemplo declarat ſyllogiſmos vniuerſales de contingenti & primo ſimiles & vniformes, & ponit ex vtriſque vniuerſalibus contingentibus affirmatiuis ſequi concluſionem contingentem particularem affirmatiuam in elementis A, B, C, ſumpto A pro maiori extremo, B pro minori, C pro medio, tali pacto:

C Contingens eſt, Omne C eſse A.
Contingens eſt, Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Quæ concluſio demonſtratur, facta reductione ad tertiam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in parte, ſic:

Contingens eſt, Omne C eſse A.
Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Dicit itaque. *Sint ergo primum contingentes*. Ponantur in primis ambæ præmiſsæ affirmatiuæ vniuerſales de contingenti, *& A, B contingant omni C ineße*, & C medium ſubijciatur vniuerſaliter vtrique extremo, ſic quòd contingens ſit, omne C eſse A, & contingens ſit, omne C eſſe B. *Quoniam ergo conuertitur affirmatiua particulariter*, quoniam conuertitur vniuerſalis affirmatiua in particularem: *B autem omni C contingit*, minor quæ eſt contingens eſt, omne C eſse B, *& C alicui B contingit*, fiet contingens eſt, aliquod B eſse C. *Quare ſi A quidem omni C contingit*: quapropter cum maior ſit contingens eſt, omne C eſse A, *C autem alicui B*, & minor conuerſa contingẽs eſt, aliquod B eſse C, *& A alicui B cõtingit*, ſequitur tali pacto per reciprocationem ipſius minoris propoſitionis ſequi in tertia iugatione primæ figuræ, contingens eſt, aliquod B eſse A, quæ eſt concluſio, quæ colligitur ex propoſitionibus dictis. *Fit enim prima figura*, tali pacto: Namque hæc iugatio prima in tertia figura conſtans ex ambabus vniuerſalibus affirmatiuis de contingenti, valens inferre concluſionem contingentem affirmatiuam particularem euadit tertia iugatio primæ figuræ, in qua eandem concluſionem colligimus hunc in modum demonſtratam.

D E F

Et ſi A quidem contingit nulli C ineſſe, B autem omni C contingat, neceſſe eſt A alicui B contingere non

ineſſe

ineſſe: erit enim rurſum prima figura per conuerſionem.

Ponit ſecundam iugationem vniuerſalem in tertia figura ex ambabus contingentibus, ſcilicet ex maiori vniuerſali negatiua contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua particularem negatiuam concluſionem concludere valentibus, veluti

Contingens eſt, Nullum C eſſe A.
Contingens eſt, Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

B Quæ concluſio demonſtratur ſimiliter per cõuerſionem minoris in particularem, facta reductione ad quartum modum primæ figuræ.

Contingens eſt, Nullum C eſse A.
Contingens eſt, Aliquod B eſſe C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

Dicit igitur: *Et ſi A quidem contingit nulli C ineſſe*. Et ſi ponamus aliam iugationem habentem maiorem vniuerſalem negatiuam, contingens eſt, nullum C eſſe A. *B autem omni C contingat*, & minorem vniuerſalem affirmatiuam, contingens eſt, omne C eſse B, *neceſſe eſt A alicui B contingere non ineſſe*, ſequitur neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ, contingens eſt, aliquod B non eſſe A, *Erit enim rurſum prima figura per conuerſionem*, quoniam in demonſtratione huius ratiocinationis per conuerſionem minoris in particularem fiet iterũ prima figura, videlicet quartus modus primæ.

C **Si autem vtræque priuatiuæ ponantur, ex his quidem, quæ ſumpta ſunt, non erit neceſſarium: conuerſis autem propoſitionibus erit ſyllogiſmus, quemadmodum in prioribus. Si enim A & B contingunt C non ineſſe, ſi tranſmutatur contingere non ineſſe, rurſum erit prima figura per conuerſionem:**

D Ponit tertiam iugationem ex ambabus contingentibus in tertia figura conſtantem ex vtriſque negatiuis vniuerſalibus, quam aſſerit inutilem ex poſitis terminis, perfici tamen facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem primo minoris in qualitatem oppoſitam, & deinde in particularem affirmatiuam huiuſmodum, fit iugatio.

Contingens eſt, Nullum C eſse A,
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Perficitur tali pacto:

E Contingens eſt, Nullum C eſſe A.
Contingens eſt, Aliquod B eſſe C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

F Idcirco inquit: *Si autem vtræque priuatiuæ ponantur*, quòd ſi ambæ præmiſsæ vniuerſales contingentes ſint negatiuæ in tertia figura. *Ex his quidem, quæ ſumpta ſunt, non erit neceſſarium*, ex po-

A ſitis terminis nihil ſequitur ſyllogiſtica neceſſitate. *Conuerſis autem propoſitionibus, erit ſyllogiſmus, quemadmodum in prioribus.* Sed conuerſa minori propoſitione primo in qualitatem oppoſitam, deinde in affirmatiuam particularem fiet vtilis ratiocinatio, ſicuti in præcedentibus, declarat exemplo. *Si enim A & B contingunt C non ineſſe*, ſi namque A maior extremitas, & B minor extremitas contingant C nulli ineſse, ſcilicet medio vniuerſaliter non ineſse. *Si tranſmutatur contingere non ineſſe*, minori contingenti negatiua in affirmatiuam primum mutata, & deinde

B in particularem. *Rurſum erit prima figura per conuerſionem*, euadit iugatio quarta primæ figuræ per talem tranſmutationem.

Sequitur textus:

Si autem hic quidem terminorum eſt vniuerſalis, ille verò particularis eodem modo ſe habentibus terminis quo ineſſe, & erit, & non erit ſyllo-

C **giſmus. Contingat enim A quidem omni C; B autem alicui C ineſse; erit ergo rurſum prima figura particulari propoſitione conuerſa: nam ſi A omni C: C autem alicui B, & A alicui B contingit; & ſi ad B, C ponatur vniuerſale. Similiter autem & ſi A, C quidem priuatiua ſit B, C autem af-**

D **firmatiua; erit enim rurſum prima figura per conuerſionem.**

Tranſit Ariſtoteles ad ſyllogiſmos particulares ex ambabus contingentibus in tertia figura docens, quòd ſe habeant eodem modo, ſicuti & illi de ineſse particulares, & in præſenti declarat tres coniugationes particulariter concludẽtes; quarum prima copulatur ex vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, particulariter affirmatiue concludentibus, veluti

Contingens eſt, Omne C eſse A.
E Contingens eſt, Aliquod C eſse B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Quæ concluſio perficitur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris, tali pacto:

Contingens eſt, Omne C eſse A.
Contingens eſt, Aliquod B eſse C; ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Secunda copulatur ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus, ſicuti

F Contingens eſt, Aliquod C eſse A.
Contingens eſt, Omne C eſse B.
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Quæ concluſio perficitur, facta reductione ad dictam iugationẽ, tranſpoſitis præmiſſis, & conuerſis maiori, & concluſione in terminis, ſic:

Con-

Contingens eſt, Omne C eſſe B.

Contingens eſt, Aliquod A eſſe C, ergo

Contingens eſt, Aliquod A eſſe B.

Quæ concluſio ſi conuertatur, fit

Contingens eſt, Aliquod B eſſe A, quod erat probandum.

Tertia conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter negatiue concludentibus.

Contingens eſt, Nullum C eſſe A,

Contingens eſt, Aliquod C eſse B, ergo

Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

B Quæ concluſio probatur, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Nullum C eſse A.

Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo

Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Dicit igitur: *Si autem hic quidem terminorum eſt vniuerſalis, ille verò particularis*. Si verò vna præmiſsarum ita ſe habeat, vt ſit vniuerſalis, & altera ſit particularis, *eodem modo ſe habentibus terminis quo ineſſe*, ſi ipſi termini erunt diſpoſiti, ſicuti in illis de ineſse, *& erit, & non erit ſyllogiſmus*, fit & non fit ſyllogiſmus, declarat exemplo, & ponit primam iugationem. *Contingat enim A quidem omni C*. Sit prima iugatio, in qua maior propoſitio ſit vniuerſalis affirmatiua, contingens eſt, Omne C eſse A. *B autem alicui C ineſſe*, & minor propoſitio ſit particularis affirmatiua, contingens eſt, Aliquod C eſse B, ſequitur hæc concluſio, contingens eſt, Aliquod B eſse A. *Erit ergo rurſum prima figura particulari propoſitione conuerſa*. Quæ concluſio perficitur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis: *nam ſi A omni C*, quoniam ſi maior propoſitio eſt, contingens eſt omne C eſse A; *C autem alicui B*, & minor conuerſa ſit contingens eſt aliquod B eſse C, *& A alicui B contingit*: ſequitur in tertio primæ contingens eſt, Aliquod B eſse A, Addit aliam iugationem quando inquit: *Et ſi ad B, C ponatur vniuerſale eſt*. Pariter ſi maior propoſitio A, C ſit particularis, & minor propoſitio B, C ſit vniuerſalis, ſequitur eadem concluſio, quæ perficitur per tranſpoſitionem præmiſſarum, & conuerſionem maioris, & concluſionis, facta reductione ad dictam iugationem; poſtea ponit tertiam, cum ſequitur: *Similiter autem & ſi A, C quidem priuatina ſit; B, C autem affirmatiua*, fit quoque vtilis ſyllogiſmus, ſi maior propoſitio A, C ſit negatiua vniuerſalis, & minor B, C ſit affirmatiua particularis: ſequitur enim concluſio negatiua particularis. *Erit enim rurſus prima figura per conuerſionem*. Quæ concluſio demonſtratur, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per cōuerſionem minoris in terminis.

Si autem vtræque priuatiuæ ponantur, hæc quidem vniuerſaliter; illa verò particulariter, per ea quidem, quæ

A ſumpta ſunt, nō erit ſyllogiſmus. Conuerſis autem propoſitionibus, erit quemadmodum in prioribus.

Ponit duas alias coniugationes ſimul & ſemel habentes ambas propoſitiones negatiuas; quarum vna conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari negatiua; altera ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali negatiua, & determinat quod per ſe ex poſitis terminis nullus fit ſyllogiſmus; fit tamen per reductionem ad quartam iugationem primæ figuræ: in prima nempe iugatione, conuerſa minori propoſitione, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in terminis, & in ſecunda tranſpoſitis præmiſſis, & conuerſis maiori, & concluſione, primo in qualitatem oppoſitam, deinde in terminis.

Exemplum primæ.

Contingens eſt, Nullum C eſſe A.

Contingens eſt, Aliquod C non eſse B, perficitur.

Contingens eſt, Nullum C eſse A.

C Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo

Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Exemplum ſecundæ.

Contingens eſt, Aliquod C non eſse B.

Contingens eſt, Nullum C eſse A. Perficitur

Contingens eſt, Nullum C eſse A.

Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo

Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Quæ conuerſa concluſione, fit

Contingens eſt, Aliquod A non eſse B.

D Dicit itaque: *Si autem vtraque priuatiua ponatur*. Quod ſi ambæ propoſitiones ſint negatiuæ; *hæc quidem vniuerſaliter; illa verò particulariter*, & vna ſit vniuerſalis, altera particularis, ſiue maior, ſiue minor; *per ea quidem, quæ ſumpta ſunt non erit ſyllogiſmus*, ex poſitis terminis nullus fit ſyllogiſmus. *Conuerſis autem propoſitionibus, erit quemadmodum in prioribus*: fit tamē vtilis ſyllogiſmus facta reductione ad primam figuram conuerſis & tranſpoſitis præmiſſis, & in oppoſitam qualitatem mutatis, ſicuti & in præcedentibus.

E Sequitur textus.

Quando autem vtræque indefinitæ vel particulares ſumuntur, non erit ſyllogiſmus: etenim neceſſe eſt A omni B, & nulli ineſſe. Termini ineſſe, Animal, Homo, Album: non ineſſe, Equus, Homo, Album, medium album.

F In calce huius capitis ponit Ariſtoteles reliquas coniugationes ex ambabus cōtingentibus fore inutiles, quæ ſcilicet copulantur vel ex ambabus particularibus, vel ex ambabus indefinitis, quæ aſcendunt ad quatuor; quoniam vel ſunt vtræque affirmatiuæ, vel vtræque negatiuæ, vel vna affirmatiua, altera negatiua, ſiue maior,

ſiue

ſiue minor. Sunt autem inutiles, propterea quòd A concludere valent omni, & nulli ex neceſsitate ineſse, quod probat per inſtantiam terminorum.

Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt Animal, Homo, Album, veluti

Aliquod album eſt animal.
Aliquod albũ eſt homo, ergo
De neceſſitate, Omnis homo eſt animal.

Termini, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt, Equus, Homo, Album, ſic:

Contingens eſt, Aliquod album eſſe equum.
Contingens eſt, Aliquod album eſſe hominẽ, B
ergo
De neceſſitate, Nullus homo eſt equus.

Inquit ergo: *Quando autem utræque indefinitæ, uel particulares ſumuntur*. Cum autem ambæ propoſitiones accipiuntur particulariter vel indefinite, ſiue ambæ affirmatiuæ, ſiue ambæ negatiuæ, vel maior affirmatiua, & minor negatiua, & è conuerſo, *non erit ſyllogiſmus*, nullo modo fit vtilis ſyllogiſmus, valens inferre aliquam concluſionem de contingenti. *Etenim neceſſe eſt A omni B, & nulli ineſſe*: propterea quòd neceſſe eſt, C quòd A maior extremitas omni & nulli B minori extremitati inſit, ſequitur omni & nulli ineſſe ex neceſſitate, ex terminis ſic ſe habẽtibus, quod per inſtantiam demonſtrat. *Termini ineſſe*. Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Animal*, pro maiori extremo, *Homo*, pro minori, *Album*, pro medio; *non ineßе*. Termini, in quibus ſequitur nulli ex neceſſitate ineſſe, ſunt *Equus*, pro maiori extremo, *Homo* pro minori, *Album*, pro medio, *Medium album*, eſt namque in vtriſque album loco medij.

Et hæc ſatis ſuper hoc Capite.

Super Capite XIX. de Syllogiſmis ex ambabus contingentibus in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

IN præſenti capite plurimas habemus ex duabus contingentibus vtiles per cõuerſionem coniugationes, aliquę vniuerſales, & aliquę particulares.

Prima vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus.

Exemplum in iure.

Contingens eſt, Omne legatum eſſe annuum.
Contingens eſt, Omne legatum eſſe caducũ,
ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum eſſe annuum.

Quę concluſio perficitur per reductionem ad tertium modum primæ figuræ, conuerſa minori in parte,

Contingens eſt, Omne legatum eſſe annuum.
Contingens eſt, Aliquod caducum eſſe legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducũ eſſe annuũ.

A Deſumuntur termini in tit. Digeſtorum, de annuis legatis, & fideicom. & in l. vnica. C. de cad. toll.

Secunda vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter negatiue concludentibus, veluti

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Omne legatum eſſe caducũ,
ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

B Quæ concluſio demonſtratur per reductionẽ ad quartum modum primæ figuræ, conuerſa minori in particularem.

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe annuũ.
Contingens eſt, Aliquod caducum eſſe legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

Tertia vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali nega- C tiua,

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Nullum legatum eſſe caducum.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad quartum modum primæ figuræ per conuerſionem minoris, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in particularem.

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Aliquod caducum eſſe legatum, ergo
D Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

Sunt inſuper & nonnullæ iugationes particulares.

Prima iugatio particularis conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter affirmatiue concludentibus.

Contingens eſt, Omne legatum eſse annuum.
Contingens eſt; Aliquod legatum eſse caducum, ergo
E Contingens eſt, Aliquod caducũ eſse annuũ.

Quæ concluſio probatur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Omne legatum eſse annuum.
Contingens eſt, Aliquod caducum eſse legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducũ eſse annuũ.

Secunda iugatio particularis conſtat ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter affirmatiue conclu- F dentibus.

Contingens eſt, Aliquod legatum eſse annuũ.
Contingens eſt, Omne legatum eſse caducũ,
ergo
Contingens eſt, Aliquod caducũ eſse annuũ.

Quæ concluſio probatur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per tranſpoſitionem

tionem præmiſſarum,& cōuerſionem maioris, A
& concluſionis in terminis.

Contingens eſt, Omne legatum eſse caducum.
Contingens eſt, Aliquod annuum eſse legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod annuum eſse caducum.

Qua concluſione conuerſa, fit

Contingens eſt, Aliquod caducũ eſse annuũ.

Tertia coniugatio particularis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua & minori particulari af- B
firmatiua, particulariter negatiue concludentibus.

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Aliquod legatum eſse caducum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

Quæ concluſio demonſtratur facta reductione ad quartam iugationẽ primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Nullum legatum eſſe annuũ. C
Contingens eſt, Aliquod caducum eſſe legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

Quarta iugatio particularis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari negatiua.

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Aliquod legatum non eſſe caducum

Quæ perficitur, facta reductione ad quartam D
iugationem primæ figuræ, per conuerſionem minoris, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in terminis.

Contingens eſt, Nullum legatũ eſſe annuum.
Contingens eſt, Aliquod caducum eſse legatum, ergo
Contingens eſt, Aliquod caducum non eſſe annuum.

Quinta iugatio particularis cōſtat ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali negatiua, E

Contingens eſt, Aliquod legatum non eſſe annuum.
Contingens eſt, Nullum legatum eſſe caducum.

Quę perficitur per tranſpoſitionem pręmiſsarum, & conuerſis maiori & concluſione, primo in qualitatem oppoſitã, deinde in terminis per reductionem ad quartum modum primę figurę.

Contingens eſt, Nullum legatum eſse caducum.
Contingens eſt, Aliquod annuum eſſe legatum, ergo F
Contingens eſt, Aliquod annuum non eſſe caducum.

Qua concluſione conuerſa, fit

Contingens eſt, Aliquod caducum non eſse annuum.

De his ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

Mixtio Contingentis, & ineſſe in tertia figura. Caput XX.

SI autem hæc quidem propoſitionum ineſſe; illa autem contingere ſignificet, concluſio quidem erit quod contingit, & non quod ineſt: ſyllogiſmus autem erit eodem modo ſe habentibus terminis, quo & in prioribus. Sint enim primum prædicatiuæ, & A quidem omni C inſit, B autem omni C contingat. Conuerſa ergo B, C, erit prima figura, & concluſio quod contingit A alicui B ineſſe. Cum enim altera propoſitionum in prima figura ſignificabit contingere, & concluſio erit contingens. Similiter autem & ſi B, C quidem ineſſe; A, C autem contingit ineſſe.

Declaratis vniformibus ſyllogiſmis de contingenti in tertia figura, nunc declarat mixtos de contingenti, & ineſſe, & determinat, quòd ſi vna propoſitionum erit de ineſſe, & altera contingens, ſequitur concluſio de contingenti, non de ineſſe; & ſicuti in præcedenti generatione ſyllogiſmorum fit iugatio, & ex ambabus affirmatiuis, & ex ambabus negatiuis, vel etiam ex vna affirmatiua, & altera negatiua, ita quoque efficiuntur ratiocinationes in hac tertia figura in mixtis propoſitionibus de ineſse, & de contingenti. Ponit autem in primis coniugationes vniuerſales ex ambabus propoſitionibus affirmatiuis copulatas, quarum vna conſtat ex maiori propoſitione vniuerſali de ineſse, & minori propoſitione vniuerſali de contingenti, altera ex maiori vniuerſali de contingenti, & minori vniuerſali de ineſse.

Exemplum primæ.

Omne C eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſse B; ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſſe A,

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Omne C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Exemplum

Exemplum ſecundæ.

Contingens eſt, Omne C eſſe A.
Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſſe A.

H[illegible]gatio demonſtratur eodem modo, facta re[illegible]ne ad eandem iugationem tertiam primæ [illegible]ræ per conuerſionem minoris.

Conti[illegible]ns eſt, Omne C eſſe A.
Aliquod B eſt C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſſe A.

A Inquit itaque: *Si autem hæc quidem propoſitionum ineſſe; illa autem contingere ſignificet.* Quod ſi

B in poſtrema figura vna propoſitionum ponatur abſoluta, & altera contingens; *concluſio quidem erit quod contingit, & non quod ineſt.* Sequitur concluſio contingens non abſoluta. *Syllogiſmus autem erit eodem modo ſe habentibus terminis, quo & in prioribus*, & in tali mixtione erit ratiocinatio, quando termini ſe habebunt ſicuti & in præcedenti vniformi generatione ſyllogiſmorum. Et ponit in primis iugationes habentes vtraſq; affirmatiuas. *Sint enim primum prædicatiuæ.* Ponantur

C enim primum ambæ præmiſſæ affirmatiuæ, *& A quidem omni C inſit*, & maior ſit vniuerſalis affirmatiua abſoluta omne C eſt A, *B autem omni C contingat*, & minor ſit vniuerſalis affirmatiua de contingenti, contingens eſt, omne C eſſe B: hæc quidem iugatio erit vtilis per conuerſionẽ. *Conuerſa ergo B, C*; quoniam conuerſa minori, propoſitione contingens eſt, omne C eſse B, in particularem, contingens eſt aliquod B eſse C, *erit prima figura*, fit iugatio tertia primæ figuræ, *& concluſio quod contingit A alicui B ineſſe*, & ſe-

D quitur concluſio particularis affirmatiua de contingenti, contingens eſt, aliquod B eſse A. *Cum enim altera propoſitionum in prima figura ſignificabit contingere, & concluſio erit contingens*; quoniam in prima figura exiſtente altera præmiſſarum de contingenti, fit concluſio de contingenti: ponit deinde aliam iugationem, quando ſequitur. *Similiter autem & ſi B, C quidem ineſſe, C autem contingit ineſſe*: pariter ſe habet in alia iugatione, quę habet maiorem affirmatiuam vniuerſalẽ de contingenti, contingens eſt, omne C eſse A, & mino-

E rem vniuerſalem affirmatiuam de ineſse, omne C eſt B. In ea namque iugatione ſequitur particularis affirmatiua concluſio de contingenti, quæ per conuerſionem minoris in particularem, facta reductione ad eandem tertiam iugationem primæ figuræ demonſtratur.

Et ſi A, C quidem priuatiua; B, C autem prędicatiua: inſit autem alterutra, vtrinque contingens erit con-

F cluſio. Fit enim rurſum prima figura. Oſtenſum eſt autem, quòd ſi altera propoſitio ſignificet cõtingerę in prima figura, & concluſio erit contingens; ſi autem contingens priuatiua

A ponatur ad minorem extremitatem, vel ſi vtraque ponatur priuatiua, per ea quidem quæ poſita ſunt, non erit ſyllogiſmus. Conuerſis autem erit quemadmodũ & in prioribus.

Cum explicauerit duas iugationes affirmatiuas in tali mixtione in tertia figura, nunc tranſit ad eas, quæ vel ſunt diſſimilis figuræ, vel habent ambas pręmiſsas negatiuas, & ponit quatuor iu-

B gationes.

Prima conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſse.

Contingens eſt, Nullum C eſse A.
Omne C eſt B.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Contingens eſt, Nullum C eſse A.
Aliquod B eſt C, ergo

C Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Secunda conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de ineſse, & minori vniuerſali affirmatiua de contingenti.

Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſse B.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad eandem quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo

D Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Tertia iugatio conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de ineſse, & minori vniuerſali negatiua de contingenti.

Omne C eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſse B.

Hæc iugatio perficitur per conuerſionem minoris propoſitionis, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in particularem, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ.

Omne C eſt A.

E Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Quarta iugatio copulatur ex maiori vniuerſali negatiua de ineſse, & minori vniuerſali negatiua de contingenti.

Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſse B.

Hęc quarta iugatio reducitur ad eandẽ tertiã iugationem primæ figurę per conuerſionẽ maioris in oppoſitã qualitatẽ, & inſuper minoris, pri-

F mo in qualitatẽ oppoſitã, deinde in particularẽ.

Omne C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Nota, quòd Albertus ita exponit: verùm poſſumus dicere etiam quòd reducitur ad quartam per conuerſionem minoris, primo in qualitatem oppoſitam, deinde in particularem.

Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod B eſſe C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

Dicit igitur: *Et ſi A, C quidem priuatiua; B, C autem prædicatiua.* Quòd ſi iugatio copuletur ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua. *Inſit autem alterutra.* Quæuis earum propoſitionum ſit de ineſſe, & altera de cõtingenti ſiue maior, ſiue minor, *contingens erit concluſio*, in iugatione ſic copulata. Sequitur concluſio de contingenti. *Fit enim rurſus prima figura*, quoniam huiuſcemodi iugationes per conuerſionem reducuntur ad primam figuram, ſcilicet ad quartum modum. *Oſtenſum eſt autem; quòd ſi altera propoſitio ſignificat contingere in prima figura, & contingens erit concluſio.* In præcedentibus namque demonſtratum fuit, quòd ſi vna præmiſſarum extiterit de cõtingenti, etiam concluſio ſequitur contingens, & ſic habuimus duas primas iugationes declaratas, ſequitur alias duas primas. *Si autem contingens priuatiua ponatur ad minorem extremitatem*, quòd ſi ſit alia iugatio conſtans ex maiori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, & minori vniuerſali negatiua de contingenti, *vel ſi vtraque ponatur priuatiua*; innuit quartam iugationem; vel igitur ſit vtraque propoſitio negatiua vniuerſalis, tum maior de ineſſe, tum minor de contingenti. *Per ea quidem, quæ poſita ſunt, non erit ſyllogiſmus.* Ex poſitis terminis nulla ſequitur ratiocinatio. *Conuerſis autem erit, quemadmodum & in prioribus*, verùm fit ſyllogiſmus per conuerſionem propoſitionum, vti quoque in præcedentibus.

Sequitur textus.

Si autem hæc quidem propoſitionum ſit vniuerſalis, illa verò particularis vtriſque quidem prædicatiuis, aut vniuerſali quidem priuatiua, particulari autem affirmatiua, idem modus erit ſyllogiſmorum: omnes enim clauduntur per primam figuram. Quare manifeſtum, quòd eius quod eſt contingere, & non eius quod eſt ineſſe, erit ſyllogiſmus. Si autem affirmatiua quidem vniuerſalis; priuatiua autem particularis, per impoſſibile erit demonſtratio. Inſit enim B quidem omni C, A autem contingat alicui C non ineſſe: neceſſe eſt ergo A alicui B contingere nõ ineſſe; nam ſi omni B ineſt A ex neceſſitate; B autem omni C poſitum eſt ineſſe, A omni C ex neceſſitate inerit. Hoc au-

A tem oſtenſum eſt prius; ſed poſitum eſt alicui contingere non ineſſe.

Cum expleuerit ſermonem de coniugationibus vniuerſalibus talis mixtionis in tertia figura, nunc tradit particulares, & determinat, quòd in iugationibus copulatis ex ambabus affirmatiuis, vel ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, vtralibet ex ipſis fuerit de ineſſe, ſequitur concluſio de contingenti nõ abſoluta, quæ perficitur, facta reductione ad pri-
B mam figuram per reciprocationem minoris, veluti hæc iugatio ex ambabus affirmatiuis.

Contingens eſt, Omne C eſſe A.
Aliquod C eſt B.

Perficitur facta reductione ad tertium modum primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Omne C eſſe A.
Aliquod B eſt C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſſe A.

Hęc etiam iugatio, quę conſtat ex maiori vni-
C uerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua.

Contingens eſt, Nullum C eſſe A.
Aliquod C eſt B.

Perficitur facta reductione ad quartum modum primæ figurę per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Nullum C eſſe A.
Aliquod B eſt C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

Idem quoque euenit, ſi in vtriſque maior ſit
D de ineſſe, & minor de contingenti: ſit inquam concluſio contingens quæ perficitur per reciprocationem minoris dicto modo. Verùm in iugationibus copulatis ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, ſequitur quidem concluſio de contingenti, ſed perficitur deductione ad impoſſibile, ſcilicet,

Contingens eſt, Aliquod C non eſſe A.
Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

Hæc iugatio demonſtratur per impoſſibile ta-
E li pacto: quoniam ſi negetur concluſio, dabitur contradictoria,

De neceſſitate, Omne B eſt A.
Cui additur minor,
Omne C eſt B, ergo ſequitur
De neceſſitate, Omne C eſt A.

Contra maiorem prioris ſyllogiſmi, quòd impoſſibile ſequitur ob ſuppoſitionem: eſt itaque falſa, & prior concluſio vera, quod erat propoſitum. Dicit itaque: *Si autem hæc quidem propoſi-*
F *tionum ſit vniuerſalis; illa verò particularis.* Quòd ſi vna præmiſſarum ſit vniuerſalis, & altera particularis: *vtriſque quidem prædicatiuis*, & ambæ ſint affirmatiuæ, *aut vniuerſali quidem priuatiua, particulari verò affirmatiua*, vel vniuerſalis ſit negatiua, & particularis affirmatiua, *idẽ modus erit ſyllogiſmorum*, per huiuſcemodi coniugationem ſequitur ſimilis concluſio, nempe quemadmodũ

in

in præcedentibus: *omnes eni n clauduntur per primam figuram*, quoniam pariter per reciprocationem, vt eæ demonſtrantur. *Quare manifeſtum, quòd eius quod eſt contingere, & non eius quod eſt ineſſe, erit ſyllogiſmus*; vnde conſtat etiam quòd concluſio erit cõtingens in huiuſcemodi iugatione, non autem abſoluta: *Si autem affirmatiua quidem vniuerſalis, priuatiua autem particularis.* Quòd ſi ſit iugatio habens vniuerſalem negatiuam, & particularem affirmatiuam, *per impoſſibile erit demonſtratio*, in ipſa ſequitur concluſio quidem contingens, ſed per impoſſibile demonſtrabitur, declarat exemplo. *Inſit enim B quidem omni C.* Sit namque minor propoſitio talis affirmatiua vniuerſalis, omne C eſt B. *A autem contingat alicui C non ineſſe*, maior autem particularis negatiua contingens eſt, aliquod C non eſſe A, ex his præmiſſis ſequitur concluſio, contingens eſt aliquod B non eſſe A, quæ demõſtratur per impoſſibile, quoniam ſi negetur, dabitur cõtradictoria. Ideo dicit: *Nam ſi omni B ineſt A ex neceſſitate*; quoniam ſi ſupponitur contradictoria concluſionis, ſcilicet de neceſſitate, omne B eſt A. *B autem omni C poſitum eſt ineſſe*, & eidem ſuppoſitioni fuerit addita minor prioris ſyllogiſmi, quæ dicebat omne C eſt B. *A omne C ex neceſſitate inerit*, ſequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua neceſſaria, nempe de neceſſitate, omne C eſt A. *Hoc autem oſtenſum eſt prius.* Hanc enim concluſionem ſequi, ſcilicet vniuerſalem affirmatiuam de neceſſario ex maiori vniuerſali affirmatiua neceſſaria, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, in prima figura demonſtratum eſt in præcedentibus. *Sed poſitum eſt alicui contingere non ineſſe.* Hæc autem concluſio eſt contradictoria maiori prioris ſyllogiſmi, quæ ponit contingens eſt, aliquod C non eſſe A, quod eſt impoſſibile.

Quando autem indefinitæ, vel particulares ſumuntur vtræque, non erit ſyllogiſmus. Demonſtratio autem eadem, quę & in vniuerſis, & per eoſdem terminos.

In poſtrema parte huius capitis quemadmodum & in præcedentibus, vniuerſaliter Ariſtoteles determinat cęteras coniugationes copulatas ex ambabus particularibus, ſiue indefinitis aut affirmatiuis, aut negatiuis, vel alternatim vna affirmatiua, & altera negatiua fore inutile; propterea quòd omni, & nulli ineſſe ex neceſſitate inferre valent, quod demonſtrari poteſt, vt inquit iiſdem terminis, quibus etiam vniformes de contingenti particulares, ſiue indefinitæ fuere inutiles demonſtratæ. Termini verò, in quibus ſequebatur omni ex neceſſitate ineſſe, erant Animal, Album, Homo; in quibus verò nulli, Album, Equum, Homo: quæ dicta ſatis litera namque clara.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite.

Tractatus Quartus.

A *Super Capite XX. de Mixtione Contingentis, & ineſſe in tertia figura pro iuris ſtudioſis.*

IN præſenti capite habemus ſex coniugationes vniuerſales, & tres particulares in mixtione de ineſſe & de contingenti in tertia figura.

Prima iugatio vniuerſalis conſtat ex maiori
B vniuerſali affirmatiua de ineſſe, & minori vniuerſali affirmatiua de contingenti, particularem affirmatiuam contingentem concludentibus, veluti in his terminis deſumptis in tit. ff. de Quæſtionibus.

Omnis reus criminis punitur.
Contingens eſt, Omnem reum criminis torquendum eſſe, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquẽdum puniri.

Hæc concluſio demonſtratur per conuerſionem minoris in particularem, facta reductione
C ad tertiam iugationem primæ figuræ.

Omnis reus criminis punitur.
Contingens eſt, Aliquem torquẽdum eſſe reũ criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquẽdum puniri.

Secunda iugatio vniuerſalis conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, particularem affirmatiuã contingentẽ concludentibus.

Contingens eſt, Omnem reũ criminis puniri.
Omnis reus criminis torquen-
D dus eſt, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquẽdum puniri.

Hæc concluſio pariter demonſtratur per conuerſionem minoris in particularem, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ.

Contingens eſt, Omnem reum criminis puniri.
Aliquis torquendus eſt reus criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquẽdum puniri.

Tertia iugatio vniuerſalis conſtat ex maiori
E vniuerſali negatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe.

Contingens eſt, Nullum reum criminis puniri.
Omnis reus criminis torquendus eſt,

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Contingens eſt, Nullum reum criminis puniri.
F Aliquis torquendus eſt reus criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquendum nõ puniri.

Quarta iugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de ineſſe, & minori vniuerſali affirmatiua de contingenti.

Nullus reus criminis punitur. A
Contingens eſt, Omnem reum criminis eſſe torquendum.

Hæc iugatio perficitur, facta conſimiliter reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Nullus reus criminis punitur.
Contingens eſt, Aliquem torquēdum eſſe reū criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquendum nō puniri.

B Quinta iugatio vniuerſalis eſt cōnſtans ex maiori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, & minori vniuerſali negatiua de contingenti, veluti

Omnis reus criminis punitur.
Contingens eſt, Nullum reum criminis torquendum eſſe.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris, primo in oppoſitā qualitatem, deinde in particularem.

Omnis reus criminis punitur.
C Contingens eſt, Aliquem torquēdum eſſe reū criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquēdum puniri.

Sexta iugatio vniuerſalis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de ineſſe, & minori vniuerſali negatiua de contingenti.

Nullus reus criminis punitur.
Contingens eſt, Nullum reum criminis torquendum eſſe.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad eandem tertiam iugationem primæ figuræ per
D cōuerſionem maioris in oppoſitam qualitatem, & vlterius per conuerſionem minoris, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in particularem.

Omnis reus criminis punitur.
Contingens eſt, Aliquem torquēdum eſſe reū criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquēdum puniri.

In iiſdem quoque terminis valemus figurare exempla de tribus iugationibus particularibus.

Prima quarum conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori affirmati-
E ua particulari de ineſſe.

Contingens eſt, Omnem reum criminis puniri.
Aliquis reus criminis torquēdus eſt.

Quæ iugatio perficitur, facta reductione ad tertiam primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Omnem reum criminis puniri.
F Aliquis torquendus eſt reus criminis, ergo
Contingens eſt, Aliquem torquendum puniri.

Secunda iugatio particularis conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de ineſſe, videlicet

A Contingens eſt, Nullum reum criminis puniri.
Aliquis reus criminis torquendus eſt.

Quæ iugatio perficitur, facta reductione ad quartam primę per conuerſionem minoris in terminis.

Contingens eſt, Nullum reum criminis puniri.
Aliquis torquendus eſt reus criminis, ergo
B Contingens eſt, Aliquem torquendum nō puniri.

Tertia iugatio particularis conſtat ex maiori particulari negatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de ineſſe, particularem affirmatiuam de contingenti concludentibus.

Contingens eſt, Aliquem reum criminis non puniri.
Omnis reus criminis torquendus eſt, ergo
C Contingens eſt, Aliquem torquendum puniri.

Hæc concluſio demonſtratur per impoſſibile, negata namque concluſione, ſequitur contradictoria.

De neceſſitate, Omnis torquendus punitur.

Cui addita minor

Omnis reus criminis torquendus eſt.

Sequitur ergo,

De neceſſitate, Omnis reus criminis punitur,

D Quod eſt impoſſibile, cùm fuerit poſita in minori prioris ſyllogiſmi,

Contingens eſt, Aliquem reum criminis non puniri.

Verùm data cōtradictoria eſt cauſa huius impoſſibilis; ergo ipſa falſa, & prior concluſio vera, quod erat probandum.

Et hæc ſatis ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis.

E *Mixtio Neceſſarij, & Contingentis in tertia figura. Cap. XXI.*

SI autem eſt hæc quidem propoſitionum neceſſaria, illa verò contingēs, ſi prædicatiui quidem ſunt termini, ſem-
F per eius quod eſt contingere erit ſyllogiſmus: quando autem fuerit hic quidem prædicatiuus, ille autem priuatiuus, ſi ſit affirmatiuus quidē neceſſarius, eius erit quod eſt continge-
re

re non ineſſe; ſi autem priuatiuus & eius quod eſt contingere non ineſſe, & eius quod eſt non ineſſe; eius autem quod eſt ex neceſſitate non ineſſe, non erit ſyllogiſmus, quemadmodum & in alijs figuris. Sint ergo prædicatiui termini primum, & A, C quidem omni inſit ex neceſſitate; B autem omni C contingat ineſſe. Quoniam ergo A omni C neceſsario ineſt, C autem alicui B contingit, & A alicui B contingens erit & non inerit: ſic enim accidit in prima figura. Similiter autem oſtendetur, & ſi B, C quidem ponatur neceſsaria; A, C autem contingens.

Expedictus de ſyllogiſmis cõſtantibus ex vniformibus propoſitionibus de contingenti, & ex mixtione de ineſſe, & de contingenti in tertia figura, nunc accedit ad ſyllogiſmos conſtantes ex mixtione contingentis & neceſſarij in eadem figura, & in primis determinat de vniuerſalibus, & ponit quòd ſi in tali mixtione ambæ propoſitiones fuerint affirmatiuæ, ſemper cõcluſio erit contingens, quòd ſi vna extiterit affirmatiua, & reliqua negatiua; ſi negatiua propoſitio fuerit contingens, ſequitur concluſio negatiua contingens: ſi verò negatiua propoſitio fuerit neceſſaria, duplex ſequitur concluſio, nempe negatiua de contingenti, & negatiua de ineſſe,

Declarat autem exemplo duas iugationes copulatas ex vtriſque affirmatiuis.

Prima ex maiori de neceſſario, & minori de contingenti:

De neceſſitate, Omne C eſt A.
Contingens eſt, Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Omne B eſſe A.

Secunda ex maiori de contingenti, & minori de ineſſe.

Contingens eſt, Omne C eſſe A.
De neceſſitate, Omne C eſt B, ergo ſequitur
Contingens eſt, Omne B eſſe A.

Dicit igitur: *Si autem eſt hac quidem propoſitionum neceſſaria, illa verò contingens*. Quod ſi vna præmiſſarum fuerit de neceſſario, altera de contingenti, *ſi prædicatiui quidem ſint termini* Si vtræque præmiſſæ ſint affirmatiuæ, *ſemper eius quod eſt contingere, erit ſyllogiſmus*, ſemper ſequitur concluſio de contingenti. *Quando autem fuerit hic quidem prædicatiuus, ille autem priuatiuus*. Quòd ſi vna præmiſſarum extiterit affirmatiua, & reliqua negatiua; *ſi ſic affirmatiuus quidem neceſſarius*, ſi propoſitio quæ eſt affirmatiua fuerit de neceſſario, & altera cõtingens negatiua, *eius erit quod*

A *eſt contingere non ineſſe*, erit ſyllogiſmus inferens concluſionem negatiuam de ineſſe. *ſi autem priuatiuus*, ſi autem propoſitio neceſſaria fuerit negatiua, & altera cõtingens affirmatiua, *& eius quod eſt contingere non ineſſe, & eius quod eſt non ineſſe*, erit ſyllogiſmus valens concludere duplicem concluſionem, nempe negatiuam de ineſſe, & negatiuam de contingenti; *eius autem quod eſt ex neceſſitate non ineſſe, non erit ſyllogiſmus*: nullus verò erit ſyllogiſmus, ſic ſe habentibus terminis, valens inferre negatiuam concluſionem de
B neceſſario in hac tertia figura, *quemadmodum & in alijs figuris*, ſicut nec in alijs figuris in tali mixtione ſequitur concluſio negatiua de neceſſario. Ponit exemplum ſyllogiſmi copulati ex vtriſque affirmatiuis. *Sint ergo prædicatiui termini, primum*. Sint itaque in primis ambo termini affirmatiui, *& A, C quidem omni inſit ex neceſſitate*, ita quòd in maiori A, quòd eſt maior extremitas, inſit omni C medio ex neceſſitate, veluti de neceſſitate, omne C eſt A: *B autem omni C contingat ineſſe*. B autem quod eſt minor extremitas
C contingat ineſſe omni C, veluti contingens eſt, omne C eſſe B. *Quoniam ergo A omni C neceſſario ineſt*. Quoniam itaque maior propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua de neceſſario; *C autem alicui B contingit*, & minor propoſitio eſt vniuerſalis de contingenti, *& A alicui B contingens erit, & non inerit*. Sequitur affirmatiua concluſio vniuerſalis de contingenti, non de ineſſe, contingens eſt, omne B eſſe A: *Sic enim accidit in prima figura*: ſic enim oſtenſum eſt etiam euenire in prima figura. *Similiter autem oſtendetur, & ſi B,*
D *C quidem ponatur neceſſaria: A, C autem contingens*: idem quoque accidit, ſi maior propoſitio omne C eſt A ponatur contingens, & minor propoſitio omne C eſt B ponatur neceſſaria, quod ſcilicet ſequitur concluſio eadem vniuerſalis affirmatiua de contingenti.

Sequitur textus.

Rurſum ſit hoc quidem prædicatiuum, illud verò priuatiuum;
E neceſsarium autem prædicatiuum, & A quidem contingat nulli C ineſse: ſi autem omni inſit ex neceſſitate C, erit ergo rurſum prima figura, & concluſio contingens, ſed non ineſse; nam priuatiua propoſitio contingere ſignificat. Ma-
F nifeſtum eſt igitur, quòd concluſio erit contingens, cum enim ſic ſe habebant propoſitiones in prima figura, & concluſio erit contingens. Si autem priuatiua ſit propoſitio neceſſaria, & concluſio erit quod contin

git alicui non ineſſe, & quod non ineſſe. Ponatur enim A non ineſſe C ex neceſſitate. B autem omni C contingere; conuerſa ergo B,C affirmatiua, prima erit figura, & neceſſaria priuatiua propoſitio. Cum autem ſic ſe habebant propoſitiones, accidebat A,& contingere alicui C non ineſſe,& non ineſſe: quare & A neceſſe eſt alicui B non ineſſe.

Exemplo, Declaratis vniformibus iugationibus mixtis de contingenti, & de neceſſario vniuerſalibus, ſequitur manifeſtare iugationes vniuerſales figura diſſimiles, & ponit duas oppoſitiones.

Vna quarum copulatur ex maiori negatiua de contingenti, & minori affirmatiua de neceſſario, in qua ſequitur ſolum concluſio negatiua C de contingenti.

Altera è contrario copulatur ex maiori negatiua de neceſſario, & minori affirmatiua de contingenti, in qua ſequitur duplex concluſio, nempe negatiua abſoluta, & negatiua contingens.

Exemplum primæ.

Contingens eſt,	Nullum C eſſe A.
De neceſſitate,	Omne C eſt B, ergo
Contingens eſt,	Aliquod B non eſſe A.

Quæ prima iugatio perficitur, facta reductio- D ne ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

Contingens eſt,	Nullum C eſſe A.
De neceſſitate,	Aliquod B eſt C, ergo
Contingens eſt,	Aliquod B non eſse A.

Exemplum ſecundæ.

De neceſſitate,	Nullum C eſt A.
Contingens eſt,	Omne C eſſe B, ergo
Contingens eſt,	Aliquod B non eſse A.
Vel ſimpliciter,	Aliquod B non eſt A.

Negatiua contingens perficitur, facta reductione ad eandem quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem; negatiua verò abſoluta per deductionem ad impoſſibile, vt diffuſe in prima figura oſtenſum eſt. Dicit ergo: *Rurſum ſit hoc quidem prædicatiuum, illud verò priuatiuum*. Præterea vna propoſitionum ſit affirmatiua, & reliqua negatiua: *neceſſarium autem prædicatiuum*, & propoſitio affirmatiua ſit neceſſaria, negatiua verò contingens: *& A quidem contingat nulli C ineſſe*, veluti F ſi maior ſit contingens eſt, nullum C eſſe A, minor vero de neceſſitate, omne C eſt B. *Si autem omni inſit ex neceſſitate C*, ſi minor fuerit vniuerſalis affirmatiua de neceſſario maiori exiſtenti negatiua de contingenti: *Erit ergo rurſum prima figura*, fiet iterum prima figura per conuerſionē, ſcilicet minoris in particularem, *& concluſio con*

A *tingens, ſed non ineſſe*, & ſequitur ſolum negatiua concluſio contingentis, non de ineſse. Et hoc ideo ſequitur, *nam priuatiua propoſitio contingere ſignificat*, quia negatiua propoſitio, quæ eſt maior, eſt de contingenti. *Cum enim ſic ſe habebant propoſitiones in prima figura, & concluſio erat contingens*, quoniam ſimiliter ſe habentibus præmiſſis in prima figura, ſcilicet in quarta iugatione, ad quam iſta reducitur, ſequebatur concluſio de contingenti, poſt hæc addit aliam. *Si autem priuatiua ſit propoſitio neceſſaria*, quòd ſi maior pro-
B poſitio negatiua ſit de neceſsario, & minor affirmatiua de contingenti, *& concluſio erit, quod contingit alicui non ineſſe, & quod non ineſſe*. Sequitur duplex concluſio negatiua de contingenti, & negatiua abſoluta. *Ponatur enim A non ineſſe C ex neceſſitate*. Sit namque maior propoſitio de neceſſitate, nullum C eſt A, *B autem omni C contingere*, & minor de contingenti contingens eſt, omne C eſse B. *Conuerſa ergo B, C affirmatiua*. Conuerſa minori vniuerſali affirmatiua in particularem cōtingens eſt, aliquod B eſse C. *Prima erit*
C *figura, & neceſſaria priuatiua propoſitio*, efficietur prima figura negatiua propoſitione, nempe maiori exiſtenti de neceſſario. *Cum autem ſic ſe habebant propoſitiones*. At ſimiliter ſe habentibus terminis in prima figura, *accidebat A & contingere alicui C non ineſſe, & non ineſſe*, ſequebatur duplex concluſio, vna de contingenti, contingens eſt, aliquod C non eſse A, & altera abſoluta, aliquod C non eſse A. *Quare & A neceſſe eſt alicui B non ineſſe*. Quapropter & in præſenti ſequuntur duplex concluſio negatiua, & quod A non inſit ali-
D cui B tum abſolute, tum contingenter.

Sequitur textus.

Quando autem priuatiuum ponitur ad minorem extremitatem, ſi contingens quidem, erit ſyllogiſmus, tranſumpta propoſitione, quemadmodum in prioribus: ſi autem neceſſarium non erit; etenim neceſſe eſt,
E vt omni, & nulli contingit ineſſe. Termini omni ineſſe, Somnus, Equus dormiens, Homo; nulli ineſse, Somnus, Equus vigilans, Homo.

Vbi ſupra poſuerit iugationem habētem minorem affirmatiuam, maiorem verò vel affirmatiuam, vel negatiuam, nunc ponit è conuerſo iugationem habentem minorem negatiuam, maiorem verò negatiuam, ſiue affirmatiuam, & inquit, quòd exiſtente minori negatiua contingenti ſit vtilis ſyllogiſmus talis mixtionis in tertia figura, qui perficitur per conuerſionem minoris, primo in oppoſitam qualitatem, deinde in particularem, veluti ea iugatio, quæ copulatur ex maiori affirmatiua de neceſsario, & minori negatiua de contingenti.

De

De neceſſitate, Omne C eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Pernicitur facta reductione ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris, primo in oppoſitã qualitatem, deinde in particularem tali pacto:

De neceſſitate, Omne C eſt A,
Contingens eſt, Aliquod B eſse C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Ea autẽ iugatio, quæ conſtat ex maiori negatiua de neceſſario, & minori negatiua de contingenti.

De neceſſitate, Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B.

Pernicitur facta reductione ad quartam iugationem primę figuræ per eandem cõuerſionem, minoris ſcilicet primo in qualitatẽ oppoſitam, poſtea in particularem, ſic:

De neceſſitate, Nullum C eſt A,
Contingens eſt, Aliquod B eſſe C, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Exiſtẽte verò minori negatiua de neceſſario, nullus erit ſyllogiſmus; propterea quod omni & nulli ineſſe ſequitur ex neceſſitate.

Termini, in quibus ſequitur omni ineſſe, ſunt Somnus pro maiori extremo, Homo pro medio, Equus dormiens pro minori extremo, videlicet

Omni homini contingit ineſſe Somnus.
Nulli homini neceſſario ineſt Equus dormiens, ergo
Omni equo dormienti neceſſario ineſt Somnus.

Termini, in quibus nulli ineſſe ſequitur neceſſario, ſunt Somnus pro maiori extremo, Homo pro medio, Equus vigilans pro minori extremo, videlicet

Omni homini contingit ineſſe Somnus.
Nulli homini neceſſario ineſt Equus vigilans, ergo
Nulli equo vigilãti neceſſario ineſt Somnus.

Ait itaque: *Quando autem priuatiuum ponitur ad minorem extremitatem, ſi contingens quidẽ.* Quando minor negatiua extiterit de cõtingenti, *erit ſyllogiſmus*, fiet vtilis ratiocinatio talis mixtionis in tertia figura, *tranſumpta propoſitione, quemadmodum in prioribus*, mutata & conuerſa minori negatiua propoſitione vt in præcedentibus. *Si autem neceſſarium*: quando verò minor negatiua extiterit de neceſſario, *non erit*, nullus erit ſyllogiſmus: *etenim neceſſe eſt vt omni, & nulli contingat ineſſe*; propterea quòd ſequitur neceſſario omni, & nulli ineſſe. *Termini omni ineſſe*. Termini, in quibus ſequitur omni ex neceſſitate ineſſe, ſunt. *Somnus, Equus dormiens, Homo*, Somnus pro maiori extremo, Equus dormiens pro medio, Homo pro minori extremo: *nulli ineſſe*. Termini autem, in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt *Somnus, Equus vigilans, Homo*, Somnus pro maiori extremo, Equus vigilans pro minori extremo, Homo pro medio.

Sequitur textus.

Tractatus Quartus.

A Similiter autem ſe habebit & ſi hic quidem terminorum ſit vniuerſalis; ille autem particularis ad medium: nam ſi vtrique ſint prædicatiui, eius quod eſt contingere, & non eius quod eſt ineſſe, erit ſyllogiſmus: & quando hoc quidem priuatiuum ſumetur, illud verò affirmatiuum; B neceſſarium autem affirmatiuum huius quod eſt contingere. Quando autem priuatiuum neceſſarium, & cõcluſio erit eius quod eſt non ineſſe; nam idem modus erit demonſtrationis, & cum vniuerſales, & non vniuerſales ſunt termini: C neceſſe eſt enim per primam figuram perfici ſyllogiſmos; quare vt in illis, & in his neceſſarium accidere.

Explicatis ſyllogiſmis vniuerſalib. huius mixtionis in tertia figura, nunc docet particulares, & determinat in his idem euenire, ac in vniuerſalibus, ſimiliter ſe habentibus terminis; & ponit in primis vniformes ſyllogiſmos particulares, deinde figura diſſimiles. Habemus verò in D terminis poſitis duas iugationes particulares vniformes, & duas diſſimiles figura.

Prima vniformis copulatur ex maiori vniuerſali affirmatiua de neceſſario, & minori particulari affirmatiua de contingenti, particularem affirmatiuam contingentem concludentibus.

De neceſſitate, Omne C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C eſse B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſse A.

Secunda vniformis copulatur ex maiori vni- E uerſali affirmatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de neceſſario, particularem affirmatiuam contingentem concludentibus.

Contingens eſt, Omne C eſse A.
De neceſſitate, Aliquod C eſt B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B eſſe A,

Prima iugatio particularis figura diſſimilis conſtat ex maiori negatiua particulari de contingenti, & minori affirmatiua vniuerſali de ne- F ceſſario, particularem negatiuam cõtingentem concludentibus.

Contingens eſt, Aliquod C non eſse A.
De neceſſitate, Omne C eſt B; ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſse A.

Secũda iugatio figura diſſimilis cõſtat ex maiori vniuerſali negatiua de neceſſario, & mino-

ſi particulari affirmatiua de contingenti particularem negatiuam contingentem, & negatiuã abſolutam concludentibus.

De neceſſitate, Nullum C eſt A.
Contingens eſt, Aliquod C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.
Vel ſimpliciter, Aliquod B non eſt A.

Quas omnes iugationes aſſerit Ariſtoteles perfici eodem modo, quo & vniuerſales ſimiliter ſe habentes, nempe per conuerſionem facta reductione ad primam figuram, vel etiam deductione ad impoſſibile.

Dicit itaque: *Similiter autem ſe habebit, & ſi hic quidem terminorum ſit vniuerſalis, ille autem particularis ad medium*. Eodem modo ſe habebit quo ad concluſiones ſyllogiſmorum huius mixtionis in particularibus ſyllogiſmis, ac in vniuerſalibus: *nam ſi vtrique ſunt prædicatiui*; ſi namque ambo termini ad medium, ſcilicet vniuerſalis, & particularis ſint affirmatiui, & propoſitiones vtræque prædicatiuæ, *eius quod eſt contingere, & non eius quod eſt ineſſe, erit ſyllogiſmus*. Sequitur ſyllogiſmus valens concludere ſolum contingentem concluſionem non & inexiſtentem. *Et quando hoc quidem priuatiuum ſumetur, illud verò affirmatiuum, neceſſarium autem affirmatiuum*. Quod ſi ambo termini, & propoſitiones ita accipiantur, vt ſint figura diſſimiles, vnus nẽpe prædicatiuus, & alter negatiuus, negatiuo exiſtente contingenti, *huius quod eſt contingere*. Sequitur conſimiliter concluſio contingentis non exiſtentis. *Quando autem priuatiuum neceſſarium*, negatiuo verò exiſtente neceſſario; *& concluſio erit eius quod eſt non ineſſe*. Sequitur concluſio de contingenti, & inſuper etiam concluſio inexiſtentis: *nam idem modus erit demonſtrationis, & cũ vniuerſales, & non vniuerſales ſunt termini*; quoniã eodem modo perficientur huiuſmodi iugationes particulares, ſicuti & vniuerſales ſimiliter ſe habentes, facta reductione ad primam figuram, quod inquit cum addit; *Neceſſe eſt enim per primam figuram perfici ſyllogiſmos*. Oportet enim omnes tertiæ figuræ ſyllogiſmos demonſtrari per primam: *Quare ut in illis, & in his neceſſarium accidere*. Quapropter de neceſſitate, quod ſequitur in illis particularibus primæ figuræ, ad quas iſti reducuntur; idem quoque euenit in his, qui ab illis deſcendunt. Sequitur textus.

Quando autem priuatiuum vniuerſaliter ſumptum ponitur ad minorem extremitatem, ſi contingens quidem erit ſyllogiſmus per conuerſionem: ſi autem neceſſarium ſit, non erit. Oſtendetur autem eodem modo, quo & in vniuerſalibus, & per eoſdem terminos.

Cum declarauerit ſuperius iugationes principales habentes minorem affirmatiuam, nunc po-
A nit habentem minorem negatiuã, & tradit duas coniugationes particulares, minori negatiua exiſtente, vnam vtilem, aliam vero inutilem.

Prima vtilis copulatur ex maiori affirmatiua de neceſſario particulari, & minori vniuerſali priuatiua de contingenti particularem contingentem negatiuam concludentibus, videlicet

De neceſſitate, Aliquod C eſt A.
Contingens eſt, Nullum C eſſe B, ergo
Contingens eſt, Aliquod B non eſſe A.

Quæ perficitur tranſpoſitis præmiſſis, & con-
B uerſa maiori prioris iugationis & concluſione poſtea in terminis.

Contingens eſt; Nullum C eſſe B.
De neceſſitate, Aliquod A eſt C, ergo
Contingens eſt, Aliquod A non eſt B.

Qua concluſione conuerſa fit aliquód B non eſt A,

Alia iugatio inutilis copulatur ex maiori affirmatiua particulari de contingenti, & minori negatiua vniuerſali de neceſſario, quæ ideo eſt inutilis; propterea quòd omni, & nulli ex neceſſi-
C tate inferre valet. Quod iiſdem terminis, quibus & vniuerſales ſic ſe habentes demonſtrari poſſe determinat. Termini omni ineſſe ex neceſſitate, ſunt Somnus, Homo, Equus dormiens.

Contingens eſt, Alicui homini ineſſe ſomnum.
De neceſſitate, Nulli homini ineſt equus dormiens, ergo
De neceſſitate, Omni equo dormienti ineſt ſomnus.

D Termini nulli ineſſe ex neceſſitate, ſunt Somnus, Homo, Equus vigilans.

Contingens eſt, Alicui homini ineſſe ſomnũ.
De neceſſitate, Nulli homini ineſt equus vigilans, ergo
De neceſſitate, Nulli equo vigilãti ineſt ſomnus.

Inquit igitur: *Quando autem priuatiuum vniuerſaliter ſumptum ponitur ad minorem extremita-*
E *tem*. Minori autem exiſtente vniuerſali negatiua, *ſi contingens quidem erit ſyllogiſmus per conuerſionem*, eadem exiſtente contingenti erit vtilis coniugatio, facta reductione ad primam iugationem per reciprocationem. *Si autem neceſſariũ ſit*, quòd ſi eadem minor ſit negatiua de neceſſario, *non erit*, nullus erit ſyllogiſmus. *Oſtendetur autem eodem modo, qua & in vniuerſalibus*, videlicet quoniam omni & nulli ex neceſſitate concludere poterimus, *& per eoſdem terminos*, & per poſitos terminos in vniuerſalibus hoc idem de-
F monſtrari valemus.

Sequitur textus.

Manifeſtum ergo & in hac figura quando, & quomodo erit ſyllogiſmus, & quando eius, quod eſt contingere, & quando eius, quod eſt ineſſe.

Palam autem & quòd omnes imperfecti, & quòd perficiuntur per primam figuram.

In calce capitis poſtpoſitis ſyllogiſmis ex ambabus particularibus vel indefinitis, vel negatiuis, vel affirmatiuis tanquam notis, epilogo colligit declarata in hoc capite, conſtare nempe ex dictis, quando, & quomodo fiat ſyllogiſmus talis mixtionis in tertia figura, & quando vnica ſequitur concluſio de contingenti. Quando ſimiliter & de ineſſe, & quòd per ſe nullus reperitur ſyllogiſmus talis mixtionis perfectus in hac figura. Siquidem omnes perficiuntur, facta reductione ad primam, per conuerſionem ſcilicet, ſeu deductione ad impoſſibile, vt oſtenſum fuit.

Textum non percurram, quoniam verba ſunt per ſe manifeſta.

Et dicta ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite XXI. De mixtione Neceſſarij, & Contingentis in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

In hoc capite habemus ſex vtiles iugationes vniuerſales mixtas de contingenti, & de neceſſario in tertia figura, & quinque particulares.

Prima vniuerſalis copulatur: ex maiori vniuerſali affirmatiua de neceſſario, & minori vniuerſali affirmatiua de contingenti particularem affirmatiuam contingentem concludentibus, veluti in terminis deſumptis in l. imperium. l. more. ff. de iuriſd. omn. iud.

De neceſſitate,	Omnis iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.
Contingens eſt,	Omnem iuriſdictionem alteri demandari, ergo
Contingens eſt,	Omne quod alteri demandatur, eſſe iudicis dandi licentiam.

Secunda vniuerſalis copulatur ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori vniuerſali affirmatiua de neceſſario.

Contingens eſt,	Omnem iuriſdictionem alteri demandari.
Neceſſarium eſt,	Omnem iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam, ergo
Contingens eſt,	Omnem iudicis dandi licentiam alteri demandari.

Tertia vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori negatiua de contingenti, & minori affirmatiua de neceſſario particularem negatiuam contingentem concludentibus.

A

Contingens eſt,	Nullam iuriſdictionem alteri demandari.
Neceſſarium eſt,	Omnem iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam, ergo
Contingens eſt,	Aliquam iudicis dandi licentiam alteri demandari.

Hæc iugatio perficitur, facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

B

Contingens eſt,	Nullam iuriſdictionem alteri demandari.
Neceſſarium eſt,	Aliquam iudicis dandi licentiam eſſe iuriſdictionem, ergo
Contingens eſt,	Aliquam iudicis dandi licentiam alteri non demādari.

Quarta vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori neceſſaria negatiua, & minori de contingenti affirmatiua particularem negatiuam contingentem, vel negatiuam abſolutam concludentibus.

C

De neceſſitate,	Nulla iuriſdictio eſt merum imperium.
Contingens eſt,	Omnem iuriſdictionem alteri demandari, ergo
Contingens eſt,	Aliquod quod alteri demandatur non eſſe merum imperium.
Vel abſolute,	Aliquod quod alteri demandatur, non eſt merum imperium.

D Perficitur negatiua contingens per reductionem ad quartam iugationem primæ figuræ, conuerſa minori in particularem.

De neceſſitate,	Nulla iuriſdictio eſt merum imperium.
Contingens eſt,	Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iuriſdictionem, ergo
Contingens eſt,	Aliquod, quod alteri demandatur, non eſſe merum imperium.

E Negatiua abſoluti probatur deductione ad impoſſibile.

Quinta vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori affirmatiua de neceſſario, & minori negatiua de contingenti particularem affirmatiuam contingentem concludentibus.

De neceſſitate,	Omnis iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.
Contingens eſt,	Nullam iuriſdictionem alteri demandari, ergo
F Contingens eſt,	Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iudicis dandi licentiam.

Perficitur per reductionem ad tertiam iugationem primæ figuræ, conuerſa minori primo in oppoſitam qualitatem, deinde in particularem.

De

De neceſſitate, Omnis iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iuriſdictionem, ergo
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iudicis dandi licentiam.

Sexta vniuerſalis iugatio conſtat ex maiori negatiua de neceſſario, & minori negatiua de contingenti particularem negatiuam contingẽtem concludentibus.

De neceſſitate, Nulla iuriſdictio eſt merum imperium.
Contingens eſt, Nullam iuriſdictionem alteri demandari, ergo
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iudicis dandi licentiam.

Perficitur facta reductione ad quartam iugationem primæ figuræ per cōuerſionem minoris, primo in qualitatem oppoſitam, poſtea in particularem.

De neceſſitate, Nulla iuriſdictio eſt merum imperium.
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iuriſdictionem, ergo
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, non eſſe merum imperium.

Expeditis de vniuerſalibus tranſeo ad particulares.

Prima particularis iugatio talis mixtionis conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de neceſſario, & minori particulari affirmatiua de contingenti particularem affirmatiuam cōtingentem concludentibus.

De neceſſitate, Omnis iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.
Contingens eſt, Aliquam iuriſdictionem alteri demandari, ergo
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, eſſe iudicis dandi licentiam.

Secunda particularis iugatio conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua de contingenti, & minori particulari affirmatiua de neceſſario particularem affirmatiuam contingentem concludentibus.

Contingens eſt, Omnem iuriſdictionem alteri demandari.
De neceſſitate, Aliqua iuriſdictio eſſe iudicis dandi licentiam, ergo
Contingens eſt, Aliquam iudicis dandi licentiam alteri demandari.

Tertia particularis iugatio conſtat ex maiori particulari negatiua de contingenti, & minori
A vniuerſali affirmatiua de neceſſario particularem negatiuam contingentem concludentibus.

Contingens eſt, Aliquam iuriſdictionem alteri non demandari.
Neceſſarium eſt, Omnem iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam, ergo
Contingens eſt, Aliquam iudicis dandi licentiam alteri non demandari.

B Quarta particularis iugatio conſtat ex maiori vniuerſali negatiua de neceſſario, & minori particulari affirmatiua de cōtingenti particularem negatiuam contingentem, & negatiuam abſolutam concludentibus.

De neceſſitate, Nulla iuriſdictio eſt merum imperium.
Contingens eſt, Aliquam iuriſdictionem alteri demandari, ergo
Contingens eſt, Aliquod, quod alteri demandatur, non eſſe merum imperium.
C Vel abſolute, Aliquod, quod alteri demandatur, non eſt merum imperium.

Quæ omnes dictę iugationes particulares demonſtrantur eo modo, quo vniuerſales per conuerſionem, facta reductione ad primam figurã, & deductionem ad impoſſibile.

Quinta particularis iugatio copulatur ex maiori particulari affirmatiua de neceſſario, & minori vniuerſali priuatiua de contingenti particularem
D negatiuam contingentem concludentibus.

De neceſſitate, Aliqua iuriſdictio eſt iudicis dandi licentiam.
Contingens eſt, Nullam iuriſdictionẽ eſſe merum imperium, ergo
Contingens eſt, Aliquod merũ imperium non eſſe iudicis dandi licentiam.

Perficitur per tranſpoſitionem præmiſſarum,
E conuerſa maioris prioris iugationis & concluſione poſterioris in terminis.

Contingens eſt, Nullam iuriſdictionem eſſe merum imperium.
De neceſſitate, Aliquã iudicis dandi licentiã eſt iuriſdictio, ergo
Contingens eſt, Aliquam iudicis dandi licentiam non eſſe merum imperium.

Qua concluſione conuerſa, fit
F Contingens eſt, Aliquod merum imperium non eſſe iudicis dandi licentiam.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo oſtenſiuo, & quòd figuræ ſyllogiſmorum ſint tantum tres in omnibus ſyllogiſmorum generibus. Caput XXII.

Qvod igitur quę in his figuris sũt ſyllogiſmi, perficiuntur per eos, qui in prima figura sũt vniuerſales ſyllogiſmos, et in hos reducantur palam ex dictis. Quod autem ſimpliciter omnis ſyllogiſmus ſic ſe habebit, nunc erit manifeſtum, cum oſtenſus fuerit omnis qui fit, per aliquam harum figurarum fieri: neceſſe eſt ergo omnẽ demonſtrationem, & omnem ſyllogiſmum, aut ineſſe quid, aut non ineſſe monſtrare; & hoc aut vniuerſaliter aut particulariter amplius aut oſtenſiue, aut ex hypotheſi; eius autem quod eſt ex hypotheſi pars eſt per impoſſibile. Primum ergo dicemus de oſtenſiuis; his enim oſtenſis, manifeſtum erit & de iis, qui ad impoſſibile, & omnino de ijs, qui ex hypotheſi.

Declaratis ſyllogiſmis ex propoſitionibus modalibus de ineſſe, de neceſſario, & de contingenti, & pariter mixtis, & oſtenſo, quòd omnes ſyllogiſmi ſecundæ & tertiæ figuræ reduci poſſunt ad ſyllogiſmos primæ figuræ, quinimo hi omnes, & inſuper particulares primæ figuræ ad primos modos vniuerſales eiuſdem figuræ, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue concludentes.

Nunc intentio Ariſtotelis eſt manifeſtare omnem ſyllogiſmum fieri aliquo modo harum trium figurarum, & per primam figuram perfici & reduci ad duos vniuerſales primæ figuræ; vt autem hoc exequatur, demonſtrat prius, omnem ſyllogiſmum ſiue oſtenſiuum, ſiue ex hypotheſi fieri per aliquam ex dictis figuris, pro cuius determinatione proponit omne ſyllogizabile, ſeu quòd ſyllogiſmo demonſtratur eſſe vel vniuerſale, vel particulare, & vnum quodque horum vel affirmatiuum, vel negatiuum; idemq; demõſtrari ſiue oſtenſiue, ſiue ex ſuppoſitione, & ex hypotheſi, cuius pars eſſentialis eſt ſyllogiſmus ad impoſſibile, qui procedit, ſumpta contradi-

A ctione cõcluſionis, & ex illa, & altera præmiſſarum cõcludit oppoſitum alterius præmiſſarum.

In primis autem vult ſermonem habere de ſyllogiſmis oſtenſiuis, quoniam his cognitis; & reliqui erunt noti. Ideo dicit; *Quod igitur qui in his figuris ſunt ſyllogiſmi.* Quod itaque omnes iugationes mediæ & poſtremæ figuræ, quinimo etiam particulares primæ, *perficiuntur per eos, qui in prima figura ſunt vniuerſales ſyllogiſmos, & in hos reducantur*, perficiantur facta reductione ad primos vniuerſales primę figuræ, *palam ex dictis*,
B patet ex ſuperius declaratis. *Quod autem ſimpliciter omnis ſyllogiſmus ſic ſe habebit.* Quod verò quilibet ſyllogiſmus ſemper, fiat aliquo modo harũ figurarum, *nunc erit manifeſtum*; tunc conſtabit, *cum oſtenſus fuerit omnis qui fit, per aliquam harum figurarum fieri*; quando monſtratũ fuerit omnem ſyllogiſmum fieri per aliquam ex dictis figuris; pro cuius oſtẽſione addit; *Neceſſe eſt ergo omnem demonſtrationem, & omnem ſyllogiſmum, aut ineſſe quid, aut non ineſſe monſtrare*: neceſſario inquit omnis ſyllogiſmus in concluſione demonſtrat alte-
C rum duorum aut ineſſe aliquod prædicatum alicui ſubiecto vt ille, qui affirmatiue cõcludit, aut non ineſſe aliquod prædicatum alicui ſubiecto; vt ille, qui negatiue concludit, *& hoc aut vniuerſaliter, aut particulariter*; vniuerſaliter, quado concluſionẽ concludit vniuerſalem; particulariter, quando particularem. *Amplius aut oſtenſiue, aut ex hypotheſi*, & inſuper idem demonſtratur aut oſtenſiue, aut ex ſuppoſitione: *eius autem, quod eſt ex hypotheſi, pars eſt per impoſſibile*: eius verò ſyllogiſmi, qui ſunt ex ſuppoſitione pars eſſẽtialis eſt
D ſyllogiſmus ad impoſſibile *Primum ergo dicemus de oſtẽſiuis.* Primo autem dicamus de ſyllogiſmis oſtenſiuis, qua de ijs, qui ex hypotheſi, & ad impoſſibile. *His enim oſtenſis, manifeſtum erit, & de ijs, qui ad impoſſibile, & omnino de ijs, qui ex hypotheſi*: quoniam his declaratis etiam reliqui erunt conſpicui. Cum enim probauerimus omnem ſyllogiſmum oſtenſiuum fieri per aliquam ex dictis figuris inſimul cõſtabit, quod & hi, qui ad impoſſibile, & omnino hi qui ex hypotheſi per aliquã trium dictarum figurarum fiũt. Igitur ſequitur.

E Si ergo oporteat A de B ſyllogizare vel ineſse, vel non ineſse, néceſse eſt ſumere aliquid de aliquo. Si ergo A ſumatur de B, quod ex principio erit ſumptum: ſi autem A de C, C autem de nullo alio, nec aliud de illo C, neque de A alterum, neque A de alte-
F ro, nullus erit ſyllogiſmus: nam in eo quod vnum de vno ſumitur, nihil accidit ex néceſſitate: quare aſsumenda eſt altera propoſitio: ex vna enim propoſitione nihil concluditur. Si igitur

ſuma-

ſumatur A de alio, aut aliud de A, aut de C alterum eſſe quidem ſyllogiſmum nihil prohibet; ad B autem non erit per ea quæ ſumpta ſunt.

Ad probandũ quòd omnis ſyllogiſmus oſtenſiuus fiat per aliquam trium figurarum, pręmittit in pręſenti, quod ſi velimus demõſtrare hanc concluſionem A ineſſe, vel nõ ineſſe B, aut vnam aut plures ſumere debemus propoſitiones; ſiquidem per conceſſa ratiocinabimur, ſi vna accipiatur, aut erit penitus diuerſa a quæſito, aut omnino eadem, aut partim communicans, partim non. Primum membrum omittit vt euidenter falſum, ſecundum breuiter refutat, quia ſequeretur idem per idem demonſtrari; tertium vero determinat dupliciter poſſe contingi: vel enim ſumpta propoſitio, & quæſitum conueniunt in ſubiecto, vel in prædicato, tunc exempli gratia ponit propoſitionem eandem prædicato cum quęſito ſcilicet C, A, & oſtẽdit ex hac ſola propoſitione, ſumpto quæſito non poſſe ſyllogiſmo concludi, niſi C de aliquo prædicetur, veluti in prima figura.

Omne C eſt A.
Omne B eſt C, ergo
Omne B eſt A.

Vel aliud de ipſo C prædicetur, veluti in tertia figura.

Omne C eſt A:
Omne C eſt B, ergo
Aliquod B eſt A.

Vel ad hæc tertio, de A alterũ prædicetur, veluti in ſecunda figura.

Omne A eſt C.
Nullum B eſt C, ergo
Nullum B eſt A,

Quando enim vnum prædicatum de vno ſumitur ſubiecto, nihil ſequitur neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. Quapropter ſumenda eſt alia propoſitio, cum ex vna nihil concludatur: verùm ſi & in altera propoſitione ſumatur, A quæ de alio prædicetur vt in ſecunda figura.

Nullum C eſt A.
Omne D eſt A.

Vel A alij ſubijciatur vt in prima.

Omne A eſt D.
Omne C eſt A.

Vel etiam de C aliud quidppiam prædicetur, veluti in tertia.

Omne C eſt A.
Omne C eſt D.

Fiet quidem ratiocinatio, verùm A de B prædicari, quod propoſitum fuerat, non demonſtrabitur. Propterea quod neque a principio B ſumptum in propoſitis iugationibus poſitum fuerit, nec aliquis terminus cum ipſo fuerit coniunctus. Ideo dicit: *Si ergo oporteat A de B ſyllogizare, vel ineſſe, vel non ineſſe*. Si velimus ſyllogiſmo concludere, A prædicatum de B ſubiecto vel affirmatiue, vel negatiue, *neceſſe eſt ſumere aliquid*

A *de aliquo*, neceſſe eſt accipere aliquod cõplexum, propoſitionem aliquam ſicuti in pręcedenti declaratum ſunt. *Si ergo A ſumatur de B, quod ex principio erit ſumptum*. Si autem accipiatur aliqua propoſitio, quæ & in ſubiecto, & in prædicato communicet cum quæſito, demõſtrabitur idem per idem, quod fieri nequit. *Si autẽ A de C*, quòd ſi ſumatur aliqua propoſitio, quæ ſit eadem prædicato cum quæſito, *C autem de nullo alio*: verùm C ſubiectum in ea de alio non prædicatur, vt in prima figura: *nec aliud de illo C*, vel de ipſo C aliud
B quidppiam prædicetur, vti in tertia, *neque de A alterum*, vel de A tanquam ſubiecto alterum prędicetur, vti in ſecunda, *neque A de altero*, ſicut fit in prima & tertia figura, *nullus erit ſyllogiſmus*, nullo modo fiet ſyllogiſmus: *nam in eo quod vnum de vno ſumitur, nihil accidit ex neceſſitate*; quoniam in eo, quod vnum prædicatum de vno ſumitur ſubiecto, nihil ſequitur neceſſitate conſequentię ſyllogiſticæ: *quare aſſumenda eſt altera propoſitio*. Oportet igitur accipere etiam aliam propoſitionem: *ex vna enim propoſitione nihil cõcluditur*, cum
C ex vna tantum nihil concludatur. *Si igitur ſumatur A de alio*: verùm ſi ſumatur A de aliquo alio, cui inſit vt prædicatum, vt in ſecunda figura, *aut aliud de A*, aut ſumatur aliud prædicatum de A, vti in prima figura, *aut de C alterum*, aut de C quippiam alterum prædicetur, vti in tertia figura, *eſſe quidem ſyllogiſmum nihil prohibet*, nihil prohibet fieri aliquem ſyllogiſmum ad aliquid cui cõmunicat C. *Ad B autem non erit per ea, quæ ſumpta ſunt*: verum non fiet aliquis ſyllogiſmus ad probandum aſſumptum A de B, cum ea, quæ
D ſumpta ſunt, in nullo ſint communicanda, quia C non communicatur cum B, neque ſicut ipſius ſubiectum, neque ſicuti ipſius prædicatum. Sequitur itaque.

Nec quando C ineſt alteri, & illud alii, & hoc alteri. Non copuletur autem ad B, nec ſic erit ad B ſyllogiſmus ipſius A: omnino enim dicemus, quòd nullius vnquam erit ſyl-
E logiſmus alius de alio, non ſumpto aliquo medio, quod ad vtrumque ſe habeat quoquomodo prædicationis.

Cum ſuperius probauerit ex vna tantum propoſitione cum prædicato communicante quæſitum poſitum, ſcilicet A de B ſyllogiſmo concludi non poſſe; nec inſuper ex duabus propoſitionibus, ubi nõ fuerit aliquod acceptum, quod vtrique extremorum communicauerit, nunc
F proſequitur declarare, quod nec demonſtrabimus A de B, etiam ſi ſumpſerimus aliqua, quæ recta ſerie ſint coniucta, cum vna duarum extremitatum etiam in infinitum, niſi etiam cum altera fuerit copulata, veluti ſi recta ſerie accipiatur A communicare cum C, & C cum D, & D cũ E; non propterea ſequitur A de B concludi aut affir-

firmatiue, aut negatiue, cum non reperiatur vnũ A medium vtrique extremorum commune, nec A aliquo modo ad B cõnectatur. Ideo inquit: *Nec quando C ineſt alteri*. Inſuper nec ſi ſumatur ad probandum A de B, C cui ineſt A, & vlterius C ineſſe alteri, quam B, veluti D, *& illud alij*. & D ineſſe alteri, puta E, *& hoc alteri*, & E item alteri quam B, vt puta F, & ſic vſque in infinitum. *Non copuletur autem ad B*, nec vnquam ſumpto ſub A aliquo modo coniungatur cum B, *nec ſic erit ad B ſyllogiſmus ipſius. A*, nec tali pacto concludemus ſyllogiſmo A de B prædicari ſiue affirmatiue, B ſiue negatiue. *Omnino enim dicimus, quòd nullius vnquam erit ſyllogiſmus alius de alio*. Vniuerſaliter namque determinamus, quod nunquam ſyllogiſmo concludemus vnum alteri ineſſe, *non ſumpto aliquo medio, quod ad vtrumque ſe habeat quoquomodo prædicationis*, niſi ſumatur aliquod medium, quod communicet vtrique extremorum, vel vt prædicatum de vno, & ſubiectum alteri, vel vt prædicatũ de vtroque, vel ſubiectum vtrique.

C Nam ſyllogiſmus quidem ſimpliciter ex propoſitionibus eſt. Ad hoc autem ſyllogiſmus ex propoſitionibus quæ ad hoc: qui autem eſt huius ad hoc per propoſitiones huius ad hoc. Impoſſibile eſt autem ad B ſumere propoſitionem, nihil neq; prędicantes de eo, neque negantes aut D rurſum eius quod eſt A ad B, nihil commune ſumentes, ſed vtriuſque propria quædam prędicantes, aut negantes: quare ſumendum vtriuſque quod copulet prædicationes, ſi erit huius ad hoc ſyllogiſmus.

Proſequitur Ariſtoteles in hac parte probare E neceſſe eſſe ad hoc vt ſit ſyllogiſmus alicuius de aliquo, ſumere medium quoddam, quod ſe habeat ad vtrumque extremorum; quoniam ſyllogiſmus in ſua vniuerſalitate ſumptus conſtat ex propoſitionibus aliquem communem terminũ habentibus, quòd ſi ſyllogiſmus ad rem præfinitam conſtituatur, fieri oportet ex propoſitionibus, quæ ad eam rem copulantur, ceu ſi de anima ſyllogizari velimus, oportet procedere ex propoſitionibus ad animam copulatis: ſi autem ſyllogiſmus, ſumatur particulariter ad probandũ ali- F quod determinatum prædicatum de aliquo determinato ſubiecto conſtabit ex propoſitionibus determinatis, quæ valebunt ad probandum hoc determinatum prędicatum de hoc determinato ſubiecto, veluti ſi ſyllogiſmo velimus concludere animã eſſe immortalem, opus erit procedere ex propoſitionibus copulatis ad animam

A vt immortalem, alioquin non erit ſyllogiſmus de immortale ad animam, veluti in hoc ſyllogiſmo; Numerus ſe ipſum mouens eſt immortalis, anima eſt numerus ſe ipſum mouens; ergo anima eſt immortalis: videntur connexæ propoſitiones ad immortalem, & ad animam. Dicit igitur: *Nam ſyllogiſmus quidem ſimpliciter ex propoſitionibus eſt*, quoniam ſyllogiſmus in vniuerſo ſumptus conſtat ex propoſitionibus enunciantibus aliquid de aliquo. *Ad hoc autem ſyllogiſmus ex propoſitionibus, quæ ad hoc*. Syllogiſmus vero B ſumptus ad aliquam rem determinatam conſtat ex propoſitionibus ad rem eandem coniunctis. *Qui autem eſt vnius ad hoc per propoſitiones huius ad hoc*. At ſyllogiſmus ſumptus ad probandum aliquod prædicatum determinatum de aliquo determinato ſubiecto procedit ex propoſitionibus, quæ valent ad probandum hoc de hoc determinate. *Impoſſibile eſt autem ad B ſumere propoſitionem, nihil neque prædicantes de eo, neque negantes*. Eſt namque impoſſibile aliquid de B proponere ſumentem propoſitionem, in qua nihil præ- C dicetur, neque negetur de B, *aut rurſum eius quod eſt A ad B*; & inſuper eſt impoſſibile ſyllogiſmo concludere A de B, *nihil commune ſumentes, ſed vtriuſque propria quædam prædicantes aut negantes*, niſi accipiatur aliquod, quod vtrique communicet, ſed vtriſque ſumantur propria, in quibus inuicem non coniungantur vel ſecundum affirmationem, vel ſecundum negationem. *Quare ſumendum vtriuſque quod copulet prædicationes ſi erit huius ad hoc ſyllogiſmus*. Quapropter neceſſe eſt ſu- D mere aliquod medium, quod copulet extrema ſecundum prædicationem ad hoc, vt huius extremi, ad hoc alterum extremum fiat ratiocinatio. Sequitur textus.

Ergo ſi neceſſe eſt aliquod ſumere ad vtrunque commune: hoc autem contingit tripliciter, aut enim A de C, & C de B prædicantes, aut C de vtriſque, aut vtraque de C. Hę autem E ſunt tres dictæ figuræ, manifeſtum, quod omnem ſyllogiſmum neceſſe eſt fieri per aliquam harum figurarum; nam eadem ratio eſt, & ſi per plura copuletur ad B; eadem enim erit figura & in pluribus. Quod igitur oſtenſiui terminantur per prædictas figuras, manifeſtum eſt.

F Vbi præmiſit Ariſtoteles ad hoc vt ſit ſyllogiſmus huius extremi ad hoc extremum, neceſſe eſſe ſumere aliquod medium, quod cum vtriſque coniungatur, nunc ex tali habitudine medij ad vtraque extrema probat propoſitum ſuum, omnem ſyllogiſmum oſtenſiuum fieri per aliquam trium figurarum; propterea quod contin-

git

A git dumtaxat mediũ communicat iextremis tri-pliciter: vel eñ ſubijcitur in prima propoſitione, & prædicatur in ſecunda, & fit prima figura, vel prædicatur in vtraque propoſitione, & fit ſecunda figura, vel ſubijcitur vtrobique, & fit tertia figura; vnde cum tres ſint medij communicationes cum extremis; pariter etiam tres ſunt figuræ ſyllogiſmorum, & per earum aliquam oportet determinate fieri oſtenſiuum ſyllogiſmum, vel ſint vnum tantum medium, vel plura copulantes concluſionem, vt puta quando procedimus per cauſas mediatas vſque quo ad primas imme- B diatas deuenimus; eadẽ nãque ratio eſt in vno, ac in pluribus, quo ad ſubiectum & prędicatum. In prima enim figura omnia illa media ſubijciũtur in prima propoſitione, & in ſecũda prędicantur, & ſic in reliquis vtrobique prædicantur, & ſubijciuntur. Inquit igitur: *Ergo ſi neceſſe eſt aliquod ſumere ad vtrumque commune.* Quapropter ſi opus eſt mediũ cum vtriſque extremis cõiungi, & copulari ad hoc vt fiat ſyllogiſmus huius extremi ad hoc extremũ. *Hoc autem contingit tripliciter,* & medium contingit cõmunicare tripliciter vtriſque extremis, *aut enim A de C, & C de B prædicantes,* ſicuti ſi A maius extremũ prędicatur C de C medio in maiori propoſitione, & C mediũ prędicatur de B minori extremo in minori propoſitione, & ſic fit prima figura, *aut C de vtriſque,* aut C mediũ prędicatur de A, & B vtriſque extremis in maiori & minori propoſitione, & fit ſecũda figura, *aut vtraque de C,* aut A, & B vtraque extrema prędicantur de C medio in ambabus pręmiſſis, & ſic fit tertia figura. *Hæ autem ſunt tres dictæ figuræ.* Quæ figuræ ſunt iam declaratę, *manife-* D *ſtum, quòd omnem ſyllogiſmum neceſſe eſt fieri per aliquam harum figurarum.* Cõſtat itaque omnẽ oſtenſiuum ſyllogiſmũ per tres dictas figuras terminari, *nam eadem ratio eſt, & ſi per plura copuletur ad B,* quoniam idem accidit non ſolum cum per duas tantummodo propoſitiones concluditur ſyllogiſmus, vt quãdo cauſæ ſunt immediatę, ſed inſuper etiam quãdo per plura media extrema copulatur, vt puta cum cauſæ ſint mediatæ; *eadem enim erit figura & in pluribus*: nam quo ad figurã eadem ratio eſt in pluribus, & in vno. *Quod igitur* E *oſtenſiui terminantur per prædictas figuras manifeſtum eſt.* Patet igitur, quòd omnes oſtenſiui ſyllogiſmi per aliquam harum trium figurarum conſtituuntur.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXII. De ſyllogiſmo oſtenſiuo, & quòd figuræ ſyllogiſmorum ſint tantum tres in omnibus ſyllogiſmorum generibus pro Iuris ſtudioſis. F

PRobauit Ariſtoteles in hoc capite, quod neceſſe eſt omnem ſyllogiſmum oſtenſiuum fieri per aliquam trium figurarũ propterea quod ad hoc vt quæſitum ali- A quod ſyllogiſmo concludere valeamus, oportet ſumere medium quoddam, quod ſe habeat ad vtrumque extremorum, quod ſumptũ medium contingit coniungi cum extremis tripliciter. Vel enim ſubijcitur in prima propoſitione & prędicatur in ſecũda vt in prima figura, vel prędicatur in vtraque propoſitione, & fit ſecunda figura, vel tertio ſubijcitur vtrobique, & fit tertia figura; & quoniam ſigillatim de omnibus, in ſuperioribus egimus, in præſenti breuiter de vnaquaque exemplificabimus pro Iuris ſtudioſis.

B Exemplum primæ.

Omne ius Romanorum eſt ius humanum.
Omne ius ciuile eſt ius Romanorum, ergo
Omne ius ciuile eſt ius humanum.

Exemplum ſecundæ.

Omne ius humanum eſt ius Romanorum.
Nulla iniuria eſt ius Romanorum.
Nulla iniuria eſt ius humanum.

Exemplum tertiæ.

Omne ius Romanorum eſt ius humanum.
Omne ius Romanorum eſt ius ciuile, ergo
C Aliquod ius ciuile eſt ius humanum.

Termini primæ & tertiæ figuræ deſũmuntur in tit. Inſt. de iure nat. gen. & ciuil.

Termini ſecundæ figuræ, dicto tit. Inſt. de iure nat. gen. & ciu. & in tit. de iniurijs.

Et hoc modo habemus breuiter quæ in hoc capite continentur pro vtilitate Iuriſtarum.

De Syllogiſmo ad impoſſibile.
Caput. XXIII.

D

QVod autem, & qui ad impoſſibile palam erit per hæc: omnes enim qui per impoſſibile concludũt, falſum quidem ſyllogizant: Quod autem ex principio erat, ex hypotheſi demonſtrant quando aliquid accidit impoſſibile poſita E contradictione, vt quod Diameter eſt Aſymeter, eo quod fiunt abũdantia ęqualia perfectis poſito Symetro, ergo æqualia quidem fieri abundantia perfectis ſyllogizant: Aſymetrum autem eſſe Diametrum, ex hypotheſi monſtrant, quoniam falſum acci- F dit propter contradictionem, hoc enim fuit per impoſſibile ſyllogizare, oſtendere aliquid impoſſibile propter priorem hypotheſim quare quo-

niam falſus fit ſyllogiſmus oſtẽſiuus in his, quæ ad impoſſibile deducuntur. Quod autem eſt ex principio, ex hypotheſi monſtratur: oſtenſiuus autem diximus prius, quòd per has terminantur figuras, manifeſtum quòd & per impoſſibile ſyllogiſmi per has erunt figuras.

Declarato quòd ſyllogiſmi omnes oſtenſiui fiunt in aliqua trium figurarum, nunc in prima parte huius capitis patefacit, quòd etiam ſyllogiſmi per impoſſibile, qui fiunt ex hypotheſi per aliquam trium figurarum formantur: ſiquidem omnes ſyllogiſmi, qui probant per impoſſibile, in primis falſum ratiocinantes demonſtrant ex ſuppoſitione contradictoriæ concluſionis, & altera præmiſſarum; poſtea ex eo quod ſuppoſita propoſitio impoſſibilis concluſionis cauſa fuerat quod propoſitum a principio fuerat, ſine ratiocinatione demonſtratur, veluti ſi quis vellet per impoſſibile demonſtrare, nullum hominem eſſe lapidẽ, prius ſuppoſita contradictoria huius concluſionis, quam colligere intendit, nempe aliquẽ hominem eſſe lapidem, & ſumpta altera vera, & conceſſa propoſitione omnem lapidem eſſe inſenſitiuum, ſyllogiſmo concludet in prima figura aliquem hominẽ eſſe inſenſitiuum, tali pacto.

DA- Omnem lapidem eſſe inſenſitiuum.
RI- Aliquem hominem eſſe lapidem, ergo
I Aliquem hominem eſſe inſenſitiuum,

Quod falſum eſt, & impoſſibile. Deinde proſequendo addit, quòd ex quo id falſum & impoſſibile ſequitur ex data hypotheſi, eadem quoque erit falſa, & impoſſibilis, ſcilicet aliquem hominem eſſe lapidẽ; & propterea concluſio à principio propoſita, ſcilicet nullum hominẽ eſſe lapidem, probabitur vera, quoniam de quocunque affirmatio vel negatio vera: quapropter cum in deductione ad impoſſibile prius falſi alicuius fiat ſyllogiſmus ex hypotheſi, & altera cõuerſa propoſitione, & illius falſi talis ſyllogiſmus ſit oſtenſiuus, patet, quòd ſyllogiſmus ad impoſſibile eſt oſtenſiuus alicuius concluſionis. Quare cum omnes oſtenſiui terminentur per has tres figuras, manifeſtum eſt, quòd etiã ſyllogiſmi ad impoſſibile qui probant ex hypotheſi per aliquã trium figurarum formantur, ideo dicit: *Quod autem & qui ad impoſſibile palam erit per hæc.* Quod verò & ſyllogiſmus, qui fit per impoſſibile, fiat per aliquam trium figurarum conſtabit per ea, quæ infra dicentur. *Omnes enim qui per impoſſibile concludunt, falſum quidem ſyllogizant*; quoniam omnes ſyllogiſmi, qui concluſionem, quam intendunt, probant per impoſſibile, quod ſequitur ex ſuppoſitione falſum ſyllogiſmo concludunt ex data contradictione, & altera conceſſa propoſitione. *Quod autem in principio erat*; concluſionem vero in principio propoſitam *ex hypotheſi*

A *demonſtrant*, ex ſuppoſita contradictionẽ colligunt: *quando al quia accipitur impoſſibile poſita contradictione*, quando ſcilicet ex ſuppoſita contradictione, quod ſequitur falſum ſumitur, & dicimus illud accidere ex data hypotheſi: & propterea ea exiſtente falſa, colligimus primam propoſitam concluſionem eſſe veram, *vt quòd Dyameter eſt Aſymeter, eo quod fiunt abundantia æqualia perfectis poſito ſymetro*, veluti gratia exempli; Si aliqui probent per impoſſibile, quod Dyameter ſit lateri incõmenſurabilis, propterea quod hoc
B negatione, & ſuppoſito oppoſito, quòd ſit commenſurabilis, ſequitur hoc falſum, quòd abundantia in numeris, quæ ſunt imparia, ſunt æqualia perfectis, ſiue paribus. *Ergo æqualia quidem fieri abundantia perfectis ſyllogizant.* Hoc igitur falſum, quòd idem numerus ſit par, & impar ſyllogiſmo concludunt. *Aſymetrum autem eſſe Dyametrum ex hypotheſi monſtrant: quoniam falſum accidit propter contradictionem.* At propoſitam à principio concluſionem Dyametrum eſſe lateri incommenſurabilem colligunt, ex quo data hypo-
C theſis eſt cauſa falſi, & inde cum falſum ſequatur ob datam contradictionem ipſam falſam exiſtere ponendum eſt, & concluſionem propoſitam eſſe veram. *Hoc enim fuit per impoſſibile ſyllogizare.* Hoc enim ſecundum determinata in præcedentibus fuit per impoſſibile ratiocinari. *Oſtendere aliquid impoſſibile propter priorem hypotheſim*, demonſtrare ſequi aliquid impoſſibile ex data contradictione. *Quare quoniam falſus ſit ſyllogiſmus oſtenſiuus in his, quæ ad impoſſibile deducuntur.* Quapropter cum in ſyllogiſmo ad impoſſibile repe-
D riatur alicuius falſi ſyllogiſmus oſtenſiuus. *Quod autem eſt ex principio ex hypotheſi monſtratur.* Et concluſio à principio propoſita manifeſtetur ex ſuppoſitione: *Oſtenſiuos autem diximus prius, quòd per has terminantur figuras*: in prioribus vero declaratum fuit, quòd omnes ſyllogiſmi oſtenſiui per aliquam trium figurarum formantur, *manifeſtum, quòd & per impoſſibile ſyllogiſmi per has erunt figuras*, conſtat quòd etiam ſyllogiſmi deductione ad impoſſibile, quod ſequitur ex data contradictione per aliquam trium figurarum fiunt.

E Similiter autem & alii omnes qui ſunt ex hypotheſi, in omnibus his enim ſyllogiſmus quidem fit ad tranſumptum. Quod autem eſt ex principio, terminatur per confeſſionem, aut per aliquam aliam hypotheſim. Si autem hoc verum, neceſſe eſt omnem demonſtrationem, & omnem
F ſyllogiſmum fieri per tres prædictas figuras. Hoc autem oſtenſo palam quòd omnis ſyllogiſmus perficitur per primam figuram, & reducitur in huius vniuerſales ſyllogiſmos.

A Vbi patefecerit Ariſtoteles ſyllogiſmum ad impoſſibile, qui eſt vna ſpecies ſyllogiſmi hypothetici per aliquam trium figurarum formari, qui in primis falſum ſyllogizando oſtēdit ex oppoſito concluſionis propoſitæ, & altera conceſſa propoſitione: deinde ex eo quod ex data contradictione aliquod falſum ſequebatur propoſitam concluſionem ſine ratiocinatione demonſtrat, nunc determinat, quòd inſuper etiam reliqui ſyllogiſmi hypothetici, veluti ſunt circulares, conuerſiui, & ſimiles, de quibus in ſecundo Priorum pertractat per eaſdem figuras formantur; B quippe quoniam in omnibus talibus ſyllogiſmis, quod tranſumitur ſyllogiſmo concludit, & concluſio in principio propoſita colligitur per confeſſionem alicuius poſitā, aut per aliquam aliam ſuppoſitionem à reſpondente datam, ex quibus concluſiue aſſerit manifeſtum eſſe omnem ſyllogiſmum ſiue oſtenſiuum, ſiue ex hypotheſi fieri per aliquam trium figurarum, & per conſequens omnem ſyllogiſmū perfici per ſyllogiſmos primæ figuræ, & ad primos vniuerſales reduci, & C inquit: *Similiter autem & alij omnes qui ſunt ex hypotheſi*. Quod dictum eſt in ſyllogiſmis per impoſſibile, dicendum etiam in reliquis hypotheticis ſyllogiſmis, quòd ſcilicet neceſſe eſt quòd fiant per aliquam trium figurarum. *In omnibus his enim ſyllogiſmus quidem fit ad tranſumptū*: nāq; in his omnibus ſyllogiſmis ratiocinatio fit ad id quod tranſumitur. *Quod autē eſt ex principio, terminatur per confeſſionē, aut per aliquā aliā hypotheſim*. Concluſio verò à principio propoſita colligitur per cōfeſſionem alicuius poſitam, aut per aliquā D aliam ſuppoſitionem a reſpondente datam. *Si autem hoc verum* Quapropter cū ſic ſe habeat, quòd ſyllogiſmus ex hypotheſi eſt alicuius concluſionis oſtenſiuus, & omnis ſyllogiſmus oſtenſiuus per aliquam trium figurarum formatur, *neceſſe eſt omnem demonſtrationem, & omnem ſyllogiſmum fieri per tres prædictas figuras*. Sequitur quod neceſſarium ſit omnem ſyllogiſmum fieri per aliquam trium dictarum figurarum. *Hoc autem oſtenſo*, quo ſic oſtenſo, *palam quòd omnis ſyllogiſmus perficitur per primam figuram*. Manifeſtum eſt omnem ſyllogiſmum per primam figuram compro E bari, facta reductione ad eandem. *Et reducuntur in huius vniuerſales ſyllogiſmos*. Et inſuper manifeſtum eſt omnem ſyllogiſmum reduci ad duos primos vniuerſales primæ figuræ.

Et hæc dicta ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XXIII. de Syllogiſmo ad impoſſibile pro Iuris ſtudioſis.

IN præſenti capite habemus vnam ſpeciem ſyllogiſmi hypothetici, videlicet ſyllogiſmum ad impoſſibile, quē fieri per aliquam trium figurarū determinat Ariſtoteles: vnde ad vſum iuris ſtudioſis declarandum eſt quid ſit ſyllogiſmus ad impoſſibile.

A Syllogiſmus ad impoſſibile eſt ille, qui procedit ex ſumpta contradictione alicuius cōcluſionis probādæ, quæ poſita locu vnius præmiſſæ ex ipſa, & altera conceſſa propoſitione falſum ſyllogizat, ex cuius falſitate infertur falſitas eiuſdē contradictionis, & arguitur veritas concluſionis propoſitæ, exempli gratia: Accipiantur in iure veluti in tit. Inſt. de iuſt. & iu. & in tit. de furtis, huiuſcemodi termini, Delictum pro maiori extremo, Furtum pro medio termino, Iuſtitia pro minori extremo, tunc proponamus hanc conclu B ſionem probandam per impoſſibile, Nullam iuſtitiam eſſe furtum, & accipiamus ſuam contradictoriam, Aliquam iuſtitiam eſſe furtum, loco vnius præmiſſæ, & ex ipſa & altera conceſſa, ſyllogiſmo in Darij tertia iugatio primæ figuræ, concludemus hanc concluſionem manifeſte falſam, tali pacto ſcilicet,

Omne furtum eſſe delictum.
Aliquam iuſtitiam eſſe furtum, ergo
Aliquam iuſtitiam eſſe delictum.

Hæc concluſio eſt manifeſte falſa, quæ quo C niam ſequitur ex data contradictione, Aliquam iuſtitiam eſſe furtum; ergo ipſa erit quoque falſa, & per cōſequens propoſita concluſio eidem oppoſita vera erit, nempe Nullam iuſtitiam eſſe furtum.

Et iſte ſyllogiſmus ad impoſſibile; quoniam in primis falſum ſyllogizando concludit ex data contradictione, & altera conceſſa propoſitione: deinde ex quo ſuppoſita contradictio falſæ concluſionis cauſa fuit concluſionem a principio D propoſitam eſſe verā colligit: idcirco habemus, quòd etiam iſte ſyllogiſmus oportet vt formetur per aliquam trium figurarum ſicuti & oſtenſiuus fit ſyllogiſmus.

De his ſatis dicta ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

In omni Syllogiſmo terminum prædicatiuum eſſe, & vniuerſale exiſtere. Cap. XXIV.

E AMplius autem in omnibus oportet aliquem terminorum prædicatiuum eſſe, & vniuerſalē: ſine vniuerſali enim non erit ſyllogiſmus, aut non ad hoc, F quod poſitum eſt, aut quod ex principio eſt, petet. Ponatur enim muſicam voluptatem eſſe ſtudioſam: ſi ergo popoſcerit voluptatem eſſe ſtudioſam, non addens omnem, non erit ſyllogiſmus, Si autem aliquā voluptatem

eſſe ſtudioſam, ſi aliam quidem nihil ad hoc, quod poſitum eſt. Si autem eandem quod ex principio erat, ſumit.

In hac parte capitis ponit Ariſtoteles in omnibus coniugationibus cuiuſcunque figuræ debere neceſſario reperiri aliquem terminum affirmatiuum, & aliquem vniuerſalem, & determinat, quòd niſi fuerit aliquis terminus vniuerſalis, quòd aut nulla erit ratiocinatio, aut ſaltē non **B** erit ad rem propoſitam, vel fiet petitio principij, quod declarat exēplo in moralibus, ſicuti ſi quiſpiam demonſtrare velit, muſicam voluptatem eſſe ſtudioſam, ſi terminum ſumat, quòd ſe habeat ad medium indefinite nulla ſequitur ratiocinatio, veluti

Voluptas eſt ſtudioſa
Muſica voluptas eſt voluptas, ergo
Muſica voluptas eſt ſtudioſa.

Quoniam indefinita candē vim habet ac particularis, & muſicam voluptatem non comprehendit **C** ſub ſe, quod ſi terminus ſumatur particulariter ad medium, veluti.

Aliqua voluptas eſt ſtudioſa.
Muſica voluptas eſt voluptas, ergo
Muſica voluptas eſt ſtudioſa.

Si ea voluptas particularis ſit alia à muſica, verbi gratia, geometrica, ita vt non ſit vniuerſalis ad rem propoſitam, tunc nihil faciet ad probādum id, quod ſumptum eſt. Si verò eadem ſit ac muſica, tunc erit petitio principij, ſcilicet aliqua voluptas eſt muſica, voluptas eſt ſtudioſa; **D** ergo muſica voluptas eſt ſtudioſa. Dicit igitur: *Amplius autem in omnibus oportet aliquem terminorum prædicatiuum eſſe, & uniuerſalem.* Inſuper in omnibus modis dictarū figurarū requiritur, quòd ſit aliquis terminus affirmatiuus, & vniuerſalis. *Sine vniuerſali enim non erit ſyllogiſmus, aut nō ad hoc, quod poſitum eſt, aut quod ex principio eſt, petet.* Quando namque non reperitur terminus aliquis, qui ſe habeat ad medium vniuerſaliter, aut nulla erit ratiocinatio, vt quando ſe habet indefinite, aut non ad rem propoſitam, vt quādo par- **E** ticulariter, aut petit in principio, vt quando eſt idem cum eo quod ſumitur probandū, quod declarat exemplo: *Ponatur enim muſicam voluptatē eſſe ſtudioſam.* Sit concluſio probanda, quòd muſica voluptas ſit ſtudioſa. *Si ergo popoſcerit voluptatem eſſe ſtudioſam, non addens omnem, non erit ſyllogiſmus.* Si ſyllogizans ſumpſerit terminum ad medium indefinite, nempe voluptatem eſſe ſtudioſam, & non vniuerſaliter, ſcilicet omnem voluptatem eſſe ſtudioſam, nulla erit ratiocinatio. *Si autem aliquam voluptatem eſſe ſtudioſam.* Si ve- **F** rò ſumpſerit terminum ad medium particulariter, ſcilicet aliquam voluptatē eſſe ſtudioſam; *Si aliam quidem nihil ad hoc, quod poſitum eſt.* Si voluptas ſit alia, & diuerſa a muſica voluptate, ratiocinationem quidem efficiet, ſed non ad rem propoſitam, cum ad eam non ſe habeat vniuer- **A** ſaliter. *Si autem eandem quod ex principio erat, ſumit.* Quòd ſi ea voluptas non diſtinguatur a muſica voluptate, tunc fiet petitio principij, idem per idem ſyllogizabitur.

Magis autem fit manifeſtum in figuris, vt quod equicruris æquales ſunt anguli, qui ſunt ad baſim. Sint enim in centrum ductæ A, B: ſi ergo æqualem ſumpſerit A, C angulum **B** ei, qui eſt B, D, non omnino petens æquales eos, qui ſunt ſemicirculorum. Et rurſum C ei, qui eſt D, non omnem aſſumens eum, qui eſt inciſionis. Amplius ab æqualibus exiſtentibus totis angulis æqualibus demptis æquales eſſe reliquos, ſcili- **C** cet E, F, quod ex principio eſt petet, niſi ſumat ab omnibus æqualibus, æquis demptis, æqualia relinqui.

Vbi declarauit exēplo in moralibus, in omnibus ſyllogiſmis cuiuſcunq; figuræ neceſſario requiri propoſitionem aliquam vniuerſalem. Hoc idem nunc patefacit in terminis mathematicis, & inquit, quod ſi quis Geometra facta deſcriptione circuli A, B, C, D, & ductis lineis dyame- **D** traliter per centrum circuli A, C; & B, D: & inſuper linea ex C in D, quæ linea erit baſis trianguli æquilateri, in quo verſus angulus trianguli, qui eſt in centro circuli, erūt duo anguli, E vnus, & F alius, vt in figura ſequenti.



Si inquam is volēs probare, quòd anguli trianguli ſunt æquales, aſſumpſerit primū angulum A, C, lineæ dyametralis, quem facit dyameter cum linea circuli in A vna parte, & C in alia ſui parte, æqualem eſſe ei angulo, qui eſt B, D, hoc eſt ei, quem facit alia dyameter cum circumfe- **F** rentia, & non ſumpſerit vniuerſaliter, quòd omnes anguli portionum circuli clauſi ad dyametrum ſunt æquales, veluti

Omnes anguli portionum circuli clauſi ad dyametrum ſunt æquales.
Anguli A, B, C, D ſunt portionū circuli clauſi ad dyametrum; ergo ſunt æquales.

Et inſuper volens probare, quod anguli, quos conſtituit baſis trianguli cum linea arcus, quæ ſubtenditur & in duabus partibus, ſunt æquales, non ſumat vniuerſaliter, quòd omnes anguli inciſionum ſunt æquales, tali pacto, ſcilicet

Omnes anguli inciſionum ſunt æquales.

Angulus D, & angulus C ſunt anguli inciſionum; ergo ſunt æquales.

Pariterq; volẽtes probare, quòd anguli trianguli æquilateri ſuper baſim ſunt æquales, non acceperit vniuerſaliter, quòd ab omnibus demptis æqualibus, quæ relinquuntur, ſunt æqualia, videlicet

Si à quibuslibet æqualibus æqualia adimantur, quę remanent, ſunt æqualia,

Anguli portionum D, & C ſunt æqualia, ergo

Demptis æqualibus ab eis, quæ relinquuntur, adhuc erunt æqualia.

Demuntur autem D & C anguli, qui clauduntur, & baſi tanquam corda, & C, D arcu; ergo quæ relinquuntur, ſunt æqualia. Remanent autem E, F anguli trianguli, qui ſunt ſuper baſim; ergò anguli duo E, F, qui ſuper baſim ſunt, erunt æquales, ſi in quolibet iſtorum ſyllogiſmorum propoſitio vniuerſalis non ſumatur, aut non erit ſyllogiſmus, aut non ad propoſitum eſt, & hoc eſt quòd inquit: *Magis autem fit manifeſtum in figuris*. Magis aperte conſtat in deſcriptionibus mathematicis in omni ſyllogiſmo requiri vniuerſalem propoſitionem, *vt quòd equicruris æquales ſunt anguli, qui ſunt ad baſim*, veluti quòd æquales ſint anguli iſocheles ad baſim; quæ erit concluſio principalis probanda. *Sint enim in centrum ductæ A, B.* Reperiatur namque duæ lineæ ſe inuicem ſecantes in centro, quæ ſint A, B, vt in figura ſupraposita. *Si ergo æqualem ſumpſerit A, C angulum ei, qui eſt B, D.* Si itaque Geometra voluerit probare angulos A, B, C, D eſſe æquales, *non omnino petens æquales eos, qui ſunt ſemicirculorum, & non ſumpſerit vniuerſaliter*, quòd omnes anguli portionum circuli clauſi ad dyametrum ſunt æquales. *Et rurſum C ei, quæ eſt D.* Et inſuper probare volens angulos D, C eſſe æquales, *non omnem aſſumens eum, qui eſt inciſionis*, non aſſumpſerit vniuerſaliter, quod omnes anguli inciſionum ſunt æquales. *Amplius ab æqualibus exiſtentibus totis angulis, æqualibus demptis, æquales eſſe reliquos, ſcilicet E, F.* Vlterius etiam probare volens, quòd anguli trianguli, qui ſunt ſuper baſim, ſcilicet E, F ſunt æquales, *quod ex principio eſt, petet, niſi ſumat ab omnibus æqualibus, æquis demptis, æqualia relinqui*. Petet in principio niſi vniuerſaliter ſumpſerit, quòd ab omnibus demptis æqualibus, quæ relinquuntur, ſunt æqualia, ita vt in quolibet horum ſyllogiſmorum, niſi fuerit propoſitio vniuerſalis, aut nullus fiat ſyllogiſmus, aut non ad propoſitum, aut peccans in petitione principij.

Manifeſtum igitur quòd in omni ſyllogiſmo oportet vniuerſales eſſe, & quòd vniuerſale quidem ex om-
A nibus terminis uniuerſalibus monſtratur; particulare autem ſic, & aliter. Quare ſi concluſio ſit uniuerſalis, & terminos neceſſe eſt uniuerſales eſſe: ſi autem uniuerſales ſint termini, contingit concluſionem non uniuerſalem eſſe; palam etiam quòd in omni ſyllogiſmo aut utramque,
B aut alteram propoſitionem ſimilem neceſſe eſt fieri concluſioni. Dico autem non ſolum in eo quod affirmatiua ſit, uel negatiua, ſed in eo quod neceſſaria aut ineſſe, aut contingens. Conſiderare autem oportet & alia prædicamenta: manifeſtum autem
C & ſimpliciter quando erit, & quando non erit ſyllogiſmus, & quando perfectus; & quòd ſi eſt ſyllogiſmus, neceſſarium eſt habere terminos ſecundum aliquem dictorum modorum.

In hac vltima parte capitis corollarie colligit Ariſtoteles ex dictis conſtare, in omni ſyllogiſmo neceſſario requiri terminum aliquem vni-
D uerſalem vniuerſaliter diſtributum; & inſuper concluſionem vniuerſalem ex vtriſque terminis vniuerſalibus concludi; particularem verò, & ex vtriſque vniuerſalibus, & ex vno vniuerſali, & altero particulari. Hinc concluſione vniuerſali exiſtente verum eſſe dicere ambas præmiſſas eſſe vniuerſales, ſed non è conuerſo vtriſque præmiſſis vniuerſalibus exiſtentibus, concluſionem quoque vniuerſalem cenſendam eſſe, cum & particularis ſequi poſſit, vti in tertia figura. Præterea colligit notum eſſe in omni
E ſyllogiſmo concluſionem ſimilem eſſe vni ex præmiſſis non ſolum quo ad affirmationem, & negationem, ſed etiam in modo neceſſitatis, aut contingentis, aut de ineſſe, addens quo ad veritatem & falſitatem, & reliquos modos prædicandi, conſiderationem propriam habendam. Denique concludit manifeſtum eſſe quãdo ſimpliciter erit vtilis ſyllogiſmus, & quando inutilis, quando perfectus, & quando imperfectus; & quòd quando eſt ſyllogiſmus, neceſſe eſt, quòd
F termini, & propoſitiones ſint diſpoſitæ ſecundum aliquem modum, dictarum figurarum.

Et de his hactenus verba namque contextus ſunt ita aperta, vt non egeant alia exactiori explicatione.

Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super

Super Capite XXIV. Primi Priorum pro Iuris ſtudioſis.

HAbemus in præſenti capite, in omnibus coniugationibus cuiuſcúque figuræ neceſſario requiri aliquem terminum vniuerſalem, alioquin aut non erit ſyllogiſmus, aut non ad propoſitum, aut erit petitio principij.

Exemplum pro Iuris ſtudioſis in tit. C. de cad. toll. & Iuſt. tit. de teſt. in princ.

Si Iuris ſtudioſus velit demonſtrare teſtamentum poſſe eſſe caducum, debet ſumere propoſitionem aliquam vniuerſalem, quoniã ſi aſſumpſerit terminum, quod ſe habeat ad medium indefinite, nulla erit ratiocinatio, veluti

Vltima voluntas poteſt eſſe caduca
Teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo
Teſtamentum poteſt eſſe caducum.

Ratio eſt, quoniam maior indefinita eandem habet vim, ac particularis, & non comprehendit ſub ſe teſtamentum tanquam eius pars: quod ſi ſumpſerit terminum particulariter ſe habẽtem ad medium, gratia exempli.

Aliqua vltima volũtas poteſt eſſe caduca
Teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo
Teſtamentum poteſt eſſe caducum.

Aut ea vltima voluntas contra diſtinguitur à teſtamento, aut eſt eadem cum teſtamẽto, ſi contra diſtinguitur à teſtamento non faciet ad probandum id, quod ſumptum eſt, ſi eadem tunc petitio erit principij.

Quapropter manifeſtè patet in iure pro Iuris ſtudioſis hanc concluſionem, veram exiſtere in omnibus ſyllogiſmis cuiuſcunque figuræ reperiri oportere terminum aliquem vniuerſalem. Et de his hactenus pro Iuris ſtudioſis.

Omnem Syllogiſmum ex tribus tantum conſtare terminis, duabusq; propoſitionibus. Cap. XXV.

PAlam autẽ & quòd omnis demonſtratio erit per tres terminos, & non per plures, niſi per alia, & alia eadem concluſio fiat, ut E per A, B, & per C, D, aut per A, B, & A, C, & B, C. Plura enim media eorũdem nihil eſſe prohibet: hęc autem cum ſint non unus, ſed plures ſunt ſyllogiſmi.

A Ponit Ariſtoteles in pręſenti manifeſtũ quoque eſſe omnem demonſtrationem conſtare, ex tribus terminis, & duabus propoſitionibus, niſi concluſio aliqua fuerit concluſa per diuerſa media, ſiue non eodem medio termino habente eãdem habitudinem ad extrema, ſicuti quãdo particularis negatiua concluſio monſtratur in diuerſis figuris.

Exemplum eius concluſionis, quæ per diuerſa media oſtenditur, ſit hæc concluſio, Omnis homo eſt ſubſtantia, quæ per plura argumenta comprobatur hunc in modum:

B
Omne animal eſt ſubſtantia. A
Omnis homo eſt animal, ergo. B
Omnis homo eſt ſubſtantia. E

Rurſus
Omne animatum eſt ſubſtantia. C
Omnis homo eſt animatus, ergo. D
Omnis homo eſt ſubſtantia. E

Vna namque concluſio comprobatur, ſed nõ vnico, imò pluribus medijs.

Exemplum alterius concluſionis ſit, Aliquis
C homo non eſt albus, quæ concluſio in diuerſis figuris demonſtratur tali pacto:

In prima.

FE- Nullus Aethiops eſt albus. B
RI- Aliquis homo eſt Aethiops, ergo. A
O Aliquis homo non eſt albus. E

In ſecunda.

FE- Nullus albus Aethiops. C
STI- Aliquis homo Aethiops, ergo. A
NO Aliquis homo non eſt albus. E

In tertia.

D FE- Nullus Aethiops eſt albus. B
RI- Aliquis Aethiops eſt homo, ergo. C
SON. Aliquis homo non eſt albus. E

Et hoc pacto particularis negatiua mõſtratur in tribus figuris, ſũpto medio alio & alio modo.

Dicit itaque: *Palam autem, & quod omnis demonſtratio erit per tres terminos, & non per plures.* Manifeſtum etiam, quòd omnis comprobatio, & oſtenſio ſyllogiſtica fiet per três terminos, nõ plures, *niſi per alia, & alia eadem concluſio fiat* niſi per diuerſa media, aut idem mediũ diuerſimo-
E de ſe habentem, vna & eadem cõcluſio comprobetur. Quo caſu vnus non eſt ſyllogiſmus, ſed plures eandem concluſionem inferrentes. Declarat exemplo. *Vt per A, B, & per C, D.* Exemplum concluſionis concluſæ per diuerſa media eſt veluti ſi E concluſio concludatur per A, B, ſicuti per vnum medium, & per C, D, tanquam per aliud medium, *aut per A, B & A, C, & B, C.* Exemplum alterius ſit, ſi E concluſio, quę ſit particularis negatiua per medium diuerſo modo ad extrema ſe habentem, vti in tribus figuris fuerit
F concluſa; A namque in prima figura, quam indicat per A, B eſt minor propoſitio affirmatiua particularis, B verò maior negatiua vniuerſalis: at in ſecunda, quia minor propoſitio remanet particularis affirmatiua, maior autem conuertitur; ideo eam indicauit per A, C, ſer-

tans A,& mutans B, & in tertia, quam indicat per B,C, quoniam maior propoſitio eſt negatiua vniuerſalis, & minor particularis conuerſa, idcirco in ea ſeruauit ipſum B, mutato A in C,& ita videtur, quòd medium in his non eodem modo ſe habet ad extrema. *Plura enim media eorundem nihil eſſe prohibet* Plura namque eſſe media ad eandem concluſionem nihil prohibet. *Hac autem cum ſint, non vnus, ſed plures ſunt ſyllogiſmi*. Verùm quando media ſumpta ſunt his duobus modis non eſt vnus, ſed plures ſyllogiſmi, quando medijs multiplicatis, etiam multiplicantur ſyllogiſmi.

Sequitur textus.

Aut rurſum quando vtrumque A, B ſumitur per ſyllogiſmum, vt A per D, E; & rurſum B per F, G, aut hoc quidem inductione, illud autem ſyllogiſmo, ſed & ſic plures erunt ſyllogiſmi. Plures enim concluſiones ſunt, vt A, B, & C.

Addit Ariſtoteles aliquam concluſionem inſuper per plures terminos demonſtrari, quando ambæ propoſitiones, quibus concluſio ea infertur per priorem ſyllogiſmum ſumuntur, veluti in elementis, quando A,B propoſitiones, ex quibus colligitur C concluſio, indiget priori ratiocinatione ad hoc, vt comprobetur, ita vt A per D, E, duas propoſitiones, & B per F, G, alias duas comprobentur, vel vna ex præmiſſis comprobetur inductione, & alia ſyllogiſmo.

Exemplum in terminis, quando vtraque propoſitio eget proſyllogiſmo. Probetur hęc concluſio, quòd omne iuſtum eſt bonum, per has duas propoſitiones.

Omne pulchrum bonum.
Omne iuſtum pulchrum, ergo
Omne iuſtum bonum.

Deinde alio ſyllogiſmo comprobamus maiorem propoſitionem.

Omne deſiderabile bonum.
Omne pulchrum deſiderabile, ergo
Omne pulchrum bonum.

Poſtremo alio ſyllogiſmo comprobamus minorem.

Omne virtuoſum pulchrum.
Omne iuſtum virtuoſum, ergo
Omne iuſtum pulchrum.

Exemplum in terminis, quando vna ex præmiſſis cōprobatur ſyllogiſmo, & alia inductione. Probetur hæc concluſio, quòd Medicina ſit vtilis vitæ, per has duas propoſitiones.

Omnis ars eſt vtilis vitæ.
Medicina eſt ars, ergo
Medicina eſt vtilis vitæ.

A Deinde maior propoſitio probetur inductione demonſtrando, quod omnes particulares artes ſunt vtiles vitæ.

Et poſtea minor ſyllogiſmo demonſtretur ſic:

Omnis methodus faciens viam eſt ars.
Medicina eſt methodus faciens viam, ergo
Medicina eſt ars.

Verùm inquit Ariſtoteles his omnibus modis plures ſunt ſyllogiſmi; ſiquidem plures ſunt
B in eis concluſæ concluſiones, ſicuti vna inductione, alia proſyllogiſmo, & alia principali ſyllogiſmo. Dicit igitur: *Aut rurſum quando vtrunque A, B ſumitur per ſyllogiſmum*. Vel inſuper quando A, B, quæ ſunt duæ propoſitiones communicatæ in aliquo medio ad probandam aliquam concluſionem, puta C, egent & ipſæ demonſtratione, *vt A per D, E*, ita vt propoſitio A priori ratiocinatione comprobetur per alias duas propoſitiones, D ſcilicet & E. *Et rurſum B per F, G*. Et iterum alia propoſitio B demon-
C ſtrétur priori ſyllogiſmo per alias duas propoſitiones, quæ ſint F, G: *Aut hoc quidem inductione, illud autem ſyllogiſmo*. Vel vna ex dictis propoſitionibus comprobetur inductione, puta A, & altera nempe B ſyllogiſmo concludatur. *Sed & ſic plures erunt ſyllogiſmi*. Verùm his omnibus modis ſunt plures ſyllogiſmi, non vnus. *Plures enim concluſiones ſunt, vt A, B, & C*. Ratio eſt quoniam plures etiam ſiunt concluſiones, puta A, quæ comprobatur inductione, B, quæ ſyllogiſmo demonſtratur, & C, quę in principali ſyl-
D logiſmo concluditur.

Si igitur non plures, ſed vnus (ſic autem contingit fieri per plura media eandem concluſionem, vt E quidem per A, B, C, D) impoſſibile. Sit enim E concluſio ex A, B, C, D; ergo neceſſe eſt aliquid eorum, aliud ad aliud ſumptum eſſe,
E hoc quidem vt totum, illud verò ut pars. Hoc enim oſtenſum eſt prius, quod ſi eſt ſyllogiſmus, neceſſe eſt ſic aliquos ſe habere terminorum. Habeat ſe ergo A ſic ad B; eſt itaque aliqua ex eis concluſio; aut ergo E, aut alterum eorum, quæ ſunt C, D,
F aut alterum aliud quidem pręter hęc: Et ſi E quidem ex A, B tantum erit ſyllogiſmus; C, D autem quidem ſe habeant ſic, vt ſit hoc quidem vt totum, illud verò vt pars: erit aliquid ex illis aut E, aut aliquid eorum, quæ

ſunt

ſunt A, B, aut alterum aliud quidem præter hæc: Et ſi E quidem aut eorum, quæ ſunt A, B alterum, aut plures erunt ſyllogiſmi, aut (ut contingebat) idem per plures terminos concludi accidit. Si autem aliud quidem præter hæc, plures erunt, & inconiuncti ſyllogiſmi adinuicem. Si autem non ſic ſe habeat C ad D, vt faciat ſyllogiſmum, uane erunt ſumpta, niſi inductionis, aut celationis, aut alicuius alius talium gratia. Si autem ex A, B non E, ſed alia quædam fiat concluſio: ex C, D autem aut horum alterum, aut aliud præter hæc, & plures fiunt ſyllogiſmi, & non eius quod poſitum eſt: ponebatur enim eius quod eſt E eſſe ſyllogiſmum; ſi autem non fiat ex C, D nulla concluſio, & uane ſumpta eſſe ea accidit, & non eius, quod eſt ex principio eſſe ſyllogiſmum. Quare manifeſtum, quòd omnis demonſtratio, & omnis ſyllogiſmus erit per tres terminos ſolos.

Vbi poſuerit Ariſtoteles omnem demonſtrationem conſtare ex duabus propoſitionibus, niſi concluſio aliqua fuerit concluſa per plures ſyllogiſmos, nunc demonſtrat vnam ſimplicem concluſionem per plures terminos in vno ſyllogiſmo colligi minime poſſe, & id oſtendit ſumptis terminis A, B, C, D, loco quatuor propoſitionum, ex quibus ſi quiſpiam dicat, vnam aliquam inferri concluſionem, neceſſe inquit hos terminos inuicem habitudinem quãdam habere, vt etiam in præcedentibus docuit. Si itaque A, B ſe habeant inter ſe vt totum ad partem, ex eis ſequitur aliqua concluſio neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ. Quæ concluſio aut erit E propoſitio demonſtranda ex quatuor ſumptis terminis, & tunc habemus intẽtum ex duabus tantummodo propoſitionibus ſyllogiſmum conſtare, aut ea concluſio erit altera dictarum propoſitionum C, D; aut aliud quidppiam, pariter ſi C, D habeant eandem habitudinem inter ſe, & ex eis ſequitur aliqua concluſio neceſſitate conſequentię ſyllogiſticę. Ea itaque erit aut E prior poſita concluſio, aut altera propoſitionum A, B, aut aliud quidppiam, ſi erit E poſita concluſio, tunc quidem plures erunt eiuſdem rei ratiocinationes. Si

A vero altera propoſitionum A, B contingit E concluſionem principaliter intentam per pluſyllogiſmos demonſtrari, quod ſi ſit aliud quidppiam concluſum præter hæc erunt non ſolum plures ſyllogiſmi, verum etiam penitus diuerſi, & incommunicantes. Si autem propoſitiones C, D dictam habitudinem non ſeruant inter ſe, fruſtrà erunt aſſumptæ, cum propoſitam concluſionem haud inferre poſſint, niſi fuerint aſſumptæ inductionis, aut occultationis, aut alterius alicuius gratia, quibus omnibus modis
B plures oriuntur ſyllogiſmi: ſi verò dicatur ex A, B propoſitionibus inuicem habitudinem habentibus, E principalem concluſionem non ſequi, ſed aut alterum ex C, D propoſitionum, ſicuti in proſyllogiſmis, aut quidppiam aliud præter dicta, plures erunt ſyllogiſmi; & ad ſumptam concluſionem non facient, quòd ſi nulla ex C, D propoſitionibus concluſio ſequatur, & fruſtra erunt aſſumptæ: & non valebunt concluſionem à principio propoſitam demonſtrare. Ex quibus omnibus determinat eſſe manifeſtũ,
C omnem demonſtrationem, & omnem ſyllogiſmum per plures, quam per tres terminos fieri nun poſſe, & ideo inquit. *Si igitur non plures, ſed unus. (Sic autem contingit fieri per plura media eandem concluſionem, ut E quidem per A, B, C, D) impoſſibile.* Si verò ſit vnus ſyllogiſmus, non plures, qui dicatur fieri per plures terminos, quam dictos, vt puta, ſi in vno ſyllogiſmo E concluſio dicatur colligi per A, B, C, D quatuor propoſitiones, hoc fieri impoſſibile eſt. *Sit enim E concluſio ex A, B, C, D,* quoniam ſi hæc
D concluſio E per quatuor dictas propoſitiones ſyllogizatur; *ergo neceſſe eſt aliquid eorum, aliud ad aliud ſumptum eſſe, hoc quidem ut totum, illud verò ut pars.* Sequitur quòd in hys vnum ſe habeat ad alterum tanquàm totum ad ſuam partem, vnum vti cõtinens, alterum vti cõtentum: maior namque continet, & minor continetur, vt in hac ratiocinatione.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt animal, ergo
Omnis homo eſt ſubſtantia.

E Maior terminus eſt veluti totum continens: minor verò vti pars contenta. *Hoc enim oſtenſum eſt prius, quod ſi eſt ſyllogiſmus, neceße eſt ſic aliquos ſe habere terminorum.* In præcedentibus namque habuimus in vnoquoque ſyllogiſmo talem terminorum habitudinem neceſſaria requiri. *Habeat ſe ergo A ſic ad B* Si itaque A & B duæ propoſitiones inuicem ſic ſe habeant tanquam totum & pars. *Eſt itaque aliqua ex eis concluſio.* Ex huiuſmodi habitudine terminorum neceſſitate cõſequentiæ ſyllogiſticæ aliqua concluſio ſequi
F tur, *aut ergo E.* Hæc igitur conſequens cõcluſio, aut erit E concluſio propoſita, *aut alterum eorũ, quæ ſunt C, D,* aut hæc concluſio erit aliqua dictarum propoſitionum C, D, *aut alterum aliud quidem præter hæc,* aut ea concluſio erit aliquid aliud præter E, C, D. *Et ſi E quidem ex A, B tantum erit ſyllogiſmus.* Si talis concluſio erit

E propoſita, tunc habemus intentum, quòd ex A duabus tantum propoſitionibus A, B colligitur. *C, D autem quidem ſe habeat ſic, vt ſit hoc quidem vt totum, aliud verò vt pars:* Præterea ſi C, D aliæ duæ propoſitiones conſimiliter ſe habeant ad inuicem vt totum & pars, *erit aliquid ex illis aut E; aut aliquid eorum; quæ ſunt A, B, aut alterum aliud quidem præter hæc.* Neceſſario ſequitur aut dicta concluſio principalis E, aut aliqua ex dictis propoſitionibus A, B, aut aliud quidppiam. *Et ſi E quidem, aut eorum, quæ ſunt A, B alterum.* Et ſi concludatur E, B aut aliqua dictarum propoſitionum A, B; *aut plures erunt ſyllogiſmi;* aut plures erunt ſyllogiſmi, per diuerſa media eandem concluſionem concludentes, *aut (vt contingebat) idem per plures terminos concludi accidit,* aut eadem concluſio principalis per ſyllogiſmos, & proſyllogiſmos concludetur. *Si autem aliud quidem præter hæc.* Quòd ſi aliqua alia concluſio præter dictas demonſtretur, *plures erunt & inconiuncti ſyllogiſmi adinuicem;* ſyllogiſmi erunt C plures, & penitus incommunicantes. *Si autem non ſic ſe habeat C ad D vt faciat ſyllogiſmum.* Si verò C, D propoſitiones nullam habeant habitudinem inter ſe, ita vt ratiocinatio ex eis non ſequatur; *vanæ erunt ſumpta, niſi inductionis, aut celationis, aut alicuius alius talium gratia,* fruſtra tales propoſitiones aſſumentur, niſi inductionis gratia; aut occultationis, vel alterius ſimilis gratia aſſumantur. *Si autem ex A, B, non E, ſed alia quadam fiat concluſio; ex C, D autem, aut D borum alterum, aut aliud præter hæc.* Si verò ex A, B propoſitionibus E principalis concluſio non ſequatur, ſed vel altera propoſitionum C, D, vel aliud quidppiam præter hæc omnia, *& plures fiunt ſyllogiſmi, & non eius quod poſitum eſt,* plures oriuntur ratiocinationes & inſuper ad cõcluſionem a principio ſumptum non conducentes. *Ponebatur enim eius, quod eſt E, eſſe ſyllogiſmum.* Concluſio enim propoſita, quæ in ſyllogiſmo erat demonſtranda, erat E ſumpta; & principaliter in- E tenta. *Si autem non fiat ex C, D nulla concluſio.* Si vero ex C, D propoſitionibus nulla ſequatur concluſio, quoniam nullã habeant inuicem habitudinem, *& uane ſumpta eſſe ea accidit.* Fruſtra hæ propoſitiones erunt ſumptæ, *& non eius; quod eſt ex principio eſſe ſyllogiſmum.* neque formabunt ſyllogiſmum, qui valeat concludere a principio ſumptam concluſionem. *Quare manifeſtum, quòd omnis demonſtratio, & omnis ſyllogiſmus erit per tres terminos ſolum.* Quapropter ex dictis ſatis aperte pa- F tet omnem ſyllogiſmum, omnemque ratiocinationem ex tribus tantum terminis conſtare.

Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XXV. Omnem ſyllogiſmum ex tribus tantum conſtare terminis, duabuſq; propoſitionibus pro Iuris ſtudioſis.

QVæ habemus in hoc capite ad vtilitatem Iuriſtarum ſunt omnes ſyllogiſmos conſtare ex tribus terminis, vt vidimus in ſuperioribus: niſi tamen cõcluſio aliqua fuerit concluſa per diuerſa media; ſiue aliqua præmiſſarum comprobetur priori ſyllogiſmo, & ſic proſyllogiſmo.

Exemplũ pro Iuris ſtudioſis in terminis ſumptis in l. quæ in teſtamento, ff. de his quę pro non ſcriptis.

Exemplum primi modi.

Accipiamus hãc concluſionẽ demonſtrandã.

Omnia ſcripta, ſcilicet in teſtamento Titij, proinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Quam concluſionem poſſumus probare per diuerſa media tali pacto.

Sit enim concluſio propoſita,

Omnia ſcripta in teſtamento Titij, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non ſint.

Tunc ſic;

Omnia, quæ in teſtamento ſcripta ſunt, nec intelliguntur; perinde ſunt ac ſi ſcripta nõ ſint,

Omnia ſcripta in teſtamento Titij non intelliguntur; ergo

Omnia ſcripta in teſtamento Titij, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Hæc eadem concluſio poteſt etiã ſic demonſtrari per aliud medium.

Omnia ſcripta in teſtamento alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Omnia ſcripta in teſtamento Titij, ſunt ſcripta alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, ergo

Omnia ſcripta in teſtamento Titij, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non ſint.

Exemplũ ſecundi modi in iiſdem terminis.

Omnia ſcripta in teſtamento alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Omnia ſcripta in teſtamẽto Titij, ſunt ſcripta alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, ergo

Omnia ſcripta in teſtamento Titij, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Hæc concluſio probatur per duas propoſitiones præmiſſas.

Deinde maior earum proſyllogiſmo comprobatur tali pacto.

Omnia ſcripta in teſtamento alicui non exiſtenti in rerum natura, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Omnia ſcripta in teſtamento alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, ſe habẽt vti ſcripta alicui non exiſtenti in rerum natura, ergo

Omnia ſcripta in teſtamento alicui exiſtenti in hoſtium poteſtate, perinde ſunt ac ſi ſcripta non ſint.

Et ita videmus quomodó mirabiliter & in Iure valeamus multiplicare ratiocinatiónes ad comprobandum aliquam concluſionem ſumentem plura & diuerſa media.

Et de his hactenus pro Iuris ſtudioſis.

Quo pacto dum adduntur termini, propoſitiones creſcant, ac concluſiones. Cap XXVI.

HOc autem manifeſto, palam quòd & ex duabus propoſitionibus, & nó pluribus; nam tres termini, duę ſunt propoſitiones, niſi aſſumatur aliquid (quemadmodúm in prioribus dictum eſt) ad perfectionem ſyllogiſmorum. Manifeſtum igitur quandó in qua oratione ſyllogiſtica non pares ſunt propoſitiones, per quas fit concluſio principalis (quaſdam enim ſuperiorum concluſionum neceſſarium eſt eſſe propoſitiones) hæc oratio aut nó ſyllogiſtica eſt, aut plura neceſſarijs interrogauit ad poſitionem. Secundum igitur principales propoſitiones ſumptis ſyllogiſmis omnis ſyllogiſmus erit ex propoſitionibus quidem perfectis; ex terminis autem abundantibus, vno enim plures termini propoſitionibus: erunt auté & cóclusiones dimidietas propoſitionũ

Colligit Ariſtoteles in principio huius capitis ex declaratis manifeſtum eſſe, quòd omnis ſyllogiſmus conſtat ex duabus propoſitionibus, & nó pluribus, ex quo tres termini duas conſtituũt propoſitiones; niſi tamen plures termini aſſumantur ad probandum maiorem vel minorem principalis ſyllogiſmi; prout fit in proſyllogiſmis; quo caſu licet vna ſit concluſio finaliter intenta, tamen non eſt ſyllogiſmus ſimpliciter vnus, ſed plures. Inſuper notũ eſſe aſſerit; quòd quando ad inferendam concluſionem principalé ſumuntur plures quam duæ propoſitiones, aut huiuſcemodi orationem non eſſe ſyllogiſticam, aut plures quàm ſint neceſſariæ propoſitiones ſumptas eſſe ad concluſionem principalem. Quapropter ſi proprias & principales acceperimus propoſitiones in ſyllogiſmis, ipſæ erũt perfectæ, & pares, nempé duæ: termini verò impa-

A res, & abundantes, vt puta tres termini namque ſunt vno plures propoſitionibus, ſicuti cõcluſio, eſt propoſitionum medietas, videlicet vna. Dicit itaque: *Hoc autem manifeſto.* Oſtẽſo quod omnis oſtenſio ſyllogiſtica conſtat ex tribus terminis, *palã quòd et ex duabus propoſitionibus, & nó pluribus*, Conſtat quód & inſuper conſtituitur ex duabus propoſitionibus, nó autem pluribus, aut paucioribus. *Nam tres termini, duæ ſunt propoſitiones*, propterea quód ex tribus terminis duæ copulantur propoſitiones, *niſi aſſumatur aliquid (quemadmodum in prioribus dictum eſt) ad perfectionem ſyllo-*

B *giſmorum*; niſi aliqui plures termini aſſumãtur ad probandam maiorem vel minorem principalis ſyllogiſmi pro eius perfectione, ſicuti fit in proſyllogiſmis, vt antea declaratum fuit. *Manifeſtũ igitur quando in qua oratione ſyllogiſtica non pares ſunt propoſitiones, per quas fit concluſio principalis.* Conſtat ergo quod quãdo in aliqua oratione plures ſumuntur quàm duę principales propoſitiones ad inferendam concluſionem principalem intentam. (*quaſdam enim ſuperiorum concluſionũ*

C *neceſſarium eſt eſſe propoſitiones*: quia etiam ſuperiorum concluſionũ, quæ in proſyllogiſmis concluduntur, neceſſe eſt quaſdam eſſe propoſitiones, per quas eæ concluduntur, *hæc oratio aut non ſyllogiſtica eſt*; talis oratio aut nón eſt ſyllogiſtica, veluti (vt Philopponus interpretatur) ſi diceremus, equus animal, canis quadruplex, homo bipes, *aut plura neceſſarijs interrogauit ad poſitionem*, aut plures ſumptæ ſunt propoſitiones quàm ſit neceſſarium ad inferendam concluſionem, veluti ſi probare voluerimus, quòd homó ſit ſub-

D ſtantia, dixerimus, Homo eſt riſibile, riſibile animal, animal ſubſtantia, ergo homo ſubſtãtia: dictio enim riſibile eſt ſuperflua, ſiquidem ſat erat ponere animal eſſe ſubſtantiam. *Secundum igitur principales propoſitiones ſumptis ſyllogiſmis.* Si itaque ſyllogiſmos ſecundum principales & proprias ſumpſerimus propoſitiones, *omnis ſyllogiſmus erit ex propoſitionibus quidem perfectis*, omnis ſyllogiſmus conſtabit ex paribus propoſitionibus, videlicet duabus. *Ex terminis autẽ abundantibus.* Et ex terminis numerũ propoſitionũ ex-

E cedentibus, & imparibus, nempe ex tribus. *Vno enim plures termini propoſitionibus*, quoniam termini ſunt vno plures quàm propoſitiones. *Erunt autem & concluſiones dimidietas propoſitionum*: & vna propoſitionum erit concluſio, dimidietas namque propoſitionum eſt concluſio, & cum præmiſſæ principales ſint duę, concluſió principalis erit vna. Sequitur textus.

Quãdo autem per proſyllogiſmos concluditur, aut per plura media

F non continua, vt A, B per C, D; multitudo quidem terminorum ſimiliter vno ſuperabit propoſitiones: aut enim extrinſecus, aut medium ponetur intercidens terminus.

Vtrinque autem accidit vno minus eſſe interualla, quàm terminos. Propoſitiones autem æquales ſunt interuallis; non tamen hæ quidem ſemper perfectæ erunt, illi verò abundantes, ſed permutatim, quia cùm propoſitiones quidem ſunt perfectæ, abundantes erunt termini: cùm verò termini perfecti abundantes erunt propoſitiones; ſimul enim termino addito, vna additur propoſitio vndecunque addatur terminus, quare quoniam hæ propoſitiones quidem perfectæ, illi verò abundantes erunt, neceſſe eſt tranſmutare eadem, additione facta.

Cùm Ariſtoteles declarauerit in ſimplicibus ratiocinationibus ex proximis propoſitionibus conſtantibus pares reperiri propoſitiones, puta duas, & terminos impares, nempe tres, quoniam termini vno ſemper excedunt propoſitiones, idem nunc quoque euenire docet quando per antecedẽtes ratiocinationes propoſitiones concluſionem principalem inferrentes pro ſyllogiſmo demonſtrantur, & inſuper quando concluſiones per plura media continua colliguntur, veluti in compoſito ſyllogiſmo; ſemper enim termini vno excedunt propoſitiones; verùm hanc vnam ponit differentiam, quòd in ſimplicibus ſyllogiſmis propoſitiones ſemper ſunt pares, termini vero impares; at in compoſitis alternatim, quando pares ſunt propoſitiones, impares ſunt termini, quãdo termini ſunt pares, impares ſunt propoſitiones, quoniam vno addito termino, vna augetur propoſitio, ſiue terminus ponatur extrinſecus, ſcilicet in principio, vel in fine poſitionis terminorum, ſiue in medio eorum; ſemper namque vna ſuperuenit propoſitio, quod oſtendit exemplo: ſit namque hæc concluſio A, B, quæ per media C, D demõſtraretur vel diſiunctim accepta tali pacto, ſcilicet

Omne C eſt A.
Omne B eſt C, ergo
Omne B eſt A.

Omne D eſt A.
Omne B eſt D, ergo
Omne B eſt A.

Ita vt propoſitiones A, D, & D, B ſumptæ ad inferrẽdam concluſionem A, B, pro ſyllogiſmo demonſtrentur hunc in modum,

Omne C eſt A,
Omne D eſt C, ergo
Omne D eſt A.

A Omne E eſt D.
Omne B eſt E, ergo
Omne B eſt D.

Vel continuatim ſumpta vt inferius ſub ſuperiori ita vt A de B, B de C prædicetur, ſemper termini vno ſuperabant propoſitiones, in proſyllogiſmis conſtat, ex declaratis in ſuperioribus, in compoſitis quoque eſt manifeſtum: ſiquidem ſi dictis terminis A, B, C continuatis addatur quartus terminus D, ſiue ponatur extrinſecus, aut ante A, aut poſt C, ſiue inter ipſos, & in
B medio eorum, ſcilicet inter A, B, & inter B, C, quoquomodo fiat, vna ſuperuenit propoſitio A, D; vnde ſi tribus exiſtentibus terminis duæ ſunt propoſitiones, & additioni vnius termini vna euadit propoſitio quatuor terminis exiſtentibus tres erũt propoſitiones: quapropter manifeſtum eſt, quomodo ſemper termini vno excedẽt propoſitiones, & quod alternatim quando termini erunt pares, propoſitiones erũt impares, & quando termini erunt impares, propoſitiones erunt pares, ideo dicit: *Quando autem per proſyllogiſmos*
C *concluditur.* Quando etiam concluſio non procedit ex proprijs, adeo vt propoſitiones principalem concluſionem inferrentes per antecedentem ratiocinationem demonſtretur, *aut per plura media continua*, & vlterius quando concluſiones inferrantur, ex medijs pluribus continuatis ſicuti fit in ſyllogiſmo compoſito, *vt A, B per C, D*, veluti ſi A, B ſit concluſio, quæ per media C, D demonſtretur, vel continuata, vel non: *multitudo quidẽ terminorum ſimiliter vno ſuperabit propoſitiones.* Termini quoquomodo fiat, abunda-
D bunt vno propoſitiones: *autem extrinſecus, aut medius ponetur intercidens terminus*, quoniã in concluſionibus ex pluribus medijs concluſis, mediũ ſumptum aut ponitur ſupra, aut infra terminos alios, aut in medio eorum. *Vtrinque autem accidit vno minus eſſe interualla, quàm terminos*, & vtroque modo euenit propoſitiones à terminis vno ſuperari. *Propoſitiones autem æquales ſunt interuallis.* Sunt autem pares propoſitiones, & interualla, vt alibi docuimus; eſt tamen aliqua differentia in compoſitis & ſimplicibus ratiocinationi-
E bus, quam innuit dũ dicit: *Non tamen hæ quidem ſemper perfectæ erunt*, ſed in compoſitis ratiocinationibus propoſitiones non erunt ſemper pares, & perfectæ, ſicuti in ſimplicibus: *illi verò abũdãtes*; pariter termini nõ ſemper excedẽt vno propoſitiones, *ſed permutatim*, ſed alternatim, *quia cum propoſitiones quidem ſunt perfectæ, abundantes erũt termini*; propterea quod ſi propoſitiones erunt pares, nempe duæ, termini erunt tres, & vno eas ſuperabunt. *Cum verò termini perfecti*, quod ſi termini ſint pares, puta quatuor, *abundantes erunt*
F *propoſitiones*, propoſitiones augentur, & erunt plures, quoniam additione vnius termini, vna ſuperuenit propoſitio, quod dicit: *Simul enim termino addito, vna additur propoſitio, vndecumque addatur terminus*, ſcilicet vel extrinſecus, vel in medio poſitorum. *Quare quoniam hæ propoſitiones quidem perfectæ, illi verò abundantes erunt.* Propte

ſta quoniam propoſitiones, & termini ſemper ſic ſe habent inuicem, quòd ſcilicet propoſitiones ſuperentur à terminis, *neceſſe eſt tranſmutare eadem additione facta*, neceſſe eſt, quòd numerus terminorum vno excedat numerum propoſitionum, & ſic tranſmutari ſecundum par & impar propoſitiones, & terminos, cum termino vno ſic aſſumpto, vna additur propoſitio.

Sequitur textus.

Concluſiones autem non etiam eundem habebunt ordinem neque B ad terminos, neque ad propoſitiones; vno enim termino addito concluſiones adiungentur uno pauciores præexiſtentibus terminis: ad ſolum enim ultimum non facit concluſionem; ad alios autem omnes, ut ſi eis quæ ſunt A, B, C adiacet D, ſtatim & C concluſiones duæ adiacent, quæ ad A, & ad B; ſimiliter autem & in aliis; ſi autem ad medium intercedat eodem modo; ad unum enim ſolum nõ faciet ſyllogiſmum: quare multo plures concluſiones erunt, & terminis, & propoſitionibus.

D In hac vltima parte capitis docet Ariſtoteles nõ eodem modo ſe habere concluſiones ad terminos, & propoſitiones ac ſe habeant inuicem termini, ac propoſitiones: propterea quod additione vnius termini non ſolum adiungitur vna concluſio, verùm plures, reſultant enim vno pauciores quam termini concluſiones: vnde ſi his terminis poſitis A, B, C addatur terminus alius D, vbi prius erat concluſio vna A, C, & termini tres, & propoſitiones duæ, euadunt propoſitiones tres, termini quatuor, & concluſiones vna E pauciores terminis, nempe tres; nam concluſioni A, C adiunguntur concluſiones duæ, ſcilicet A, D, & B, D, quòd rurſus ſi alius terminus ſuperaddatur, puta E, ſuperuenit vna propoſitio; ſed multo plures cõcluſiones; nam termini erũt quinque: propoſitiones quatuor, cõcluſiones autem quæ adiunguntur, erunt vno pauciores terminis, puta tres, nempe A, E, B, E, C, E, & ſic ſex concluſiones efficiuntur; quòd ſi item alius terminus adiungatur, longè plures concluſiones dicta de cauſa ſuperuenient, & hoc euenit non ſo- F lum ſi terminus addatur ad extrema terminorũ verum etiam in medio ipſorum, quoniã ad omnes terminos ratiocinatio efficietur præterquam ad vnum ſolum; ideo dicit: *Concluſiones autem non etiam eundem habebunt ordinem neque ad terminos, neque ad propoſitiones*. Concluſiones verò, quæ ex talibus terminis & propoſitionibus colli- A guntur, non eodem modo ſe habent quo ad paritatem & imparitatem ſicuti termini; & propoſitiones adinuicem: *vno enim termino addito*, quoniam additioni vnius termini, *concluſiones adiungentur uno pauciores præexiſtentibus terminis*, tunc concluſiones ſuperuenient vnica tantum vnitate pauciores terminis. *Ad ſolum enim vltimum nõ facit concluſionem, ad alios autem omnes*, quoniam ſolus vltimus in tali ordine non poteſt concludi de aliquo, eò quòd nihil ſit vlterius, quod ſub ipſo accipi poſſit: quilibet verò ſuperior de infe- B riori concludi poteſt, gratia exempli, *vt ſi eis quæ ſunt A, B, C adiacet D*, ſi his tribus terminis A, B, C, addatur terminus alius, puta D, *ſtatim & concluſiones duæ adiacent*, illico augentur duæ concluſiones, *quæ ad A, & ad B*. videlicet A, D, & B, D, *ſimiliter autem & in aliis*. Idem ſi rurſum terminus addatur alius, plures adiungentur cõcluſiones. *Si autem ad medium intercidat eodem modo*; & quod accidit quãdo terminus additur ad extrema, idem quoque euenit ſi interponatur in medio terminorum poſitorum, quoniam ad vnum C ſolum terminum nulla ratiocinatio efficitur. *Quare multo plures concluſiones erunt, & terminis, & propoſitionibus*. Quapropter concluſiones, & terminos, & propoſitiones longe ſuperabunt addito termino, nec eundem ordinem retinebunt, ac fiat in propoſitionibus, & terminorum additionibus.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

D

Super Capite XXVI. Quo pacto dum adduntur termini, propoſitiones creſcant, ac concluſiones, pro Iuris ſtudioſis.

TRia notare poſſumus ad vſum iuris ciuilis accommodata.

E Primum, omnem ratiocinationem conſtare ex duabus propoſitionibus & tribus terminis, & non pluribus; ſiquidem termini tres duas conſtituunt propoſitiones, cum ſemper termini vno excedant propoſitiones ipſas.

Secundum, In omni ratiocinatione additione termini propoſitiones, & terminos eodem modo ſe habere circa paritatem & imparitatẽ ſiquidem alternatim hunc ordinem ſeruant, vt terminis paribus exiſtentibus propoſitiones impares euadant, & è contrario propoſitionibus F exiſtentibus paribus termini ſint impares, quoniam additione vnius termini vna adiungitur propoſitio.

Tertium, concluſiones additione termini non eodem modo augeri, ac ſe habere circa par & impar prout propoſitiones, quoniam additione termini concluſiones plures adiungũtur quam propoſitiones.

Exem-

Exemplum primi in corpore Iuris, ſit ratiocinatio talis. A

Omne ius humanum eſt iuſtitia.

Omne ius Romanorum eſt ius humanum, ergo

Omne ius Romanorum eſt iuſtitia.

In hoc ſyllogiſmo termini ſunt vno plures propoſitionibus, quoniam propoſitiones ſunt duæ, maior, & minor, termini ſunt tres, Iuſtitia, Ius humanum, Ius Romanorum, concluſio eſt medietas propoſitionum, ſcilicet vna.

Pro ſecūdo, addatur his terminis rurſus alius, B puta lex, additione huius termini adiūgitur vna propoſitio, quòd omnis lex eſt ius Romanorũ, & ſic tres ſunt propoſitiones, termini quatuor vno ipſas ſuperantes, & vbi prius termini erant impares, & propoſitiones pares, termini fiunt pares, & impares propoſitiones.

Pro tertiò verò non ſic ſe habet de concluſionibus, quoniam additione vnius termini eſt quidem aucta vna propoſitio, ſed non vna concluſio, ſed duæ, ſiquidem ſunt vno pauciores terminis, qui cum ſint quatuor, concluſiones euadunt duæ, C & ita poſitæ concluſioni omne ius Romanorum eſt iuſtitia, duę aliæ ſuperueniunt, nempe omnis lex eſt iuſtitia, & omnis lex eſt ius humanum; quod ſi rurſus alius adderetur terminus, tres aliæ multiplicarentur concluſiones, & euaderent ſex, vnde manifeſtum quoque in iure, quòd propoſitiones & concluſiones additione termini augeantur.

Quæ dicta ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

D

De Problematibus, hoc eſt propoſitis in vnaquaque figura facile, & difficile conſtruendis, & deſtruendis. C. XXVII.

QVoniam autē habemus ex quibus ſyllogiſmi, & quale in vnaquaque figura, & quot modis monſtratur, manifeſtum nobis eſt, & quæ propoſitio facile, & quæ difficile argumentabilis eſt: nam quæ in pluribus figuris, & per plures caſus concluditur, facilis; quæ autem in paucis, & per pauciores difficilius argumentabilis. Ergo affirmatiua quidem vniuerſalis per primam tantum figuram monſtratur, & per hanc ſimpliciter; priuatiua verò & per primam, & per mediam; E F per primam quidem ſimpliciter; per mediam autem dupliciter. Particularis autem affirmatiua per primam, & per poſtremam, ſimpliciter quidem per primā, tripliciter autem per poſtremam. Priuatiua verò particularis in omnibus figuris monſtratur, verùm in prima quidem ſemel; in media autem & poſtrema, in illa quidem dupliciter, in hac verò tripliciter.

Ariſtoteles in prima parte huius capitis, ex quo notum fecit de quibus problematibus fiat ratiocinatio, ſcilicet affirmatiuo, negatiuo, vniuerſali, & particulari, & quale in vnaquaque figura; & quot modis vnumquodque demonſtratur, quoniam ſcilicet vniuerſale affirmatiuum C dumtaxat in primo modo primæ figuræ demonſtratur; vniuerſale negatiuum vno modo in prima figura, & duobus modis in ſecunda; particulare affirmatiuum vno modo in prima figura, tribus modis in tertia; & particulare negatiuum vno modo in prima figura, duobus modis in ſecunda, & tribus in vltima figura, vult oſtendere quale problema poſſit citius confirmari, & quale non; pariter quale poſſit facilius confutari, quale non, ideo inquit, quòd id problema facilius eſt ad confirmandum quòd per plures figu- D ras, & modos monſtratur: id verò difficilius, quòd per pauciores figuras, & modos, & dicit: *Quoniam autem habemus ex quibus ſyllogiſmi.* Quoniam declarauimus ex quibus quæſtionibus, & problematibus fiunt ratiocinationes, *& quale in vnaquaque figura,* & quale problema in qualibet figura, *& quot modis monſtratur,* & quot coniugationes ſyllogizamur, *manifeſtum nobis eſt, & quæ propoſitio facile, & quæ difficile argumentabilis eſt.* Conſtat etiam quale problema facile, & quale E difficile demonſtrari valeamus: *nam quæ in pluribus figuris, & per plures caſus concluditur facilis:* quoniam ea quæſtio, quæ in pluribus figuris, & in pluribus modis demonſtratur; ea ad confirmandum eſt facilior. *Quæ autem in paucis, & per pauciores difficilius argumentabilis.* Ea verò quæſtio, quæ per pauciores figuras, & modos valet demonſtrari, ea difficilior eſt ad confirmationē. *Ergo affirmatiua quidem vniuerſalis per primam tantum figuram monſtratur.* Quæſtio vniuerſalis affirmatiua ſolum ratiocinatur in prima figura, *& F per hanc ſimpliciter.* & in vno modo ſolum illius, puta in primo; *priuatiua verò,* at quæſtio negatiua, *& per primam, & per mediam,* & in prima, & in ſecunda figura demonſtratur: *per primam quidem ſimpliciter,* in prima figura in vno modo, puta in ſecundo; *per mediam autem dupliciter,* in ſecunda figura in duobus modis, ſcilicet in primo & ſecundo. *Particularis autem affirmatiua.* Quæ-

ſtio particularis affirmatiua monſtratur, *per primam, & per poſtremam*, in duabus figuris, in prima & vltima; *ſimpliciter quidem per primam*, in prima in vno modo, nempe in tertio, *tripliciter autem per poſtremam*, & in tertia in tribus modis, in primo, tertio, & quarto. *Priuatiua verò particularis in omnibus figuris monſtratur.* Quæſtio negatiua particularis per omnes figuras ratiocinatur; *verùm in prima quidem ſemel*, verùm in prima figura in vno modo ſolum, nempe in quarto: *in media autem & poſtrema*; in ſecunda verò & vltima, *in illa quidem dupliciter*, in ſecunda in duobus modis, ſcilicet in tertio, & quarto, *in hac verò tripliciter*, & in tertia in tribus modis, puta in ſecundo, quinto, & ſexto.

Sequitur textus.

Manifeſtum ergo, quòd vniuerſalem affirmatiuam conſtruere quidem difficillimum; deſtruere autem facillimum; omnino autem eſt interimenti quidem vniuerſalia, quàm particularia facilius: etenim ſi nulli, & ſi alicui non inſit, interemptum eſt: horum autem alicui quidem non in omnibus figuris monſtratur; nulli autem in duabus; eodem autem modo & in priuatiuis; etenim ſi omni, & ſi alicui interemptum eſt quod ex principio. Hoc autem fit in duabus figuris, in particularibus autem ſimpliciter, aut omni aut nulli oſtendentem ineſſe. Conſtruenti autem facilius eſt particularia: nam in pluribus figuris, & per plures modos.

Cum dixerit ſuperius id problema facilius confirmari poſſe, quòd per plures figuras, & modos monſtratur; illud verò difficilius, quòd per pauciores, colligit in præſenti, quòd vniuerſalia problemata difficilius conſtruuntur, facilius verò deſtruuntur, quoniam vniuerſale affirmatiuum ſolum per primum modum primæ figuræ monſtratur: aufertur verò & contrario, & contradictorio, & vniuerſali negatiuo, & particulari, & contrariũ in duabus figuris ſyllogizatur ſcilicet in ſecũdo modo primæ figuræ, & in primo, & in ſecundo modo ſæcundæ; contradictoriũ in quarto primæ, in tertio & quarto ſecundæ, & in tertio, quinto & ſexto tertiæ: ſimiliter vniuerſale negatiuum monſtratur in ſecundo primæ, & in primo & ſecundo ſecundæ. Quòd vniuerſale negatiuum dupliciter interimitur, nempe contrario, & contradictorio; & contrarium concluditur in primo primæ, contradictorium in tertio primæ, & in primo, tertio, quarto tertiæ. Parti-

A cularia autem problemata difficilius deſtruuntur, & facilius conſtruuntur, quoniam vtrumque particulare concluditur in pluribus figuris, & per plures modos, quoniam particulare negatiuum concluditur in quarto primæ, in tertio & quarto ſecundæ, & in ſecundo, quinto, & ſexto tertiæ; & particulare affirmatiuum concluditur in tertio primæ, & in primo, tertio, & quarto tertiæ. Et hoc eſt quod inquit: *Manifeſtum ergo, quòd vniuerſalem affirmatiuam conſtruere quidem difficillimum.* Conſtat itaque vniuerſalis affir-
B matiuæ conſtructionem eſſe perdifficilẽ: *deſtruere autem facillimum*, deſtructionẽ verò eiuſdem fore perfacilẽ. *Omnino autem eſt interimenti quidẽ vniuerſalia, quàm particularia facilius.* Et vniuerſaliter vniuerſalia problemata facilius, quàm particularia deſtruuntur. *Etenim ſi nulli, et ſi alicui non inſit, interemptum eſt*, quoniã vniuerſale affirmatiuũ, et per vniuerſale negatiuum, & per particulare negatiuum tollitur per contrarium & per contradictoriũ. *Horum autem alicui quidem non in omnibus figuris monſtratur*; particulare negatiuum in
C omnibus figuris monſtratur; *nulli autem in duabus*; vniuerſale negatiuum in prima & vltima. *Eodem autem modo & in priuatiuis*; pariter vniuerſale negatiuum ſe habet; eſt enim difficilioris conſtructionis, & facilioris deſtructionis. *Etenim ſi omni, & ſi alicui interemptum eſt quod ex principio.* Per ambas namque affirmatiuas vniuerſalem, & particularẽ interimitur vniuerſalis quæſtio negatiua. *Hoc autem fit in duabus figuris*, ſcilicet in prima, & vltima. *In particularibus autẽ ſimpliciter, aut omni, aut nulli oſtendentẽ ineſſe.*
D In particularibus verò quæſtionibus difficilis eſt deſtructio; ſiquidem particularis negatiua deſtruitur vno modo per cõtrarium per vniuerſalem affirmatiuam, & particularis affirmatiua ſimiliter per contrariam, ſcilicet vniuerſalem negatiuam. *Conſtruenti autem facilius, eſt particularia.* Conſtruere verò vtramque particularem quæſtionem & affirmatiuam, & negatiuã facile eſt: *nam in pluribus figuris, & per plures modos*; quoniã vtraque in pluribus figuris, & per plures earum
E modos conſtruitur, vt dictum eſt.

Sequitur textus.

Omnino autem non oportet latere, quod deſtruere quidem per ſe inuicem eſt, & vniuerſalia per particularia, & hæc per vniuerſalia: conſtruere autem non eſt per particularia vniuerſalia. Per illa verò hæc eſt, nam
F ſi omni, & alicui; ſimul autem manifeſtum quod deſtruere quàm cõſtruere facilius. Quomodo ergo fit omnis ſyllogiſmus, & per quot terminos, & propoſitiones, & quomodo habentes ſe adinuicem: amplius autem

tem quæ propoſitio in vnaquaque A figura, & quæ in pluribus, quæ in paucioribus mōſtratur, palam ex his quæ dicta ſunt.

In hac vltima parte capitis ponit Ariſtoteles problemata mutuo inuicem confutari, vniuerſalia, ſcilicet per particularia oppoſita, & particularia per vniuerſalia oppoſita: vniuerſalis enim affirmatiua interimitur a particulari negatiua, & è conuerſo; pariter vniuerſalis negati- B ua deſtruitur a particulari affirmatiua, & è contrario, ſed vniuerſalia, & particularia non ſe mutuo inuicem conſtruuntur, quoniam particulares quidem ab vniuerſalibus comprobantur, ſed vniuerſales a particularibus, quæ ſub ipſis ſunt, non valent confirmari. Inſuper ponit notum eſſe facilius eſſe refutare quam confirmare, ex quo refutatio fit per plura, quam confirmatio.

Denique in calce capitis colligit ex declaratis in hoc libro manifeſtum eſſe quomodo quilibet ſyllogiſmus formetur in vnaquaque figura C quo ad generationem, & per quot terminos, & propoſitiones, & quomodo propoſitiones, diuerſæ ſcilicet inuicem commiſceantur, & qualis quęſtio monſtretur in vnaquaque figura, ſcilicet vniuerſalis affirmatiua in vna, vniuerſalis negatiua in duabus: conſimiliter particularis affirmatiua in duabus, & particularis negatiua in tribus, & dicit: *Omnino autem non oportet latere.* Vniuerſaliter etiam notum eſſe debet, *quod deſtruere quidem per ſe inuicem eſt, & vniuerſalia per particularia. & hæc per vniuerſalia,* quod quæſtiones D mutuo inuicē interimuntur, vniuerſales per particulares oppoſitas, & particulares per vniuerſales oppoſitas. *Conſtruere autem non eſt per particularia vniuerſalia. Per illa vero hæc eſt.* Vniuerſales verò non conſtruuntur per particulares, quę ſub ipſis ſunt, ſed è conuerſo quidem particulares per vniuerſales: *nam ſi omni & alicui,* nam ſi omni ineſt, ſequitur & alicui ineſſe. *Simul autem manifeſtum. quod deſtruere quàm cōſtruere facilius.* Et inſimul notum eſt, quod deſtructio facilior eſt, ſiquidem per plura fit quam conſtructio. E *Quomodo ergo fit omnis ſyllogiſmus.* Quomodo itaque quo ad generationem vnuſquiſque in vnaquaque figura ſyllogiſmus conſtruatur, *& per quot terminos, & propoſitiones,* & ex quibus terminis & præmiſſis copuletur, *& quomodo habentes ſe ad inuicem,* & quomodo ordinatis, & diſtributis. *Amplius autem quæ propoſitio in vnaquaque figura, quæ in pluribus, quæ in paucioribus figuris monſtratur.* Inſuper qualis quæſtio demonſtretur per plures, & qualis per pauciores figuras; *palam ex his quæ dicta ſunt.* Omnia collecta conF ſtant conſpicue ex declaratis ſuperius.

Quæ ſatis in Capite, & Sectione.

Super Capite XXVII. de problematibus, hoc eſt propoſitis in vnaquaque figura facile, & difficile conſtruendis, & deſtruendis pro Iuris Studioſis.

IN hoc capite habemus potiſſimum quatuor eſſe quæſtiones, duæ vniuerſales, ſcilicet affirmatiua, & negatiua, & duę particulares, pariter affirmatiua, & negatiua, quæ ſunt facilioris & difficilioris conſtructionis & deſtructionis, quatenus vnaquæq; ipſarum per plures modos & figuras, & per pauciores monſtratur.

Secundo habemus, quod vniuerſales quęſtiones difficilius conſtruuntur, facilius deſtruūtur; particulares vero difficilius deſtruuntur; facilius conſtruuntur, quoniam quæſtio vniuerſalis affirmatiua mōſtratur ſolum per primum modum primæ figuræ, veluti hæc vniuerſalis affirmatiua in iure, ſcilicet

Omnis diſpoſitio teſtamentaria eſt ambulatoria vſque ad mortem.

Demonſtratur ſolum in primo modo primæ figuræ tali pacto,

Omnis voluntas noſtra eſt ambulatoria vſque ad mortem.

Omnis diſpoſitio teſtamentaria eſt voluntas noſtra, ergo

Omnis diſpoſitio teſtamentaria eſt ambulatoria vſque ad mortem.

Maior, l. 4. de adim. leg.

Minor, §. diſponat. Auth. de nupt.

Eadem verò quæſtio vniuerſalis affirmatiua aufertur & contrario, & contradictorio; contrarium in ſecundo modo primæ, & in primo, & in ſecundo ſecundæ ſyllogizatur; contradictorium in quarto primæ, in tertio & quarto ſecundę, & in tertio, quinto, & ſexto tertiæ, vt patet. Quæſtio vniuerſalis negatiua monſtratur in ſecundo primæ, & in primo, & ſecundo ſecundæ, veluti hæc vniuerſalis negatiua in prima figura in ſecundo modo:

Nulla vltima voluntas eſt irreuocabilis.
Omne teſtamentum eſt vltima volūtas, ergo
Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

Hæc eadem etiam in ſecundo, & quinto ſecundæ figuræ monſtrari poteſt tali pacto:

In primo

Nullum irreuocabile eſt vltima voluntas.
Omne teſtamentum eſt vltima volūtas, ergo
Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

In ſecundo

Omne teſtamentum eſt vltima voluntas.
Nullum irreuocabile eſt vltima volūtas, ergo
Nullum irreuocabile eſt teſtamentum.

Et per conuerſiones.

Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

Interimitur autem hæc eadem quæſtio dupliciter,

citer; contrario, & contradictorio; contrarium concluditur in primo primæ; contradictorium in tertio primæ, & in primo, tertio, quarto tertiæ.

Quæſtio vtraque particularis affirmatiua, & negatiua cõcluditur per plures figuras, & modos.

Particularis affirmatiua in tertio primæ, & in primo, tertio, & quarto tertiæ.

Particularis negatiua in quarto primæ, in tertio, & quarto ſecundæ, & in ſecundo, quinto, & ſexto tertiæ.

De quibus omnibus facile eſt in terminis poſitis exemplificare.

Finis Capitis, & Sectionis.

SECTVM SECVMDVM.

De Abundantia propoſitionum, inuentioneque medij ſyllogiſtici.

Quo pacto inueniendæ ſint propoſitiones. Caput XXVIII.

QVomodo autem idonei erimus ſemper ſyllogizare ad propoſitum; & per quam viam ſumemus circa vnumquodque principia, nunc dicendum: Non enim ſolum fortaſſe oportet generationem conſiderare ſyllogiſmorum, ſed & poteſtatem habere faciendi. Omnium igitur quæ ſunt, hæc quidem ſunt talia, vt de nullo alio prædicentur vere vniuerſaliter, vt Cleon, & Callias, & quod ſingulare, & ſenſibile. De his autem alia, nam & homo, & animal uterque horum eſt; illa uerò & ipſa quidem de aliis prædicantur: de illis autem alia prius non prædicantur; alia autem & ipſa de aliis & de his alia ut homo de Callia, & de homine animal.

Vbi Ariſtoteles in prima parte huius primi libri docuent generationem ſyllogiſmorum, nũc in ſecunda parte agit de copia propoſitionum, A & medij inuentione; vt facilius propoſitio quolibet problemate poſſimus cõficere, vel diſſoluere ſyllogiſmos, quando ratiocinanti non eſt ſatis, cognoſcere quid ratiocinatio ſit, & quomodo fiat, niſi quoque idem habeat facultatẽ eiuſdem facile cõſtituendi. Scientis nãque eſt non ſolum ſpecies, & formas rerum ſubiectarum conſiderare, ſed & inſuper materiã, & idoneitatem ad receptationem talium formarum, veluti nauium constructor non ſolum formam nauis, verùm etiam idonea conſiderat ligna ad conſtructionem nauigij, & ædificator, nedum formam ædificij, ſed vlterius lapides aptos ad ædificandum. B

Præmittit verò pro faciliori inuentione medij quandã rerum diuiſionem, quòd ſcilicet ea omnia, quæ ſunt, trifariam diuiduntur, quædam ſunt ſolum ſubijcibilia, & nunquam prædicabilia, qualia ſunt indiuidua, & omnia ſingularia, & ſenſibilia: quædam ſolum ſunt prædicabilia, & nunquam ſubijcibilia, qualia ſunt generaliſſima, & quædam medio modo ſe habentia, quæ de quibuſdam prædicãtur, vt de ſubiectis, & de eis C alia prædicantur, veluti media ſubalterna inter generaliſſimum, & ſingulare; ideò inquit: *Quomodo autem idonei erimus ſemper ſyllogizare ad propoſitum.* Quomodo erimus ſemper apti ſyllogiſmis inueniendis ad theorema propoſitum terminandum; *& per quam viam ſumemus circa vnumquodque principia*, & per quam methodum, & rationem ſumemus principia ſyllogizandi circa vnumquodque problema propoſitum, *nunc dicendum*, declarandum eſt in hac parte: *non enim ſolum fortaſſe oportet generationem conſiderare ſyllogiſmorum*, D quoniam in hoc tractatu non ſolum oportet conſiderare quomodo conſtruatur ſyllogiſmus, quod ad reſolutorium tractatum pertinet, *ſed & poteſtatem habere faciendi*; ſed etiam quomodo habeat facultatẽ tales ſyllogiſmos cõſtruere. *Omnium igitur quæ ſunt, hæc quidem ſunt talia, ut de nullo alio prædicentur vere uniuerſaliter.* Omnium rerum itaque quædam ita ſe habent, vt de nullo alio vniuerſaliter prædicari poſſint, *ut Cleon, & Callias*; veluti ſunt indiuidua, nempe Cleon, & Callias, *& quod ſingulare, & ſenſibile*, & E quoblibet aliud ſingulare, & ſenſibile: *De his autem alia, nam & homo, & animal uterque horum eſt.* De his vero ſingularibus omnia alia prædicata prædicantur, de vtroque enim illorum prædicatur & ſpecies, & genus; ſiquidem vterque illorum eſt & homo & animal. Addit deinde aliud membrum diuiſionis. *Illa verò & ipſa quidem de alijs prædicantur, de illis autem alia prius non prædicantur.* Quædam verò res ita ſe habent, quòd ipſe quidem de rebus ſibi ſubiectis prædicantur; F de eis autem alia ipſis priora non prædicantur, veluti ſunt decem genera rerum generaliſſima, & ſic ſunt ſolum prædicata. Poſt hæc ponit tertium diuiſionis membrum. *Alia autem & ipſa de alijs, & de his alia.* Quædam verò ſic ſe habent, quòd de quibuſdam prædicantur, vt de ſubiectis, & de ipſis alia prędicantur, ſicut ſunt media genera ſubalterna, *vt homo de Callia, & de homine animal,*

animal, veluti homo, qui eſt ſpecies prædicatur de Callia; & de homine prædicatur animal quod eſt genus, & ſic homo ad quædam eſt prędicatum, ad alia eſt ſubiectum.

Sequitur textus.

Quod ergo quædam eorum quæ ſunt, de nullo nata ſint dici palam, nam ſenſibilium penè vnumquodque eſt huiuſmodi, vt de nullo prædicetur, niſi vt ſecundum accidens. dicimus enim quandoque, album illud Socratem eſſe, & hoc veniens Calliam. Quod autem in ſurſum pergentibus ſtetur quandoque, rurſum dicemus; nunc autem ſit hoc poſitum. De ijs ergo prædicatum aliquod non eſt demonſtrare, niſi ſecundum opinionem, ſed hæc de aliis, neque ſingularia de alijs, ſed alia de ipſis. Quæ autem in medio ſunt, manifeſtum quòd vtrumque contingit; nam & hæc de aliis, & alia de his dicuntur, & penè rationes, & conſiderationes ſunt maxime de his.

In præſenti probat Ariſtoteles diuiſionem ſuperius traditam, & in primis primũ membrum diuiſionis, eorum nempe, quæ de nullo vnquam prædicantur, ex hoc quod ferè omnia ſenſibilia ſiue ſingularia ita ſe habent, vt de aliquo non valeant prædicari, niſi ſecundum accidens, veluti ſi dicamus illud album in ſenſu demonſtratum Socratem eſſe, & id accedẽs Calliam eſſe album namque prædicatur de Socrate, vti de aliquo ſibi inhærente, & non tanquam de ſibi inferiori, ſic accedens de Callia; quæ prædicatio impropria dicitur, & ſecundum accidens, quemadmodum in vniuerſalibus capite de ſpecie docui, deinde ſuppoſito ſecundo diuiſionis membro, eorum quæ de his ſolum prædicantur, quę è contrario ſe habent, ac ſingularia cum generaliſſima prædicentur de alijs, non de illis alia: ſingularia verò de alijs non prædicantur, ſed de illis alia. Patefacit tertium diuiſionis membrum, eorũ ſcilicet quæ ſunt & prædicabilia, & ſubijcibilia, veluti sũt media genera, in quibus accidit, quòd illa de alijs, & alia de illis prædicẽtur, & circa ea media demonſtrat verſari potiſſimũ rationes ſyllogiſticas, quoniã media partim prędicantur, partim ſubijciuntur, & ideo incidunt in hãc quæſtionem, an aliquid prędicetur de aliquo, vel non, quod ſemper in demonſtrationibus, & ſyllogiſmis quærimus, veluti ſi de anima prædicetur immortale, vel non. Inquit itaque: *Quod er-*

A *go quædam eorum quæ ſunt*; Quod igitur rerum aliæ, *de nullo nata ſint dici*, de nullo alio, ſi ſe prædicentur, *palàm*, conſtat aperte, *nam ſenſibilium penè vnumquodque eſt huiuſmodi*: propterea quòd vnumquodque ſingulare ſenſibile ſic ſe habet, *vt de nullo prædicetur, niſi vt ſecundum accidens*; quod de nullo valet prædicari tanquam de ſibi ſubiecto, ſed vti accidens, & de aliquo ſibi inhærente. *Dicimus enim quandoque album illud Socratem eſſe, & hoc veniens Calliam*. Quoniam dicimus quandoque album illud in ſenſu monſtra-

B tum eſſe Socratem, & id accedens Calliam eſſe. *Quod autem in ſurſum pergentibus ſtetur quãdoque*; Quod verò aſcendens in linea prædicabiliũ ſtetur quãdoque in vnum, quod eſt prædicatũ tantum, non ſubiectum, *rurſum dicemus*, in poſterioribus demonſtrabimus, *nũc autem ſit hoc poſitum*, ad præſens ſupponatur. *De ijs ergo prædicatum aliquod non eſt demonſtrare, niſi ſecundum opinionem*. De his ſupremis verè non contingit demonſtrare aliquod aliud prædicatum, quod de ipſis prædicetur, niſi analogice, *ſed hæc de alijs*: hæc tamen

C ſuprema prędicantur de alijs inferioribus, & ſingularibus; *neque ſingularia de alijs, ſed alia de ipſis*: ſingularia verò è contrario non prædicantur de alijs, ſed alia prædicantur de ipſis. *Quæ autem in medio ſunt*. Quæ vero ſunt media inter generaliſſima, & ſingularia, *manifeſtum quòd vtrumque contingit*, & hęc de alijs, & alia de ipſis prædicantur, vtrumque nãque accidit, *nam & hæc de alijs*, vti prędicatis, *et alia de his*, tanquã ſubiectis, *dicuntur*. Quocirca concludit, *& penè rationes, & conſidera-*

D *tiones ſunt maxime de his*, quòd ferè omnes ratiocinationes, & ſyllogiſmi ſunt de his intermedijs.

Sequitur textus.

Oportet ergo propoſitiones circa unumquodque horum ſic ſumere ſupponentem ipſum primum, & definitiones, & quæcunque propria ſunt rei: deinde poſt hoc quæcunque ſe-

E quuntur rem; & rurſum quæ res ſequitur, & quæcunque non contingũt ipſi ineſſe. Quibus autem ipſa non contingunt, non ſumendum, eo quod conuertitur priuatiua.

Præmiſſis de quibus demõſtrationes & problemata componuntur de medijs inquam inter generaliſſima, & ſingularia, quæ & prædicari, & ſubijci apta ſunt, nobis tradit rationem, & me-

F thodum inueniendi propoſitiones theoremate propoſito, & inquit, quòd quando aliquã quæſtionem voluerimus demonſtrare, aliquid nempe ineſſe, vel non ineſſe ſubiecto; in primis, & ante omnia terminorũ definitiones, & propria accipere debemus, veluti ſi quæſtio propoſita ſit, numquid homo ſit ſenſitiuus, ſumi debent horum terminorum definitiones, & propria, vt

puta

puta animal rationale mortale riſibile, & quæ A hos terminos conſequuntur, puta animatum bipedem, & ad quæ ſequuntur hi termini ad Philoſophum enim, Grammaticum, Socrates homo ſequitur: & inſuper quæ non inſunt terminis, vt homini non ineſt irrationale, immortale, volatile. Quibus autem termini non inſunt, omittere poſſumus ſiquidem, cum habemus quæ non inſunt terminis, etiã habemus ſtatim quibus termini nõ inſunt, quoniam vniuerſalis negatiua in ſe ipſam cõuertitur, vt vidimus in præcedentibus. Hæc ſunt quæ habentur quando B dicit: *Oportet ergo propoſitiones ſic ſumere ſupponentem ipſum.* Oportet propoſitiones circa propoſitum theorema ſic ſumere, vt poſito problemate accipiantur. *Primum & definitiones, & quæcunque propria ſunt rei.* Ante omnia prædicata eſſentialia terminorum, & quæcunque alia ſunt ipſis propria. *Deinde poſt hoc quæcunque ſequuntur rem.* Poſt hæc inſpiciendum eſt quæcunque terminos conſequuntur, *& rurſum quæ res ſequitur,* & ad quæ termini ſequuntur, *& quæcunque non contingunt ipſi ineſſe,* & inſuper oportet propter C negatiuos ſyllogiſmos inſpicere quæcunque terminis non inſunt. *Quibus autem ipſa non contingunt non ſumendum.* Sed non oportet accipere ea, quibus terminos ineſſe non contingit, quoniam id eſſet ſuperfluum, *eo quod conuertitur priuatiua:* propterea quod vniuerſalis negatiua conuertitur: quapropter habentes quæ terminis repugnant, habemus quoque quibus termini contradicunt.

Sequitur textus.

Diuidendum autem eſt & eorum quæ ſequuntur, quæcunque in eo quod quid eſt, & quæcunque vt propria, & quæcunque vt accidentia prædicantur, & horum quæ ſecundum opinionem, & quæ ſecundum veritatem: quanto enim plurium talium abundauerit quis, citius inueniet concluſionem; quanto autem veriorem magis demonſtrabit.

Cum poſuerit pro copia, & abundantia propoſitionum conſiderandum a nobis eſſe definitiones, propria repugnantia, & cõſequentia rei, nunc aduertit diuidendum eſſe in conſequentibus, ſiquidem aliqua rem ſequuntur ſubſtantialiter, aliqua vt propria, aliqua vt cõmuniter accidentia, hominem ſequitur animal eſſentialiter, F ſequitur riſibile, vt proprium, ſequitur nigrum vt communiter accidens. Inſuper aduertit, quòd conſequentium quædam ſunt ſecundum opinionem, quia pluribus, aut ſapientibus talia videntur, & faciũt propoſitionem probabilem, quædam ſecundum veritatem, & faciunt propoſitionem demonſtratiuam, & neceſſariam;

A vnde quo facilius quis plurium talium poterit eſſe adinuentor, eo citius valebit concluſiones formare, & quo veriora, & eſſentialia adinueniet, eo magis & efficacius demonſtrabit propoſitionem. Quare dicit: *Diuidendum autem eſt & eorum quæ ſequuntur.* Adhuc quæ rem ſequuntur, diuidere debemus, *quæcunque in eo quod quid eſt,* in ea quæ ſequuntur rem ſubſtantialiter, *& quæcunque vt propria,* & in ea quæ rem ſequuntur vt propria & conuertibilia, *& quæcunque vt accidentia prædicantur,* & in ea quæ rem ſequuntur acB cidentaliter, *& horum quæ ſecundum opinionem, & quæ ſecundum veritatem:* & inſuper conſequentia rem diuidenda ſunt in ea, quæ probabiliter de re ipſa prædicari dicuntur, & in ea, quæ vere & eſſentialiter. *Quanto enim plurium talium abundauerit quis.* Quo magis namque quiſpiam horum plurium poterit eſſe inueſtigator, *citius inueniet concluſionem;* eo citius concludet; *quanto autem veriorem,* & quo verius, *magis demonſtrabit,* eo magis demonſtrabit propoſitionem.

C Oportet autem eligere non quæ ſequuntur aliquam, ſed quæcunque totam rem ſequuntur, vt non quòd aliquem hominem, ſed quòd omnem hominem ſequitur; per vniuerſales enim propoſitiones fit ſyllogiſmus. Cum autem eſt indefinitum, incertum ſi vniuerſalis eſt propoſi- D tio; cum verò definitum manifeſtũ. Similiter autem eligendum & quæ ipſum ſequitur totum propter dictam cauſam; ipſum autem quod ſequitur, non eſt ſumendum totum ſequi, dico ut hominem omne animal, aut muſicam, omnem diſciplinam, E ſed ſimpliciter ſolum ſequi, quemadmodum & prætendimus; etenim inutile alterum, & impoſſibile, vt omnem hominem eſſe omne animal, vel iuſtitiam omne bonum: ſed cui conſequens eſt, in illo omni eſſe dicitur.

Sequitur Ariſtoteles declarare ea quæ plurimum conferunt ad inuentionem medij ſyllogiſtici, & præſertim de conſequentibus; & ponit, quòd ſumere debemus ea, quæ terminum vniuerſalem conſequuntur, & quæ de toto prædicantur termino, & quæ omnem hominem ſequuntur, non quæ terminum indefinitum, ſiue particularem, & quæ hominem, ſiue aliquem hominem: propterea quòd tali pacto propoſitiones

ſitiones habebimus etiam vniuerſales, quibus potiſſimum in ratiocinatione indigemus. Conſimiliter etiam inquit, ſumere debemus terminos, qui ad totam rem ſequuntur, & de tota re prædicantur, vt ad omnem fœlicitatem ſequitur bonum, ad omnem ſanitatem voluptas, non quæ ad rem definitam, & particularem eadem de cauſa, non tamen totum conſequens de termino ſumendum, ita vt prædicato ſignum vniuerſale diſtributiuum apponatur, vt ad omnem hominem, omne animal, vel ad omnem hominem, omne riſibile; alter namque impoſſibile; alter inutile prorſus remanebit, ſed quod ad terminum ſequitur, ita poni debet ſicuti proponere ſolemus, ſimpliciter ſcilicet abſque vllo ſigno, veluti ad omnem hominem animal: propterea quæ ei, cui eſt conſequens, & non ipſi conſequenti ſignum ponitur vniuerſale, ideo dicit: *Oportet autem eligere non quæ ſequuntur aliquem, ſed quæcunque totam rem ſequuntur*. Ad copiam propoſitionum habendam, eligenda maxime ſunt ea conſequentia, quæ ſequuntur totum terminum vniuerſaliter, non particulariter, ſeu indefinite, *vt quòd hominem aliquem*, gratia exempli, non eſt ſumendum ad terminum aliquem particularem, puta hominem aliquem, id quod ſequitur, puta animal. *Per vniuerſales enim propoſitiones fit ſyllogiſmus*, quia ratiocinatio ſyllogiſtica per vniuerſalia procedit, neque ad terminum indefinitum, puta hominem ſumendum conſequens, quod innuit quando ſequitur. *Cum autem eſt indefinitum, incertum ſi vniuerſalis eſt propoſitio*; quoniam quando ad terminum indefinitum ſumitur conſequens, tunc incertum eſt ſi vniuerſalis eſt propoſitio, quia indefinitum & pro toto, & pro parte poteſt verificari. *Cum verò definitum manifeſtum*. Cum verò ad terminum ſcilicet definitum id ſequitur quod accipitur, tunc manifeſtum quod vniuerſalis eſt propoſitio. *Similiter autem eligendum, & quæ ipſum ſequitur totum propter dictam cauſam*. Pariter eadem ratione, quia vniuerſalibus vtimur in ſyllogizando ſumere debemus ea, ad quæ ſequuntur termini vniuerſaliter. *Ipſum autem quod ſequitur*, at conſequens ad terminum, *non eſt ſumendum totum ſequi*, non debemus vniuerſaliter accipere, *dico vt hominem omne animal*, gratia exempli, ad terminum hominem quod ſequitur omne animal, *aut muſicam omnem diſciplinam*, aut ad hunc terminum muſicam quod ſequitur omnis diſciplina, *ſed ſimpliciter ſolum ſequi, quemadmodum & prætendimus*: ſed id conſequens ſit ſimplex prædicatum abſque aliquo ſigno vniuerſali, ſicuti proponimus in propoſitionibus ſyllogiſmi: *etenim inutile alterum, & impoſſibile*, quoniam ſumere conſequens, quod ſit prædicatum cum ſigno vniuerſali; quandoque eſt inutile; & eſt quandoque impoſſibile, *vt omnem hominem*

A *eſſe animal*, veluti quod omnis homo ſit omne animal, & ita leo, aſinus, & reliqua, *& iuſtitiam omne bonum*, & iuſtitia, quæ ſaltem eſt bonum animi, ſit omne bonum, *ſed cui conſequens eſt, in illo omne eſſe dicitur*: non enim ei quod ſequitur, & quod de ſubiecto prædicatur, ſed ipſi ſubiecto, ex quo conſequitur omne apponimus.

Quando autem ab aliquo con-B tinetur ſubiectum, cuius conſequentia oportet ſumere, quæ vniuerſale quidem ſequuntur vel non ſequuntur, non eligendum in his, ſumpta enim ſunt in illis: quæcunquæ enim animal, & hominem ſequuntur, & quæcunque non animali inſunt ſimiliter, quæ C autem in vnoquoque ſunt propria, ſumendum; ſunt enim quædam ſpeciei propria præter genus; neceſſe eſt enim diuerſis ſpeciebus propria quædam ineſſe.

Monet in præſenti, quod quando accipimus ea quæ terminum aliquem veluti antecedens ſequuntur, non eſt opus immoremur in ſu-D mendis eis, quæ ea conſequentia ſequuntur, quoniam virtualiter in prioribus habemus poſteriora, veluti cum habemus ad hominem animal ſequi: habemus etiam in potentia quæ ipſum animal conſequuntur, puta animatum, ſenſitiuum, corpus, ſubſtantiam, quoniam quæ eſſentialiter animal ſequuntur, etiam hominem ſequuntur: & addit, quod ſicut non eſt opus immorari in conſequentibus conſequentis, pariter non eſt morandum E in repugnantibus illi conſequenti, quoniam quæcunque repugnant conſequenti, puta animali; repugnant quoque antecedenti, nempe homini, vt inanimatum, inſenſibile, incorporeum: nam quæ ſunt aliena à genere, etiam à ſpecie ex neceſſitate ſunt aliena; ſed ea debemus eligere conſequentia, quæ ſunt propria ipſi termino, vt quæ ex homine particulariter non ex genere eius; nempe animali conſequuntur: ſunt enim quædam quæ cum ex homine conſequantur, ex animali, F quod eſt genus eius, non ſequuntur, vt riſibile, conſultatiuum, bipes; non enim quæ ſingulis inſunt ſpeciebus, eadem genere quoque inſunt, cum neceſſe ſit etiam differentibus ſpeciebus propria quædam ineſſe. Dicit ergo: *Quando autem ab aliquo continetur ſubiectum, cuius conſequentia oportet ſumere*. Quando volumus ſumere conſequentia terminum

minum aliquem, *quæ vniuerſale quidem ſequuntur, vel non ſequuntur, non eligendum in his:* non accipiemus ea quæ hæc conſequentia ſequuntur, vel non ſequuntur. *Sumpea enim ſunt in illis*, quoniam in prioribus habemus etiam poſteriora. *Quæcunque enim animal & hominem ſequuntur*. Quando namque habemus animal, habemus inſimul virtualiter quęcunque ipſum ſequuntur, ſcilicet animatum, ſenſitiuum, corporeum. *Et quæcunque non animali inſunt ſimiliter*, quia dieit, quòd ſicut non oportet accipere quæ non ſequuntur conſequens, ſic non oportet eligere, quæ ſunt aliena à conſequenti, poſita ratione vnius, addit rationem alterius dicti, quoniam ſcilicet quæcunque repugnant generi, ſpeciei quoque ex neceſſitate repugnant. *Quæcunque autem in vnoquoque ſunt propria ſumendum*. Debemus itaque eligere quæ ſunt proprie conſequentia, vel repugnantia ex termino: *ſunt enim quædam ſpeciei propria præter genus*: nam ſpecies habent conſequentia, & repugnantia appropriata, quæ non ſunt conſequentia, ſeu repugnantia generis, conſequentia veluti riſibile, conſultatiuum, bipes, repugnantia, veluti irrationale, quadrupes, & ſimilia. *Neceſſe eſt enim diuerſis ſpeciebus propria quædam ineſſe*, propterea quod neceſſe eſt etiam alijs ſpeciebus propria quædam ineſſe.

Sequitur textus.

Neque autem vniuerſale eligendum ijs, quæ ſequitur quod continetur, vt animal ijs quæ ſequitur homo; neceſſe eſt enim ſi hominem ſequitur animal, & hæc omnia ſequi: conuenientiora autem hæc hominis electioni. Sumenda autem & quæ plerunque ſequuntur ea, quæ conſequuntur; nam & problematibus quæ plerunque & ſyllogiſmus ex propoſitionibus, quæ plerunque aut omnibus, aut aliquibus; ſimilis enim eſt vniuſcuiuſque concluſio principiis: Amplius quæ omnibus ſequentia ſunt non eligendum, non erit ſyllogiſmus ex ipſis: ob quam autem cauſam in ſequentibus erit manifeſtum.

In hac vltima parte capitis ponit Ariſtoteles, quòd ſumpto aliquo termino vniuerſali, veluti animali, non debemus accipere

A quæ conſequuntur id quod ab eo continetur, quod eſt homo, ſcilicet ſimum, vel Philoſophum, ſed idem contentum, hominem videlicet: magis enim eligendum eſt conſequens propinquum, quam remotum, & cum ſumpſerimus ad animal hominem ſequi, erunt quoque virtualiter ſumpta, quæ continentur ab ipſo homine, puta ſimum, & Philoſophum: pariter docet ea conſequentia eſſe eligenda, quæ plerunque, & non ſemper ad ſubiectum ſequuntur, vt ad luxurio-
B ſum ornatum, adulterium, ad nocturnam vagationem, furtum, & etiam eligenda ſunt talia, ad quæ plerunque aliquod ſequitur, quoniam ad quæſtiones terminandas, quæ in pluribus ſunt, fit ſyllogiſmus, qui eſt ex propoſitionibus, quæ vt in pluribus ſunt; cuiuſlibet namque ſyllogiſmi concluſio in talibus, ſimilis eſt principijs, ſeu propoſitionibus, per quas concluditur, ea vero conſequentia, quæ ambos terminos ſequuntur, omittenda eſſe ſtatuit, quia ex horum termi-
C norum coniunctione non poteſt eſſe vtilis coniugatio ad ſyllogiſmum, prout in ſequentibus demonſtrare pollicetur, & dicit: *Neque autem vniuerſale*, ſcilicet termino ſuaipto, *eligendum ijs, quæ ſequitur quod continetur*, eligendum a nobis ſequentia illud quod à tali vniuerſali continetur, *vt animal ijs quæ ſequitur homo*, vt ſumpto tali termino vniuerſali, quod eſt animal, non debemus eligere, conſequentia hominem, puta ſimum, Philoſo-
D phum: *neceſſe eſt enim ſi hominem ſequitur animal, & hæc omnia ſequi*, quando poſito quòd animal ſequitur homo, neceſſe eſt inſuper virtualiter conſequentia hominem reperiri. *Conuenientiora autem hæc hominis electioni*, vt Philoſophum, ſimum, & quæ conuenientius hominem ſequuntur. *Sumenda autem & quę plerunque ſequuntur ea quę conſequuntur*. Ea igitur conſequentia ſumenda ſunt, quæ vt in pluribus ſunt: *nam & problematibus quæ plerunque*, quoniam in quæſtionibus vt in plu-
E ribus, *& ſyllogiſmus ex propoſitionibus quę plerunque aut omnibus, aut aliquibus*, quoniam in talibus quæſtionibus ratiocinatio fit ex propoſitionibus, quæ vt in pluribus ſunt. *Similis enim eſt vniuſcuiuſque concluſio principijs*, ſicuti namque ſe habet concluſio, ita ſe habent & præmiſſæ. *Amplius quę omnibus ſequentia ſunt, non eligendum*. Inſuper non debemus ſumere quæ ambos terminos ſequuntur, *non erit ſyllogiſmus ex ipſis*, quoniam ex horum coniunctione nulla erit ratiocinatio. *Ob quam autem cauſam in*
F *ſequentibus erit manifeſtum*, quod qua de cauſa fiat, in ſequentibus declarabitur.

Finis Capitis.

SECTVM SECVMDVM.

Super Capite XXVIII. de Abundantia propoſitionum, Inuentioneq́; medij ſyllogiſtici pro Iuris ſtudioſis.

AD hoc vt abundare poſſimus copia propoſitionum pro facili inuentione medij ſyllogiſtici duo præmittit Ariſtoteles in hoc capite.

Primum, quòd cum rerum quædam ſint; quæ ſolum ſunt apta prædicari, & non ſubijci, vt generaliſſima; quædam quæ ſunt apta partim prædicari, & partim ſubijci, vt media genera ſubalterna; quædam quæ ſolum ſunt apta ſubijci & nunquam prædicari, vt indiuidua.

Rationes ſyllogiſticæ potiſſimum verſantur circà media inter generaliſſima, & indiuidua, quæ partim prædicantur, partim ſubijciuntur.

Secundum, quod ponit, eſt, quòd ſi aliquam quæſtionem terminare voluerimus.

In primis debemus conſiderare definitiones, & propria rerum, deinde quæ ad terminos ſequuntur, & ad quæ ſequuntur termini, quinimo propter negatiuos ſyllogiſmos etiam quæ non inſunt terminis, & repugnant eis.

De quibus omnibus apposita exempla vidimus in Interpretatione in Ariſtotelem.

Reliquum eſt in præſenti eadem percurrere in corpore Iuris.

Quo ad primum eſt recurrendum ad arborē, quam nos deſcripſimus in Prædicabilibus Cap. de Specie in terminis ſumptis ex tit. Inſt. de iur. nat. gen. Quo loci iuſtitia videtur ſupremum genus aptum ſolum prædicari, Lex Conſtantina indiuiduum aptum ſolum ſubijci, ius humanum, & reliqua, media genera apta partim ſubijci, partim prædicari ſecundum alium & alium reſpectum, & circa hæc media genera determinat Philoſophus, quod rationes ſyllogiſticæ formari ſolent.

Quo ad ſecundum proponatur hæc quæſtio, Nunquid ius Romanorum ſit ius humanum? eligere debemus propria, & definitiones terminorum, vt puta, quòd ius Romanorum eſt illud, quod vnaquæque ciuitas ſibi conſtituit: inſuper quæ ſequuntur ad terminos, vt puta lex, & ad quæ termini ſequuntur, vt ad iuſtitiam.

Et ſi voluerimus negatiuum ſyllogiſmum conſtituere, conſiderare debemus vlterius qui

A termini repugnant, veluti ſunt Turpitudo vitę, alterius Læſio, inæqualis Diſtributio, & huiuſmodi.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſis, reliqua videbimus in ſequentibus.

Quo pacto inuenienda ſunt media in omni ſyllogiſmorum genere, conſtruendiq́ ſyllogiſmi.

B *Cap. XXIX.*

COnſtruere ergo volentibus aliquid de aliquo toto, eius quidē, quod conſtruitur inſpiciendum ad ſubie-
C cta, de quibus ipſum dicitur. De quo autem oportet prædicari, quæcunque hoc ſequuntur: ſi enim aliquod horum ſit idem, alterum alteri neceſſe eſt ineſſe.

Cum hactenus docuerit Ariſtoteles pro copia & abundantia propoſitionum nos eligere debere antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, in præſenti vult nos docere
D qualiter ex deſcriptis facile poſſimus inuenire medium in omni propoſito problemate, ſiue vniuerſali, ſiue particulari, ſiue affirmatiuo, ſiue negatiuo.

Et in primis in problemate vniuerſali affirmatiuo, in cuius medij inuentione reſpiciendum aſſerit ad antecedentia ſubiecti, & conſequentia prædicati: ſi namque eadem erunt, nulli dubium eſt, quin debeant eſſe medium in tali problemate.

Verùm vt reddantur manifeſta quæ docen-
E tur a Philoſopho in toto hoc capite, notanda eſt figura, quæ deſcribitur hoc in locō ab Alexandro, in qua poſito Bono, vbi A tanquam prædicato, & Voluptate; vbi E tanquam ſubiecto, examinat in his terminis quatuor problemata conſiderata à Philoſopho, videlicet vniuerſale affirmatiuum omnem voluptatem eſſe bonum, particulare affirmatiuum quandam voluptatem eſſe bonum, vniuerſale negatiuum nullam voluptatem eſſe bonum, particulare negatiuum quandam voluptatem non eſſe bonum, & ponit
F in vtroque latere antecedentia, repugnantia, & conſequentia terminorum, vt patet in figura ſubſequenti, quæ admodum confert ad facile adipiſcendam huiuſcemodi ratiocinandi difficultatem.

Figura

Figura de medij inuentione in omni ratiocinandi genere, & ratione.

Conſequentia ex A, B.
Vtile,
Expetendum,
Perſequendum
Accommodatum
Conducens,
Commodum,
Appetibile.

Conſequentia ex E, F.
Operatio appetitionis ſecundum naturam non impedita.
Imperturbatio
Iræ vacuitas,
Placiditas,
Laboris, & doloris uacuitas
Timoris vacuitas, quod ſecūdum naturam eſt leuis motio,



Aliena ab A, D.
Fugiendum,
Noxium,
Malum,
Inutile,
Incommodum,
Turpe,
Imperfectum.

Aliena ab E, H
Morbus
Labor,
Dolor,
Timor,
Inopia.

Voluptas E.

Ex quibus conſequitur A, C
Felicitas,
Virtus,
Ex virtute operatio,
Corporis bona,
Externa bona,
Quodſecundum naturam eſt,
Perfectum,

Ex quibus conſequitur E, G
Sanitas,
Secūda fortuna
Bonorum filiorum procreatio,
Operatio ex uirtute,
Abundantia.

Ex hac deſcriptione facile redduntur nota quæ docentur in hoc loco ab Ariſtotele. Dicit itaque quod ſi voluerimus demonſtrare problema vniuerſale affirmatiuum omnem voluptatem eſſe bonum, accipere debemus aliquid antecedens prædicatum, quod idem ſubiectum conſequatur, vti eſt perfectio operationis naturalis, ſiue operatio appetitionis non impedita: per illud namque ſicuti per medium concludi-

tur prædicatum ineſſe vniuerſaliter ſubiecto, hunc in modum:

BAR- Omnis perfectio operationis naturalis bonum eſt.
BA- Omnis voluptas eſt perfectio operationis naturalis, ergo
RA. Omnis voluptas bonum eſt.

Dicit igitur: *Conſtruere ergo volentibus aliquid de aliquo toto.* Volentibus demonſtrare aliquod

 præ-

prædicatum ineſſe alicui ſubiecto vniuerſaliter ſumpto, *eius quidem quod conſtruitur*, ſcilicet prædicati, *inſpiciendum eſt ad ſubiecta, de quibus ipſum dicitur*. Sumendum eſt pro facili inuentione medij antecedentia, quæ ſunt ſibi ſubiecta, de quibus ipſum prædicatum oportet prædicari vniuerſaliter. *De quo autem oportet prædicari*; ſubiecti verò, *quæcunque hoc ſequuntur*; conſequentia, *ſi enim aliquod horum ſit idem, alterum alteri neceſſe eſt ineſſe*, quoniam ſi in antecedentibus prædicati, & conſequentibus ſubiectum aliquod vnum reperiatur, quod ſit conſequens ſubiecti; & antecedens prædicati, per illud vti per medium concluditur, quod neceſſe eſt alterum illorum, ſcilicet prædicatum alteri, ſcilicet ſubiecto, ineſſe vniuerſaliter, & ſic concluditur problema vniuerſale affirmatiuum.

Si autē non quod omni, ſed quod alicui, quæ ſequitur vtrumque. Si enim aliquod horum fuerit, idem neceſſe eſt alicui ineſſe.

C Docet Ariſtoteles in hac parte, quòd ſi volumus probare problema particulare affirmatiuū, vt puta quandam voluptatem eſſe bonum, ſumere debemus aliquod antecedēs, quod & ſubiectum, & prædicatum ſequatur; quod namque antecedit ad vtrumque eorū erit medium, per quod concluditur aliquod prædicatum ineſſe ſubiecto particulariter, veluti eſt operatio ex virtute; vtrumque enim & bonum, & voluptas conſequitur, & per tale medium valemus concludere particulare problema affirmatiuum in tertia figura, tali pacto:

D

DA Omnis operatio ex virtute bonum eſt.
RA Omnis operatio ex virtute eſt voluptas, ergo
PTI Aliqua voluptas bonum eſt.

Quę per conuerſionem reducitur ad primam in hunc modum:

DA Omnis operatio ex virtute bonum eſt.
RI Aliqua voluptas eſt operatio ex virtute, ergo
I Aliqua voluptas bonum eſt.

E Ideo dicit: *Si autem non quod omni, ſed quod alicui*. Si verò quiſpiam velit conſtruere aliquod prædicatum de aliquo ſubiecto, non quòd vniuerſaliter, ſed quòd particulariter inſit, *quæ ſequitur vtrumque*, ſumere debemus aliquod antecedens, quod vtrumque ſequatur, ſcilicet tam ſubiectum, quàm prædicatum. *Si enim aliquod horum idem fuerit, neceſſe eſt alicui ineſſe*. Si enim aliquod vnum antecedit ad vtrumque horum, F per illud concludetur prædicatum de ſubiecto illo particulariter.

Quando autem nulli oporteat ineſſe, cui quidem oportet non ineſſe,

A ad ſequentia ſubiecti: quod autem oportet non ineſſe, inſpiciendum ad ea, quæ non contingunt illi adeſſe. Aut conuerſim, cui quidem oportet non ineſſe, ad ea quę non contingunt eidem adeſſe; quod verò non ineſſe inſpiciendum ad ſequentia: nam ſi hæc ſint eadem vtrorumque, nulli B contingit alteri alterum ineſſe. Fit enim quandoque quidem in prima figura ſyllogiſmus: quandoque autem in media.

Oſtenſo per Ariſtotelem quomodo adinuenire facile poſſimus medium pro comprobatione problematis affirmatiui tum vniuerſalis, tum particularis, modo declarat quomodo procedere debemus in inuentione medij pro demon C ſtratione problematis negatiui tum vniuerſalis, tum particularis; primum verò problematis vniuerſalis negatiui, & inquit, quod ſi velimus cōprobare problema negatiuum vniuerſale, nulla voluptatem eſſe bonum, vel accipere debemus aliquod repugnans prædicato, veluti eſt imperfectum, quod idem ſit, & conſequens ſubiectum, vti leuis motio; nā omnis motio imperfectum, & tale medium erit aptum ad concludendum prædicatum nulli ineſſe ſubiecto tum in prima, tum etiam in ſecunda figura.

D In prima.

CE Nullum imperfectum bonum.
LA Omnis voluptas imperfecta, cū omnis voluptas motio, ergo
RENT Nulla voluptas eſt bonum.

In ſecunda.

CE Nullum bonum imperfectum.
SA Omnis voluptas imperfecta, ergo
RE Nulla voluptas bonum.

Vel è contrario ſumere debemus aliquod re- E pugnans ſubiecto, veluti laborioſum, quod ſit & conſequens prædicatum, nempe vtile, quę ſimul iuncta, erunt medium aptum ad concludēdum problema negatiuum vniuerſale in ſecunda figura, hunc in modum:

CA Omne bonum, cū ſit vtile, laborioſum.
ME Nulla voluptas laborioſa, ergo
STRES Nulla voluptas bonum.

Ait itaque: *Quando autem nulli oportet ineſſe*. Quando aliquis vult concludere, quòd aliquod F prædicatum nulli ſubiecto ineſt; *cui quidem oportet non ineſſe, ad ſequētia ſubiecti*, ſumere debemus aliquod medium, quod ſit conſequens ſubiectū. *Quod autem oportet non ineſſe inſpiciēdum ad ea, quę non contingunt illi adeſſe*. Quod etiā ſit repugnans prędicato, quia ſi hæc idem ſunt, erunt medium ad concludendum problema vniuerſale negatiuum.

tiuum. *Aut conuerſim*, vel accipiendũ eſt è contrario; *cui quidem oportet non ineſſe, ad ea q æ nõn contingunt eidem adeſſe*; repugnãs ſubiecto, quod non contingit eidem adeſſe. *Quod verò non ineſſe inſpiciendum ad ſequentia.* Quod vnum ſubiecto repugnans prædicatum conſequatur: *nam ſi hæc ſint eadem vtrorumque.* Quoniam ſi hæc repugnantia; & conſequentia ſint eadem ad alterutrum, *nulli contingit alteri alterum ineſſe.* Tunc concluditur, quòd nulli contingit alterum quod eſt prædicatum, alteri quod eſt ſubiectum ineſſe. *Fit enim quandoque quidem in prima figura ſyllogiſmus, quandoque in media.* Tale namque problema negatiuum vniuerſale aliquando concluditur in prima figura, aliquando in ſecunda, vt viſum fuit.

Si autem alicui non ineſſe cui quidem oportet non ineſſe, quæ conſequitur; quod verò non ineſſe, quæ non poſſibile eſt illi ineſſe.

Ad demonſtrandum problema negatiuum particulare, non omnem voluptatem eſſe bonũ, inſpicere debemus in antecedens ſubiecti, veluti eſt abundans, quod idem ſit & repugnans prædicati; puta inutile: hæc namque ſimul iuncta erunt medium, per quod concludetur prædicatum non ineſſe particulariter ſubiecto in omnibus tribus figuris.

In prima.

FE	Nullum inutile, quod eſt abundans, eſt bonum.
RI	Aliqua voluptas inutilis, ergo
O	Aliqua voluptas non eſt bonum.

In ſecunda.

FE	Nullum bonum eſt inutile.
STI	Aliqua voluptas eſt inutilis, ergo
NO	Aliqua voluptas non eſt bonum.

In tertia.

FE	Nullum inutile eſt bonum.
LA	Omne inutile eſt voluptuoſum, ergo
PTON	Aliqua voluptas non eſt bonum.

Ideo habetur: *Si autem alicui non ineſſe.* Si verò aliquis velit concludere prædicatum alicui ſubiecto particulariter nõ ineſſe, *cui quidem oportet non ineſſe, quæ conſequitur*, oportet quòd conſideret antecedens ſubiecti: *quod verò non ineſſe, quæ non poſſibile eſt illi ineſſe*: & oportet quòd accipiat quod ſit repugnans prædicati. *Si enim aliquid horum ſit idem neceſſe eſt alicui non ineſſe.* Si enim ſit horum aliquod vnum, quod ſit antecedens ſubiecti, quod idem ſit repugnans prædicati per illud medium cõcludetur, prædicatum alicui ſubiecto non ineſſe, hoc eſt problema negatiuum particulare, vt dictum eſt.

Sequitur textus.

Magis autẽ fortaſſe erit ſic vnumquodque eorum, quæ dicta ſunt, ma-

A nifeſtum. Sint enim ſequentia quidem A, in quibus B: quæ autem ipſum ſequitur, in quibus C. Quæ autem non contingunt ei ineſſe, in quibus D. Rurſum autem ipſi E, quæ quidem inſunt, in quibus F: quæ autem ipſum ſequitur, in quibus G: quæ autem non contingunt eidem

B ineſſe, in quibus H. Si ergo eidem aliquid eorum quæ ſunt C, alicui eorum, quæ ſunt F, neceſſe eſt A omni E ineſſe: nam F quidem omni E; C autem omni A, quare omni E ineſt.

Cum exempla plurimum valeant ad manifeſtandam doctrinam, ideo Ariſtoteles in præſenti

C declarat in literis alphabeticis, ea quæ ſupra docuit, pro facili inuentione medij in quolibet problemate; & primo in vniuerſali; ſumit autem hos terminos, E pro ſubiecto, A pro prædicato, ſicuti nos accepimus voluptatẽ, & bonum, & conſequentia prædicati ſtatuit in B, antecedentia eiuſdem in C, & repugnãtia eidem in D. Pariter conſequentia ſubiecti poſuit in F, antecedentia in G, repugnantia in H, quemadmodum & nos ſuperius in figura cum Alexandro deſcripſimus. Deinde hac præmiſſa ordinatio-

D ne antecedentium, conſequentium, & repugnãtium terminorum in elementis, exemplificat in eis qualiter in demonſtratione problematis vniuerſalis affirmatiui facile medium adinuenire valeamus, & inquit, quòd quando antecedens aliquod exiſtens in C, nempe prædicati A, idem fuerit cum conſequente, quod reperitur in F, videlicet ſubiecti E: hoc erit medium ad concludendum problema vniuerſale affirmatiuum, ita quòd concludetur, quòd neceſſe eſt A prædicatum, omni E ſubiecto per tale mediũ ineſſe:

E ſiquidem tale medium eſt in toto primo, & tale poſtremum in toto medio, & fit ratiocinatio in primo modo primæ figuræ, tali pacto:

BAR	Omne C eſt A.
BA	Omne E, cum ſit F, eſt C, ergo
RA	Omne E eſt A.

Et hoc eſt quod dicit: *Magis autem fortaſſe erit ſic vnumquodque eorum, quæ dicta ſunt, manifeſtum.* Quæ ſupra dicta ſunt apertius conſtabunt, ſi in terminis generalibus, qui cuilibet materiæ adaptari poſſunt, ponatur vnumquodque eorũ,

F quæ ſumere debemus pro facili inuentione medij; ſumptis itaque terminis A, & E, addit: *Sint enim ſequentia quidem A, in quibus B.* Cõſequentia A, quod eſt prędicatũ, ſint in quibus B litera eſt deſignata. *Quæ autem ipſum ſequitur, in quibus C:* antecedentia verò prædicatum, ad quæ ipſum conſequitur, ſint in quibus litera C eſt deſcripta.

Quæ autem non contingunt ei ineſſe , in quibus D. Repugnantia autem prædicato, quæ ſcilicet ipſi ineſſe non poſſunt, ſunt in quibus pro ſigno ponitur litera D. *Rurſum autem ipſi E , quæ quidem inſunt, in quibus F.* Rurſum autem conſequentia ſubiectum, & quæ ex E conſequuntur, ipſiq; inſunt, ſint ſignata per literam F. *Quæ autem ipſum ſequitur , in quibus G.* Antecedentia autem ſubiectum, ex quibus E conſequitur, ſint in quibus ponitur ſignum G. *Quæ autem non contingunt eidem ineſſe , in quibus H.* Repugnantia autem ſubiecto, quæ non poſſunt ipſi ineſſe, ſint ea , in quibus eſt poſitum pro ſigno H, & ſic ſignata ſunt ab Ariſtotele, ſubiectum, prædicatum, antecedentia, conſequentia, & repugnantia ſubiecti, & prædicati ; quam poſitam deſcriptionem addit: *Si ergo eidem aliquid eorum quæ ſunt C.* Quando aliquid ex antecedentibus prędicati, quæ ſunt deſignata per C, idem fuerit, *alicui eorum quæ ſunt F*, cum aliquo ex eis quæ ſunt conſequentia ſubiecti deſignata per F, *neceſſe eſt A omni E ineſſe*, neceſſe eſt A prædicatum omni E ſubiecto per tale medium ineſſe: *nam F quidem omni E*: nam F quod idem eſt, quod C ineſt omne E, *C autem omni A*, C autem omni A prædicatum ineſt : *quare omni E ineſt*. Sequitur igitur vt A pariter inſit omne E, eo modo ſcilicet, quo in ſuperioribus exemplificari in primo modo primæ figuræ.

Si autem C, & G idem , neceſſe eſt alicui E ineſſe A ; nam id quod eſt C, A, id verò quod eſt G, E omne conſequitur.

In præſenti proſequitur Ariſtoteles exemplo manifeſtare quomodo in problemate particulari affirmatiuo conſtruendo procedere oporteat pro facili inuentione medij ; nempe accipiendum eſſe aliquod vnum, quod & A prędicatum, & E ſubiectum antecedat. Si enim in C, quod eſt ſignum, in quo poſita ſunt ea, ex quibus A prędicatum conſequitur, & in G, quod eſt poſitum pro ſigno eorum, ex quibus E ſubiectum conſequitur aliquod vnum, & idem reperiatur, hoc erit medium aptum ad concludendum particulare affirmatiuum in tertia figura, tali modo:

DA Omne C eſt A.
RA Omne C eſt E, ergo
PTI Aliquod E eſt A.

Quæ ratiocinatio ad primam figuram reducitur per conuerſionem in hunc modum.

DA Omne C eſt A.
RI Aliquod E eſt C, ergo
I Aliquod E eſt A,

Et tali pacto concluditur alicui E, A prædicatum ineſſe. Dicit itaque: *Si autem C & G idem*. Si autem adinueniamus quod antecedit prædicatum, idem cum G quod antecedit ſubiectum, *neceſſe eſt alicui E ineſſe A*, neceſſa-

A rio concludetur ex tali medio alicui E ſubiecto A prædicatum ineſſe : *nam id quod eſt C, A.* Hoc autem contingit, quoniam in tali terminorum poſitione ad id quod eſt C vniuerſaliter ſequitur A, *Id verò quod eſt G, E omne conſequitur*. Ad id autem, quod eſt G, vniuerſaliter ſequitur E, cum G ſit antecedens ſubiecti, ſicuti eſt C antecedens prædicati: quare cum omne G ſit E, per conuerſionem aliquod E eſt G: & quia G & C ſunt idem, aliquod E eſt C. Cum itaque omne C ſit A, de neceſſitate aliquod E eſt A,

B quod erat problema propoſitum.

Si autem F & D ſint idem, nulli E inerit A ex proſyllogiſmo. Quoniam enim conuertitur priuatiua, & F ei, quod eſt D idem, nulli F inerit A; F autem omni E. Rurſus ſi B & H idem, nulli E inerit A ; nam B , A quidem omni ; ei autem in quo E ,

C nulli inerit ; idem enim erat ei, quod eſt H, B; H autem nulli E inerat.

Tradit Ariſtoteles exemplum ad hoc, vt in confirmatione problematis negatiui vniuerſalis medium faciliter adinuenire poſſimus, & ait, quòd ſi aliquod eorum, quæ ſita ſunt in F, quæ ex ſubiecto E cõſequuntur, ſit idem cum aliquo eorum, quæ ſita ſunt in D, quæ A prædicato repugnant, ex huiuſcemodi medio facile erit concludere vniuerſale problema negatiuum , quòd

D ſcilicet nulli E ſubiecto inſit A prædicatum, & hoc ex proſyllogiſmo, ſeu antecedente ratiocinatione, q æ non fit immediate in prima figura, ſed per conuerſionem maioris, tali pacto:

CE Nullum A eſt D.
SA Omne F eſt D, ergo
RE Nullum F eſt A.

Hęc ratiocinatio, qua probatur, quòd nullum F ſit A, reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ per conuerſionem maioris, quæ eſt vniuerſalis negatiua, ſcilicet

E CE Nullum D, eſt A.
LA Omne F eſt D, ergo
RENT Nullum F eſt A.

Tunc ex proſyllogiſmo concluditur principale propoſitum in ſecũdo modo primę figuræ.

CE Nullum F eſt A.
LA Omnę E eſt F, ergo
RENT Nullum E eſt A.

Idem problema vniuerſale negatiuum pariter demonſtrare poſſumus in ſecundo modo ſecundæ figuræ, ſi ſumamus aliquid eorum, quę A

F prędicatũ conſequuntur poſita in ſigno B, quod idem ſit cum aliquo ex eis, quæ repugnant ſubiecto E, poſita in ſigno B ; quod idem ſit cũ aliquo ex eis, quæ repugnãt ſubiecto E , poſita in ſigno H , ſi namque hæc B & H ſint idem, concludemus in ſecũdo modo ſecũdæ figuræ, quòd nulli E ſubiecto inerit A prædicatum, tali pacto:

CA-

CA Omne A eſt B.
ME Nullum E eſt B, ergo
STRES Nullum E eſt A.

Inquit ergo: *Si autem F & D ſint idem.* Si F quod conſequitur ex ſubiecto, & D quod repugnat prædicato ſint idem, *nulli E inerit A*. Hoc erit medium ad concludendum vniuerſalem negatiuam, quòd nullum E eſt A, *ex proſyllogiſmo*, quod probatur ex antecedenti ratiocinatione, quæ fit ad concludendum, quod nullum F eſt A. *Quoniam enim conuertitur priuatiua.* Quia enim vniuerſalis negatiua reciprocatur in terminis, *& F ei, quod eſt D idē*, & omne F eſt D, *nulli F inerit A*, nullum F erit A, & iſte eſt proſyllogiſmus: *F autem omni E*, & ex proſyllogiſmo cócluditur propoſitum, quoniam ſi nullum F eſt A, & omne E eſt F, ſequitur de neceſſitate, quod nullum E ſit A, quod erat problema concludendum. *Rurſus ſi B & H idem.* Inſuper ad concludendum idem problema vniuerſale negatiuum ſumendum eſt aliquod, quod ſit conſequens prædicati poſitum in ſigno B, quod idem ſit repugnãs ſubiecto poſitum in ſigno H, & hoc erit medium ad concludendum, quòd *nulli E*, ſcilicet ſubiecto, *inerit A*, prædicatum: *nam B, A quidem omni*, quoniam B, quod eſt conſequens A ineſt omni A, ita quòd omne A eſt B: *ei autem in quo E nulli inerit*: ei autem ſubiecto, in quo eſt E, nullum inerit B, quod eſt medium, ita quòd nullum E erit B: *idem enim erat ei, quod eſt H, B*, cum poſitum fuerit, quòd H repugnans nempe ſubiecto, & B conſequens prędicato ſint idem: *A autem nulli E inerat*. Cum igitur nullum E ſit B, cum idē ſit quod H, quod nulli E ineſt, ſequitur quòd nullum E ſit A.

Si autem G & D idem, A alicui E non inerit: nam ei quod eſt G non inerit A, quoniam neque D: G autem ſub E eſt, quare alicui E non inerit.

Ponit in elementis qualiter problema particulare negatiuum concludere valeamus, quod ſcilicet ſumere debemus aliquod vnum ex eis, quæ ſita ſunt in ſigno D repugnans prædicato, quod ſit idem cum aliquo ex eis, quæ poſita ſunt in ſigno G, ex quo ſubiectum conſequatur; quoniam per hoc medium concluditur particulariter, quòd A prædicatum alicui E ſubiecto non inſit in tribus figuris, in hunc modum

In prima.
FE Nullum D eſt A.
RI Aliquod E eſt D, ergo
O Aliquod E non eſt A.
In ſecunda.
FE Nullum A eſt D.
STI Aliquod E eſt D, ergo
NO Aliquod E non eſt A.

A In tertia.
FE Nullum D eſt A,
LA Omne D eſt E, ergo
PTON Aliquod E non eſt A.

Et hæc ſunt quæ habentur in his verbis: *Si autem G & D idem.* Si D repugnans prædicato, & G, ex quo ſubiectum côſequitur, fuerint idem, *A alicui E non inerit*, concludetur particulare problema negatiuum, quòd ſcilicet A prædicatum alicui E ſubiecto non inerit; *nam ei quod eſt*
B *G, non inerit A*, quoniam nullum G, quod eſt antecedēs ſubiecti erit A, *quoniam neque D*, cum nullum D oppoſitum prædicato ſit A. *G autem ſub E eſt*: at omne G eſt E, cum ſit antecedens ad ipſum; *quare alicui E non inerit*. propterea ſequitur quod non ineſt particulariter A prędicatum alicui E ſubiecto, vt poſitum eſt.

Si autem G & B idem, conuerſus erit ſyllogiſmus, nam G ineſt omni
C A, nam B ei quod eſt A; E autem ei quod eſt B, idem enim erat ei quod eſt G, A autem ei quod eſt E, omni quidem non neceſſarium eſt ineſſe, alicui autem neceſſarium, eo quod conuertatur vniuerſale prædicatum in particulare.

D Vbi in terminis elementorum patefecit Ariſtoteles omnia problemata, nunc in ijſdem terminis oſtendit, quód particulare affirmatiuum aliter concludi poteſt, ſcilicet indirecte ſyllogizando minorem de maiori extremitate per conuerſionem concluſionis, quando ſcilicet aliquid ex ijs, quæ poſita ſunt in G, quod antecedit ſubiectum, ſit idem cum aliquo ex ijs, quæ poſita ſunt in B, quod conſequitur prædicatum, tali pacto:

E BAR Omne B eſt E.
BA Omne A eſt B, ergo directe
RA Omne A eſt E.

Et indirecte per conuerſionem concluſionis.

Aliquod E eſt A.

Ideo dicit: *Si autem G*, quod eſt antecedens ſubiecti, *& B*, quod eſt conſequens prædicati ſint idem, *conuerſus erit ſyllogiſmus*, tunc erit ratiocinatio conuerſa, nempe concludens indirecte minorem de maiori extremitate, *nam G*
F *ineſt omni A*, propterea quod omne A eſt G, *nam B ei quod eſt A*, quoniam omne B conſequens prædicati, & quod idem eſt, cum G ineſt A: *E autem ei quod eſt B*, & omne B eſt E: *idem enim erat ei quod eſt G*, & hoc quod B conſequens prædicatum, poſitum eſt idem, cum G quod antecedit ſubiectum: *A autem ei quod eſt E, omni quidem non neceſſarium eſt*

ineſſe alicui autem neceſſarium. Ex his verò non ſequitur neceſſario ſola vniuerſalis affirmatiua concluſio, quòd omne *A* ſit E, ſed inſuper etiam per conuerſionem particularis affirmatiua indirecte concludens, quod aliquod E ſit A, *eo quod conuertatur vniuerſale prædicatiuum in particulare*: eo quoniam vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem, quæ concluditur.

Manifeſtum ergo quod ad prædicta perſpiciendum vtrinque in vnaquaque quæſtione. Per hæc enim omnes ſyllogiſmi; oportet autem & ſequentium, & quibus ſequitur ſingulum, ad prima & vniuerſalia maxime inſpicere, vt equidem magis ad K, F, quàm ad F ſolum; A autem ad K, C magis quàm ad C ſolum. Si enim ei quod eſt K, F ineſt A, & ei quod eſt F ineſt, & ipſi E. Si verò hoc non ſequitur A, poſſibile eſt id, quod eſt F ſequi.

Colligit Ariſtoteles ex dictis perſpicuum eſſe in quocunque problemate comprobando inſpiciendum eſſe ad antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, & omnes quæſtiones declarata methodo demonſtrari, verùm aſſerit in electione dictorum conſequentium, & antecedentium, ſubiecti ſcilicet & prædicati ſumenda eſſe ea antecedentia, & conſequētia, quæ ſunt maxime omnium prima, & vniuerſalia, eo quoniam copioſior efficietur nobis in talibus propoſitionum ſelectio; ſiquidem illud prædicatum, quod ineſt vniuerſaliter ſuperiori cōtinenti inferiora, neceſſario inerit & inferiori; vt quod omni ineſt animali, inerit & homini, & ſic inerit & ipſi ſubiecto: ſi verò non inſit vniuerſaliter ſuperiori, non propterea ſequitur quin vniuerſaliter alicui inferiori ineſſe poſſit, & licet omni animali non inſit riſibile, ineſt tamen omni homini, vult dicere quòd debemus potius ſumere genera, & differentias, quæ ſunt vniuerſaliora, & pluribus ineſſe poſſunt, quàm definitiones & propria terminorum, quæ pluribus quam vni ineſſe non poſſunt. In conſequentibus itaque ad prædicatum & ſubiectum, & antecedentibus ad vtrunque horum oportet vnūquodque horum referre ad prima & vniuerſalia, vt in cōſequentibus, & antecedentibus E ſubiectū magis inſpicere debemus in K, F, quod eſt magis commune coniunctum cum minus commune, vt puta operationem, quàm F minus commune in ſe ipſum acceptum, nempe operationem ſecundum naturam, & in antecedentibus, & conſequentibus A prædicatum eſt magis inſpiciendum ad K, C, quod ſignificat magis commune coniunctum cum minus commune, puta fœli-

A citatem, quam ad C ſolum minus commune in ſe ipſum acceptum, nempe fœlicitatem contemplatiuam, quod declarat in terminis elementorum, poſito exemplo in quæſtione vniuerſali: ſi namque voluerimus comprobare, quod omne E eſt F, inſpiciendum aſſerit in antecedentibus ipſum A, quæ ſint in C, ſiue K, C, ſi aliquid ex eis reperiatur quod idem ſit cum aliquo ex conſequentibus ipſum E, quæ ſiut vniuerſaliora, puta K, F, potius quam F: illud enim erit medium magis aptum ad concludendum quæſtionem

B vniuerſalem affirmatiuam, tali pacto, videlicet

BAR Omne K, F eſt A.
BA Omne E eſt K, F, ergo
RA Omne E eſt A.

Quoniam ſi in K, C, vel in C aliquid non reperiatur quod ſit idem cum K, F, tamen aliquod aliud idem reperiri poterit, puta F: quo pariter medio eandem concluſionem poterimus comprobare hunc in modum:

BAR Omne F eſt A.
C BA Omne E eſt F, ergo
RA Omne E eſt A.

Quod ſi non magis cōmune, ſed quod minus ſumpſerimus, minus copioſa efficietur propoſitionum ſelectio, ſiquidem magis communia amplius ſumere non poterimus, cum in minus communia, quę ſumpta erunt, magis communia contineantur. Dicit igitur: *Manifeſtum ergo, quòd ad prædicta perſpiciendum vtrinque in vnaquaque quæſtione*. Conſtat igitur ex dictis in quolibet problemate demonſtrando inſpiciēdum eſſe ad

D antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum. *Per hæc enim omnes ſyllogiſmi*: quoniam per hæc quæ dicta ſunt quantum ad medij inuentionem efficitur omnis ratiocinatio in qualibet figura. *Oportet autem & ſequentium, & quibus ſequitur ſingulum ad prima & vniuerſalia maxime inſpicere*. Verùm pro abundantia & copia propoſitionum ſumenda ſunt & antecedentia, & conſequentia, quæ ſunt omnium prima, & magis communia. Si enim in problemate vniuerſali affirmatiuo ſumere debemus conſequēs

E ad ſubiectum, quod ſit antecedens ad prædicatum, ſumendum eſt id, quod maxime omnium exiſtentium in ordine ſubiecti & prædicati ſit vniuerſale, *vt E quidem magis ad K, F, quàm F ſolum*, vt in quæſtione vniuerſali affirmatiua, omnę E eſt A, ſi E ſubiectum ſit poſitus terminus, ſumendum potius K, F, conſequens ſubiecti, quod eſt magis commune coniunctum cum minus commune, quàm F conſequens minus commune in ſe ipſum acceptum. *A autem ad K, C ma-*

F *gis quàm ad C ſolum*, quod ſi A ſit poſitus terminus, puta prædicatum, in eadem quæſtione, inſpiciendum potius in K, C antecedens prædicati, quod magis commune eſt coniunctum cum minus commune quam in C, antecedens minus commune in ſe ipſum acceptum. *Si enim ei, quod eſt K, F ineſt A*: quoniam ſi omne K, F, quod eſt magis commune, eſt A, *& ei quod eſt F ineſt*,

etiam

etiam F minus commune erit A, *& ipſi E*, & conſimiliter quodlibet aliud inferius cõtentum ab F, puta E erit A. *Si verò hoc non ſequitur A*: quod ſi non omne K, F, quod eſt ſuperius, & magis commune ſit A, *poſſibile eſt id quod eſt F ſequi*: adhuc tamen contingit, quòd omne F, quod eſt minus commune, ſit A.

Similiter autem & in quibus idẽ ſequitur, conſiderandum: nam ſi primis; & ijs, quæ ſub ipſis ſunt, ſequitur: ſi autem non his, & ijs, quæ ſub ipſis ſunt, poſſibile.

Ponit breuiter Ariſtoteles, quòd ſicuti in vniuerſali problemate affirmatiuu comprobando ita, & in particulari affirmatiuo ſumẽda ſunt in antecedentia prædicati, & cõſequentia ſubiecti, quæ ſunt maxime prima & vniuerſalia; quoniam ſi aliquod ſequitur ad prima & magis commmunia, idem procul dubio etiam ſequitur ad omnia illa, quæ ſunt ſub ipſis: ſi autem nõ ſequitur ad ea, quæ ſunt prima, & ſuperiora, adhuc tamen aliquando contingit quod ſequitur ad inferiora, ideo dicit: *Similiter autem & in quibus idem ſequitur, conſiderandum*. Simili modo quoque in problemate particulari affirmatiuo demõſtrando, puta quòd aliquod E ſit A, ſumenda ſunt ea antecedentia, quæ ſunt magis communia, & prima: *nam ſi primis, & ijs, quæ ſub ipſis ſunt, ſequitur*: quoniam ſi ex communioribus, & primis propoſitum demonſtrari valet, idem quoque comprobabitur ex particularibus, & inferioribus. *Si autem non his, & ijs, quæ ſub ipſis ſunt, poſſibile*. Quod ſi non ex communioribus & primis, tamẽ adhue ex minus communibus & inferioribus propoſitum colligi poterit.

Sequitur textus.

Palam quòd per tres terminos, & duas propoſitiones conſideratio, & per prędictas figuras ſyllogiſmi omnes: monſtratur enim omni quidem E ineſſe A, quando eorum, quæ ſunt C, & F, idem quidam ſumitur. Hoc autem erit medium, extremitates autem A, & E; fit enim prima figura, alicui autem quando C, & G ſumitur idem: hoc autem poſtrema figura, medium enim fit G: nulli verò quando D & F idem: ſic autem & prima figura, & media; prima quidem, quoniam nulli F ineſt A; ſiquidem conuertitur priuatiua; F autem omni E, media autem, quod D, A quidem

A nulli, E autem omni ineſt, alicui autem non ineſſe, quãdo D & G idem fuerit, hæc autem poſtrema figura, nam A quidem nulli G inerit, E verò omni G.

Cum ſuperius patefecerit quomodo in vnoquoque problemate demonſtrando facile medium adinuenire valeamus & copia propoſitionum abundare poſſimus, colligit in præſentia

B ex declaratis manifeſtum eſſe, omnem ratiocinationem conſtitui ex tribus terminis, & duabus propoſitionibus, & in vna ex tribus figuris, quoniam cum quatuor ſint problemata demonſtranda, ſi problema vniuerſale affirmatiuum demonſtrare contendimus, quòd omne E ſit A, oportet ſumere antecedens prædicati, puta C, quod ſit idem cum conſequẽte ſubiectum, nempe F: quo medio ſumpto, ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis in prima figura concluſionem vniuerſalem affirmatiuam colligimus, quod omne E ſit A.

C
BAR Omne C, F, eſt A.
BA Omne E eſt C, F, ergo
RA Omne E eſt A.

Et ad demonſtrãdum particulare problema affirmatiuum, quod aliquod E ſit A, oportet ſumere G antecedens ſubiecti, quod ſit idem cum C, quod antecedit prædicatum, & ex hoc medio concludetur in tertia figura quæſtio affirmatiua particularis.

DA Omne G, C eſt A.
D RA Omne G, C eſt E, ergo
PTI Aliquod E eſt A.

Pariter ad demonſtrandum vniuerſale problema negatiuum, quòd nullum E ſit A, ſumere debemus F cõſequens ſubiectum, quod ſit idem cum D, quod repugnat prædicato, & ex hoc medio formare ratiocinationem in prima, & ſecunda figura.

In prima figura.

CE Nullum D, F eſt A.
LA Omne E, eſt D, F, ergo
E RENT Nullum E eſt A.

In ſecunda figura.

CE Nullum A eſt D, F.
SA Omne E eſt D, F, ergo
RE Nullum E eſt A.

Ad demonſtrandum quoque particulare problema negatiuum, ſumendum eſt G antecedens ſubiecti, quod ſit idem cum D, quod repugnat prædicato: quo ſumpto medio in tertia figura ex duabus propoſitionibus problema particulare negatiuum colligimus.

F
FE Nullum D, G eſt A.
LA Omne D, G eſt E, ergo
PTON Aliquod E non eſt A.

Et hæc ſunt, quæ habentur in his verbis: *Palam autem quòd per tres terminos, & duas propoſitiones conſideratio*. Patet ex declaratis, quòd omnis conſideratio ſyllogiſtica fit per tres terminos,

minos,& duas propoſitiones,*& per prædictas figuras ſyllogiſmi omnes*, & quòd omnis ratiocinatio fit per aliquam ex tribus figuris. *Monſtratur enim omni quidem E ineſſe A* Demonſtratur namque problema vniuerſale affirmatiuũ,quòd omne E eſt A,*quãdo eorum,quæ ſunt C,& F,idem quidam ſumitur*, quando antecedens prædicati, puta C, idem ſit cum conſequente ſubiectum, nempe F,*hoc autem erit medium*:tale namque erit medium ad concludendum id problema affirmatiuum vniuerſale in prima figura:*extremitates autẽ A,& E*,& E ſcilicet ſubiectũ,& A prædicatum erunt extrema:*fit enim prima figura*:in tali enim medij habitudine fit prima figura,*alicui autem*. Si verò concludi debeat particulare problema affirmatiuum,quod aliquod E eſt A,id accidit,*quando C & G ſumitur idem*, quando videlicet G antecedens ſubiecti idem ſit cum C,quod antecedit prædicatum.*Hoc autem poſtrema figura,medium enim fit G*. Ex hoc enim medio,quod eſt G,C, concluditur problema dictum in tertia figura.*Nulli verò*. Quòd ſi vniuerſale problema negatiuum demonſtrabimus,id efficiemus,*quando D & F idem*: tunc inquam comprobabimus nullum E eſſe A,quando ſumemus F conſequẽs ſubiectum,quod ſit idem cũ D, quod repugnat prædicato.*Sic autem & prima figura,& media*. Ex hoc namque medio illud problema concludemus,& in prima,& in ſecunda figura. *Prima quidem, quoniam nulli F ineſt A*. In prima quidem figura,quoniam ex quo negatiua vniuerſalis conuertitur nullum A eſt F, fiet maior nullum F eſt A,*F autem omni E*, at omne E eſt F, quapropter ſequitur,quòd nullum E ſit A in ſecundo modo eiuſdem figuræ: *media autem*:in ſecunda verò figura;ideo cõcluditur tale problema,*quod D, A quidem nulli*.quando nullũ A eſt D; *E autem omni ineſt*, & omne E eſt D:hinc ſequitur neceſſario in primo modo eiuſdem figuræ, quod nullum E eſt A,*alicui autem non ineſſe*. Demonſtratur autem particulare problema negatiuum, quòd aliquod E non eſt A,*quando D, G idem fuerit*, ſi ſumemus G antecedens ſubiecti, quod ſit idem cum D;quod repugnat prædicato.*Hac autem poſtrema figura*. Ex hoc enim medio concludemus id problema in tertia figura,*nã A quidem nulli G inerit*, quoniam nullum G erit A, *E verò omni G*,& omne G erit E; vnde neceſſario ſequeretur in ſecundo modo eiuſdem figurę,quòd aliquod E non eſt A.

Manifeſtum igitur eſt, quòd per prædictas figruas omnes ſyllogiſmi, & quod non eligendum quæcunque omnibus ſequuntur, eo quod nullus fiat ſyllogiſmus ex ipſis; nam conſtruere quidem non omnino erat ex ſequentibus. Priuare autem non contingit per ea, quæ omnibus ſequun-

A tur: oportet enim huic quidé in eſſe illi verò non ineſſe.

Colligit vlterius ex dictis Ariſtoteles, nedum ex ſuprapoſitis medij inſpectionibus omnes ratiocinationes conſtitui in tribus figuris: verùm etiam quod ex diuerſa medij habitudine oriuntur inutiles coniugationes,& cũ præter ſex iam declaratas medij inſpectiones,tres aliæ reperiãtur,& exiſtant, vult oſtendere ex eis inutiles fieri ratiocinationes, & ponit etiam in præſenti,
B quando ſcilicet conſequens ſubiecti, & conſequens prædicati fuerint idem:non enim eligenda ſunt pro medio quæcũque & ſubiectus,& prędicatis ſequuntur,quoniam ſi aliquod vniuerſaliter prædicatur de antecedente, & illud idem prædicatur vniuerſaliter de conſequẽte,non ſequitur ex hoc,quòd conſequens tale de tali prędicetur antecedente,vel vniuerſaliter,vel particulariter,veluti ſi F cõſequens ſubiecti,& B conſequẽs prædicati,ſint idem,ita vt ponatur quòd omne B,F ſit A,& omne B F ſit E,non ſequitur,
C neque vniuerſaliter,neque particulariter A ineſſe E:ſiquidem conſtat in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis fieri coniugationem aſyllogiſticam, neque ex ijſdẽ propoſitionibus ſic diſpoſitis valemus aliquid vniuerſaliter,vel particulariter refutare,quoniã oportet reprobantem in tertia figura habere alteram propoſitionẽ negatiuã.hę verò ambę affirmatiuę ſunt,ideo dicit: *Manifeſtum igitur eſt, quòd per prædictas figuras omnes ſyllogiſmi*. Conſtat omnes quæſtiones ex medij diſpoſitione iam declarata concludi in tribus fi-
D guris:*& quod non eligendum quæcunque omnibus ſequuntur*; & quod alio modo mediũ diſponi non debet, & præcipue non ſunt ſumẽda pro medio quæcunque & ſubiectũ,& prædicatum ſequuntur, *eo quod nullus fiat ſyllogiſmus ex ipſis*, eo quoniam nullus penitus ex ipſis poſſit effici ſyllogiſmus,neque affirmatiuus,neque negatiuus: *nam conſtruere quidem non omnino erat ex ſequentibus*, non quidem affirmatiuus, quoniàm in tali diſpoſitione efficitur ſecunda figura,in qua ex duabus affirmatiuis ſequitur coniugatio aſyllogiſtica:
E *priuare autem non contingit per ea, quæ omnibus ſequuntur*,neque negatiuus ſyllogiſmus cõficitur; propterea quod reprobare aliquid non valemus ex ſimili diſpoſitione medij,quod ſequitur,& ad ſubiectum,& ad prædicatum. *Oportet enim huic quidem ineſſe, illi verò non ineſſe*. In ſecunda autẽ figura oportet ad hoc vt ſequatur concluſio negatiua alteram ex præmiſſis eſſe negatiuam.

Manifeſtum autem quòd & aliæ conſiderationes,quæ ſecundum ele-
F ctiones inutiles ad faciendum ſyllogiſmum , vt ſi ſequentia vtrumque eadem ſint,aut quæ ſequuntur A .& quæ non contingit E ineſſe; aut rurſum quæcunque non poſſibile eſt

vtriſque ineſſe; non enim fit ſyllogiſmus per hæc; nam ſi ſequentia ſint eadem, vt B, & F media ſit figura, prędicatiuas habent vtraſque propoſitiones: ſi autem ea, quæ ſequitur A, & quæ non contingit E, vt C & H, prima erit figura, priuatiuam habens propoſitionem ad minorem extremitatem; ſi autem quæcunque non contingunt vtrique, vt D & H, priuatiuæ vtręq; propoſitiones erũt, vel in prima figura, vel in media; ſic autem nullo modo erit ſyllogiſmus.

Vbi patefecit Ariſtoteles, quòd ſi ſumantur pro medio ea, quæ ſequuntur ſubiectum, & ea, quæ ſequuntur prædicatum, quæ eadem ſtatuātur, nulla fieri poteſt ratiocinatio neque affirmatiua, neque negatiua, ſubdit modo, quod neque ſi alio quocunque modo inſpexerimus medium, ac ſuperius fuerit declaratum, nulla ſequetur ratiocinatio, dicens, quòd ſicuti manifeſtum eſt ſi ſumantur pro medio ſequentia ſubiectum, & prædicatum inutilem fore ratiocinationem, quoniam fit ſecunda figura vtraſque habens affirmatiuas propoſitiones, ex quibus nullus fit vtilis ſyllogiſmus, ita pariter manifeſte conſtat, quod & aliæ medij inſpectiones erunt inutiles, quæ fuerint oppoſitæ declaratis, veluti ſi ſumpſerimus antecedentia A prædicatum, & repugnantia E ſubiectum, vti C, H, quæ ſint eadem pro medio, eo quod minor redditur negatiua in prima figura, quod non contingit fieri, veluti

Omne C, H eſt A.
Nullum E eſt C, H.

Similiter ſi acceperimus repugnātia vtrique termino, A ſcilicet ſubiecto, & E prædicato, vti D, H, quæ ſint eadem pro medio, inutilis erit ratiocinatio, eo quoniam ambæ premiſſæ erunt negatiue, vel in prima, vel in ſecunda figura.

In prima figura.
Nullum C, H eſt A.
Nullum E eſt C, A.

In ſecunda figura.
Nullum C, H eſt A.
Nullum C, H eſt E.

Verùm ex vtriſque negatiuis in nulla figura fieri poteſt vtilis ſyllogiſmus, vt in præhabitis monſtratum fuit, ideo dicit; *Manifeſtum autem quòd & aliæ conſiderationes, quæ ſecundum electiones, inutiles ad faciendum ſyllogiſmum.* Patet manifeſte, quòd reliquæ inſpectiones medij diuerſæ à declaratis ſunt inutiles ad conſtruendum ſyllogiſmum, *vt ſi ſequentia vtrumque eadem ſint,* veluti ſi accipiantur pro medio ea, quæ ſequuntur & ſubiectum & prædicatum, quæ eadem ſtatuantur; *aut quæ ſequuntur A, & quæ non contin-* A *git E ineſſe*, vel ſumantur pro medio ea ad quæ ſequitur A prædicatum, & quæ repugnant E ſubiecto, quæ ponātur idem eſſe: *aut rurſum quæcunque non poſſibile eſt vtriſque ineſſe*; vel ſumantur pro medio quæ repugnant A prædicato, & repugnantia E ſubiecto; quæ pariter ſint idem, in his omnibus inſpectionibus medij fit inutilis ratiocinatio, quod dicit: *non enim fit ſyllogiſmus per hæc,* reddit rationem, *nam ſi ſequentia ſint eadem*; quoniam ſi quæ ſequuntur ſubiectum, & prædicatum eadem ſtatuantur, *vt B, F*, vt ea con-B ſequētia, quæ ponũtur in ſigno B, & in ſigno F, *media ſit figura prædicatiuas habens vtraſque propoſitiones*, fit ſecunda figura conſtans ex ambabus propoſitionibus affirmatiuis, quod eſt inconueniens. *Si autem ea, quæ ſequitur A, & quæ non contingit E.* Si verò accipiantur ea, ad quæ ſequitur A prædicatum, & quæ repugnant E ſubiecto, quæ ponantur eadem pro medio, *vt C, H*, veluti ſunt antecedentia, quæ ponuntur in ſigno C, & repugnantia poſita in ſigno H, *prima erit figura priuatiuam habens propoſitionem ad minorem extre-* C *mitatem*. Ex tali terminorum diſpoſitione efficietur prima figura habens minorem negatiuã, quod eſt abſurdum: *ſi autem quæcunque non contingunt vtrique*; quòd ſi ſtatuantur pro medio repugnantia vtrique termino, ſcilicet ſubiecto, & prædicato, *vt D & H*, veluti repugnantia poſita in ſigno D, & in ſigno H, *priuatiuæ vtræque propoſitiones erunt*, ambæ præmiſſæ, ex huiuſmodi medij habitudine erunt negatiuæ, *uel in prima figura, uel in media*, vel formetur coniugatio in prima, vel in ſecunda figura: *ſic autem nullo* D *modo erit ſyllogiſmus.* In præhabitis autem declaratum eſt, quod ex vtriſque negatiuis non fit vtilis ſyllogiſmus in aliqua figura.

Palam autem & quæ eadem ſumēdum ſecundum cōſiderationem, & non quæ diuerſa vel contraria. Primum quidem quoniam medii gratia, inſpectio; medium autem E non diuerſum, ſed idem oportet ſumere: deinde & in quibus accidit fieri ſyllogiſmum, quod ſumantur contraria, aut non contingentia eidem ineſſe, in prædictos omnia reducuntur modos, vt ſi B, & F ſint contraria, aut non contingat eidem ineſſe; erit enim his ſumptis ſyllo-F giſmus, quod E nulli ineſt A, ſed non ex ipſis, ſed ex prædicto modo; nam B, A quidem omni, E autem nulli inerit; quare neceſſe eſt B idem eſſe alicui eorum, quæ ſunt H. Rurſum ſi

B,G,

B G, non poſſint idem adeſſe, erit, quòd alicui E non inerit A: nam & ſic media erit figura, nam B A quidem omni B, G verò nulli inerit: quare neceſſe eſt G idem eſſe alicui eorum, quæ ſunt D: nam non contingere G & B eidem ineſſe, nihil differt, aut G alicui D idem eſſe. Omnia enim ſumpta ſunt in D, quæ non contingunt A ineſſe.

Vbi Ariſtoteles declarauit ſex medij inſpectiones vtiles, & tres inutiles, in quibus reſpicitur vnitas antecedentiũ, conſequentiũ, & repugnantium. Ex his manifeſtum eſſe aſſerit in inuentione medij ſyllogiſtici, non eſſe deſumenda ea antecedentia, conſequentia, & repugnantia, quę inuicem ſunt oppoſita. Dantur nãque quædam quæ ſunt eadem, vt vidimus, & quæ ſunt oppoſita, & diſperata: ubi enim F conſequens ſubiectum, & C antecedens prædicatum in prima medij habitudine conſiderantur eadem, idem F conſequens E ſubiectum, & C antecedens A prædicatum, & H repugnans E ſubiecto inuicem ſunt oppoſita; quoniam ſicuti D repugnat A prædicato; ſic etiam repugnat ipſi C illud prædicatum antecedenti: vnde ſicuti C antecedens prædicatum, & D prædicato repugnans opponuntur, ſic F conſequens E ſubiectum, cum idem ſit quod C antecedẽs prædicatum ipſi D repugnanti prædicato erit oppoſitum, & tali pacto, ſicuti F cõſequens ſubiectum, eſt oppoſitum D, quod repugnat prædicato, ita C antecedens prædicatum eſt oppoſitum H repugnans ſubiecto ob eandem cauſam. Quoniam itaque quiſpiam fortaſſe dicere potuiſſet, non ſolum quando antecedentia, conſequentia, & repugnantia ſunt eadem; verum etiam quando ſunt diuerſa & contraria poſſe fieri vtilem ratiocinationem, vt puta ſi conſequens prædicati, & conſequens ſubiecti ſint oppoſita, & diuerſa, poſſe ſyllogizari vniuerſalem negatiuam; & adhuc ſi conſequens prædicati, & antecedens ſubiecti fuerint contraria, poſſe ſyllogizari particularem negatiuam, hanc ſententiam de medio tollens colligit ex dictis huiuſcemodi coniugationes non eſſe omnino conuenientes ad concluſionis perfectam manifeſtationem; tum quia huiuſmodi conſideratio inueniendi medij termini cauſa fit, qui medius terminus, cũ vnus, & idem eſſe debeat (ſiquidem vnius, & eiuſdem eſt ſyllogiſmi non diuerſi) ea, quæ contraria inter ſe ſunt fieri vnum, nullo pacto poſſunt; tum quia inſuper ex contrarijs ſupradicto modo acceptis nullus fieri poteſt ſyllogiſmus, niſi reducantur ad aliquam ex declaratis medij inſpectionibus, veluti ſi quis acceperit B, quod ex A ſequebatur, & F, quod ſequebatur ex E con-
A traria eſſe; ex his quidem ſumptis erit ſyllogiſmus concludens vniuerſalem negatiuam, nullum E eſſe A, ſed id fieri minime poterit, prout B, F, quæ dicuntur eſſe medium, ſunt duo contraria; ſed potius prout alterum contrariorum eſt conſequens prædicati, & extraneum ſubiecti, & ſic prout fit reductio ad tertium inſpectionis modum vtilem; quoniam B, F, quæ vtrumque terminum & A, & E conſequuntur, vt contraria vtraque eidem termino A, & E ineſſe nullo pacto poſſunt;
B quia licet B omni A ineſſe poſſit, ipſi E tamen nullo pacto poterit ineſſe, cum ſit oppoſitum ijs, quæ conſequuntur ex A poſitus in ſigno F, quia quod repugnat conſequenti, repugnat & antecedẽti, & quæ ipſi non inſunt, poſita ſunt in ſigno H, B itaque erit idem cum aliquo eorum, quæ ſunt poſita in ſigno H, quia H ſignum eſt omnium eorum, quæ ſunt repugnantia ſubiecto, & ita fit vt B omni A, & idem B cum ſit idem quod H, nulli E inſit; vnde ſequitur neceſſario A nulli E ineſſe in ſecun-
C do modo ſecundæ figuræ tali pacto:

CA	Omne A eſt B.
ME	Nullum E eſt B, ergo
STRES	Nullum E eſt A.

Pariter ſi G antecedens ſubiecti, & B conſequens prædicati ſint contraria, & non contingant eidem ineſſe, ſyllogizabitur quidem particularis negatiua, aliquod E non eſſe A in tertia figura, ſed non immediate, ſed mediãte proſyllogiſmo in ſecunda ſic:

Omne A eſt B.
D Nullum G eſt B, ergo
Nullum G eſt A.

Deinde fiat proſyllogiſmo habito principalis ſyllogiſmus in tertia hunc in modum,

FE	Nullum G eſt A.
LA	Omne G eſt E, ergo
PTON	Aliquod E non eſt A.

Et tali pacto conſtat quòd non fit ratiocinatio per B, G in quantum ſunt contraria, ſed potius in quantum vnum illorum eſt antecedẽs ſubiecti, & extraneum prædicati, quæ erat
E quinta vtilis medij conſideratio, in ſuperioribus declarata; quoniam cum B & G contraria accipiantur, quod repugnat ad B, quod eſt conſequẽs prædicati pro parte repugnat ad A, quod eſt prædicatum ipſum, quia quod repugnat conſequenti in parte aliqua repugnat antecedenti, ſed repugnantia ad A poſita ſunt in ſigno D, ergo G antecedens ſubiecti erit idem, quod D repugnans prædicati, & ſic nihil differt, quod dicatur B, G non contingere eidem ineſſe,
F & eſſe repugnantia, & quod dicatur, quòd G antecedens ſubiectum ſit idem alicui D, quod eſt repugnans prædicati; omnia enim quæ non contingunt prædicato ineſſe, poſita ſunt in ſigno D. Dicit itaque: *Palam autem & quæ eadem ſumendum ſecundum conſiderationem*. Conſtat ex dictis, quòd ſumenda ſunt ea antecedentia, conſequentia, & repugnantia, quæ ſunt eadem in

conſi

conſideratione medij ſyllogiſtici, *& non quæ diuerſa, uel contraria*, & non ſumenda ſunt ea antecedentia, conſequentia, & extranea, quę ſunt inuicem oppoſita, ac repugnantia. *Primum quidem quoniam medij gratia inſpectio*. Primo quoniam omnis conſideratio eſt medij vnius inueniendi gratia. *Medium autem non diuerſum, ſed idem oportet ſumere*. Medium autem vnius & eiuſdem ſyllogiſmi eſt non diuerſum. *Deinde & in quibus accidit fieri ſyllogiſmum, quod ſumantur contraria, aut non contingentia eidem ineſſe*. Inſuper etiam quia quando fit ſyllogiſmus ex dictis tanquam contrarijs & repugnantibus, *in prædictos omnia reducuntur modos*. Oportet ad hoc vt ratiocinatio ſequatur, quod fiat reductio ad aliquem ex conſideratis habitudinibus, *ut ſi B, & F ſint contraria, aut non contingat eidem ineſſe*, veluti gratia exempli, ſi B conſequens prædicati, & F conſequens ſubiecti ſint oppoſita, ita vt non cõtingat eidem ineſſe, & diſperata. *Erit enim his ſumptis ſyllogiſmus, quòd B nulli ineſt A*. Fiet quidem ex his ſyllogiſmus, concludens vniuerſalem negatiuam nullum E eſſe A, *ſed non ex ipſis*, ſed non vt contrarijs, *ſed ex prædicto modo*, ſed per reductionem ad tertiam vtilem conſiderationem, in qua conſequens prædicati, & extraneum ſubiecti idẽ ſunt: *nam B, A quidem omni*, quoniam omne A erit B, *E autem nulli inerit*, & nullum E erit B. *Quare neceſſe eſt B idem eſſe alicui eorum, quæ ſunt H*. Propter quod neceſſe eſt, quòd B ſit idem ſumptum alicui H, quia H ſignum eſt omnium eorum, quę ſunt repugnantia ſubiecto: datum autẽ eſt, quòd conſequens prædicati, ſit repugnans ſubiecti per hoc, quod eſt cõtrarium ad F, & quod repugnat conſequenti repugnat & antecedenti. *Rurſum ſi B, G*, quorum vnum eſt conſequens, prædicati, & alterum antecedens ſubiecti, ſunt oppoſita, & diſperata, *erit quod alicui E non inerit A*, fiet quidem ſyllogiſmus concludens particularem negatiuam quoddam E non eſſe A: *nam & ſic media erit figura*, quoniã tali pacto formabitur coniugatio in ſecunda figura, quod verificatur de proſyllogiſmo; *nam B, A quidem omni*; quoniam omne A erit B: *G verò nulli inerit*, & nullum G erit B, vnde ſequetur, quòd nullum G erit A: ex quo proſyllogiſmo deinde in tertia figura colligimus quidem particularem negatiuam, ſed nõ in quantum ea ſunt contraria, ſed potius in quãtum vnum illorum eſt antecedens ſubiecti, & extraneum prædicati, & ſic prout fit reductio ad quintam medij conſiderationem declaratam: propterea ſequitur: *Quare neceſſe eſt G idem eſſe alicui eorum quæ ſunt D*. Quapropter neceſſariũ eſt G antecedẽs ſubiecti idem eſſe cum D, quod repugnat prædicato; quia quod repugnat ad B, quod eſt conſequens prædicati, repugnat ad A prædicatum ipſum, quia quod repugnat conſequenti, repugnat & antecedenti: repugnantia verò ad A poſita ſunt omnia in ſigno D; ideo ſequitur: *nam non contingere G & B eidem ineſſe*, ſcilicet antecedens ſubiecti, & conſequens prædicati; *nihil differt*, eſt idem ac dicere, *aut G alicui D*
A *idem eſſe*, quod G antecedens ſubiecti, & D repugnans prædicati ſint idem. *Omnia enim ſumpta ſunt in D, quæ non contingunt A ineſſe*; propterea quod omnia quę ſunt contraria ad A, poſita ſunt in ſigno D.

Manifeſtum ergo quòd ex iſtis quidem inſpectionibus nullus fit ſyllogiſmus, & ſi B, & F ſint contraria, idem eſſe B alicui H, & ſyllogiſmus
B ſemper fieri per hæc. Accidit ergo ſic inſpicientibus conſiderare uiam aliam neceſſariam, eo quod quandoque latet identitas horum quæ ſunt B & H.

Colligit in fine huius capitis Ariſtoteles manifeſtum eſſe ex conſiderationibus ſupra proxime poſitis, quando & vniuerſalis, & particularis negatiua ſyllogizãtur, id fieri minime poſſe, niſi
C per reductionem ad aliquam inſpectionem ex declaratis in ſuperioribus, & quòd B conſequẽs prædicati neceſſarium eſt idem eſſe alicui corũ, quæ ſunt H, cum eſt contrarium ad F, quod ſequitur ad ſubiectum, & ea propter qui ponunt huiuſmodi inſpectiones cõſideratas ab eodem, ponere aliam viam, ſeu methodum neceſſariã, quæ aperte, & manifeſte concludat, quod ſecus accidit in duabus poſtremis, in quibus quandoque latet identitas eorum, quæ ſunt B, & H, hoc
D eſt conſequentis ad ſubiectum, & oppoſiti ad prædicatum. Litera eſt ſatis clara, ideo dicta ſatis ſuper hóc Capite.

Super Capite XXIX. Quo pacto inuenienda ſunt media in omni ſyllogiſmorum genere, conſtruendiq́; ſyllogiſmi pro Iuris ſtudioſis.

E QVæ cum maxima difficultate poſſunt ad vſum Iuriſtarum accõmodari de hoc capite, ſunt quatuor medij inſpectiones, quibus omnia quatuor problemata demonſtrare valemus, & quibus faciles reddimus ad ratiocinandum vnumquodque problema.

Prima confert ad comprobandum problema vniuerſale affirmatiuum, quando ſcilicet ſumpſerimus antecedens ſubiecti, & conſequens prędicati eſſe idem.

F Secunda valet ad demonſtrandum problema particulare affirmatiuum, vt puta ſi antecedens prædicatum, & antecedens ſubiectum ſtatuantur pro eodem.

Tertia iuuat ad cõcludendum problema vniuerſale negatiuum, ſi ſumpſerimus repugnans prædicato, & conſequens ſubiecto idem eſſe.

Quarta

Quarta prodeſt ad inferẽdum problema particulare negatiuum, ſi antecedẽs ſubiecti, & repugnans prędicati ponuntur in eũdem ſenſum.

De quibus omnibus poſſumus exemplum adducere ex terminis deſumptis in tit. Digeſtorum de ritu nuptiarũ, ſi accipiantur nuptiæ pro ſubiecto termino, iuſtum pro prædicato, antecedentia ſubiecti, conſenſus maris & fœminæ, conſequentia ipſius, procreatio filiorum, repugnantia eiuſdem, concubinatus, antecedentia prædicati, ætas legitima, conſequentia, vitæ ſocietas, repugnantia, raptus. In his terminis probabitur vniuerſale problema affirmatiuum, tali pacto:

BAR Omnis conſenſus maris & fœminæ iuſtus eſt.
BA Omnes nuptiæ ſunt conſenſus maris, & fœminę, ergo
RA Omnes nuptiæ iuſtę ſunt.

Particulare verò affirmatiuum demonſtrabitur hunc in modum,

DA Omnis conſenſus maris & fœminæ iuſtus eſt.
RA Omnis cõſenſus maris & fœminæ ſunt nuptiæ, ergo
PTI Aliquæ nuptiæ iuſtæ ſunt.

Vniuerſale negatiuum ſic concludetur,

CE Nullus raptus eſt iuſtus.
LA Omnes nuptiæ, cum ſint vitæ ſocietas, ſunt raptus, ergo
RENT Nullæ nuptiæ ſunt iuſtæ.

Particulare negatiuum infertur hoc modo,

FE Nullus raptus eſt iuſtus.
RI Aliquæ nuptiæ, cum ſint conſenſus maris & fœminæ, ſunt raptus, ergo
O Aliquæ nuptiæ non ſunt iuſtæ.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmis Aſſertorijs, Ad impoſſibile, & reliquis, qui ex hypotheſi. Caput XXX.

EOdem autem modo ſe habent, et qui ad impoſſibile deducũt ſyllogiſmi cum oſtenſiuis, nã & ipſi fiunt per ea, quæ ſequuntur, & quibus ſequitur vtrumque, & eadem conſideratio in vtriſque: nam quod monſtratur oſtenſiue, & per impoſſibile, eſt ſyllogizare: & per eoſdem terminos, & quod per impoſſibile, & oſtenſiue, vt quòd A nulli E ineſt. Ponatur enim
A alicui ineſſe; ergo quoniam B omni A; A autem alicui E, & B alicui E inerit, ſed nulli inerat.

Cum Philoſophus declarauerit in capite præcedenti quo pacto medium inueniendum in ſyllogiſmis categoricis, & quomodo inſpiciẽdum in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum ad hoc, vt vnumquodque problema ſyllogiſmo oſtenſiuo concludi, & demon-
B ſtrari poſſit, in præſenti docet eodem modo adinueniendum eſſe medium in ſyllogiſmis, qui ad impoſſibile deducunt, ſicuti & in categoricis, videlicet inſpiciendum eſſe in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum. Siquidem quicquid oſtenſiue demonſtratur, idem etiam per deductionem ad impoſſibile colligi poteſt, & per eoſdem terminos, & è contrario, quicquid per deductionem ad impoſſibile concluditur, etiam oſtenſiue comprobatur, quod manifeſtat Ariſtoteles exemplo. Si nam-
C que voluerimus demonſtrare problema vniuerſale negatiuum, nullum E eſſe A, per deductionem ad impoſſibile, id aſſecuti fuerimus, ſi ſumpto conſequenti A prædicato, & repugnanti, E ſubiecto, prius habuerimus hanc concluſionem probatam per ſyllogiſmum oſtenſiuum, nullum E eſſe A: qua concluſione negata, ſumpta fuerit ſua contradictoria, aliquod E eſſe A; quæ deinde appareat falſa, vnde inferatur quod hypotheſis data de oppoſito concluſionis ſit falſa, & per conſequens ſit vera eius contradi-
D ctoria, quæ erat concluſio propoſita, nullum E eſſe A, tali pacto ſcilicet, ſit concluſum problema vniuerſale negatiuum, nullum E eſſe A.

CA Omne A eſt B.
ME Nullum E eſt B, ergo
STRES Nullum E eſt A.

Si neget quiſpiam hanc concluſionem eſſe veram, nullum E eſſe A, nos inferremus contradictoriam, aliquod E eſſe A, & deinde ſumemus aliquod verum in ſyllogiſmo oſtenſiuo conceſ-
E ſum, vt omne A eſſe B, & ex his duabus præmiſſis omne A eſſe B, aliquod E eſſe A, concludemus, aliquod E eſſe B, quod eſt manifeſte falſum, quoniam ſua contradictoria eſt vera, quæ erat minor prioris ſyllogiſmi, nullum E eſſe B, ſed hoc infertur, quia datum eſt oppoſitum concluſionis eſſe verum, videlicet aliquod E eſſe A; ergo illud eſt falſum, & concluſio ſua contradictoria vera, nullum E eſſe A, quod erat propoſitum demonſtrandum. Vnde patet, quòd problema vniuerſale negatiuum
F concluditur, & oſtenſiue, & per impoſſibile, & per eandem methodum inſpiciendi antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, ideo dicit: *Eodem autem modo ſe habent, & qui ad impoſſibile deducunt ſyllogiſmi cum oſtenſiuis*, hoc eſt eodem modo, & eadem methodo inſpiciendum eſt in inuentione medij pro habenda copia propoſitionum in ſyllogiſmo deducente

ducente ad impoſſibile, & qui fit ex hypotheſi; quibus etiam in oſtenſiuis vſi ſumus: *nam & ipſi fiunt per ea, quę ſequuntur, & quibus ſequitur utrumque*, eo quoniam & in ſyllogiſmis, qui fiunt per deductionem ad impoſſibile, inſpiciendum eſt in antecedentia, & conſequentia terminorum, *& eadem conſideratio in utriſque*, & eadem medij habitudo, pro comprobando ſcilicet quolibet problemate, eſt tam in oſtenſiuis, & categoricis, quam in illis, qui fiunt ad impoſſibile, & ex hypotheſi: *nam quod monſtratur oſtenſiue, & per impoſſibile, eſt ſyllogizare*. Ratio cur eodem modo ſe habeant, eſt, propterea quod quicquid monſtratur oſtenſiue, monſtratur etiam per impoſſibile, *& per eoſdem terminos*. medium ſcilicet, & extrema, *& quod per impoſſibile, & oſtenſiue*, & è contrario quod monſtratur per impoſſibile, monſtratur etiam oſtenſiue, *ut quòd A nulli E ineſt*. Dat exemplum ſyllogiſmi deducentis ad impoſſibile de problemate vniuerſali negatiuo, nullu E eſt A, vt inde ſit manifeſtum, quod vniuerſalis negatiua concluditur, & oſtenſiue, & per impoſſibile, & per eandem methodum, & eandem medij habitudinem ad antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum. Inquit igitur, ſit negatiua vniuerſalis concluſio probata per ſyllogiſmum oſtenſiuum, nullum E eſſe A, vt poſuimus ſcilicet ſuperius. *Ponatur enim alicui ineſſe*. Quæ concluſio negetur, vnde aſſumatur contradictorium concluſionis, videlicet aliquod E eſſe A. *Ergo quoniã B omni A: A autem alicui E*. Quia itaque maior ſyllogiſmi oſtenſiui conceſſa eſt quod omne A ſit B: & hæc ſimiliter data eſt, aliquod E eſt A, *& B alicui E inerit*. Sequitur in tertio modo primę figuræ, quòd aliquod E erit B, *ſed nulli inerat*, cuius oppoſitum erat minor prioris ſyllogiſmi oſtẽſiui, videlicet nullum E eſſe B. Sequitur itaque prima concluſio, quòd nullum E ſit A.

Rurſum quod alicui ineſt A: ſi enim nulli E ineſt A, E autem omni G, nulli G inerit A, ſed omni inerat. Similiter autem eſt in alijs propoſitis; ſemper enim erit in omnibus per impoſſibile oſtenſiuo ex ſequentibus, & quibus ſequitur utrũque, & unoquoque propoſito eadem conſideratio, & oſtenſiue uolenti ſyllogizare, & ad impoſſibile ducere; nam ex eiſdem terminis utræque demonſtrationes.

Vbi patefecit exemplo in problemate vniuerſali negatiuo, nos vti iiſdem terminis, & eadem methodo cum in ſyllogiſmis oſtenſiuis, tum etiam in ſyllogiſmis deducentibus ad impoſſibile, hoc idem in hac parte manifeſtat exemplo

A in particulari problemate affirmatiuo, & inquit, quod ſi voluerimus per ſyllogiſmum ex hypotheſi comprobare particularem affirmatiuam concluſionem, aliquod E eſſe A, hoc efficiemus per inſpectionem medij, quod vtrumque terminum, & ſubiectum, & prædicatum antecedat, oſtenſa prius ipſa concluſione per categoricum ſyllogiſmum, tali pacto videlicet.

DA Omne G eſt A.
RA Omne G eſt E. ergo
PII Aliquod E eſt A.

B Quoniam ſi quiſpiam negauerit hanc concluſionem, ſequetur ſua cõtradictoria, quod nullum E eſt A, cui addita minor prioris ſyllogiſmi, quòd ſcilicet omne G eſt E, ex his duabus præmiſſis ſequetur manifeſte falſum, quòd nullum G eſt A, cuius oppoſitum ſupponebatur in maiori prioris ſyllogiſmi, in quo propoſitum fuerat, quod omne G eſt A, & quod dictum eſt ab Ariſtotele de problemate vniuerſali negatiuo, & particulari affirmatiuo, dicendum etiam aſſerit

C de alijs, ſicuti de vniuerſali affirmatiuo, & particulari negatiuo: ſemper enim in vnoquoque problemate oſtenſo per deductionem ad impoſſibile, inſpiciendum eſt in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, & eadem eſt conſideratio quo ad medij habitudinem, & in ſyllogiſmo oſtenſiuo, & in ſyllogiſmo deducente ad impoſſibile, quoniam ex iiſdem terminis ambæ ratiocinationes conſtituuntur. Dicit igitur: *Rurſum quod alicui ineſt A*. Vlterius per eandem methodum, & eoſdẽ terminos demon

D ſtratur particulare problema affirmatiuum, puta quòd aliquod E eſt A. *Si enim nulli E ineſt A*. Si namque negata ea concluſione, aliquod E eſſe A, detur ſua contradictoria, nullum E eſſe A; *E autem omni G*, & ei addatur hæc propoſitio prius conceſſa, quòd omne G ſit E, *nulli G inerit A*, ſequetur concluſio manifeſte falſa, quòd nullum G eſt A, cuius oppoſitum habetur in maiori prioris ſyllogiſmi, ideo ſequitur, *ſed omni inerat*: addit etiam: *Similiter autem eſt in alijs propoſitis*, quod idem eſt quoque in ceteris problematibus,

E videlicet in vniuerſali affirmatiuo, & particulari negatiuo. *Semper enim erit in omnibus per impoſſibile oſtenſio ex ſequentibus, & quibus ſequitur vtrumque*, quod ſcilicet ſemper in vnoquoque problemate demonſtrato per ſyllogiſmum deducentem ad impoſſibile, inſpiciendum erit in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, ſicuti & in vnoquoque problemate per ſyllogiſmum categoricum concluſo, quod habet quando ſequitur, *& unoquoque propoſito*, id eſt in quolibet problemate, *eadem conſideratio*, quoad medij habitudinem, *& oſtenſiue uolenti*

F *ſyllogizare, & ad impoſſibile ducere*, & in ſyllogiſmo categorico, & in ſyllogiſmo ex hypotheſi: *nam ex iiſdem terminis utræque demonſtrationes*: quoniam vtræque ratiocinationes & categorica, & ex hypotheſi ex iiſdem terminis conſtituuntur.

Vt

Vt ſi oſtenſum eſt nulli E ineſſe A, quoniam accidit & B alicui E ineſſe, quod eſt impoſſibile. Si ſumptum ſit E quidem nulli B, A autem omni B ineſſe: manifeſtum eſt enim, quòd nulli E inerit A. Rurſum ſi oſtenſiue ſyllogizatum ſit A ineſſe nulli E, ſuppoſitis ineſſe per impoſſibile monſtrabitur nulli ineſſe. Similiter autem & in alijs.

Cum dixerit eandem conſiderationem eſſe in vnoquoque quæſito comprobando, cum in ſyllogiſmo oſtenſiuo; tum etiam in ſyllogiſmo deducente ad impoſſibile: ſiquidem ambæ hæ demonſtrationes fiunt per eoſdem terminos, & eandem methodum, & poſuerit quomodo vniuerſalis negatiua nullum E eſſe A per deductionem ad impoſſibile demonſtretur, ponit in præſenti quomodo eadem concluſio vniuerſalis negatiua per eoſdem terminos per oſtenſionem comprobetur, & inquit, quod ſicut his ſuppoſitis terminis B omni A, & nulli E ineſſe per viam impoſſibilis colligere poſſumus nullũ E eſſe A, ſupponendo ſcilicet oppoſitum ipſius aliquod E eſſe A, & ſumpta propoſitione, omne A eſſe B. Siquidem ſequitur ex his aliquod E eſſe B, quod eſt oppoſitum illius nullum E eſſe B, ex quo ſequitur, falſam eſſe contradictionem concluſionis poſitam, videlicet, aliquod E eſſe A, & per conſequens concluſionem propoſitam demonſtrandam veram, nempe nullum E eſſe B. Pari ratione per eoſdem terminos per ſyllogiſmum oſtenſiuum poſſumus eandem concluſionè negatiuam vniuerſalem demonſtrate, nullum E eſſe A, ex quo B omni A, & nulli E ineſt: & hoc idem euenit in quocũque alio problemate, quod & in vniuerſali negatiuo, ideo dicit: *Vt ſi oſtenſum eſt nulli E ineſſe A*, veluti ſi per viam impoſſibilis demonſtratum eſt problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſſe A, *quoniam accidit & B alicui E ineſſe*, quia colligitur ex contradictoria poſita concluſionis negatiuæ, aliquod E eſſe B, *quod eſt impoſſibile*, quod fieri non poteſt, *ſi ſumptum ſit E quidem nulli B, A autem omni B ineſſe*, ſuppoſitis terminis, quod omne A ſit B, & nullũ E ſit B. *Manifeſtum enim, quòd nulli E inerit A*; quoniam manifeſte conſtat his terminis poſitis per viam impoſſibilis comprobari dictum problema vniuerſale negatiuum, ſuppoſita contradictoria illius concluſionis, & altera præmiſſarũ, ex quibus ſequitur concluſio manifeſte falſa, aliquod E eſſe B, contra propoſitionem, nullum E eſſe B: quod ideo euenit, quia contradictoria falſa erat; vnde concluſio propoſita vera eſſe demonſtratur. Hoc itaque problema vniuerſale negatiuum, ſicuti per hos terminos E & A demonſtratur per deductionem ad impoſſibile: pari ratione, & per eoſdem terminos per oſten-

A ſionem comprobatur, ideo ſequitur. *Rurſum ſi oſtenſiue ſyllogizatum ſit A, ineſſe nulli E*. Inſuper ſi per ſyllogiſmum oſteſiuum voluerimus idem problema negatiuum vniuerſale demonſtrare, *ſuppoſitis ineſſe per impoſſibile monſtrabitur nulli ineſſe*; ſuppoſitis iiſdem terminis E, & A, ex quibus conſtituta eſt ratiocinatio per viam impoſſibilis, per eoſdem inquam terminos ratiocinabitur quoque eadem concluſio per ſyllogiſmum oſtenſiuum. *Similiter autem & in alijs*. Et idem contingit in quocunque alio problemate, ſcilicet particulari affirmatiuo, vniuerſali affirmatiuo, & particulari negatiuo, quod omne quæſitum, quod demonſtratur per ſyllogiſmum ex hypotheſi, poteſt etiam monſtrari in iiſdem terminis per ſyllogiſmum categoricum.

In omnibus enim neceſſe eſt iis, qui per impoſſibile communem aliquem ſumere terminum alium à ſubiectis, ad quem erit mendacii ſyllogiſmus: quare conuerſa ea propoſitione, altera autem ſimiliter ſe habente oſtẽſiuus erit ſyllogiſmus per eoſdem terminos

Ponit Ariſtoteles cur ambæ demonſtrationes, & oſtenſiua, & per impoſſibile per eoſdem terminos conſtituantur, quoniam ſcilicet in omnibus ſyllogiſmis per impoſſibile oportet extrinſecus ſumere aliquem communem terminum alium a ſuppoſitis, vt puta oppoſitum eius, quod volumus concludere; qui terminus ſcilicet cum altero ex iis, qui in ſuppoſitione ſunt, coniungatur, veramq; propoſitionem efficiat ad concluſionis impoſſibilis demonſtrationem conducentem. Ad quem terminum ſequitur concluſio falſa: non enim intelligit per communem terminum, medium connectens, extrema, ſed eundem aſſumptum & in oſtenſiua demonſtratione, & in hypothetica, veluti quando per impoſſibile demonſtramus nullum E eſſe A; his terminis ſuppoſitis, omne A eſſe B, nullum E eſſe B, ſi negerur ſequi hanc concluſionem, nullum E eſſe A, ſequetur eius contradictoria, aliquod E eſſe A, ex qua & altera præmiſſarum ſuppoſita & conceſſa, ſcilicet omne A eſſe B, concludetur per ſyllogiſmum oſtenſiuum in tertio modo primæ figuræ, aliquod E eſſe B, tali pacto:

DA	Omne A eſt B.
RI	Aliquod E eſt A, ergo
I	Aliquod E eſt B.

Quæ concluſio cum ſit falſa, & impoſſibilis, ſiquidem opponitur alteri ex propoſitionibus ſuppoſitis, nullum E eſſe B, concludimus nos habere propoſitum; quoniam cum id eueniat ob poſitam contradictoriam concluſionis propoſitæ, aliquod E eſſe A, ſequitur eam falſam exiſtere, & ſuam oppoſitam, quæ erat concluſio probanda, veram eſſe, nempe nullum E eſſe A. Ea

itaque

itaque falſa, & impoſſibili concluſione, quæ ſequebatur & falſa ſuppoſitione conuerſa, & in veram mutata, videlicet hæc propoſitio falſa, aliquod E eſt B, in hanc ipſius oppoſitionem conuerſa, nullum E eſt B, & ſumpta altera ex propoſitionibus conceſſis, omne A eſt B, efficitur ſyllogiſmus oſtenſiuus demonſtrans per eoſdem terminos, in quibus efficiebatur ſyllogiſmus ad impoſſibile concluſionem vniuerſalem negatiuam, nullum E eſſe A, in ſecundo modo ſecundę figuræ tali pacto:

CA Omne A eſt B.
ME Nullum E eſt B, ergo
STRES Nullum E eſt A.

Dicit itaque: *In omnibus enim neceſſe eſt ijs, qui per impoſſibile*. In omnibus inquam ſyllogiſmis, qui ducunt ad impoſſibile, oportet *communem aliquem ſumere terminum alium à ſubiectis*, extrinſecus ſumere terminum aliquem communem in ſyllogiſmo oſtenſiuo, & impoſſibili diuerſum a ſuppoſitis terminis, *ad quem erit mendacij ſyllogiſmus*, ad cuius termini poſitionem, & aſſumptionem ſequitur concluſio falſa, & impoſſibilis. *Quare conuerſa ea propoſitione*. Ea itaque falſa concluſione deducta ex falſa hypotheſi, conuerſa, & in veram, ceu oppoſitam mutata: *altera autem ſimiliter ſe habente*, & altera propoſitione ſeruata, ea ſcilicet vbi eſt medium ad maiorē terminum, *oſtenſiuus fit ſyllogiſmus per eoſdem terminos*, in iiſdem terminis ſyllogiſmus, qui erat per impoſſibile, efficitur oſtēſiuus, in ſecundo nēpe modo ſecundę figuræ, vt poſuimus.

D Differt autem oſtenſiuus ab eo qui ad impoſſibile, quoniam in oſtēſiuo ſecundum veritatem ambę propoſitiones ponuntur: in eo autem qui ad impoſſibile, falſa vna; hæc verò erunt magis manifeſta per ſequentia, quando de impoſſibili dicemus: nunc autem tantum nobis ſit manifeſtum, quod ad hęc perſpiciendum, & oſtenſiue volentibus ſyllogizare, & ad impoſſibile deducere.

E Vbi docuerit vtramque demonſtrationem & oſtenſiuam, & deducentem ad impoſſibile in iiſdem terminis verſari, in quibus dicuntur conuenire, in præſenti ponit earum diſcrepantiam. Differt autem oſtenſiuus ſyllogiſmus ab impoſſibili, quoniam oſtenſiuus conſtat ex vtriſque propoſitionibus veris: deducens verò ad impoſſibile ex altera falſa, remittit tamen hāc conſiderationem in ſecūdo libro, quo loci exactius de his pertractaturū pollicetur, in præſenti ſufficit, inquit, ſcire quod ambæ hæ demonſtrationes & oſtenſiua, & per viam impoſſibilis per eandē methodum, & per eoſdem terminos efficiuntur: ſi-

F Tractatus Quartus.

A quidem in vtriſque ipſarum in medij inuētione inſpiciendum eſt in antecedentia, conſequētia, & repugnantia terminorum, vt dictū eſt. *Differt autem oſtenſiuus ab eo, qui ad impoſſibile.* Diſcrepāt demonſtratio oſtenſiua, & impoſſibilis, *quoniam in oſtenſiuo ſecundum veritatem ambæ propoſitiones ponuntur*: quod oſtenſiua cōſtat ex vtriſque propoſitionibus veris: *in eo autem, qui ad impoſſibile falſa vna*: ducens verò ad impoſſibile conſtat ex altera falſa. *Hæc verò erunt magis manifeſta per ſequentia, quando de impoſſibili dicemus*. Verùm hæc

B diſcrepantia erit magis nota in ſequēti libro, vbi exploratius de his, & de impoſſibili pertractabitur. *Nunc autem tantum nobis ſit manifeſtum*. In præſenti ſat ſit noſſe, *quòd ad hæc perſpiciendum*, quod in inuentione medij inſpiciendū eſt in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, *& oſtenſiue volentibus ſyllogizare, & ad impoſſibile deducere*, & volentibus ratiocinari per ſyllogiſmum oſtenſiuum, & inſuper etiam volentibus ratiocinari per ſyllogiſmum deducentem ad impoſſibile.

C In aliis autem ſyllogiſmis quicunque ſunt ex hypotheſi, vt quicunque ſecundum tranſumptionem, aut ſecundum qualitatem in ſubiectis non in prioribus, ſed in tranſumptis erit cōſideratio; modus autem inſpectionis idem. Conſiderare autem oportet, & diuidere quot modis ſunt ex

D hypotheſi: monſtratur ergo vnumquodque propoſitorum ſic.

Poſtquā determinauit & in ſyllogiſmis oſtenſiuis, & ad impoſſibile, qui ſunt ex hypotheſi inſpiciendum eſſe in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum: modo quia plures ſunt ſpecies ſyllogiſmi hypothetici, cum præter impoſſibiles dentur, & qui per tranſumptionem, de quibus in præcedentibus, & etiam qui

E ſecundum qualitatem, vt puta à maiori, à minori, à contrario, & ſimilibus formantur, ideo dicit, quòd in his omnibus eadem eſt inſpectio medij, & quòd regula tradita eſt generalis: ſiquidem inſpiciendum eſt in eis in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum; verùm in his non de ſubiectis, & a principio poſitis erit inquiſitio, & ſelectio, ſed in tranſumptis, de his ſcilicet, de quibus demonſtratiua ratiocinatio fit. Quod autem in omnibus ſyllogiſmis hypotheticis eadem ſit conſideratio, manifeſtabitur, inquit, ſi quiſ-

F piam diuiſionem ſyllogiſmorum ex hypotheſi fecerit, vnde concludit vnumquodque ex huiuſcemodi habitudine, & inſpectione demonſtrari, dicens: *In alijs autem ſyllogiſmis quicunque ſunt ex hypotheſi*, in reliquis ratiocinationibus ex ſuppoſitione, *vt quicunque ſecundum*

tranſumptionem, veluti ſe habent illi, qui ſunt formati ſecundum locum a tranſumptione, *aut ſecundum qualitatem*, & illi qui ſecundum qualitatem formantur, vt à maiori, a minori, a contrario, & huiuſmodi, *in ſubiectis, non in prioribus ſed in tranſumptis erit conſideratio*, in ſuppoſitis non erit ſelectio in poſitis à principio, ſed in ijs, de quibus ratiocinatio, & demonſtratio fit. *Modus autem inſpectionis idem*. Verùm in his eadem erit ſelectio, ſicuti & in oſtenſiuis, & ad impoſſibile, quod ſcilicet inſpiciendum erit in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum. *Conſiderare autem oportet, & diuidere quot modis ſunt ex hypotheſi*. Quod autem ſic ſe habeant, manifeſtabitur, ſi quiſpiam diuiſerit omnes ſyllogiſmos hypotheticos, & eos conſiderauerit: *monſtratur ergo vnumquodque propoſitorum ſic*. Concludendum itaque, quòd vnaquæque quæſtio tali pacto demonſtrari debeat.

Notandum ex magno Alberto hoc in loco, q̄ trāſumptio dicitur dupliciter, generaliter, & ſpecialiter: generaliter ea dicitur tranſumptio quādo procedimus de vno in aliud, & a concluſione non principaliter intenta ad concluſionem principaliter propoſitam, veluti in ſyllogiſmo per viam impoſſibilis: tranſumptio autem ſpecialis ea eſſe dicitur, in qua procedimus à minus noto ad magis notum, vel è conuerſo, & eſt in ſyllogiſmis, qui formantur ſecundum locos prędictos.

Sequitur textus.

Eſt autem & alio modo quædam ſyllogizare horum, vt vniuerſalia per particularem inſpectionem ex hypotheſi. Si enim C, & G eadem ſint; ſolum G autem ſumatur E ineſſe, omni E inerit A: & rurſum ſi G & D eadem; ſolum autem de G prædicetur E, quòd nulli E inerit A. Manifeſtum ergo quòd ſic inſpiciendum.

Determinauit in ſuperioribus Ariſtoteles, quomodo vnumquodque problema demonſtretur per ſyllogiſmum oſtenſiuum, & inſuper per viam impoſſibilis ſecundum tranſumptionem, & qualitatem; nunc docet etiam alio modo ex hypotheſi problemata vniuerſalia demonſtrari poſſe, quando ſcilicet ex hypotheſi prius cōceſſa concluditur vniuerſale per particularem inſpectionem.

Vniuerſale affirmatiuum ſi ſupponatur, quòd C antecedens prædicati, & G antecedens ſubiecti ſint idem, quòd G conuertibile ſit cum E ſubiecto, ita vt E ſoli, & omni G; & è cōuerſo, G ſoli, & omni E, inſit: nam cum A inſit omni C, etiam inerit omni G idem quod C: & cū G inſit omni E, etiam C, quod idem eſt, quod G omni E inerit: quapropter A omni C ineſſe concluditur.

A Vniuerſale negatiuum per particulare demōſtrabitur, ſuppoſito quòd D repugnans prædicato ſit idem cum G, quod antecedit ſubiectum, cum quo ſubiecto conuertatur, quoniam ſi A nulli D ineſt, etiam nulli G idem quod D inerit: at G ſoli, & omni E ineſt. A itaque nulli E inerit, & ſic habemus quòd vniuerſale problema affirmatiuum, quod demonſtrabatur, ſi antecedens prædicatum, & conſequens ſubiectum erant idem; comprobatur inſuper per particulare, ſi antecedentia vtrumque terminum idem

B fuerint, quæ erat inſpectio in problemate particulari affirmatiuo demonſtrando, hoc tamen inſuper ſuppoſito quòd antecedēs ſubiectum cum eo conuertatur. Pariter vniuerſale problema negatiuum, quod colligebatur quando repugnans ſubiecto, & conſequens prædicatum ſunt idem, etiam alio modo demonſtratur per particulare, ſuppoſito nempe quòd repugnans prædicato, & antecedens ſubiectum ſint idem; quo pacto particulare negatiuum concludebatur, hoc inſuper addito ex ſuppoſitione, quòd ante-

C cedens ſit proprium, & cōuertibile cum ſuo ſubiecto termino. *Eſt autem & alio modo quædam ſyllogizare horum*. Contingit inſuper & alio modo a declaratis demonſtrare quædam ex poſitis problematibus, *vt vniuerſalia per particularem inſpectionem ex hypotheſi*, vti problema vniuerſale affirmatiuum, & vniuerſale negatiuum ex hypotheſi prius conceſſa, exemplum problematis vniuerſalis affirmatiui. *Si enim C & G eadem ſint*. Si namque C antecedens prædicatum, & G antecedens ſubiectum ſint idem; *ſolum G au-*

D *tem ſumatur E ineſſe*, & ſupponatur G antecedens conuertibile eſſe cum E ſubiecto, ita vt ei ſoli & omni ſemper inſit, & è conuerſo, *omni E inerit A*, ex tali inſpectione concludetur problema vniuerſale affirmatiuum, omne E eſſe A, exemplum problematis vniuerſalis negatiui addit, dum dicit: *Et rurſum ſi G & D eadem*. Vlterius ſi G antecedens ſubiectum, & D repugnans prædicato fuerint idem: *ſolum autem de G prædicetur E*, & G antecedens ſubiectum E cum eo conuertatur, ita vt E ſoli G inſit, *quod nulli E*

E *inerit A*, concludetur vniuerſale negatiuum, nullum E eſſe A. *Manifeſtum ergo, quod ſic inſpiciendum*. Conſtat itaque in omnibus hypotheticis ſyllogiſmis inſpiciendum eſſe ad medij inuentionem, vt dictum eſt.

Eodem autem modo & in neceſſarijs, & in contingentibus; nam eadem conſideratio, & per eoſdem ter-

F minos erit, eodemq́; ordine, & contingentis, & ineſſe ſyllogiſmus. Sumendum autem & in contingentibus, & quæ non inſunt; poſſibilia autem ineſſe; oſtenſum eſt enim quòd & per hæc fit contingentis ſyllogiſmus.

mus. Similiter autem ſe habebit, & in aliis prædicationibus.

Cum determinauerit per quàm methodum debemus colligere concluſiones de ineſſe, & quomodo medium adinuenire in eis facile valeamus, aſſerit per eandem methodum, & eandem inſpectionem terminorum colligi quoque concluſionem modalem, cum neceſſariam, tum contingentem; facta tamen in his demonſtrandis ſelectione terminorum de neceſſario, & de contingenti ſicuti in eis terminorum de ineſſe, & ne dum de contingenti in actu exiſtenti, ſed etiam de contingenti proprie, & ſi non actu exiſtenti, poſſibile tamen ineſſe, & quod declarat de prædicationibus contingentibus, & neceſſarijs, etiam ſtatuit in reliquis modalibus euenire, dicens: *Eodem autem modo & in neceſſarijs, & in contingentibus.* Per eandem methodum demonſtrantur etiam concluſiones modales, cum neceſſariæ, tum contingentes: *nam eadem conſideratio, & per eoſdem terminos erit:* nam in his erit eadem inſpectio quo ad medij ſelectionem, & habitudinem, & per eoſdem terminos fiet ratiocinatio quo ad antecedentia, conſequentia, & repugnantia, *eodemq; ordine & contingentis, & ineſſe ſyllogiſmus*, & omnino per eandem viam ſe habet ſyllogiſmus de ineſſe, & de contingenti, quoniam in colligenda concluſione de ineſſe, ſumimus terminos de ineſſe; in colligenda concluſione de contingenti; accipimus terminos contingentes. *Sumendum autem & in contingentibus, & quæ non inſunt; poſſibilia autem ineſſe.* Verùm non ſolum ſumere debemus contingens actu, ſed & quod actu non exiſtit; ſed tamen poteſt ineſſe. *Oſtenſum eſt enim quòd & per hæc fit contingentis ſyllogiſmus*, quoniam in ſuperioribus monſtratum fuit per huiuſcemodi contingentia fieri ſyllogiſmum de contingenti. *Similiter autem ſe habebit & in alijs prædicationibus*, quod intelligit de alijs modalibus. Verùm dicta ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XXX. de ſyllogiſmis Aſſertorijs, Ad impoſſibile, & reliquis, qui ex hypotheſi pro Iuris ſtudioſis.

ETſi arduum, & difficile ſit quæcunque docentur à Philoſopho in ſingulo quoque capite ad vſum Iuris ciuilis accommodare, tamen ne videar à propoſito diſcedere, etiam in hoc capite quædam breuiter attingam.

Habemus namque ſummatim ab Ariſtotele, quòd quicquid demonſtratiue colligitur, per eandem methodum, & per eoſdem terminos etiam per hypotheſim, ſiue ex ſuppoſitione demonſtratur. Quod manifeſtum facit tum de problemate vniuerſali negatiuo, tum inſuper de

A problemate particulari affirmatiuo, vt penes eũ eſt videre, & in explicatione capitis.

Nunc remanet docere eundem vſum in ſciẽtia Iuris, præmiſſis terminis deſumptis in tit. Digeſtorum de ritu nupt. & in ſuperiori capite declaratis, videlicet ſubiecto & prædicato ibidem poſitis.

Demonſtrabimus autem problema vniuerſale negatiuum ex hypotheſi ſumptis ſocietate vitæ, quæ conſequitur prædicatum, & concubinatu, qui repugnat ſubiecto hunc in modum ſyl- B logizantes.

CA	Omne iuſtum eſt vitæ ſocietas.
ME	Nullus concubinatus eſt vitę ſocietas, ergo
STRES	Nullus concubinatus eſt iuſtus.

Hæc concluſio demõſtrata per ſyllogiſmum oſtenſiuum, deducitur etiam ex hypotheſi per viam impoſſibilis.

Si quis namque negauerit hanc cõcluſionem eſſe veram, dabitur contradictoria, quòd aliquis C concubinatus ſit iuſtus, cui ſi addita fuerit maior ſyllogiſmi oſtenſiui, quod omne iuſtum eſt vitæ ſocietas, concludetur, quòd aliquis concubinatus eſt vitæ ſocietas, quod eſt impoſſibile. Siquidem eſt contra minorem prioris ſyllogiſmi conceſſam, quòd nullus concubinatus eſt vitæ ſocietas; ſed hæc concluſio falſa, & impoſſibilis: ideo ſequitur per hypotheſim; ergo ſuppoſitio quæ erat, aliquis cõcubinatus eſt iuſtus, falſa erit, & vera ſua contradictoria, quæ extitit concluſio propoſita, quòd nullus concubinatus ſit iuſtus.

D Demonſtrabimus etiam problema particulare affirmatiuum per eandem methodum, & per eoſdem terminos, ſumptis conſenſu maris & fœminæ, qui antecedit ſubiectum, & ætate legitima, quæ antecedit prædicatum, in hunc modum ex hypotheſi.

DA	Omnis conſenſus maris & fœminæ ſit in ætate legitima.
RA	Omnis conſenſus maris & fœminæ eſt iuſtus, ergo
PTI	Aliquod iuſtum ſit in ætate legitima.

E Quæ concluſio comprobabitur per viam impoſſibilis ex hypotheſi tali pacto: quia ſi quiſpiam negauerit hanc concluſionem eſſe veram, ſequetur ſua contradictoria, ſcilicet quòd nullum iuſtum ſit in ætate legitima; cui ſi addatur minor prioris ſyllogiſmi, quòd omnis conſenſus maris & fœminæ eſt iuſtus, ſequitur manifeſte falſum, & impoſſibile, quòd nullus conſenſus maris & fœminæ ſit in ætate legitima, contra maiorem prioris ſyllogiſmi: ſed id euenit F per hypotheſim datam, quòd nullum iuſtum ſit in ætate legitima; ergo falſa hæc hypotheſis, & eius contradictoria, quæ eſt concluſio propoſita, vera ſcilicet, aliquod iuſtum fieri in ætate legitima.

Et ſuper hoc capite dicta ſatis pro Iuris ſtudioſis.

Quòd omnium ſcientiarum ſyllogiſmi ſuperioribus pręceptis efficiantur. *Cap.* XXXI.

MAnifeſtum ergo ex prædictis, quòd non ſolum poſſibile eſt per hanc viam fieri omnes ſyllogiſmos, ſed etiam quòd per aliã impoſſibile; omnis enim ſyllogiſmus oſtẽſus eſt, quòd per aliquã prædictarum figurarũ fit: has autem non contingit per alia cõſtitui, quàm per ſequentia, & quæ ſequitur vnumquodque. Ex his enim propoſitiones, & medij ſumptio; quare nec ſyllogiſmus poſſibile eſt fieri per alia.

In principio huius capitis infert Ariſtoteles ex dictis conſtare nedum omnem ratiocinationem in terminis declaratis conſtitui, & per dictam methodum; verùm inſuper nullam aliam viam dari, quoniã omnis ratiocinatio fit in vna ex tribus figuris, in quibus tum in componendis propoſitionibus, tum inſuper in inuentione medij ſyllogiſtici inſpiciendum eſt in antecedẽtia, conſequentia, & repugnantia terminorum: quapropter videtur manifeſte nullã aliam dari methodum præter poſitam ad facilem inuẽtionem medij ſyllogiſtici pro abundantia, & copia propoſitionum. *Manifeſtum ergo ex prædictis.* Conſtat igitur ex declaratis, *quòd non ſolum poſſibile eſt per hanc viam fieri omnes ſyllogiſmos*, quòd non ſolum per dictam methodum poſſumus in omni ratiocinatione abundare copia, & abundantia propoſitionum, *ſed etiam quòd per aliam impoſſibile*, ſed inſuper patet, quòd nõ datur alia via a prędicta: *omnis enim ſyllogiſmus oſtenſus eſt, quòd per aliquam prædictarum figurarum fit*, quoniã cum fuerit demonſtratum omnem ratiocinationem conſtitui in tribus figuris: *has autem non contingit per alia conſtitui.* At huiuſcemodi figurę & modi ex alijs effici nõ poſſunt, *quam per ſequentia, & quæ ſequitur vnumquodque*, niſi ex antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus. *Ex his enim propoſitiones, & medij ſumptio.* Ex quibus componuntur propoſitiones, & ſumitur medium; *quare nec ſyllogiſmus poſſibile eſt fieri per alia.* Quapropter nec per aliam methodum, quam per declaratam valemus abundare copia propoſitionum; & ratiocinationem concludere.

Ergo methodus quidem de omnibus eadem eſt, & circa Philoſophiã, A & circa artem, & quamlibet diſciplinã: oportet enim quæ inſunt, & quibus inſunt circa vnumquodque colligere, & his quamplurimis abundare, & hoc per tres terminos conſiderare deſtruentem quidem ſic; conſtruentem verò ſic, & ſecundum veritatem quidem ex ijs, quæ ſecundum veri- B tatem ſcripta ſunt ineſſe: ad Dialecticos autem ſyllogiſmos, ex propoſitionibus quæ ſunt ſecundum opinionem.

Poſtquam declarauit nullam aliam dari methodum præter determinatam pro facili inuentione medij, & abundantia propoſitionũ in ſyllogiſmis, nunc ſtatuit hanc methodum eſſe vniuerſalem, quoniam omnis ratiocinatio in ſcien- C tijs, vti in Philoſophia, artibus, & quibuſcunque diſciplinis per dictam viam conſtituitur: vnuſquiſque namque artifex, qui ratiocinatione vtitur, debet conſiderare antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, eaq; in tribus terminis, in quibus cõſtituitur ſyllogiſmus, componere; alio modo tamen in negatiuis, & alio modo in affirmatiuis problematibus, vt vidimus in præcedentibus, & inſuper in veris & demonſtratiuis ſyllogiſmis oportet ſumere terminos, qui ſint veri & neceſſarij: in dialecticis verò D probabiles qui tales omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus videantur. *Ergo methodus quidem de omnibus eadem eſt.* Methodus itaque & via declarata inſeruiet omnibus, qui ratiocinatione vtuntur, *& circa Philoſophiam*, vel ille artifex ſit ſcientificus, vt Philoſophus, *& circa artem*, vel ſit inferior, vt Logicus, Rethoricus, & ſimiles, *& quamlibet diſciplinam*, vel ſit alterius facultatis & diſciplinæ, quæcunque ſit, quæ ſyllogiſmo vtatur. *Oportet enim quæ inſunt*; nam neceſſe eſt prędicata, *& quibus inſint circa vnumquodque colligere*, & E ſubiecta, quibus illa prædicata inſunt ſpectare & inquirere, *& his quãplurimis abundare*, & hos terminos quamplurimos in promptu habere, *& hoc propter tres terminos conſiderare*, ad hoc vt tres terminos, ex quibus conſtituitur ſyllogiſmus, componere poſſimus, & ea antecedentia, conſequentia, & repugnantia accipere ad rem propoſitam conducentia, *deſtruentem quidem ſic*, in negatiua concluſione vno modo, *conſtruentem verò ſic*, & in affirmatiua alio modo, *& ſecundum veritatem quidem*, & in ſyllogiſmis veris, & neceſſa- F rijs, *ex ijs quæ ſecundũ veritatem ſcripta ſunt ineſſe*, ſumendi ſunt termini neceſſarij, & veri. *Ad dialecticos autem ſyllogiſmos*, in dialecticis verò & probabilibus, *ex propoſitionibus quæ ſunt ſecundum opinionem*; ſumendi ſunt termini probabiles, qui omnibus pluribus, vel ſapientibus tales videantur.

Prin-

Principia autem ſyllogiſmorum vniuerſaliter quidem dicta ſunt, & quomodo ſe habeant, & quomodo oportet inquirere ea, quatenus non aſpiciamus ad omnia, quæ dicuntur; neque eadem conſtruentes, & deſtruentes, neque conſtruentes de omni, aut de aliquo, deſtruentes ab omnibus, aut ab aliquibus, ſed ad pauciora, & determinata.

Breuiter in hac parte ex hactenus declaratis colligit Ariſtoteles conſtare in vniuerſali, quæ ſint propoſitiones, ex quibus conſtituuntur ſyllogiſmi, & in quibus terminis earum inquiſitio, & ſelectio fiat, quod ſcilicet non eſt inſpiciendũ ad eadem, quando volumus negatiue & affirmatiue concludere vniuerſaliter & particulariter, ſed ad ea, quæ ſunt propria & determinata C vniuſcuiuſque quęſtionis, prout expoſitum fuit. ***Principia autem ſyllogiſmorum vniuerſaliter quidem dicta ſunt.*** Dictum eſt in communi ex quibus propoſitionibus conſtituuntur, & componuntur ſyllogiſmi, ***& quomodo ſe habeant,*** ſcilicet ad ſyllogiſmi conſtitutionem, & compoſitionem, ***& quomodo oportet inquirere ea***, & ex quibus terminis oportet ea inquirere, & ipſam ſelectionem facere, ***quatenus non aſpiciamus ad omnia, quæ dicuntur,*** quod puta non eſt inſpiciendum, in omnes terminos declaratos in omnia antecedẽtia, D conſequentia, & repugnantia in ſingulis problématibus, ***neque eadem conſtruentes, & deſtruentes,*** quia non eoſdem terminos cõſiderare debemus in quæſtione affirmatiua, & in quæſtione negatiua, ***neque cõſtruentes de omni, aut de aliquo,*** neque in quæſtione affirmatiua vniuerſali, neque in quæſtione affirmatiua particulari, ***deſtruentes ab omnibus, aut ab aliquibus***, pariter non conſiderabimus eoſdem terminos in quæſtione negatiua vniuerſali, neque particulari: eſſet enim confuſio quædam, & difficultas, ***ſed ad pauciora & determinata***, E ſed ad propria determinata cuilibet quęſtioni, & eo modo, quem docuit: ex his namque & facilius, & citius medium inuenitur.

Secundum ſingulum autem eorum, quæ ſunt eligere, vt de bono, aũt diſciplina. Propria autem in vnaquaque ſunt plurima; quare princi- F pia quidem quæ ſunt circa vnumquodque experimento eſt cognoſcere: dico autem vt Aſtrologicam quidem experientiam aſtrologicæ diſciplinæ; ſumptis enim ſufficien- A ter apparentibus, ſic inuentæ ſunt aſtrologicæ demonſtrationes. Similiter autem & circa quamlibet aliam ſe habet & artem, & diſciplinam; quare ſi ſumantur quæ inſunt circa vnumquodque noſtrum erit iam demonſtrationes prompte declarare. Si enim nihil ſecundum hiſtoriam B omittatur eorum, quæ ſubtiliter, & vere inſunt rebus, habebimus de omni (cuius quidem eſt demonſtratio) hanc inuenire, & demonſtrare. Cuius autem non nata eſt demonſtratio, hoc facere manifeſtum. Vniuerſaliter ergo quo oportet modo C propoſitiones eligere penè dictum eſt. Per diligentiam autem pertranſiuimus in eo negotio, quod circa dialecticam eſt.

Cum dixerit ſuperius ſe in communi declaraſſe & quibus, & quomodo conſtituantur, & veniantur principia ſyllogiſmorum, aſſerit in præſenti, quod in conſtitutione dictorum ſyllogiſmorum debemus accipere ea principia, quę propria ſunt illius diſciplinæ & facultatis, quæ D eſt peculiaris rei demonſtrandæ, quæ principia ſunt quamplurima, vt ſi propoſitum fuerit ſyllogizare de bono, quòd ſpectat ad moralem philoſophiam, debemus deſumere principia propria philoſophiæ moralis, ſi theorema demonſtrandum ſit naturale, eligenda ſunt propria principia ſciẽtiæ naturalis, & ſic de alijs. Si enim facta fuerit hæc ſelectio per peritos illius diſciplinæ ad quam ſpectabit problema per aliquem demonſtrandi, & ratiocinandi facultate prædi- E tum, fiet demonſtratio rei propoſitæ, ſi demonſtrabilis fuerit, ſin aliter, id poterit facere manifeſtum, & ita concludit ſe in vniuerſali determinaſſe in hoc capite de principijs ſyllogiſmorũ, & copia, & abundantia propoſitionum in vnoquoque problemate, de quibus diſtincte, & exacte teſtatur in Topicis pertractaſſe, & inquit: ***Secundum ſingulum autem eorũ, quæ ſunt eligere.*** Sunt tamen deſumenda principia propria vniuſcuiuſque rei in ſcientia peculiari rei demonſtrandæ, ***vt de bono***, vt ſi theorema propoſitum fuerit F de bono, debemus accipere propria principia in morali philoſophia, in qua agitur de bono; & conſiderare antecedentia, conſequentia, & repugnantia ipſius boni, ex illis principijs, ***aut diſciplina***, ſi propoſitum problema fuerit de ſcientia, debemus aſſumere propria principia ſcientiæ. ***Propria autem in vnaquaque ſunt plurima.*** Propria principia verò vniuſcuiuſque

ſcientiæ multa ſunt: *quare principia quidem, quæ ſunt circa vnumquodque experimento eſt cognoſcere.* A Quæ principia cum ſint quamplurima in qualibet ſcientia propria ad aliquam ſerè demonſtrandam ad hoc vt cognoſcantur, opus eſt experientiâ & vſu. *Dico autem vt Aſtrologicam quidem experientiam aſtrologicæ diſciplinæ*, veluti ſi quæſtio propoſita fuerit rei attinentis ad aſtrologiam, oportet ad hoc vt principia propria huius quæſtionis ſeligere valeamus è ſcientia aſtrologica, habere vſum, & ſcientiam ipſius aſtrologiæ. *Sumptis enim ſufficienter apparentibus, ſic inuenta ſunt aſtrologicæ demonſtrationes.* B Sumptis namque in Aſtrologia principijs, quæ videntur apparenter eſſe antecedentia, conſequentia, & repugnantia quæſtionis aſtrologicæ demonſtrandæ, erit inuentum quoque medium aptum ad faciendam talem demonſtrationem. *Similiter autem & circa quamlibet aliam ſe habet & artem.* Eodem pacto ſicuti in Aſtrologico theoremate procedere debemus in vnaquaque arte, quod cognoſcere debet præditus illius experientia & C vſu propria principia ipſius ad hoc; vt ſeligere ſciat terminos aptos pro theoremate propoſito demonſtrando, *& diſciplinam*, & omnino in quacunque facultate, & ſcientiâ. *Quare ſi ſumantur quæ inſunt circa vnumquodque.* Quapropter ſi acceperimus prædicata propria vniuſcuiuſque rei & principia determinata, *noſtrum erit iam demonſtrationes prompte declarare*, erit in noſtra poteſtate ſingulum theorema propoſitum demonſtratione concludere cum facilitate. *Si enim nihil ſecundum hiſtoriam* D *omittatur.* Si namque ſecundum enarrationem factam nihil prætermittatur, *eorum quæ ſubtiliter & vere inſunt rebus*; illorum antecedentium, conſequentium, & repugnantium, quæ proprie inſunt, aut remouentur a ſingulis rebus, *habebimus de omni (cuius quidem eſt demonſtratio) hanc inuenire, & demonſtrare*, poterimus de vnaquaque re demonſtranda principia ipſius demonſtrationis adinuenire, & demonſtrationem conficere. *Cuius autem non nata eſt* E *demonſtratio.* Illius autem rei, quæ fuerit indemonſtrabilis, vt ſunt communia principia, definitiones, & huiuſmodi, *hoc facere manifeſtum*; habebimus poteſtatem cognoſcendi, & manifeſtandi; quod demonſtrari minime valeat. *Vniuerſaliter ergo quo oportet modo propoſitiones eligere pené dictum eſt.* Quomodo itaque principia adinuenienda ſint ad hoc, & medium ſyllogiſmi in promptu ſit; hactenus dictum eſt in communi. *Per diligentiam autem pertranſiuimus in eo negotio, quod circa dialecticam eſt.* Exa- F ctius autem, & diſtinctius pertractauimus in Topicis, non quidem pertranſeundo in communi & in vniuerſali, ſed circa ſingula immorando.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Cap. XXXI. Quòd omnium ſcientiarum ſyllogiſmi ſuperioribus præceptis efficiantur pro Iuris ſtudioſis.

Habemus in præſenti capite, quòd in qualibet diſciplina, & ſcientia vti debemus methodo declarata pro facili inuentione medij ſyllogiſtici, & pro copia, & abundantia propoſitionum, quòd ſcilicet inſpiciendum eſt in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, ex quibus componuntur principia in vnaquaque quæſtione, quæ principia in vnoquoque problemate deſumenda ſunt in ea facultate, ad quam ſpectat problema propoſitum demonſtrandum, vt ſi problema ſit morale, puta de bono, principia deſumenda ſunt in ſcientia morali.

Sic ad rem noſtram, Si quæſtio propoſita ſit ciuilis, videlicet quòd omnis emptio ſit contractus pro demonſtrando hoc theoremate ſumere debemus principia in ſcientia ciuili; in qua de contractu agitur. Quando enim peritus iuris ciuilis ſeligerit antecedentia, conſequentia, & repugnantia horum terminorum, contractus ſcilicet & emptionis in iure ciuili, ſi fuerit demonſtrandi facultate præditus facile ratiocinabitur rem propoſitam. Si namque in tit. Inſt. de obl. ex conſenſu conſequenti de empt. & vend. acceperit obligationē ex conſenſu, quæ antecedit contractum, & arrham, quæ cum ſequenti de empt. & vend. acceperit obligationem ex cōſenſu quę antecedit contractum, & arrham quæ conſequitur emptionem eſſe idem, facile concludet quęſtionem probandam tali pacto ratiocinando in prima figura.

BAR Omnis obligatio ex conſenſu eſt contractus.
BA Omnis emptio, cum ſit arrha, eſt obligatio ex conſenſu, ergo
RA Omnis emptio eſt contractus.

Et ſic in quolibet alio problemate: vnde eſt videre, quomodo maximæ ſit vtilitatis iuris ſtudioſo cognitio logicæ facultatis pro facili confirmatione ſuæ cauſæ, quæ eſt potior pars cuiuslibet ciuilis actionis.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſis.

De diuiſione, & eius ſyllogiſmo. Caput XXXII.

Qvod autē diuiſio per genera, parua quædā particula eſt dictæ methodi facile eſt uidere. Eſt enim diuiſio ueluti infirmus ſyllogiſmus; nā quod oportet quidē oſtendere, petitur; ſyllogizatur uerò ſemper aliquid ſuperiorum.

Inten-

Intentio Ariſtotelis eſt reijcere opinionē antiquorum, qui cenſebant methodum diuiſiuam ſufficientem eſſe ad inuentionem medij ſyllogiſtici pro copia, & abundantia propoſitionum, & præſertim diuiſionem, quæ eſt per contradictoriam ſiue generis in ſpecies, quę eſſentialis & formalis eſt: dicebat enim quòd per hanc indagamus definitionem, quæ eſt mediū in demonſtratione. Inquit itaque Ariſtoteles, quòd hęc eſt exigua, & minima pars tradita methodus, quatenus ſcilicet demonſtratio proprie fit per definitiones, & definitiones fiunt nō ſine diuiſiua methodo, non tamen eſt ſufficiens ad hoc vt neceſſitate ſyllogiſtica concludatur concluſio; eſt enim perfectus ſyllogiſmus: ſiquidē per eam nihil eſt oſtēdere per ſe niſi fuerit adiuta tradita methodo, neque habet perfectam medij habitudinem; propterea quod non oſtēdit, quod proponit, ſed illud petit, & oſtendit aliquod vniuerſalius propoſito, veluti ſi propoſitū ſit oſtendere, quòd omnis homo ſit rationalis, accipit genus vt conceſſum, ſine demonſtratione, nēpe animal, quòd genus partitur in proprias differentias, ſcilicet rationale, & irrationale, & ſic facit ſyllogiſmum, omne animal eſt vel rationale, vel irrationale, omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt vel rationalis, vel irrationalis, non irrationalis, ergo rationalis; ecce quomodo in primis concludit aliquod vniuerſalius propoſito, veluti quòd omnis homo ſit rationalis, vel irrationalis, cum principale intentum ſit demonſtrare, quòd omnis homo ſit rationalis; deinde accipit vt conceſſum, quòd omnis homo non ſit irrationalis; ex quo infert, quòd ſit rationalis, & ſic petit quod concludi debebat. Dicit igitur: *Quod autem diuiſio per genera*. Quòd verò methodus diuiſiua, quæ eſt generis in ſpecies, *parua quædam particula eſt dictæ methodi*, ſit quædam minima pars methodus declaratæ, & per conſequens per ſe non ſit ſufficiens ad inuentionem medij ſyllogiſtici, *facile eſt videre*, facile eſt conſpicere, *eſt enim diuiſio veluti infirmus ſyllogiſmus*. Diuiſio namque eſt ſyllogiſmus imperfectus, *nam quod oportet quidem oſtendere petitur*: propterea quod accipit vt conceſſum, quod erat demonſtrandum. *Syllogizatur verò ſemper aliquid ſuperiorum*, & ſemper ſyllogiſmo concluditur aliquod vniuerſalius propoſitare demonſtranda, vt vidimus.

Primum autem idē hoc latuit omnes vtētes ea, & ſuadere conati ſunt, quod eſſet poſſibile de ſubſtātia, demōſtrationem fieri, & de eo quod eſt quid; quare neque quod contingebat ſyllogizare eos qui diuidunt, intellexerunt, neque quod contingebat ſic, quemadmodum diximus.

Vlterius reprehēdit Ariſtoteles antiquos, qui methodo diuiſiua vtebantur, quod ſubſtantię, &

A definitionis demonſtrationem eſſe putarunt; & propterea vniuſcuiuſque rei definitionem methodo diuiſiua colligere, & demōſtrare conarentur, cum tamen de definitione, vt alias docuit in ſecundo Poſt. libro nō poſſit eſſe demonſtratio, quoniam licèt in demonſtratione mediū ſit definitio, non tamen fit demonſtratio de ipſa. Ignorabāt itaque antiqui, & quòd per diuiſiuam methodum nihil poteſt ratiocinari, & inſuper methodum traditam ab Ariſtotele aptam ad ratiocinādum, & inquit: *Primum autem idem hoc latuit,*

B *omnes vtentes ea*, quod ſcilicet petitur, quod concludi debet, & ſi quid oſtenditur, eſt vniuerſalius re propoſita demōſtranda, *& ſuadere conati ſunt, quod eſſet poſſibile de ſubſtantia, demonſtrationē fieri, & de eo quod quid eſt*, & exiſtimarunt per methodum diuiſiuam, de ſubſtantia, quæ eſt definitio demonſtrationem fieri, & vniuſcuiuſque rei definitionem ſyllogiſmo concludi poſſe. *Quare neque quod contingebat ſyllogizare eos, qui diuidunt, intellexerunt.* Quapropter ignorarunt, quòd nihil ratiocinari poteſt per methodum diuiſiuam, per

C quam contingebat vniuerſalius propoſitū concludi, & petitionem fieri eius, quod demonſtrari oportebat, *neque quod contingebat ſic quemadmodum diximus*, & inſimul neſcierunt, quòd volenti ſyllogizari opus eſt vti methodo per eundem tradita, & declarata.

Ergo in demonſtrationibus quidem cum oporteat quid ſyllogizare, oportet medium, per quod fit ſyllo-

D giſmus, minus ſemper eſſe & nō vniuerſaliter de prima extremitate. Diuiſio autem cōtrarium vult, nam vniuerſalius ſumit medium. Sit enim animal quidem in quo A, mortale autē in quo B, & immortale in quo C; homo verò, cuius terminum oportet ſumere in quo D; omne ergo animal

E accipit aut mortale, aut immortale. Hoc autem eſt quicquid erat A, omne eſſe aut B, aut C. Rurſum hominem ſemper qui diuidit, ponit animal eſſe; quare de D ſumit A eſſe, ergo ſyllogiſmus quidem eſt quod D, aut B, aut C omne erit; quare hominē aut mortalem, aut immortalem oportet

F ſumere: nam mortale quidē, aut immortale eſſe neceſſarium eſt animal; mortale autem non neceſſarium eſt, ſed petitur: hoc autē erat quod oportebat ſyllogizare.

Declárat Ariſtoteles, quòd diuiſiua methodus ſit inutilis ad ſyllogizandum, eò quoniã aut oſtendit aliquod vniuerſalius propoſito, aut petit quod demonſtrare debet. Hoc autem manifeſtat exemplo in elemẽtis A,B,C,D, loco animalis, mortalis, immortalis, hominis, & inquit, ſit animal, quod eſt mediũ in quo A, mortale, quod eſt maius extremum, quod debet cõcludi de minori, ſit in quo B, & quia ſumitur per diuiſionẽ; vnde neceſſe eſt, ſint duo; ſit itaque immortale in quo C: homo verò minus extremum, cuius terminum, hoc eſt definitionem de ipſo prædicatam, debet concludere, ſit in quo D, ratiocinantes itaque per methodum diuiſiuam dicimus, quòd omne animal aut eſt mortale, aut immortale, hoc eſt omne A, aut B, aut C, & ſumimus quòd omnis homo eſt animal, videlicet quod omne D eſt A; quare concludimus, quòd omnis homo aut eſt mortalis, aut immortalis, quòd omne D aut eſt B, aut eſt C, quod eſt cõmunius propoſito: ſiquidem de D, puta de homine, non debet concludi niſi B, ſcilicet mortale, non B, C mortale, & immortale, & ſi ſumatur, quòd D ſit B, quòd homo ſit mortalis, petetur id quod probandum erat: hoc enim ex ſyllogiſmo inducto non cõcluditur, niſi quòd homo ſit animal mortale, vel immortale, quòd non eſt de definitione hominis, cuius definitionis partes debent tanquam maiores extremitates concludi de homine, vti de minori extremitate. Dicit itaque: *Ergo in demonſtrationibus quidem cum oporteat quid ſyllogizare*, Quapropter cum per ſyllogiſmum demonſtratiuum aliquid concludere volumus, *oportet medium, per quod ſit ſyllogiſmus, minus ſemper eſſe*, opus eſt, quod medium ſit minus commune maiori extremitate, *& non vniuerſaliter de prima extremitate*, & non vniuerſalius eadem: *diuiſio autem cõtrarium vult*, at diuiſiua methodus facit contrarium: *nam uniuerſalius ſumit medium*, quoniam ſumit medium magis commune quam maius extremum, quod oſtendit exemplo. *Sit enim animal quidem in quo A*. Sit itaque medium animal loco A, *mortale autem in quo B*, maius extremum ſit mortale loco B, *& immortale in quo C*, pariter maius extremum ſit immortale, in quo eſt C, cum diuiſio detur per contradictoriã. *Homo verò, cuius terminum oportet ſumere in quo D*; minus verò extremum, cuius definitionẽ oportet concludere in quo D. *Omne ergo animal accipit aut mortale, aut immortale*. Sumimus itaque per methodum diuiſiuam, quòd omne animal eſt aut mortale, aut immortale: *hoc autem eſt quicquid erat A, omne eſſe aut B, aut C*: quod eſt idem, quòd omne A aut eſt B, aut eſt C. *Rurſus hominem ſemper qui diuidit, ponit animal eſſe*. Poſtea ratiocinantes per diuiſionẽ ponimus, quòd omnis homo eſt animal: *quare de D ſumit A eſſe*. quòd omne D eſt A. *Ergo ſyllogiſmus quidem eſt quod D, aut B, aut C omne erit*. Concludit igitur ex inductis per diuiſionem ſyllogizari, quòd omne D aut eſt B, aut eſt C: *quare hominem aut mortalem, aut immortalem oportet ſumere*: quod

A ſcilicet omnis homo aut eſt mortalis, aut immortalis: *nam mortale quidem, aut immortale eſſe neceſſarium eſt animal*, quoniam ſumebatur, quòd de neceſſitate animal aut eſt mortale, aut immortale per diuiſionem: *mortale autem non neceſſarium eſt*: at mortale non concluditur de homine neceſſario, quoniam de animali non ſumebatur neceſſario, *ſed petitur*, ſed ſi concludatur, petitur; *hoc autem erat, quod oportebat ſyllogizare*: verùm quod petitur, erat propoſitum demonſtrandum, & ſyllogiſmo concludendum.

B Et rurſus qui ponit A quidem animal mortale, in quo autem B pedes habens, in quo autem C non habens pedes; hominem verò D. Similiter ſumit A quidem aut in B aut in C eſſe; omne enim animal mortale, aut pedes habens, aut pedes non habens

C eſt: De D autem A, nam hominem animal mortale ſumpſit eſſe. Quare habens pedes, vel non habens pedes eſſe animal, neceſſe eſt hominem; pedes autem habens non neceſſe eſt, ſed ſumit: hoc autem erat, quod oportebat rurſum oſtendere.

Demonſtrauit ſuperius exemplo, quòd vtentes diuiſiua methodo, volentes per eam ſyllogi-
D zare de hominẽ hanc primam differẽtiam quòd ſit mortalis, aut ratiocinantur, quòd non volũt, ſed quid communius, aut quod volunt, & propoſuerunt non ratiocinatione demonſtrant, ſed petunt. Hoc idem alio exemplo patefacit de alia differẽtia, quæ eſt pedes habens. Si namque quiſpiam per methodum diuiſiuam hanc de homine ratiocinari voluerit, aut non probabit ex inductis & poſitis in ſyllogiſmo theorema propoſitum, ſed quid communius, aut petet ipſum ſine probatione; huius exemplum eſt, in iiſdem
E terminis alphabeticis A,B,C,D, ſumpto A pro animali mortali loco medij, B pro habente pedes loco maioris extremi, quod debet concludi de minori, C quod eſt alterum membrum diuiſionis pro non habente pedes, & D loco minoris extremi pro homine. Qui itaque voluerit per methodum diuiſiuam, omnem hominem pedibus prǫditum ratiocinari, ipſum vel pedibus prǫditum, vel pedibus carentem ratiocinabitur, quod eſt communius propoſito: omnem hominem verò eſſe pedibus prǫditum petit, quod de-
F monſtrandum ſibi propoſuerat: nam qui per diuiſionem ratiocinabitur omnem hominem eſſe pedibus præditum, ſumet ſicut prius in maiori propoſitione, quod omne A aut eſt B, aut eſt C, ſcilicet omne animal mortale aut eſt habens pedes, aut non habens pedes; in minori autem ponit quòd omne D eſt A, quod omnis homo eſt

animal

animal mortale. Quapropter in hoc ſyllogiſmo ex poſitis ſequitur, quod neceſſe eſt, quòd omne D ſit vel B, vel C, quòd omnis homo ſit vel pedibus prędit*us*, vel non pedibus præditus; quæ concluſio eſt communior intenta, quę erat, quòd omnis homo ſit animal pedes habens, quæ in hoc ſyllogiſmo non concluditur, ſed petitur, & ſic nec prima differentia definitionis, ſcilicet mortale, nec vltima ſcilicet pedes habens complens definitionem per methodum diuiſiuam concludi poteſt. Dicit itaque: *Et rurſus qui ponit A quidem animal mortale*. Et inſuper qui vult concludere aliam differentiam, ponendo A animal mortale pro medio; *in quo autem B pedes hebens*. & differentiam concludendam pedes habens in loco B; *in quo autem C non habens pedes*. Aliam verò differentiam nõ pedes habens in loco C; *hominem verò D*; hominem verò minus extremum, in quo ſit D. *Similiter ſumis A quidem aut in B, aut in C eſſe*, ſicuti prius accipiet, quòd omne A aut eſt B, aut eſt C, ſcilicet quòd omne animal mortale aut eſt habens pedes, aut non habens pedes, quod addit dũ dicit: *Omne enim animal mortale aut pedes habens, aut pedes non habens eſt*. In minori autem ponet: *De D autem A*, quòd omne D eſt A, quòd omnis homo eſt animal mortale, quod dicit dũ ſequitur: *nam hominem animal mortale ſumpſit eſſe*: deinde ponit concluſionem, quæ ſequitur ex poſitis. *Quare habens pedes, vel non habens pedes eſſe animal neceſſe eſt hominem*. Sequitur itaque de neceſſitate ex inductis omnem hominem aut prędit*um* eſſe pedibus, aut pedibus præditum non eſſe, quæ concluſio eſt communior propoſita. *Pedes autem habens non neceſſe eſt, ſed ſumit*. Concluſio vero demonſtranda, quę erat omnem hominem habere pedes, non demonſtratur ex poſitis in ſyllogiſmo, ſed petitur. *Hoc autẽ erat quod oportebat rurſum oſtendere*, quæ non oportebat peti, ſed probari. Sequitur textus.

Et ad hunc modum ſemper diuidentibus vniuerſale quidem accidit eis medium ſumere de quo oporteat oſtendere, & differẽtias, & extremitates. In fine autem quòd hoc eſt homo, aut quicquid erat quod quæritur, nihil dicunt manifeſtum: Quare neceſſariũ eſt eſſe; etenim aliã viam faciunt omnem, non quidem contingentes idoneitates, opinantes eſſe.

Cõcludit in præſenti ex dictis ſuperius, quòd vtentes diuiſiua methodo, & volentes per diuiſionem concludere omnes differentias tãquam maiores extremitates de aliqua ſpecie ſemper ſumunt medium communius maiori extremo, & inſuper cum omnes differentias ſumant & petant quæ vtiles ad definiendum putant, & non

A ratiocinando demonſtrent; hoc videlicet eſſe hominem, vel quodcunque fuerit quòd ab ipſis definitur, nihil planũm dicunt quod ſit neceſſarium ad theorema propoſitum concludendum; quod ideo contingit, quoniam vtuntur alia via pro inſpectione medij, ac fuerit declarata ab Ariſtotele, neque arbitrãtur methodum ab ipſo traditam eſſe idoneam ad concludendũ vnumquodque problema, ſed tantum idoneitatem tribuunt viæ diuiſiuæ, & inquit: *Et ad hunc modum ſemper diuidentibus*, ſcilicet per diuiſionem differentias inquirentibus; *vniuerſale quidem accidit eis medium ſumere, de quo oporteat oſtendere differentias & extremitates*, & volentes dictas differentias concludere per diuiſionem tanquam maiores extremitates de aliqua ſpecie, ſemper ſumũt mediũ communius maiori extremo. *In fine autem quòd hoc eſt homo, aut quicquid erat quod quæritur*. Et tandem de ipſo homine, & minori extremo, ſiue de quocunque alio, cuius partes definitionis concludere volebant, *nihil dicunt manifeſtum: quare neceſſarium eſt eſſe*, nihil inſe-

C rũt neceſſario. *Etenim aliam viam faciunt omnem*: propterea quod vtuntur alia methodo diuerſa à declarata à Philoſopho, *non quidem contingentes idoneitates, opinantes eſſe*, minime opinantes eam eſſe idoneam ad concludendum vnumquodque problema, ſed hanc idoneitatem tribuent viæ diuiſiuæ.

Manifeſtum eſt autem, quòd neque deſtruere hac via eſt, neque de

D accidente aliquid aut de proprio ſyllogizare neque de genere, neque de quibus ignoretur vtrum hoc modo, aut illo ſic habet, vt putas ne diameter ſit ſymeter, vel aſymeter? Si enim ſumatq; quòd omnis lõgitudo eſt ſymetros, vel aſymetros, diameter autem longitudo, ſyllogizatum eſt;

E quòd ſymeter, vel aſymeter eſt diameter. Si autem ſumetur incommenſurabile, quod oportebat ſyllogizare, ſumetur; non ergo eſt oſtendere, nam uia quidem hæc, per hanc autem non eſt oſtendere ſymetrum, vel aſymetrum, in quo A longitudo,

F B autem ſymeter, aut aſymeter, diameter C. Manifeſtum eſt igitur, quòd neque ad omnem conſiderationem congruit inquiſitionis modus, neque in quibus maxime videtur conuenire. In his eſt vtilis, ex

quibus

quibus ergo demonſtrationes fiunt, & quomodo, & ad quæ perſpiciendum ſecundum vnumquodque propoſitum, manifeſtum ex dictis.

In hac poſtrema parte continuat Ariſtoteles oſtendere methodum diuiſiuam eſſe ſyllogiſmum imperfectum, & eſſe exiguam & minimam partē traditæ methodus: propterea quod per diuiſionem nullum theorema negatiuum demonſtrari poteſt, quoniam ſi diuiſio fit generum ſecundum proprias differentias, quæ ſimul iunctæ proficiunt ſpeciem, notum eſt, quod fiūt de iis ſolis, quæ inſunt rebus: & inſuper per hanc methodū, niſi aliquid de definitione cōcludere valemus: de genere verò, de proprio, & de accidente, per eam nihil poſſumus ex poſitis ſyllogiſmo cōcludere, non de genere, quoniam ſemper diuiſio genus vt conceſſum accipit, neque de accidente, vel proprio, quoniam cōmunium, & generum diuiſio, non per accidentia, ſed per differentias fit, quæ in ſubſtantias ſunt. Accidens autem & proprium minime fieri poteſt, vt ex diuiſione generum exiſtunt. Vlterius hæc via eſt imperfecta, quoniam in iis, in quibus propoſita res manifeſta eſt, neque indiget demonſtratione: in iis inquam videtur per diuiſionem aliquam partem oſtendi poſſe, vt hominem eſſe rationalē, vel irrationalem, pedibus præditum, vel non pedibus præditum, in quibus concluſio vt nota conceditur. In quibus autem propoſita res dubia eſt, & in vtro diuiſionis membro poſita ſit, ignoratur, & indiget demonſtratione, in his petitur quod concludi ratiocinatione deberet, & ideo inutilis eſt, vti in hac quæſtione, nunquid diameter ſit aſymiter, ſumitur quòd diameter eſt longitudo, & per diuiſionem ponitur, quòd omnis longitudo vel eſt ſymetra, vel aſymetra, ex his taliter in ſyllogiſmo poſitis nō ſyllogizatur, niſi quod diameter eſt aut ſymiter, aut aſymiter, & ſic nihil planum, quod neceſſarium ſit, colligitur, quia ſi ſumatur quòd ſit aſymiter, petitur id quod debet demonſtrari, quod in terminis communibus, & tranſcendentibus oſtenditur. Sit namque A lōgitudo vti medium, B autem maior extremitas ſub diuiſione accepta ſymiter, vel aſymiter; diameter verò quod eſt minor extremitas ſit C, tunc formatur ratiocinatio talis, omne A eſt B, quia omnis longitudo eſt ſymetra, vel aſymetra, omne C eſt A, quia omnis diameter eſt longitudo; ergo ſequitur, quòd omne C eſt B, quod omnis diameter eſt ſymiter, vel aſymiter. Per huiuſmodi itaque inſpectionem, & per hanc viam, nihil habemus certum, & neceſſarium: ex quibus conſtat, quòd hæc methodus antiquorum neque inſeruit omni conſiderationi, cum non valeat ad oſtendendum inexiſtentia ſecundum accidens, vel proprium, neque in quibus videtur decens eſſe, vtilis eſt, eo quia problematum, ſolum vniuerſale affirmatiuum videtur oſtendere, & definitionis

A partes non oſtendit, ſed petit, & demonſtrat aliquod cummunius propoſito, neque de generibus, quòd hoc ſit genus per diuiſionem ratiocinari contingit, ſed ſumitur vt conceſſum.

Denique in calce capitis epilogando concludit manifeſtū eſſe ex declaratis, ex quibus medij habitudinibus demōſtrationes fiant, & quomodo inſpiciendum ſit pro inuentione medij in antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum, & ad quæ oporteat reſpicere in vnoquoque problemate vel vniuerſali, vel par- B ticulari, vel affirmatiuo, vel negatiuo, & inquit. *Manifeſtum eſt autem, quòd neque deſtruere hac via eſt.* Manifeſtum eſt etiam, quòd per diuiſionem nullam concluſionem negatiuam colligere poſſumus *neque de accidente aliquid, aut de proprio ſyllogizare*, neque contingit per talem viam aliquid conſtruere, vel deſtruere de communi, ſiue proprio accidente, *neque de genere*, neque demonſtratiue colligi aliquid de genere, ſed illud ſumit vt conceſſum, *neque de quibus ignoretur vtrum hoc modo, aut illo ſic habet*, neque per C hanc viam colligitur demonſtratiue aliquid de propoſitis; quando res dubia, & incerta eſt, quod declarat exemplo. *Vt putas ne diameter ſit ſymiter, vel aſymiter*, vt in hac queſtione, nunquid diameter ſit lateri commenſurabilis, vel incommenſurabilis *Si enim ſumat, quòd omnis longitudo eſt ſymetros, vel aſymetros.* Si namque quiſpiā per diuiſionem habeat, quòd omnis longitudo ſit lateri commenſurabilis, vel incommenſurabilis: *diameter autem longitudo*, & ponat, quòd omnis diameter ſit linea, vel longitudo, *ſyllo-* D *gizatum eſt, quòd ſymiter, vel aſymiter eſt diameter.* Ex taliter poſitis in ſyllogiſmo concluditur, quod omnis diameter eſt lateri commenſurabilis, vel incommenſurabilis. *Si autem ſumetur incommenſurabile*: quòd ſi concludatur, nō eſt diameter commenſurabilis, eſt igitur incōmenſurabilis, *quòd oportebat ſyllogizare, ſumentur*, petitur quòd demonſtratione indiget. Siquidem eſt dubium in vtro diuiſionis membro collocetur. *Non ergo eſt oſtendere, nam via quidem hac.* Non eſt itaque ex taliter poſitis aliquid demonſtrare E per diuiſionē, cū ea ſic ſe habeat, quòd nil certi, aut neceſſarij cōcludatur. *Per hanc autem non eſt oſtendere ſymetrum, vel aſymetrum*, quoniam per hanc ſcilicet diuiſionem nōn demonſtramus de diametro, nunquid ſit commenſurabilis; vel ſit incommenſurabilis, ſed alterutrum, quod oſtendit in elemētis. *In quo A longitudo.* Et hoc patet ſumptis terminis communibus, vt puta A pro longitudine, quæ ſit medium, *B autē ſymiter, aut aſymiter*, B pro ſymetro, aut aſymetro loco maio- F ris extremi. *Diameter C*, & C pro diametro loco minoris extremi. *Manifeſtum eſt igitur, quòd neque ad omnem conſiderationem congruit inquiſitionis modus.* Conſtat igitur, quòd via diuiſiua neque eſt vtilis ad omne problema demonſtrandum, cum neque de accidente, vel proprio, vel genere demonſtrare quidpiam valent, neque negatiuum quidpiam; *neque in quibus maxime videtur*

tur conuenire, in his eſt vtilis; ſed neque in proble- A mate vniuerſali affirmatiuo, & in definitionibus de ſpecie aliqua colligendis aliquam affert vtilitatem, vt oſtenſum eſt. *Ex quibus ergo demonſtrationes fiunt*, ſcilicet ex quibus medij habitudinibus, *& quomodo*, & quomodo inſpiciendum in inuentione medij ſyllogiſtici in antecedentia, conſequentia, & repugnantia, ex quibus componuntur propoſitiones, quæ ſunt præmiſſæ in demonſtratione, *& ad quæ perſpiciendum ſecundum unumquodque propoſitum*, & ad quæ antecedentia, conſequentia, & repugnantia inſpi- B ciendum ſit in vnoque theoremate demonſtrando vniuerſali, particulari, affirmatiuo, negatiuo, *manifeſtum ex dictis*, & declaratis in ſuperioribus ſatis conſtat, & planum eſt.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXXII. de diuiſione, & eius ſyllogiſmo pro Iuris ſtudioſis.

C

HAbuimus in hoc Capite, quòd antiqui pro facili inuentione medij ſyllogiſtici vſi ſunt via diuiſiua. Per diuiſionem enim ipſi de ſpecie aliqua concludebant partes definitionis, quæ ſimul iunctæ perficere videbantur eſſentiā definiti; quam viam teſtatur Ariſtoteles eſſe inutilem, quia eſt imperfectus ſyllogiſmus, qui nihil planum ponit ineſſe, quod neceſſarium ſit, ſed aut oſtendit D aliquod communius propoſito, aut petit, quòd demonſtratione indiget.

Hanc viam eſſe inutilem in iure etiā clarum eſt, ex terminis poſitis ſuperius, deſumptis in tit. Digeſtorum de ritu nupt. Si quiſpiam namque per diuiſionem demonſtrare conetur, quòd omnes nuptiæ ſunt iuſtæ, is via diuiſiua accipiet, quòd omnis conſenſus maris & fœminæ eſt iuſtus, vel iniuſtus: deinde ſumet, quòd omnes nuptiæ ſunt conſenſus maris & fœminæ, ex his terminis taliter poſitis in ſyllogiſmo. Siquidem E concludet, quòd omnes nuptiæ ſunt iuſtæ, vel iniuſtæ; & ita habebit aliquid communius re propoſita, & ſi addatur, non ſunt iniuſtæ, ergo iuſtæ, tunc fit petitio eius, quod demonſtrari debet. Quapropter planum eſt etiam in Iure ciuili methodum diuiſiuam excogitatam ab antiquis fore inutilem, & imperfectam ad inueniendum medium ſyllogiſticum.

Finis ſecundæ Sectionis.

SECTVM TERTIVM.

De ſyllogiſmorum Reſolutione.

Quo pacto ſyllogiſticæ omnes rationes in aliquam prædictarum figurarum ſint reducendæ.
Cap. XXXIII.

QVomodò autem reducemus ſyllogiſmos in prædictas figuras, dicendum erit poſt hæc: reſtat enim conſideratio hæc. Si enim & generationem ſyllogiſmorum inſpiciamus, & inueniendi habeamus poteſtatem: amplius autē factos reducamus in prædictas figuras finem habebit, quod ex principio propoſitum eſt; accidet etiam ſimul, quæ prædicta ſunt confirmari, & manifeſtiora eſſe, quod ſic ſe habent per ea quæ nunc dicenda ſunt. Oportet enim omne quod verum eſt ipſum ſibi ipſi manifeſtum eſſe omninò.

Diuidebamus in principio tractatus hunc primum librum, quem præ manibus explicandum habemus in tres partes principales; quarum E duabus explicitis ab Ariſtotele, quomodo ſcilicet conficere debemus ſyllogiſmos, & medium adinuenire pro copia, & abundantia propoſitionum; nunc tertiam proſequitur explicandam, quo nam modo ſyllogiſmos ſic generatos reducere valeamus in vnamquamque figuram. Cauſa intentionis eſt, quoniam cum habuerimus ſyllogiſmi generationem, artem & poteſtatem adinueniendi medium, & inſuper reductionem ſyllogiſmorum in prædictas figuras, tunc perfe- F ctum erit opus de ſyllogiſmo in principio propoſitum, & ex cognitione præſertim reductionis ſyllogiſmorum in vnamquamque figuram confirmabuntur quæ in ſuperioribus fuere declarata de generatione ſyllogiſmorum, & copia & abundantia propoſitionum. Dicit itaque: *Quomodo autem reducemus ſyllogiſmos in prædictas figuras, dicendum erit poſt hæc.* In ſequentibus declaran-

clarandum eſt quomodo ſyllogiſmi eo modo generati, vt in præcedentibus ſtatutum eſt in vnamquamque ex dictis figuris reducantur. *Reſtat enim conſideratio hæc.* Supereſt namque in hac tertia parte huiuſcemodi declaratio. *Si enim & generationem ſyllogiſmorum inſpiciamus*, quoniam ſi habebimus quomodo efficiantur ſyllogiſmi; *& inueniẽdi habeamus poteſtatem:* & inſuper habebimus poteſtatem & artem adinueniendi medium ſyllogiſticum. *Amplius autem factos reducamus in prædictas figuras*, & vlterius reduxerimus ſyllogiſmos generatos in vnamquamque ex figuris declaratas, *finẽ habebit quod ex principio propoſitum eſt*, perfectum erit opus propoſitum in principio tractatus in materia ſyllogiſmorum: *accidit etiã ſimul*, & vna habebimus, *quæ prædicta ſunt confirmari, & manifeſtiora eſſe, quod ſic ſe habent per ea quæ nunc dicenda ſunt*, per declarationes huiuſcemodi reductionis, quę de generatione ſyllogiſmorum & copia propoſitionum dicta ſunt in præcedentibus magis certa & comprobata. *Oportet enim omne quod verum eſt ipſum ſibi ipſi manifeſtum eſſe omnino.* Oportet namque veritatem ſibimet conſentaneam inuenire.

Primum ergo oportet tẽtare duas propoſitiones accipere ſyllogiſmi; facilius enim maiora diuidere, quàm minora: maiora autem compoſitiora ſunt, quàm ea, ex quibus componuntur; deinde conſiderare, vtra in toto, & vtra in parte, & ſi non ambæ ſumptæ ſint eum qui ponit alteram, aliquoties enim vniuerſalem protendentes, eam quæ in hac eſt non ſumunt, neque ſcribentes, neque interrogantes, aut has quidem protendunt: per quas autem hæc concluduntur, omittunt; alia verò vane interrogant. Conſiderandum autem ſi quid ſuperfluum ſumptum ſit, & ſi quid neceſſarium omiſſum, & hoc quidem ponendum, illud verò auferendum, donec veniat quis ad duas propoſitiones; ſiue his enim non eſt reducere ſic interrogatas orationes.

Vbi propoſuerit Ariſtoteles docere reſolutionẽ ſyllogiſmorum in vnamquamque figuram, incipit declarare modum huiuſcemodi reſolutionis; & quoniam à facilioribus eſt inchoandum in omni arte, & facilius eſt compoſitum in maiora diuidere quam in minora, cum maiora

A ſint compoſito propinquiora, quàm minora: idcirco ponit, quòd omnem propoſitam ratiocinationem primum in duas propoſitiones tanquam in duas magnas partes diuidere debemus: propoſitiones enim ſunt magnę partes ſyllogiſmorum, reſpectu terminorum, ex quibus componuntur, cum omnis ſyllogiſmus ex duabus propoſitionibus, & tribus terminis conſtituatur. Deinde ſumptis duabus proximis propoſitionibus conſiderare debemus quæ nam magis vniuerſalis, & maior propoſitio ſit, & quæ nam mi-
B nus vniuerſalis & minor; ſiquidem qui ratiocinantur ſiue conſcribendo libros, ſiue oretenus diſputando, quandoque ſuperflua accipiunt, quandoque vtraſque non ponunt propoſitiones, ſed alteram prætermittunt, vel magis vniuerſalem accipientes, & quæ ſub ea continetur, omittens; vel è cõtrario, tum affirmatiuam, tum negatiuam, vt gratia exempli, hæc propoſitio affirmatiua vniuerſalis omne animal eſt ſubſtantia eſt magis vniuerſalis, quàm hæc altera, omnis homo eſt animal, cum ſubſtantia conti-
C neat ſub ſe animal & hominem; & hæc negatiua vniuerſalis, nullum animal eſt inanimatum, pariter eſt vniuerſalior quam hæc, omnis homo animal. Ratiocinantes igitur quandoque maiorem, & magis vniuerſalem ponũt, & minorem, vel minus vniuerſalem prætermittunt, quandolibet è conuerſo ſe habent. Nos itaque, qui ratiocinationem reſoluere, & reducere in aliquam figuram laboramus, debemus prætermiſſas propoſitiones ſubſtituere, & inſpicere, ſi quid ſuperfluum, & vane appoſitum in ipſa ratiocinatione
D ſit, & omiſſum aliquid neceſſarium, & ſi aliquid ex neceſſarijs eſt omiſſum illud ponere; ſi quid verò ſuperfluum idem detrahere, & auferre, & hoc donec deuenerimus ad duas propoſitiones: niſi enim has ſumpſerimus, & illas ſuperuacaneas ſeparauerimus, non valebimus huiuſcemodi ratiocinationes in figuram ſyllogiſticam reducere, ideo dicit: *Primum ergo oportet tentare duas propoſitiones accipere ſyllogiſmi.* In primis itaque oportet quærere duas proximas
E propoſitiones ſyllogiſmi, ita vt prima reductio fiat in propoſitiones, priuſquam in terminos. *Facilius enim maiora diuidere quàm minora:* nam facilius eſt diuidere in magnas partes, & magis vniuerſales, quam in paruas, & minus vniuerſales, ſcilicet in propoſitiones, quàm in terminos. *Maiora autem compoſitiora ſunt, quam ea, ex quibus componuntur.* Propoſitiones enim ſunt magis compoſitæ, quàm termini, in quibus conſtituuntur. *Deinde conſiderare vtra in toto, & vtra in parte.* Poſtea duabus proximis propoſitionibus
F ſumptis inſpiciendum eſt, quę ſit maior & vniuerſalior, & quę minor & particularior, *& ſi non ambæ ſumptæ ſint*, & ſi in ratiocinatione non ſunt ambæ propoſitiones maior ſcilicet & minor explicite poſitæ, *eum qui ponit alteram*, qui alteram ſubſtituere curauerit: *aliquotiẽs enim vniuerſalem protendentes:* quoniam quandoque ponentes maiorem, & magis communem, *eam quæ in hac eſt,*

non

non ſumunt, prætermittunt minorem, & contentam ſub maiori, *neque ſcribentes, neque interrogantes*, ſiue conſcribentes librós, ſiue oretenus diſputantes, *aut has quidem protendunt*, vel etiam minorem, & minus vniuerſalem ponentes; *Per quas autem hac concluduntur, omittunt*: maiorem & vniuerſaliorem, quàm hanc minorem, & minus vniuerſalem continet, & in ſe claudit, ſubintelligunt: *alia verò uane interrogant*, vel inſuper quædam alia ſuperuacanea ſuperaddunt. *Conſiderandum autem ſi quod ſuperfluum ſit, & ſi quid neceſſarium omiſſum*: qui inquam ſubauditam ponere velit, inſpicere debet ſi quid ſuperuacaneum in ratiocinatione exiſtat, & quid neceſſarium fuerit prætermiſſum, *& hoc quidem ponendum*, & debet quæ neceſſaria ſunt ponere; *illud verò auferendum*, & quæ ſuperflua detrahere; *donec ueniat quis ad duas propoſitiones*, vſque quo deuenerit ad duas proximas propoſitiones: *ſine enim his non eſt reducere ſic interrogatas orationes*: namque ſine his propoſitionibus, ex quibus conſtituitur ſyllogiſmus, non poteſt quiſpiam reducere in formam ſyllogiſmi tales ratiocinationes, & orationes ſine forma ſyllogiſtica formatas.

In aliquibus ergo facile eſt videre quod minus eſt. Aliqui verò latent, & videntur quidem ſyllogizare, eo quod neceſſarium quid accidit ex iis, quæ poſita ſunt, ut ſi ſumatur nõ ſubſtantia interempta ſubſtantiam non interimi: ex quibus autem eſt interẽptis, & quod ex eis eſt corrũpi. His enim poſitis, neceſſarium eſt ſubſtantiæ partem eſſe ſubſtantiam, non tamẽ ſyllogizatum eſt per ea quę ſumpta ſunt, ſed deſunt propoſitiones. Rurſum ſi cum eſt homo, neceſſe eſſe animal, & cum eſt animal, ſubſtantiã; & cum eſt homo, neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam, ſed nondum ſyllogizatum eſt; non enim ſe habent propoſitiones ut diximus. Fallimur autem in talibus, eo quod neceſſarium. Quiddam accidat ex his quæ poſita ſunt; quoniã & ſyllogiſmus neceſſarium eſt; in plus autem eſt neceſſarium, quàm ſyllogiſmus: nam omnis ſyllogiſmus neceſſarium: neceſſarium autem non omne ſyllogiſmus. Quare non (ſi quid accidat poſitis quibuſ-

A dam) ſtatim tentandum eſt reducere; ſed primam ſumendum eſt duas propoſitiones.

Cum dixerit Ariſtoteles, quòd ratiocinantes ſine forma ſyllogiſmi quandoque neceſſaria omittunt, dicit in præſenti, quòd in quibuſdam hoc patet, in quibuſdam verò latet, quod procedit, quoniam cum expoſitis in oratione aliquid ex neceſſitate inferatur, exiſtimatur eſſe ſyllo- B giſmus: ponit autem Ariſtotelès duo exẽpla pro declaratione prædictorum, primum eſt tale, ſi quiſpiam concludere velit, quòd partes ſubſtantiæ, ſunt ſubſtantiæ, & id inferat ex his, ſubſtantia non interempta, ſubſtantiam non interimi, & quibus ex aliquid compoſitũ interemptis, etiam corrumpitur compoſitum, quòd ex eis eſt, non ſequitur cõcluſio in forma ſyllogiſtica, licet neceſſitate conſequentiæ, ſiquidem deſunt propoſitiones ad ſyllogiſmum attinentes, nec eſt debita cõuenientia, & ordo in propoſitionibus, quod C ſi voluerimus ſupplere quod deſit ad ſyllogiſmum iſtius concluſionis ſic ratiocinari ſyllogiſticæ debemus. Quibus interemptis interimitur ſubſtantia, ſunt ſubſtantiæ, ſed partibus ſubſtantiæ interemptis, interimitur ſubſtantia; ergo partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantia.

Prima propoſitio intelligitur in primam propoſitionem orationis, ſecunda in ſecũdam. Ponit etiam aliud exemplum pro eiuſdem rei declaratione. Sit namque hæc oratio ſine forma ſyllogiſmi diſputata, Si eſt homo, eſt animal, ſi D eſt animal, eſt ſubſtantia; ergo ſi eſt homo, eſt ſubſtantia: adeſt in hac oratione neceſſitas inferentiæ, ſed non forma ſyllogiſmi, quoniam neceſſitas conſequentiæ in plus ſe habet quam ſyllogiſmus, cum in omni ſyllogiſmo adſit neceſſitas conſequentiæ, ſed non è conuerſo. Concludit itaque in fine capitis Philoſophus, quòd ſi in aliqua oratione accidit quid ex neceſſitate ex quibuſdam poſitis in ea, non debemus illico reducere, ſed primum ſumendum eſt duas propoſitiones debito modo ordinatas, veluti ſi di- E camus.

Omnis homo eſt animal.
Omne animal ſubſtantia, ergo
Omnis homo ſubſtantia.

In hac iugatione non eſt error niſi in ordine propoſitionum, qui ſtatim ſic corrigitur.

Omne animal ſubſtantia.
Omnis homo animal, ergo
Omnis homo ſubſtantia.

F Et tunc eſt facta reductio ratiocinationis in veram formam ſyllogiſmi. Dicit igitur: *In aliquibus ergo facile eſt videre, quod minus eſt.* In aliquibus orationibus ſine forma ſyllogiſmi copulatis eſt manifeſtum, quod prætermiſſum eſt pertinens ad rem propoſitam. *Aliqui verò latent.* Quandoque verò id ignoratur, *& videntur quidem*

dem ſyllogizare eo quod neceſſarium quid accidit ex A *ijs, quæ poſita ſunt*: videturq́; ſyllogiſmo concludere, propterea quod concluſio ex poſitis in huiuſcemodi orationibus videtur ſequi ex neceſſitate, quod declarat exẽplis, *vt ſi ſumatur, non ſubſtantia interempta ſubſtantiã non interimi: ex quibus autem eſt interemptus, et quod ex eis eſt corrũpi*, veluti ſi gratia exempli formetur hæc oratio, in qua ponantur hę duę propoſitiones, non ſubſtantia interempta ſubſtantiã non interimi, & ex quibus aliquod eſt compoſitũ interẽptis etiam corrumpi compoſitum, quod eſt ex ipſis; ex hac qui B dem oratione, quæ ſine forma ſyllogiſmi eſt, infertur tamẽ aliquid de neceſſitate, vt puta quòd partes ſubſtantiæ ſint ſubſtantiæ; quia interemptis eis, interimitur ſubſtantia, quæ ex eis componitur, & ideo addit. *His enim poſitis neceſſarium eſt ſubſtantiæ partem eſſe ſubſtantiam*, ratione iã dicta: *non tamen ſyllogizatũ eſt per ea, quæ ſumpta ſunt*, licet propoſitiones ſũptæ non fuerint in forma ſyllogiſtica coordinatæ, nec valeãt per formam ſyllogiſticam, talem inferre cõcluſionem: *ſed deſunt propoſitiones*, quia omiſſę ſunt propoſitiones, C quæ valent id efficere, quæ in illis tamen intelliguntur, vt poſui ſuperius. Hoc idem declarat alio exemplo, & inquit: *Rurſum ſi cum eſt homo, neceſſe eſt eſſe animal, & cum eſt animal, ſubſtanitam.* Similiter in hac alia oratione ſine forma ſyllogiſmi deducta, & ordinata, videlicet ſi eſt homo, eſt animal, ſi eſt animal, eſt ſubſtantia, neceſſitate illarum ſequitur. *Et cum eſt homo, neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam*; quod etiam homo ſit ſubſtantia, *ſed nondum ſyllogizatum eſt*: verùm hoc non fit D ſyllogiſmo: *non enim ſe habent propoſitiones, vt diximus*: propterea quod propoſitiones non ſunt rectè ordinatæ in modo & figura, quẽad modum declaratum eſt, & ſic in primo exemplo deficiebant propoſitiones, in hoc etſi non deſint, tamen non ſunt recte diſpoſitæ, nihilomnius videtur in his, & cõſimilibus ratiocinari, cuius rationem reddit in ſequentibus. *Fallimur autem in talibus eo quod neceſſarium quiddam accidat ex his quæ poſita ſunt*, eo quoniã ex poſitis in huiuſcemodi orationibus adeſt neceſſitas illationis; *quoniam* E *& ſyllogiſmus neceſſarium eſt*, quę pariter in ſyllogiſmo reperitur. *In plus autem eſt neceſſariũ, quàm ſyllogiſmus*: verùm nõ aduertimus, quod neceſſariũ eſt quid communius ſyllogiſmo: *nam omnis ſyllogiſmus neceſſarium, neceſſarium autem non omne ſyllogiſmus*: quoniã omnis ſyllogiſmus eſt quidẽ neceſſarius, & neceſſario infert, ſed non conuertitur, quod omnis illatio neceſſaria ſit ſyllogiſmus. *Quare nõ (ſi quid accidat poſitis quibuſdam) ſtatim tentandum eſt reducere*. Concludit igitur quod etſi ex quibuſdam poſitis in oratione ali- F quid neceſſario conſequatur; non propterea illico facienda eſt reductio; ſed ſumendum eſt primum duas propoſitiones recte diſpoſitas, ſicuti declaratum eſt, & ſic finem imponit huic capitulo, cum dicit, *ſed primum ſumendum eſt duas propoſitiones.*

Et hæc dicta ſatis ſuper hoc capite.

SECTVM TERTIVM.

De ſyllogiſmorum Reſolutione.

Super Capite .XXXIII. Quo pacto ſyllogiſticæ omnes rationes in aliquam prædictarum figurarum ſint reducendæ pro Iuris ſtudioſis.

QVæ docentur ab Ariſtotele in hoc capite de reductione ſyllogiſmorum in vnamquamque figuram, breuiter hæc ſunt, quod debemus in primis omnem propoſitam ratiocinationem in duas propoſitiones tanquam in duas magnas partes diuidere, veluti huiuſmodi oratio, ſi eſt homo, eſt animal, ſi eſt animal, eſt ſubſtantia; ergo ſi eſt homo, eſt ſubſtantia. Primum reducenda eſt in duas propoſitiones, vti omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſubſtantia; ex quibus ea concluſio ſequitur, quòd omnis homo ſubſtantia. Cum etenim talis reductio habetur, vt nullus alius reperietur error, præter quã in ordine propoſitionum, facilis tamen emendationis, dicendo, omne animal ſubſtantia, omnis homo animal; ergo omnis homo ſubſtantia. Hæc eadem in iure facile eſt videre: ſit namque oratio hęc ſine forma ſyllogizandi deducta ex tit. Inſt. de furtis. Si eſt contrectator rei alienæ inuito Domino, eſt fur, ſi eſt fur, de furto tenetur; ergo ſi eſt contrectator rei alienæ inuito Domino, de furto tenetur, Hęc inquam oratio, ſi eſt in figuram reducenda, debet primum diuidi in duas propoſitiones tanquã in duas magnas partes, veluti, omnis contrectator rei alienę inuito Domino, eſt fur, omnis fur tenetur de furto, ex quibus ſequetur concluſio dicta. Hic namque nullus alius reperitur error, niſi in ordine qui facile poterit corrigi hunc in modum.

Omnis fur tenetur de furto.

Omnis contrectator rei alienæ inuito Domino, eſt fur; ergo

Omnis contrectator rei alienæ inuito Domino, tenetur de furto.

Hęc sũt facillima, idcirco in eis diu nõ moror.

De reſolutione in terminos. C. XXXIV.

DEinde ſic diuidendum in terminos; medium autem ponendum terminorum, qui in vtriſque propoſitionibus dicitur, neceſſe eſt enim medium in

vtriſ-

vtriſque eſſe in omnibus figuris. Si ergo ſubiiciatur, & prædicetur medium, aut ipſum quidem prædicetur: aliud verò de illo abnegetur, Prima erit figura; ſi autem & prædicetur, & negetur ab aliquo, media erit figura: ſi verò alia de illo prædicentur, aut hoc quidem prædicetur, illud verò ab illo negetur, poſtrema: ſic enim ſe habuit in poſtrema figura medium. Similiter autem etſi non vniuerſales ſint propoſitiones; nam eſt eadem determinatio medii. Manifeſtum igitur, quod in qua oratione non dicitur idem frequẽter, non fit ſyllogiſmus; non enim ſumptum eſt medium. Quoniam autẽ habemus quod propoſitorum in vnaquaque figura clauditur, & in qua vniuerſale, & in qua particulare, manifeſtum eſt, quod non ad omnes figuras perſpiciẽdum, ſed in unoquoque propoſito ad propriam. Quæcunque verò in pluribus concluduntur, medii poſitione cognoſcimus figuram.

Oratione ſine forma ſyllogiſtica diuiſa in duas partes magnas, videlicet in duas propoſitiones nos docet Ariſtoteles, quòd vlterius procedentes in reductione ad formam ſyllogiſticam ex propoſitionibus terminos excipere debemus, & medium illum ſtatuere, qui bis ſumitur, & in vtriſque propoſitionibus reperitur, & ſi in tali reſolutione inueniatur medius ita collocatus, vt ſubijciatur in vna, & prædicetur in altera, vel ipſe de aliquo prædicetur, & aliud de ipſo negetur, oratio reducta erit ad formam primæ figuræ: ſi verò in vtriſque prædicetur de altero extremorum affirmatiue, & de altero negatiue, reductio facta erit ad ſecũdam figuram, quòd ſi medium in vtriſque ſubijciatur, ita vt extrema de ipſo prędicentur ſiue ambo affirmatiue, ſiue vnum affirmatiue, & alterũ negatiue, oratio ſyllogiſtica in tertia figura conſtituetur, & hoc ſe habet non ſolum ſi vtræque propoſitiones ſint vniuerſales, vti in ſyllogiſmis vniuerſalibus, ſed etiam ſi vna ſit vniuerſalis, & altera particularis, ſicuti in ſyllogiſmis particularibus: ſemper enim attenditur triplex medij termini diuerſitas; ex cuius diuerſitate, figurarum diuerſitas conſtituitur. Ex quibus conſtat, quòd quæcunque oratio non habebit terminum bis repetitum, ea non erit ſyllogiſtica: & quo-

A niam ex declaratis in generatione ſyllogiſmorum habemus, quòd nam problema in vnaquaque figura demonſtretur, vt puta vniuerſale affirmatiuum in prima, vniuerſale negatiuum tum in prima, tum in ſecunda; particulare affirmatiuum in prima, & tertia; particulare negatiuum in omnibus: propterea nos admonet, quod in ſingulis orationibus non eſt inſpiciendum indifferenter in omnes figuras, ſed reſpiciendum eſt ad propriam, quæ propoſitam orationem concludit: & ſi aliqua oratio in pluribus
B figuris concludatur, tunc recurrendum eſt ad ipſam medij diſpoſitionem, & conſideratione͂. Et inquit: *Deinde ſic diuidendum in terminos.* Oratione ſine forma ſyllogiſmi in duas propoſitiones reducta, ad hoc vt in formam ſyllogiſticam reſoluatur, oportet deinceps in terminos recte diſpoſitos diuidere. *Medium autem ponendum terminorum, qui in vtriſque propoſitionibus dicitur.* Et cum tres ſint termini, ille erit medius, qui in vtriſque propoſitionibus ſumitur. *Neceſſe eſt enim medium in vtriſque eſſe in omnibus figuris.*
C In omnibus enim tribus figuris de neceſſitate medium reperitur in ambabus propoſitionibus pręmiſſis. *Si ergo ſubijciatur, & prædicetur medium.* Si itaque in huiuſmodi reſolutione inueniatur, quòd medium in vna propoſitione ſubijciatur, & in altera prædicetur; *aut ipſum quidem prædicetur, aliud verò de illo abnegetur,* aut in vna propoſitione ipſum quidem prædicetur affirmatiue, in altera verò aliud ab ipſo abnegetur, & remoueatur, *prima erit figura,* oratio reducta erit ad formam primæ figuræ. *Si autem & prædicetur, &*
D *negetur ab aliquo.* Quòd ſi medium de vtriſque extremis prædicetur de altero affirmatiue, negatiue de altero, *media erit figura,* oratio reducta erit ad formam ſecundæ figurę. *Si verò alia de illo prædicentur.* Si autem extrema de medio prædicentur, ſcilicet affirmatiue; *aut hoc quidem prædicetur, illud verò ab illo negetur,* vel alterum extremorum de ipſo prædicetur vt de ſubiecto, aliud verò extremum de ipſo negetur vt de ſubiecto, *Poſtrema,* oratio reducta erit ad formam tertiæ figuræ. *Sic enim ſe habuit in poſtrema figura me-*
E *dium.* Ita namque determinatum fuit ſe habere medium in vltima, & tertia figura. *Similiter autem etſi non vniuerſales ſint propoſitiones; nam eſt eadem determinatio medij.* Et idem ſtatuitur quãdo propoſitiones non ſunt vtræque vniuerſales, & in ſyllogiſmis vniuerſalibus, ſed etiam ſi vna vniuerſalis, & altera particularis, vti in particularibus ſyllogiſmis; eadem enim eſt diſpoſitio medij. *Manifeſtum igitur, quòd in qua oratione non dicitur, idem frequenter, non fit ſyllogiſmus.* Conſtat
F itaque ex dictis, quòd in quacunque oratione deducta, ſi idẽ terminus non fuerit pluries ſumptus, ſcilicet ſemel atque iterum non erit ratiocinatio ſyllogiſtica. *Non enim ſumptum eſt medium,* quoniam carebit medio termino connectente vtrumque extremum. *Quoniam autem habemus, quòd propoſitorum in vnaquaque figura clauditur.* Et quia in præcedentibus determinatum

eſt

eſt, in qua nam figura vnumquod problema de- A
monſtratur ſiue affirmatiuum, ſiue negatiuum; *& in qua uniuerſale, & in qua particulare*, vel illud ſit vniuerſale, vel particulare. *Manifeſtum eſt, quòd non ad omnes figuras perſpiciendum, ſed in vnoquoque propoſito ad propriam*. Notum per conſequens eſt, quòd in reductione faciendа non debemus recurrere ad cõſiderationem omnium figurarum, ſed illius quæ eſt propria quæſtionis propoſitæ. *Quæcunque verò in pluribus concluduntur*. Et in quæſtionibus, quæ in pluribus aut om-
nibus figuris demonſtrãtur: *medij poſitione cogno-* B
ſcimus figuram, conſiderare debemus medij diſpoſitionem, quia medij collocatio figuram nobis pateſaciet, vt ante notaui.

Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XXXIV. De reſolutione in terminos pro Iuris ſtudioſis.

ORationem ſine forma ſyllogiſtica docet in formam ſyllogiſticam reſoluere poſt diuiſionem in duas propoſitiones excipiẽdo terminos ipſarum: ex diuerſa namque medij diſpoſitione diuerſitas figuræ conſtituitur. Verùm pro facili reſolutione, ponit, quòd in qualibet quæſtione non debemus reſpicere in vnamquamque figuram, ſed in propriam rei propoſitæ. Cũ enim vnumquodque problema in propria figura demõſtretur vti vniuerſale affirmatiuum in prima; vniuerſale negatiuum in prima, & ſecunda; particulare affirmatiuum in prima & tertia; particulare negatiuum in omnibus: propterea in reductione orationis diſputatæ ad formam ſyllogiſmi inſpicere debemus in propriam figuram, & ſi aliquòd problema in pluribus valeat demonſtrari, attendere debemus diſpoſitionem medij, ex cuius varietate diuerſitas figuræ reſultat; quoniam ſi medius ita fuerit collocatus, vt in vna propoſitionum ſubijciatur, & in altera prædicetur, erit prima figura; ſi verò in vtriſque prædicetur, erit ſecunda; quòd ſi in vtriſque ſubijciatur, erit tertia figura.

Sit pro exemplo in Iure ciuili: Quæſtio in ſuperiori capite diſputata, quòd omnis contrectator rei alienæ inuito Domino, tenetur de furto, in reductione huius orationis debemus inſpicere in primam figuram, in qua vniuerſale problema demonſtratur; ac diuiſa huiuſmodi oratione in duas propoſitiones, vt dictum eſt ſuperius, deinde terminos ita diſponere, ita vt medius in vna ſubijciatur, & in altera prædicetur, vt poſitum eſt; tunc namque facta erit reductio ad formam primæ figuræ, & ſic de alijs quæſtionibus dicendum eſt.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſis ſuper hoc capite.

De neceſſario, & de receptione iuxta ſimilitudinem poſitionis terminorum. Cap. XXXV.

FRequenter ergo falli accidit circa ſyllogiſmos propter neceſſarium, quemadmodum dictũ eſt prius: aliquoties autem propter ſimilitudinem poſitionis terminorum, quod non oportet latere nos, vt ſi A de B dicitur, & B de C; videbitur enim ſic ſe habentibus terminis eſſe ſyllogiſmus: non
C fit autem neque neceſſarium quicquam, neque ſyllogiſmus. Sit enim in quo A ſemper eſſe, in quo autem B intelligibilis Ariſtomenes; in quo autem C Ariſtomenes: verùm eſt autem A ineſſe B, ſemper enim eſt intelligibilis Ariſtomenes: A autem non ineſt C; corruptibilis
D eſt enim Ariſtomenes. Non igitur fiebat ſyllogiſmus ſic ſe habentibus terminis, ſed oportebat vniuerſaliter A, B ſumi propoſitionem. Hoc verò falſum quod putabat, omnem intelligibilem Ariſtomenem ſemper eſſe, cum Ariſtomenes ſit corru-
E ptibilis.

Vbi manifeſtauerit, quòd ad reſolutionem ſyllogiſmorum in figuram debemus primum in duas propoſitiones diuidere; deinde in terminos inſpicere, & ex problemate, ac medij diſpoſitione figuram adinuenire ne decipiamur credentes ſyllogizare quando neceſſitas adeſt illationis; modo quia etiam alijs modis decipi poſſumus præter neceſſarium iam dictum, nos docet in præſenti capite inſuper decipi propter ſi-
F militudinem poſitionis terminorum, veluti ſi indefinitam pro vniuerſali indiſtincte collocemus, quoniam quamuis termini recte ſumantur quo ad ſubijci, & prædicari, tamen non fit diſcurſus ſyllogiſticus, quia non reperitur dici de omni, quod eſt principium per quod ſyllogiſmi regulantur, & hoc declarat primum in elementis. Sint namque tres termini A maior extremitas,

mitas, B medium, C minor extremitas, A maior extremitas prædicatur quidem de B medio, & B medium prædicatur de C minori extremitate. Verùm cum hic non ſit dici de omni, & ſi videatur in tali terminorum diſpoſitione eſſe ſyllogiſmum, & quod A de C concludi debeat, tamen non eſt ita, quia vna propoſitionum non ſe habet vt totum, & reliqua vt pars illius, quod magis clare explicat duobus exemplis ſumptis in terminis tranſcendentibus. Primum exemplum eſt, ſi ponatur loco A maioris extremi ſemper eſſe, loco B medij intelligibilis Ariſtomenes, loco C minoris extremi Ariſtomenes, in quibus ſic formetur oratio. Intelligibilis Ariſtomenes ſemper eſt, Ariſtomenes eſt intelligibilis Ariſtomenes; harum vtraque propoſitio eſt vera: ſiquidem de prima verum eſt dicere, quòd Ariſtomenes per intellectū ſemper percipi poteſt, & de alia etiam verum eſt per intellectum perceptibilem Ariſtomenem eſſe Ariſtomenem: ſed ex his non ſequitur neque neceſſario, neque ſyllogiſtice; ergo Ariſtomenes ſemper eſt, quoniam corruptibilis eſt; quod ideo euenit, quia & ſi ambæ propoſitiones veræ ſint, & termini rectè diſpoſiti, non tamen ſunt regulatæ per dici de omni: & ideo propoſitiones ſumptæ non ſunt aptæ ad ratiocinandum: maior etenim deberet eſſe vniuerſalis, non indefinita, & alium ſenſum habet indefinita intelligibilem Ariſtomenem ſemper eſſe, nempe quòd Ariſtomenes ſemper per intellectum percipi poteſt, quod eſt verum; & alium ſenſum habet vniuerſalem, omnem Ariſtomenem intelligibilē ſemper eſſe, quòd ſcilicet ſinguli omnes Ariſtomeni, quibus ineſt hoc, vt per intellectum percipi poſſint, ſemper ſunt, quod falſum eſt: & propterea quia aliud ab indefinita, aliud ab vniuerſali ſignificatur; idcirco tali pacto ſumentes indifferenter, indefinitam pro vniuerſali decipimur, & nihil neceſſario, ſiue ſyllogiſtice concludimus, & hoc eſt quod dicit: *Frequenter ergo falli accidit circa ſyllogiſmos propter neceſſarium, quemadmodum dictum eſt prius.* Continuat declarare quot modis decipimur in orationibus credentes ſyllogizare, prius repetito modo iam dicto, nempe quod vtplurimum fallimur, quia videmus ex poſitis aliquid neceſſario ſequi; cum tamen neceſſarium in plus ſe habeat quam ſyllogiſmus. Siquidem omnis ſyllogiſmus eſt neceſſarius, ſed non è conuerſo. *Aliquoties autem propter ſimilitudinem poſitionis terminorum.* Quandoque verò præter neceſſarium poſitum decipimur non facientes differentiam inter poſitos terminos, *quod non oportet latere nos*, quod animaduertere debemus, alioquin non valebimus reducere orationem in formam ſyllogiſticam. Ponit exemplum in elementis, *vt ſi A de B dicitur*, vt ſi ſit propoſitio, in qua A maior extremitas de B medio prædicetur, ſcilicet quòd B eſt A, *& B de C*, & altera ſit propoſitio, in qua B medium prædicetur

A de C minori extremitate, vt C eſt B. *Videbitur enim ſic ſe habētibus terminis eſſe ſyllogiſmus.* Videbitur quidem in huiuſmodi terminorum diſpoſitione eſſe decurſum ſyllogiſticum, cum mediū in vna propoſitionum ſubijciatur, & in altera prædicetur, & per conſequens fuerit in prima figura rectè collocatum. *Non ſit autem neque neceſſarium quicquam.* Verùm neque ſequitur aliqua concluſio vera de neceſſitate, vt quòd C eſt A, *neque ſit decurſus ſyllogiſticus*, cum non adſit principium regulans ſyllogiſmum, ſcilicet

B dici de omni, quod aperte magis declarat in terminis. *Sit enim in quo A ſemper eſſe*; accipiatur loco A maioris extremi ſemper eſſe incorruptibile. *In quo autem B intelligibilis Ariſtomenes*, & loco B medij ponatur per intellectum perceptibilis Ariſtomenes: *in quo autem C Ariſtomenes*: & loco C minoris extremi ponatur Ariſtomenes. *Verùm eſt enim A ineſſe B: ſemper enim eſt intelligibilis Ariſtomenes.* In his terminis formatur hæc propoſitio vera, quòd B eſt A, quòd intelligibilis Ariſtomenes ſem-

C per eſt, quatenus ſcilicet Ariſtomenes per intellectum ſemper eſt perceptibilis, *ſed & B de C, nam Ariſtomenes eſt intelligibilis Ariſtomenes*: erit inſuper etiam vera hæc altera propoſitio, quod C eſt B, quòd Ariſtomenes eſt intelligibilis Ariſtomenes; *A autem non ineſt C*: verùm ex his ſic ſe habentibus non propterea ſequitur, quòd C ſit A, videlicet Ariſtomenes ſemper eſt: *corruptibilis eſt enim Ariſtomenes*: nam hæc concluſio falſa eſt, cum Ariſtomenes ſit corruptibilis. *Non igitur fiebat ſyllogiſmus, ſic ſe ha-*

D *bentibus terminis.* Ex huiuſmodi itaque diſpoſitione terminorum nullus ſequitur ſyllogiſmus, cum nihil neceſſarium inferatur; quod ideo euenit propter ſimilitudinem terminorum, quia ſumebamus indefinite hanc propoſitionem, quòd B eſt A: *ſed oportebat vniuerſaliter A, B ſumi propoſitionem*; cum tamen opus eſſet eam ponere vniuerſalem in prima figura, verùm vniuerſaliter ſumpta non eſt vera; & ideo ſequitur: *hoc verò falſum quod putabat, om-*

E *nem intelligibilem Ariſtomenem ſemper eſſe*: verùm licet propoſitio hæc indefinite ſumpta, intelligibilis Ariſtomenes ſemper eſt, ſit vera prout ſemper Ariſtomenes per intellectum percipi poteſt, in hoc inquam ſenſu, ſi tamen accipiatur vniuerſaliter omnis intelligibilis Ariſtomenes ſemper eſt, quòd ſcilicet ſinguli omnes Ariſtomenes per intellectum perceptibiles ſemper ſint, in hoc alio ſenſu propoſitio falſa eſt: & propterea quia indefinita diuerſum quid ſignificat ab vniuerſali: idcirco ea vera eſt, hæc

F autem falſa, *cum Ariſtomenes ſit corruptibilis*, cum non ſemper ſit Ariſtomenes, ſed corruptibilis exiſtat.

Rurſum ſit, in quo quidem C Micalus, in quo autem B Muſicus Micalus, in quo autem A corrumpi

cras. Verùm eſt ergo B de C prædicari; nam Micalus eſt muſicus Micalus, ſed & A de B; corrumpetur enim cras muſicus Micalus, A autem de ſe falſum; hoc autẽ idem eſt priori: non enim verum eſt vniuerſaliter Micalus muſicus, quoniam corrumpetur cras: hoc autem non ſumpto non erat ſyllogiſmus. Hæc ergo fallacia fit in eo, quod penè; vt enim nihil differat dicere hoc huic ineſſe, aut hoc huic omni ineſſe cõcedimus.

In hac reliqua parte capitis alio conſimili exemplo ſuperiori declarat, quòd quandoque decipitur ob ſimilitudinem poſitionis terminorum, veluti ſi ponamus loco A maioris extremi corrumpi cras, loco B medij Micalus muſicus, loco C minoris extremi Micalus, quoniam B medium de C minori extremitate in minori propoſitione prædicabitur, vti Micalus muſicus de Micalo, quia Micalus eſt muſicus Micalus; & ſimiliter A maior extremitas de B medio in minori propoſitione prædicabitur, vti corrumpi cras de muſico Micalo, quia Micalus muſicus corrumpitur cras; verùm non ſequitur de neceſſitate ſyllogiſtica ex his ſic poſitis, A de C in concluſione prædicari, corrumpi cras de Micalo: quia quamuis termini rectè ſint in prima figura diſpoſiti, tamen non regulantur principia, & propoſitiones per dictum de omni, quòd omnis Micalus muſicus corrumpitur cras. Ex quibus cõcludit Ariſtoteles nos ſecundo decipi in reductione orationis ad formam ſyllogiſticam propter ſimilitudinem poſitionis terminorum, & quatenus nos indifferenter, & ſine vlla diſtinctione indefinitam pro vniuerſali ponimus, & dicit: *Rurſum ſit in quo quidem C Micalus*, Sit aliud exemplum, in quo, loco C minoris extremi ponatur Micalus, *in quo autem B muſicus Micalus*, & loco B medij ponatur muſicus Micalus; *in quo autem corrumpi cras*; loco verò A maioris extremi ſit corrumpi cras. *Verum eſt ergo B de C prædicari*. Vera eſt ea propoſitio minor, in qua B mediũ de C minori extremitate prædicatur: *nam Micalus eſt muſicus Micalus*, quia Micalus eſt muſicus Micalus, *ſed & A de B*: pariter vera erit maior propoſitio, in qua A maior extremitas prædicatur de B medio: *corrumpetur enim cras muſicus Micalus*, quòd muſicus Micalus corrumpetur cras; *A autem de C falſum*; ſed A de C in concluſione de neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ vere non prædicatur, quòd ſcilicet Micalus corrumpetur cras. *Hoc autem eidem eſt priori*. Et hoc exemplum oſtendit idem quod prius inductum id euenire: propterea quod deficit principium regulans ſyllo-

A giſmum, ſcilicet dici de omni, & ſi termini recte fuerint diſpoſiti, quod habet in his verbis: *Non enim verum eſt vniuerſaliter Micalus muſicus, quoniam corrumpetur cras*; quoniam non eſt vera hæc propoſitio vniuerſalis, quod omnis muſicus Micalus corrumpetur cras; *hoc autem non ſumpto non erit ſyllogiſmus*, ſine quo principio non fit ratiocinatio, vnde concludit. *Hac ergo fallacia fit in eo quod penè*. Hic error igitur ſequitur propter poſitionis terminorum ſimilitudinem: videtur enim in hac diſpoſitione eſſe qua-
B ſi prima figura, cum medium in vna propoſitionum ſubijciatur, & in altera prædicetur; verùm deficit dici de omni, quod eſt principium regulans ſyllogiſmum, & nos indefinita, quaſi vniuerſalis exiſtat, indifferenter vtimur, quod habetur in ſequentibus: *Vt enim nihil differat dicere hoc huic ineſſe, aut hoc huic omni ineſſe concedimus*. Hæc inquam ſimilitudo vniuerſalis cum indefinita nos decipit, ita vt iudicemus ibi eſſe formam ſyllogiſmi, vbi eſt penè.

C

Super Capite XXXV. de neceſſario, & de deceptione iuxta ſimilitudinem poſitionis terminorum pro Juris ſtudioſis.

IN hoc capite habemus ſecundum modum,
D quo decipimur in reductione ſyllogiſmorum, vt puta quando termini ſunt recte diſpoſiti, deficit tamen dictum de omni, quoniam indifferenter indefinita vtimur & vniuerſali. Exemplum manifeſtum deſumitur in Iure, ſumptis his terminis in titu. Digeſtorum ad leg. Corn. de Sicar. l. 1. l. 3. §. transfugas. videlicet pœna capitali pro maiori extremo, homicida pro medio, transfuga ad hoſtes pro minori extremo, in hunc modum.

Homicida pœna capitali plectendus eſt, quæ
E eſt propoſitio vera. dicta l. 1.

Qui transfugam ad hoſtem interficit, eſt homicida, quæ pariter eſt vera, vt patet.

Tamen ex his ſic ſe habentibus, quamuis termini ſint recte diſtributi quo ad ſubiectionem, & prædicationem in prima figura, non proprie ſequitur de neceſſitate ſyllogiſtica, concluſio vera, quòd qui transfugam ad hoſtem interficit, pœna capitali puniendus ſit, cum liceat transfugam impune interfici, dicta l. 3. §. transfugas. & id euenit; propterea quod in maiori non adeſt
F dictum de omni, ſed indefinita eſt ſumpta pro vniuerſali, quæ ſi vniuerſaliter ſumatur, quòd omnis homicida pœna capitali plectendus ſit, falſa erit, & tali pacto habemus manifeſtum ſecundum modum, quo errare poſſumus in reductione orationis ad figuram ſyllogiſmi.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſiis.

De

De Ecthesi terminorum, ſeu de fallacia, cum termini diuerſimode in propoſitionibus aſſumuntur. Cap. XXXVI.

FRequenter autem mentiri euenit, eo quòd non bene exponuntur ſecundum propoſitionem termini, vt ſi A quidem ſit ſanitas, B autem ægritudo, C verò homo. Verùm eſt enim dicere, quòd A nulli B contingit ineſſe: nulli enim ægritudini ſanitas ineſt, & rurſum quòd B ineſt omni C. Omnis enim homo ſuſceptibilis eſt ægritudinis: videbitur ergo accidere nulli homini contingere ſanitatem ineſſe. Huius autem cauſa eſt, quòd non bene exponuntur termini ſecundum locutionem, quoniam tranſumptis ijs, quæ ſunt ſecundum habitudines non erit ſyllogiſmus, vt ſi pro ſanitate quidem ponatur ſanum; pro ægritudine autem ægrum, non enim verum eſt dicere, quòd non contingit ægrotanti ineſſe ſanum eſſe; hoc autem non ſumpto non fit ſyllogiſmus, niſi contingentis. Hoc autem non impoſſibile, contingit enim nulli homini ineſſe ſanitatem. Rurſum in media figura ſimiliter erit falſum: nam ſanitatem ægritudini quidem nulli; homini verò omni contingit ineſſe; quare nulli homini ægritudo.

Docet Ariſtoteles in hoc capite tertium modum, quo decipimur in reductione ſyllogiſmorum, ſcilicet ob vitioſam, & diuerſam aſſumptionem terminorum, quando ſcilicet vtimur abſtractis pro concretis indifferenter ſine vlla diſtinctione, quod declarat in his terminis, ſumptis loco A maioris extremi ſanitate, ægritudine loco B medij, & homine loco minoris extremi, & poſitis in maiori terminis abſtractis, in minori concretis tali pacto:

In prima figura.

Neceſſarium eſt, Nullam ægritudinem eſſe ſanitatem.
Contingens eſt, Omnem hominẽ eſſe ægrotum.

Sequitur ex his ſic ſe habentibus falſa concluſio.

Neceſſarium eſt, Nullum hominem eſſe ſanum.

Propterea quod contingens eſt, nullum hominem eſſe ſanum; & hoc ideo accidit, quia in maiori poſuimus habitus, ſiue terminos in abſtracto pro participantibus eos, pro terminis in concreto. Quibus mutatis, vt puta, neceſſarium eſt, nullum ægrum eſſe ſanum, erit propoſitio falſa, vnde etiam falſa ſequitur concluſio.

Pariter in ſecunda figura, ſi dixerimus.

Neceſſarium eſt, Nullam ægritudinem eſſe ſanitatem.
Contingens eſt, Omnẽ hominem eſſe ęgrũ.

Sequitur ex terminis ſic poſitis falſa concluſio neceſſarium eſt nullũ hominem eſſe ęgrum cum

Contingens ſit, Nullũ hominẽ eſſe ęgrum.

Quod ſi maior mutetur in terminos in concreto, neceſſarium eſt, nullum ægrotum eſſe ſanum, erit propoſitio falſa, & falſa ſequitur concluſio. Dicit igitur: ***Frequenter autem mentiri euenit, eo quod non bene exponuntur ſecundum propoſitionem termini***. In plurimis reſolutionibus accidit pro tertio decipi; eo quoniam termini in propoſitionibus ſumpti non eodem modo exponuntur, ſed vno in vna propoſitionum, & alio in alia, ***vt ſi A quidem ſit ſanitas***, veluti ſi ponatur ſanitas pro maiori extremitate, ***B autem ægritudo***, & ſumatur ægritudo pro medio, ***C verò homo***; pro minori autem extremitate accipiatur homo. ***Verùm eſt enim dicere, quòd A nulli B contingit ineſſe***. In his inquam terminis vera eſt hæc maior propoſitio, neceſſarium eſſe, nullum B eſſe A: ***nulli enim ægritudini ſanitas ineſt***, quoniam neceſſarium eſt, nullam ægritudinem eſſe ſanitatem; ***& rurſum quòd B ineſt omni C***. Similiter vera eſt hæc minor propoſitio, contingens eſt, omne C eſſe B. ***Omnis enim homo ſuſceptibilis eſt ægritudinis***: quia contingens eſt omnem hominem eſſe ægrotum. ***Videbitur ergo accidere nulli homini contingere ſanitatẽ ineſſe***. Ex his enim ſic poſitis ſequetur concluſio, quæ eſt falſa, neceſſarium eſt, nullum hominem eſſe ſanum. ***Huius autem cauſa eſt, quòd non bene exponuntur termini ſecundum locutionem***. Cauſa verò huius erroris eſt, quoniã termini in propoſitionibus non rectè exponũtur, cũ in vna accipiantur, & ſignificentur in abſtracto, in alia

verò in concreto, qood patet, *quoniã tranſumptis ĳs, quæ ſunt ſecundum habitudines, non erit ſyllogiſmus*, quia ſi ponantur in maiori propoſitione pro habitibus, habitus participantes pro abſtractis concreta, non fiet ratiocinatio vera, *vt ſi pro ſanitate quidem ponatur ſanum, pro ægritudine autem, ægrum*, veluti ſi loco habitus, nempe ſanitatis, & ægritudinis ponatur participans habitum, ſanum, & ægrotum. *Non enim verum eſt dicere, quod non contingit ægrotanti ineſſe ſanum eſſe*; quoniam falſum eſt dicere, neceſſarium eſt nullum ægrum eſſe ſanum. *Hoc autem non ſumpto*, ſcilicet maiori in terminis in abſtracto, *non fit ſyllogiſmus niſi contingentis*, non poteſt ſequi concluſio neceſſaria niſi contingens. *Hoc autem non impoſſibile*. Quæ illatio concluſionis non eſt impoſſibilis mutata fortaſſe maiori in terminos concretos, & in contingenti. *Contingit enim nulli homini ineſſe ſanitatem*. Cum hæc concluſio vera ſit contingens eſt nullum hominem eſſe ſanum. *Rurſum in media figura ſimiliter erit falſum*. Inſuper ſi talis reſolutio in his terminis fiat in ſecundam figuram, ſicuti in priorem, conſimiliter erit mendax, *nam ſanitatem ægritudini quidem nulli*, quoniam vera quidem eſt hæc maior, neceſſarium eſt nullam ægritudinem eſſe ſanitatem: *homini verò omni contingit ineſſe*: pariter hæc minor contingens eſt, omnem hominem eſſe ſanum. *Quare nulli homini ægritudo*. Vnde ſequitur concluſio falſa, neceſſarium eſt, nullum hominem eſſe ægrum.

Sequitur textus.

In tertia autem figura ſecundum contingere accidit falſum; etenim ſanitatem, & ægritudinem, & diſciplinam, & ignorantiam, & omnino contraria omni eidem contingit ineſſe: ſibi verò inuicem impoſſibile: hoc autem confeſſum in prædictis. Cum enim eidem plura contingerent ineſſe, contingebant & ſibi inuicem. Manifeſtum igitur, quòd in omnibus his fallacia fit propter terminorum expoſitionem; tranſumptis enim his, quæ ſunt ſecundum habitudines nihil fiet falſum. Palam ergo quòd ſecundum huiuſmodi propoſitiones ſemper eſt ſecundum habitum pro habitu ſumendum, & ponendum terminum.

A Cum ſuperius dixerit nos tertio decipi in reductione orationis ad figuram ſyllogiſmi ob vitioſam aſſumptionem terminorum, & id oſtenderit in prima & ſecunda figura, ex quo maiori exiſtente neceſſaria, & minori de ineſſe, ſiue contingenti non ſequitur concluſio neceſſaria, in præſenti nos monet etiam ob eandem prauam aſſumptionem decipi in tertia figura; verùm alia de cauſa, quoniam ſcilicet ex vtriſque propoſitionibus contingentibus, concluſio contingens non ſequitur, veluti ex his contingens

B eſt omni homini ineſſe ſanitatem, contingens eſt omni homini ineſſe ægritudinem, non ſequitur concluſio vera de contingenti, contingens eſt omnem ægritudinem eſſe ſanitatem, quod euenit, quia extremi termini, qui de homine prædicantur, non rectè ſumpti ſunt: non enim ſanitas & ægritudo, quæ ſunt habitus, ſed ægrum & ſanum habitus participantes ponendi ſunt, quoniam his ſumptis terminis concluſio ſequitur vera, vti ſi dixerimus, contingens eſt omnem hominem eſſe ſanum, contingens

C eſt omnem hominem eſſe ægrum; ergo contingens eſt omnem ægrum eſſe ſanum, & inquit: *In tertia autem figura ſecundum contingere accidit falſum*: ex variatione ſumptiorum terminorum, & praua aſſumptione ipſorum facta reductione in tertiam figuram, concluſio ex dictis terminis, quæ ſequitur, erit falſa de contingenti. *Etenim ſanitatem & ægritudinem, & diſciplinam, & ignorantiam, & omnino contraria omni eidem contingit ineſſe*: quoniam eidem ſubiecto, puta homini contingit ineſſe concre-

D tiue, & ſanitatem, & morbum; & ſcientiam, & inſcitiam, licet non ſimul & ſemel, & conſimiles habitus contrarios, *Sibi verò inuicem impoſſibile*. At habitus contrarios ſibi inuicem ineſſe impoſſibile eſt. *Hoc autem confeſſum in prædictis*. quod tamen in prædictis terminis manifeſtum accidit. *Cum enim eidem plura contingerent ineſſe*. Quando enim eidem ſubiecto plura contraria concretiue ſumpta cõtingit ineſſe, *contingebant & ſibi inuicem*, etiam contingebat ſibi inuicem ineſſe, veluti ſanum contingit

E ineſſe ægro, & ægrum contingit ineſſe ſano, *Manifeſtum igitur quod in omnibus his fallacia fit propter terminorum expoſitionem*. Patet itaque, quòd in omnibus talibus fit deceptio propter prauam aſſumptionem terminorum. *Tranſumptis enim his, quæ ſunt ſecundum habitudinem, nihil fit falſum*. Abſtractis enim in concretos mutatis nulla fallacia exiſtit. *Palam ergo quod ſecundum huiuſmodi propoſitiones ſemper eſt ſecundum habitum pro habitu ſumendum, & ponendum terminum*. Conſtat itaque, quòd ad

F euitandam huiuſcemodi tertiam deceptionem ſumendi ſunt in propoſitionibus termini prout ſunt in concreto non in abſtracto, ſcilicet non pro habitibus, ſed pro participantibus habitum.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

A

Super Capite XXXVI. De Ecthesi terminorum, ſeu de fallacia, cum termini diuerſimode in propoſitionibus aſſumuntur pro Iuris ſtudioſis.

PRo vtilitate Iuriſtarum conſequenda ex his, quæ declarantur in hoc capite, quod nempe ne decipiamur in reductione ſyllogiſmorum ſumere debemus non habitus, ſed eos participantes. Accipiendi ſunt termini in tit. Inſt. de iuſt. & iu. & de iniurijs, ponendo iuſtitiam pro maiori extremo, hominem pro medio, iniuriam pro minori extremo, & oſtendendo fallaciam in prima, ſecunda, & tertia figura, tali pacto.

In prima.

Neceſſarium eſt,	Nullam iuſtitiam eſſe iniuriam.
Contingens eſt,	Omnem hominem eſſe iuſtum, ergo non ſequitur
Neceſſarium eſt,	Nullum hominem eſſe iniurioſum.

In ſecunda.

Neceſſarium eſt,	Nullam iuſtitiam eſſe iniuriam.
Contingens eſt,	Omnem hominem eſſe iniurioſum, ergo non ſequitur
Neceſſarium eſt,	Nullum hominem eſſe iuſtum.

In tertia.

Contingens eſt,	Omni homini ineſſe iuſtitiam.
Contingens eſt,	Omni homini ineſſe iniuriā, non ſequitur
Contingens eſt,	Omnem iniuriam eſſe iuſtitiam.

Hæc autem deceptio ſequitur, propterea quod termini non recte ſumuntur; in prima & ſecunda figura namque in maiori ſumuntur in abſtracto, & in minori in concreto, & in tertia ſumuntur in abſtracto. Cum tamen non habitus, ſed habitus participantes ſumendi ſint, veluti exempli gratia in tertia figura, iuſtum pro iuſtitia, iniurioſum pro iniuria, tali modo.

Contingens eſt,	Omnem hominem eſſe iuſtum.
Contingens eſt,	Omnem hominem eſſe iniurioſum, ergo
Contingens eſt,	Omnem iniurioſum eſſe iuſtum.

Quæ concluſio erit vera, & ita habemus facile ad vſum iuris ſtudioſi, quæ docentur à Philoſopho in præſenti capite, pro quibus ſatis.

Tractatus Quartus.

De Ecthesi terminorum compoſitorum, & obliquorum ſyllogiſmi.

Cap. XXXVII.

NOn oportet autem terminos ſemper quærere nomine exponi; ſæpe enim erunt orationes, quibus non ponuntur nomina: quare & difficile erit reducere huiuſmodi ſyllogiſmos. Aliquoties autem & falli accidet propter huiuſmodi inquiſitionem, vt quod immediatorum erit ſyllogiſmus. Sit enim A, duo recti, B autem triangulus, C verò æquicrurus; ergo ei quod eſt C ineſt A propter B: ei verò quod eſt B, non iterum propter aliud. Per ſe enim triangulus habet duos rectos: quare non erit medium eius quod eſt A, B, cum ſit demonſtrabile. Manifeſtum enim quod medium non ſic ſemper eſt ſumendum, vt hoc aliquid, ſed aliquando vt orationem, quod accidit & in prædicto.

B

C

D

In principio huius capitis deſcendit Ariſtoteles ad aliud obſeruandum in reductione ſyllogiſmorum in figuram, quod ſcilicet animaduertendum eſt in reſolutione propoſitionum in terminos, ne ſemper inquiramus rem nomine expreſſam, quia quandoque termini per orationem, non per nomen ſignificantur, vndè accidit huiuſmodi reductionem fore difficilem, cum non ponatur in conſuetudine nomen medio termino, nec aliqua inueniatur oratio, quæ naturam rerum explicet, quinimo etiam quandoque decipimur, quia nomen inquirentes, & non adinuenientes credimus immediatorum eſſe ſyllogiſmum contra ea quæ docentur in libro Poſteriorum, impoſſibile enim eſt immediatorum eſſe demonſtrationem, cum omnis demonſtratio per medium, per terminum aliquem medium fiat. Declarat autem quæ dicit, exemplo in his terminis ſumptis videlicet loco A maioris extremi, duobus rectis per æqualitatem loco B medij triangulo,

E

F

loco C minoris extremi yſochele, & formato ſyllogiſmo in elementis, & terminis in hunc modum. A

In elementis.

Omne B eſt A.
Omne C eſt B, ergo
Omne C eſt A.

In terminis.

Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. B
Omnis yſocheles eſt triangulus, ergo
Omnis yſocheles habet tres angulos æquales duobus rectis.

In his patet primum prædicatum nomine non exponi, ſed oratione; propterea quod A ineſt ei quod eſt C per B medium, habere tres angulos æquales duobus rectis ineſt yſocheli per triangulum; at A non ineſt B, habere tres angulos æquales duobus rectis non ineſt triangulo per aliud medium nomine expreſſum; C quia inter paſſionem, & eius proprium ſubiectum tale medium non reperitur, hinc quærentes tale medium, & non adinuenientes quandoque decipimur immediatorum arbitrantes eſſe ſyllogiſmum, cum ea maior propoſitio ſit demonſtrabilis; verùm non per medium nomine, ſed oratione expoſitum, tali pacto.

Se mutuo ſubſequentibus æquales etiam duobus rectis ſunt æquales.
Trianguli tres anguli ſe mutuo ſubſequentibus angulis æquales ſunt, ergo D
Trianguli tres anguli æquales duobus rectis ſunt.

Dicit igitur: *Non oportet autem terminos ſemper quærere nomine exponi*. In reſolutione ſyllogiſmorum in figuras, quando propoſitiones in terminos reſoluimus, non eſt opus ſemper inquirere res incomplexas, & nomine expreſſas. *Sæpe enim erunt orationes, quibus non ponuntur nomina*. Quia plerunque in E propoſitionibus, erunt tales termini, qui non nomine, ſed oratione poterunt exponi. *Quare & difficile erit reducere huiuſmodi ſyllogiſmos*. Quo fit vt in propoſitionibus habentibus tales terminos fiat difficilis reductio ad figuram ſyllogiſmi. *Aliquoties autem & falli accidet propter huiuſmodi inquiſitionem*. Et inſuper quandoque decipimur in inueſtigatione huiuſcemodi medij, *vt quod immediatorum erit ſyllogiſmus*, putantes non adinuenientes medium nominatum fieri demonſtrationem ex immediatis, cum tamen in ſequenti tractatu Poſteriorum, F ſatis aperte conſtabit demonſtrationem per aliquem terminum medium fieri; declarat exemplo hactenus dicta. *Sit enim A duo recti*, loco A maioris extremi ponantur duo recti per æqualitatem. *B autem triangulus*, & loco B

A medij ponatur triangulus. *C verò æquicrurus*, & loco C minoris extremi ponatur æquicrurus. *Ergo ei quod eſt C, ineſt A propter B*. Patet in his terminis A ineſſe C per medium B. *ei verò quod eſt B non iterum propter aliud*. At non apparet A ineſſe B per alium terminum medium. *Per ſe enim triangulus habet duos rectos*: quia huiuſmodi paſſio habere tres angulos ineſt proprio eius ſubiecto, puta triangulo per ſe, non per aliud medium ſubiectum nominatum. *Quare non erit medium eius,* B *quod eſt A, B, cum ſit demonſtrabile*. Quapropter ea maior propoſitio omne B eſt A non habebit ſubiectum medium, quamuis ſit demonſtrabilis, & ſic demonſtratio immediatorum erit, quæ eſt fallacia, & deceptio: quapropter concludit. *Manifeſtum enim, quòd medium non ſic ſemper eſt ſumendum, vt hoc aliquid*, quod non debemus ſemper inquirere medium, quod ſpeciali nomine ſit expreſſum & expoſitum, quando reducimus propoſitiones in terminos; *ſed ali-* C *quando vt orationem*, ſed quandoque inquirendum eſt medium, vt oratione circumſcribente exprimitur, *quod accidit, & in prædicto*, vti euenit in terminis poſitis.

Sequitur textus.

Ineſſe autem primum medio, & hoc poſtremo non oportet ſumere, ut prædicentur ſemper ad ſe D inuicem ſimiliter, & primum de medio, & hoc de poſtremo, & in non eſſe ſimiliter, ſed quoties dicitur eſſe, & verum dicere, hoc toties arbitrari oportet ſignificare, & ineſſe, ut quod contrariorum una eſt diſciplina; ſit enim A v- E nam eſſe diſciplinam, B autem contraria ſibi inuicem: A ergo ineſt B, non quod contrariorum, unam eſſe eorum diſciplinam, ſed quod verum eſt dicere de ipſis vnam eſſe eorum diſciplinam.

Quintum quod obſeruare docet Ariſtoteles in reductione propoſitionum in terminos eſt, F quod non eſt opus ſemper terminos exponere ſecundum caſus ſimilitudinem, vt ſi maior extremitas in caſu recto prædicetur de medio, in maiori propoſitione etiam medium de minori extremitate in altera propoſitione prædicetur in recto; ſed etiam neceſſe eſt, ſecundum caſus diſſimiles & obliquos terminos pone-

te,

re; vt omne animal rationale riſibile, omnis homo animal rationale, termini ſic ſumpti ſimiles ſunt & in caſu recto, Doctori credendum eſt, Philoſophus eſt doctor, ſunt termini diſſimiles in caſu recto, & in caſu obliquo. Quot modis enim vnumquodque ens verum eſſe dicitur, vt Philoſophus eſt, Philoſophum eſſe; totidem etiam aliud de alio prædicari poteſt, & hoc cum in propoſitionibus affirmatiuis, tum etiam negatiuis, quod declarat exemplo, his ſumptis terminis, videlicet vnam eſſe diſciplinam pro maiori extremo, contraria pro medio, namque in his terminis A ineſt quidem ipſi B, ſed non recto caſu; vt contraria ſunt vna diſciplina, ſed in obliquo, & genitiuo contrariorum vnam eſſe diſciplinam: propterea quod tali pacto prædicatio efficitur naturalis, & adeſt veritas propoſitionis. Dicit igitur: *Ineſſe autem primum medio, & hoc poſtremo non oportet ſumere.* In reductione affirmatiuarum propoſitionum, in terminos non eſt opus ita eos exponere, vel ſit maius extremum, quod prædicetur de medio, vel medium quod prædicetur de minori extremo, *vt prædicentur ſemper ad ſe inuicem ſimiliter*, ſicuti ea quæ prædicentur ſecundum vnam, & eandem ſimilitudinem, vtputa vtrique termini prædicentur in recto, tum in maiori, tum in minori propoſitione, quod innuit dicens, *& primum*, ideſt maior extremitas, *de medio*, prædicetur affirmatiue in maiori propoſitione, *& hoc*, medium ſcilicet, *de poſtremo*, prædicetur affirmatiue de minori extremitate in minori propoſitione, *& in non ineſſe ſimiliter*, & quod aſſeritur de affirmatiua prædicatione, & de negatiua verificatur, *ſed quoties dicitur eſſe, & verum dicere*, ſed quot modis vnaquæque res dicitur exiſtere & vera, *hoc toties arbitrari oportet ſignificare & ineſſe*, totidem eadem res variari poteſt, vnumque de alio dici vel ſignificari; declarat exemplo, *vt quod contrariorum vna eſt diſciplina*, ſicuti variantur termini in hac propoſitione, quoniam contrariorum vna eſt diſciplina. *Sit enim A*, quod eſt maius extremum, *vnam eſſe diſciplinam*, & inſuper; *B autem*, quod eſt medium *contraria ſibi inuicem*, contraria inter ſe in his terminis; *A ergo ineſt B*, A maius extremum affirmatiue prædicetur de medio, *non quod contrariorum vnam eſſe eorum diſciplinam*, non in caſu recto tanquam contraria vna eſt ſcientia, *ſed quod verum eſt dicere, de ipſis vnam eſſe eorum diſciplinam*, ſed in caſu obliquo, contrariorum vnam eſſe diſciplinam.

Sequitur textus.

Accidit autem quandoque primum de medio dici, medium autem de tertio non dici, vt ſi. Sophia eſt diſciplina, boni autem eſt

A Sophia: concluſio, quod boni eſt diſciplina, & non, bonum quidem eſt diſciplina, Sophia autem eſt diſciplina, quandoque autem medium quidem de tertio dicitur. Primum autem de medio non dicitur, vt ſi qualis omnis eſt diſciplina, aut contrarij. Bonum autem

B eſt & contrarium, & quale. Concluſio quidem quod boni eſt diſciplina: non eſt autem bonum diſciplina, neque quale, neque contrarium, ſed omnium diſciplina, non eſt autem bonum diſciplina, neque concluſio ſecundum rectum, neque quale, neque contrarium,

C ſed bonum hæc. Eſt autem quandoque neque primum de medio, neque hoc de tertio, primo de tertio quandoque quidem dicto, quandoque autem non dicto, vt ſi cuius eſt diſciplina, huius eſt genus, boni autem eſt diſciplina, concluſio

D quod boni eſt genus: prædicatur autem nullum de nullo. Si autem cuius eſt diſciplina genus eſt hoc, boni autem eſt diſciplina, concluſio quod bonum eſt genus; ergo de extremo quidem prædicatur primum, de ſe autem inuicem non dicuntur.

E Cum dixerit Philoſophus, quòd in reductione propoſitionum in terminos, non ſemper oportet terminos exponere ſecundum caſus ſimilitudinem, declarat in præſenti quot modis varientur termini, & ponit quòd quandoque in propoſitionibus ſyllogiſmi maior extremitas prædicatur in maiori propoſitione, de medio in recto, & medium in minori propoſitione prędicatur de minori extremo in obliquo, vnde concluſio infertur ſecundum caſum obliquum, vti gratia exempli, Sapien-

F tia eſt diſciplina, boni eſt ſapientia; ergo boni eſt diſciplina: quandoque verò è contrario, medium prædicatur de minori extremo in minori propoſitione in caſu recto, & maius extremum de medio in maiori propoſitione in caſu obliquo, & rurſum concluſio ſequitur in

obliquo, veluti qualis eſt ſcientia bonum eſt quale, ergo boni eſt ſcientia; quandoque verò & maius extremum de medio in maiori propoſitione, & medium de minori extremo in minori propoſitione ambo prædicantur in obliquo, & tunc cōcluſio aliquádo in caſu obliquo, aliquando in caſu recto concluditur. Exemplum primę, Cuius eſt ſcientia, huius eſt genus, boni eſt ſcientia; ergo boni eſt genus. Exemplum ſecūdę, Cuius eſt ſcientia, idem eſt genus, boni eſt ſcientia; ergo bonum eſt genus. Videamus verba: *Accidit autem quandoque primum de medio dici.* In propoſitionibus ſyllogiſmi quandoque termini variantur ſecundum caſus ſimilitudinem, quandoque ita variantur, quòd maior extremitas prædicatur in recto caſu de medio termino. *Medium autem de tertio non dici.* Medium verò non prædicatur de minori extremo in recto, ſed puta in obliquo. Exemplum, *ut ſi Sophia eſt diſciplina,* ſint tres termini, Sophia, Diſciplina, Bonum: primus terminus maior extremitas, ſecundus medium, tertius minor extremitas, & formetur ratiocinatio, quę habeat maiorem propoſitionem talem, Sophia eſt diſciplina. *Boni autem eſt Sophia,* & minor propoſitio ſit, boni eſt Sophia, videtur aperte in maiori propoſitione maius extremū de medio prædicari in recto, & mediū in minori propoſitione de minori extremo dici in obliquo. Quare, *concluſio quod eſt boni diſciplina.* Vnde infertur concluſio in obliquo, in genitiuo caſu, *& non bonum quidem eſt diſciplina, Sophia autem eſt diſciplina;* non autem in recto concluſio eſt, bonum eſt ſcientia, ſicuti eſt maior propoſitio, ſapientia eſt ſcientia. *Quandoque autem medium quidem de tertio dicitur.* Quandoque verò medium prædicatur de minori extremo in minori propoſitione in recto. *Primum autem de medio non dicitur* At maior extremitas de medio in maiori propoſitione non prædicatur in recto, ſed in obliquo. Exemplum, ſint tres termini, Diſciplina maior extremitas, Quale, ſiue contrarium medium, Bonum minor extremitas, et ſic proponatur, *vt ſi qualis omnis eſt diſciplina, aut contrarij.* Sit maior propoſitio qualis, ſiue contrarij eſt ſcientia. *Bonū autem eſt & contrarium & quale,* & minor propoſitio ſit, Bonum eſt quale ſiue contrarium, ex his ſequitur in obliquo, *Concluſio quidem quod boni eſt diſciplina,* quod boni eſt ſciētia ſiue diſciplina in genitiuo caſu, cum maior extremitas de medio in maiori in obliquo, & medium de minori extremitate in minori in recto prædicentur: in tali namque acceptione terminorum non ſequitur. *Non eſt autem bonum diſciplina,* ſcilicet in recto, ſed boni, *neque quale,* ſed qualis, *neque contrarium,* ſed contrarij, *ſed omnium diſciplina,* ſed omnium talium dicitur eſſe diſciplina in obliquo caſu, puta genitiuo. *Non eſt autem bonum diſciplina,* & non dicitur in recto in concluſione, quod bonum ſit diſciplina, *neque concluſio ſecundum rectum,* & in ſumma, neque concluſio dicitur in recto, ſed in genitiuo, *neque quale, neque cōtrarium,* ſed neque maior dicitur in recto: non enim dici

A mus, quòd quale eſt ſcientia, vel quòd contraria ſint ſcientia, ſed qualis, & cōtrariorum eſt ſcientia, *ſed bonum hæc,* minor in recto caſu prædicatur, nam ſic dicimus, Bonum eſt quale, vel contrarium. *Eſt autem quandoque neque primum de medio.* Pro tertio verò aliquando ita variantur termini, quòd neque maior extremitas in maiori propoſitione prædicatur de medio in recto, *neque hoc de tertio,* neque medium in minori propoſitione prædicatur de minori extremitate in recto. *Primo de tertio quandoque quidem dicto,* ita

B quòd quandoque maior extremitas de minori extremitate concluditur in recto in concluſione; *quandoque autem non dicto:* quandoque verò concluditur in obliquo. Exemplum eius quæ in obliquo, *vt ſi cuius eſt diſciplina, huius eſt genus.* Sit maior propoſitio talis, Cuius eſt ſcientia, huius eſt genus: *boni autem eſt diſciplina:* minor verò propoſitio huiuſmodi boni eſt ſcientia. *Concluſio, quòd boni eſt genus* Infertur concluſio in obliquo, in genitiuo caſu, ergo boni eſt genus. *Prædicatur autem nullum de nullo.*

C In huiſcemodi acceptione terminorum nullum trium terminorum de nullo trium terminorum neque in præmiſſis, ſcilicet neque in concluſione prædicatur ſecundum rectum. *Si autem cuius eſt diſciplina genus eſt hoc.* Si autem ſic proponantur termini, vt maior propoſitio ſit, cuius eſt diſciplina, idem eſt genus. *Boni autem eſt diſciplina,* & minor propoſitio ſit, quòd boni eſt diſciplina. *Concluſio, quòd bonum eſt genus.* Erit concluſio in recto, quoniam bonum eſt genus. *Ergo de extremo quidem prædicatur primum.* Patet itaque, quòd

D in tali acceptione terminorum concluditur in concluſione maius extremum de minori in recto caſu. *Te ſe autem inuicem non dicuntur.* At in præmiſſis termini non prędicātur de ſe inuicem ſecūdum rectum caſum, ſed ſecundum obliquitatem genitiui.

Eodem autem modo & non ineſſe ſumendum: non enim ſemper ſignificat non ineſſe hoc huic, non eſſe

E hoc, hoc, ſed aliquando non eſſe hoc huius, aut huic vt quod non eſt motionis motus aut generationis generatio; voluptatis autem eſt; non ergo voluptas generatio, aut rurſus quod riſus eſt ſignum; ſigni autem non eſt ſignum; quare non eſt ſignum riſus.

F Similiter autem & in alijs, in quibus interimitur propoſitum, eo quod dicitur aliquo modo ad id genus; rurſum quod occaſio non eſt tempus opportunum: Deo enim occaſio quidē eſt; tempus autem opportunum non

eſt,

eſt, eò quod nihil ſit Deo conferens: terminos enim ponendum eſt, occaſionem, & tempus opportunum & Deum; propoſitio autem ſumenda; ſecundum nominis caſum.

Poſtquam determinauit in affirmatiuis ſyllogiſmis in reductione propoſitionũ in terminos non oportere nos ſemper ipſos exponere ſecundum caſus ſimilitudinem, hoc idem in præſenti, & in negatiuis ſyllogiſmis euenire docet, quoniam ſcilicet, & in his termini eodẽ modo variantur, nec ſemper complicãtur in recto caſu, ſed etiam in obliquo, vtputa quandoque in genitiuo, veluti in prima figura motio non eſt motionis, vel generatio non eſt generationis, voluptatis eſt motio, vel voluptatis eſt generatio; ergo voluptas non eſt motio, vel voluptas non eſt generatio. Aliud exemplum, Signum non eſt ſigni, riſus eſt ſignum; ergo riſus non eſt ſignum, in his duabus ratiocinationibus negatiuis in prima figura neutra ex propoſitionibus in recto caſu conſtituta eſt, ſed tãtum concluſio in recto caſu inducta reperitur: ſimiliter contingit & in alijs figuris, in quibus negatiua concluſio colligitur, vt in ſecunda figura, in qua medium vocat genus; propterea quod communius eſt vtriſque extremis, & in tertia, in qua tradit exẽplum ponendo hos terminos tempus opportunum pro maiori extremo, Deum pro medio, occaſionem pro minori extremo, quos terminos in ſelectione accipiendos eſſe aſſerit in recto caſu, ſe in propoſitione complicandos non ſolum in recto, ſed etiam in obliquo in hunc modum, Deo non eſt tempus opportunum, Deo eſt occaſio; ergo occaſio nõ eſt tempus opportunum: vtraque enim propoſitio ſecundum obliquitatẽ, ſcilicet in datiuo caſu dicitur ad ipſum ſubiectũ, concluſio tamen in recto deducitur. Ideo dicit: *Eodem autem modo, & non ineſſe ſumendum.* Simili modo fit variatio terminorum ſecundum caſus, & in negatiuis ſyllogiſmis: in his nãque neceſſe eſt quãdoque dicto modo variari propoſitiones. *Non enim ſemper ſignificat non ineſſe hoc huic, non eſſe hoc, hoc.* Non enim ſemper qui aliquid de aliquo negat in concluſione recto caſu vtitur, & dicit hoc non eſt hoc, homo non eſt lapis. *Sed aliquando non eſſe hoc huius, aut huic.* Sed interdum genitiuo, interdum datiuo vtitur. Exemplum in prima figura, *ut quod non eſt motionis motus, aut generationis generatio,* ſit maior propoſitio in genitiuo, motus non eſt motionis, vel generatio non eſt generationis, *voluptatis autem eſt,* & minor ſit voluptatis eſt motus, voluptatis eſt generatio, pariter in genitiuo. *Non ergo uoluptas generatio.* Concluditur in recto, ergo voluptas nõ eſt motio, vel voluptas nõ eſt generatio: *aut rurſus.* Sit aliud exemplum, *quod riſus eſt ſignum,* Sit minor talis, riſus eſt ſignum in genitiuo caſu. *Signi autem non eſt ſignum.* Maior verò ſit pariter in ge-

A nitiuo, ſignum non eſt ſigni. *Quare non eſt ſignum riſus* Concluditur in recto, quod riſus non eſt ſignum, & ita vtraque præmiſſarum in ambabus ratiocinationibus conſtitutæ ſunt in genitiuo, concluſio verò vtriuſque in recto deducta. *Similiter autem & in alijs, in quibus interimitur propoſitum.* Simili modo ſe habet ſicuti in prima figura, & in alijs figuris, in quibus quod propoſitum eſt negatiue concluditur, & in quibus prædicatum in cõcluſione a ſubiecto remouetur, *eò quod dicitur aliquo modo ad id genus:* hoc dicit reſpectu B ſecũdæ figuræ, in qua medium, quod in vtraque propoſitione prædicatur, quocunque modo, & quocũque caſu cum altero extremo coniunctũ quæſtionem propoſitam deſtruit, genus appellat, quia medius terminus de omnibus extremis prædicatur; & propterea dicitur quoquomodo eſſe communius illis. *Rurſum quòd occaſio non eſt tempus opportunum.* Ponit exemplum in tertia figura, ſi quis negatiue concludat, quòd occaſio non eſt tempus opportunum in his terminis. *Deo enim occaſio quidem eſt,* quoniam Deo occa-C ſio eſt: *tempus autem opportunum non eſt:* Deo verò non eſt tempus opportunum, *eò quod nihil ſit Deo conferens.* Propterea quod nihil Deo poteſt eſſe proficiens in tempore, vel ſimpliciter. *Terminos enim ponendum eſt occaſionem,* Seligendi autem ſunt termini, ita vt occaſio ſit minor extremitas, *& tempus opportunum,* ſit maior extremitas, *& Deum,* Deus verò ſit medium. *Propoſitio autem ſumenda ſecundum nominis caſum;* ſed vtraque propoſitio in ſyllogiſmo ſumenda eſt non ſecundum nomen, ſcilicet ſecundum re-D ctum caſum, ſed ſecundum nominis caſum, puta obliquum in datiuo, & ſic propoſitiones erunt in datiuo, & concluſio fiet in recto.

Simpliciter enim hoc dicimus de omnibus, quòd terminos quidem ſemper ponendum ſecundum declinationes nominum, ut homo, aut bonum, aut contraria, non hominis, aut E boni, aut contrariorum; propoſitiones autem ſumendum ſecundum cuiuſque caſus: aut enim quoniam huic vt æquale, aut quoniam huius vt duplum, aut quoniam hoc vt feriens, vel videns, aut quoniam hic vt homo, animal, aut ſi quolibet modo aliter cadit nomen ſecundum propoſi-F tionem.

Vbi dixerit ſuperius, quòd in ſelectione terminorum eos ſumere debemus in caſu recto: in complicatione verò ipſorũ in propoſitionibus, & in recto, & in obliquo exponendi ſunt, & exẽplificauerit in terminis ſupra proximis & in genitiuo, & in datiuo caſu, id in præſenti in vniuerſum

uerſum

berſum faciendum eſſe monet, vt terminos ſecundum caſus rectos exponamus, eoſdem verò in propoſitionibus ſecundum congruentes caſus ſiue rectos, ſiue obliquos cōnectamus: differentias autem caſuum exemplis nobis declarat genitiui duplum dimidij duplum, datiui æquale æquali æquale, accuſatiui verberans verberat verberatum, videns videt viſum. Cæterum quoniam non ſemper neceſſe eſt conſtruere propoſitiones in caſu obliquos, ſed eo modo quo ſunt veræ & congruentes, ſiue extiterint in obliquo, ſiue in recto caſu: ideo ponit exemplum caſus recti, vt homo animal, & inſuper cum ex Philopono hoc in loco ſæpe verbis vtamur in poſitis terminis, vt philoſophari bonum eſt, addit etiam et ſi aliquo modo aliter cadit nomē, & dicit: *Simpliciter enim hoc dicimus de omnibus*, & vniuerſaliter & abſolute hoc dicimus de omnibus terminis, & propoſitionibus, *quòd terminos ſemper ponendum ſecundum declinationes nominum*, quòd in ſelectione recto caſu ſemper eſt terminos exponere, *vt homo, aut bonum, aut contraria*, veluti termini, homo, bonum, contraria, ſumendi ſunt in nominatiuo caſu, *non hominis, aut boni, aut contrariorum*, non in obliquo, vt puta genitiuo. *Propoſitiones autem ſumendum ſecundum cuiuſque caſus*. At cum complicauerimus eoſdem terminos inter ſe, vt faciamus propoſitiones ſyllogiſmi non ſolum in recto, ſed & ſecundum aliquem alium caſum nominis, quod videlicet congruum erit, exponemus. *Aut enim quoniam huic*. Aut enim in datiuo caſu, *vt æquale*, veluti æquale æquali æquale, *aut quoniam huius*, aut in genitiuo, *vt duplum*, veluti duplum dimidij duplum, *aut quoniam hoc*, aut in accuſatiuo, *vt feriens, vel videns*, vt verberans verberauit verberatum, videns vidit viſum, *aut quoniam hic*, vel etiam in nominatiuo, *vt homo animal*, vt homo eſt animal in recto caſu, *aut ſi quolibet modo aliter cadit nomen ſecundum propoſitionem*, vel ſi quo alio modo ſecundum alium caſum idem nomen in propoſitione alicuius ſyllogiſmi inuenitur in ſubiecto poſitum, vel in prædicato.

Ineſſe autem hoc huic, & verum eſſe hoc de hoc, toties ſumendum, quoties prædicamenta diuiſa ſunt, & hæc aut aliquo modo, aut ſimpliciter amplius, aut ſimplicia, aut complexa. Similiter autem & non ineſſe; conſiderandum hæc autem, & determinandum, optimum.

In fine capitis cum hactenus declarauerit Ariſtoteles, quomodo varientur termini in complicatione propoſitionum ſecundū congruentiam rerum, quo ad nomen, & caſum nominis, determinat de varietate & diuerſitate prædicatorum in ipſis propoſitionibus. Non enim ſemper prædicata ſunt ſubſtantialia, & ex ſubſtantia acci-

A piuntur; ſed etiam ſunt accidentalia, ita vt tot modis variari dicātur, quot modis prædicamentā ipſa diuiſa, & diſtincta ſunt, vt in ſubſtantiā, quòd homo eſt animal; in quantitate quòd ſit tricubitus, in qualitate quòd ſit coloratus, in relatione quòd ſit pater, & in alijs ſimiliter: quæ prædicata aut abſolute, & vniuerſaliter de iis, quorum ſunt prædicata dicuntur, ſicuti faciunt genera, differentię, principia, definitiones, & accidentia replentia totum ſubiectum, aut aliquo modo, & aliqua ex parte, vti accidentia non re-
B plentia totum ſubiectum, veluti albedo de oculo, de dente Aethiopis, & vlterius hæc prædicata vel ſunt ſimplicia, vt Socratē eſſe hominem, vel complexa, vt Socratem eſſe hominem, & album, & idem ſe habet de negatiuis propoſitionibus, in quibus prædicata remouentur à ſubiectis, & hæc compoſita prædicata magis diligenter inſpicienda, & diſtinguenda cenſet quàm ſimplicia, quoniam horum alia vnam faciunt propoſitionem, alia non vnam faciunt, vt in lib. de Interpretatione fuit expoſitū, & hæc haben-
C tur in his verbis, quando dicit: *Ineſſe autem hoc huic*, videlicet hoc prædicatum huic ineſſe ſubiecto, *& verum eſſe hoc de hoc*, & verum eſſe hoc prędicatum de hoc ſubiecto, *toties ſumendum*, tot modis dicitur & formis variatur, *quoties prædicamenta diuiſa ſunt*, quot modis diuiſa, et diſtincta ſunt prædicamenta, *& hæc aut aliquo modo*, & hęc dicuntur alteri ineſſe aliqua ex parte, *aut ſimpliciter amplius*, vel dicuntur ineſſe ſecundum totum, & vniuerſaliter, *aut ſimplicia*, quæ prædicata, vel ſunt incomplexa, *aut complexa*, vel ſunt
D compoſita. *Similiter autem & non ineſſe*. Et hoc idem ſe habet in negatiuis propoſitionibus; in quibus prædicata de ſubiectis negantur; & ab ipſis remouentur; quod ſcilicet vel ſecundum partem, vel ſecundum totum remouentur, & ſunt vel ſimplicia, vel compoſita. *Conſiderandum hæc autem*. Hęc autem compoſita, ſcilicet magis diligenter inſpicienda ſunt, *& determinandum optimum*, & in vnaquoque iſtorum aduertēdum eſt id quod eſt conuenientius ad ſyllogiſmorum reductionem, vel propoſitionum reſolutionem
E in terminos. Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XXXVII. de Ecthesi terminorum compoſitorum, & obliquorum ſyllogiſmi pro Iuris ſtudioſis.

TRia potiſſimum habemus vtilia in hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

F Primum, quòd in reſolutione propoſitionum in terminos non ſemper inquirendū eſt rem nomine expreſſam, quia quandoque termini per orationem, non per nomen ſignificantur.

Secundum, quòd in ſelectione terminorum vtendum quidem eſt recto caſu, at in connexione pro-

ne propoſitionum,& recto,& obliquo,prout veritas propoſitionis, & congruitas orationis expoſcunt.

Tertium, quòd termini in propoſitionibus præter diſſimilitudinem caſus, tot modis varientur, quot ſunt diſtincta, & diuiſa prædicamenta.

Exemplum primi pro Iuriſtis in his terminis, ſumptum Inſt. titu de act. cum ſeq. ſcilicet ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur pro maiori extremitate, actio pro medio, ei, qui ſeruum ſuum negotiationi præpoſuerit, pro minori extremitate, & formata ratiocinatione hunc in modum.

Omnis actio eſt ius proſequendi in iudicio,quod ſibi debetur,

Ei, qui ſeruum ſuum alicui negotiationi præpoſuerit,competit actio,ergo

Ei, qui ſeruum ſuum alicui negotiationi præpoſuerit, competit ius proſequendi in iudicio,quod ſibi debetur.

In maiori propoſitione huius ratiocinationis prædicatum, & in minori ſubiectum, non per nomen,ſed per orationem exponuntur,vt patet,

Exemplum ſecundi ſit in his aliis terminis deſumptis in l.1.& 2. C. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit, Sit enim,

Extinctio criminis, maior extremitas.
Mors rei, medium.
Titius homicida,minor extremitas.

Tunc formetur ratiocinatio talis,in his terminis in recto caſu ſelectis.

Morte Rei,crimen extinguitur.
Titius homicida mortuus eſt,ergo
Titij homicidæ crimen extinctum eſt.

In hac ratiocinatione, modo termini ſunt in obliquo,modo ſunt in recto;in obliquo in maiori propoſitione, & concluſione, in recto in minori,quia ſic cõgruitas orationis, & veritas propoſitionum requirit.

Remanet tertium caput conſiderádum quomodo varientur termini ſecúdum diuerſitatem prædicamentorum.

In ſubſtantia more legali componitur hæc propoſitio:

Omnis contractus emptionis, & venditionis recquirit pretium.Inſt. tit. de empt. & vend. in principio.

In quantitate,

Qui habet quinque pueros, liberatur à tutela. l. qui ad tutelam. C. qui numero liberorum ſe excuſant.

In qualitate.

Infamis repellitur à dignitate.l. neque famoſis.C.de dignitatibus.

In relatione.

Controuerſiç inter patrem & filium ſunt terminandæ intra domum. l. congruentius. C. de patria poteſtate.

Et ita in reliquis prædicamentis facile eſt ad A libitum quamlibet propoſitionem deſumere in corpore iuris.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De Anadiploſi, & Theſi ſyllogiſmorum, hoc eſt de geminatione, & poſitione. Cap. XXXVIII.

B Eduplicatum autem in propoſitionibus ad primam extremitatem ponendum, non ad medium. Dico autem vt ſi fiat ſyllogiſmus; quòd iuſtitiæ eſt diſciplina, quoniam bonum; quoniam bonum ad primam extremitatem C ponendum. Sit enim A diſciplina quoniam bonum, in quo autem B bonum, in quo autem C iuſtitia; ergo verum eſt A de B prædicari, nam boni eſt diſciplina quoniã bonum, ſed & B de C, nam iuſtitia quiddam bonum eſt: ſic ergo fit reD ſolutio. Si autem ad B ponatur quoniam bonum, non erit, nam A quidem de B verum erit, B autem de C non erit verum, nam bonum quoniam bonum prędicari de iuſtitia, falſum eſt,& non intelligibile. Similiter autem & ſi ſalubre oſtendatur, quoniã diſciplinatum eſt in eo quod E bonum, aut hircoceruus opinabilis in eo quod non exiſtens, aut homo corruptibilis in eo quod ſenſibile, in omnibus enim prædicatis ad extremum reduplicationem ponendum.

Aliud obſeruandum ponit in prima parte huius trigeſimi octaui capitis in reſolutione propoſitionum in terminos, quòd ſcilicet in ratioci-F nationibus,in quibus reperitur reduplicatio alicuius termini, hoc eſt eiuſdem termini in eadẽ propoſitione iterata aſſumptio, non cum medio termino connecti oportet, quod reduplicatur ſeu bis ſumitur; ſed cum maiori extremo, tum quia ſi ad medium terminum ponatur, minor propoſitio erit falſa, quoniam cum reduplicatio ſignificet,quòd terminus,cui adiungitur, vniuerſaliter

ſaliter verificatur, & medium in prima figura prædicetur in minori, oporteret, quod tale mediũ vniuerſaliter prædicaretur de ſubiecto, vnde propoſitio redderetur falſa: tum etiã quoniam reduplicatio inſuper dicit cauſam, & ſic idem eſſet cauſa ſui ipſius, quod non eſt dicendum. Declarat quod dicit exemplo, veluti ſi de iuſtitia concludendum eſt, quod iuſtitia eſt diſciplinatum quoniam bonum, illud quoniam bonum non eſt connectendum medio, ſed maiori extremo, tali pacto.

Omne bonum eſt diſciplinatum quoniam bonum.
Iuſtitia eſt bonum; ergo
Iuſtitia eſt diſciplinatum quoniã bonum.

Sic namque fit reſolutio in tres terminos, ita vt ponatur pro A maiori extremo diſciplinatũ quoniam bonum, pro B medio bonum, pro C minori extremo iuſtitia. Quòd ſi reduplicatio apponatur medio, tunc in prima figura maior quidem propoſitio vera erit, cum non ſignificet, quòd medium vniuerſaliter ſumatur ſub maiori extremo, vt Omne bonũ quoniam bonum eſt diſciplinatum. Verùm hæc minor iuſtitia bonum eſt quoniam bonum, falſa erit; tũ quia hæc reduplicatio faciet prædicatum vniuerſaliter dici de ſubiecto, iuſtitiam nempe eſſe omne bonum, quod eſt falſum, cum & reliquæ virtutes ſint bonæ: tum etiam quia idem eſſet cauſa ſui ipſius, hoc eſt iuſtitia bonum, quia bonum, quod eſt abſurdum.

Ponit vlterius pro declaratione dictorum tria exempla.

Primum exemplum.
Omne bonum eſt ſcibile, quoniam bonum.
Omne ſalubre bonum; ergo
Omne ſalubre bonum, quoniam bonum.

Secundum exemplum.
Non exiſtens eſt ens opinabile in eo quod non exiſtens.
Hircocerũus eſt non exiſtens; ergo
Hircocerũus eſt ens opinabile in eo quod non exiſtens.

Tertium exemplum.
Senſibile eſt corruptibile in eo quod ſenſibile.
Homo eſt ſenſibilis; ergo
Homo eſt corruptibilis in eo quod ſenſibilis.

In quibus omnibus reduplicatio eodem modo ponitur ad maiorem extremitatem non ad medium. Dicit itaque, *Reduplicatum autem in propoſitionibus ad primam extremitatem ponendum.* Terminus, qui bis ſumitur in eadem propoſitione in ratiocinationibus in prima figura adiungi debet ad maius extremum, *non ad medium*, & non eſt apponendus medio termino. Declarat exemplo. *Dico autem ut ſi fiat ſyllogiſmus, quod iuſtitiæ eſt diſciplina quoniam bonum*, veluti ſi in terminis fiat hæc concluſio in prima figura: Iuſtitia eſt diſciplinatum quoniam bonum. *Quoniam bonum ad primam extremitatem ponendum:* tunc il-

A lud quoniam bonum adiũgendum eſt ad maius extremum, quod tradit in terminis ſequentibus. *Sit enim A diſciplina quoniam bonum*. Sit maius extremum diſciplina quoniam bonum. *In quo autem B bonum*, & loco medij ponatur B. *In quo autem C iuſtitia*, & pro minori extremo ponatur iuſtitia. *Ergo verum eſt A de B prædicari*. In his terminis ſi voluerimus concludere ſyllogiſmo in prima figura concluſionem dictam, complicetur hæc maior vera, in qua A diſciplinatum quoniam bonum, quod eſt maius extremum. De B

B bono quod eſt medium, prædicetur veluti omne bonum eſt diſciplinatum quoniam bonum, quod addit; *nam boni eſt diſciplina quoniam bonum*, pariter addatur hæc minor vera, *ſed & B de C*, in qua B bonum, quod eſt medium de C, iuſtitia quod eſt minus extremum prædicetur; *nam iuſtitia quiddam bonum eſt*, ſcilicet iuſtitia eſt bonum. *Sic ergo fit reſolutio*, tali pacto fiet reſolutio in tres terminos, ex quorum præmiſſa diſpoſitione, ſequitur quod iuſtitia eſt diſciplinatum quoniam bonum. *Si autem ad B ponatur, quoniam bonum non*

C *erit*. At ſi reduplicatio quoniam bonum adiungatur ad B medium, nempe bonum, vt iuſtitia eſt bonum quoniam bonum, ea minor propoſitio falſa erit, neque erit verum B de C prædicari: *nam A quidem de B verum erit*, quoniam in maiori propoſitione maior extremitas quidem vere prædicabitur de medio, *B autem de C non erit verum*, ſed in minori medium de minori extremitate minime prædicabitur vere. *Nam bonum quoniam bonum prædicari de iuſtitia*, quoniam hoc

D prędicatum, quod eſt medium bonum quoniam bonum de ſubiecto iuſtitia vniuerſaliter prædicari minime valet, dicendo, iuſtitia eſt bonum quoniam bonum, cum iuſtitia non ſit omne bonum, *& non intelligibile*, & inſuper idem eſſet ſui ipſius cauſa, nempe iuſtitia bonum quia bonum, quod eſt abſurdum, nec rationi congruum. *Similiter autem & ſi ſalubre oſtendatur, quoniam diſciplinatum eſt in eo quod bonum*. Alio exemplo idem declarato reduplicationem apponendam eſſe maiori extremo, non medio, veluti ſi voluerimus concludere, quòd omne ſalubre bonum

E quoniam bonum, concludimus per hoc, quòd omne bonum eſt ſcibile quoniam bonum, *aut hircocerũus opinabilis in eo quod non exiſtens*, vel ſi voluerimus concludere, quòd hircocerũus eſt ens opinabile in eo quod nõ exiſtens, concludimus per hoc, quoniam non exiſtens eſt ens opinabile in eo quod non exiſtens, *aut homo corruptibilis in eo quod ſenſibile*, vel & hanc cõcluſionem, quod homo eſt corruptibilis in eo quod ſenſibilis id efficiemus ex quo non exiſtens eſt ens opinabile in eo quod non exiſtens. *In omnibus enim*

F *prædicatis ad extremum reduplicationem ponendum.* In omnibus namque prædicatis de aliquo ſubiecto in ſyllogiſmo in prima figura reduplicatio in eadem propoſitione adiungenda eſt ad maius extremum, non ad medium, vti in dictis exemplis poſitum fuit.

Sequitur textus.

Non

Non eſt autem eadem poſitio terminorum, quando ſimpliciter quidem ſyllogizatum fuerit, & quando hoc aliquid, aut quo, aut quomodo. Dico autem vt quando bonum diſciplinatum oſtenſum erit, & quando diſciplinatum quoniam bonum; ſed ſimpliciter quidē diſciplinatum oſtēſum eſt, medium ponendum ens: ſi autem quoniam bonum, quid ens. Sit enim A diſciplina quoniam quid ens, in quo autem B ens quid, in quo autem C bonum. Verum eſt ergo A de B prædicari: erat enim diſciplina alicuius entis, quoniam quid ens, ſed & B de C: nam in quo C ens quod; quare & A de C. Erit ergo diſciplina boni quoniam bonum; erat enim quid ens propriæ ſubſtantiæ ſignum. Si autem ens medium poſitum ſit, & ad extremum ens ſimpliciter, & non quid ens dictum ſit, non erit ſyllogiſmus, quod eſt diſciplina boni quoniam bonum; ſed quoniam ens, vt ſi ſit in quo A diſciplina quoniam ens, in quo B ens, in quo C bonum. Manifeſtum igitur, quòd in particularibus ſyllogiſmis ſic ſumendum terminos.

Cum intentio Philoſophi in præſenti capite, vt diximus, ſit declarare, quomodo euitare debemus errorem, qui contingere poteſt in reſolutione propoſitionum in terminos propter reduplicationem interpoſitam, & propterea in ſuperiori parte capitis docuerit ad quem terminum adiungi debeat ipſa reduplicatio in reductione propoſitionum in terminis, in ſyllogiſmis primæ figuræ apponi nanque debet maiori extremo, non autem medio, nunc determinat de reductione propoſitionum in terminis, vbi eſt reduplicatio minoris extremi, & inquit, quòd non eodem modo diſponuntur termini, quando volumus oſtendere abſolute aliquid alicui ineſſe, & quando nō ſimpliciter aliquid alicui ineſſe oſtēdere volumus, ſed cum reduplicatione reſtringente ad hoc aliquid. In ſimplici enim concluſione medium ponemus communem, & vniuerſalem: ſi vero concluſio non fuerit ſimplex, ſed habebit aliquod adiūctum quod apprædicetur, medium ponemus minus communem, & qui ſit

A idem cum eo, quod eſt adiunctum, vel quid vicinius ſubiecto, ita vt maior extremus terminus cum eo, quod reduplicatur, prædicari de ipſo valeat, veluti ſi ſit concluſio, quòd bonum eſt diſciplinatum quatenus bonum pro A maiori extremitate ponemus diſciplinatum cum reduplicatione alicuius entis, cui cōueniat diſciplinatum vt quatenus bonū; pro B medio ſit aliquod ens, cui ſimiliter diſciplinatum eſſe conueniat vt ſtudioſum; pro C minori extremo ſit bonum abſolute, hunc in modum:

B Studioſum eſt diſciplinatum quatenus bonum.
Bonum eſt ſtudioſum; ergo
Bonum eſt diſciplinatum quatenus bonum.

Exemplum Ariſtotelis.

Ens eſt diſciplinatum quatenus ens.
Bonum eſt ens; ergo
Bonum eſt diſciplinatum quatenus ens.

C Si autem concluſio ſit, quòd bonum ſimpliciter ſit diſciplinatum; pro A maiori extremo ponemus diſciplinatum ſine adiunctione aliqua; pro medio ens; pro minori extremo bonum ipſum, tali pacto:

Ens eſt diſciplinatum.
Bonum eſt ens; ergo
Bonum eſt diſciplinatum.

Percurramus verba: *Non eſt autem eadem poſitio terminorum*. Aliter diſponuntur termini, D *quando ſimpliciter quidem ſyllogizatum fuerit*: quando concluditur aliquid alicui ſimpliciter ineſſe ſine adiunctione alicuius apprædicati, *& quando hoc aliquid*, & quando concluditur aliquid non ſimpliciter alicui ineſſe, ſed cum aliqua reduplicatione reſtringente ad partem ſubiectiuam, *aut quo*, puta eſſentialem, *aut quomodo*, nempe accidentalem. *Dico autem*, exempli gratia, *vt quando bonum diſciplinatum oſtenſum erit*, veluti ſi concluſio ſit ſimplex, bonum eſt diſciplinatum, *& quando diſciplinatum quoniam bonum*, vel fuerit E concluſio bonum eſt diſciplinatum quatenus bonum. *Sed ſimpliciter quidem diſciplinatum oſtenſum eſt*, quoniam ſi concluſio fuerit ſimplex. *Medium ponendum ens*. Medium ponendum eſt ens, ſcilicet commune, & vniuerſale. *Si autem quoniam bonum*. Si verò concluſio non ſimplex fuerit, ſed cū reduplicatione, *quid ens*, medium ponendum eſt minus commune, & particulare. Exemplum ſecundæ concluſionis. *Sit enim A diſciplina quoniam quid ens*, pro maiori extremitate ponatur diſciplinatum cum reduplicatione F alicuius entis. *In quo autem B ens quid*, & pro B medio ponatur aliquod ens. *In quo autem C bonum*, & pro C minori extremo ponatur bonum abſolute. *Verum eſt ergo A de B prædicari*. In his igitur terminis vera erit propoſitio, in qua A maius extremum prædicatur de B medio. *Erat enim diſciplina alicuius entis, quoniam quid ens*, vt

ens

ens eſt diſciplinatum quatenus ens, *ſed & B de C*, & etiam vera erit minor propoſitio, in qua B medium de C minori extremo prædicatur: *nam in quo C ens quod*, vt bonum eſt ens: *quare & A de C*: quapropter etiã vera erit concluſio, in qua maius extremũ de minori prædicatur. *Erit ergo diſciplina boni quoniam bonum.* Erit itaque concluſio, bonum eſt diſciplinatum quatenus bonum. *Erat enim quid ens propriæ ſubſtantiæ ſignum*: nam medius terminus, qui eſt ens quoddam, vt puta ſtudioſum eſt ſignificatiuum particularis ſubſtantiæ boni; non enim communiter, ſed priuatim prædicatur de bono. *Si autem ens medium poſitum ſit*. Exemplum primæ concluſionis. Si medium, quod eſt ens, poſitum fuerit in ſyllogiſmo, *& ad extremum ens ſimpliciter, et non quid ens dictum ſit*, & ſit poſitio ſimpliciter, & in communi, nõ cum aliqua reduplicatione, veluti ens eſt diſciplinatum, bonum eſt ens, *non erit ſyllogiſmus*, ſcilicet concludens cum reduplicatione minoris extremitatis ſuper maiorẽ, *quod eſt diſciplina boni quoniam bonum*, nempe quòd bonum eſt diſciplinatum, quatenus bonum: *ſed quoniam ens*, ſed concludens ſimpliciter ſine reduplicatione, quod bonum eſt diſciplinatum, *vt ſi ſit, in quo A diſciplina quoniam ens*, vt ſi loco A maioris extremi ponatur diſciplinatũ ſine adiunctione aliqua, *in quo B ens*, loco B medij ens in vniuerſali nõ contractũ particulari, *in quo C bonum*, & loco C minoris extremi bonum abſolute. *Manifeſtum igitur quod in particularibus ſyllogiſmis ſic ſumendum terminos.* Concludit igitur ex dictis, quòd in ratiocinationibus particularibus, quæ ſcilicet habent medium particulare, & concludunt cum adiunctione aliqua, termini ita ſunt diſponendi, vt in ſuperioribus per ipſum declaratum fuit.

Et hæc dicta ſatis pro Iuris ſtudioſis.

Super Capite. XXXVIII de Anadiploſi, & Theſi ſyllogiſmorum, hoc eſt de geminatione, & poſitione pro Juris ſtudioſis.

DVo habentur in hoc capite ad rem noſtram attinentia pro Iuriſperitis pro reſolutione propoſitionum in terminis.

Primum, quòd in ratiocinationibus, in quibus reperitur reduplicatio alicuius termini, non cum medio termino connecti oportet, quod reduplicatur, ſed cum maiori extremo, alioquin minor redderetur falſa.

Secundum, quod nõ, eodem modo diſponendi ſunt termini in ſimplici concludone, in qua ſyllogizatur abſolute aliquid alicui ineſſe, vti fit in concluſione, in qua ſyllogizatur aliquid alicui ineſſe, cum reduplicatione reſtringẽte ad hoc aliquid, ſiquidem in prima medium vniuerſale, & commune ſumendum eſt: in ſecunda verò minus commune, & ſubiecto vicinius, ita vt maior extremus terminus cum eo quod reduplicatur, prædicari de ipſo valeat.

A

Pro cognitione primi ſit exemplum in his terminis ſumptis in l. Labeo la 2. ff. de verb. & rer. ſign. nempe pro maiori extremo, vltro citroque obligatio, quoniam contractus: pro medio emptio, pro minori extremo alicuis rei acquiſitio, in hunc modum:

B

> Omnis emptio eſt vltro, citroque obligatio quoniam contractus.
> Acquiſitio alicuius rei eſt emptio; ergo
> Acquiſitio alicuius rei eſt vltro, citroque obligatio quoniam contractus.

Quod ſi reduplicatio addatur minori, tali pacto:

> Omnis emptio eſt vltro, citroque obligatio quoniam contractus.
> Acquiſitio alicuius rei eſt emptio quoniam contractus.

C

Hæc minor eſſet falſa, tum quia acquiſitio alicuius rei non eſt omnis contractus; tum etiam quia idem eſſet cauſa ſui ipſius quoquomodo.

Pro cognitione autem ſecundi ſit exemplum in his terminis in eod. tit. & l. ead. deſumptis. Ponantur namque pro maiori extremo, vltro citroq; obligatio, pro medio contractus, pro minori extremo locatio, tali pacto:

> Contractus eſt vltro, citroq; obligatio.
> Locatio eſt contractus; ergo
> Locatio eſt vltro, citroq; obligatio.

D

Sed ad maiorem vtilitatem Iuriſperitorum ſciẽdum, quid Theſis, & quid Hipotheſis tractatio in corpore iuris.

Tractatio Theſis eſt propoſitæ quæſtionis ſine circunſtantijs, vt querela inofficioſi eſt remediũ valde vtile.

Tractatio Hypotheſis eſt quæſtionis circunſtantijs inuolutæ, vt Seius poſthumus præteritus à patre ſuo de inofficioſo teſtamento agere

E poteſt.

Theſes, & Hypotheſes confirmantur per locos, vti à finitione, à cauſis, ab effectibus, à cognatis, & pugnantibus, & reliquis.

Si Theſim tractemus, nempe inofficioſi querelam eſſe remedium valde vtile, vti poſſumus aliquibus dictorum locorum à finitione, vt quid ſit teſtamentum inofficioſum: eſt enim querela, qua liberi conqueruntur ſe inique, aut præter officium parentum eſſe, aut exhæredatos, aut præteritos in principio Inſt. de inofficioſo teſta-

F mento. A cauſa, nempe quæ cauſa, ſumma æquitas, & neceſſitas ne liberi temere à parẽtibus vel exheredarentur, vel præterirẽtur. Ab effectibus, quod faciat hæc querela, vt liberis id quod eis debetur, non adimatur. A cognatis quaſi patet non ſanæ mentis fuerit, cum teſtamentum ordinauerat. l. 2. ff. de inoffic. teſt.

Quod

Quòd ſi hypotheſim tractandam habeamus, pariter argumentabimur a finitione, Teſtamentum eſt querela, qua liberi conqueruntur ſe inique, & præter officium parentum eſſe, aut exhæredatos, aut præteritos; Seius poſthumus inique, & præter officium patris à patre eſt præteritus, ergo Seius poſthumus de inofficioſo teſtamento agere poteſt. A cauſa, cur hæc querela inſtituta ſit, & à lege, quæ poſthumo inofficioſi teſtamẽti querelam permittit in hunc modũ. Quia plerunque accidit, quòd parentes falſo perſuadentur, vt ſuos hæredes aut exhæredent, aut prætereant: ergo æquitas ſumma in cauſa fuit inofficioſum teſtamentum dicere, hoc eſt allegare cur exhæredari, & præteriri non debuerint. l. 3. ff. eod. & quia lex ipſa præbet viam poſthumo dicendi teſtamentum inofficioſum, ideo poſthumus ea querela vti poteſt.

Pro debita reſolutioné præcepta.
Cap. XXXIX.

Oportet autem accipere quæ idem poſſunt nomina pro nominibus, & orationes pro orationibus, & nomen, & orationem, & ſemper pro oratione nomen ſuſcipere: facilior eſt enim terminorum expoſitio, vt ſi nil differt dicere ſuſpicabile opinabilis nõ eſſe genus, aut non eſſe idem quiddam ſuſpicabile quod opinabile: nã ſi idem eſt quod ſignificatur pro oratione dicta, ſuſpicabile, & opinabile terminos ponendũ: quoniã verò nõ eſt idẽ voluptatem eſſe bonũ, & eſſe voluptatem, quod bonum; non ſimiliter ponendum terminos; ſed ſi eſt ſyllogiſmus, quòd voluptas quod bonum; terminum ponendum quod bonum; ſi autem quod bonum, bonum; ſimiliter autem & in alijs.

Addit Ariſtoteles theorema aliud obſeruandum præter dicta pro facili reſolutione propoſitionum præmiſſarum in terminos, quòd nempe ſi termini diuerſi idem ſignificent, vel ſint nomina, vel orationes, nomen pro nomine, orationem pro oratione ſumere debemus, & in nominibus, & in orationibus, videlicet notius pro minus noto; ſemper autem nomen pro oratio- A ne; ſi nomina ſimplicia inueniantur quæ ſumi poſſint, alioquin orationes notiores, vt dictum eſt, declarat ſupra dicta, exemplo, vt ſi idem ſignificent hæ duæ orationes, ſuſpicabile non eſſe genus opinabilis, & opinabile non eſſe quid ſuſpicabile, poſſumus in complicatione propoſitionum vnam pro altera ſumere; ita tamen vt notiorem accipiamus: in ſelectione verò obſeruandum, quòd pro oratione dicta ponere debemus terminos ſuſpicabile, & opinabile: verum quia quandoque in modo prædicationis va- B riatur ſignificatum; ideo cauendum monet in propoſitionum reſolutione, nunquid orationes ſignificent idem, quoniam non idem ſignificant voluptatem eſſe bonum, & voluptatem eſſe ipſum bonum; & ideo in ſimilibus obſeruandum, quòd ſi abſolute dicamus voluptatem eſſe bonum, voluptas & bonum termini ſtatuẽdi ſunt, quòd ſi ipſum bonum voluptatem dixerimus, terminos ſtatuere debemus voluptatem, & ipſum bonum. Et dicit: *Oportet autem accipere quæ idem poſſunt.* Pro faciliori reſolutione C propoſitionũ in terminos opus eſt ſumere quandoque quæ idem ſignificant, ſed notiora ſunt, *nomina pro nominibus*, ſcilicet nomina, quæ ſunt notiora pro nominibus minus notis, *et orationes pro orationibus*; pariter orationes magis notæ pro orationibus minus notis, quod ideo addit, *& nomen, & orationem*, hoc eſt & in nominibus, & in orationibus ſumendum eſt, quæ ſunt magis nota pro minus notis, *& ſemper pro oratione nomen ſuſcipere*. Semper autem pro orationibus ſumenda ſunt nomina ſimplicia quando ſumi D poſſunt. *Facilior eſt enim terminorum expoſitio*; quoniam euidentior erit reſolutio terminorum in propoſitiones, declarat exemplo, *vt ſi nil differt dicere ſuſpicabile opinabilis non eſſe genus*, veluti ſi ſit hæc oratio ſuſpicabile non eſt genus opinabilis, quæ ſit eadem, cum hac alia oratione opinabile non eſt quid ſuſpicabile, quod vult dicere in ſequentibus verbis, *aut non eſſe idem quiddam ſuſpicabile quod opinabile*; tunc inquam vna oratio pro alia ſumi poteſt, quæ ſcilicet ſit magis nota in complicatione propoſitionum: E *nam ſi idem eſt, quod ſignificatur pro oratione dicta*, & cum vtraque hæc oratio eadem ſit in ſelectione terminorum, *ſuſpicabile, & opinabile terminos ponendum*, pro terminis ſumendum eſt ſuſpicabile, & opinabile ſimpliciter. *Quoniam verò non eſt idem, voluptatem eſſe bonum, & eſſe voluptatem quod bonum.* Verùm in diuerſis orationibus, veluti in his duabus, Voluptas bonum eſt, & voluptas eſt ipſum bonum, quæ non idem ſignificant, non eſt eodem modo facienda ſelectio, ſeu expoſitio terminorũ, *ſed ſi eſt ſillogiſmus, quòd vo-* F *luptas quod bonum*, ſed ſi debeat fieri ratiocinatio concludens voluptatem eſſe ipſum bonum, *terminum ponendum quod bonum.* Termini exponendi ſunt voluptas & bonum ipſum: *Si autem quod bonum.* Si verò fieri debeat ratiocinatio concludens voluptatem eſſe bonũ ſimpliciter, termini ponẽdi ſunt voluptas, & bonũ. Sequitur textus.

Non

Non eſt autem idem neque eſſe, neque dicere, quod cui B ineſt, huic quoque omni A ineſſe, & dicere, ſi cui omni B ineſt, & A ineſt omni: nihil enim prohibet B ineſſe C, non autem omni, vt ſit B pulchrum quid, C autem album. Si igitur alicui albo ineſt pulchrum quid; verùm eſt dicere, quòd albo ineſt pulchrum, ſed non omni fortaſſe. Si ergo A ineſt B, non omni autem de quo B (neque ſi omni C ineſt B, neque ſi ſolum alicui non) neceſſe eſt ei quod eſt C ineſſe A, non quia non omni, ſed nec ineſſe ei, quod eſt C ſi autem de quocunque B dicatur, vere huic omni ineſt A, accidet vt de quo omni B dicetur, de eo omni & A dici. Si autem A dicitur de omni, de quo B dicatur, nihil prohibet ei, quod eſt C ineſſe B, non omni autem A, aut non ineſſe omnino. In tribus igitur terminis manifeſtum eſt, quòd de quo B quidem omni, & A dicitur, hoc eſt, de quibuſcunque B dicitur, de omnibus dicitur & A: & ſi B quidem de omni, & A ſimiliter, ſi autem non de omni non neceſſe eſt A ineſſe omni.

Docet Ariſtoteles in hac parte, quòd etiam alio modo variatur orationis ſignificatum, penes ſcilicet ſignum diſtributiuum: namque dicit, quòd cum medium dupliciter ſe habeat ad minorem extremitatē, & ſimpliciter, & vniuerſaliter, non eſt idem re, nec oratione dicere, cui B medium, ineſt nempe minori extremitati, huic ineſſe A omni, & dicere cui B medium ineſt omni, & A maior extremitas ineſt omni, quoniam poteſt eſſe vt B inſit C, ſed non omni, quod declarat exemplo in terminis ſumptis, Pulchro loco B medij, & Albo loco C minoris extremi. Si enim alicui albo ineſt pulchrum particulariter, tunc ſequitur quidem indefinite & ſimpliciter pulchrum ineſſe albo; ſed non propterea verum erit, quòd omni albo pulchrum inſit. Inſuper cum dicimus, cui B ineſt ſimpliciter, ei omni A ineſſe, indefinite ſumpſimus B prędicari de eo quod prædicatur de C, & indefinitum cum particulari accommodari poſſit; propterea B alicui C ineſſe ſtatuere poſſumus, vnde dicere cui B ineſt, huic ineſt A omni, perinde eſt,

A ac ſi diceremus, cui alicui B ineſt, ei omni A ineſt, & cū ſumitur cui alicui B ineſt, ei A ineſſe ſiue abſolute, ſiue omni, idē eſt ac ſi A alicui B ineſſe ſumeremus, quo pacto maior propoſitio in prima figura erit particulairs cuiuſmodi iugatio imperfecta eſt ad ſyllogizandum, neque valet neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ concludere A maiorem extremitatem indefinite, vel particulariter ineſſe, vel non ineſſe C, in concluſione ſiue B omni C, ſiue alicui inſit, vel minor ſit vniuerſalis, vel particularis, quia in prima

B figura maiori non exiſtēte vniuerſali, nihil concludi poteſt: quando verò dicimus, cui B mediū ineſt omni, & A maior extremitas ineſt omni, cum idem ſit, ac ſi dicamus, quòd de quocunque B dicitur, vt de C minori extremitatē de eo omni, & A maior extremitas prędicatur, tunc ſequitur ſyllogiſtice, quòd A maior extremitas in cōcluſione de omni illo dicitur, & prædicatur, de quo in minori propoſitione B medium dicitur vt de C, & tunc fit ſyllogiſmus in prima figura.

C Poſt hęc reperit Ariſtoteles, quòd ſi maior extremitas non de omni, ſed de aliquo particulariter prędicetur in maiori propoſitione, de quo B medium indefinite in minori propoſitione prædicatur, poteſt quidem B medium ineſſe C minori extremitati in minori propoſitione, ſed A maior extremitas eidem C minori extremitati in concluſione cōtingit aliquando particulariter, aliquando autem nulli ineſſe, & ideo particularis affirmatiua maior non eſt ſyllogizabilis: quapropter in huiuſmodi propoſitionibus, quæ tres terminos poteſtate continent, eam inquit, quæ

D ita ſumpta fuerit, de quo omni B, de eo omni A dici idem ſignificare, ac ſi diceremus de quibuſcunque B dicitur, de ijs omnibus etiam A dici, & propterea ſi de omni ipſi B adiunctum ſit, A quoque de omni B erit, & eodem pacto de quibus prædicatur B, prædicabitur etiam A: ſi autem ad B de omni adiunctum non ſit, ſed indefinite ita ſumatur, non amplius efficietur, vt A de omni B prædicetur, & tunc ad ratiocinandum inepta iugatio erit; in reſolutione itaque hæc diligenter conſideranda aduertit, dicens: *Non eſt*

E *autem idem, neque eſſe, neque dicere.* Non eſt idem neque re, neque oratione dicere, *quòd cui B ineſt, huic quoque omni A ineſt*, quod cui minori extremitati, puta C, B mediū ineſt ſimpliciter & abſolute, *huic quoque omni A ineſt.* Huic eidem minori extremo A maior extremitas omni vel vniuerſaliter ineſt. *Et dicere, ſi cui omni B ineſt, & A ineſt omni*, & dicere, ſi cui C minori extremitati omni, vniuerſaliter nempe, B medium ineſt, huic eidem C minori extremitati etiam A ma-

F ior extremitas omni ſiue vniuerſaliter ineſt. *Nihil enim prohibet B ineſſe C, nō autē omni*; propterea quòd contingit B medium ineſſe C minori extremo ſimpliciter, & indefinite, non autem vniuerſaliter, *vt ſit B pulchrum quid*, veluti in terminis, ſit namque loco medij B pulchrum, *C autem album* loco C minoris extremitatis album. *Si igitur alicui albo ineſt pulchrum quid.* Si itaque pul-

chrum

chrum particulariter inſit alicui albo, vt aliquod album pulchrum, & aliquod album non eſt pulchrum. *Verum eſt dicere, quòd albo ineſt pulchrum.* Vera erit indefinita propoſitio album pulchrum eſſe: *ſed non omni fortaſſe*. Verum vniuerſalis propoſitio vera non erit omne album pulchrum eſſe, dicit autem *fortaſſe*, reſpectu illius indefinitæ, quæ vniuerſali æquipollet, vt ſi in eſſentialibus, Si homo eſt animal, omnis homo animal. *Si ergo A ineſt B, non omni autem de quo B*, vult dicere, ſi maior ſit particularis, ita vt A maior extremitas inſit B medio indefinite, ita quod non inſit A omni ei de quò dicitur, vel prædicatur B. *Neque ſi omni C ineſt B* hoc eſt neque ſi B medium inſit C minori extremo vniuerſaliter in minori propoſitione. *Neque ſi ſolum alicui non*, neque ſi B medium inſit C minori extremitati particulariter in eadem minori propoſitione, ita vt minor vel ſit vniuerſalis, vel particularis propoſitio, & maior ſit particularis vel indefinita, quæ æquipollet. *Neceſſe eſt ei, quòd eſt C ineſſe A, non quia non omni, ſed nec ineſſe ei quod eſt C*. Non ſequitur ex propoſitionibus ſic coniugatis neceſſitate ſyllogiſticæ conſequentiæ A maiorem extremitatem, vel indefinite, vel particulariter ineſſe, vel non ineſſe C minori extremitati in concluſione. *Si autem de quocunque B dicatur.* Si autem vniuerſaliter de quocunque prædicatur B, vt de C minori extremitate, *vere huic omni ineſt A*, A maior extremitas vniuerſaliter vere huic omni ineſt, *accidet vt de quo omni B dicitur, de eo omni & A dici*: tunc contingit ſyllogiſtice A maiorem extremitatem in concluſione de omni illo prædicari, de quo in minori propoſitione dicitur B medium, & tunc ſit ratiocinatio in prima figura. *Si autem A dicitur de omni, de quo B dicatur*, ita vt cui B medium ineſt, huic omni maior extremitas ineſſe dicatur, & ſic ſe habuerit, vt ſumpta propoſitio ſit indefinita, efficietur A, aliquando non omni C; aliquando autem nulli prorſus ineſſe, quod habetur in his verbis: *Nihil probibet ei quod eſt C, ineſſe B*. Contingit inquam B medium ineſſe C minori extremitati indefinite in minori propoſitione: *non omni autem A*, ſed A maior extremitas eidem C minori extremitati in concluſione aliquando contingit ineſſe, *non omni*, particulariter ſcilicet, *aut non ineſſe omnino*. Aliquando autem contingit nulli ineſſe, vniuerſaliter non ineſſe. *In tribus igitur terminis manifeſtum eſt*. Patet itaque quòd in propoſitionibus, quæ tres terminos poteſtate habent quales ſunt expoſitæ in hoc loco, quæ tres terminos quodam modo habent: nam quando dicimus de quo omni B prædicatur de eo omni etiam A prædicari in duobus terminis B & A præfinitis tertius terminus quodam modo continetur, &

A includitur, non tamen aperte, & explicite, ſed implicite. Patet igitur in his, *quod de quo B quidem omni, & A dicitur*, de quo omni B, de eo omni A prædicari, *hoc eſt de quibuſcunque B dicitur, de omnibus dicitur & A*, videlicet de ijs omnibus, de quibus B medium vniuerſaliter prædicatur, de his omnibus vniuerſaliter A maiorem extremitatem dici, *& ſi B quidem de omni*, & ſi de omni ipſi B adiunctum ſit, ita vt de omni vniuerſaliter aliquo prædicetur, nempe C, *& A ſimiliter*, pariB ter A de omni B erit, ſimiliter ſcilicet de illis vniuerſaliter dicetur, & eidem modo de quibus prędicatur B, prędicabitur etiam A. *Si autem non de omni*. Si verò ad B de omni adiunctum non ſit, ita vt non de omni minori extremitate B medium prędicetur, *non neceſſe eſt A ineſſe omni*, non ſequitur A de omni B prędicari maiorem extremitatem, puta in concluſione de omni minori extremitate concludi, & prędicari, & ſic efficietur inepta iugatio.

C Sequitur textus.

Non oportet autem arbitrari propter expoſitionem accidere aliquod inconueniens: non enim laboramus in eo, quod aliquid ſit hoc, ſed quemadmodum Geometer pedalem, & rectam hanc eſſe, & ſi-
D ne latitudine dicit, quæ non eſt, ſed non ſic vtitur vt eis ſyllogizans. Omnino enim, quod non eſt vt totum ad partem, & aliud ad hoc vt pars ad totum, ex nullo talium oſtendit demonſtrator; neque enim fit ſyllogiſmus; expoſitione autem ſic vtimur, vt & ſen-
E tiat qui diſcit dicentes; non enim ſic vt ſine his non poſſibile ſit demonſtrare, quemdmodum ex quibus eſt ſyllogiſmus.

Cum Ariſtoteles in propſitionum reſolutione in terminis; & per totum præſentem librũ doctrinæ facilioris gratia, loco terminorum vſus ſit literis alphabeticis, ſeu literarum ele-
F mentis, ne quis arbitretur per huiuſmodi elementorum poſitionem euenire, vt iugationes ad ſyllogizandum ſint aptæ, vel ineptæ, docet, quòd non ex tali deſcriptione elementorum, neque terminorum, qui aſſumpti ſunt, exiſtimandũ eſt aliquid abſurdi, vel falſi eue-

nire, & ea quæ accidunt fieri quaſi poſitio elementorum in cauſa ſit, vt aliquid demonſtrari, vel non demonſtrari videatur. Demonſtratio namque non fit, niſi ſic ſe habuerint termini, vt maior extremitas medium contineat, & medium minorem extremitatem, verùm elementa tantummodo poſita ſunt, vt ſigna communia terminorum ſint, ſicut & Geometra gratia alicuius explanationis, & pro declaratione ſuæ doctrinæ deſcriptionem quandam facit, & alicui diſcenti ponit aliquam lineam, hancque petit eſſe rectam, vel pedalem, vel ſine latitudine, licet non ſit neque recta, neque pedalis, neque latitudine careat, verùm doctrinę cauſa tantū taliaponit, hęcq; tanquā ſigna tantum adhibet, quamuis ad id quod demonſtratur, nihil conferant, ſic & ipſe inquit, vſus *eſt* elementis, & terminis poſitis in traditione ſuæ doctrinæ, nam circa ea oſtendens quæ demonſtrauit, ſed circa complicationem vniuerſalis, & particularis affirmatiui; & negatiui: non minus enim ex elementis, & terminis poſitis colligitur aliquid demonſtrari, vel non, quæ fieret ſi horum loco alijs vſi fuerimus, ideo dicit: *Non oportet autem arbitrari*. Non oportet nos ſuſpicare, *propter expoſitionem accidere aliquod inconueniens*, propter elementa, & terminos poſitos aliquod abſurdum, ſiue falſum euenire. *Non enim laboramus in eo, quod aliquid ſit hoc*. Non enim laboramus ſyllogizando, vt terminus poſitus aliquid ſit quod ſyllogizatur: *ſed quemadmodum Geometer pedalem, & rectam hanc eſſe, & ſine latitudine dicit qua non eſt*, ſed potius facimus ad inſtar Geometræ, qui quamcunque lineam deſcriptam ponit eſſe pedalem, vel rectam, vel ſine latitudine, & ſi poſita non ſic ſe habeat, & doctrinæ cauſa tantum hæc ponit; *ſed non ſic vtitur vt eis ſillogizans*: ſed] non vtitur ea tanquam demonſtret de ipſa protracta, vel deſcripta, ſed de ea, quæ per iſtam intelligitur, quando pro talibus ſyllogizat. *Omnino enim quod non eſt vt totum ad partem*. Abſolute enim quod non ſic ſe habet in præmiſſis, vt totum vniuerſale, vel vniuerſaliter ſumptum ad partem ſumptam ſub ipſo. *Et aliud ad hoc vt pars ad totum*, ita quòd aliud quod ſub ipſo ſumptum eſt, ſe habet ad id ſub quo ſumitur vt pars ad totum; *ex nullo talium oſtendit demonſtrator*: ex nullo talium demonſtrator ſyllogizat. *Neque enim fit ſyllogiſmus*, ex eo quod & non taliter ſe habentibus terminis non fit ratiocinatio. *Expoſitione autem ſic vtimur, vt & ſentiat qui diſcit dicentes*. Vtimur verò tali poſitione elementorum, & terminorum gratia apertioris doctrinæ, ſicuti & in Mathematicis indigemus ſenſu diſcentis, deſcribentes padalem quę non ſit. *Non enim ſic vt ſine his non poſſibile ſit demonſtrare*. Non autem ſumimus terminos illos veluti non poſſimus & per alios de-

A monſtrari, *quemadmodum ex quibus eſt ſyllogiſmus*, ſicuti demonſtratur ex quibus vere fit ſyllogiſmus.

Non lateat autem nos. quòd in eodem ſyllogiſmo non omnes concluſiones per vnam eandem figuram ſunt, ſed hæc quidem per hanc, illa verò per aliam. B Palam ergo quòd & reſolutiones ſic faciendę. Quoniam autem non omne propoſitum in omni figura, ſed in vnaquaque diſpoſitæ, manifeſtum ex concluſione, in qua figura ſit quærendum.

Cum ſyllogiſmorum alij ſint compoſiti, qui C ex proſyllogiſmo, & ſyllogiſmo principali conſtituuntur, in quibus propoſitiones non ſunt immediatæ, neque per ſe fide dignæ, alij ſint ſimplices, qui proſyllogiſmis non indigent, in quibus immediatæ ſunt propoſitiones, & per ſe credendæ, & adhuc in ſyllogiſmis compoſitis plures ſint concluſiones ad vnam, & eandem finalem concluſionem ordinatæ: & hæ plures concluſiones in ſyllogiſmo compoſito non poſſint omnes per vnam D & eandem figuram terminari, ſed hæc vna concluſio comprobetur per vnam figuram; alia verò concluſio per aliam figuram, ſicuti conſtat in hac ſecunda iugatione tertiæ figuræ.

FE	Nullus homo lapis.
LA	Omnis homo rationalis, ergo.
PTON	Aliquod rationale non eſt lapis.

Maior namque in prima, & ſecunda figura colligitur minor in prima, & concluſio in tertia. E Propterea hoc aliud aduertendum monet Philoſophus pro reſolutione propoſitionum in terminos, quòd huiuſmodi reſolutio ſecundum vniuſcuiuſque concluſionis proprietatem, & figuram efficiatur: facile autem cuilibet manifeſtum inquit eſſe poſſe, in qua figura propoſitio quælibet ſit quærenda; ſiquidem vnumquodlibet problema habet propriam figurā, in qua demonſtratur veluti vniuerſale negatiuum in prima & ſecunda, vniuerſale affirmatiuum in prima tantum, particulare affir- F matiuum in prima, & tertia, particulare negatiuum in omnibus, vt & aliàs diximus. Ponit igitur hęc verba: *Non lateat autem nos*. Aduertendum inſuper eſt nobis, *quòd in eodem ſyllogiſmo*, compoſito nempe, in quo plures ſunt concluſiones ad vnam finalem ordinatę, *non omnes concluſiones per vnam eandem*

figuram

figuram ſunt, quomodo non colliguntur illæ plures concluſiones in vna, eademque figura; *ſed hæc quidem per hanc, illa verò per aliam*, ſed in diuerſis; hæc quidem per vnam figuram, illa verò alia per aliam figuram, vt in iugatione propoſita. *Palam ergo quòd & reſolutiones ſic faciendæ*. Manifeſtum itaque quòd & reſolutiones propoſitionum in terminos ita fieri debent ſecundum vniuſcuiuſque concluſionis conuenientiam. *Quoniam autem non omne propoſitum in omni figura*. Verùm quia non quælibet concluſio in omnibus figuris colligitur, *ſed in vnaquaque diſpoſita*, ſed quælibet in ſingulis ſecundum conuenientiam, *manifeſtum eſt ex concluſione*, patebit ex concluſione, *in qua figura ſit quærendum*, in qua figura quælibet propoſitio ſit quærenda.

Sequitur textus.

Et ad definitiones orationum quæcunque ad vnum quiddam ſunt argumentatæ in eorum, quæ inſunt termino, ad quod argumentatum eſt, ponendum terminum, & non totam orationem. Minus enim contingit perturbari propter longitudines, vt ſi quis aquam oſtendit, quòd eſt humidus potus, potum, & aquam terminos ponendum.

Aliud theorema ponit in hac vltima parte capitis Ariſtoteles pro facili reſolutione propoſitionum in terminos, quòd ſcilicet quando deſtruere volumus particulam aliquam poſitam in alterius definitione, ſeligere debemus ex omnibus terminis ſolummodo illum, quem à definito remouere velimus, & non totam definitionem, quoniam minor fit confuſio, & perturbatio propter longitudinem ablatam, quæ ſequeretur ſi tota oratio definitiua poneretur; quod declarat exemplo, veluti ſi quis definiret aquam eſſe humidum potum, ſi hanc definitionem, reprehendere voluerimus, in ea parte, in qua dicit, quòd aqua eſt potus, non erit opus pro terminis ſumere totum definitum, ſcilicet aquam, & humidum potum, ſed ſolum definitum cum ea differentia, quam de ipſo negare propoſuerimus, aquam puta & potum, & ex his terminis ſimul complicatis, ſyllogiſmum talem conſtruere.

Quod alteri accidit non eſt in eius definitione ponendum.
Aquæ potus accidit, ergo
In definitione aquæ potus ponendus non eſt.

Tractatus Quartus.

Hoc eſt quod dicit: *Et ad definitiones orationum quæcunque ad vnum quiddam ſunt argumentata*. Propterea in reſolutione propoſitionum in terminos in ſyllogiſmo redarguente particulam aliquam poſitam in definitione alicuius. *In eorum, quæ inſunt termino; ad quod argumentatum eſt ponendum terminum*. Non oportet ponere niſi terminum illum, quem à definito remouere voluerimus omnium illorum terminorum, qui in definitione poſiti ſunt, *& non totam orationem*. Non autem oportet ponere omnes terminos in definitione poſitos, & totam orationem definitiuam. *Minus enim contingit perturbari propter longitudines*, quoniam propter longitudinem de medio ablatam, minor ſequitur confuſio, & perturbatio, *vt ſi quis aquam oſtendit, quòd eſt humidus potus*, veluti ſi quis ponat hanc orationem definitiuam, aquam eſſe humidum potum, & nos eam reprehendere voluerimus in aliqua parte, vt puta quòd non ſit potus, *potum & aquam terminos ponendum*, non ſunt ſeligendi termini omnes in definitione poſiti, ſed ſat erit ſumere definitum, & terminum illum, quem ab ipſo remouere proponimus, puta potum, & aquam.

Quæ ſatis dicta ſufficiant in præſenti capite.

Super Capite XXXIX. *pro debita reſolutione præcepta pro Iuris ſtudioſis.*

DVo potiſſimum habemus in hoc capite obſeruanda pro facili reſolutione propoſitionum in terminis pro Iuriſperitis:

Primum, quòd ſi termini diuerſi idem ſignificent; notiores ſumendi ſunt.

Secundum, quòd ad deſtructionem alicuius termini in definitione poſiti ex omnibus terminis, ille dumtaxat eſt accipiendus qui deſtruendus eſt.

De primo pro Iuris ſtudioſis ſint hi duó termini diuerſi idem ſignificantes in corpore Iuris, vulgo Quæſitus, Spurius.

Si aliquid de his demonſtrare voluerimus, vt puta, quòd ad eius bona coniuncti per matrem ſuccèdant. l. ſi ſpurius. ff. vnde cognati, pro Spurio ſumamus vulgo Quæſitum tanquam notiorem. l. vulgo concepti. ff. de ſtatu hominum.

De ſecundo, ſi quiſpiam definitioni iuſtitiæ traditæ in titulo Inſtitut. in principio, de iuſtitia & iure, quæ eſt, Conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens, terminum aliquem adderet, vt Prætorem, vel alium quempiam, ſi voluerimus reprehendere terminum

poſituin, ex omnibus alijs ipſum dunitaxat cum definito accipiemus, Prætorem, nempe & Iuſtitiam, tali pacto

Quod alicui accidit, non eſt pónendum in eius definitione.
At Prætoris terminus accidit Iuſtitiæ, ergo
In definitione ipſius Prætoris terminus non eſt ponendus.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De reſolutione ſyllogiſmorum ad impoſſibile, & in hypotheſi.
Caput XL.

AMplius autem ex hypotheſi ſyllogiſmos non eſt tentandum reducere: nam non eſt ex ijs, quæ poſita ſunt reducere; non enim per ſyllogiſmum oſtenſi ſunt, ſed ad placitum conceſſi ſunt omnes, vt ſi quis ponat, ſi vna quædam poteſtas non ſit contrariorum, neque diſciplinam eſſe vnam: deinde diſputet, quòd non eſt vna poteſtas contrariorum, vt ſanatiui, & ægrotatiui: ſimul enim idem erit ſanatiuum, & ægrotatiuum. Quod autem non eſt omnium contrariorum vna poteſtas, oſtenſum eſt; ſed quòd diſciplina non vna, non eſt oſtenſum, quamuis confiteri ſit neceſſe: at non ex ſyllogiſmo, verùm ex hypotheſi. Hoc igitur non eſt reducere quod non vna poteſtas eſt; hic enim fortaſſe erat ſyllogiſmus, illud autem hypotheſis.

In principio huius capitis docet Ariſtoteles non omni ex parte tentandum eſſe reſoluere ſyllogiſmum hypotheticum in tres terminos, ſed ſolum aſſumptum, non etiam deductum; ſiquidem ſolum aſſumptum per ſyllogiſmum oſtenſiuum demonſtratur; deductum verò ex conceſſo accipitur: pro cuius decla-

A ratione vſus eſt tali exemplo. Si quiſpiam petat, quòd ſibi concedatur, ſi non erit contrariorum vna potentia, neque vna ſcientia eſt; non eſt hoc totum reſoluendū in terminos, ſed ſolum illud aſſumptum, quòd contrariorum non ſit vna potentia: illud enim per ſyllogiſmū oſtenſiuum demonſtratur, per medium ſcilicet ſanatiuum, & ægrotatiuum, tali pacto

Sanatiui, & ægrotatiui non eſt vna poteſtas.
B Sanatiuum, & ægrotatiuum ſunt contraria, ergo
Contrariorum non eſt vna poteſtas.

Hoc quidem oſtenſum eſt per ſyllogiſmum; quod verò neque ſit vna diſciplina contrariorum non ſyllogiſmo concluditur, ſed ex conceſſo deducitur. Et dicit. *Amplius autem ex hypotheſi ſyllogiſmos non eſt tentandum reducere.* Non eſt opus ſyllogiſmum hypotheticum tentare ex omni parte in terminos reſoluere; *nam* C *non eſt ex ijs, quæ poſita ſunt reducere,* quia in ſyllogiſmis hypotheticis non contingit fieri reſolutionem eorum, quæ ex aſſumptis deducuntur. *Non enim per ſyllogiſmum oſtenſi ſunt.* Propterea quod ea, quæ deducuntur per ſyllogiſmum oſtenſiuum non demonſtrantur, *ſed ad placitum conceſſi ſunt omnes*: ſed ſolum ex conceſſis accipiuntur. *Vt ſi quis ponat, ſi vna quædam poteſtas non ſit contrariorum, neque diſciplinam eſſe vnam*, veluti ſi quiſpiam petat ſibi concedi, quòd ſi vna quædam poteſtas non D ſit aliquorum contrariorum, quod ſequatur ad hoc, neque vnam aliquam eſſe contrariorum diſciplinam, hoc totum non eſt reſoluendum, quia ſolum probatur aſſumptum; non etiam deductum, quod habetur quando dicit: *deinde diſputet, quòd non eſt vna poteſtas contrariorum, vt ſanatiui, & ægrotatiui*, & poſtea eo conceſſo demonſtret aliqua inducendo contraria, vt puta ſanatiuum, & ægrotatiuum eorum non eſſe vnā poteſtatem. *Simul enim idem* E *erit ſanatiuum, & ægrotatiuum*, quoniam ſi vna eſſet eorum poteſtas, idem eſſent. *Quod autem non eſt omnium contrariorum vna poteſtas, oſtenſum eſt*: eſt quidem per ſyllogiſmum oſtenſiuum demonſtratum aliquorum contrariorum non eſſe vnam poteſtatem, quod erat aſſumptum, *ſed quòd diſciplina non vna non eſt oſtenſum*, ſed non eſt propterea demonſtratum, quòd contrariorum non eſt vna diſciplina, quod erat deductum, *quamuis confiteri ſit neceſſe*, licet oporteat haberi pro confeſſo: *at* F *non ex ſyllogiſmo*, ſed id non cogimur fateri tanquam ex ſyllogiſmo concluſum, *verùm ex hypotheſi*, ſed potius ex conceſſo acceptum. *Hoc igitur non eſt reducere.* Non eſt itaque huius quod ex aſſumpto ſequitur facienda reſolutio, cum nec fiat demōſtratio, *quòd nō vna poteſtas eſt*: hic enim fortaſſe erit ſyllogiſmus, propterea quod ſyllogiſmus

muſ oſtenſiuus erat ſolum aſſumpti, videlicet contrariorum non eſſe vnam poteſtatem. *Illud autem ex hypotheſi.* At deductum, nempe non eſſe contrariorum vnam diſciplinam non ex ſyllogiſmo concludebatur, ſed ex conceſſo accipiebatur.

Sequitur textus.

Similiter autem in his, qui per impoſſibile concluduntur: nam neque hos eſt reſoluere, ſed ad impoſſibile quidem reductionem eſt; ſyllogiſmo enim monſtratur, alterum autem non eſt, nam ex hypotheſi concluditur. Differunt autem à prædictis, quoniam in illis quidem oportet prius confiteri ſi debet concedere, vt ſi oſtendatur vna poteſtas contrariorum, & diſciplinam eſſe eandem: hic autem, & non prius confeſſi concedunt, eo quod manifeſtum ſit falſum, vt poſita diametro ſymetro, eo quod imparia eſſe æqualia paribus. Plures autem & diuerſi terminantur ex conditione; quos proſpicere oportet, & notare apte. Quæ ergo horum differentiæ, & quoties fiunt, qui ex hypotheſi, poſtea dicemus: nunc autem tantum ſit nobis manifeſtum; quòd non eſt reſoluere in figuras huiuſmodi ſyllogiſmos, & ob quam cauſam diximus.

In hac ſecunda parte capitis Ariſtoteles determinat, quòd ſicuti non oportet ſyllogiſmum hypotheticum fundatum ſuper ſimili omni ex parte in terminos reſoluere, pariter tentandum nobis nõ eſt reſoluere ſyllogiſmum ad impoſſibile, cum in hoc ſicuti & in illo non de propoſita re, ſed de aliqua alia ratiocinatio fiat, & ſi contrario modo procedant; quoniam in eo aſſumptum, in hoc deductum demonſtratur: aſſumptum enim in hoc vti conceſſum non eget probatione, ſed deductum tanquam ambiguum per ſyllogiſmum probatur. Eſt etiã alia inter eos differentia, quòd in illo oportet reſpondentem confiteri poſitionem, verbi gratia, quòd ſi non omnium contrariorum erit vna poteſtas, neque eſt vna diſciplina; at in hoc de neceſſitate tenetur concedere, quoniam

A etſi non confiteatur, cogitur tamen ob contradictionis neceſſitatem, quòd de omnibus alterum eſt verum, veluti patet exemplo de Geometra, qui oſtendere volens, quòd diameter ſit lateri incommenſurabilis vſus ſit deductione ad impoſſibile in hunc modum, Si non eſt incommenſurabilis, erit commenſurabilis; ſed ſi commenſurabilis, imparia erunt æqualia paribus, quod eſt aperte falſum: igitur eſt diameter incommenſurabilis. Pòſt hæc autem monet plures alios reperiri ſyllogiſ-

B mos ex hypotheſi, quorum differentias teſtatur diligenter inueſtigandum, & perquirendum quot modis vtiles ſiunt ſyllogiſmi, & qui ſint, de quibus pollicetur ſe poſtea planius tractuturum; in præſenti inquit ſatis ſit cognouiſſe, quòd non eſt facienda in totam eorum reſolutio in terminos, & habuiſſe ob quam cauſam huiuſmodi reſolutio fieri non poteſt, & dicit: *Similiter autem in his, qui per impoſſibile concluduntur.* Conſimiliter determinandum in ſyllogiſmo ex hipotheſi fundato ſuper im-

C poſſibili, ac in ſyllogiſmo ex hypotheſi fundato ſuper ſimili nuper appoſito: *nam neque hos eſt reſoluere*, quod non eſt facienda ipſorum reſolutio in terminos in totum, *ſed ad impoſſibile quidem reductionem*; ſed in his reſolutio ſolum facienda eſt in eo, quod deducitur: *ſyllogiſmo enim monſtratur*; idem enim eſt, quod per ſyllogiſmum oſtenſiuum demonſtratur. *Alterum autem non eſt, nam ex hypotheſi concluditur.* At aſſumptum non demonſtratur, ſed ex conceſſo accipitur. *Diffe-*

D *runt autem à prædictis.* Differunt verò hi, & illi ad inuicem, *quoniam in illis quidem oportet prius confiteri ſi debet concedere*, quoniam in illis ex hypotheſi fundatis ſuper ſimili oportet reſpondentem prius confiteri poſitionem, *vt ſi oſtendatur vna poteſtas contrariorum*, quod ſcilicet concedat, oſtenſo vnam eſſe poteſtatem contrariorum, *& diſciplinam eſſe eandem*, etiam oſtenſum eſſe contrariorum vnam eſſe diſciplinam. *His autem & non prius confeſſi*

E *concedunt.* At in his per deductionem ad impoſſibile priuſquam fiat confeſſio adeſt conceſſio de neceſſitate, *eo quod manifeſtum ſit falſum*; cum falſum ſtatim re ipſa reddatur manifeſtum ob neceſſitatem contradictionis, *vt poſita diametro ſymetro*, veluti ſi quiſpiam probaret diametrum eſſe ſymetrum per deductionem ad hoc impoſſibile, *eo quod imparia eſſe æqualia paribus*, quod ſequeretur ſi non eſſet talis dato contradictorio, imparia eſſe æqualia paribus, quod dictum eſt aperte abſurdum.

F *Plures autem & diuerſi terminantur ex conditione.* Alij quamplures, & differenter reperiuntur ſyllogiſmi ex hypotheſi, *quos proſpicere oportet, & notare apte*, quos oportet inueſtigare, & diligenter perquirere. *Quæ ergo horum differentiæ, & quoties fiunt qui ex hypotheſi poſtea dicemus.* De quorum differentijs, & modis poſtea tractabimus. *Nunc au-*

tem tantum ſit nobis manifeſtum. In præſenti ſufficit nouiſſe, *quod non eſt reſoluere in figuras huiuſmodi ſyllogiſmos*, quòd tales ſolum hypothetici non reſoluuntur in totum in terminos ſecundum figuræ diſpoſitionem, *& ob quam cauſam diximus*: iam autem diximus ob quam cauſam reſolutio hæc fieri minime poſſit.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super caput XL. de reſolutione ſyllogiſmorum ad impoſſibile, & in hypoteſi pro Iuris ſtudioſis.

DVo ſunt breuiter obſeruanda in hoc capite pro cõmodo Iuriſtarum pro reſolutione terminorum.

Primum, quòd in ſyllogiſmo hypothetico fundato ſuper ſimili, non eſt in totum facienda reſolutio in tres terminos, ſiquidem ſolum aſſumptum, non etiam deductum demonſtratur.

Secundum, quòd in ſyllogiſmo hypothetico fundato ſuper impoſſibili, non eſt pariter ex omni parte facienda reſolutio in tres terminos, quoniam in hoc è contrario ſolum deductum, non etiam aſſumptum ſyllogiſmo concluditur.

De primo deſumatur exemplum Inſtit. titu. de emptio. & vendit. per totum, veluti ſi quiſpiam petat, quòd ſi in conductione merces de neceſſario conſtitui debeat; idem quoque eueniat in locatione.

Aſſumptum quidem per ſyllogiſmum oſtenſiuum demonſtrari oportet tali pacto, videlicet

> Idem merces operatur in conductione, ac pretium in emptione.
> At ſine pretio emptio non poteſt conſtitui, ergo
> Neque ſine mercede conductio.

Hoc quidem demonſtratur, verum quòd etiã locatio ſine mercede conſtitui non valeat, ex confeſſo accipitur.

De ſecundo exemplum deſumatur in l. Labeo. la ſeconda. ff. de verborum, & rerum ſignif. hunc in modum.

> Omnis contractus eſt vltro, citroque obligatio.
> Omnis emptio, & venditio eſt contractus, ergo
> Omnis emptio, & venditio eſt vltro, citroq; obligatio.

Si negetur concluſio dabitur contradictorium.

> Aliqua emptio, & venditio non eſt vltro, citroq; obligatio.

Cui ſuperaddita maiori ſuperioris ſyllogiſmi tanquam conceſſo.

> Omnis contractus eſt vltro, citroq; obligatio.

A Sequitur in quarto modo ſecundæ figuræ quòd

> Aliqua emptio, & venditio non eſt contractus.

Contra minorem ſuppoſitionem prioris ſyllogiſmi, quod eſt aperte falſum; ergo falſa eſt hæc contradictoria, & concluſio poſita vera.

Et ſic patet quomodo in hoc ſyllogiſmo ad impoſſibile deducente, aſſumptum quidẽ cum confiteatur, non eget probatione, ſed deductũ
B ſyllogizatur.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De reciproca reductione ſyllogiſmorum vnius figura in aliam.

Caput XLI.

C QVecunque autem in pluribus figuris monſtrantur propoſita, ſi in altera ſyllogizetur, eſt reducere ſyllogiſmum in alteram, vt eum, qui in prima eſt, priuatiuum in ſecunda figura; & cum, qui in media eſt, in prima: non omnes autem, ſed quoſdam;
D erit autem in ſequentibus manifeſtum. Si enim A nulli B, B autem omni C, A nulli C. Sic ergo prima figura: ſi autem conuertatur priuatiua, media erit; nam B, A quidem nulli, C autem omni inerit. Similiter autem, & ſi non vniuerſalis, ſed particularis ſit ſyl-
E logiſmus, vt ſi A quidem nulli B, B autem alicui C: conuerſa enim priuatiua, media erit figura.

Vbi plurima obſeruanda theoremata tradidit Philoſophus pro facili reſolutione propoſitionum in terminos, modo pertractare exorditur de reductione ratiocinationum in figuras; quæ reductio non contingit niſi in pro-
F blematibus, quæ in plurimis figuris concluduntur. In præſenti verò parte huius capitis agit de reductione primæ figuræ in ſecundam; & docet reducere ſecundam, & quartam coniugationem primæ figuræ, ad primam, & tertiam ſecundæ in elementis, veluti hæc ſecunda iugatio primæ.

CE-

CE	Nullum B eſt A.
LA	Omne C eſt B, ergo
RENT	Nullum C eſt A.

Reducitur ad primam iugationem ſecundæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis, videlicet

CE	Nullum A eſt B.
SA	Omne C eſt B, ergo
RE	Nullum C eſt A.

Et quarta coniugatio primæ figuræ, ſcilicet

FE	Nullum B eſt A.
RI	Aliquod C eſt B, ergo
O	Aliquod C non eſt A.

Reducitur ad tertiam iugationem ſecundæ figuræ tali pacto per conuerſionem maioris.

FE	Nullum A eſt B.
STI	Aliquod C eſt B, ergo
NO	Aliquod C non eſt A.

Ideo dicit; *Quæcunque autem in pluribus figuris monſtrantur propoſita*. Quodcunque problema in plurimis figuris concluditur, *ſi in altera ſyllogizatur*, ſi in vna figura demonſtretur, *eſt reducere ſyllogiſmum in alteram*, eſt reducere in aliam figuram, in qua idem problema confirmetur, *vt eum, qui in prima eſt priuatiuum*, veluti problema negatiuum, quod in ſecunda, & quarta iugationibus primæ figuræ ſyllogizatur, *in ſecunda figura*, eſt reducere ad primam, & tertiam iugationes ſecundæ figuræ, *& eum, qui in media eſt, in prima*, & problema, quod concluditur in ſecunda figura, reducitur ad primam figuram, *non omnes autem*, non tamen omnia problemata, *ſed quoſdam*, ſed quædam. *Erit autem in ſequentibus manifeſtum*. Hoc autem in ſequentibus manifeſtabitur. *Si enim nulli B*: namque ſi ſit maior vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, *B autem omni C*, & minor vniuerſalis affirmatiua, omne C eſt B, *A nulli C*; ſequetur concluſio, nullũ C eſt A: *ſic ergo erit prima figura*; & ſic problema negatiuum in prima figura erit demonſtratũ: *ſi autem conuertatur priuatiua*, maiori verò vniuerſali negatiua conuerſa in terminis, *media erit*. Idem problema in ſecunda figura erit reductum; *nam B, A quidem nulli*: quoniam maior efficietur nullum A eſt B, *C autem omni inerit*; minor verò remanebit, omne C eſt B, ex quibus dicta concluſio ſequetur nullum C eſt A. *Similiter autem & ſi non vniuerſalis, ſed particularis ſit ſyllogiſmus*. Similiter ſit reductio primæ figuræ in ſecundam, quando non efficitur ſyllogiſmus vniuerſalis, ſed particularis, *vt ſi A quidem nulli B*, veluti ſi ſit maior vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A; *B autem alicui C*, & minor particularis affirmatiua, aliquod C eſt B; ex quibus in quarta iugatione primæ figuræ problema particulare negatiuum concluditur aliquod C non eſt A. *Conuerſa enim priuatiua*

A Conuerſa namque maiori vniuerſali negatiua, *media erit figura*. Idem problema particulare negatiuum ad tertiam iugationem primæ figuræ reducetur.

Sequitur textus.

Eorum autem ſyllogiſmorum,
qui ſunt in ſecunda figura, vni-
uerſales quidem reducentur in pri-
mam figuram, particularium autem
B alter ſolum. Inſit enim A, B qui-
dem nulli, C verò omni, conuer-
ſa priuatiua, prima erit figura; nam
B quidem nulli A, A autem om-
ni C inerit; ſi autem prædicati-
uum quidem ſit ad B, priuati-
uum autem ad C, primus termi-
nus ponendus eſt C. Hoc enim
C nulli A, A autem omni B: quare
re nulli B inerit C; ergo & B nul-
li C; conuertitur enim priuatiua.
Si autem particularis ſit ſyllogiſ-
mus, quando priuatiuum quidem
erit ad maiorem extremitatem, re-
ſoluetur in primam figuram, vt
D ſi A nulli B, B autem alicui C.
Conuerſa enim priuatiua, prima
erit figura; nam B quidem nulli
A, A autem alicui C. Quando ve-
rò prædicatiuum non reſoluetur,
vt ſi A quidem omni B, C ve-
rò non omni; non enim ſuſcipit
conuerſionem A, B, neque cum
E ſit, erit ſyllogiſmus.

Dixit ſuperius de reductione primæ in ſecundam figuram, loquitur in præſenti è conuerſo de reductione ſecundæ in primam, & ponit reductionem trium ratiocinationum ſecundæ figuræ ad duas primæ figuræ.

Et in primis reductionem primæ coniugationis ſecundæ figuræ, ſcilicet

	CE	Nullum B eſt A.
F	SA	Omne C eſt A, ergo
	RE	Nullum C eſt B.

Ad ſecundam iugationem primæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis, videlicet.

CE	Nullum A eſt B.
LA	Omne C eſt A, ergo
RENT.	Nullum C eſt B.

Poſtea docet reductionem ſecundæ coniugationis ſecundæ figuræ, videlicet

CA Omne B eſt A.
ME Nullum C eſt A, ergo
STRES Nullum C eſt B.

Ad ſecundam primæ per tranſpoſitionẽ præmiſſarum, & conuerſionem minoris, & concluſionis in terminis.

CE Nullum A eſt B.
LA Omne B eſt A, ergo
RENT Nullum B eſt C.

Quæ concluſio ſi conuertatur, fiet
Nullum C eſt B.

Vlterius ponit reductionem tertię coniugationis ſecundæ figuræ.

FE Nullum B eſt A.
STI Aliquod C eſt A, ergo
NO Aliquod C non eſt B.

Ad quartam primæ per conuerſionem maioris in terminis.

FE Nullum A eſt B.
RI Aliquod C eſt A, ergo
O Aliquod C non eſt B.

Quartam autem coniugationem, puta

BA Omne B eſt A.
RO Non omne C eſt A.
CO Non omne C eſt B.

Inquit minime reduci poſſe; quoniam ſi aliqua propoſitio conuertatur, erit maior. Qua conuerſa, vtræque propoſitiones præmiſſæ erunt particulares, & ex ambabus particularibus nihil ſequitur in aliqua trium figurarum. Dicit igitur. *Eorum autem ſyllogiſmorum qui ſunt in ſecunda figura*. Earum verò coniugationum, quæ in ſecunda figura copulantur, *vniuerſales quidem reducentur in primã figuram*, vniuerſaliter concludentes vt prima, & ſecunda iugatio ad ſecundam iugationem primæ figuræ reducentur: *particularium autem alter ſolum*. Particulariter verò concludentium vna ſolum, nempe iugatio tertia ad quartam iugationem primæ figurę reducetur. *Inſit enim A, B quidem nulli*. Sit enim prima iugatio ſecundæ figuræ, in qua maior eſt vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, *C verò omni*, & minor eſt vniuerſalis affirmatiua, omne C eſt A, concludentes vniuerſalem negatiuam, nullum C eſt B. *Conuerſa priuatiua*, maiori vniuerſali negatiua conuerſa in terminis, *prima erit figura*, efficietur ſecunda iugatio primæ figuræ: *nam B quidem nulli A*, quoniam maior propoſitio erit, nullum A eſt B; *A autem omni C inerit*, & minor propoſitio erit, omne C eſt A, ex quibus idem problema ſequetur negatiuum vniuerſale in ſecunda iugatione primæ figuræ nullum C eſt B. *Si autem prædicatiuum quidem ſit ad B*. Si verò ſit ſecunda iugatio ſecundæ figuræ, in qua maior eſt vniuerſalis affirmatiua, Omne B eſt A: *priuatiuum autem ad C*, & minor vniuerſalis negatiua nullum C eſt A, concludentes negatiuam vniuerſalem, nullum C eſt B, *primus terminus ponendus eſt C*, per tranſpoſitionem, & conuerſionem minoris, *hoc enim nulli A*, formantes in locum ma-
A ioris propoſitionis, nullum A eſt C. *A autem omni B*, & in locum minoris omne B eſt A: *quare nulli B inerit C*, efficietur ſecunda iugatio primę figuræ concludens vniuerſalem negatiuam, nullum B eſt C, *ergo & B nulli C, conuertitur enim priuatiua*: & è conuerſo nullum C eſt B, quoniam conuertitur negatiua vniuerſalis. *Si autem particularis ſit ſyllogiſmus*. Quod ſi iugatio in hac ſecunda figura extiterit particulariter concludẽns, *quando priuatiuum quidem erit ad maiorem extremitatem*, maiori exiſtente vniuerſali negatiua, veluti
B in tertia iugatione, *reſoluetur in primam figuram*, reductio fiet ad quartam iugationem primæ figure, *vt ſi A nulli B*, ſicuti ſi tertia iugatio ſit, in qua maior eſt vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, *B autem alicui C*, & minor particularis affirmatiua, aliquod C eſt A, concludentes particularem negatiuam, aliquod C non eſt B. *Conuerſa enim priuatiua*. Maiori namque vniuerſali negatiua conuerſa in terminis, *prima erit figura*, efficietur prima figura, *nam B quidem nulli A*, quoniam maior propoſitio erit, nullum A eſt B, *A*
C *autem alicui C*; minor autem aliquod C eſt A: ex quibus ſequitur idem problema particulare negatiuum in quarta iugatione primæ figuræ, aliquod C non eſt B. *Quando verò prædicatiuũ non reſoluitur*; maiori vero exiſtente vniuerſali affirmatiua non fiet reductio ad aliquam figuram. *vt ſi A quidem omni B*, veluti ſi ſit quarta iugatiò habens maiorem vniuerſalem affirmatiuam, omne B eſt A, *C verò non omni*, & minorem particularem negatiuam, non omne C eſt A: ex quibus concluſio particularis negatiua ſequitur non
D omne C eſt B. *non enim ſuſcipit conuerſionem A, B*, quoniam vniuerſalis affirmatiua non conuertitur in terminis, niſi in parte, *neque cum ſit, erit ſyllogiſmus*, & cum conuertitur in parte, nulla ſequitur ratiocinatio: ex vtriſque enim particularibus non eſt ſyllogiſmus aliquis vtilis in aliqua figura.

Rurſus qui in tertia quidem ſunt figura, non reſoluuntur omnes in
E primam. Qui autem ſunt in prima, omnes in tertiam. Inſit enim A quidem omni B, B autem alicui C: ergo quia conuertitur particularis prædicatiua, inerit & C alicui B; A verò omni B inerat: quare ſit tertia figura. & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus, ſimiliter; conuertitur enim
F particularis affirmatiua; quare A quidem nulli B, C autem alicui inerit.

Determinat Ariſtoteles de reductione ratiocinationum particularium primæ figuræ in tertiam, & docet reducere primam particularem coniugationem primæ figuræ, videlicet

DA-

DA Omne B eſt A.
RI Aliquod C eſt B, ergo
I Aliquod C eſt A.

Ad quartam coniugationẽ tertiæ figuræ per conuerſionem minoris, ſcilicet

DA Omne B eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
SI Aliquod C eſt A.

Secundam verò particularem coniugationẽ primæ figuræ, puta

FE Nullum B eſt A.
RI Aliquod C eſt B, ergo
O Aliquod C non eſt A.

Docet reducere ad ſextam coniugationem tertiæ figuræ per conuerſionem ſimiliter minoris, tali pacto.

FE Nullum B eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
SON Aliquod C non eſt A.

Et inquit: *Rurſus qui in tertia quidem ſunt figura, non reſoluuntur omnes in prima.* Vlterius proſequẽtes tractatum de reductione ratiocinationum inuicem in figuras dicimus, quòd non omnes ſyllogiſmi, qui ſunt in tertia figura, reſoluuntur in primam, quod dicit reſpectu quintæ coniugationis tertiæ figuræ, quæ per conuerſionẽ ad primam reduci non valet, ſed per impoſſibile reſoluitur; de qua reſolutione in præſenti nõ eſt ſermo. *Qui autem ſunt in prima, omnes in tertiam.* At ſyllogiſmi omnes, qui in prima formantur figura in tertiam reducuntur, nõ intelligens de vniuerſalibus, quos habuimus in ſuperioribus, ſed de particularibus, de quibus ponit exempla, & primum de primo. *Inſit enim A quidem omni B.* Sit namque prima iugatio particularis habens maiorem vniuerſalem affirmatiuam, omne B eſt A: *B autem aliq.i C*, & minorem particularem affirmatiuam, aliquod C eſt B, concludentes particularem affirmatiuam, aliquod C eſt A, *quia conuertitur particularis prædicatiua*, quoniam minor propoſitio, quæ eſt particularis affirmatiua conuertitur in terminis, *inerit & C alicui B*, aliquod B erit C: *A verò omni B inerat:* maior verò erat omne B eſt A: *quare ſit tertia figura*: quapropter ex dictis præmiſſis ſic coniugatis efficitur quarta iugatio tertiæ figuræ, concludens particulariter affirmatiue aliquod C eſſe A. *Et ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus.* Et ſi ſit ſecunda iugatio particularis conſtãs ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua particulariter negatiue concludentibus nullum B eſt A, aliquod C eſt B, ergo aliquod C nõ eſt A. *Similiter.* Pariter hæc ſecunda iugatio particularis reducitur ad ſextam iugationem tertiæ figuræ: *Conuertitur enim particularis affirmatiua*, quoniam minor particularis affirmatiua in terminis conuertitur. *Quare A quidem nulli B.* Quapropter efficietur iugatio habens maiorem, nullum B eſt A. *C autem alicui inerit*, & minorem, aliquod B eſt C; ex quibus ſit ſexta coniugatio tertiæ figuræ, concludens particularem negatiuã, aliquod C non eſt A. Sequitur textus.

A Eorum autem ſyllogiſmorum, qui ſunt in poſtrema figura, vnus tantũ non reſoluitur in primam, quando non vniuerſalis ponitur priuatiua; alij autem omnes reſoluuntur: prædicentur enim de omni C, & A, & B, ergo conuertitur C ad vtrumque particulariter; inerit ergo A alicui B;
B quare erit prima figura. Siquidem A omni C, C verò alicui B, & ſi A quidem omni C, B autem alicui C, eadem ratio: conuertitur enim ad B, C. Si autem B quidem omni C, A autem alicui C, primus ponendus B; nam B omni C, C autem alicui A;
C quare B alicui A: quoniam autẽ conuertitur particularis, & A alicui B inerit, etſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus vniuerſalibus terminis, ſimiliter ſumendum: inſit enim B omni C, A autem nulli C, ergo alicui B inerit C, A autem nulli C; quare erit mediũ C. Similiter autẽ & ſi priuatiua qui-
D dem ſit vniuerſalis, prædicatiua autẽ particularis: nam A quidem nulli C, C autem alicui B inerit. Si autem particularis ſumatur, priuatiua non erit reſolutio, vt ſi B quidem omni C, A autem alicui C non ineſt: conuerſa enim B, C vtræque propoſitiones erunt particulares. Manifeſtum au-
E tem, quòd ad reſoluendum ad ſe inuicẽ figuras, quę ad minorem extremitatẽ eſt propoſitio, conuertenda in vtriſq; figuris, hac cõuerſa, trãſitio fit.

Cum ſuperius Ariſtoteles pertractauerit de reductione raciocinationum primæ figuræ in tertiam, modo è conuerſo pertractat de reductione ratiocinationum tertiæ figuræ in primã: quas omnes docet reſoluere, excepta quinta con-
F iugatione conſtante ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua particulariter negatiue concludentibus. Hæc quidem per conuerſionem ad primam reduci non valet: ſiquidem ſi aliqua præmiſſarum conuerteretur, eſſet minor, quæ ſi redderetur particularis, tunc vtræque propoſitiones eſſent particulares; ex qui-

quibus nullus eſt vtilis ſyllogiſmus in aliqua triũ figurarum. Cæteras coniugationes ſtatuit reduci poſſe in primam figuram, & in primis ponit affirmatiuas.

Prima coniugatio tertiæ figuræ, ſcilicet

DA Omne C eſt A.
RA Omne C eſt B, ergo
PTI Aliquod B eſt A.

Reducitur ad tertiam iugationem primæ figurę per conuerſionẽ minoris in parte, tali pacto

DA Omne C eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
I Aliquod B eſt A.

Quarta iugatio eiuſdem tertiæ figuræ.

DA Omne C eſt A.
RI Aliquòd C eſt B, ergo
SI Aliquod B eſt A.

Reducitur ad eandem tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

DA Omne C eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
I Aliquod B eſt A.

Tertia iugatio eiuſdem figuræ.

DI Aliquod C eſt A.
SA Omne C eſt B, ergo
MIS Aliquod B eſt A.

Reducitur ad eandem tertiam iugationem primæ figuræ per tranſpoſitionem præmiſſarũ, & per conuerſionem maioris, & concluſionis.

DA Omne C eſt B.
RI Aliquod A eſt C, ergo
I Aliquod A eſt B.

Quæ concluſio ſi conuertatur, fit
Aliquod B eſt A.

Deinde docet reductionem coniugationum negatiue concludentium in eadem figura, veluti hæc ſecunda iugatio tertiæ figuræ.

FE Nullum C eſt A.
LA Omne C eſt B, ergo
PTON Aliquod B non eſt A.

Reducitur ad quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in parte.

FE Nullum C eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
O Aliquod B non eſt A.

Sexta autem, & vltima iugatio tertiæ figuræ.

FE Nullum C eſt A.
RI Aliquod C eſt B, ergo
SON Aliquod B non eſt A.

Reducitur ad eandem quartam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

FE Nullum C eſt A.
RI Aliquod B eſt C, ergo
O Aliquod B non eſt A.

Quinta ſola, vt dictum eſt, nempe

BRO Aliquod C non eſt A.
CAR Omne C eſt B, ergo
DO Aliquod B non eſt A.

Ad aliquam coniugationem primæ figuræ reduci non valet dicta de cauſa; ex quibus concludit manifeſtum eſſe, quòd in reductione harum

A figurarum, primę ſcilicet & tertię admuicem conuertenda eſt propoſitio minor, quia ea conuerſa in vtraque figura variabitur medium, & fit tranſmutatio vnius figurę in aliam. Et inquit: *Eorum autem ſyllogiſmorum, qui ſunt in poſtrema figura*, omnium ratiocinationum exiſtentium in tertia figura, *vnus tantum non reſoluitur in primam*: vnica tantum reperitur iugatio tertiæ figuræ, nempe quinta, quæ ad primam reduci non poteſt. *Quando non vniuerſalis ponitur priuatiua*,

B in qua quinta iugatio, propoſitio negatiua maior non eſt vniuerſalis, ſed particularis. *Alij autem omnes reſoluuntur.* reliqui omnes coniugationes huius tertiæ figuræ ad primam reducuntur. *Prædicentur enim de omni C, & A, & B*, hoc patet in prima iugatione tertiæ figurę, ſint nãque duę propoſitiones, maior, & minor, in quibus A maior extremitas, & B minor extremitas, de C medio vniuerſaliter affirmatiue prædicentur, omne C eſt A, omne C eſt B: *ergo conuertetur C ad vtrumque particulariter*. C medium igitur conuer

C tetur ad vtrumque extremorum, cum vniuerſalis affirmatiua in particularem conuertatur. *Inerit ergo A alicui B*. Quapropter ſequetur aliquod B eſſe A, conuerſa earum altera, puta minori. *Quare erit prima figura.* Et ideo efficietur prima figura. *Siquidem A omni C*: nam erit coniugatio habens maiorem vniuerſalem affirmatiuam, omne C eſſe A, *C verò alicui B*, & minorem particularem affirmatiuam, Aliquod B eſſe C, ex quibus copulatur iugatio tertia primæ figuræ. *Et ſi A quidem omni C*, patet etiam in quarta iugatio

D ne tertiæ figurę, quæ habet maiorem propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, omne C eſſe A, *B autem alicui C*, & minorem particularem affirmatiuam, aliquod C eſſe B *Eadem ratio*, quòd per conuerſionem minoris in terminis pariter fit eadem reductio ad tertiam iugationem primę figuræ. *Conuertitur enim ad B*, quoniam minor, Aliquod C eſt B. Conuertitur in hanc, aliquod B eſt C. *Si autem B quidem omni C*. Idem quoque videtur in tertia iugatione tertiæ figurę, in

E qua B minor extremitas, de C medio vniuerſaliter affirmatiue prædicatur in minori propoſitione; *A autem alicui C*, & A maior extræmitas de eodem medio particulariter affirmatiue prædicatur in maiori propoſitione, veluti aliquod C eſt A, omne C eſt B, quod & hęc iugatio inſuper ad tertiam primæ figuræ reducitur, per tranſpoſitionem ſcilicet præmiſſarum, & conuerſionem maioris, & concluſionis. Hinc addit, *Primus ponendus B*, in reductione B minus extremum ponendum eſt maius extremum: *nam B omni C*, quo-

F niam omne C eſt B, quæ erat minor propoſitio efficitur per tranſpoſitionem maior propoſitio; *C autem alicui A*, & quæ erat maior conuerſa, aliqod A eſt C, efficitur minor: *quare B alicui A*, quapropter ex his in tertia iugatione tertiæ figuræ, ſequitur quod aliquod A eſt B: *quoniam autem conuertitur particularis*: & quia particularis propoſitio in terminis conuerti poteſt, ideo con

clu-

cluſione cõuerſa,*& A alicui B inerit*,& aliquod B erit A,*etſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus*. idem oſtendit in negatiuis ratiocinationibus tertiæ figuræ,reductionem ſcilicet earum fieri ad primam figurã,& inquit,*Vniuerſalibus terminis ſimiliter ſumendum*, in coniugationibus tertiæ figuræ negatiuę concludentibus, quando ambo termini, & propoſitiones ſunt vniuerſales,vt in ſecunda iugatione accidit.*Similiter ſumendum*. Similiter accipiendum eſt fieri reductionem ad primam figuram:*inſit enim B omni C*: B namque vniuerſaliter affirmatiue prædicetur de C medio in minori propoſitione:*A autem nulli C*: A verò prædicetur de eodem medio vniuerſaliter negatiue in maiori propoſitione, veluti nullum C eſt A,omne C eſt B,ex quibus peopoſitionibus ſic copulatis ſequitur in ſecunda iugatione tertię figuræ, àliquod B non eſt A: *ergo alicui B inerit C*. Per conuerſionem igitur minoris propoſitionis in particularem, aliquod B erit C:*A autem nulli C*; ſed maior propoſitio erat, nullum C eſt A,*quare erit medium C*;quapropter in huiuſmodi iugationibus nullum C eſt A, aliquod B eſt C, medium erit C, & efficietur quarta iugatio primæ figuræ concludens idem problema particulare negatiuum aliquod B non eſt A. *Similiter autem etſi priuatiua quidem ſit vniuerſalis, prædicatiua autem particularis*.Simili modo fit reductio ad primam figuram per conuerſionem minoris in terminis, quando propoſitio negatiua eſt vniuerſalis,& affirmatiua particularis, vt in ſexta iugatione tertiæ figuræ:*nam A quidem nulli C*,in qua A maior extremitas in maiori propoſitione vniuerſaliter negatiue prædicatur de C medio: *C autem alicui B inerit*, & in minori propoſitione B minor extremitas de eodem C medio particulariter affirmatiue prædicatur, nullum C eſt A, aliquod C eſt B,namque minori propoſitione in particularem conuerſa,aliquod B non eſt C,efficitur iugatio quarta primæ figurę concludens vt ſexta tertiæ, aliquod B non eſt A.*Si autem particularis ſumatur priuatiua*, quòd ſi negatiua propoſitio non ſit uniuerſalis,ſed particularis,vt in quinta iugatione tertiæ figuræ,*non erit reſolutio*, non fiet reductio per conuerſionem minoris ad primam figuram,*vt ſi B quidẽ omni C*, veluti ſi B minor extremitas, de C medio vniuerſaliter affirmatiue prædicetur in minori propoſitione,*A autem alicui C non ineſt*,& A maior extremitas, de eodem C medio particulariter negatiue prædicetur in maiori propoſitione,aliquod C non eſt A,omne C eſt B,cuius cauſa eſt;*Conuerſa enim B,C,vtræque propoſitiones erũt particulares*, quoniã minori conuerſa in particularem ambæ pręmiſſæ erunt particulares,exquibus in aliqua trium figurarum nõ fit vtilis ſyllogiſmus. *Manifeſtum autem,quòd ad reſoluendum ad ſe inuicem figuras*. Conſtat itaque ex dictis,quòd in reductione primæ, & tertiæ figuræ adinuicem,*quæ ad minorem extremitatem eſt propoſitio cõuertenda in vtriſque figuris*,conuertenda eſt propoſitio minor,quæ eſt ad minorem extremitatem in vtraque figura,*hac conuer-*

A *ſa,tranſitio fit*: hac enim minori conuerſa,fiet reductio de vna in aliam figuram.

Eorum autem, qui in media ſunt figura, alter quidem reſoluitur, alter verò non reſoluitur in tertiam; nam cum ſit vniuerſalis priuatiua, reſoluitur, ſi enim A nulli quidem B, alicui autem C, vtraque ſimiliter conuerti-

B tur ad A; quare B quidem nulli A, C verò alicui; medium ergo A autem, quando A omni B, C autem alicui non inſit, non fit reſolutio; neutra enim propoſitionum ex conuerſione vniuerſalis.

Agit in pręſenti Ariſtoteles de reductione ratiocinationum particularium ſecundæ figure in

C tertiam, & docet reductionem tertiæ coniugationis ſecundæ figuræ.

FE Nullum B eſt A.
STI Aliquod C eſt A, ergo
NO Aliquod C non eſt B.

Ad ſextam tertiæ figuræ per conuerſionem vtriuſque propoſitionis in terminis maioris, ſcilicet & minoris,

FE Nullum A eſt B.
RI Aliquod A eſt C, ergo
SON Aliquod C non eſt B.

D Quartam verò iugationem ſecundæ figuræ particulariter concludentem ſtatuit reduci non poſſe in aliam figuram per conuerſionem præmiſſarum, vut puta

BA Omne B eſt A.
RO Aliquod C non eſt A, ergo
CO Aliquod C non eſt B.

Cauſa, quia reſolui non poteſt hæc iugatio, eſt,quoniam minor negutiua non poteſt conuert;maior verò ſi conuertatur,conuertetur in par

E ticularem,ex vtriſque autem præmiſſis particularibus in aliqua trium figurarum non fit ratiocinatio vtilis. Dicit itaque: *Eorum autem,qui in media ſunt figura*. Coniugationum verò particularium ſecundæ figuræ,*alter quidem reſoluitur,alter verò non reſoluitur in tertiam*;altera quidem,nempe tertia reducitur ad tertiam figuram, puta ad ſextam iugationem;altera verò vti quarta in primam figuram reduci non poteſt;*nam cum ſit vniuerſalis priuatiua reſoluitur*; quoniam cum in tertia iugatione maior ſit negatiua vniuerſalis, va-

F let fieri reductio per conuerſionem eius iugationis; ſiquidem vniuerſalis negatiua in terminis conuertitur. *Si enim A nulli quidem B* Si namque maior in ea ſit nullum B eſt C, *alicui autem C*, & minor ſit aliquod C eſt A:*vtraque ſimiliter conuertitur ad A*, vtraque propoſitio conuerti poteſt: *quare B quidem nulli A*: quocirca maior conuertitur nullum A eſt B, *C verò alicui*, & minor conuer-

uertitur aliquod A eſt C: *medium ergo A*, & tunc medium eſt A, & inde patet, quòd facta eſt tertia figura: *quando autem A omni B*: quando verò in maiori propoſitione A medium prædicatur vniuerſaliter affirmatiue de B maiori extremo; A *C autem alicui non inſit*, & de C minori extremo particulariter negatiuè prædicatur in minori propoſitione, vnde fit quarta iugatio ſecundæ figuræ, omne B eſt A, aliquod C non eſt A, *non fit reſolutio*, non fit reductio per conuerſionē in tertiam figuram: *neutra enim propoſitionum ex conuerſione vniuerſalis*: quia per conuerſionem neutra B præmiſſarum fit vniuerſalis: particularis enim negatiua minor non conuertitur, & maior vniuerſalis in affirmatiuā conuerti debet; at ex ambabus particularibus non fit ratiocinatio.

Qui autem ex tertia ſunt figura, reſoluentur in mediam, quando fuerit vniuerſalis priuatiua, vt ſi A nulli C, B autem alicui, aut omni C: nam C C A quidem nulli, B autem alicui inerit. Si autem particularis ſit priuatiua, non reſoluetur: non enim ſuſcepit conuerſionem particularis negatiua, manifeſtum ergo quòd ijdem ſyllogiſmi non reſoluuntur in his figuris, qui nec in primam reſoluebantur, & quod in primam figuram reductis D ſyllogiſmis, iſti ſoli ſyllogiſmi per impoſſibile clauduntur. Quomodo ergo oportet ſyllogiſmos reducere, & quod reſoluuntur figuræ in ſe inuicē, manifeſtum ex dictis.

In hac vltima parte Capitis cum ſuperius dixerit de reductione ratiocinationum ſecundæ figuræ in tertiam, agit è contrario de reductione ratiocinationum tertiæ figuræ in ſecundam, & E determinat ſextam, & ſecundam iugationem tertiæ figuræ reduci ad tertiam iugationem ſecundæ figuræ per conuerſionem vtriuſque propoſitionis in terminis, vti ſexta hæc iugatio tertiæ.

FE Nullum C eſt A.
RI Aliquod C eſt B, ergo
SON Aliquod B nun eſt A.

Reducitur per conuerſionē vtriuſquæ propoſitionis ad tertiā iugationem ſecūdæ tali pacto.

FE Nullum A eſt C.
STI Aliquod B eſt C, ergo
NO Aliquod B non eſt A.

Similiter hæc ſecunda iugatio tertiæ.

FE Nullum C eſt A.
LA Omne C eſt B, ergo
PTON Aliquod B non eſt A.

A Per conuerſionem vtriuſque præmiſſarum ad eandem iugationem tertiam ſecundæ, reducitur.

FE Nullum A eſt C.
STI Aliquod B eſt C, ergo
NO Aliquod B non eſt A.

Quinta autem iugatio.

BRO Aliquod C non eſt A.
CAR Omne C eſt B, ergo
DO Aliquod B non eſt A.

Reduci non poteſt ad ſecundam figuram per B propoſitionis conuerſionem, quia maior particularis negatiua non conuertitur, & minor, ſi conuertatur redditur particularis, & ex vtriſque particularibus non fit ſyllogiſmus. Ex quibus colligit manifeſtum eſſe, quòd hæ iugationes, ſcilicet quarta ſecūdæ, & quinta tertię inuicem non reducuntur, quia nec in primam reſoluebātur, & quòd reliquæ coniugationes ſecundæ, & tertiæ figuræ in primam per conuerſionem reſoluuntur; hæ duæ vero reſoluuntur per impoſſibile: denique concludit in calce capitis C ex prædictis conſtare, quomodo reductio ratiocinationum in aliam figuram fieri contingat, & quòd omnes figuræ ad inuicem reducuntur, & inquit. *Qui autem ex tertia ſunt figura, reſoluentur in mediam, quando fuerit vniuerſalis priuatiua.* Coniugationes autem tertiæ figurę ad ſecundam reducentur vniuerſali propoſitione negatiua exiſtente, *vt ſi A nulli C*, veluti in ſexta, & ſecunda iugatione, in quibus maior eſt vniuerſalis negatiua, nullum C eſt A, *B autem alicui, aut omni C*: minor verò eſt vel particularis affirmatiua, D aliquod C eſt B vt in ſexta, vel vniuerſalis affirmatiua, omne C eſt B, vti in ſecunda: *nā C, A quidē nulli, B autem alicui inerit*: quoniam in vtrique per conuerſionē vtriuſque propoſitionis efficietur tertia iugatio ſecūdę figuræ, habens maiorē vniuerſalē negatiuam, & minorē particularem affirmatiuam, nullum A eſt C, aliquod B eſt C. *Si autem particularis ſit priuatiua, non reſoluetur.* At ſi negatiua ſit particulaiis, vti in quinta iugatione, non fiet reductio: *non enim ſuſcipit conuerſionem particularis negatiua*: propterea quod particu E laris negatiua non conuertitur. *Manifeſtum ergo, quod ijdem ſyllogiſmi non reſoluuntur in his figuris, qui nec in primam reſoluebantur.* Patet itaque quod ex coniugationes ſecundæ & tertiæ figuræ non reducuntur inuicem, quę neque ad primam per conuerſionem reducebantur: *& quod in primam figuram reductis ſyllogiſmis, iſti ſoli per impoſſibile clauduntur.* Et inſuper eſt notum quod cęteris redactis ſyllogiſmis ſecundę & tertię figurę ad primam per conuerſionem hę ſolum iugationes, quarta ſecūdę; & quinta tertię per im- F poſſibile ad primam reducuntur. *Quomodò ergo oportet ſyllogiſmos reducere*, per conuerſionem ſcilicet, & impoſſibile, *& quod reſoluuntur figurę in ſe inuicem*, & quòd figurę ad inuicem reducuntur. *manifeſtum ex dictis*, ex declaratis conſtat, & planum eſt,

Et hæc ſatis ſuper hoc Capite.

Super

Super capite XLI. De reciproca reductione ſyllogiſmorum vnius figuræ in aliam pro Iuris ſtudioſis.

TRia potiſſimum conſideranda ſunt pro vſu Iuriſtarum in capite præſenti.

Primum, reductio primæ in ſecundam figuram, & è conuerſo.

Secundum, Reductio primæ in tertiam figuram, & è conuerſo.

Tertium, Reductio ſecundæ in tertiam figuram, & è conuerſo.

In prima conſideratione quinque fiunt reductiones.

Prima reductio eſt ſecundæ coniugationis primę figurę ad primam coniugationem ſecundę figurę per cōuerſionem maioris in terminis.

Secunda reductio eſt quartæ coniugationis primæ figuræ ad tertiam coniugationem ſecundæ per eandem cōuerſionē maioris in terminis.

Tertia reductio eſt primæ coniugationis ſecundæ figuræ ad ſecundam coniugationem primæ figuræ per ſimilem conuerſionem maioris in terminis.

Quarta reductio eſt ſecundæ coniugationis ſecundæ figuræ ad ſecundam iugationem primæ figuræ per transpoſitionem præmiſſarum, & conuerſionē minoris, & cōcluſionis in terminis.

Quinta reductio eſt tertiæ coniugationis ſecundę figurę ad quartam iugationem primę figuræ per conuerſionem maioris in terminis.

In ſecunda conſideratione ſeptem fiunt reductiones.

Prima reductio eſt tertiæ coniugationis primæ figurę ad quartam iugationem tertię figurę per conuerſionem minoris in parte.

Secunda reductio eſt quartę cōiugationis primæ figuræ ad ſextam iugationem tertiæ figurę per ſimilem conuerſionem minoris.

Tertia reductio eſt primæ coniugationis tertiæ figuræ ad tertiam iugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in parte.

Quarta reductio eſt quartę coniugationis tertiæ figurę ad tertiam iugationem primę figurę per conuerſionem minoris in terminis.

Quinta reductio eſt tertię coniugationis tertię figurę ad tertiam iugationem primę figurę per tranſpoſitionem premiſſarum, & conuerſionem maioris, & concluſionis.

Sexta reductio eſt ſecundę coniugationis tertię figurę ad quartam iugationem primę figurę per conuerſionem minoris in parte.

Septima reductio eſt ſextę coniugationis tertię figurę ad quartam iugationem primę figuræ per conuerſionem minoris in terminis.

In tertia, & vltima conſideratione duę fiunt reductiones.

Prima reductio eſt tertię coniugationis ſecundę figurę ad ſextam iugationem tertię figurę per

A conuerſionem vtriuſque propoſitionis in terminis.

Secunda reductio eſt ſextę & ſecundæ coniugationum tertiæ figuræ ad tertiam iugationem ſecundæ figuræ per conuerſionē ſimilem vtriuſque præmiſſarum.

De his omnibus reſolutionibus licet exempla depromere in Iure ciuili, vt videat Iuris peritus qua facili via, & methodo valeat in quacunque voluerit figura problema propoſitum demonſtrare.

B Pro prima reductione primæ conſiderationis, quæ eſt ſecundæ primæ ad primam ſecundæ, deſumuntur termini in l. ſi vnus. §. pactum. ff. de pactis.

CE Nullum pactum contra bonos mores eſt obligatorium.

LA Omnis, qui cum altero de furto paciſcitur, facit pactum contra bonos mores, ergo

RENT Nullum pactum de furto eſt obligatorium.

C Hæc ſecunda iugatio primæ figuræ reducitur ad primam iugationem ſecundæ figuræ per conuerſionem maioris in terminis.

CE Nullum obligatoriū eſt pactum contra bonos mores.

SA Omnis, qui cum altero de furto paciſcitur, facit pactum contra bonos mores, ergo.

RE Nullum pactum de furto eſt obligatorium.

Pro ſecunda reductione quartæ primæ ad tertiam ſecundę deſumuntur termini Inſt. tit. de ſuſpect. tutorib. §. ſuſpectus.

D FE Nullus infidelis poteſt eſſe tutor.

RI Aliquis homo eſt infidelis, ergo

O Aliquis homo non poteſt eſſe tutor.

Hęc quarta iugatio primę figurę reducitur ad tertiam iugationem ſecundę figurę per conuerſionem maioris in terminis.

FE Nullus tutor poteſt eſſe infidelis.

STI Aliquis homo eſt infidelis, ergo

NO Aliquis homo non poteſt eſſe tutor.

E Pro tertia reductione primæ ſecūdæ ad ſecundam primæ deſumuntur termini Inſt. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris. & in §. actiones. Inſt. tit. de act. in l. nihil aliud. ff. de act. & oblig.

CE Nulli debet detrahi ius ſuum.

SA Omnis, qui experitur aliqua actione in iudicio habet ius ſuum, ergo

RE Nulli experienti aliqua actione in iudicio debet aliquid detrahi.

Hæc pima iugatio ſecundę figuræ reducitur ad ſecundam iugationem primę figurę per conuerſionem maioris in terminis.

F CE Nulli ius ſuum detrahi debet.

LA Omnis, qui experitur aliqua actione in iudicio habet ius ſuum, ergo

RENT Nulli experienti aliqua actione in iudicio aliquid detrahi debet.

Pro quarta reductione ſecundę ſecundæ ad ſecun-

ſecúdam prímę deſumuntur termini in l. impenſa funeris.ff.de relig.& ſumptib. funerum.

CA Omnis impẽſa funeris pręſtari debet per heredem.
ME Nullus legatarius eſt hęres,ergo
STRES Nullus legatarius præſtare debet funeris impenſam.

Hæc ſecunda iugatio ſecundę figurę reducitur ad ſecundam iugationem primæ figuræ per tranſpoſitionem pręmiſſarum,& conuerſionem minoris,& concluſionis in terminis.

CE Nullus heres eſt legatarius.
LA Omnis impẽſa funeris pręſtari debet per hęredem,ergo
RENT Nulla impẽſa funeris præſtari debet per legatarium.

Quę concluſio ſi conuertatur in terminis,fit
Nullus legatarius pręſtare debet funeris impenſam.

Pro quinta reductione tertię ſecundę ad quartam primę deſumuntur termini in l.aut factum. ff.de pœnis.in l. pretor. §. diuus tamen.ff. de ſepulchro violato.

FE Nullum delictum eſt impunitum.
STI Aliquod factum eſt impunitum, ergo
NO Aliquod factum non eſt delictum.

Hæc tertia iugatio ſecundę figurę reducitur ad quartam iugationem primę figurę per conuerſionem maioris in terminis.

FE Nullum impunitum eſt delictum.
RI Aliquod factum eſt impunitũ,ergo
O Aliquod factum non eſt delictum.

Pro prima reductione ſecundæ conſiderationis, quę eſt tertię primę ad quartam tertię deſumuntur termini in l.Labeo la 2.ff.de verb. & rer. ſignif.

DA Omnis cõtractus eſt vltro,citroq; obligatio
RI Aliqua emptio eſt contractus,ergo
I Aliqua emptio eſt vltro,citroq; obligatio.

Hæc tertia iugatio primæ figuræ reducitur ad quartam iugationem tertiæ figurę per conuerſionem minoris in terminis.

DA Omnis contractus eſt vltro, citroq; obligatio.
RI Aliquis contractus eſt emptio,ergo.
SI Aliqua emptio eſt vltro,citroq; obligatio

Pro ſecunda reductione quartæ primæ ad ſextam tertię deſumuntur termini Inſt. tit.in princ. de nuptijs.

FE Nullus impubes poteſt contrahere matrimonium.
RI Aliquis filiusfamilias eſt impubes,ergo
O Aliquis filiusfamilias non poteſt cõtrahere matrimonium.

Hæc quarta iugatio primæ figuræ reducitur ad ſextam iugationem tertię figurę per conuerſionem minoris in terminis.

FE Nullus impubes poteſt contrahere matrimonium.
RI Aliquis impubes eſt filius familias, ergo
SON Aliquis filiusfamilias non poteſt contrahere matrimonium.

A Pro tertia reductione primę tertię ad tertiã primę deſumendi ſunt termini Inſt. tit. de legitima adgnatorũ tutela,& in l. veteris C. iuris. de alimẽtis pupillo pręſtandis.

DA Omnis tutor tenetur cõficere inuentariũ.
RA Omnis tutor poteſt eſſe adgnatus,ergo
PTI Aliquis adgnatus tenetur facere inuentarium.

Hęc prima iugatio tertię figuræ reducitur ad tertiam iugationem primę figuræ per conuerſionem minoris in particularem.

B DA Omnis tutor tenetur cõficere inuentariũ.
RI Aliquis adgnatus poteſt eſſe tutor, ergo
I Aliquis adgnatus tenetur conficere inuentarium.

Pro quarta reductione quartæ coniugationis tertiæ figurę ad tertiam iugationem primę figurę deſumendi ſunt termini in l.rebus quidem iudicatis.de re iudicata.

DA Omnis res iudicata executioni demandari debet.
RI Aliqua res iudicata eſt ſententia,ergo
C SI Aliqua ſententia executioni demandari debet.

Hæc quarta iugatio tertiæ figuræ reducitur ad tertiam primę per connerſionem minoris in terminis.

DA Omnis res iudicata executioni demandari debet
RI Aliqua ſententia eſt res indicata,ergo
I Aliqua ſententia executioni demandari debet.

Pro quinta reductione tertię tertię ad tertiã primę deſumendi ſunt termini in l. Grãmaticos. C. de profeſſoribus,qui in vrbe Cõſtantinopolitana

D DI Aliqui profeſſores ſciẽtiarum comitiuam merentur.
SA Omnes profeſſores ſcientiarum ſunt doctores,ergo
MIS Aliqui doctores comitiuam merentur.

Hęc tertia iugatio tertiæ figuræ reducitur ad tertiam iugationem primę figuræ per tranſpoſitionem pręmiſſarum,& conuerſionem maioris, & concluſionis.

E DA Omnes profeſſores ſcientiarum ſunt doctores.
RI Aliqui comitiuam merentes ſunt profeſſores ſcientiarum,ergo
I Aliqui comitiuã merentes ſunt doctores:
Et per conuerſionem,
Aliqui doctores comitiuam merentur.

Pro ſexta reductione ſecundę tertię ad quartam primę deſumẽdi ſunt termini in l. pacta quæ contra.C.de pactis.& in l. libera.C. de inutilibus ſtipulationibus.

F FE Nulla pacta impedientia libertatem matrimonij ſeruari debent.
LA Omnia pacta impediẽtia libertatem matrimonij ſunt contra bonos mores,ergo
PTON Aliqua pacta cõtra bonos mores ſeruari non debent.

Hæc ſecunda iugatio tertiæ figuræ reducitur ad quartam coniugationem primæ figuræ per conuerſionem minoris in parte.

FE Nulla pacta impedientia libertatem matrimonij ſeruari debent.
RI Aliqua contra bonos mores ſunt pacta impedientia libertatem matrimonij,ergo
O Aliqua contra bonos mores ſeruari non debent.

Pro ſeptima & vltima reductione in ſecunda conſideratione, videlicet ſextæ tertiæ ad quartam primæ deſumendi ſunt termini in l.impunitas.C.de pœnis.

FE Nullus doli capax liberatur à pœna.
RI Aliquis doli capax eſt miles,ergo
SON Aliquis miles non liberatur a pœna.

Hæc ſexta iugatio tertiæ figuræ reducitur ad quartam iugationem primæ figuræ, per conuerſionem minoris in terminis.

FE Nullus doli capax liberatur à pœna.
RI Aliquis miles eſt doli capax;ergo
O Aliquis miles non liberatur a pœna.

Pro prima reductione tertię conſiderationis, quæ eſt tertiæ ſecundæ ad ſextam tertiæ deſumendi ſunt termini in l.adulter.C.ad leg.Iul.de adulterijs.

FE Nullus adulter poſt quinquenium poteſt accuſari.
STI Aliquis delinquens poſt quinquenium poteſt accuſari,ergo
NO Aliquis delinquens non eſt adulter.

Hæc tertia iugatio ſecundæ figuræ reducitur ad ſextam iugationem tertiæ figuræ per conuerſionem utriuſque propoſitionis in terminis.

FE Nullus potēs accuſari poſt quinqueniū eſt adulter.
RI Aliquis potens accuſari poſt quinquetium eſt delinquens,ergo
SON Aliquis delinquens non eſt adulter.

Pro reductione ſextæ & ſecundæ coniugationum tertiæ figuræ ad tertiam iugationem ſecundæ figuræ ſumendi ſunt termini in tit.Inſt.de teſtamentis ordinandis, non longe a principio, in l.hac conſultiſſima.C.de teſtamentis.

FE Nullum quod poteſt condi ſine teſtibus eſt teſtamentum ſolemne.
RI Aliquod quod poteſt condi ſine teſtibus eſt diſpoſitio,ergo
SON Aliqua diſpoſitio non eſt teſtamentum ſolemne.

FE Nullum quod poteſt condi ſine teſtibus eſt teſtaméntum ſolemne.
LA Omne quod poteſt condi ſiue teſtibus eſt diſpoſitio,ergo
PTON Aliqua diſpoſitio non eſt teſtamentum ſolemne.

Hæ duæ coniugationes ſexta, & ſecunda tertiæ figuræ reducuntur eodem modo ad tertiam iugationem ſecundæ figuræ per conuerſionem vtriuſque propoſitionis.

A FE Nullum teſtamentum ſolemne poteſt condi ſine teſtibus.
STI Aliqua diſpoſitio poteſt condi ſine teſtibus,ergo
ON Aliqua diſpoſitio non eſt teſtamentum ſolemne.

Et hæc ſatis ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmis ex propoſitionibus infinitis, & priuatorijs, ac ipſarum
B
& ſimplicium conſequentijs.
Cap.XLII.

DIffert autem in conſtruendo, vel deſtruendo opinari, aut idem, aut diuerſum ſignificare, non eſſe hoc, & eſſe
C non hoc, vt non eſſe album, ei, quod eſt eſſe non album; non enim idem ſignificant, nec eſt negatio eius, quæ eſt eſſe album, ea quæ eſt eſſe non album, ſed non eſſe album. Ratio autem huius hæc eſt. Similiter enim ſe habet, poſſibile eſt ambulare, ad poſſibile eſt non ambulare, ei, quæ
D eſt eſſe album, ad eſſe non album, & ſit bonum, ad ſcit non bonum: nam ſcit bonum, vel ſciens bonum nihil differt, neque poteſt ambulare vel eſt potens ambulare, quare & oppoſita, non poteſt ambulare, & non eſt potens ambulare. Si igitur non eſt potens ambulare, idem ſignificat, & eſt
E potens non ambulare, ipſa ſimul inerunt eidem: nam idem poteſt ambulare, & non ambulare, & idem ſciens bonum, & non bonum eſt; affirmatio autem, & negatio non ſunt oppoſitæ ſimul in eodem. Quemadmodum ergo non idem eſt, non ſcire bo-
F num; & ſcire non bonum, nec eſſe non bonum, non eſſe bonum idem; nam proportionalium ſi alterum ſit, & alterum.

Ne decipiamus in reſolutione ſyllogiſmorum putantes eandem eſſe negatiuam enũciationem

cum

cum affirmatiua de prædicato trãſpoſito, earum ponit Ariſtoteles diuerſitatem magis exacte eo, quod fecerit in lib. 2. de Interpretatione Cap. 1. diſputans de oppoſitionibus enunciationum, & determinat negatiuam ſimplicem non eſſe eandem cum affirmatiua infinita, demonſtrans affirmatiuam de prędicato tranſpoſito non eſſe negationem ſimplicis affirmationis tali ratione, quæ ſic in formam reduci poteſt, ſicuti ſe habet hæc propoſitio ex prędicato tranſpoſito, poteſt non ambulare, & hęc altera ſcit non bonum, ad hanc ſimplicem affirmatiuam poteſt ambulare, & ad hanc ſcit bonum, ita ſe habet hęc infinita eſt nõ album ad hanc ſimplicem affirmatiuam eſt album. Sed in his poteſt non ambulare non eſt negatio eius poteſt ambulare, nec ſcit non bonum eſt negatio eius ſcit bonum: ergo nec in illis eſt non albũ erit negatio eius eſt album, aſſumptum probat tali pacto. In quibus verbum eſt, ſimiliter collocatur, eę inter ſe ſimiliter ſe habent. Sed verbum eſt, ineſt album, & eſt non album; ſimili modo collocatur, ſicuti in poteſt ambulare, & poteſt non ambulare, ſcit bonum, & ſcit non bonum. Siquidem idem ſunt ſcit bonum, & eſt ſciens bonum, poteſt ambulare, & eſt potens ambulare, & his oppoſita, non ſcit bonum, & non eſt ſciens bonum, non poteſt ambulare, & non eſt potens ambulare; ergo illę ſimili modo ſe habent, vt iſtę. Quod autem in his non ſit negatio probat, quoniam duo oppoſita nõ poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto poſſe ambulare, & poſſe non ambulare, ſcire bonum, & ſcire non bonum poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: nãque contingit eundẽ ambulare, & non ambulare, & contrariorum, eadem eſt diſciplina: quare hæc inuicem non ſunt oppoſita, & vna per conſequens non eſt alterius negatio quemadmodum igitur poſſe non ambulare, non eſt negatio huius affirmationis ſimplicis poſſe ambulare, & ſcire non bonum, non eſt negatio eius ſcire bonum, pariter nec eſſe non albũ, erit negatio eius, quę eſt eſſe albũ, & ſicuti non poſſe ambulare, et poſſe non ambulare, non ſcire bonum, & ſcire non bonum, non ſunt propoſitiones eædem. ſed diuerſæ: ita quoque non eſſe albũ, & eſſe non albũ, non ſunt eædẽ, ſed diuerſæ, & hæc habentur in his verbis: *Differt autem in conſtruendo, vel deſtruendo.* Multũ intereſt tum in confirmando, tum in refellẽdo, *opinari aut idem, aut diuerſum ſignificare non eſſe hoc & eſſe non hoc*, arbitrari negatiuam ſimplicem, & affirmatiuam de prædicato tranſpoſito, eandem aut diuerſam haberẽ ſignificationem, *vt non eſſe album*, veluti hanc negatiuam ſimplicem non eſſe album, *ei, quod eſt eſſe non album*, eandem eſſe cum hac affirmatiua de prædicato infinito eſſe non album, *Non enim idem ſignificant*: Habent namque diuerſam ſignificationem, *nec eſt negatio eius, quæ eſt eſſe album*, nec huius affirmatiuæ, eſt album, negatio eſt, *ea, quæ eſt eſſe nõ album*: hęc infinita de prædicato eſt non album, *ſed non eſſe album*, ſed hęc, in qua negatio adiungitur verbo, non eſt album, probat negatiuam affirmationis

A eſſe, habentem ſignum negatiuum ſuper verbo, & non ſuper prædicato, & inquit: *Ratio autem huius hæc eſt*, cauſa verò eſt. *Similiter enim ſe habet poſſibile eſt ambulare, ad poſſibile eſt non ambulare.* Quoniam ſimili modo ſe habet hæc affirmatiua ſimplex poteſt ambulare, ad hanc de prædicato infinito poteſt non ambulare, *ei, quæ eſt eſſe album, & eſſe non album*, ac inuicem ſe habeant hæ duæ, affirmatiua ſimplex eſt album, & affirmatiua tranſpoſita eſt non album, *& ſcit bonum, & ſcit non bonum*, & pariter ſe habent hæc ad inuicem, affirma- B tiua ſimplex ſcit bonum, & affirmatiua infinita ſcit non bonum: *nam ſcit bonum, vel ſciens bonum nihil differt.* Probat hoc aſſumptum, quoniam tãtum valet dicere ſcit bonum ſine reſolutione, ac dicere eſt ſciens bonum: *neque poteſt ambulare, vel eſt potens ambulare*, & tantum valet hæc ſine reſolutione poteſt ambulare, ac hæc cum reſolutione eſt potens ambulare: *quare & oppoſita*: quapropter & in oppoſitis ſic ſe habet, *non poteſt ambulare, & non eſt potens ambulare*, quòd ſcilicet tãtum valet hæc ſine reſolutione non poteſt ambu- C lare, ac hæc alia cum reſolutione non eſt potens ambulare, vnde verbum eſt, conſimiliter ſe habet in his, ac in illis. Probat igitur ſuam intentionem, & aſſumptionem, & addit. *Si igitur non eſt potens ambulare.* Si itaque hæc negatiua ſimplex nõ poteſt ambulare, *idem ſignificant*, eadem ſit cum hac, *& eſt potens non ambulare*, poteſt non ambulare, quę eſt de infinito prędicato, *ſimul inerunt eidem*, ambæ ſimul de eodem verificari dicentur: *nam idem poteſt ambulare & non ambulare*, cum contingat idem ambulare & non ambula- D re, etiam eueniet idem ambulare poſſe, & non poſſe ambulare, *& idem ſciens bonum, et non bonum eſt*, & cum contingat, quòd idem ſcit bonum, & ſcit non bonum, eueniet etiam, quòd idem ſciat bonum, & non ſciat bonum, quod eſt inconueniens. *Affirmatio autem & negatio non ſunt oppoſitæ ſimul in eodem.* At contradictoriæ oppoſita eidem ſubiecto ſimul ineſſe non poſſunt. *Quemadmodum ergo non idem eſt, non ſcire bonum, & ſcire non bonum.* Concludit igitur, quòd ſicuti ſimplex E negatiua non ſcit bonum, & affirmatiua de prædicato infinito nõ ſcit bonum, non ſunt eædem, ſed diuerſæ, *nec eſſe non bonum, & non eſſe bonum idem*, nec erunt eædem non eſt bonum, & eſt non bonum, ſed diuerſę: *nam proportionalium ſi alterum ſit, & alterum*, quoniam quòd ſe habet in his, quę ſunt ſcundum proportionem de vno ſimili, & de reliquo verificatur.

Sequitur textus.

Nec eſſe non æquale, & non eſſe F æquale idem: huic enim quod eſt non æquale, ſubiacet aliquid, & hoc eſt inæquale: illi verò nihil eo, quòd æquale quidem, vel inæquale non omne eſt; ęquale autẽ, vel non ęquale omne.

Alio

Alio euidentiori aperit ſimili diuerſam eſſe A ſimplicem negatiuam ab affirmatiua tranſpoſita, ratione nempe ſubiecti, quia qui dicit, eſt non æquale, ponit aliquid in magnitudine: qui verò non eſt æquale, nihil ponit, ſiquidem eſt æquale, & non eſt æquale, diuidunt verum, vel falſum, & de ente, & non ente verificantur, at eſt ęquale, & non eſt æquale, non diuidunt verum, & falſum; quoniam quod non eſt, nec æquale, nec nõ æquale eſt, dicit ergo: *Nec eſſe non æquale, & nõ eſſe æquale idem*. Sicut non poteſt ambulare, & poteſt non ambulare, non ſcit bonum, & ſcit nõ B bonum, non ſunt idem pariter non eſſe æquale, & eſſe non æquale, non ſunt idem, ſed diuerſa. *Huic enim quod eſt non æquale, ſubiacet aliquid*, quia eſt non æquale præſupponit aliquod ſubiectum cui inhęret, *& hoc eſt inæquale*, quod ſubiectum in magnitudine eſt inæquale: *illi verò nihil*: illa verò propoſitio, quæ eſt non eſt æquale, nihil ponit ineſſe, *eo quod æquale quidem, vel inæquale non omne eſt*; quoniam æquale, & inæquale, quod eſt nõ æquale non diuidunt verum, vel falſum in omni ente & non ente: *æquale autem, vel non æquale omne*. C At eſt ęquale, & nõ eſt æquale diuidunt verum & falſum & in ente, & in non ente.

Amplius eſt non album lignum, & non eſt album lignum, non ſimul ſunt. Si enim eſt lignum non album, erit lignum: quod autem non eſt album lignum, non neceſſe eſt eſſe li- D gnum: quare manifeſtum eſt, quòd non eſt eius quod eſt bonum, eſt non bonum negatio. Si ergo de omni vno affirmatio, vel negatio. vera, ſi nõ eſt negatio, palam quòd affirmatio aliquo modo erit; affirmationis autem omnis, negatio eſt, & huius ergo eſt non bonum, ea quæ eſt, non eſt non E bonum.

Manens Ariſtoteles in ratione proportionali a principio propoſita, alio euidentiſſimo exemplo oſtendit diuerſitatem negationis ſimplicis ab affirmatiua de prædicato infinito: nam dicẽs eſt lignum non album, dicit eſſe aliquid ſubiectum, nempe lignum, de quo non album prædicatur: at dicens non eſt lignum album, nõ ponit aliquod ſubiectum de neceſſitate: poteſt enim F & album, & lignum negare: ſiquidẽ & ſpiritus, & anima, & non ens ſic ſe habent, vt in de illis verificetur nõ eſſe lignum album. Ex his omnibus itaque inducit concluſionem intentam, conſtare ſcilicet, quòd ſimplicis affirmationis non eſt negatio affirmatio de prædicato infinito, vnde neceſſario colligit, quòd cum ea non ſit negatio, et omnis oratio ſit affirmatio, vel negatio, erit dicenda aliquo modo affirmatio, & cum cuilibet affirmationi oppoſita ſit negatio eius affirmationis eſt non bonũ, negatio erit hæc, non eſt nõ bonum. *Amplius eſt non album lignũ, & non eſt album lignum non ſimul ſunt*. Inſuper negatiua ſimplex nõ eſt album lignũ, & affirmatiua infinita, eſt nõ album lignũ non ſunt orationes eædẽ. *Si enim eſt lignũ non albũ erit lignũ*: quoniã infinita ſupponit ſubiectũ lignum. *Quod autem nõ eſt albũ lignum, nõ neceſſe eſt eſſe lignum*. At negatiua nõ ſupponit de neceſſitate ſubiectũ lignum; poteſt nãque & de alio verificari, puta de anima, & de non ente, vt chimera. *Quare manifeſtũ eſt, quòd non eſt eius quod eſt bonum, eſt non bonum negatio*. Patet itaque affirmationis ſimplicis negationẽ non eſſe orationẽ de prædicato infinito. *Si ergo de omni vno affirmatio, vel negatio vera*. Et cum omnis oratio ſit vel affirmatiua, vel negatiua; *ſi non eſt negatio palam quod affirmatio, aliquo modo erit*; ſi oratio de prædicato tranſpoſito non eſt negatiua, oportet vt ſit affirmatiua: *affirmationis autem omnis negatio eſt*, & cum cuilibet affirmatiuæ orationi opponatur negatiua. *Et huius ergo non eſt bonum*. Et huius affirmationis de prædicato infinito eſt nõ bonum, *non eſt non bonum*, negatio erit hæc de prædicato infinito non eſt non bonum.

Habent autem ordinem hunc ad inuicem, ſit eſſe quidem bonum, in quo A: non eſſe autem bonum, in quo B: eſſe autem non bonum, in quo C ſub B; non eſſe autem non bonum, in quo D ſub A: omni ergo inerit aut A, aut B, & nulli eidem, & omni aut C, aut D, nulli eidem, & cui C ineſt, neceſſe eſt B omni ineſſe. Si enim verum eſt dicere, quòd eſt non album, & quod non eſt album, verum; impoſſibile eſt enim ſimul eſſe album, & eſſe non album, aut eſſe lignum album, & eſſe lignum non album; quare ſi non affirmatio, & negatio inerit; ei autem quod eſt B, non ſemper C; quod enim omnino non eſt lignum, neque lignum erit album, nec non album: è conuerſo autem cui ineſt A, & D omni ineſt; aut enim C, aut D. Quoniam autem non poſſunt ſimul eſſe non album, D inerit; nam de eo quod eſt album, ve-

rum eſt dicere, quòd non eſt non album; de D autem non omnino A erit; nam de eo, quod omnino non eſt lignum, non verum eſt dicere A, quod eſt lignum album; quare D uerum eſt, & A non uerum, quoniam eſt lignum album; palam autem, quòd & A, & C, nulli eidem inſunt, B & D contingit eidem alicui ineſse.

A Poſtquam patefecit Philoſophus negatiuam ſimplicem nõ eſſe eandẽ cum affirmatiua de prędicato tranſpoſito, ne decipiamus in reſolutione ſyllogiſmorũ, ne putantes problema affirmatuũ ex prædicato tranſpoſito eſſe negatiuũ, in negatiuum ſyllogiſmũ reſoluamus, ponit in præſenti ordinem harum propoſitionũ, quatuorq; diſponit propoſitiones, affirmatiuã ſimplicem eſt bonum, in quo A, negatiuã ſimplicem non eſt bonum, in quo B ſub A collocatum, affirmatiuã de prædicato infinito eſt non bonum, in quo C, negatiuam de prædicato infinito non eſt non bonum, in quo D ſub A repoſitã, ita vt quatuor hę B propoſitiones diſtribuantur in figuram, quę crucem efforment, tali pacto.


Affirmatiua ſimplex	A	eſt bonum.	B	non eſt bonum	Negatiua ſimplex.
Negatiua de prædicato infinito	D	non eſt non bonum.	C	eſt non bonum	Affirmatiua de prædicato infinito.

His propoſitionibus, & terminis ſic diſpoſitis ſtatuit earum conſequentiam, verùm præaccipit, quòd cum A, & B ſint propoſitiones cõtradictoriæ, omni enti, & non enti altera ipſarum inerit: ipſę verò ambæ nulli inerunt ſimul, pariter cum C, & D ſint contradictoriæ de prædicato infinito, omni quod eſt, inerit earum altera, & nulli eidem vtræque ſimul. Poſtea determinat conſequentiã propoſitionum ſubalternatim poſitarum, quòd ſcilicet ad affirmatiuã de prędicato infinito ſequitur de neceſſitate negatiua ſimplex; quoniã de quo ſubiecto verificatur affirmatiua de prædicato tranſpoſito eſt non album, de eodem verificabitur negatiua ſimplex nõ eſt album, quod patet ex hoc, quod eſt impoſſibile aliquod ſimul eſſe album, & eſſe non album, & eſſe lignum album, & eſſe lignum nõ album: quapropter cum alicui nũ inſit affirmatio, inerit negatio. E conuerſo autem ad ſimplicem negatiuam non ſemper ſequitur affirmatiua de prædicato tranſpoſito, quia quod omnino non eſt lignum, neque ſequitur affirmatiua ſimplex, eſt lignum album, neque affirmatiua tranſpoſita, eſt lignum non album, in quibuſdã tamen id accidit ad negatiuam ſimplicem ſequi affirmatiuam infinitam, vti de ebano, verum eſt dicere, nõ eſt album lignum, eſt nõ lignum albũ. Conſequentia verò ſimplicis affirmatiuæ, & negatiuæ de prædicato tranſpoſito contrario modo ſe habet, quoniam ad ſimplicem affirmatiuam neceſſario ſequitur negatiua de prædicato infinito, vt ad hanc eſt album, de neceſſitate ſequitur non eſt non album, quoniam de quolibet alterum contradictorium verum. De affirmatiua itaque ſimplici eſt album, aut verificabitur affirmatiua de prædicato infinito eſt non album, aut negatiua de prædicato tranſpoſito non eſt non album, non prima, quia aliquod non poteſt eſſe album, & eſſe non album; ergo altera non eſt non albũ. E conuerſo autem ad negatiuã de prędicato infinito nõ ſequitur affirmatiua ſimplex de neceſſitate; quia de eo, quod omnino non eſt lignũ, C non verificatur affirmatiua ſimplex, eſt lignum album; vnde negatiua de prædicato infinito verificatur de aliquo, de quo affirmatiua ſimplex non eſt vera, quòd namque omnino non eſt lignum, non eſt lignum nõ album; & tamen non ſequitur quòd ſit lignum album. Deinde tradit conſequentiã propoſitionum angularium harum ſcilicet, quę per diametrum opponuntur, & determinat, quòd affirmatiua ſimplex, & affirmatiua de prædicato infinito nõ ſimul verificantur; nam quod eſt lignum album, eſt impoſſibile, D quòd ſit lignum nõ album; verùm contingit negatiuam ſimplicem, & negatiuam de prędicato infinito aliquando ſimul verificari, vt puta de nõ ente; eſt enim uerõ dicere, quod nõ ens ut chimera non eſt lignum album, & nõ eſt non lignũ album, & etiam de eo, quod non eſt lignum, puta de anima, quòd non eſt lignum album, & nõ eſt lignũ non album. Dicit itaque: *Habent autẽ ordinem hunc ad inuicem*. Propoſitiones propoſitæ inuicem ſic diſtribuuntur, & ordinantur. *Sit eſſe quidem bonum in quo A*. Sit affirmatiua ſimplex in quo A: *non eſſe autem bonum in quo B*, & E negatiua ſimplex in quo B; *eſſe autẽ non bonum, in quo C ſub B*, & affirmatiua de prædicato infinito, in quo C ſub B collocata. *Non eſſe autem non bonum, in quo D ſub A*, & negatiua de prædicato infinito, in quo D ſub A ſita, ita vt figuram crucis efforment, vt in deſcriptione poſita. *Omni ergo inerit aut A, aut B*. Omni igitur quod eſt, & nõ eſt, altera inerit cõtradictionis, aut ſimplex affirmatiua, aut ſimplex negatiua, *& nulli eidẽ*; ambæ autẽ contradictoriæ eidẽ ſimul ineſſe nõ poterũt, F *& omni aut C, aut D*, pariter quod eſt altera, inerit cõtradictoria de prędicato infinito ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, *nulli eidẽ*, vtręque verò ſimul alicui minime, *cui C ineſt, neceſſe eſt B omni ineſſe*. Adhuc itaq. ſequitur, q̃ cuicũque C affirmatiua de p̃dicato infinito inerit eidẽ omni, neceſſe eſt ineſſe B, quòd eſt negatiua ſimplex, probatur.

tur. *Si enim verum eſt dicere, quod eſt non album, & quòd non eſt album verum.* De quo enim verificatur affirmatiua infinita eſt non albũ, de eodem negatiua ſimplex verificabitur non eſt albũ. *Impoſſibile eſt enim ſimul eſſe album, & non eſſe album, aut eſſe lignum album, & eſſe lignum non album,* quoniam eſt impoſſibile aliquod ſimul eſſe albũ, & eſſe non album, eſſe lignũ album, & eſſe lignum nõ album. *Quare ſi non affirmatio, & negatio inerit:* à quo nãque remouetur affirmatio, eidem negatio attribuitur. *Ei autem quod eſt B non ſemper C.* A
E conuerſo verò eam quæ eſt B, quæ eſt negatiua ſimplex, nõ ſemper ſequitur C affirmatiua de prædicato tranſpoſito; *quod enim omnino nõ eſt lignum, neque lignum erit album, nec non album,* quod prorſus nãque nõ eſt lignũ, nec eſt lignum albũ, nec lignum nõ album. *E conuerſo autem cui ineſt A, & D omni ineſt.* E contrario autem eſt conſequentia in affirmatiua ſimplici, & negatiua de prædicato infinito, quoniã cuicunque ineſt A affirmatiua ſimplex illi omni ineſt, & D negatiua de prędicato trãſpoſito, quod probatur: *aut enim C, aut D:* de A nãque affirmatiua ſimplici, aut C C affirmatiua de prædicato infinito, aut D negatiua de eodem verificabitur, cum de quolibet alterum contradictoriorũ ſit verum. *Quoniam autem non poſſunt ſimul eſſe non album.* At quoniam affirmatiua de prædicato tranſpoſito nõ verificatur de A ſimplici affirmatiua, quoniã idem non poteſt ſimul eſſe album, & eſſe nõ album, ſequitur quòd inerit D negatiua infinita affirmatiuę de eodẽ prædicato infinito contradictoria, *nam de eo quod eſt album, verum eſt dicere, quòd non eſt non album,* quod patet in terminis; verùm nãque eſt D dicere de aliquo, quod eſt album, quod nõ eſt nõ album. *De D autem non omnino A erit.* E conuerſo verò ad D negatiuã de prædicato infinito, neceſſario nõ ſequitur ſimplex affirmatiua: *nam de eo quod omnino nõ eſt lignum, non verũ eſt dicere A, quod eſt lignum album,* quoniã de quo prorſus non eſt lignũ, de eodẽ non verificatur negatiua infinita, nõ eſt lignũ non albũ: *quare D verum eſt, & A nõ verum:* quapropter contingit D negatiuã infinitã de aliquo verificari, de quo A affirmatiua ſimplex nõ eſt vera, *quoniam eſt lignum album:* E namque quod omnino nõ eſt lignum, non eſt lignum non album; nec propterea ſequitur, quòd ſit lignũ album. *Palam autẽ quòd & A & C nulli eidem inſunt.* Cõſtat inſuper A ſimplicẽ affirmatiuam, & C affirmatiuã de prædicato tranſpoſito non ſimul verificari, *B, & D contingit eidem alicui ineſſe,* B autem negatiuam ſimplicem, & D negatiuã tranſpoſitã ſimul verificari quidẽ poſſe, vt nos exemplis patefecimus. Sequitur textus. F

Similiter autem ſe habent & priuationes ad prędicationes eadem poſitione: ſit enim æquale in quo A, nõ æquale in quo B, inæquale in quo C, non inæquale in quo D.

Docet Ariſtoteles ſimilem conſecutionem eſſe in propoſitionibus priuatiuis ad ſimplices ſicuti ſe habent illæ infinitæ, quòd ſcilicet ad affirmatiuam priuatiuam, ſicuti & ad affirmatiuam de prædicato infinito neceſſario ſequitur negatiua ſimplex, vt ad hanc eſt inæquale, nõ eſt æquale, quod probari poteſt, quoniam vel verificabitur de ea affirmatiua ſimplex eſt æquale, vel negatiua ſimplex ipſius contradictoria nõ eſt ęquale non prima, quia æquale ſimul eſſe inæquale, impoſſibile eſt, ergo verificabitur ſecunda non eſt æquale. E conuerſo autem ad negatiuam ſimplicem non eſt æquale, non ſequitur neceſſario affirmatiua priuatiua eſt inæquale, ſicuti neque ſequebatur affirmatiua infinita; nam cum color non ſit æqualis, tamen non eſt etiam inæqualis. E contrario verò ad affirmatiuam ſimplicem ſicuti de neceſſitate ſequitur negatiua infinita, ita etiàm neceſſario ſequitur negatiua priuatiua, vt ad hanc eſt æquale, ſequitur non eſt inæquale, quando alterum contradictoriorum verificabitur aut eſt inæquale, aut non eſt inæquale, non primum ſiquidem æquale & inæquale, vt paulò antè diximus ſimul eſſe, nõ conuenit ergo ſecundum. E conuerſo autẽ ad negatiuam priuatiuã, ſicuti neque ad negatiuam tranſpoſitam, non ſequitur neceſſario affirmatiua ſimplex, vt ad hãc eſt inæquale, ergo eſt æquale; nam de non ente, vel non quanto, vti de colore omnino eſt verum dicere, quòd non eſt inæquale; non tamen verum eſt dicere, quòd ſit æquale, quoniam quòd non eſt quantum, nec eſt æquale, nec inæquale, & ideo dicit: *Similiter autem ſe habent & priuationes ad prædicationes eadem poſitione.* Vt ſe habẽt in illatione illę infinitæ ad ſimplices, ita etiã ſe habent priuatiuæ, ad eaſdem ſecundum poſitionem conſequentiæ. *Sit enim æquale in quo A;* quod patet in terminis, ſit namque affirmatiua ſimplex in quo A, *non æquale in quo B*, negatiua ſimplex in quo B, *inæquale in quo C*, affirmatiua priuatiua in quo C, ſub B collocata, *non inæquale in quo D*, negatiua priuatiua in quo D, ſub A repoſita, in huiuſcemodi diſpoſitione propoſitionum apparebit conſequentia dicta, pro cuius faciliori intelligentia formo figuram conſimilem præcedenti, in hunc modum cum Philopono.



Sequitur textus.

In pluribus autem, quorum hic quidem ineſt, illis verò non ineſt idem, negatio quidem ſimiliter vera ſit, quod non ſunt alba omnia, aut quod non eſt album vnumquodque: at quod eſt non album vnumquodque, aut quòd omnia ſunt non alba, falſum eſt. Similiter autem & eius quæ eſt omne animal album, nõ hęc (eſt non album omne animal) negatio: ambæ enim falſæ ſunt, ſed eſt non omne animal album.

Rurſus reddit Ariſtoteles ad theorema ab initio ſumptum, ſcilicet orationem de prædicato infinito, non eſſe negationem ſimplicis affirmationis, vt inde ad ſuum principale propoſitũ deuenire poſſit, quod erat docere reſolutionẽ ſyl- C logiſmorum, & oſtendit, quod quemadmodum ſimplicis affirmatiuæ ſingularis negatiua nõ eſt affirmatiua infinita ſingularis, eodem pacto ſimplicis affirmatiuæ vniuerſalis, negatiua nõ eſt affirmatiua infinita vniuerſalis, quoniam vt patet in materia contingenti ambæ falſæ exiſtere poſſunt, contra naturam contradictionis: quòd autem vtræque huiuſcemodi propoſitiones falſæ ſint, oſtendit, vel accipiantur termini in ſingulari, vel in plurali numero, vt nõ eſt album vnũ- D quodque, vel non ſunt alba omnia; quoquo modo namque termini accipiantur, patet orationẽ, quæ habet adiunctum verbo ſignum negatiuũ, & non prædicato eſſe negationem ſimplicis affirmationis ratione dicta. Siquidem omne animal eſt album, & omne animal eſt non albũ, ſunt ambæ falſæ, quando vna non eſt alterius negatio, ſed negatio huius vniuerſalis affirmationis erit, aliquod animal nõ eſt album: omne enim animal album, & non omne animal album diuidunt verum, & falſum, ideo dicit: *In pluribus au-* E *tem.* Quòd ſi vniuerſaliter ſumãtur termini, *quorum his quidem ineſt, illis verò nõ ineſt idem*, qui ſint huiuſmodi, vt idem alijs quidem inſit, vt in affirmatiua, alijs verò nõ inſit, vt in negatiua enunciatione: *negatio quidem ſimiliter vera ſit*, ſimiliter vt in ſingularibus negatio redditur vera, & per conſequens falſa affirmationi contradictoria, ea inquam oratio, in qua ſignum negatiuum verbo adiungitur, ſiue propoſitio ſit in plurali numero, quod inquit: *Quòd non ſunt alba omnia*, ſiue propoſitio ſit in numero ſingulari, quod addit, F *aut quod eſt non albũ vnumquodque*: in his enim negatio affirmationis eſt enũciatiua oratio, in qua verbo apponitur ſignum negatiuũ: ſiquidem ea vera eſt, affirmatio autẽ falſa. *At quod eſt non album vnumquodque, aut quòd omnia ſunt non alba, falſum eſt*: enunciatiua verò oratio, in qua ſignũ negatiuũ apponitur pręcicato ſiue in ſingulari,

A ſiue in plurali numero exiſtat, falſa eſt. *Similiter autem & eius, quę eſt omne animal album.* Conſimiliter inquã vt in ſingularibus fit, eius propoſitionis affirmatiuę cũ ſigno vniuerſali omne animal eſt album, quæ eſt propoſitio falſa, *non hæc (eſt nõ album omne animal) negatio.* non eſt negatio affirmatiua infinita, ea inquã propoſitio, quę habet ſignum negatiuum adiunctum prædicato, omnẽ animal eſt non albũ: *ambæ enim falſa ſunt*: propterea quòd de natura contradictionarum eſt vt vna ſit vera, altera verò falſa, vt hæ ſunt vtręque B falſæ, *ſed eſt non omne animal album*, ſed negatio eius eſt oratio, quę habet adiunctum ſignum negatiuũ verbo, aliquod animal non eſt albũ, quæ idem eſt ac non omne animal album, hæc enim vera eſt. Sequitur textus.

Quoniam autẽ palam, quòd aliud ſignificat, eſt non album, & non eſt album, & illa quidem affirmatio, hæc verò negatio, manifeſtum quòd C non eſt idem modus monſtrandi vtrumque, vt quoniam quicquid eſt animal, non eſt album, aut contingit non eſſe album, & quod verum dicere non album, hoc enim eſt eſſe non album; ſed verum quidem dicere, eſt album, ſiue non al- D bum, idem modus, conſtructiue enim ambæ per primam oſtenduntur figuram: nam verum ei quod eſt ſimiliter ordinatur; eius enim quę eſt, verum dicere album, non hæc verum dicere non album negatio, ſed hæc non eſt verum dicere album. Si enim verum eſt dicere, E Quicquid eſt homo muſicum eſſe, aut non muſicum eſſe, quicquid eſt animal ſumendum muſicum eſſe, aut non muſicum eſſe, & oſtenſum eſt, non eſſe autem muſicum quicquid eſt homo deſtructiue monſtratur ſecundum dictos tres modos.

F Vbi patefecit Ariſtoteles affirmatiuam de prædicato infinito, & ſimplicem negatiuam non eſſe eandem, ſed diuerſam, modo colligit eas non ſimiliter demonſtrari, ſed diuerſimode, ſcilicet affirmatiuam de prædicato infinito per ſyllogiſmum affirmatiuum, & negatiuam ſimplicem per ſyllogiſmũ negatiuum, quæ cognitio admodũ eſt vtilis ad ratiocinationum

reſo-

reſolutionem, quoniam & reſolutiones erunt tales; quod verò diuerſimode demonſtrētur, declarat exemplo, alio nāque modo ſyllogizādi declaratur hæc negatiua ſiue ſit de ineſſe, omne animal non eſt albū, ſiue ſit modalis contingens eſt omne animal non eſſe albū. Ac iſtā, Verū dicere omne animal non albū, quę idem eſt atque omne animal eſt non albū, affirmatiua de prędicato infinito: maxime vero in eadē figura, & modo demonſtrantur affirmatiua ſimplex, verum dicere omne animal album, & affirmatiua de prædicato infinito verum dicere omne animal non album: ambæ enim iſtæ per primum modum primæ figuræ oſtenduntur, quoniam cum vtræque veritatē entis ſignificent, quod eſt, ſunt affirmatiuæ: ſiquidem huius affirmatiuę verum dicero albū negatio non eſt verū dicere non album, ſed hęc non verum eſt dicere album, quoniā verum & nō verum contradictionē conſtituunt, vt etiā notauimus ex propria ſentētia in 2. de Interpretatione, cap. 3. vnde videre eſt, quomodo quę diximus eo in loco, mirabiliter conducāt pro facili expoſitione huius textus. Quapropter ſi debet concludi affirmatiue verū dicere, omnē hominē muſicū, vel verum dicere, omnem hominem nō muſicū, tunc in maiori propoſitione ſumendū pro medio animal, cui vniuerſaliter inſit prædicatum, & conſtruendo maiorē propoſitiunē vniuerſalem, omne animal eſſe muſicū, vel nō muſicum, cum diſiunctione, affirmatiue cōcludemus, omnē hominem eſſe muſicū, vel omnē hominē eſſe nō muſicum, in primo modo primę figurę: ſi verò debet cōcludi negatiue, omnē hominē nō eſſe muſicū, id fieri oportet in tribus modis ꝓblema negatiuū concludentibus, videlicet in prima primæ figuræ, & in primo, & ſecundo ſecunnæ, & ita apparet quomodo propoſitiones ſimpliciter negatiuæ, & affirmatiuæ de prædicato infinito nō ſimili, ſed diuerſo ſyllogiſmo concludantur; & propterea etiā non ſimili modo eorū ſyllogiſmorum reſolutio fiat. *Quoniam autem palam quòd aliud ſignificat, eſt non album, & non eſt album.* Cum notū ſit nō idem ſignificare orationem de prædicato infinito, & orationē quæ habet ſignū negatiuū verbo appoſitum, *& illa quidem affirmatio*, & quòd ea eſt affirmatiua infinita. *Hæc verò negatio.* Hæc autē negatiua ſimplex, *manifeſtum, quòd non eſt idem mod‹s monſtrandi vtrumque*, conſtat, quòd non per eundē modum vtrūque problema ſyllogiſmo cōcluditur, *vt quoniā quicquid eſt animal, non eſt album*, vel ſit propoſitio de ineſſe, omne animal nō eſſe album, *aut contingit nō eſſe album*, vel ſit cum modo, contingens eſt omne animal non eſſe album. Hæc quidem negatiua non demonſtratur eodem modo cum iſta, *& quòd verum dicere non album*, vefum dicere non album; *hoc enim eſt eſſe non album*, quæ æquiuallet huic eſt non album, quæ eſt affirmatiua infinita, *ſed verum quidem dicere eſt album*, ſed hæc propoſitio affirmatiua ſimplex verum dicere eſſe album, *ſiue non album*, & hæc affirmatiua de infinito prædicato verum dicere non album,

A *idem modus*, per eundem modum concluduntur: *conſtructiue enim ambæ per primam oſtenduntur figuram*: vtræque enim & affirmatiua ſimplex, & affirmatiua infinita per primum modum primæ figurę demonſtrantur: *nam verum ei, quod eſt, ſimiliter ordinatur*; quoniam in ambabus veritas entis reperitur; *eius enim quæ eſt verum dicere album*: huius namque affirmatiuæ verum dicere album: *non hæc verum dicere non album negatio*: nō hæc propoſitio affirmatiua infinita verū dicere non albū eſt negatio; *ſed hæc non eſt verū dicere album*: ſed negatio eſt non verum dicere album: B verum enim & non verum contradictionē conſtituunt. *Si enim verum eſt dicere, Quicquid eſt homo muſicum eſſe, aut non muſicum eſſe*: Quoniam ſi voluerimus demonſtrare verum dicere omnem hominem muſicum, vel non muſicum cum diſiunctione: *quicquid eſt animal ſumendum muſicum eſſe, aut non muſicum eſſe*, præſupponendū eſt pro medio animal in maiori, cui prædicatum vniuerſaliter inſit, *& oſtenſum eſt*, & erit in primo modo primæ figuræ concluſum: *non eſſe autem muſicum quicquid eſt homo.* C At problema negatiuum omnem hominem non eſſe muſicum, *deſtructiue monſtratur ſecundum dictos tres modos*, concluditur negatiue in tribus modis, in quibus problema negatiuum colligitur, videlicet in primo primæ figuræ, & in primo, & ſecundo modo ſecundæ figuræ.

Simpliciter autē quando ſic ſe habent A, & B, vt ſimul quidem eidem D non contingunt: omni autem de neceſſitate alterum, & rurſum C, & D ſimiliter. Sequitur autem id quod eſt C, A, & non conuertitur, & id quod eſt B ſequetur D, & non conuertitur, & A quidem & D contingunt eidem; B autem & C non contingunt. Primum ergo, quoniam E id quod eſt B, ſequitur D. Hinc manifeſtum, quòd eorum quæ ſunt C, D, alterum ex neceſſitate omni ineſt: qui autem B, non contingit C, eo quod ſimul infert A; A autem & B nō contingunt eidem manifeſtum, quòd D ſequetur B. Rurſum quoF niam ei quod eſt A non conuertitur C; omni autem vel C, vel D contingit A, & D eidem ineſſe; B autem & C non contingit, eo quod conſequitur A id, quod eſt C: accidit enim quiddam impoſſi-

bile. Manifeſtum eſt ergo quòd nec B, ei quod eſt D cõuertitur, eo quod contingit ſimul A, D ineſse.

Speciatim dixit ſuperius de illatione propoſitionum ſimplicium, & ex tranſpoſitione, nunc pertractat de illatione propoſitionum in terminis communibus, & ponit tres regulas conſecutionum, quas comprobat, indeq; quartam colligit regulam.

Prima regula eſt, quòd duabus exiſtentibus contradictionibus, A, B vna, & C, D altera; quarum ſingula membra ſint ita oppoſita, vt ambo eidem non valeant ineſſe, de neceſſitate tamen alterum inſit, ſi ad C ſequitur A, & non è conuerſo, ad B ſequetur D, & non è conuerſo.

Secunda regula, quòd in tali terminorum diſpoſitione A, & D contingit eidem ineſſe.

Tertia regula, quod ſic ſtantibus terminis, B & C non contingit eidem ineſſe.


Primam regulam probat Philoſophus, quoniã cum alterum contradictoriorum de neceſſitate A inſit, ipſi B inerit aut C, aut D, non C, quoniam ad C ſequitur A, & ſic idem erit A, & B, quod eſt impoſſibile: remanet igitur, vt ſequatur ipsũ D.

Secundam regulam probat, quoniam aut C, aut D contingit ineſſe ipſi A, nõ C, quoniam ad C non ſequitur A, ergo D.

Tertiam regulam probat, quoniam ad C ſequitur A, vnde ſi B & C eidem contingeret, & A & B eidem ineſſe ſequeretur, quod eſt impoſſibile.

Hinc ex dictis quartam colligit regulam B manifeſtã, quòd nempe B, & D nõ conuertuntur, quoniam contingit A, & D eidem ineſſe, vt monſtratum fuit: quapropter ſi B & D conueterentur, contingeret & B, & A eidem ineſſe, quod eſt aperte falſum, & impoſſibile.

Hæ ſunt regulę, quæ docentur ab Ariſtotele in præſenti in elementis, quas tamen nobis placet facilioris doctinæ gratia in terminis ponere. Sit itaque animal conſequens, in quo A, nõ animal oppoſitum conſequentis, in quo B, ante- C cedẽs homo, in quo C ſub A, oppoſitũ antecedẽtis nõ homo, in quo D ſub B, vt in figura ſequẽti.



Ex hac deſcriptione facile eſt cognoſcere regulas traditas hoc in loco.

Prima regula, Si aliquod conſequens ſequitur ad aliquod antecedens, & non è conuerſo ſequitur ad oppoſitum cõſequentis oppoſitum antecedentis ſine conuerſione, veluti ſi ad hominem ſequitur animal, non è conuerſo, ad non hominem ſequitur non animal, non è conuerſo.

Secunda regula, Conſequens, & oppoſitũ antecedentis contingit eidem ineſſe: eidem enim contingit eſſe animal, & non hominem, vt aſinus.

Tertia regula, Oppoſitum conſequentis, & antecedens non contingit eidem ineſſe, vt quod idem ſit & homo, & non animal.

Quarta regula, Oppoſitum conſequentis, & oppoſitũm antecedẽtis non conuertuntur, cum contingat alicui vni ſimul ineſſe conſequens, & oppoſitum antecedentis: Aſinus namque & animal eſt, & non homo. Dicit igitur: *Simpliciter autem quando ſic ſe habent A, & B.* Vniuerſaliter igitur quando A, & B, ſcilicet conſequens aliquod & oppoſitum eiuſdẽ conſequentis ſic ſe habent, *vt ſimul quidem eidem non contingant; omni autem de neceſſitate alterum*, quòd ſint cõtradictoria, ita vt ambo ſimul eidem non contingant ineſſe, alterum tamen neceſſario inſit, *et rurſum C & D ſimiliter*, & inſuper C & D, hoc eſt aliquod antecedens, & oppoſitũ eiuſdem antecedentis, conſimiliter ſint contradictoria, nec vni ambo, ſed alterum neceſſario inſit. *Sequitur autem id quod eſt C, A, & non conuertitur.* Et C ad antecedens ſequitur A conſequens, ſed non conuertitur, vt ad A conſequẽs ſequatur C antecedẽs, *& id quod eſt B* D *ſequetur D, & non conuertitur*, etiam ad B oppoſitum conſequentis ſequetur oppoſitũ antecedentis ſine conuerſione, quæ eſt prima regula, *& A quidem & D contingunt eidem*, & A conſequens, et D oppoſitũ antecedẽtis contingunt ineſſe eidẽ, quæ eſt ſecunda regula: *B autem & C non contingunt*, B verò oppoſitum conſequentis, & C oppoſitum antecedentis non cõtingit eidem ineſſe, quæ eſt tertia regula. Probat primam. *Primũ ergo, quoniã id quod eſt B ſequitur D.* Quòd itaque ad D oppoſitũ conſequentis ſequatur D oppoſi- E tum antecedentis. *Hinc manifeſtum.* Conſtat ex hoc, *quòd eorum, quæ ſunt C, D, alterum ex neceſſitate omni ineſt*, quòd huius contradictionis, quæ eſt C, D, alterum contradictoriorũ ineſt neceſſario ipſi B, oppoſito inquam conſequentis, vel ineſt antecedens, vel oppoſitum antecedentis. *Qui autẽ B non contingit C.* At B oppoſito conſequentis non contingit ineſſe C antecedens, *eo quod ſimul infert A*, quoniam ad C antecedens ſequitur A conſequens: *A autem & B non contingũt eidem.* Conſequens verò, & oppoſitũ conſequen- F tis, cum ſint cõtradictoria, non poſſunt ambo ſimul eidem ineſſe, *manifeſtum quòd D ſequetur.* Patet itaque quòd D oppoſitum conſequentis ipſi B oppoſito antecedentis inerit, & ſic eſt comprobata prima regula. Tranſit ad ſecundam. *Rurſum quoniam ei, quod eſt A, non conuertitur C.* Inſuper quoniã ad A non ſequitur C, ad conſequẽs nõ ſequitur antecedẽs: *omni autẽ vel C, vel D,*

& de

& de neceſſitate alterum contradictoriorū, vel C antecedens, vel D oppoſitum eius contingit ineſſe ipſi conſequenti, *& D eidem ineſſe*, ſi nō ineſt C antecedens, ineſſe conuenit D oppoſitum eius, & ſic remanet comprobata ſecunda regula. Tranſit ad tertiam. *B autem & C non contingit*, B oppoſitum conſequentis, & C antecedens non contingit eidem ineſſe, *eo quod conſequitur A id quod eſt C*, propterea quod ad C antecedens conſequetur A. *Accidit enim quiddam impoſſibile*, ex quo contingit A, & B eidem ineſſe, quod eſt impoſſibile, & ſic quoque tertia regula remanet demonſtrata. Colligit inde quartam, quando ſequitur *Manifeſtum eſt ergo*. Conſtat igitur ex dictis, *quòd nec B ei quod eſt D conuertitur*, quòd nec B oppoſitum conſequentis, & D oppoſitum antecedentis conuertuntur, *eo quod contingit A, D ſimul ineſſe*, propterea quod conſequens, & oppoſitum antecedentis contingit ſimul ineſſe eidem. Sequitur textus.

Accidit autem aliquoties in huiuſmodi terminorum ordine falli, eo quod oppoſita non ſumantur rectè, quorū neceſſe eſt omni alterū ineſſe. vt ſi A, & B non contingunt ſimul eidem, neceſſe eſt autem ineſſe cui alterum, alterum; & rurſus C, & D ſimiliter; cui autem C omni ineſt, ſequitur A. Accidet enim cui D, B ineſſe ex neceſſitate, quod falſum eſt. Si ſumatur enim negatio eorum, quæ ſunt A, B, ea, quæ eſt in quibus F: & rurſus eorum, quæ ſunt C, D, ea, quæ in quibus G: neceſſe eſt igitur omni ineſſe vel A, vel F, aut enim affirmationem, aut negationem, & rurſum aut C, aut G: affirmatio enim, & negatio, & cui C, omni A ſubiacet: quare cui F, omni hoc quod eſt G. Rurſum quoniam eorum quæ ſunt F, B, omni alterum, & eorum quæ ſunt G, D ſimiliter. Sequitur autem G id quod eſt F, & id quod eſt D ſequitur B: hoc enim ſcimus; ſi ergo A id quod eſt C, & id quod eſt D ſequetur B, hoc autem falſum; è contrario enim erat in his, quæ ſic ſe habent conſequentia. Non enim fortaſſe neceſſarium omni ineſſe, aut A, aut F, nec F, aut B: nō enim eſt negatio eius, quod eſt A, hoc quod eſt F; nam boni non bonum negatio; non autem eſt idem hoc quod eſt non bonum, ei quod eſt neque bonum, neque non bonum. Similiter autem & in C, D; nam negationes, quæ ſumptæ ſunt, duæ ſunt.

B Declaratis regulis prænarratis de conſecutione poſitarum contradictionum addit in fine capitis, ne decipiamus, quòd niſi cōtradictiones fuerint rectè ſumptæ, ita vt neutrum membrum cuiuſlibet earum ſimul eidem, & omni alterū de neceſſitate, inſit, cōtingent, quòd ſi A conſequēs ad C antecedēs ſequatur, B quoque oppoſitū cōſequentis ad D oppoſitum antecedētis ſequi videbitur contra determinationem primæ regulæ ſupra proxime in præcedētibus traditæ, veluti ſi quiſpiam ſumpſerit contradictoria A, B, animal non animal, bonum non bonum, & vtriuſque membri negationem F neque animal, neque non animal, neque bonum neque non bonum poſuerit, & ſimili modo alterius contradictionis C, D, homo non homo; rurſus G neque hominem, neque non hominem eſſe ſumpſerit, eaſq́; contradictorias ad vtrumlibet, F quidem ſigillatim ad A conſequens, & ad B oppoſitum conſequentis conſimiliter, pariter G ad C antecedens, & D oppoſitum antecedētis: quando enim A, F, contradictio eſt, de neceſſitate alterum membrum omni ei quod eſt, vel non eſt, inerit; & quando etiam C, G contradictio eſt, eorum alterum omni iniſſe neceſſe erit, verum poſitum fuit A conſequens ſequi ad C antecedens; quare ad F, quod ſupereſt ex contradictione A, F conſequetur G, quod reliquum eſt ex altera contradictione C, G. Præterea cum B, F contradictio ſit ſimiliter C, G, alterum contradictoriorū omni inerit: poſitum autem eſt ex F, G ſequi. Ad D itaque oppoſitum antecedentis, quod ſupereſt ex contradictione G, D, ſequitur B oppoſitum conſequentis; quod reſtat ex altera contradictione F, B. Quapropter B oppoſitum conſequentis, ſequitur ad D oppoſitum antecedētis, cū ad C antecedens A conſequens ſequetur contra id quod fuit demonſtratum ad B oppoſitum conſequentis, ſequi D oppoſitum antecedentis, non è conuerſo ad D oppoſitum antecedentis ſequi B oppoſitum conſequentis, quod euenit, quoniam perperam poſitum fuit, vt quæ vtriuſque ſimul negatio eſt, ea cuiuſlibet ſeiunctim negatio remaneat; ſi namque A, B, bonum, & non bonum, F negatio neque bonum, neque non bonum erit, eadem neque boni ſeiunctim, neque nō boni negatio eſt; etenim boni negatio non bonum, quæ non eſt idē, cum hac neque bonum, neque non bonū, eadem ratio eſt in altera cōtradictione C, D, homo nō homo, G nāque neque homo, neque nō homo, negatio eſt vtriuſque coniunctim, at homini diſiunctim

negatio eſt non homo, quæ diuerſa eſt ab ea neque homo, neque nō homo; propterea habetur: *Accidit autem aliquoties in huiuſmodi terminorum ordine falli* Contingit quandoque decipi in huiuſmodi terminorum conſequentia, *eo quod oppoſita non ſumantur recte*, quando contradictoria nō recte conſtituuntur, *quorū neceſſe eſt omni alterum ineſſe*, quorum natura eſt, vt alterum membrum de neceſſitate omni inſit, *vt ſi A, & B non contingunt ſimul eidem*, veluti quando vtraque membra cōtradictionis A, B, ita fuerint ſumpta, ita vt nulli ſimul ineſſe valeant; *neceſſe eſt autē ineſſe cui alterum, alterum*; neceſſe tamen eſt alterum ipſorū neceſſario cuiquā ineſſe. *Et rurſus C, D ſimiliter.* Et iterum C, D, duo membra alterius contradictionis pariter ita ſe habeant, vt nulli eidem ineſſe contingant, cui tamen alterum non contingit ineſſe de neceſſitate alterum inſit: *cui autem C omni ſequitur A*: quando enim membra oppoſita nō fuerint recte ſumpta, ita vt contradictionē efficiant modo præmiſſo, ſi A conſequens ſequitur ad C antecedens, *accidet enim cui D, B ineſſe ex neceſſitate*, continget ad D oppoſitum antecedentis ſequi B oppoſitum conſequentis, *quod falſum eſt*, quod eſt falſum, vt monſtratum fuit; *ſi ſumatur enim negatio eorum quæ ſunt A, B*, probat id inconueniens eo caſu euenire, quoniam ſi huius contradictionis A, B, *ea quæ eſt in quibus F*, ponatur F negatio. *Et rurſus eorum quæ ſunt C, D.* Et inſuper huius contradictionis C, D, *ea in quibus G*, negatio ſit G. *Neceſſe eſt igitur omni ineſſe vel A, vel F*; tunc de neceſſitate omni ei, quod eſt, vel non eſt, inerit, vel A conſequens, vel F negatio conſequentis: *aut enim affirmationem, aut negationem*, cum affirmatio, vel negatio neceſſario alteri inſit: *& rurſum aut C, aut G*, & vlterius omni ei, quod eſt, vel non eſt, neceſſe eſt ineſſe, aut C antecedens, aut G oppoſitum antecedentis, *& cui C omni A ſubiacet*, & cum ad C antecedens ſequatur A conſequens. *Quare cui F, omni hoc quod eſt G*: propterea ad F negationem conſequentis, ſequitur G negatio antecedētis. *Rurſum quoniā eorū quæ ſunt F, B omni alterū.* Inſuper qm̄ contradictoriorū F, B, alterum omni ineſſe neceſſe eſt, *& eorum quæ ſunt G, D ſimiliter*, & ſimili modo contradictoriorū G, D, alterum omni ineſſe de neceſſitate contingit. *Sequitur autem G id quod eſt F*, & ad F negationem conſequentis ſequitur G negatio antecedentis, *& id quod eſt D, ſequitur B*: itaque & ad D oppoſitum antecedentis ſequitur B oppoſitum conſequentis, *hoc autem falſum; è contrario enim erat in his, quæ ſic ſe habent, conſequentia*, quod falſum eſt; in ſuperioribus namque contrario modo monſtratū eſt ſe habere conſequentiam in his: *non enim fortaſſe neceſſarium omni ineſſe aut A, aut F.* Hoc itaque contingit, propterea quod oppoſita perperam poſita fuere, quoniam F, & A non ſunt contradictoria, nec F, & B. *Non enim eſt negatio eius, quod eſt A, hoc quod eſt F*: quoniam ipſius A negatio contradictorie oppoſita, non eſt id quod eſt F: *nam boni non bonum negatio*: boni namque quod con-

A ſequens eſt contradictoria negatio eſt non bonū conſequentis oppoſitum: *non autem eſt idem hoc quod non eſt bonum*, & non bonum, quæ eſt contradictoria negatio boni non eſt eadem, *ei quod eſt neque bonum, neque non bonū*, ei negationi conſequentis, & ſui oppoſiti, quæ eſt neque bonum, neque non bonum. *Similiter autem & in C, D.* Et idem dicendum in altera C, D, contradictione, quòd eius quod eſt C, vel D non ſit negatio contradictoria id quod eſt G: *nam negationes, quæ ſumptæ ſunt, duæ ſunt*: quoniam negatio eius quod B eſt C ſeorſum acceptum, vel negatio eius quod eſt D ſeiunctim ſumptam, non eſt eadem cum negatione C, D coniunctim, ſed diuerſa, propterea non vna, ſed plures.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

C

Super Capite XLII. de ſyllogiſmis ex propoſitionibus infinitis, & priuatorijs, ac ipſarum, et ſimplicium conſequentijs pro Iuris ſtudioſis.

HAbuimus primum in hoc capite pro vſu Iuris ſtudioſi triplicē differentiā propoſitionum, videlicet priuatiuā, affirmatiuam de prædicato infinito, & negatiuam ſimplicem.

Priuatiua. Teſtamentum eſt inualidum.

Affirmatiua de prædicato infinito. Teſtamentum eſt non validum,

Negatiua ſimplex. Teſtamentum non eſt validum.

D Poſtea habuimus quatuor regulas de conſequentijs propoſitionum.

Prima, quod ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua de prędicato infinito, veluti ad hāc

Teſtamentum eſt validum. Sequitur

Teſtamentum non eſt non validum.

Secunda ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua ſimplex, vt ad hanc

Teſtamentum eſt non validum. Sequitur

Teſtamentum non eſt validum.

E Tertia ad affirmatiuam priuatiuā ſequitur negatiua ſimplex, vt ad hanc

Teſtamantum eſt inualidum. Sequitur

Teſtamentum non eſt validum.

Quarta ad affirmatiuam ſimplicem ſequitur negatiua priuatiua, vt ad hanc

Teſtamentum eſt validum, Sequitur

Teſtamentum non eſt inualidum.

Huiuſmodi autem propoſitiones deſumūtur in his terminis in tit. ff. de teſtam. in quarum explicatione diu non moror, cum ſatis abunde de F his fuerit a nobis pertractatum in Capite primo Secundi Libri Periermenias, ſiue de Interpretatione, & ita explicit primus Liber Priorum Reſolutoriorum Ariſtotelis.

Reliquum eſt quædam breuiter in ſecundum examinare pro facili declaratione ipſius, & abſolutione totius Tractatus.

ARISTOTELIS PRIORVM RESOLVTORIORVM LIBER SECVNDVS.

Qui ſyllogiſmi plures poſſint concludere concluſiones. Cap. Primum.

IN quot ergo figuris, & per quales, et quot propoſitiones, & quando, & quomodo fit ſyllogiſmus, amplius autem ad quæ perſpiciendum conſtruenti, & deſtruenti, & quomodo oporteat quærere de propoſito, ſecundum vnamquamque artem; amplius autem per quam viam ſumemus, quæ in ſingulis ſunt principia, iã pertranſiuimus.

Cum intentio nobis ſit, nedum ſequentes libros Poſt. ad vſum Iuris ciuilis accommodare; verum inſuper præſertim libros Topicorum, & Elenchorum, & liber primus Priorum potiſſimum conferat demonſtrationi, de qua in libris Poſt. iſte verò ſecundus locis, & ſedibus argumẽtorum, de quibus in libris Topicorum; prǽterea expleto primo libro Priorum, hunc ſecundum exponendum ſuſcipimus. Declarata itaque ab Ariſtotele forma ſyllogiſmi in primo libro, in prǽſenti propoſitum ipſius eſt pertractare de materia in communi ſcilicet eiuſdem ſyllogiſmi, ſed prius repetit in principio huius capitis quæ hactenus ab eo facere declarata, vti in prima ſectione, quòd ſyllogiſmi conſtituuntur in aliqua trium figurarum, ex propoſitionibus affirmatiuis, negatiuis, vniuerſalibus, particularibus, & quælibet coniugatio copulatur ex duabus propoſitionibus, in ſecunda ſectione, ad quæ antecedentia, conſequentia, & repugnantia termino-

A rum inſpiciendum nobis ſit, pro facili inuentione medij ſyllogiſtici, vel volentibus confirmare aliquid per ſyllogiſmum affirmatiuum, vel refutare per ſyllogiſmum negatiuum, & quomodo in vnoquoque problemate perquirendum nobis ſit in propria figura, & facultate, in tertia ſectione per quam viam & methodum fiat reſolutio ſyllogiſmorũ in terminos vel propoſitiones, quæ ſunt eorum principia, & dicit: *In quot ergo figuris, & per quales, & quot propoſitiones*, hoc eſt, quòd in aliqua trium figurarum, & quòd per

B duas propoſitiones ſecundum quantitatem vel vniuerſales, vel particulares, & ſecundum qualitatẽ vel affirmatiuas, vel negatiuas. *Et quando, et quomodo ſit ſyllogiſmus*. Et per quem ordinem, & diſpoſitionem præmiſſarum fiat vtilis ratiocinatio habuimus in prima ſectione præcedentis libri. *Amplius autem*. Præterea in ſecunda ſectione eiuſdem libri habuimus, *ad quæ perſpiciendum conſtruenti, & deſtruenti*, ad quæ antecedentia, conſequentia, & repugnantia terminorum reſpicere debeamus, volentes confirmare per

C ſyllogiſmum affirmatiuum, vel refutare per ſyllogiſmum negatiuum. *Et quomodo oporteat quærere de propoſito, ſecundum vnamquamque artem*, & quod in quolibet problemate diſputando, inſpiciendum eſt in propria principia artis illius problematis. *Amplius autem per quam viam ſumemus, quæ in ſingulis ſunt principia, iam pertranſiuimus*, Et inſuper in tertia ſectione habuimus quomodo ſumere debemus terminos, & propoſitiones, quæ ſunt principia ſyllogiſmorum pro ipſorum reſolutione.

D Quoniam autem alij quidem ſyllogiſmorum ſunt vniuerſales; alij verò particulares, vniuerſales quidem omnes ſemper plura ſyllogizant: particularium autem prędicatiui quidem plura, negatiui verò conclu-

cluſionem ſolam; nam aliæ quidem propoſitiones conuertuntur: priuatiua verò non conuertitur; concluſio verò aliquid de aliquo eſt; quare alij quidem ſyllogiſmi plura ſyllogizant, vt ſi A oſtenſum ſit omni, aut alicui B ineſſe, & B alicui A, neceſſarium eſt ineſſe, & ſi nulli B ineſſe A, & B nulli A. Hoc autem aliud eſt à priore, ſi autem A alicui B non inſit, non neceſſe eſt, & B alicui A non ineſſe: contingit enim omni A ineſſe. Hæc ergo communis omnium cauſa vniuerſalium & particularium.

Breuiter repetitis quæ in ſequenti libro docuit Ariſtoteles, ponit quòd cum ſyllogiſmorum alij ſint vniuerſales, alij particulares, vniuerſaliter concludentes, plures colligere poſſunt concluſiones, quàm qui particulariter, & particularium plures colligunt concluſiones affirmatiui quàm negatiui: cauſa communis huius poteſtatis eſt, quòd concluſio conuertitur in vniuerſalibus, & particulari affirmatiuo, ſed in particulari negatiuo non conuertitur, quod exemplo in elementis manifeſtatur.

Prima nãque iugatio affirmatiua vniuerſalis,

Omne C eſt A.
Omne B eſt C:

Vltra hanc immediatam, omne B eſt A, ex conuerſione concluſionis aliam quoque infert, aliquod A eſt B: ſiquidem vniuerſalis affirmatiua in particularem conuerti valet.

Pariter tertia iugatio affirmatiua particularis

Omne C eſt A.
Aliquod B eſt C.

Præter hanc immediatam, aliquod B eſt A, etiam ſuam conuerſam ſyllogizat, aliquod A eſt B, quoniam particularis affirmatiua in terminis conuertitur.

Simili modo ſecunda iugatio negatiua vniuerſalis.

Nullum C eſt A.
Omne B eſt C.

Infert & ſuam immediatam, nullũ B eſt A; & inſuper ex conuerſione connclusionis aliam ſyllogizat, nullum A eſt B, propterea quod negatiua vniuerſalis ſimpliciter conuertitur.

Particularis autem negatiua,

Nullum C eſt A.
Aliquod B eſt C.

Valet quidem ſuam immediatam inferre, aliquod B non eſt A, ſed non conuerſam, aliquod A non eſt B, quoniam non conuertitur, cum contingat omne A eſſe B, quæ eſt contradictoria.

A Aliquod námque animal non eſt homo, tamen omnis homo animal. Dicit itaque: *Quoniam autem alij quidem ſyllogiſmorum ſunt vniuerſales.* Quoniam verò quidam ſyllogiſmi cõcludũt vniuerſaliter. *Alij verò particulares.* Quidam autem particulariter. *Vniuerſales quidem omnes ſemper plura ſyllogizant*, vniuerſaliter concludentes, plures valent inferre concluſiones & affirmatiui, & negatiui. *Particularium autem*, at particulariter concludentes, *prædicatiui quidem plura*, affirmatiui plures concluſiones valent ſyllogizare, *negatiui* B *verò concluſionem ſolam*; negatiui autem vnã tantum; *nam aliæ quidem propoſitiones conuertuntur*, propterea quod reliquæ propoſitiones & vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua conuertuntur: *priuatiua verò non conuertitur*: particularis autem negatiua haud conuerti poteſt. *Concluſio verò aliquid de aliquo eſt*, & quælibet concluſio eſt aliquid de aliquo, prout vnaquæque eſt definita, quoniam in immediata prædicatum & ſubiectum diuerſa ſunt à ſubiecto, & prædicato conuerſæ: quapro- C pter non vna, ſed plures ſunt concluſiones, *vt ſi A oſtẽſum ſit omni, aut alicui B ineſſe*, veluti ſi concluſum ſit, omne B eſſe A, vt in prima iugatione vniuerſali affirmatiua, vel aliquod B eſſe A, vt in tertia iugatione particulari affirmatiua. *Et B alicui A neceſſarium eſt ineſſe.* In vtriſque iugationibus per conuerſionem concluſionis etiam infertur, aliquod A eſſe B *et ſi nulli B ineſſe A*; & etiã ſi concluſum ſit in ſecunda iugatione negatiua vniuerſali, nullum B eſſe A, *& B nulli A*, per conuerſionem etiam concludit nullum A eſſe B.

D *Hoc autem aliud eſt à priore.* Quæ concluſio eſt diuerſa a ſuperiori. *Si autem A alicui B non inſit.* Quod ſi concluſum fuerit per hanc concluſionẽ particularem negatiuam, aliquod B non eſſe A, *non neceſſe eſt & B alicui A non ineſſe*: non propterea etiam infertur conuerſa; ſiquidem nõ eſt neceſſariam, aliquod A non eſſe B; *contingit enim omni A ineſſe*; quoniam cõtingit omne A eſſe B, quæ eſt ſua cõtradictoria. *Hæc ergo communis omnium cauſa vniuerſalium, & particularium.* Conuerſio itaque concluſionis eſt cauſa communis tum E in vniuerſalibus, tum in particularibus ſyllogiſmis, quare plures inferantur concluſiones.

Sequitur textus.

Eſt autem de vniuerſalibus & aliter dicere: quæcunque aut enim ſub medio, aut ſub concluſione ſunt, omnium erit idem ſyllogiſmus, ſi illa quidem in medio, hæc verò in F concluſione ponantur, vt ſi A, B, concluſio per C, quæcunque ſub B, aut ſub C ſunt, neceſſe eſt de omnibus dici A; nam D ſi in toto B, & B in A, & D erit in A. Rurſum ſi E in toto C,

&C

& C in toto A, & E in toto A erit; ſimiliter autem & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus.

Proſequitur declarare de vniuerſalibus ſyllogiſmis, quod plures concluſiones valeat inferre, & ponit quòd eorum omnium, quæ ſunt ſub medio, & quæ ſunt ſub minori extremo per eundē ſyllogiſmum maius extremum in concluſione prædicari contingit, & hoc ſi quæ ſunt ſub medio, & quæ ſunt ſub minori extremo eidem medio, & minori extremo ſubijciantur, quod declarat in terminis tranſcendentibus, veluti ſi in affirmatiua vniuerſali primæ figuræ fuerit concluſum A maius extremum B minori extremo per C medium vniuerſaliter ineſſe.

BAR	Omne C eſt A.
BA	Omne B eſt C, ergo
RA	Omne B eſt A.

Eorum omnium, quæ ſub B minori extremo, & ſub C medio cōtinentur, eadem A maior extremitas in concluſione prædicari contingit, puta ſi ſumpto D vti contento ſub B minori extremo, eidem minori extremo in minori propoſitione ſubijciatur.

BAR	Omne B eſt A.
BA	Omne D eſt B, ergo
RA	Omne D eſt A.

Pariter ſi ſumpto E tanquàm contento ſub C medio, eidem medio in minori propoſitione ſubijciatur.

BAR	Omne C eſt A.
BA	Omne E eſt C, ergo
RA	Omne E eſt A.

Et hoc idem accidit in negatiua vniuerſali eiuſdem primæ figuræ, quoniam ſi A maior extremitas per C medium a B minori extremo remoueatur.

CE	Nullum C eſt A.
LA	Omne B eſt C, ergo
RENT	Nullum B eſt A.

Etiam remouebitur ab omnibus contentis ſub medio, & minori extremo eodem modo.

CE	Nullum B eſt A.
LA	Omne D eſt B, ergo
RENT	Nullum D eſt A.

CE	Nullum C eſt A.
LA	Omne E eſt C, ergo
RENT	Nullum E eſt A.

Et inquit: *Eſt autem & de vniuerſalibus, & aliter dicere*. Propterea de vniuerſalibus ſyllogiſmis vlterius eſt dicere. *Quæcunque enim aut ſub medio*, quòd ſcilicet eorum omnium, quæ ponuntur ſub medio, *aut ſub concluſione ſunt*, aut ſub minori extremo collocantur: concluſionis namque nomen ideo meretur minus extremum, quatenus eſt ſubiectum cōcluſionis, *omnium erit idem ſyllogiſmus*, omnium ſcilicet ſub medio, & ſub minori extremo contentorum per eundem ſyllogiſmum cōcluditur maius extremum. *Si illa quidem in medio*. Si quæ ſub medio continentur eidem medio in minori propoſitione ſubijciantur: *hæc verò in concluſione ponantur*, & quæ ſub minori extremo ſunt collocata, in eadem minori propoſitione eidē minori extremo ſubijciantur, declarat exemplo, *vt ſi A, B concluſio per C*, veluti ſi A maior extremitas de B minori extremo per C medium concludatur, *quæcunque ſub B*, de omnibus contentis ſub B minori extremo, *aut ſub C ſunt*, & de omnibus cōtentis ſub C medio, *de omnibus dici A*, cōtingit A maiorem extremitatem in cōcluſione prædicari; *nam D ſi in toto B*; quoniam ſi D ſub B minori extremo contineatur, ita vt ſit in toto B, ſicut ſubiectum in prædicato in minori propoſitione, omne D eſt B, *& B in A*, & B minor extremitas ſit in toto A, vti ſubiectum in prædicato in maiori propoſitione, omne B eſt A, *& D erit in A*, etiam D erit in toto A eodem modo in concluſione, omne D eſt A. *Rurſus ſi E in toto C*. Vlterius ſi E ſub C medio continetur, ita vt ſit in toto C ſicut ſubiectum in prædicato in minori propoſitione, omne E eſt C, *& C in toto A*, & C medium eſt in toto A maiori extremo, vti ſubiectum in prędicato in maiori propoſitione, omne C eſt A, *& E in toto A erit*, & E erit in toto A eodē modo in concluſione, omne E eſt A. *Similiter autem & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus*. Et ſimiliter ſe habet in negatiuo ſyllogiſmo vniuerſali eiuſdem primæ figuræ, quòd quęcumque ſumunter ſub medio, vel ſub minori extremo de omnibus illis ſequitur remotio maioris extremi.

In ſecunda autem figura; quòd ſub concluſione erit, ſolum erit ſyllogizare, vt ſi A ſit nulli B, et omni C, concluſio quod nulli C ineſt B. Si autem D ſub C eſt, manifeſtū, quòd non ineſt ei B: ijs autem quæ ſunt ſub A, quoniam B non ineſt, non palam eſt per ſyllogiſmum, & ſi non ineſt B ei quod eſt E, ſi eſt E ſub A, ſed D ineſſe quidem B nulli C, per ſyllogiſmum oſtenſum eſt: nō ineſſe verò A, hoc quod eſt B, indemonſtratū ſumptum eſt: quare nec per ſyllogiſmum accidit B non ineſſe E.

Ponit in vniuerſalibus ſyllogiſmis ſecundæ figurę de omnibus illis, quę ſub minori extremo continentur maius extremum in concluſione prædicari, non tamen de omnibus illis, quæ ſub medio; medium namque eſt prædicatum, ſub quo ſecundum decurſum ſyllogiſticum nihil ſumi poteſt. Exemplum in terminis alphabeticis, Si concluſum ſit B maius extremum per A mediū à C minori extremo vniuerſaliter remoueri.

CE-

CE Nullum B eſt A.
SA Omne C eſt A, ergo
RE Nullum C eſt B.

Sumpto D ſub minori extremo contineri, & poſito in loco minoris extremi in minori propoſitione de eo maior extremitas ſyllogizabitur.

CE Nullum B eſt A.
SA Omne D eſt B. ergo
RE Nullum D eſt B.

Sed de ſumptis ſub medio non contingit maiorem extremitatem ſyllogizari; puta ſi ſub A collocetur E, quamuis contingat A maiorem extremitatem ab E remoueri, verùm per ſyllogiſmum id oſtendi non poteſt, quoniã cum in maiori propoſitione non ſignificetur, niſi remotio medij ab extremo, non è contrario; propterea hic non ſignificatur remoueri extremum a medio, vel a contentis ſub medio, ſed ſignificatur remoueri a contentis ſub minori extremo propter oppoſitionem inuicem extremorum, & dicit: *In ſecunda autem figura, quòd ſub concluſione erit, ſolum erit ſyllogizare.* In vniuerſalibus ſyllogiſmis ſecundæ figuræ de contentis ſub minori extremo maius extremum inferri poteſt, *vt ſi A ſit nulli B, & omni C*, veluti gratia exempli, Si ſit iugatio prima vniuerſalis in ſecunda figura, in qua A medium B maiori extremo non inſit vniuerſaliter in maiori propoſitione & idem medium C minori extremo in minori propoſitione vniuerſaliter inſit, videlicet nullum B eſt A, omne C eſt A, *concluſio quòd nulli C ineſt B*, in concluſione maius extremum vniuerſaliter remouetur à B minori extremo, nullum C eſt B. *Si autem D ſub C eſt.* Sumpto itaque D ſub C minori extremo, *manifeſtum quòd non ineſt ei B*, conſtat quòd etiam ab illo maius extremum remouetur C, alioquin non remoueretur vniuerſaliter a C, quoniam quod vniuerſaliter à ſuperiori remouetur, & ab omni ſuo inferiori remouetur: *iis autem quæ ſunt ſub A.* At de contentis ſub A medio, *quoniam B non ineſt*, cum B maius extremum non remoueatur à medio, *non palam eſt per ſyllogiſmum*, non oſtenditur de eis per ſyllogiſmum maius extremum non prædicari, *& ſi non ineſt B ei quod eſt E, ſi eſt E ſub A*, quamuis contingat ſumpto E ſub A medio illud à B maiori extremo remoueri, *ſed ineſſe quidem B nulli C*, verùm B maius extremum remoueri à C minori extremo, *per ſyllogiſmum oſtẽſum eſt*, per priorem ſyllogiſmum cõcluſum eſt. *Non ineſſe verò A hoc quod eſt B, indemonſtratum ſumptum eſt*, ſed quòd A medium B maiori extremo non inſit, id ſumptum eſt per propoſitionem indemonſtratam. *Quare nec per ſyllogiſmum accidit B non ineſſe E.* Quapropter nõ cõtingit per ſyllogiſmum cõcludi B maius extremum ab E ſumpto ſub medio remoueri.

In particularibus autem eorum quidem quæ ſub concluſione ſunt, non erit neceſſarium: non enim fit ſyllogiſmus, quando ea ſumpta fue-
A rit particularis, eorum autem quæ ſunt ſub medio, erit omnium: verumtamen non erit per ſyllogiſmum, vt ſi A omni B, & B alicui C; nam eius quod ſub C eſt poſitum non erit ſyllogiſmus: eius verò, quod ſub B erit, ſed non propter eum, qui
B prius factus eſt ſyllogiſmus.

Oſtenſo per Ariſtotelem de ſyllogiſmis vniuerſalibus primæ & ſecundæ figuræ, qui plures concluſiones inferre poſſint, idem docere vult de particularibus, & determinat in particularibus primæ figuræ, quòd de contentis ſub minori extremo non contingit maius extremum in concluſione prædicari, quoniam cum minor extremitas ſit particularis, ſi aliquid ſub ea ſumeretur maior remaneret particularis, & ex duabus particularibus in prima figura fit inutilis ratio-
C cinatio, veluti ſi A maior extremitas de C minori extremitate per B medium ſyllogizetur in prima iugatione particulari primæ figuræ.

DA Omne B eſt A.
RI Aliquod C eſt B, ergo
I Aliquod C eſt A.

Si E ſumptum fuerit ſub C minori extremo non poterit de eo maiorem extremitatem concludi, quoniã maior propoſitio efficeretur particularis.

Aliquod C eſt A.
D Aliquod E eſt C.

Vnde eſſet iugatio aſyllogiſtica, ſiquidem ex duabus particularibus in prima figura nulla vtilis ratiocinatio ſequi poteſt; de contentis autem ſub B medio contingit, cum maior vniuerſalis ſeruetur, veluti ſi D ſumptum fuerit ſub B medio, & eidem in minori propoſitione ſubijciatur, ſed id non fit per priorem ſyllogiſmum. Inquit itaque: *In particularibus autem*, ſcilicet ſyllogiſmis, *eorum quæ ſub concluſione ſunt*, de contentis ſub minori extremo, *non erit neceſſarium*,
E de neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ idem maius extremum inferre non poteſt: *non enim fit ſyllogiſmus, quando ea ſumpta fuerit particularis*: propterea quod non fit ratiocinatio, quando minor extremitas fuerit particulariter ſumpta ad ea, quæ poſſent ſumi ſub ea: *eorum autem quæ ſub medio*, ſed de cõtentis ſub medio, *erit omnium*, eadem maior extremitas in concluſione prædicari contingit *verumtamen non erit per ſyllogiſmũ*, ſed non per propoſitionem in priori ſyllogiſmo concluſum, *vt ſi A omni B*, veluti ſi in tertio mo-
F do primæ figuræ A maius extremum B medio vniuerſaliter inſit in maiori propoſitione, *& B alicui C*, & B medium C minori extremo particulariter inſit in minori propoſitione: *nam eius quod ſub C eſt poſitum non erit ſyllogiſmus*. De contentis enim ſub C minori extremo non erit concludere maius extremum: *eius verò quod ſub B erit:*

B erit: De contentis autem ſub B medio A maius extremum in concluſione contingit prædicari;*ſed non propter eum, qui prius factus eſt ſyllogiſmus*, ſed non per priorem ſyllogiſmum.

Similiter autem & in alijs figuris, nam eius quidem quòd ſub concluſione eſt, non erit; alterius verò erit; verum nõ per ſyllogiſmum, eo quod & in vniuerſalibus, ex indemõſtrata propoſitione, quæ ſunt ſub medio oſtendebantur: quare neque hic erit, vel & in illis.

Concludit Ariſtoteles in calce huius capitis, quòd & in reliquis ſyllogiſmis particularibus aliarum figurarum id contingit, quòd de contentis ſub minori extremo maius extremum in concluſione non poterit prędicari; de contentis autem ſub B medio contingit quidem, ſed non per propoſitionem in priori ſyllogiſmo concluſam, ſed per indemõſtratam, ſicuti & in vniuerſalibus contingebat, quæ ſatis, cum litera ſit per ſe clara.

SVPER CAPITE PRIMO Secundi Libri Priorum.

Qui Sillogiſmi plures poſſint concludere concluſiones pro Juris ſtudioſis.

TRia habuimus ad commodum Iuriſperitorum in hoc capite.

Primum, quòd ſyllogiſmi vniuerſales primæ figuræ, & particularis affirmatiuus eiuſdem habent poteſtatem inferrendi plures concluſiones vnam immediatam, & alteram conuerſam.

Secundum, quòd vniuerſales ſyllogiſmi primæ figuræ, & de contentis ſub medio, & de contentis ſub minori extremo maius extremum valent inferre, vniuerſales ſecundæ de contentis ſub minori extremo.

Tertium, particulares ſyllogiſmi cuiuſlibet figuræ de contentis ſub medio maius extremum poſſunt inferre.

Pro declaratione primi capitis deſumantur termini in l. 1. in l. 7. ff. de tranſactionibus.

Exemplum ptimæ iugationis primæ figuræ.

BAR Omnis tranſactio eſt de re dubia.
BA Omnis ſentẽtia appellabilis poteſt tranſigi, ergo
RA Omnis ſententia appellabilis eſt de re dubia, Et
Aliqua res dubia eſt ſententia appellabilis.

A Exemplum ſecundæ iugationis.

CE. Nulla tranſactio eſt de lite finita.
LA Omnis ſententia appellabilis poteſt tranſigi, ergo
RENT Nulla ſententia appellabilis, eſt de lite finita, Et
Nulla lis finita eſt ſententia appellabilis.

Exemplum tertiæ iugationis particularis.

DA Omnis tranſactio eſt de re dubia.
B RI Aliqua ſentẽtia appellabilis poteſt tranſigi, ergo
I Aliqua ſententia appellabilis eſt de re dubia, vel
Aliqua res dubia eſt ſententia apellabilis.

Pro declaratione ſecundi capitis deſumantur termini, loco præallegato, & l. 8. ff. eod. & in l. fin. C. de iud. vbi Doctores.

Sit autem ſyllogiſmus talis.

C BAR Omnis tranſactio eſt de re dubia.
BA Omnis ſentẽtia appellabilis poteſt tranſigi, ergo
RA Omnis ſententia appellabilis eſt de re dubia.

De contẽtis ſub minori extremo, nempe ſententia appellabili, idem maius extremum in cõcluſione ſyllogizari contingit.

BAR Omnis ſententia appellabilis eſt de re dubia.
D BA Omnis arbitraria eſt ſententia appellabilis, ergo
RA Omnis arbitraria eſt de re dubia.

Simili modo de contentis ſub medio, tranſactione idem maius extremũ in concluſione prædicari contingit.

BAR Omnis tranſactio eſt de re dubia.
BA Omnis conuentio de alimentis eſt tranſactio, ergo
RA Omnis conuentio de alimentis eſt de re dubia.

E Hoc idem accidit & in ſecunda iugatione negatiua eiuſdem figuræ.

Sit namque iugatiò negatiuą vniuerſalis huiuſmodi.

CE Nulla tranſactio eſt de re finita.
LA Omnis ſententia appellabilis poteſt eſſe tranſactio, ergo
RENT Nulla ſententia appellabilis eſt de re finita.

De contentis ſub minori extremo idem maius extremum prædicari contingit.
F

CE Nulla ſententia appellabilis eſt de re finita
LA Omnis arbitraria eſt ſententia appellabilis, ergo
RENT Nulla arbitraria eſt de re finita.

De contentis etiam ſub medio idem maius extremum colligitur.

CE.

CE Nulla tranſactio eſt de re finita.
LA Omnis conuentio de alimentis eſt tranſactio, ergo
RENT Nulla conuentio de alimentis eſt de re finita.

Vnierſales ſyllogiſmi ſecundę figurę de contentis ſub minori extremo maius extremũ concludere poſſunt, veluti in primo.

CE Nullius rei finitæ eſt tranſactio.
SA Omnis ſententiæ appellabilis eſt tranſactio, ergo
RE Nulla ſententia appellabilis eſt rei finitæ.

CE Nullius rei finitæ eſt tranſactio.
SA Omnis arbitrariæ eſt tranſactio, ergo
RE Nulla arbitraria eſt rei finitæ.

In ſecundo modo eiuſdem figuræ idem contingit, vt eſt per ſe notum.

Remanet tertium caput cognoſcendũ, quod admodum facile exiſtit.

Sit namque tertia particularis iugatio primæ figuræ talis.

DA Omnis tranſactio eſt de re dubia.
RI Aliqua ſententia appellabilis eſt tranſactio, ergo
I Aliqua ſententia appellabilis eſt de re dubia.

De contentis ſub tranſactione, quę eſt mediũ, res dubia, quæ eſt maius extremum in cõcluſione ſyllogizabitur, tali pacto.

DA Omnis tranſactio eſt de re dubia.
RI Aliqua conuentio de alimentis eſt tranſactio, ergo
I Aliqua conuentio de alimentis eſt de re dubia.

Quod idem in omnibus ſyllogiſmis particularibus in omnibus figuris contingit.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſis.

Quod ex falſis in prima figura verum colligatur. Cap. II.

EST ergo ſic ſe habere, vt veræ ſint propoſitiones, per quas fit ſyllogiſmus; eſt autem vt falſæ, eſt verò vt hæc quidem vera, illa autem falſa: concluſio autem aut vera, aut falſa ex neceſſitate; ex veris ergo non eſt falſum ſyllogizare, ex falſis autem verum, tamen non propter quid, ſed quia; nam eius qui eſt propter quid non ex falſis ſyllogiſmus: ob quam autem cauſam in ſequentibus dicetur. Primum

A ergo quòd ex veris non poſſibile falſum ſyllogizare, hinc manifeſtum. Si enim cum eſt A, neceſſe eſt eſſe B, ſi non eſt B, neceſſe eſt A non eſſe. Si ergo verum eſt A, neceſſe eſt & B verum eſſe, aut accidit idem ſimul & eſſe & non eſſe; hoc autem impoſſibile.

Cum contingat ſyllogizari, vel ex vtriſque ve-
B ris propoſitionibus, vel ex vtriſque falſis, vel ex vna vera, & altera falſa, & inſuper cõcluſionem ſequentem ex propoſitionibus eſſe vel veram, vel falſam de neceſſitate, proponit Ariſtoteles demonſtrare, quòd ex veris non eſt falſum ſyllogizare: ex falſis autem verum ratiocinari accidit, ſed non ſyllogiſmo propter quid, in quo ineſt medium habens cauſam connexionis extremi cum extremo, ſed ſyllogiſmo quia, oſtendente ſolum extremum de extremo. In primis autem vult examinare, quòd ex veris falſum ſyllo-
C gizari non poteſt, pro cuius oſtenſione ſumit terminos tranſcendentes A, B, cum tali proportione ad inuicem, quod A ſe habet vt antecedens, & dicit duas propoſitiones veras, B ſe habet vti conſequens, & dicit concluſionem: vnde argumentatur, ſi exiſtente antecedente de neceſſitate eſt conſequens, & deſtructo conſequente, deſtruitur & antecedens, vt in præhabitis in libro præcedenti demonſtratũ eſt, ſi A exiſtente verũ eſt, de neceſſitate & B conſequens eſt verũ, alio-
D quin idem erit, & non erit, quod eſt abſurdum, ſi namque dicatur oppoſitum, quòd verò antecedente exiſtente, conſequens poteſt non verum eſſe, tunc cum conſequens ſit in antecedente, ſequitur, quod ſi eſt antecedens, eſt & conſequens, & ſic idem erit, & non erit: inſuper ſi non exiſtente conſequente tollitur conſequens cõ contentis ſub eo, & antecedens continetur ſub conſequente; ergo conſequente ſublato aufertur & antecedens, ſed ponitur antecedens non exiſtente conſequente; ergo eſt & non eſt. Dicit itaque:
E *Eſt ergo ſic ſe habere vt veræ ſint propoſitiones, per quas fit ſyllogiſmus*. Quandoque contingit, vt ambæ propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmus conſtituitur, ſint veræ. *Eſt autem vt falſæ*. Quandoque contingit vt ſint ambæ falſæ. *Eſt verò vt hæc quidem vera, illa autem falſa*. Quandoque contingit vt vna ſit vera, & altera falſa. *Concluſio autem aut vera, aut falſa ex neceſſitate*. Cõcluſio verò, quę ex huiuſmodi propoſitionibus ſequitur de neceſſitate vel eſt vera, vel eſt falſa. *Ex veris ergo non eſt falſum ſyllogizare*. Ex propoſitionibus veris nõ ſe-
F quitur falſa cõcluſio: *ex falſis autẽ verum*: ex falſis autem ſequitur vera concluſio, & verus ſyllogiſmus, *tamen non propter quid*: non ſequitur autem ſyllogiſmus dicens cauſam, *ſed quia*, ſed ſolum eſſe rei; *nam eius qui eſt propter quid, non ex falſis ſyllogiſmus*: quoniam ſyllogiſmus propter quid nõ ſequitur ex falſis propoſitionibus, in quibus non ineſt medium habẽs cauſam. *Ob quam autem cauſam*

ſam in ſequentibus dicetur. Quare autem non ſit ſyllogiſmus propter quid dicetur in poſterioribus. *Primum ergo, quòd ex veris non poſſibile falſum ſyllogizare, hinc manifeſtũ*. In primis autem, quòd ex veris propoſitionibus non ſequatur falſa concluſio, patet ex hoc. *Si enim cum eſt A*. Si namque A veluti antecedente exiſtente, *neceſſe eſt eſſe B*, de neceſſitate B conſequens exiſtit, *ſi non eſt B*, & non exiſtente B conſequente, *neceſſe eſt A non eſſe*, de neceſſario A antecedens tollitur. *Si ergo verum eſt A*. Vero itaque A antecedente exiſtente, *neceſſe eſt & B verum eſſe*, de neceſſitate & B conſequens verum eſt, *aut accidit idem ſimul & eſſe & non eſſe*, aut ſi detur oppoſitum continget, quòd idem ſimul erit, & non erit; *hoc autem impoſſibile*, quod eſt abſurdum.

Non autem quoniam ponitur A vnus terminus accipiatur contingere vno aliquo exiſtente ex neceſſitate aliquid accidere; non enim poteſt, nam quod accidit ex neceſſitate, concluſio eſt, per quę autem fit, ad minimum tres ſunt termini; duo autem interualla, & propoſitiones. Si ergo verum eſt, cui omni ineſt B, et A: cum autem C & B, cui C neceſſe eſt A ineſſe, & non poteſt hoc falſum eſſe; ſimul enim erit idem, & non erit; ergo A vt vnum poſitum eſt duas propoſitiones colligere. Similiter autem ſe habet et in priuatiuis, non enim eſt ex veris oſtendere falſum.

De medio tollit Ariſtoteles in hac parte dubitationem quãdam, quæ oriri videbatur ex iam dictis; quiſpiam enim potuiſſet opinari, ex vno tãtum termino aliquid ſyllogiſtice colligi poſſe, cum poſuerit & A, quòd eſt vnus terminus de neceſſitate B ſequi. Ideo inquit, quòd hoc non contingit, ſiquidem nihil ſequi poteſt ſyllogiſtice ex vno termino, cum illud quod ſequitur ſyllogiſtice, eſt concluſio; per quę autẽ hoc fit quod ſequitur concluſio ad minimum ſunt tres termini, & duo interualla, ſiue duæ propoſitiones, quę ex ordine trium terminorum fiunt, dũ medium refertur ad vtrũque extremorum aliquo ex tribus modis in præcedenti libro declaratis. Si itaque huiuſcemodi præmiſſæ veræ ſint, & in maiori propoſitione medium ſumatur ſub minori extremitate, ita quod omni B medio inſit A maius extremum, & minus extremum ſumatur ſub medio, ita quòd in minori propoſitione cuicumque ineſt C, quod eſt minus extremum inſit & B, quod eſt medium, ex huiuſmodi habitudine terminorum non poteſt ſequi falſa concluſio, pręmiſſis exiſtentibus veris, alioquin ſequeretur

A quòd idem ſimul eſſet, & non eſſet, vt oſtenſum eſt, propterea ſic ſe habet A ad B, quod dicet duas præmiſſas veras in figura, & modo copulatas, & quod dictum eſt de ſyllogiſmis affirmatiuis, etiam verũ eſſe inquit in negatiuis, quod neque in illis contingit falſum ex veris ſyllogizare. Regula itaque eſt generalis, quòd in omnibus ſyllogiſmis, & affirmatiuis & negatiuis, tum vniuerſalibus, tum particularibus ex veris non eſt falſum ſyllogiſtice concludere, & dicit: *Non autem quoniam ponitur vnus terminus*, ſed non ex

B quo A, quòd videtur eſſe vnus terminus poſitum eſt eſſe antecedens ad quod ſequitur B, *accipiatur contingere vno aliquo exiſtente, ex neceſſitate aliquid accidere*, eſt opinandum ex vno tantum termino aliquid ſyllogiſtice colligi; *non enim poteſt*, quoniam ex vno termino nihil ſequitur ſyllogiſtice: *nam quod accidit ex neceſſitate concluſio eſt*: concluſio namque eſt, quę neceſſario infertur: *per qua autem fit*: ex quibus autem fit hæc illatio, *ad minimum tres ſunt termini, duo autem interualla, & propoſitiones*, ad minus ſunt tres termini, ma-

C ior, minor, medius, & duo interualla, ſiue propoſitiones, ex eorum habitudine ordinatæ. *Si ergo verum eſt cui omni ineſt B, & A*. Si itaque verum ſit nihil eſſe cui ineſt B medium, quin eidem inſit A maius extremum: *cui autem C, & B*, & cuicumque ineſt C minus extremum, illi eidem ineſt B medium, *neceſſe eſt A ineſſe*, ſequitur de neceſſitate ſyllogiſticę conſequentię, quod cui ineſt C minus extremum, illi inſit & A maius extremum, *& non poteſt hoc falſum eſſe*, & ex his pręmiſſis concluſio, quæ ſequitur, non poteſt eſſe

D falſa. *Simul enim erit idem, & non erit*; alioquin idẽ ſimul erit, & non erit: *ergo aut vnum poſitum eſt duas propoſitiones colligere*; quapropter poſitum eſt A vnum antecedens dicere duas propoſitiones inuicem in figura, & modo ordinatas. *Similiter autem ſe habet, & in priuatiuis*, & quod dictũ eſt de affirmatiuis, verum eſt, etiam de negatiuis ſyllogiſmis. *Nõ enim eſt ex veris oſtendere falſum.* Siquidem vniuerſaliter verum eſt, quòd nullo modo ex vero falſum colligi contingit.

E Ex falſis autem eſt verum ſyllogizare, & vtriſque propoſitionibus falſis, & vna; hęc autem non vtralibet contingit, ſed ſecunda, ſiquidem totum ſumamus falſam; non tota autem ſumpta eſt vtralibet: inſit enim A omni C, ei autem, quod eſt B nulli,

F nec B inſit C. Contingit autem hoc, vt nulli lapidi animal, & lapis nulli homini: ſi igitur ſumatur A omni B, & B omni C, A omni C inerit; quare ex vtriſque falſis, vera eſt concluſio, omnis enim homo animal. Similiter

autem

autem & priuatiuum, inſit enim C nulli, nec A, nec B; A autem B omni, vt ſi eiſdem terminis ſumptis, medium ponatur homo, lapidi enim nec animal, nec homo nulli ineſt, homini autem omni animal: quare ſi cui quidem omni ineſt, ſumamus nulli ineſſe, cui verò non ineſt omni ineſſe, ex falſis vtriſque vera erit concluſio. Similiter autem oſtendetur & ſi in aliquo vtraque falſa ſumatur.

Vbi oſtendit quòd ex veris non eſt falſum ſyllogizare, vult demonſtrare ex falſis verum colligi poſſe; & quoniam aliquod dicitur falſum dupliciter, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem; ſecundum totum falſum eſt, cuius contrarium eſt verum, veluti omnis homo lapis eſt falſum ſecundum totum, quoniam eius cõtrarium eſt verum, nullus homo lapis: falſum ſecundum partem eſt, cuius contradictorium eſt verum, veluti omnis homo albus falſum ſecundum partem, quoniam oppoſitum cõtradictorie verum, non omnis homo albus. Cum itaque falſum dicatur duobus modis, docet de coniugationibus falſis ſecundum totum, & inde tanquam notum colligit idem etiam de falſis ſecundum partem, & inquit, quòd ex vtriſque falſis propoſitionibus, vel ex vna tantum ſecundum totum, dummodo fuerit minor, contingit verum ratiocinari, quod oſtendit in elementis ſumptis A pro maiori extremo, B pro medio, C pro minori extremo: ſi namque concluſio ſit omne C eſt A, & ſint hæ duæ propoſitiones negatiuæ veræ, nullum B eſt A, nullum C eſt B, ſi in falſas affirmatiuas mutentur, omne B eſt A, omne C eſt B, ex illis ſequitur concluſio vera, omne C eſt A, declarat in terminis; ſint tres termini, Animal, Lapis, Homo, animal pro maiori extremo, lapis pro medio, homo pro minori extremo; ſi concluſio ſit, omnis homo animal, & ſint propoſitiones veræ negatiuæ, nullus lapis animal, nullus homo lapis, ſi mutẽtur in affirmatiuas falſas, omnis lapis animal, omnis homo lapis, ſequitur cõcluſio vera ex illis, omnis homo animal; ſimili modo ſe habet & in ſecũda iugatione: ſint iidẽ termini, A, B, C, cõcluſio nullũ C eſt A, & duę propoſitiones verę, omne B eſt A, nullũ C eſt B, ſi mutẽtur in falſas contrarias, nullũ B eſt A, omne C eſt B, ex eis ſequitur cõcluſio vera, nullũ C eſt A, declarat in iiſdẽ terminis materialibus, ſũpto tamen animali pro maiori extremo, homine pro medio, lapide pro minori extremo. Sit cõcluſio, nullus lapis animal, & duæ propoſitiones veræ, omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt homo; ſi hæ in contrarias falſas mutẽtur, nullus homo animal, omnis lapis homo, ſequitur concluſio vera ex illis, nullus lapis animal: conſimiliter ſe habet in falſis ſecundum

A partem, vti in prima iugatione, omne album animal, omnis homo albus; ergo omnis homo animal, & in ſecunda iugatione, nullum album lapis, omnis homo albus, & nullus homo lapis; & hæc habentur in his verbis: *Ex falſis autem eſt verum ſyllogizare, & vtriſque propoſitionibus falſis, et vna.* Ex propoſitionibus falſis contingit veram concluſionem colligi, vel ſint ambæ falſæ, & maior, & minor, vel vna tantum. *Hæc autem non vtralibet contingit, ſed ſecunda;* non tamen ſi altera vtra indifferẽter, ſed minor ſit falſa. *Siquidem*
B *totam ſumamus falſam,* ſi loquamur de falſo ſecundũ totum, *non tota autem,* quod ſi loquamur de falſo ſecundum partem, *eſt vtralibet,* quæuis ſit falſa vel maior, vel minor concluſionem veram inferre poterit: *inſit enim A omni C:* ſit enim concluſio vera, in qua A maior extremitas inſit C minori extremitati, *ei autem quod eſt B nulli,* & idem A maius extremum nulli B medio inſit, *nec B inſit C,* & B medium nulli C minori extremo inſit. *Contingit autem hoc vt nulli lapidi animal, & lapis nulli homini.* Quod accidit in his terminis, ſi ſumantur animal, lapis, homo, nullus lapis animal, nul-
C lus homo lapis. *Si igitur ſumatur A omni B, et B omni C.* Si itaque negatiuæ veræ in falſas affirmatiuas tranſmutentur, *A omni C inerit,* ſequetur concluſio vera, in qua A maius extremum C minori extremo inerit. *Quare ex vtriſque falſis vera eſt concluſio.* Sequitur igitur ex ambabus propoſitionibus falſis in totum, concluſio vera in terminis: *omnis enim homo animal,* quoniam omnis homo animal; *ſimiliter autem & priuatiuum;* ſimili modo contingit & in negatiua coniugatione;
D *inſit enim C nulli, nec A, nec B:* ſit namque concluſio vera, in qua A maior extremitas nulli C minori extremo inſit, & ſit propoſitio vera, in qua B medium eidem C minori extremo inſit nulli, *A autem B omni,* & ſit altera propoſitio vera, in qua A maius extremum inſit omni B medio, *vt ſi eiſdem terminis ſumptis,* veluti in terminis poſitis, ſumpto homine pro medio. *Lapidi enim nec animal,* nulli lapidi ineſt animal, *nec homo nulli ineſt,* nec homo ineſt nulli lapidi, ita quòd eſt verũ dicere, nullus lapis animal, & pariter nullus ho-
E mo lapis: *homini autem omni animal,* & animal ineſt omni homini, nam omnis homo animal. *Quare ſi cui quidem omni ineſt, ſumamus nulli ineſſe.* Quapropter ſi propoſitio affirmatiua vera omnis homo animal in contrariam negatiuam falſam mutetur nullus homo animal: *cui verò non ineſt omni ineſſe;* & propoſitio negatiua vera, nullus lapis homo in falſam affirmatiuam mutetur omnis lapis homo, *ex falſis vtriſque vera erit concluſio,* ex ambabus his propoſitionibus falſis ſequitur concluſio vera nullus lapis animal. *Similiter autem*
F *oſtendetur, & ſi in aliquo vtraque falſa ſumetur.* Et idem ſequi demõſtrabitur ex falſis propoſitionibus, veram ſcilicet concluſionem, ſi propoſitiones falſæ ſint ſecundum aliquid & in partem.

Si autem altera ponatur falſa, prima quidem tota falſa exiſtente vt A,

B, non

B, non erit concluſio vera, B, C autem erit. Dico autem totam falſam, quod contrariam veræ, vt ſi quod nulli ineſt omni ſumptum eſt, aut ſi quod omni nulli ineſſe; inſit enim A, B nulli, B autem omni C. Si ergo B, C quidem propoſitionem ſumamus veram, A, B autem falſam totam, & omni B ineſſe A, impoſſibile eſt A, C concluſionem veram eſſe: nulli enim inerat A, earum quæ ſunt C: ſiquidem cui B nulli, B autem omni C. Similiter autem nec ſi A omni B ineſt, & B omni C: ſumpta ſit autem B, C quidem vera propoſitio; A, B autem falſa tota, & nulli, cui B ineſt A, concluſio falſa erit: omni enim C ineſt A; ſiquidem cui B omni, & A: B autẽ omni C. Manifeſtum ergo, quòd prima tota ſumpta falſa, ſiue affirmatiua, ſiue priuatiua; altera autem vera, non ſit vera concluſio.

Patefecit Ariſtoteles, quòd ex vtriſque falſis vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, verum contingit ſyllogizari, nunc procedit ad declarandum, quod etiam ex vna propoſitione in totum falſa verum colligi poteſt, & ponit, quòd ſi altera præmiſſarum fuerit in totum falſa, ſi minor extitorit, ſequitur concluſio vera, quòd ſi ſit maior, non ſequitur concluſio vera, & oſtendit ex maiori propoſitione falſa, falſam ſequi concluſionem, vel ea ſit negatiua, vel ea ſit affirmatiua, & ſic & in affirmatiua, & in negatiua iugatione; quoniam ſi propoſitio maior ſit falſa nullum B eſt A, adeo vt ſua contraria ſit vera, omne B eſt A, & minor propoſitio ſit omne C eſt B, impoſſibile eſt concluſionem eſſe veram, quando C minor extremitas eſt ſub B medio: vnde cum fuerit poſitum A maiorem extremitatem nulli B medio ineſſe, ſequitur in concluſione, quòd idem A maius extremum nulli etiam inſit C minori extremo, declaro in terminis, ſit maior propoſitio falſa, nullum animal ſenſibile, cuius contraria eſt vera, omne animal ſenſibile, & minor propoſitio ſit, omnis homo animal, ſequitur concluſio falſa, nullus homo ſenſibilis. Idem quoque accidit in affirmatiua iugatione: ſi namque maior propoſitio omne B eſt A ſit falſa, & eius contraria vera, nullum B eſt A, & ſit minor propoſitio, omne C eſt B, non poteſt ſequi concluſio vera, quoniam cum poſitum ſit, quod

A omni illi, cui ineſt B, inerit A, & B ineſt omni C, neceſſe eſt etiam, quòd A in concluſione omni C inſit, veluti in terminis, ſi ſit maior propoſitio falſa, omne animal lapis, cuius contraria vera, nullum animal lapis, & ſit minor propoſitio, omnis homo animal, non poteſt ſequi vera concluſio, ſed falſa, omnis homo lapis, & dicit: *Si autem altera ponatur falſa*, quòd ſi non ambæ, ſed vna tantum ex præmiſſis fuerit falſa: *prima quidem tota falſa exiſtente*, ſi maior extiterit falſa ſecũdum totum, *vt A, B,*
B veluti nullum, vel omne B eſt A, *non erit concluſio vera*, concluſio vera non ſequetur, *B, C autem erit*. Si verò fuerit minor falſa ſecundum totum, omne C eſt B, vera erit concluſio: *dico autem totam falſam, quòd contrariam veræ*: eam vero propoſitionem appello falſam ſecundum totum, quæ contraria eſt veræ, *vt ſi quod nulli ineſt*, veluti ſi propoſitio vera ſit nullum animal inſenſibile, *omni ſumptum eſt*, ſumptum fuerit omne animal inſenſibile, *aut ſi quod omni*, vel ſi vera ſit propoſitio, omne ani-
C mal ſenſibile, *nulli ineſſe*, ſumptum fuerit nullum animal ſenſibile; *inſit enim A, B nulli*: ſit namque propoſitio maior, nullum B eſt A; *B autem omni C*, & propoſitio minor, omne C eſt B. *Si ergo B, C quidem propoſitionem ſumamus veram*. Si itaque poſuerimus minorem propoſitionem eſſe veram, omne C eſt B, *A, B autem falſam totam*, & maiorem propoſitionem nullum B eſt A eſſe falſam ſecundum totum, *& omni B ineſſe A*, quoniam eius contraria ſit vera, omne B eſt A, *impoſſibile eſt A, C con-*
D *cluſionem veram eſſe*, non poteſt ſequi concluſio vera, ſed falſa, cuius cauſa eſt; *nulli enim inerat A eorum, quæ ſunt C*, quoniam concluſio, quæ ſequitur, eſt nullum C eſt A: *ſiquidem cui B nulli*, cum maior fuerit nullum B eſt A, *B autem omni C*, & minor, omne C eſt B. *Similiter autem nec ſi A omni B ineſt*. Simili modo ſi maior propoſitio ſit omne B eſt A, *& B omni C*, & minor propoſitio ſit, omne C eſt B: *ſumpta ſit autem B, C quidem vera propoſitio*,
E & minor propoſitio, omne C eſt B, ponatur vera: *A, B autem falſa tota*: maior autem propoſitio, omne B eſt A ſit falſa ſecuudum totum, *& nulli, cui B ineſt A*, quoniam eius contraria ſit vera, nullum B eſt A, *concluſio falſa erit*, concluſio ſequetur falſa, *omni enim C ineſt A*, quoniam concluſio erit, quòd omne C eſt A: *ſiquidem cui B omni, & A*, cum maior propoſitio fuerit omne B eſt A; *B autem omni C*, & minor, omne C eſt B. *Manifeſtum ergo, quòd prima tota ſumpta falſa*. Patet
F itaque, quòd maiori propoſitione exiſtente falſa ſecundum totum, *ſiue affirmatiua*, vt in prima iugatione, *ſiue priuatiua*, vt in ſecunda iugatione: *altera autem vera*: minori autem propoſitione exiſtente vera, *non ſit concluſio vera*, non ſequitur vera, ſed falſa concluſio.

Sequitur textus

Non tota autem ſumpta falſa erit, nam ſi A, C quidem omni ineſt, B autem alicui, B autem omni C, vt animal cygno quidem omni, albo autem alicui, album autem omni cygno, ſi ſumatur A omni B, & B omni C, A omni C inerit vere; omnis enim cygnus animal. Similiter autem & ſi priuatiua ſit A, B, poſſibile eſt enim A, B quidem alicui ineſſe, C verò nulli, B autem omni C, vt animal alicui albo, niui verò nulli, album uerò omni niui. Si ergo ſumatur A quidem nulli B, B autem omni C, A nulli C inerit.

Declarato, quòd ex maiori propoſitione in totum falſa, ſequitur falſa concluſio, manifeſtat ex maiori propoſitione in partem falſa ſequi concluſionem veram tum in affirmatiua, tum in negatiua iugatione. Sit enim concluſio vera in iugatione affirmatiua, in qua A maius extremum; C minori extremo vniuerſaliter inſit omne C eſt A, hæc quidem colligitur ex maiori propoſitione in partem falſa, in qua idem A maius extremum B medio inſit, omne B eſt A, & minori propoſitione vera, idem B medium de eodem C minori extremo prędicetur, omne C eſt B; patet ſumptis terminis animali pro maiori extremo, albo pro medio, cygno pro minori extremo, omne album animal, omnis cygnus albus; ergò omnis cygnus animal; ex maiori enim in partem falſa, ſequitur concluſio vera vt conſtat: ſimili modo ſe habet & in ſecunda iugatione; ſit namque concluſio vera, in qua maior extremitas A, C minori extremo vniuerſaliter remoueatur, nullum C eſt A, ratiocinabitur ex maiori propoſitione in partem falſa, in qua idem A maius extremum de B medio vniuerſaliter negetur; nullum B eſt A, & minori propoſitione vera, in qua B medium C minori extremo vniuerſaliter inſit omne C eſt B, patet in terminis, ſumpto animali pro maiori extremo, albo pro medio, niue pro minori extremo, in quibus hæc concluſio vera, nulla nix eſt animal, ſequitur ex maiori propoſitione in partem falſa, nullum album eſt animal, & minori vera, omnis nix alba, ideo dicit: *Non tota autem ſumpta falſa*. Sed maiori propoſitione ſumpta falſa in partem non in totum *erit*, concluſio ſequetur vera; *nam ſi A, C quidem omni ineſt*, quoniam ſi ſit A maius extremum, quòd omni inſit C minori extremo, *B autem alicui*, & idem A maius extremum inſit alicui

A B medio, *B autem omni C*, & B medium omni C minori extremo inſit, *vt animal cygno quidem omni*, veluti in terminis, animal maius extremum inſit omni cygno minori extremo, *albo autem alicui*, & idem animal maius extremum inſit eidem albo particulariter, quod eſt medium; *album autem omni cygno*, & album medium ineſt omni cygno minori extremo, *ſi ſumatur A omni B*, ſi habita hac poſitione terminorum ſumatur A maius extemum omni B medio ineſſe in maiori propoſitione, *&*
B *B omni C*, & B medium omni C minori extremo ineſſe in minori propoſitione, ſeu in terminis omne album animal, omnis cygnus albus, *A omni C inerit vere*, erit concluſio vera, quod omni C minori extremo inerit A maius extremum; omnis enim cygnus animal, *Similiter autem & ſi priuatiua ſit A, B*. Et idem accidit maiori propoſitione exiſtente falſa in partem negatiua, vti nullum B eſt A. *Poſſibile eſt enim A, B quidem alicui ineſſe*. Quoniam contingit, quòd A maior extremitas in-
C ſit alicui B medio, *C verò nulli*, & quòd idem A maius extremum nulli inſit C minori extremitati, *B autem omni C*, & B medium inſit omni C minori extremitati, *vt animal alicui albo*, veluti in his terminis, Animal, Album, Nix, animal ineſt alicui albo, *niui verò nulli*, ſed nulli niui ineſt animal; *album verò omni niui*, album autem ineſt omni niui. *Si ergo ſumatur A, quidem nulli B*. Si itaque ponatur in maiori propoſitione A maius extremum de nullo B medio dici, ſeu ei non ineſ-
D ſe, vt nullum B eſt A, *B autem omni C*, B verò medium ſumatur omni C minori extremo ineſſe in minori propoſitione, omne C eſt A, *nulli C inerit*, ſequetur, quòd A maius extremum nulli C minori extremo inerit, nullum C eſt A, quæ eſt vera concluſio.

Sequitur textus.

Si autem A, B quidem propoſi-
E tio tota ſumatur vera, B, C autem tota falſa, erit ſyllogiſmus verus; nihil enim prohibet A & B, & C omni ineſſe, B autem nulli C, vt quæcunque eiuſdem generis ſunt ſpecies non ſubalternæ: nam animal & homini, & equo ineſt; equus autem nulli homini ineſt. Si ergo ſumatur
F A omni B, & B omni C, concluſio vera erit, tota falſa B, C propoſitione. Similiter autem cum vniuerſalis priuatiua eſt A, B propoſitio: contingit enim A neque B, neque C nulli ineſſe, & B nulli C, ut ex alio ge

nere

nere ſpeciebus diuerſum genus; nam A animal nec Muſicæ, nec Medicinæ ineſt, neque Muſica Medicinæ ſumpta. Ergo A quidem nulli B, B autem omni C, uera erit concluſio.

Oſtenſo ex maiori propoſitione falſa ſecundum totum ſequi falſam concluſionem, & ex maiori propoſitione falſa ſecundum partem colligi veram cõcluſionem, modo tranſit ad aliud, vtputa, quòd ex minori propoſitione falſa, vel ſecundũ totum, vel ſecundum partem, verã concluſionem ſyllogizare contingit, & in primis declarat ex minori propoſitione in totũ falſa, tum in prima, tum in ſecunda iugatione: in prima veluti ſi ſit propoſitio maior vera, omne A eſt B, & minor propoſitio in totum falſa, omne C eſt B, ſequitur concluſio vera, quòd omne C eſt A; propterea quod nihil prohibet, quin A maius extremum omni B medio inſit, & etiam idem A inſit C minori extremo, licet B medium nulli C minori extremo inſit, ſicuti in ſpeciebus eiuſdẽ generis non ſubalternatim; ſed æqualiter poſitis ſub eo, vti in homine & equo ſub animali: animal enim & equo & homini omni ineſt; equus autẽ nulli homini, in terminis inquam ex maiori propoſitione vera, & minori propoſitione in totum falſa, ſequitur vera concluſio tali pacto, omnis homo animal, omnis equus homo, ergo omnis equus animal: minor namque omnis equus homo, falſa, cũ eius contraria nullus equus homo, ſit vera. Simili modò & in negatiua iugatione accidit, quoniam contingit A maius extremum nulli B medio in maiori propoſitione ineſſe, & ſimiliter idem A nulli C minori extremo ineſſe in concluſione, cum tamen B mediũ nulli C minori extremo inſit, ſicuti ſe habet de genere ad ſpecies ſumptas ex alio genere: animal enim quod eſt maius extremum neque Muſicæ, neque Medicinæ, quæ ſunt ſpecies ſcientię vniuerſaliter ineſt, neque Muſica, quæ medium eſt, ineſt Medicinæ, ex minori itaque falſa in totum ſequitur concluſio vera tali pacto, nulla muſica animal, omnis medicina muſica, ergo nulla medicina animal: minor enim falſa eſt, cum contraria ipſius vera ſit, nulla medicina muſica. Dicit igitur: *Si autem A, B quidem propoſitio tota ſumatur vera*. Si verò maior propoſitio omne B eſt A, vera ſit, *B, C autem tota falſa*, & minor propoſitio, omne C eſt B, ſit falſa in totum, *erit ſyllogiſmus verus*, ſyllogizabitur concluſio vera; *nihil enim prohibet A, & B, & C omni ineſſe*, quoniã contingit A maius extremum, & B medio, & C minori extremo ineſſe, *B autem nulli C*, cum B medium nulli C minori extremo inſit; F *vt quæcunque eiuſdem generis ſunt ſpecies non ſubalterna*, veluti in ſpeciebus ſub eodem genere ęqualiter, non ſubſternatim poſitis, *nam animal & homini, et equo ineſt*, quoniam animal eſt maius extremũ, quod homini medio, & equo minori extremo ineſt; *equus autem nulli homini ineſt*, cum equus mi-

A nus extremum nulli homini medio inſit. *Si ergo ſumatur A omni B*. Quapropter ſi poſitum fuerit A maius extremum, omni B medio ineſſe in maiori propoſitione, *& B omni C*, & B medium omni C minori extremo ineſſe in minori propoſitione, *concluſio vera erit tota falſa minori propoſitione*; ſequitur concluſio vera, exiſtente minori propoſitione in totum falſa. *Similiter autem cum vniuerſalis priuatiua eſt A, B propoſitio*. Similiter ſe habet quando maior propoſitio eſt vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, vti in ſecunda iuga- B tione; *contingit A neque B, neque C nulli ineſſe*: accidit enim A maius extremum nulli B medio, & nulli C minori extremo ineſſe, *& B nulli C*, & B medium nulli C minori extremo inſit, *vt ex alio genere ſpeciebus diuerſum genus*, ſicuti ſe habet genus ad ſpecies alterius generis diuerſas, *nam animal nec Muſica, nec Medicinæ ineſt*, vti animal, quod eſt maius extremum, neque Muſicæ, neque Medicinæ, quæ ſunt ſpecies ſcientię, vniuerſaliter ineſt, *neque Muſica*, quæ eſt medium, *Medicinæ ſumpta*, ineſt Medicinæ, quæ eſt minus C extremum. *Ergo A quidem nulli B*. Quapropter maiori propoſitione exiſtente vniuerſali negatiua vera, nullum B eſt A; *B autem omni C*, & minori vniuerſali affirmatiua falſa ſecundum totum, omne C eſt B, *vera erit concluſio*, ſequitur concluſio vera.

Et ſi non tota falſa ſit B, C, ſed in aliquo, etiam ſic erit concluſio vera; nihil enim prohibet A, & B, & C toti ineſſe; D B autem alicui C, vt genus ſpeciei, & differentiæ, nam animal homini omni, & omni greſſibili; homo autem alicui greſſibili, & non omni. Si ergo A omni B, & B omni C ſumatur, A omni C inerit, quod quidem erat verum. Similiter autem cum priuatiua eſt A, B propoſitio; E contingit enim A, nec B, nec C nulli ineſſe, B verò alicui C: at genus ex alio genere ſpeciei & differentię, nã animal nec ſapientiæ nulli ineſt, nec contemplationi; ſapientia verò alicui contemplationi. Si ergo ſumatur A nulli B, B autem omni C, nulli C inerit A; hoc autem erat verum.

F Declarat etiã ex minori propoſitione in partem falſa verum ratiocinari in prima iugatione: propterea quod in tali habitudine terminorum nihil prohibet, quin A maius extremum inſit omni B medio in maiori propoſitione, & omni C minori extremo in concluſione, cum idem B medium inſit alicui C minori extremo, veluti

ſe habet genus ad ſpeciem, & differentiam: animal enim, quod eſt maius extremum, ineſt omni homini, & omni greſſibili; homo verò, quod eſt medium, alicui ineſt greſſibili: quapropter verum colligitur in prima iugatione, minori propoſitione exiſtente falſa ſecundum partem, ſi ſumantur termini, Animal, Homo, Greſſibile, vt: omnis homo animal, omne greſſibile homo, ergo omne greſſibile animal: ſiquidē minor propoſitio falſa eſt ſecundum quid, cum ipſius contradictoria vera ſit, aliquod greſſibile non eſt homo. Similiter accidit in ſecunda iugatione verum ex falſa propoſitione minori ſecundum partem concludi, quoniam contingit A maius extremum, neque B medio in maiori propoſitione, neque C minori extremo in concluſione ineſſe, & tamen B medium alicui inſit C minori extremo, veluti animal, quod eſt genus, ſe habet ad ſpeciem, & differentiā alterius generis, nempe ad ſapientiam, & contemplationem. Animal namque neque ineſt vlli ſapientiæ, quæ eſt ſpecies ſcientiæ, neque ineſt contemplationi, quæ eſt differentia; tamen ſapientia, quæ eſt mediū, ineſt alicui contemplationi, quæ eſt minus extremum. Ex minori itaque falſa propoſitione ſecūdum partem etiam in ſecunda iugatione contingit verum ſyllogizari, ſi ſumantur termini; Animal, Sapientia, Contemplatio, ſcilicet nulla ſapientia animal, omnis contemplatio ſapientia, ergo nulla contemplatio animal. Minor etenim propoſitio eſt falſa in partem, quia eius contradictoria eſt vera, aliqua contemplatio non eſt ſapientia. Dicit igitur: *Et ſi non tota falſa ſit B, C, ſed in aliquo.* Minori propoſitione inſuper exiſtēte falſa in partem, non in totum; *etiam ſic erit concluſio*, erit quoque concluſio vera: *nihil enim prohibet A, & B, & C toti ineßе*, quoniam nihil prohibet A maius extremum & omni B medio in maiori propoſitione, & omni C minori extremo in cōcluſione ineſſe, *B autem alicui C*, & B mediū inſit alicui C minori extremo, *vt genus ſpeciei, et differentiæ*, ſicuti ſe habet genus ad ſpeciem, & differentiam, *nam animal homini omni*, quoniam animal, quod eſt genus, eſt maius extremū, quod ineſt omni homini, *& omni greſſibili*, & etiam omni greſſibili; *homo autem alicui greſſibili*; homo verò, quod eſt medium, ineſt alicui greſſibili, quod eſt differentia, *& non omni*, non etiam greſſibili. *Si ergo A omni B.* Si igitur A maius extremum ineſt omni B medio, *& B omni C ſumatur*, & B medium inſit omni C minori extremo, *A omni C inerit*, A maius extremum inerit omni C minori extremo in concluſione, *quod quidem erat verum*, quæ concluſio vera erat. *Similiter autem cum priuatiua eſt A, B propoſitio.* Simili modo ſe habet, quando maior eſt vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, vt in ſecunda iugatione: *contingit enim A nec B, nec C nulli ineſſe*: euenit enim A maius extremū, nec vlli B medio in maiori propoſitione, nec vlli C minori extremo in cōcluſione ineſſe; *B verò alicui C*, cū tamen B mediū alicui C minori extremo inſit, *vt genus ex alio genere ſpe-*

A *ciei, & differentiæ*, vti genus ad ſpeciem, & differentiā diuerſi generis ſe habet; *nam animal*, quod eſt genus, *nec ſapientiæ nulli ineſt*, quæ eſt ſpecies ſcientiæ, *nec contemplationi*, quæ eſt differentia; *ſapientia verò*, quæ eſt medium, *alicui contemplationi*, quæ eſt minus extremum, ineſt. *Si ergo ſumatur A* maius extremum, *nulli B* medio in maiori propoſitione ineſſe nullum B eſt A, *B autem*, quod eſt medium, *omni C*, quod eſt minus extremum ineſſe in minori propoſitione, *nulli C inerit A*, ſequitur in concluſione nullum C eſt A; *hoc*
B *autem erat verum*: quæ concluſio vera eſt.

In particularibus autem ſyllogiſmis contingit ex prima propoſitione tota falſa exiſtente; altera autē vera, veram eſſe concluſionem, & A, B in aliquo falſa exiſtente, B, C autem vera, & A, B quidem vera, parti-
C culari autem falſa, & vtriſque exiſtentibus falſis; nihil enim prohibet A, B quidē nulli ineſſe, C autem alicui, & B alicui C ineſſe; vt animal nulli niui, albo autem alicui ineſt, & nix albo alicui. Si ergo ponatur medium nix; primum autem animal, & ſumatur A quidem toti B ineſſe, B au-
D tem alicui C, A, B tota falſa, B, C autem vera, & concluſio vera. Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B propoſitio: poſſibile eſt enim A, B quidem toti ineſſe, C autem alicui non ineſſe, B verò alicui C ineſſe, vt animal homini quidem omni eſt: album autem aliquod
E non ſequitur; homo verò alicui albo ineſt. Quare ſi medio poſito homine, ſumatur A nulli B ineſſe; & B alicui C, uera ſit concluſio, cum ſit tota falſa A, B propoſitio.

Tranſit Ariſtoteles ad particulares ſyllogiſmos primæ figuræ, & vult oſtendere in particularibus
F ſyllogiſmis, maiori exiſtente falſa propoſitione vel in totum, vel in partem ſequi cōcluſionem veram; & hoc idem etiam euenire maiori vniuerſali exiſtente vera, & minori particulari falſa, vel inſuper vtriſque falſis exiſtentibus propoſitionibus. In præſenti autem patefacit, quòd ſi maior propoſitio extiterit in totum falſa tum in prima, tum in ſecunda iugatione particulari, cō-

cluſio

clusio ſequitur vera. In prima namque iugatione particulari contingit A maiorem extremitatem nulli B medio ineſſe, & idem A ineſſe alicui C minori extremo, cum & B medium alicui C minori extremo inſit. Si itaque ſumantur hi termini, Animal, Nix. Album tali pacto, omnis nix animal, aliquod album nix, ergo aliquod album animal, maior erit falſa in totum, cum eius contraria ſit vera, nulla nix animal, & concluſio ſequitur vera, vt videtur. Simili modo in ſecunda iugatione particulari contingit A maius extremum omni B medio ineſſe; & inſuper idem A alicui C minori extremo non ineſſe, cum & B medium eidem C minori extremo particulariter inſit. In his namque terminis, Animali, Pulchro, Magno, ſi fiat ſecunda iugatio particularis, nullus homo animal, aliquod album homo; ergo aliquod album non eſt animal, maiori exiſtente falſa, cum eius contraria ſit vera, omnis homo animal, cõcluſio ſequitur vera. Dicit igitur: *In particularibus autem ſyllogiſmis*. In ſyllogiſmis particulariter concludentibus primæ figuræ, *contingit ex prima propoſitione tota falſa exiſtente*, contingit maiori propoſitione exiſtente falſa ſecundum totũ, altera autem vera, & minori propoſitione vera exiſtente, *veram eſſe concluſionem*, ſequi concluſionem veram, *& A, B in aliquo falſa exiſtente*, & inſuper contingit ſequi concluſionem veram, maiori propoſitione exiſtente falſa ſecundum quid, *B, C autem vera*, & minori propoſitione exiſtente vera, *& A, B quidem vera*, vlteriusq́; contingit veram exiſtere concluſionẽ, maiori vniuerſali propoſitione exiſtente vera; *particulari autẽ falſa*, & minori particulari propoſitione exiſtente falſa, *& vtriſque exiſtentibus falſis*, & etiam contingit ſequi concluſionem veram vtriſque propoſitionibus, & maiori & minori falſis exiſtentibus: *nihil enim prohibet A, B quidem nulli ineſſe*; quoniam nihil prohibet, quin A maius extremum nulli inſit B medio, *C autem alicui*, & idem A inſit alicui C minori extremo, *& B alicui C ineſſe*, cum & B medium inſit alicui C minori extremo, *vt animal nulli nivi*, veluti in terminis, animal, quod eſt maius extremũ, nulli niui medio inſit, *albo autem alicui inſit*, & idem animal inſit alicui albo minori extremo, *& nix albo alicui*, & nix medium alicui albo minori extremo inſit. *Si ergo ponatur medium nix*. Sumpta itaque niue pro medio, *primum autem animal*, & animali ſumpto pro maiori extremo, *& ſumatur A quidem toti B ineſſe*, ſi ſumatur A maius extremum omni B medio ineſſe in maiori propoſitione, *B autem alicui C*, & B medium ineſſe alicui C minori extremo in minori propoſitione, *A, B tota falſa*, maiori exiſtente in totum falſa, *B, C autem vera*, & minori exiſtente vera, *& concluſio vera*, ſequitur vera concluſio, in qua maius extremum alicui C minori extremo inerit. *Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B* propoſitio. Simili modo ſe habet etiam exiſtẽte maiori vniuerſali negatiua, nullum B eſt A, vt in ſecunda iugatione particulari: *poſſibile eſt enim A, B qui-*

A *dem toti ineſſe*, quoniam contingit A maius extremum omni B medio ineſſe, *C autem alicui non ineſſe*, & idem A non ineſſe alicui C minori extremo, *B verò alicui C ineſſe*, cum B mediũ alicui C minori extremo inſit, *vt animal homini omni eſt*, veluti animal maius extremum ineſt omni homini medio: *album autem aliquod non ſequitur*, & idem animal non ineſt alicui albo minori extremo; *homo verò alicui albo ineſt*, cum homo mediũ inſit alicui albo minori extremo. *Quare ſi medio poſito homine*. Quare ſi poſito homine pro me-
B dio, *ſumatur A nulli B ineſſe*, ſumatur A maius extremum nulli B medio ineſſe in maiori propoſitione, *& B alicui C*, & ſumatur B medium ineſſe alicui C minori extremo in minori propoſitione, *vera ſit concluſio*, ſequitur concluſio vera, *cum ſit tota falſa A, B propoſitio*, maiori propoſitione exiſtente falſa in totum, in qua A maius extremum nulli B medio ineſt. Sequitur textus.

Et ſi in aliquo ſit falſa A, B pro-
C poſitio, B, C vera exiſtente erit concluſio vera; nihil enim prohibet A, & B, & C alicui ineſſe; B autem alicui C, vt animal alicui pulchro, & alicui magno, & pulchrum alicui magno ineſt Si ergo ſumatur A omni B; & B alicui C, & A, B quidem propoſitio in aliquo falſa erit, B, C
D autem vera, & concluſio vera. Similiter & cum priuatiua eſt A, B propoſitio; nam iidem erunt termini, & ſimiliter poſiti ad demonſtrationem.

Ponit maiori exiſtente falſa ſecundum quid veram concluſionem ſequi in vtriſque iugationibus particularibus, quoniam in prima particulari iugatione contingit A maiorem extremita-
E tem B medio, & C minori extremo particulariter ineſſe cum idem B medium, C minori extremo particulariter inſit: propterea ſi ſumantur termini, Animal, Pulchrum, Magnum in hunc modum, omne pulchrum animal, aliquod magnum pulchrum, ergo aliquod magnum animal, concluſio erit vera ex maiori propoſitione falſa ſecundum partem; ſiquidem ipſius contradictoria eſt vera, aliquod pulchrum non eſt animal. Similiter in ſecunda particulari iugatio-
F ne in iiſdem terminis videre eſt, quomodo ex maiori propoſitione in partem falſa verum ſyllogizetur, veluti nullum pulchrum animal, aliquod magnũ pulchrum, ergo aliquod magnum non eſt animal: concluſio namque vera maiori exiſtente falſa in partem. quoniam vera ipſius contradictoria, aliquod pulchrum animal. Hæc habẽtur in his verbis: *Et ſi in aliquo ſit falſa*

A, B propoſitio. Et inſuper maiori propoſitione exiſtente falſa in partem, *B, C vera exiſtente,* minori exiſtente vera, *erit concluſio vera,* ſequetur vera concluſio: *nihil enim prohibet A, & B, & C alicui ineſſe.* Contingit nãque A maius extremũ, & B medio, & C minori extremo particulariter ineſſe, *B autem alicui C,* cum B medium alicui C minori extremo particulariter inſit, *vt animal alicui pulchro,* veluti in terminis, animal maius extremum contingit alicui pulchro ineſſe, *& alicui magno,* & etiam contingit idem animal ineſſe alicui magno, *& pulchrũ alicui magno,* cum pulchrũ medium alicui magno minori extremo inſit. *Si ergo ſumatur A,* maius extremum, *omni B,* medio ineſſe in maiori propoſitione, *& B,* medium, *alicui C,* minori extremo ineſſe in minori ꝓpoſitione, *& A, B quidem propoſitio in aliquo falſa erit,* maior propoſitio, omne B eſt A, erit in partem falſa, *B, C autem vera,* & minor propoſitio; aliquod C eſt B, erit vera, *& concluſio vera,* & vera ſequitur cõcluſio, aliquod C eſt A. *Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B propoſitio.* Simili modo verum ſequitur ex maiori in partem falſa, eadem exiſtente vniuerſali negatiua, vti in ſecunda particulari iugatione, nullum B eſt A; *nam iidẽ erunt termini, & ſimiliter poſiti ad demonſtrationem:* in iiſdem terminis eodem modo ſumptis hoc videri poteſt, vt poſuimus. Sequitur textus.

Rurſus ſi A, B quidem vera, B, C autem falſa, vera erit concluſio; nihil enim prohibet A quidem toti ineſſe B, C autem alicui, & B nulli C ineſſe, vt animal; cygno quidem omni, nigro autem alicui, cygnus verò nulli nigro. Quare ſi ſumatur A omni B, & B alicui C, vera erit concluſio, cum ſit falſa B, C. Similiter autem & priuatiua ſumpta, A, B propoſitione; poſſibile enim A, B quidem nulli, C autem alicui non ineſſe, & B nulli C, vt genus ex alio genere ſpeciei, & accidenti eius ſpeciebus; nam animal quidem numero nulli ineſt, albo verò non alicui, numerus autem nulli albo. Si ergo medium ponatur numerus, & ſumatur A quidem nulli B, B autem alicui C, A alicui C non inerit; quod fuit uerum, cum A, B quidem ſit propoſitio uera, B, C autem falſa.

A Determinat, quòd ſi ſumatur maior propoſitio vniuerſalis vera, & minor particularis falſa, concluſio ſequitur vera in vtriſque iugationibus particularibus. In prima, quoniam contingit A maius extremum omni B medio ineſſe, & alicui C minori extremo, cum B medium nulli C minori extremo inſit, vt ſumptis terminis, Animali, Cygno, Nigro, in quibus formetur huiuſcemodi ratiocinatio, omnis cygnus animal, aliquod nigrum cygnus; ergo aliquod nigrum animal: concluſio namque vera, minori particulari propoſitione falſa exiſtente, cum ipſius contradictoria vera ſit, nullum nigrum cygnus. In ſecunda particulari iugatione ex maiori ꝓpoſitione vniuerſali vera, & minori particulari falſa verum ratiocinatur; quia nihil prohibet A maius extremum, nulli B medio ineſſe: & inſuper idem A alicui C minori extremo non ineſſe, cum B medium nulli C minori extremo inſit, ſumpto ſcilicet genere aliquo comparato ad ſpeciem, & accidens, ſub alio, & ex alio genere poſita, veluti animali comparato ad numerum, qui eſt

C ſpecies qualitatis, & album, quod eſt accidens diuerſi generis a qualitate videlicet, nullus numerus animal, aliquod albũ numerus, ergo aliquod album non eſt animal: concluſio enim eſt vera, & minor particularis falſa: ſiquidem contradictoria ipſius eſt vera, nullum albũ numerus, ideo dicit: *Rurſus ſi A, B quidem vera.* Præterea maiori vniuerſali propoſitione exiſtente vera in particularibus ſyllogiſmis, *B, C autem falſa,* & minori particulari exiſtente falſa, *vera erit concluſio,* ſequetur concluſio vera: *nihil enim prohibet A*

D *quidem toti ineſſe B:* quoniã nihil prohibet, quin A maius extremum omni B medio inſit, *C autem alicui,* & idem A inſit alicui C minori extremo, *& B nulli C ineſſe,* & B medium inſit nulli C minori extremo, *vt animal cygno quidem omni,* veluti in his terminis, Animali, Cygno, Nigro, animal, quod eſt maius extremum, ineſt omni cygno, *nigro autem alicui,* & idem animal maius extremum ineſt alicui nigro; *cygnus verò nulli nigro,* cum cygnus medium nulli inſit nigro, quod

E eſt minus extremum: *quare ſi ſumatur A,* quod eſt maius extremum, *omni B,* quod eſt mediũ ineſſe in maiori propoſitione, *& B,* quod idem eſt medium, *alicui C,* quod eſt minus extremum, ineſſe in minori propoſitione, *vera erit concluſio,* ſequetur concluſio vera, aliquod C, A, *cum ſit falſa C, B,* minori propoſitione particulari, aliquod C, B falſa exiſtente: *Similiter autem & priuatiua, ſumpta A, B propoſitione.* Simili modo in ſecunda iugatione, in qua vniuerſalis negatiua extiterit maior propoſitio, cum ipſa extiterit vera, & minor

F particularis falſa, verum ſyllogizabitur. *Poſſibile enim A, B quidem nulli;* quoniam contingit A maius extremum nulli B medio ineſſe, *C autem alicui non ineſſe,* & idem A alicui C minori extremo non ineſſe, *& B nulli C,* cum B medium eidem C minori extremo nulli inſit, *vt genus ex alio genere ſpeciei, & accidenti eius ſpeciebus,* ſicuti ſe habet genus ad ſpeciem, & accidens diuerſorum

generum; *nam animal quidem numero nulli ineſt*; quoniam animal maius extremum nulli numero ineſt, *albo verò non alicui*, & idem animal alicui albo non ineſt, *numerus autem nulli albo*, cum numerus medium nulli albo minori extremo inſit. *Si ergo mediū ponatur numerus*. Sumpto itaque numero pro medio, *& ſumatur A quidem nulli B*, & poſitum fuerit A maius extremūm nulli B medio ineſſe in maiori propoſitione, *B autē alicui C*, & B mediū alicui C minori extremo ineſſe in minori propoſitione, *A alicui C non inerit*, ſequitur, quòd A maius extremū alicui C minori extremo nō inſit in concluſione, *quod fuit uerū*: quæ concluſio erit vera, *cum A, B, quidem ſit propoſitio vera*, maiori propoſitione vniuerſali exiſtente vera, *B, C autem falſa*; & minori propoſitione particulari falſa exiſtente.

Et ſi in aliquo ſit falſa A, B; falſa autem & B, C, erit concluſio vera: nihil enim prohibet A alicui B, & alicui C ineſſe vtrique, B autem nulli C, vt ſi B ſit contrarium ipſi C, & ambo accidentia eidem generi, nam animal alicui albo, & alicui nigro ineſt, album autem nulli nigro ineſt. Si ergo ſumatur A omni B, & B alicui C, vera erit concluſio, & priuatiua quidem ſumpta A, B ſimiliter: nam iidem termini, & ſimiliter ponentur ad demonſtrationem.

Ponit maiori propoſitione falſa exiſtenee ſecundum partem, & minori quoque falſa vera ſequi concluſionem tum in prima, tum in ſecunda iugatione particulari; quoniam contingit A maius extremum alicui B medio, & alicui C minori extremo ineſſe, cum B medium nulli C minori extremo inſit; ſicut ſe habet genus comparatum ad duo contraria accidentia alterius generis, veluti animal ad album & nigrum: in his enim terminis, facta ratiocinatione, omne album animal, aliquod nigrum album, ſequitur concluſio vera, aliquod nigrum animal, cum maior ſit falſa ſecundū quid, quoniam eius contradictoria eſt vera, aliquod album non eſt animal; & pariter minor falſa ſit, exiſtēte vera eius contraria, nullum nigrum album. Similiter ſe habet in ſecunda iugatione particulari, vt patet in iiſdem terminis, nullū album animal, aliquod nigrū album; ergo aliquod nigrum non eſt animal, & dicit: *Et ſi in aliquo ſit falſa A, B*. Inſuper falſa etiam exiſtente in partem maiori propoſitione, *falſa autem & B, C*, & falſa exiſtente minori propoſitione, *erit concluſio vera*, ſequetur vera concluſio: *nihil enim prohibet A alicui B*, quoniā contingit A maius extremū alicui B medio in-

A eſſe, *& alicui C ineſſe vtrique*, & idem A ineſſe alicui C minori extremo, *B autem nulli C*, cum B medium nulli C minori extremo inſit, *vt ſi B ſit contrarium ipſi C*, veluti ſi ſumantur termini inuicem ſic ſe habentes, vt B medium ſit contrarium C minori extremo, *& ambo accidentia eidē generi*, & ambo hæc contraria ſint accidentia eidem generi; *nam animal alicui albo, & alicui nigro ineſt*, quoniam animal, quod eſt genus, & maius extremū, ineſt alicui albo, & alicui nigro; *album autē nulli nigro ineſt*, cum album, quod eſt mediū

B. nulli nigro, quod eſt minus extemum, inſit. *Si ergo ſumatur A*, maius extremum, *omni B*, medio ineſſe in maiori propoſitione, *& B medium alicui C* minori extremo ineſſe in minori propoſitione, *vera erit concluſio*, ſequetur concluſio vera, *& priuatiua quidem ſumpta A, B ſimiliter*, & idem accidet ſi maior propoſitio fuerit negatiua, vt in ſecunda iugatione particulari, *nam iidem termini & ſimiliter ponentur ad demonſtrationem*. In iiſdem namque terminis ſimul ſumptis in ordine medii, & extremorum eſt hoc demon-

C ſtrare. Sequitur textus.

Et ex vtriſque falſis erit concluſio vera: poſſibile eſt enim A, B quidem nulli, C autem alicui ineſſe, B verò nulli C, vt genus ex alio genere ſpeciei, & accidenti ſpeciebus eius; animal enim numero qui-

D dem nulli, albo verò alicui ineſt, & numerus nulli albo. Si ergo ſumatur A omni B, & B alicui C, concluſio quidem uera, propoſitiones uerò ambæ falſæ. Similiter autem & cum priuatiua eſt A B; nihil enim prohibet A, B quidem toti ineſſe, C autem alicui non in-

E eſſe, & neque B nulli C, ut animal cygno quidem omni, nigro autem alicui non ineſt, cygnus uerò nulli nigro. Quare ſi ſumatur A nulli B, B autem alicui C, A alicui C non inerit, ergo concluſio quidem uera, propoſitiones autem

F falſæ.

In hac poſtrema parte capitis oſtendit Ariſtoteles etiam ex vtriſque falſis propoſitionibus in particularibus ſyllogiſmis veram concluſionem colligi. In primo ſiquidē contingit A maius extremū nulli B medio ineſſe, & idē A ineſſe alicui C minori extremo cū B mediū nulli C minori extremo inſit, cōparato. ſ. genere aliquo ad ſpeciē,

& accidens, quod accidit ſpeciei ex alio genere ſumptæ, vtputa animali ad numerum, & album. In his namque terminis, Animali, Numero, & Albo, formata ratiocinatione, omnis numerus animal, aliquod album numerus; ergo aliquod album animal, concluſio exiſtit vera, cum maior ſit falſa, quoniam contraria ipſius eſt vera, nullus numerus animal; & inſuper falſa ſit etiã minor, quia ſua contraria eſt vera, nullum album numerus. In ſecunda iugatione etiam contingit ex vtriſque falſis ſequi concluſionem veram, quoniam A maius extremum omni B medio ineſſe B poteſt, & idem A non ineſſe alicui C minori extremo, cum B medium nulli C minori extremo inſit, vt ſumptis terminis, Animali, Cigno, Nigro. Facta itaque ratiocinatione in ipſis; nullus cygnus animal, aliquod nigrum cygnus; ergo aliquod nigrũ non eſt animal, ſequitur vera concluſio ex vtriſque falſis propoſitionibus, vt patet, & dicit: *Ex vtriſque falſis erit concluſio vera.* Exiſtentibus etiã ambabus propoſitionibus falſis in particularibus iugationibus concluſio ſequetur vera: *poſſibile eſt enim A, B, quidem nulli;* C quoniam contingit A maius extremum nulli B medio ineſſe, *C autem alicui ineſſe*, & idem A ineſſe alicui C minori extremo, *B verò nulli C*, cum B medium nulli C minori extremo inſit, *vt genus ex alio genere ſpeciei, & accidenti ſpeciebus eius*, ſicut genus comparatum ad ſpeciẽ, & accidens, quod accidit ſpeciebus ex alio genere ſumptis: *animal enim numero quidem nulli:* animal nãque, genus, quod eſt maius extremũ, nulli numero ineſt, *albo verò alicui ineſt*, et eidem animal ineſt alicui albo, *& numerus nulli albo*, cum numerus medium nulli albo minori extremo inſit. *Si ergo ſumatur A*, quod eſt maius extremũ, *omni B*, quod eſt medium ineſſe in maiori propoſitione, *& B*, quod eſt medium, *alicui C*, ineſſe alicui C minori extremo in minori propoſitione, *concluſio quidem vera*, ſequitur vera concluſio, aliquod C eſt A, *propoſitiones verò ambæ falſæ*, vtriſque verò propoſitionibus falſis exiſtentibus. *Similiter autem & cum priuatiua eſt A, B.* Simili modo ex falſis verum ſequitur, quando maior propoſitio E eſt negatiua, nullum B eſt A, vt in ſecunda iugatione particulari: *nihil enim prohibet A, B quidẽ toti ineſſe*, quoniam contingit A maius extremũ omni B medio ineſſe, *C autem alicui non ineſſe*, & idem A non ineſſe alicui C minori extremo, *& neque B nulli C*, cum nec B medium vlli C minori extremo inſit, *vt animal*, quod eſt maius extremum, *Cygno quidem omni*, quod eſt medium, ineſt; *nigro autem alicui non ineſt*, & idem animal nõ ineſt alicui nigro, quod eſt minus extremũ, *cygnus verò nulli nigro*, cum nec cygnus medium vlli nigro minori extremo inſit. *Quare ſi ſumatur* F *A*, quod eſt maius extremum, *nulli B*, quod eſt medium ineſſe in maiori propoſitione, *B autem*, quod eſt medium, *alicui C*, quod eſt minus extremum ineſſe in minori propoſitione, *A*, quod eſt maius extremum, *alicui C non inerit*, non inerit alicui C minori extremo in concluſione. *Ergo concluſio quidem vera, propoſitiones autem falſæ.* Concluſio igitur ſequitur vera ex vtriſque falſis propoſitionibus. Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super capite II. quòd ex falſis in prima figura verum colligatur pro Iures ſtudioſis.

Habuimus in hoc Capite, quòd & ex vtriſque veris propoſitionibus in prima figura, & ex vtriſque falſis, & ex vna vera, & altera falſa contingit verum colligere, tradita quadam falſi diſtinctione, quam non refero,

Hoc idem in Iure quoque exemplificari licet.

Ex vtriſque veris ſi deſumantur termini in l. aut facta. ff. de pœnis. & in tit. Inſtit. de obligationib. quæ ex delicto. in prin.

In prima iugatione.

BAR Omne delictum debet puniri.
C BA Omne furtum eſt delictum, ergo
RA Omne furtum debet puniri.

In ſecunda iugatione.

CE Nullum delictum impunitum.
LA Omne furtum eſt delictum, ergo
RENT Nullum furtum impunitum.

In tertia iugatione.

DA Omne delictum debet puniri.
RI Aliquod furtum eſt delictum, ergo
I Aliquod furtum debet puniri.

In quarta iugatione.

D FE Nullum delictum impunitum.
RI Aliquod furtum eſt delictum, ergo
O Aliquod furtum non impunitum.

Ex vtriſque falſis ſi deſumantur termini in tit. Inſtit. de teſt. & de don.

In prima iugatione.

BAR Omnis donatio reuocabilis.
BA Omne teſtamentum donatio, ergo
RA Omne teſtamentum reuocabile.

In ſecunda iugatione.

E CE Nulla donatio irreuocabilis.
LA Omne teſtamentum donatio, ergo
RENT Nullum teſtamentum irreuocabile.

In tertia iugatione.

DA Omnis donatio reuocabilis.
RI Aliquod teſtamentum donatio, ergo
I Aliquod teſtamentum reuocabile.

In quarta iugatione.

FE Nulla donatio irreuocabilis.
RI Aliquod teſtamantum donatio, ergo
O Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile.

Ex vna vera, & altera falſa, & in primis, ex maiori vera, & minori falſa, ſi deſumantur termini in tit. Inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alie. iur.

In prima iugatione.

BAR Omnis pupillus eſt ſub aliena poteſtate
BA Omnis ſeruus eſt pupillus, ergo
RA Omnis ſeruus eſt ſub aliena poteſtate.

In.

In ſecunda iugatione.

CE Nullus pupillus eſt ſui iuris.
LA Omnis ſeruus eſt pupillus, ergo
RENT Nullus ſeruus eſt ſui iuris.

In tertia iugatione.

DA Omnis pupillus eſt ſub aliena poteſtate.
RI Aliquis maior quatuordecim annorum eſt pupillus, ergo
I Aliquis maior quatuordecim annorum eſt ſub aliena poteſtate.

In quarta iugatione.

FE Nullus pupillus eſt ſui iuris.
RI Aliquis maior quatuordecim annorum eſt pupillus, ergo
O Aliquis maior quatuordecim annorũ non eſt ſui iuris.

E conuerſo autem ex maiori falſa, & minori vera ſumptis terminis in tit. ff. ad leg. Iul. de adult.

In prima iugatione.

BAR Omnis coitus eſt punibilis.
BA Omne adulterium eſt coitus, ergo
RA Omne adulterium eſt punibile.

In ſecunda iugatione.

CE Nullus coitus eſt permiſſibilis.
LA Omne adulterium eſt coitus, ergo
RENT Nullum adulterium eſt permiſſibile.

In tertia iugatione.

DA Omnis coitus eſt punibilis.
RI Aliquod adulterium eſt coitus, ergo
I Aliquod adulterium eſt punibile.

In quarta iugatione.

FE Nullus coitus eſt permiſſibilis.
RI Aliquod adulterium eſt coitus, ergo
O Aliquod adulterium non eſt permiſſibile.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite in gratiam Iuriſperitorum.

Quod colligatur uerum ex falſis in ſecunda figura. Cap. III.

IN media autem figura omnino cõtingit per falſa verum ſyllogizare, & vtriſque propoſitionibus totis falſis ſumptis, & hac quidem vera, illa tota falſa, vtralibet falſa poſita, & ſi vtræque in aliquo falſæ; & ſi hæc quidem ſimpliciter vera, illa autem in aliquo falſa, & in vniuerſalibus, & in particularibus ſyllogiſmis. Si enim A, B quidem nulli ineſt, C autem omni, vt lapidi animal quidem nulli, homini autem omni. Si cõtra- A riæ ponantur propoſitiones, & ſi ſumatur A, B quidem omni, C verò nulli, ex falſis totis propoſitionibus erit vera concluſio. Similiter autem & ſi A ineſt B quidem omni, C verò nulli, nam idem erit ſyllogiſmus.

Expleta prima figura, tranſit ad ſecundam, & ponit quod etiam in ſecunda figura contingit B ex falſis verum colligere: proponit autem ſe declaraturũ, quòd & ex vtriſque propoſitionibus falſis ſecundum totum, & ex vna propoſitione vera, & altera falſa ſecundum totum, vtralibet ſit, & ex vtriſque falſis ſecundum quid; & inſuper ex vna vera ſecundum totum, & altera falſa ſecundũ quid, verum ſyllogizari poteſt tũ in vniuerſalibus, tũ in particularibus iugationibus; & in primis determinat, quòd ex vtriſque propoſitionibus falſis verũ contingit ſyllogizari, quod oſtẽdit in præsẽti parte in duabus primis iugatio C nibus vniuerſalibus; in ſecũda quãdo ſumptis A pro medio, B pro maiori extremo, C pro minori extremo, A mediũ nulli B maiori extremo poteſt ineſſe, & idẽ A etiã poteſt ineſſe omni C minori extremo, veluti in terminis, Animali, Lapidi, Equo, animal ineſt nulli lapidi, & omni equo, ita vt veræ ſint propoſitiones, nullus lapis animal, omnis equus animal; quapropter ſi hæ veræ in contrarias falſas mutentur, omnis lapis animal, nullus equus animal; ſequitur concluſio vera in ſecũda iugatione, quòd nullus equus lapis, D pariter in prima iugatione cõtingit A medium ineſſe omni B maiori extremo, & nulli ineſſe C minori extremo, veluti in iiſdem terminis cum Magno Alberto tranſmutatis propoſitionibus, omnis equus eſt animal, nullus lapis eſt animal, in contrarias falſas, nullus equus eſt animal, omnis lapis eſt animal, ex quibus ſequitur, quòd nullus lapis ſit equus, vel etiam cũ Philopono ſumptis terminis, Animali, Homine, Lapide: animal enim ineſt omni homini, & nulli lapidi, & ſic ef- E ficiuntur propoſitiones veræ, omnis homo animal, nullus lapis animal. Ex his igitur in contrarias mutatis, nullus homo animal, omnis lapis animal, ſequitur in prima iugatione concluſio vera, nullus lapis homo; ideo dicit: *In media autem figura omnino contingit per falſa verum ſyllogizare.* In ſecunda figura ex falſis propoſitionibus vera concluſio colligi poteſt, *& vtriſque propoſitionibus totis falſis ſumptis*, tum ſi ambæ propoſitiones ſumantur falſæ ſecundum totum, *& hac quidem vera, illa tota falſa*, tum ſi vna propoſitionum F vera extiterit, altera falſa ſecnudũ totũ, *vtralibet falſa poſita*, ſiue maior, ſiue minor ponatur falſa, *& ſi vtraque in aliquo falſæ*, & adhuc inſuper ex falſis propoſitionibus verum eſt concludere, ſi ambæ falſæ ponantur ſecundum partem, *& ſi hac quidem ſimpliciter vera, illa autem in aliquo falſa*, vel etiam ſi vna propoſitionum omnino ſit vera, & altera falſa ſecundum partem, *& in vniuerſalibus,*

ſalibus, & in particularibus ſyllogiſmis, tum in iuga
tionibus particulariter concludentibus, tum in
concludentibus vniuerſaliter, in omnibus ſecun
dæ figuræ iugationibus. *Si enim A, B quidem nulli
ineſt.* Si namque vera ſit propoſitio, in qua A me-
dium nulli B maiori extremo ineſt, *C autē omni*;
& vera ſit propoſitio, in qua idem A omni C mi-
nori extremo ineſt, *vt lapidi animal quidem nulli*,
vel vti propoſitio, nullus lapis animal, *homini au-
tem omni*, & ea propoſitio, quæ habet, quòd om-
nis homo animal, *ſi contrariæ ponantur propoſitio-
nes*, ſi ſumantur propoſitiones, quæ dictis veris
contrarie opponuntur, *& ſi ſumatur A*, quod eſt
medium, *B quidem omni*, quod eſt maius extre-
mum, ineſſe in maiori propoſitione, *C verò nul
li*, & idē A nulli C minori extremo ineſſe in mi-
nori propoſitione, *ex falſis totis propoſitionibus*, ex
vtriſque propoſitionibus falſis ſecūdum totum,
vera erit concluſio, ſequetur cōcluſio vera, in qua
B maius extremum nulli C minori extremo in-
erit. *Similiter autem et ſi A ineſt B quidem omni.* Si-
mili modo ſe habet, ſi vera ſit propoſitio, in qua
A medium omni C maiori extremo inſit, *C verò
nulli*, & vera quoque ſit ea, in qua idem A nulli C
minori extremo ineſt; *nam idem erit ſyllogiſmus*:
quoniam ſi hæ in contrarias mutentur, ſequetur
eadem ratiocinatio, in qua ſcilicet concluſio col
ligitur vera.

Rurſum ſi alrera quidem tota fal
ſa, altera autem tota vera; nihil enim
prohibet A, & B, & C omni ineſſe, B
autem nulli C, vt genus non ſubal-
ternis ſpeciebus, nā animal, & equo
omni, & homini ineſt, & nullus ho-
mo equus. Si ergo ſumatur animal
huic quidem omni, illi verò nulli in-
eſſe, hæc quidem erit falſa, illa verò
tota vera, & concluſio vera ad quod-
libet poſito priuatiuo.

Docuit ex vtriſque falſis propoſitionibus ſe-
cundum totum verum ſyllogizari, nunc ponit
ex vna falſa ſecundum totum, & altera in totum
vera idem ſequi poſſe tum in prima, tum in ſe-
cunda iugatione, quoniam cōtingit A medium,
& omni B maiori extremo, & omni C minori ex
tremo ineſſe, cum B maius extremū nulli C mi-
nori extremo inſit, ſicut ſe habet genus ad ſpe-
cies nō ſubalternas, ſed ęquales, veluti animal
ad equū, & hominem: animal etenim, quod me-
diū eſt, & equo omni, & homini omni ineſt, cum
equus nulli homini inſit. Si itaque formetur vel
prima iugatio, nullus equus animal, omnis ho-
mo animal, vel ſecūda iugatio, omnis homo ani-
mal, nullus equus animal, in iiſdem terminis ex
vna propoſitione falſa ſecundum totum, & alte
ra vera in totum, ſequitur concluſio vera, tum in
prima iugatione, videlicet nullus homo equus,

A tū in ſecunda, nullus equus homo, & inquit: *Rur-
ſum ſi altera quidem tota falſa, altera autem tota ve-
ra.* Præterea ſi propoſitionum vna ſit falſa ſecun
dum totum, & vna ſimili modo in totum vera,
concluſio ſequitur vera: *nihil enim prohibet A, &
B, & C omni ineſſe*, quoniam cōtingit A medium
omni B maiori extremo, & omni C minori ex-
tremo ineſſe; *B autem nulli C*, cum B maius ex-
tremum nulli C minori extremo inſit, *vt genus
non ſubalternis ſpeciebus*, ſicuti ſe habet genus ad
ſpecies non ſubalternas, ſed ęquales, *nam animal*,
B quod eſt medium, *& equo omni*, qui eſt vnus ter-
minorum, *& homini*, qui eſt alius terminorū vni-
uerſaliter ineſſe poteſt, *& nullus homo equus*, &
vera eſt propoſitio, quę dicit, quòd nullus homo
equus. *Si ergo ſumatur animal*, quod eſt medium,
huic quidem omni, vni terminorum vniuerſaliter
ineſſe, *illi verò nulli*, & alteri terminorum vniuer
ſaliter non ineſſe, *hæc quidem erit falſa*, vna quidē
propoſitio erit falſa ſecundum totum, *illa verò
tota vera*, & altera in totum vera, *& concluſio ve-
ra*, & ex huiuſmodi prpoſitionibus ſequetur ve-
C ra cōcluſio, *ad quodlibet poſito priuatiuo*, ad quod-
libet extremorum ſiue maius, ſiue minus pona-
tur ſignum negatiuum, & ſiue maior propoſitio,
vt in prima iugatione, ſiue minor, vt in ſecunda
fuerit priuatiua.

Et ſi altera in aliquo falſa, altera
autem tota vera; poſſibile eſt enim
A, B quidem alicui ineſſe, C autem
omni, & B nulli C, vt animal albo
D quidem alicui; coruo autem omni,
album verò nulli coruo. Si ergo ſuma
tur A, B quidem nulli, C autem toti
ineſſe, A, B quidem propoſitio in ali-
quo falſa eſt, A, C autem tota vera,
& concluſio vera, & tranſpoſita qui-
dem priuatiua ſimiliter; nam per eoſ-
dem terminos demonſtratio, & ſi af-
E firmatiua quidem propoſitio in ali-
quo falſa, priuatiua autem tota vera;
nihil enim prohibet A, B quidem ali-
cui ineſſe, C autem toti non ineſ-
ſe, & B nulli C, vt animal albo qui-
dem alicui; pici autem nulli, album
verò nulli pici: quare ſi ſumatur A to
F ti B ineſſe, C autē nulli, A B quidem
in aliquo falſa, A, C autem tota vera,
& concluſio vera.

Oſtendit Ariſtoteles ex vna propoſitione fal
ſa ſecundum quid, & altera vera ſecundum to-
tum, ſequi concluſionem veram vel ſit falſa pri-
uatiua,

…atiua, vel affirmatiua; quando priuatiua, quoniam contingit A medium alicui B maiori extremo ineſſe, & idem A medium ineſſe omni C minori extremo, cum B maius extremum nulli C minori extremo inſit, veluti in terminis, Animali, Albo, Coruo, animal quod eſt medium ineſt alicui albo, & idem animal ineſt omni coruo, cum album nulli coruo inſit. Si itaque in his terminis formetur ratiocinatio in prima iugatione, nullum album animal, omnis coruus animal; ergo nullus coruus albus, concluſio erit vera, falſa exiſtente maiori propoſitione priuatiua ſecundũ quid, & minori propoſitione affirmatiua vera ſecundum totum, quod ſi etiam negatiua ad minorẽ propoſitionem tranſponatur in iiſdem terminis eadem vera erit concluſio, ex vna propoſitione falſa ſecundum quid negatiua, & ex altera affirmatiua in totum vera, omnis coruus animal, nullum album animal; ergo nullum album coruus, eadem quoque concluſio ſequitur vera, quando affirmatiua eſt falſa ſecundum quid, & priuatiua vera in totũ; quoniam nihil prohibet A medium alicui B maiori extremo ineſſe, & idem medium omni C minori extremo non ineſſe, cum B maius extremum nulli inſit C minori extremo, veluti in terminis, Animali, Albo, Pici: quapropter ſi formetur ratiocinatio in huiuſmodi terminis in prima iugatione, nulla pix animal, omne album animal: ergo nllũ album pix, & in ſecunda iugatione tranſpoſita priuatiua ad minorem ptopoſitionem, omne album animal, nulla pix animal; ergo nulla pix album, concluſio in vtriſque ſequitur vera, exiſtente affirmatiua falſa ſecundum quid, & negatiua in totum vera, & hæc habentur quando dicit, *Et ſi altera in aliquo falſa, altera autem tota vera*, erit etiam vera cõcluſio, ſi vna propoſitionum ſit falſa, ſecundum partem, & altera propoſitionum ſit vera ſecundum totum: *poſſibile eſt enim A, B quidem alicui ineſſe*. Contingit namque A medium alicui B maiori extremo ineſſe, *C autem omni*, & idem A ineſſe C minori extremo, *& B nulli C*, cum B maius extremum nulli C minori extremo inſit, *vt animal*, eſt medium quod *albo quidem alicui* ineſt, *coruo autem omni*, & idem animal ineſt omni coruo, *album verò nulli coruo*, cum album nulli coruo inſit. *Si ergo ſumatur A*, quod eſt medium, *B quidem nulli*, quod eſt maius extremum ineſſe in maiori propoſitione, *C autem toti ineſſe*, & idem A omni C minori extremo ineſſe in minori propoſitione, *A, B quidẽ propoſitio in aliquo falſa eſt*, propoſitio maior, nullum B eſt A, eſt falſa ſecũdum quid, *A, C autem tota vera*, & propoſitio minor, omne C eſt A, eſt vera ſecundum totum, *& concluſio vera*, & ex his propoſitionibus ſequitur vera concluſio, quòd nullum C eſt A, *& tranſpoſita quidem priuatiua*, & propoſitione negatiua, nullum B eſt A, poſita in locum minoris propoſitionis, ſimili modo ſequitur concluſio vera, *nam per eoſdem terminos demonſtratio*, quoniã hoc demonſtrari poteſt in iiſdem terminis, Animali, Albo, Coruo, *& ſi affirmatiua quidem propoſitio in aliquo*

A *falſa, priuatiua autem tota vera*: præterea vera ſequitur concluſio, ſi affirmatiua propoſitio ſit falſa ſecundum quid, & negatiua vera ſecundum totum: *nihil enim prohibet A, B quidem alicui ineſſe*, quoniam contingit A medium alicui B maiori extremo ineſſe, *C autem toti non ineſſe*, & idem A omni C minori extremo non ineſſe, *& B nulli C*, cum B maius extremum nulli C minori extremo inſit, *vt animal albo quidem alicui*, veluti ſumptis terminis, Animali, Albo, Pice, animal medium ineſt quidem alicui albo, *pici autem nulli*, &
B idem animal nulli ineſt pici, *album verò nulli pici*, cum etiam album nulli pici inſit: *quare ſi ſumatur A*, quod eſt mediũ, *toti B*, omni B vni terminorum ineſſe, *C autem nulli*, & idem A nulli C ineſſe alteri terminorum, *A, B quidem in aliquo falſa*, propoſitione affirmatiua, omne B eſt A, exiſtente falſa ſecundum quid: *A, C autem tota vera*, & propoſitione negatiua, nullum C eſt A, exiſtente vera ſecundum totum, *& concluſio vera*, ſequitur concluſio vera.

C Et ſi vtreque propoſitiones in aliquo falſæ, erit concluſio vera; poſſibile eſt enim A, & B, & C alicui ineſſe, B autem nulli C, vt animal & albo alicui, & nigro alicui; album verò nulli nigro Si ergo ſumatur A, B quidem omni, C autem nulli, ambæ quidem propoſitiones in aliquo
D falſæ, concluſio autem vera. Similiter autem tranſpoſita priuatiua per terminos.

Ponit inſuper ex vtriſque propoſitionibus falſis ſecundum quid verum ſyllogizari poſſe, ſiquidem contingit A medium & alicui B maiori extremo ineſſe, cum B maius extremum nulli C minori extremo inſit, veluti ſumptis terminis, Animali, Albo, Nigro, animal ineſt & alicui albo, & alicui nigro, cum album nulli ni-
E gro inſit. Si itaque in his terminis formetur iugatio talis, omne album animal, nullum nigrum animal; ergo nullum nigrum album, vel tranſpoſita priuatiua ad minorem propoſitionem, nullum nigrum album, omne album animal, nullum album nigrum in vtriſque ratiocinationibus, vera erit concluſio vtriſque exiſtentibus falſis ſecũdum quid propoſitionibus. Dicit itaque: *Et ſi vtraque propoſitiones in aliquo falſa*. Et exiſtentibus propoſitionibus vtriſque falſis ſecundum quid, *erit concluſio vera*, ſequetur ex ipſis ve-
F ra concluſio: *poſſibile eſt enim A, B, & C alicui ineſſe*, quoniam contingit A medium alicui B maiori extremo; & alicui C minori extremo ineſſe, *B autem nulli C*, cum B maius extremum nulli C minori extremo inſit; *vt animal, & albo alicui, & nigro alicui*, veluti in terminis; animal ineſt & alicui albo, & alicui nigro; *album vero nulli nigro*,

cum album nulli nigro inſit, *Si ergo ſumatur A, B quidem omni*. Si itaque fuerit ſumptũ A medium omni quidem B vni terminorum ineſſe, *C autem nulli*, C vero alteri terminorum nulli idem A ineſſe, *amba quidem propoſitiones in aliquo falſa*: equidem vtræque propoſitiones erunt falſæ ſecundũ quid: *concluſio autem vera*, & concluſio, quę ſequitur ex ipſis, vera exiſtet. *Similiter autẽ tranſpoſita priuatiua per terminos*. Simili modo ſequetur vera cõcluſio ex vtriſque propoſitionibus falſis ſecundum partem, ſi trãſponatur negatiua in locum maioris, vti fit in prima iugatione, & in iiſdẽ terminis, Animali, Albo, Nigro, vt poſuimus

Sequitur textus.

Manifeſtum autem & in particularibus ſyllogiſmis; nihil enim prohibet A, B quidem omni, C autem alicui ineſſe, & B alicui C non ineſſe, vt animal omni homini, album autem alicui; homo verò alicui albo non inerit. Si ergo ponatur A, B quidem nulli ineſſe, C autem alicui ineſſe, vniuerſalis quidem propoſitio tota falſa: particularis autem vera, & concluſio vera. Similiter autem, & affirmatiua, & ſumpta A, B; poſſibile eſt enim A, B quidem nulli, C autem alicui non ineſſe, & B alicui C non ineſſe, ut animal nulli inanimato; albo autem alicui, & inanimatum non inerit alicui albo. Si ergo ponatur A, B quidem omni, C uerò alicui non ineſſe, A, B quidem propoſitio uniuerſalis tota falſa, A, C autem uera, & concluſio uera.

Expeditus de vniuerſalibus iugationibus ſecundæ figuræ procedit ad particulares, & patefacit etiam in ipſis verum ex falſis ſyllogizari; & in primis exiſtente propoſitione vniuerſali falſa ſecundum totum, & particulari vera in vtriſque iugationibus particularibus; in prima quoniam cõtingit A medium omni B maiori extremo ineſſe, & idem A ineſſe alicui C minori extremo, cum B maius extremum alicui C minori extremo particulariter nõ inſit, veluti ſumptis terminis, Animali, Homine, Albo; eſt namque animal medium, quod omni homini ineſt, & alicui albo, cum homo alicui albo non ineſt. Si itaque in his terminis formetur talis ratiocinatio, nullus homo animal, aliquod album animal; ergo aliquod album non eſt homo, vniuerſali exiſtente falſa ſecundum totum, & particulari exiſtente vera, ſequitur concluſio vera. Similiter contingit in

A ſecunda iugatione particulari, quoniã nihil prohibet A medium nulli ineſſe B maiori extremo, & idem A medium alicui C minori extremo nõ ineſſe; cum B maius extremum alicui C minori extremo non ineſt, veluti in terminis, Animali, Inanimato, Albo; animal enim nulli ineſt inanimato, & idem animal alicui albo nõ ineſt, cũ inanimatũ non ineſt alicui albo. Si itaque in his terminis formetur ſecũda iugatio particularis, omne inanimatum animal, aliquod album non eſt animal; ergo aliquod album nõ eſt inanimatum,

B vniuerſali exiſtente falſa in totum, & particulari vera, concluſio ſequetur vera, & dicit: *Manifeſtum autem & in particularibus ſyllogiſmis*. Conſtat etiam verum ex falſo ſyllogizari in iugationibus particularibus ſecundæ figuræ in prima particulari: *nihil enim prohibet A, B quidem omni*, quoniam contingit A mediũ omni B maiori extremo, *C autem alicui ineſſe*, & idem A alicui C minori extremo ineſſe, *& B alicui C non ineſſe*, cum B maius extremum alicui C minori extremo non ineſt, *vt animal omni homini*; veluti in terminis,

C Animali, Homine, Albo, animal medium omni homini ineſt, *albo autem alicui*, & idẽ animal ineſt alicui albo; *homo verò alicui albo nõ inerit*, cum homo alicui albo non inſit. *Si ergo ponatur A*, quod eſt mediũ, *B quidem nulli ineſſe*, nulli B maiori extremo ineſſe in maiori propoſitione, *C autem alicui ineſſe*, & idem A medium ineſſe alicui B minori extremo in minori propoſitione, *vniuerſalis quidẽ propoſitio tota falſa*, in tali ratiocinatione maior propoſitio vniuerſalis eſt quidẽ falſa ſecundum totum, *particularis autem vera*, & mi-

D nor propoſitio particularis vera, *& concluſio vera*, & etiam concluſio eſt vera. *Similiter autem & affirmatiua, & ſumpta A, B*. Similiter ſequitur concluſio vera, ſi propoſitio vniuerſalis affirmatiua, omne B eſt A, maior extiterit, vt in ſecunda iugatione particulari. *Poſſibile eſt enim A, B quidem nulli*, quoniam nihil prohibet A medium nulli B maiori extremo ineſſe, *C autem alicui non ineſſe*, & idem A non ineſſe alicui C minori extremo, *& B alicui C non ineſſe*, cum B maius extremum alicui C minori extremo non ineſt, *ut animal*, eſt me-

E dium, quod *nulli inanimato* ineſt, *albo autem alicui*, & idem animal ineſt alicui albo, *& inanimatum non inerit alicui albo*, cum inanimatum alcui albo nõ ineſt. *Si ergo ponatur A*, quod eſt mediũ, *B quidem omni*, omni B maiori extremo ineſſe in maiori propoſitione, *C verò alicui non ineſſe*, & idẽ A mediũ C minori extremo particulariter non ineſſe; *A, B quidem propoſitio vniuerſalis tota falſa*, propoſitio maior vniuerſalis, omne B eſt A, eſt quidem falſa ſecundum totum, *A, C autem vera*, & minor propoſitio particularis, aliquod C non

F eſt A, vera eſt, *& concluſio vera*; vera inſuper exiſtente concluſione, aliquod C non eſt B.

Et uniuerſali quidem uera poſita; minori autem particulari falſa; nihil enim prohibet A nec B, nec C nul-

lum

ſum ſequi, & B alicui C non ineſſe, vt animal nulli numero, nec inanimato, & numerus aliquod inanimatum non ſequitur. Si ergo ponatur A, B quidem nulli, C autem alicui, & concluſio vera, & vniuerſalis propoſitio vera, particularis autem falſa, affirmatiua autem vniuerſali ſimiliter poſita. Poſſibile eſt enim A, & B, & C toti ineſſe, B autem aliquod C non ſequi, ut genus, ſpeciem & differentiam; nam animal omnem hominem, & totum greſſibile ſequitur, homo uerò nõ omne greſſibile. Quare ſi ſumatur A, B quidem toti ineſſe, C autem alicui non ineſſe, uniuerſalis quidem propoſitio uera, particularis falſa, concluſio autem vera.

Vbi poſuerit vniuerſali exiſtente falſa ſecundum totum, & particulari exiſtente vera colligi concluſionem veram, ponit in præſenti. E conuerſo vniuerſali exiſtente vera, & particulari falſa, eandem concluſionem veram ſequi in vtriſque iugationibus pasticularibus. In prima, quoniam contingit A medium neque B maius extremum, neque C minus extremum ſequi vti prædicatum de ipſis, cum B maius extremum alicui C minori extremo non ineſt, ſicuti in terminis, Animali, Inanimato, Numero, animal medium nulli inanimato, & nulli numero ineſt, & numerus aliquod inanimatum non ſequitur tanquam prædicatum de ipſo. Si namque in his terminis formetur ratiocinatio talis, nullũ inanimatum animal, quidam numerus animal; ergo quidam numerus non eſt inanimatum, vera erit concluſio, vniuerſali quidem negatiua tota vera, particulari affirmatiua falſa, quoniam contingit A medium, & omni B maiori extremo, & omni C minori extremo ineſſe, cum B maius extremum aliquod C minus extremum non ſequatur tanquam prædicatum de ipſo, veluti comparato genere ad ſpeciem, & differentiam; animal enim ſequitur omnem hominem, & omne greſſibile tanquam prædicatum de eis: homo verò non ſequitur omne greſſibile vti prædicatum de eo; propterea ſi formetur ratiocinatio in ſecũda iugatione particulari in his terminis, omnis homo animal, aliquod greſſibile non eſt animal; ergo aliquod greſſibile non eſt homo, erit concluſio vera; affirmatiua vniuerſali exiſtente vera, & negatiua particulari falſa, ideo dicit: *Et vniuerſali quidem vera poſita, minori autem particulari falſa*, exiſtente enam maiori propoſitione vniuerſali vera ſecundum totum, & minori particulari fal

A ſa verum colligitur in concluſione: *nihil enim prohibet A, nec B, nec C nullum ſequi*, quoniam contingit A medium, neque B maius extremum neque C minus extremum ſequi, vt prędicatum de ipſis, *et B alicui C non ineſſe*, & B maius extremum alicui C minori extremo nõ ineſſe, *vt animal nulli numero, nec inanimato*, ſicuti animal; quod eſt medium, neque vlli numero, neque ulli inanimato ineſt, *& numerus aliquod inanimatum non ſequitur*, tanquam ſcilicet prædicatum de ipſo. *Si ergo ponatur A*, quod eſt mediũ, *B quidem*, quod
B eſt maius extremum, *nulli*, ſcilicet ineſſe in maiori propoſitione, *C autem*, quod eſt minus extremum, *alicui*, idem A particulariter ineſſe in minori propoſitione, *& concluſio vera*, vera erit concluſio, *& vniuerſalis propoſitio vera*, & maior propoſitio vniuerſalis vera erit: *particularis autem falſa*, & minor particularis falſa erit: *affirmatiua autem vniuerſali ſimiliter poſita*, ſimiliter ſequitur concluſio vera, ſi vniuerſalis affirmatiua ponatur vera, & particularis negatiua falſa. *Poſſibile eſt enim A, & B, & C toti ineſſe*. Contingit enim
C A medium, & omni B maiori extremo, & omni C minori extremo ineſſe, *B autem aliquod C non ſequi*, cum B maius extremum, aliquod C minus extremnm non ſequatur, vt prædicatum de eo, *vt genus, ſpeciem, & differentiam*, ſicut ſe habet genus comparatum ad ſpeciem, & differentiam; *nam animal*, quod eſt genus, *omnem hominem*, qui eſt ſpecies, *& totum greſſibile*, quod eſt differentia, *ſequitur*, vti prædicatum de ipſis, *homo verò non omne greſſibile*, cum homo non ſequatur omne greſſibile tanquam prædicatum de ipſo. *Qua-*
D *re ſi ſumatur A, B quidem toti ineſſe*: Quapropter ſi ſumptum fuerit A medium, B maiori extremo vniuerſaliter ineſſe in maiori propoſitione, *C autem alicui non ineſſe*; & idem A medium alicui C minori extremo non ineſſe in minori propoſitione, *vniuerſalis quidem propoſitio vera*, vera erit maior propoſitio vniuerſalis, *particularis falſa*, & falſa minor propoſitio particularis, *concluſio autem vera*, vera etiam exiſtente concluſione, aliquod C non eſt B.

E Manifeſtum autem quoniam ex vtriſque falſis erit concluſio vera: ſiquidem contingit A, & B, & C huic quidem omni, illi verò nulli ineſſe; B verò aliquod C non ſequi; nam ſumpto A, B quidem nulli, C autem alicui ineſſe, propoſitones quidem
F ambæ falſæ, concluſio autem vera. Similitter autem & cum prædicatiua fuerit uniuerſalis propoſitio, particularis autem priuatiua; poſſibile eſt enim A, B quidem nullum, C autem omne ſequi, & B alicui C non ineſſe,

ut animal diſciplinam quidem nullã, homine autem omnẽ ſequitur; diſciplina uerò non omnem hominem. Si ergo ſumatur A, B quidem toti ineſſe, C autem aliquod non ſequi, propoſitiones quidem falſæ, concluſio autem uera.

In hac vltima parte capitis oſtendit Ariſtoteles etiam ex vtriſque propoſitionibus falſis ſequi concluſionem veram in particularibus ſyllogiſmis, in prima particulari iugatione, quoniã contingit A medium, & B, & C extremitatibus huic quidem omni, illi vero nulli indifferẽter ineſſe, & quòd B vnum extremorum non ſequatur aliquod B alterum extremorum, vnde ſi ſumatur in maiori propoſitione, quòd A quidem nulli B ineſt, & in minori propoſitione, quod idem A alicui C ineſt, vtriſque falſis exiſtentibus propoſitionibus, ſequetur concluſio vera, in qua A de C particulariter negabitur. Simili modo vera concluſio ſequetur, ſi ambę propoſitiones falſę ſint in ſecũda iugatione: poſſibile namque eſt, quod A nullum ſequatur B, & idem A ſequatur omne C, cum B vnus terminorũ alicui C terminorum alteri non inſit, veluti in terminis, Animali, Diſciplina, Homine, animal nullam ſequitur diſciplinam, et ſequitur omnẽ hominem, cum tamen diſciplina non inſit alicui homini. Si itaque formetur in his terminis ſecunda iugatio particularis, omnis diſciplina animal, aliquis homo nõ eſt animal; ergo aliquis homo non eſt diſciplina, ambæ propoſitiones erunt falſæ, & concluſio vera. Percurramus verba: *Manifeſtum autem quoniam ex vtriſque falſis erit concluſio vera.* Conſtat etiam in particularibus ſyllogiſmis ex ambabus falſis propoſitionibus veram concluſionem colligi: *ſiquidem contingit A* medium, *& B, & C* extremitatibus, *huic quidem omni, illi verò nulli ineſſe*, vni vniuerſaliter ineſſe, & alteri vniuerſaliter non ineſſe, & indifferenter; *B verò*, vnum extremorum, *aliquod C*, alterum extremorum, *non ſequi*, vti prædicentum de eis: *nam ſumpto A, B quidem nulli*, quoniã ſumpto A nulli ineſſe B in maiori propoſitione, *C autem alicui nõ ineſſe*, & idem A ineſſe alicui C in minori propoſitione, *propoſitiones quidem ambæ falſæ*, vtriſque exiſtentibus falſis propoſitionibus, *concluſio autem vera*, erit vera concluſio. *Similiter autem & cum prædicatiua fuerit vniuerſalis propoſitio*; & falſis etiám vtriſquè propoſitionibus ſequetur vera concluſio, vniuerſali exiſtente affirmatiua, *particularis autem priuatiua*, & particulari exiſtente negatiua: *poſſibile eſt enim A, B quidem nullum, C autem omne ſequi*, quoniam contingit A medium, B nullum, & C omne, quæ ſunt extrema, ſequi, *& B alicui C non ineſſe*, cum B vnum extremorum alicui C, alteri extremorum non inſit, *vt animal diſciplinam quidem nullam*, veluti animal, quod eſt medium, nullam diſciplinam, quæ eſt vnum extremorum, *homi-*

A *nem autem omnem ſequitur*, & omnem hominem alterum extremorum ſequitur; *diſciplina verò nõ omnem hominem*, cum diſciplina non inſit alicui homini. *Si ergo ſumatur A*, quod eſt medium, *B quidem toti ineſſe*, omni B extremorum vni ineſſe in maiori propoſitione, *C autem aliquod non ſequi*, & idem A non ſequi C alterum extremorum, vti prædicatum de eo, *propoſitiones quidem falſæ*, ambæ propoſitiones falſæ erunt; *concluſio autem vera*, vera exiſtente concluſione, quod aliquod C non ſit B.

B Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super capite III quòd colligatur uerum ex falſis in ſecunda figura pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc capite obſeruare poſſumus ea omnia, quæ in præcedẽti, & in iiſdem terminis addітis, ſumptis in tit. Inſt. de his qui ſunt ſui
C vel alieni iuris, & de propria poteſtate.

Quod ſcilicet colligitur verum in ſecunda figura in vniuerſalibus, & particularibus ſyllogiſmis.

Ex vtriſque veris propoſitionibns.
Ex vtriſque falſis.
Ex maiori vera, & minori falſa.
Ex maiori falſa, & minori vera.

Ex vtriſque veris propoſitionibus.

In prima iugatione.

D CE Nullus pupillus eſt pubes.
SA Omnis maior quatuordecim annorum eſt pubes, ergo
RE Nullus maior quatuordecim annorum eſt pupillus.

In ſecunda iugatione.

CA Omnis maior quatuordecim annorum eſt pubes.
ME Nullus pupillus eſt pubes, ergo
STRES Nullus pupillus eſt maior quatuordecim annorum.

E In tertia iugatione.

FE Nullus pupillus eſt pubes.
STI Aliquis maior quatuordecim annorum eſt pubes, ergo
NO Aliquis maior quatuordecim annorũ non eſt pupillus.

In quarta iugatione.

BA Omnis maior quatuordecim annorum eſt pubes.
RO Aliquis pupillus non eſt pubes, ergo
F CO Aliquis pupillus non eſt maior quatuordecim annorum.

Ex vtriſque falſis propoſitionibus verum colligitur.

In prima iugatione.

CE Nulla donatio irreuocabilis.
SA Omne teſtamentum irreuocabile, ergo
RE Nullum teſtamentum donatio.

In ſe-

In ſecunda iugatione.

CA Omne teſtamentum irreuocabile.
ME Nulla donatio irreuocabilis, ergo
STRES Nulla donatio teſtamentum.

In tertia iugatione.

FE Nulla donatio irreuocabilis.
STI Aliquod teſtamẽtum irreuocabile, ergo
NO Aliquod teſtamentum non eſt donatio

In quarta iugatione.

BA Omnis donatio reuocabilis.
RO Aliquod teſtamentum non eſt reuocabile, ergo
CO Aliquod teſtamentum non eſt donatio.

Ex maiori vera, & minori falſa verum colligitur.

In prima iugatione.

CE Nullus ſui iuris eſt pupillus.
SA Omnis ſeruus eſt pupillus, ergo
RE Nullus ſeruus eſt ſui iuris.

In ſecunda iugatione.

CA Omnis ſeruus ſub aliena poteſtate.
ME Nullus liber ſub aliena poteſtate, ergo
STRES Nullus liber eſt ſeruus.

In tertia iugatione.

FE Nullus ſui iuris eſt pupillus.
STI Aliquis ſeruus eſt pupillus, ergo
NO Aliquis ſeruus non eſt ſui iuris.

In quarta iugatione.

BA Omnis ſeruus ſub aliena poteſtate.
RO Aliquis liber non eſt ſub aliena poteſtate, ergo
CO Aliquis liber non eſt ſeruus.

Ex maiori propoſitione etiam falſa, & minori vera colligitur verum.

In prima iugatione.

CE Nullus maior quatuordecim annorum eſt ſub aliena poteſtate.
SA Omnis pupillus eſt ſub aliena poteſtate, ergo
RE Nullus pupillus eſt maior quatuordecim annorum.

In ſecunda iugatione.

CA Omnis liber emancipatus.
ME Nullus ſub poteſtate emancipatus, ergo
STRES Nullus ſub poteſtate liber.

In tertia iugatione.

FE Nullus maior quatuordecim annorũ eſt ſub aliena poteſtate.
STI Aliquis pupillus eſt ſub aliena poteſtate, ergo.
NO Aliquis pupillus non eſt maior quatuordecim annorum.

In quarta iugatione.

BA Omnis liber emancipatus.
RO Aliquis ſub poteſtate non eſt emancipatus, ergo.
CO Aliquis ſub poteſtate non eſt liber.

Quæ dicta ſatis ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

A

Quod ex falſis verum identidem colligatur in tertia figura.

Caput IV.

FRit autem & in poſtrema figura per falſas totas, & in aliquo vtraque, & altera quidem

B uera, altera autẽ falſa, & hæc quidem in aliquo falſa, illa autem tota vera, & è conuerſo, & quot quot modis aliter poſſibile eſt tranſumere propoſitiones; nulli enim prohibet nec A, nec B nulli C ineſſe, A autem alicui B ineſſe, vt nec

C homo, nec greſſibile, nullum inanimatum ſequitur: homo autem alicui greſſibili ineſt. Si ergo ſumatur A, & B omni C ineſſe, propoſitiones quidem totæ falſæ, concluſio autem vera. Similiter autem, & cum hæc quidem eſt priuatiua, illa uerò affirmatiua: poſſibile eſt enim B qui-

D dem nulli C ineſſe A autem omni & A alicui B non ineſſe, ut nigrum nulli cygno, animal autem omni, & animal non omni nigro Quare ſi ſumatur B quidem omni C, A verò nulli, A alicui B non inerit, & concluſio quidem uera; propoſitiones autem falſæ.

E Declarato quòd in ſecunda figura verum ex falſo ſyllogizatur, idem quoque dicit in tertia euenire: ex vtriſque nãque falſis, vel ſecundũ totum, vel ſecundum partem, & ex vna vera, & altera falſa, vel ſit vna in aliquo falſa, & alia in toto vera; vel è conuerſo vna in aliquo vera, & alia in toto falſa, & quotquot modis ſecundum verum & falſum contingit variando copulare propoſitiones, ſemper ex falſo ſequitur verũ. In primis autem ponit, quòd ex vtriſque propoſi-

F tionibus falſis vera concluſio ſequatur, & in prima, & in ſecunda iugatione tertiæ figuræ: in prima, quoniã poſitis A pro maiori extremo, B pro minori extremo, C pro medio, poſſibile eſt neque A maius extremum, neque B minus extremum vlli ineſſe C medio, ſcilicet quòd nullum C ſit A, & nullum C ſit B, cum A maius extremũ alicui B minori extremo particulariter non inſit, &

ſit, & verum ſit aliquod B non eſſe A, veluti in
terminis, homine pro maiori extremo, greſſibi-
li pro minori extremo, inanimato pro medio,
contingit neque hominem, neque greſſibile in-
eſſe vlli inanimato, ita vt nullum inanimatum,
ſit homo, & nullum inanimatum ſit greſſibile,
cum tamẽ homo alicui greſſibili inſit, & verum
ſit aliquod greſſibile eſſe hominem. Quapropter
poſitis veris propoſitionibus in contrarias falſas
mutatis omne inanimatum homo, omne inani-
matum greſſibile, ſequitur ex eis in prima iuga-
tione tertiæ figuræ, quòd aliquod greſſibile ſit
homo, quæ concluſio eſt vera. Simili modo con-
tingit in ſecunda iugatione, quoniam nihil pro-
hibet B minus extremum nulli C medio ineſſe,
& A maius extremum omni ineſſe C, cũ idem A
alicui B non inſit, veluti ſumptis terminis, ani-
mali pro maiori extremo, nigro pro minori ex-
tremo, cygno pro medio, nigrum nulli cygno
ineſt, & animal ineſt omni cygno, cũ aninal ali-
cui nigro non inſit. Formata itaque in ſecũda iu
gatione ratiocinatione, nullus cygnus animal,
omnis cygnus niger; ergo aliquod nigrum non
eſt animal, vera eſt concluſio, falſis exiſtentibus
vtriſque propoſitionibus, ideo dicit: *Erit au-
tem & in poſtrema figura per falſas totas*. Etiam
in tertia figura concluſio ſequetur vera ex vtriſ-
que falſis propoſitionibus ſecundum totum, *&
in aliquo vtraque*; & inſuper ex vtriſque falſis ſe-
cundum quid, *& altera quidem vera, altera autem
falſa*, & vlterius ex vna propoſitione vera, & alte
ra falſa, *& hæc quidem in aliquo falſa, illa autem in
toto vera*, vel ſit falſa ſecundum quid & vera
in totum, *& è conuerſo*, vel è contrario ſit falſa in
totum, & vera ſecundum partem, *& quotquot
modis aliter poſſibile eſt tranſumere propoſitiones*, &
omnibus modis, quibus variando poſſunt propo
ſitiones copulari, ſemper ſequitur verum ex fal-
ſo ſyllogizare, quod probat ex vtriſque falſis in
prima & ſecunda iugatione; in prima quando di
cit; *nulli enim prohibet nec A, nec B nulli C ineſſe*,
quoniam poſſibile eſt nec A maius extremum,
nec B minus extremum nulli C medio ineſſe, *A
autem alicui B ineſſe*, & A maius extremum in-
ſit alicui B minori extremo, *vt nec homo*, quod
eſt maius extremum, *nec greſſibile*, quod eſt minus
extremum, *nullum inanimatum ſequitur*, ſequũtur
vllum inanimatum, quod eſt medium tanquam
de ipſo prędicata; *homo autem*, maius extremum,
alicui greſſibili, minori extremo *ineſt* particulari-
ter. *Si ergo ſumatur A, & B omni C ineſſe*. Si itaque
ſumptum fuerit in maiori propoſitione, omne C
eſſe A, & in minori propoſitione, omne C eſſe B,
propoſitiones quidem tota falſæ, ambæ propoſitio-
nes erunt falſę in totum, *concluſio autem vera*, &
concluſio, quæ ſequitur ex eis, aliquod B eſſe A,
vera erit. *Similiter autem & cum hæc quidem eſt pri
uatiua, illa verò affirmatiua*, verum quoque ex vtriſ
que falſis propoſitionibus ſequitur, ſi vna propo
ſitionum, nempe maior, ſit negatiua, & altera pu
ta minor, prędicatiua, veluti in ſecunda iugatio-
ne: *poſſibile eſt enim B quidem nulli C ineſſe*; quoniã

A contingit B minus extremum nulli C medio in-
eſſe, *A autem omni*, & A maius extremum eidem
C medio omni ineſſe, *& A alicui B non ineſſe*, cũ
A maius extremum alicui B minori extremo nõ
inſit, *vt nigrum*, quod eſt minus extremum, *nulli
cygno*, quod eſt medium, ineſt: *animal autem omni*,
& animal, quod eſt maius extremum, omni cy-
gno ineſt, *& animal non omni nigro*, cum idem ani
mal alicui nigro non inſit. *Quare ſi ſumatur B qui-
dem omni C*. Quapropter ſi ſumptum fuerit in mi
nori propoſitione, omne B eſſe A, *A verò nulli*, &
B in maiori propoſitione, nullum C eſſe A, *A alicui
B non inerit*, ſequetur, quòd aliquod A non erit B,
& concluſio quidem vera, quæ concluſio vera erit,
propoſitiones autem falſæ, falſis in totum exiſtẽti-
bus propoſitionibus.

Et ſi in aliquo fuerit vtraque fal-
ſa, erit concluſio vera: nihil enim pro
hibet & A, & B alicui C ineſſe, & A
alicui B, vt album, & pulchrum ali-
C cui animali ineſt, & album alicui pul
chro. Si ergo ponatur A, & B omni C
ineſſe, propoſitiones quidem in ali-
quo falſæ; concluſio autem vera, &
priuatiua A, C poſita ſimiliter: nihil
enim prohibet A quidem alicui C
non ineſſe, B verò alicui ineſſe, & A
D non omni B ineſſe, vt album alicui
animali non ineſſe, pulchrum autem
alicui ineſt, & album non omni pul-
chro. Quare ſi ſumatur A quidem
nulli C, B autem omni, utręque pro-
poſitiones quidem in aliquo falſæ,
concluſio autem uera.

Vbi docuerit ex vtriſque propoſitionibus fal
ſis ſecundum totum, & in prima, & in ſecunda
E iugatione tertiæ figuræ verum ſyllogiſmo con-
cludi, nunc docet, quòd etiam ex vtriſque falſis
ſecundum quid verum contingit ſyllogizari, &
in prima & in ſecunda iugatione: in prima, quo-
niam poſſibile eſt A maius extremum, & B mi-
nus extremum alicui C medio ineſſe & quòd A
maius extremum alicui inſit B minori extremo,
veluti ſumptis terminis, Albo, Pulchro, Anima-
li, album quod eſt maius extremum ineſt alicui
animali, quod eſt medium, & pulchrum, quod
eſt minus extremum, eidem medio animali par-
F ticulariter ineſt, cum album alicui pulchro inſit.
Quapropter ſi in his terminis formetur prima iu
gatio, omne animal album, omne animal pul-
chrum; ergo aliquod pulchrum album, vera erit
concluſio ex vtriſque falſis propoſitionibus ſe-
cundum quid. Simili modo in ſecunda iugatio-
ne verum ſyllogizatur ex vtriſque falſis propoſi
tionibus

tionibus ſecundum quid, quoniam contingit A A ,maiorem extremitatem alicui C medio non ineſſe, & B minorem extremitatem alicui C medio ineſſe, cum A alicui B non inſit: album namque alicui animali non ineſt, & pulchrum alicui ineſt animali, cum album alicui pulchro non inſit. Quocirca formata in his terminis ratiocinatione in ſecunda iugatione, nullum animal eſt album, omne animal eſt pulchrum, ergo aliquod pulchrũ non eſt album, vera eſt concluſio, cum ambæ propoſitiones ſint falſæ ſecundum quid. Dicit igitur: *Et ſi in aliquo fuerit vtraque falſa,* B *erit concluſio vera.* Sequetur quoque vera concluſio, ſi ambæ propoſitiones ſint falſæ ſecundum quid: *nihil enim prohibet & A, & B alicui C ineſſe,* quoniam poſſibile eſt & A maius extremum, & B minus extremum alicui C medio ineſſe, *& A alicui B,* cum & A maius extremum alicui B minori extremo inſit, *vt album & pulchrum alicui animali ineſt,* veluti in terminis, Albo, Pulchro, Animali, album quod eſt maius extremũ, & pulchrum quod eſt minus extremum, vtrumque ineſt alicui animali, quod eſt medium, *&* C *album alicui pulchro,* cum & album pulchro particulariter inſit. *Si ergo ponatur A, & B omni C ineſſe.* Si itaque ſumptum fuerit A maius extremum omni C medio ineſſe in maiori propoſitione, & B minus extremum eidem C omni ineſſe in minori propoſitione, *propoſitiones quidem in aliquo falſæ,* ambæ quidem propoſitiones erunt falſæ ſecundum quid, *concluſio autem vera,* ſed quæ ſequitur ex eis concluſio, aliquod B eſt A, vera erit, *& priuatiua A, C poſita ſimiliter.* D Simili modo contingit in ſecunda iugatione, in qua maior eſt negatiua, nullum C eſt A: *nihil enim probibet A quidem alicui C non ineſſe,* quoniam contingit A maius extremum alicui C medio non ineſſe, *B verò alicui ineſſe,* & B minus extremum eidem C medio particulariter ineſſe, *& A non omni B ineſſe,* cum etiam A alicui B non inſit, *vt album alicui animali non ineſſe,* veluti in terminis, album, quod eſt maius extremum alicui animali medio non ineſt; *pulchrum autem alicui ineſt,* & pulchrũ, quod eſt minus extremum eidem anima- E li ineſt particulariter, *& album non omni pulchro,* cum album non ineſt alicui pulchro. *Quare ſi ſumatur A,* quod eſt maius extremum, *nulli C,* medio ineſſe in maiori propoſitione, *B autem,* quod eſt maius extremum, *omni,* nempe C medio ineſſe in minori propoſitione, *vtraque propoſitiones quidem in aliquo falſæ,* ambæ propoſitiones erunt falſæ ſecundum quid, *concluſio autem vera,* ſed concluſio, quæ ſequitur ex ipſis, aliquod B non eſt A, erit vera.

Sequitur textus. F

Similiter autem & hæc quidem tota falſa, illa autem tota vera ſumpta; poſſibile eſt enim A, & B omne C ſequi, & A alicui B non ineſſe, vt animal, & album, omnem cygnum ſequitur, & animal non omni ineſt albo. Poſitis igitur his terminis, ſi ſumatur B quidem toti C ineſſe, A verò toti non ineſſe, B C quidem tota erit vera; A, C autem tota falſa, & concluſio vera. Similiter autem & ſi B, C quidem falſa, A, C autem vera: nam hi quidem termini ad demonſtrationem, nigrum inanimatum, cygnus, ſed & ſi vtræque aſſumantur affirmatiuæ: nihil enim prohibet B quidem omne C ſequi; A autem toti C non ineſſe, & A alicui B ineſſe, vt omni cygno animal, nigrum verò nulli cygno, & nigrum ineſt alicui animali. Quare ſi ſumatur A, & B omni C ineſſe, B, C quidem tota vera, A, C autem tota falſa, & concluſio vera. Similiter autem & C, C ſumpta vera; nam per eoſdem terminos demonſtratio.

Vult demonſtrare, quòd etiam ex vna in totum falſa, & altera in totum vera, ſequitur concluſio vera tum in prima, tum in ſecunda iugatione tertiæ figuræ, & ponit in primis, quod ex maiori propoſitione in totum falſa, & minori propoſitione vera in totum, verum contingit ſyllogizari in ſecunda iugatione, quoniam contingit A maius extemum omne C medium ſequi tanquam prædicatum de ipſo, & B minus extremum de eodem C medio vniuerſaliter prædicari, cum A maius extremum non inſit alicui B minori extremo, veluti ſumptis terminis, Animali, Albo, Cygno, animali pro maiori extremo, albo pro minori extremo, cygno pro medio; animal ſequitur omnem cygnum tanquam prædicatum de ipſo, & album omnem cygnum ſequitur, cum animal non inſit alicui albo. Propterea ſi formetur in ſecunda iugatione talis ratiocinatio in terminis, nullus cygnus animal, omnis cygnus albus; ergo aliquod album non eſt animal, maior erit falſa in totum, minor in totum vera, & concluſio vera. E conuerſo quoque ſi maior propoſitio ſit in totum vera, & minor ſit in totum falſa, concluſio ſequetur vera, formata ratiocinatione in eadẽ ſecũda iugatione in terminis, Inanimato, Nigro, Cygno, nullus cygnus inanimatus, omnis cygnus

gnus niger; ergo aliquod nigrum non eſt inanimatum. Simili modo etiam ex vna in totum vera, & altera in totum falſa, erit concluſio vera in prima iugatione ex maiori propoſitione falſa ſecundum totum, & minori propoſitione vera in totum, quoniam contingit B minus extremum, omne C medium tanquam prędicatum ſequi, & A maius extremum nulli C medio ineſſe, cum tamen A alicui inſit B, veluti ſumptis terminis, Nigro, Animali, Cygno, omnem cygnum ſequitur animal tanquam prædicatum de eo, nigrum verò nullum cygnum ſequitur, cum tamen nigrum particulariter inſit alicui animali. Et propterea ſi in his terminis formetur prima iugatio, omnis cygnus niger, omnis cygnus animal, ergo aliquod animal non eſt nigrum, maior propoſitio erit in totũ falſa, minor in totum vera, & concluſio vera. E contrario etiam in prima iugatione, ex maiori in totum vera, & minori in totum falſa, ſequitur vera concluſio, vt conſtat mutato ordine in iiſdem terminis tali pacto ſcilicet ſumptis, omnis cygnus animal, omnis cygnus niger, ergo aliquod nigrũ eſt animal, ideo dicit: *Similiter autem et hæc quidē tota falſa, illa verò tota vera ſumpta.* Simili modo contingit verũ ex falſo ſyllogizare, ſi maior propoſitio ſumatur falſa ſecundum totum, & minor propoſitio in totum vera: *poſſibile eſt enim A, & B omne C ſequi,* quoniam nihil prohibet A maius extremum, & B minus extremum, omne C medium ſequi, & de eo vniuerſaliter prædicari, *& A alicui B non ineſſe*, & tamen A maius extremum alicui B minori extremo non inſit, *vt animal, et album omnem cygnum ſequitur*, veluti in terminis, animal maius extremũ, & album minus extremum, omnẽ cygnum mediũ ſequitur, *et animal non omni ineſt albo*, & tamen animal maius extremũ alicui albo minori extremo non ineſt. *Poſitis igitur his terminis.* In his itaque terminis, *ſi ſumatur B quidem*, quod eſt minus extremũ, *toti C*, quod eſt mediũ *ineſſe* vniuerſaliter in minori propoſitione, omne C eſt B, *A verò*, quod eſt maius extremũ, *toti*, nempe eidē C omni *non ineſſe*, vniuerſaliter ſcilicet nullũ C eſt A, *B, C quidem tota erit vera*, minor propoſitio erit vera in totũ, *C autem tota falſa*, & maior propoſitio in totũ falſa, *et concluſio vera*, & cōcluſio ſequetur vera in ſecunda iugatione, aliquod B non eſt A. *Similiter autem & ſi B, C quidē falſa*. Contingit etiã ex falſo verũ ſyllogizare, & minor propoſitio, omne C, B, ſit falſa in totum, *A, C, autem vera*, & maior propoſitio, nullum C, A, ſit in totũ vera: *nam hi quidem termini ad demonſtrationem*, quoniã in his terminis idem demonſtrat, *nigrum* pro minori extremo, *inanimatũ* pro maiori extremo, *cygnum* pro medio, *ſed et ſi vtraque aſſumantur affirmatiua*: verum quoque ex falſo colligitur, quando ambæ propoſitiones ſunt affirmatiuę vti in prima iugatione: *nihil enim prohibet B quidem omne C ſequi*; quoniam contingit B minus extremum ſequi omne C medium, *A autem toti C non ineſſe*, & A maius extremum nulli C ineſſe, *& A alicui B ineſſe*, & A maius extre-

A mum inſit alicui B minori extremo, *vt omni cygno animal*, veluti in terminis, animal ſumptum pro minori extremo inerit omni cygno ſumpto pro medio, *nigrum verò nulli cygno*, & nigrum ſumptum pro maiori extremo eidem omni cygno non ineſt, *& nigro ineſt alicui animali*, cum nigrum maius extremum alicui animali minori extremo inſit. *Quare ſi ſumatur A, & B omni C ineſſe*. Propterea ſi ſumptum fuerit A maius extremum ineſſe omni C medio in maiori propoſitione, & eidem C medio vniuerſaliter ineſſe B B minus extremum in minori propoſitione, *B, C quidem tota vera*, minor propoſitio, omne C eſt B, erit vera in totum, *A, C autem tota falſa*, & maior propoſitio, omne C eſt A, falſa in totum erit, *& concluſio vera*, cum concluſio, quæ ex illis ſequitur, aliquod B eſt A, vera ſit. *Similiter autem & A, C ſumpta verà*. Verum quoque ex falſo colligitur, ſi maior propoſitio, omne C eſt A, fuerit in totu vera, & minor propoſitio, omne C eſt B, in totum falſa: *nam per eoſdem terminos demonſtratio*, quod demonſtratur in iis ter- C minis, Nigro, Animali, Cygno, viciſſim ordinem mutantibus, ſcilicet ſumptis, nigro pro minori extremo, animali pro maiori extremo, & cygno pro medio. Sequitur textus.

Rurſum hac quidem tota vera exiſtente, illa verò in aliquo falſa; poſſibile eſt enim B quidem omni C ineſſe, A autem alicui C, & alicui B; D vt bipes quidem omni homini, pulchrum non omni, & pulchrũ alicui bipedi ineſt. Si ergo ſumatur A, & B toti C ineſſe, B, C quidem tota vera, A, C autem in aliquo falſa, concluſio autem vera. Similiter autem & A, C quidem vera, B, C autem falſa in aliquo ſumpta: tranſpoſitis E enim iiſdem terminis, erit demonſtratio; & cum hæc quidem eſt priuatiua, illa verò affirmatiua, quoniam poſſibile eſt B quidem toti C ineſſe, A autem alicui C, & quando ſic ſe habeant non omni B ineſſe A. Si ergo aſſumatur B quidem toti C ineſſe, A autem nulli, priuatiua qui- F dem in aliquo falſa, altera autem tota vera, & concluſio erit vera. Rurſum quoniam oſtenſum eſt, quòd cum A quidem nulli C ineſt, & B alicui euenit A alicui B non ineſſe.

Manifeſtum igitur, quòd & cum A, C tota eſt vera, B, C autem in aliquo falſa, contingit concluſionem eſſe veram: ſi enim ſumatur A quidẽ nulli C, B autem omni A, C quidem tota vera, B, C autem in aliquo falſa.

Adhuc verũ ex falſo ſequitur ſi vna propoſitionum nempe minor fuerit in totum vera, & altera puta maior falſa ſecundum quid, quoniá contingit quod B minus extremum omni C medio vniuerſaliter inſit, & A maius extremũ eidem C medio inſit particulariter, cũ A maius extremũ alicui B minori extremo inſit; veluti ſũptis terminis, Bipede, Pulchro, Homine, bipede ſũpto pro minori extremo, pulchro pro maiori extremo, homine pro medio; bipes omni ineſt homini, & pulchrum alicui nõ ineſt homini, cum idẽ pulchrum alicui bipedi inſit. Formata itaque in his terminis ratiocinatione in tertia figura, omnis homo pulcher, omnis homo bipes, ergo aliquod bipes eſt pulcher, vera erit concluſio, minori exiſtente in totũ vera, & maiori falſa ſecundum quid, verum etiá ſyllogizatur ex falſo, ſi è conuerſo minor fuerit falſa ſecundũ quid, & maior in totũ vera, quod in iiſdẽ terminis demonſtratur, Bipede, Pulchro, Homine, tranſpoſitis tamen terminis; formata eadem prima iugatione, omnis homo bipes, omnis homo pulcher, ergo aliquod pulchrũ bipes. Simili modo verũ colligitur ex falſo in ſecunda iugatione ſi minor fuerit in totũ vera, & maior falſa ſecundũ quid, quoniá contingit B minus extremũ omni C medio ineſſe, & A maius extremũ alicui C medio ineſſe, cum idẽ A maius extremũ alicui B minori extremo particulariter inſit: quapropter ſi formetẽ ratiocinatio in his terminis in ſecunda iugatione, nullus homo albus, omnis homo animal; ergo aliquod animal non eſt album, concluſio erit vera, minori exiſtente in totũ vera, & maiori falſa ſecundũ quid: è contrario etiá in ſecunda iugatione verum ex falſo ſyllogiſmo concluditur, ſcilicet ſi minor fuerit falſa ſecũdum quid, & maior in totũ vera, quoniá cum A maius extremũ nulli C medio inſit, & B minus extremũ eidem C medio inſit particulariter. Accidit A maius extremũ alicui B minori extremo non ineſſe, veluti in his terminis, Nigro, Animali, Albo, ſumpto nigro pro maiori extremo, animali pro minori extremo, albo pro medio, & formata ratiocinatione in ſecunda iugatione tali pacto, nullum album nigrum, omne album animal, ergo aliquod animal non eſt nigrum, concluſio ſequetur vera, minori exiſtente falſa ſecundũ quid, & maiori in totum vera, & dicit: *Rurſum hac quidem tota veru exiſtente*. Inſuper ſi vna propoſitio fuerit in totũ vera, nempe minor, *illa verò in aliquo falſa*, & altera fuerit falſa ſecundũ quid, puta maior, concluſio ſequitur vera. *Poſſibile eſt enim B quidem omni C ineſſe*; quoniam contingit, quòd B minus extre

A mum C medio vniuerſaliter inſit, *A autem alicui C, & alicui B*, & A maius extremum, & C medio, & B minori extremo particulariter inſit, *vt bipes quidem omni homini*, veluti in terminis, bipes minus extremum ineſt omni homini medio, *pulchrum non omni*, & pulchrum maius extremum eidem homini particulariter nõ ineſt, *& pulchrũ alicui bipedi inſit*, cum pulchrũ maius extremum alicui bipedi minori extremo inſit. *Si ergo ſumatur A, & B toti C ineſſe*. Si itaque ſumptum fuerit A maius extremum omni C medio ineſſe in maB iori propoſitione, & B minus extremum eidẽ C medio vniuerſaliter ineſſe in minori propoſitione, *B, C quidem tota vera*, minor propoſitio, omne C eſt B, eſt vera in totum, *A, C autem in aliquo falſa*, & maior propoſitio, omne C eſt A, eſt falſa ſecundum quid; *concluſio autem uera*, & concluſio, quę ſequitur ex eis, vera eſt, ſcilicet aliquod B eſt A in prima iugatione. *Similiter autẽ & A, C quidẽ uera*. Verum quoque ex falſo colligitur in eadem iugatione ſi è contrario maior propoſitio fuerit vera in totum, *B, C autem falſa in aliquo ſumpta*, &

C minor propoſitio fuerit falſa ſecundum quid, *tranſpoſitis enim iiſdem terminis, erit demonſtratio*, quoniam in iiſdem terminis viciſſim ordinẽ mutantibus hoc demonſtrabitur; *& cum hæc quidem eſt priuatina, illa verò affirmatiua*, verum etiam ex falſo colligitur quando vna propoſitionum fuerit negatiua, puta maior, & altera vt minor fuerit affirmatiua ſicuti in ſecunda iugatione, *quoniam poſſibile & B quidem toti C ineſſe*, quoniá contingit B minus extremum omni C medio ineſſe, *A autem alicui C*, & A maius extremum eidem C

D particulariter ineſſe, *& quando ſic ſe habeant*, & in hac terminorũ diſpoſitione, *non omni B ineſſe A*, idem A alicui B non ineſſe. *Si ergo aſſumatur B quidem toti C ineſſe*. Si itaque ſumptum fuerit omne C eſſe B in minori propoſitione, *A autem nulli*, & nullum C eſſe A in maiori propoſitione, *priuatiua quidem in aliquo falſa*, maior negatiua eſt falſa ſecundum quid, *altera autem tota vera*, & minor affirmatiua vera in totũ, *& concluſio vera*, & concluſio, quæ ſequitur, aliquod B non eſt A, vera erit. *Rurſum quoniã oſtenſum eſt, quòd cum A quidẽ*

E *nulli C ineſt*. Inſuper quoniam viſum fuit, quòd cum A maius extremũ nulli C medio ineſt, *& B alicui*, & B minus extremũ alicui C ineſt medio, *eueat A alicui B non ineſſe*, contingit A maius extremum alicui B minori extremo non ineſſe in concluſione. *Manifeſtum igitur, quòd cum A, C tota eſt vera*. Ideo conſtat, quòd quando maior propoſitio nullum C, A eſt vera in totum, *B, C autem in aliquo falſa*, & minor propoſitio, omne C, B, eſt falſa ſecundum quid, *contingit concluſionem eſſe veram*, ſequitur concluſio vera aliquod B nõ

F eſt A: *ſi enim ſumatur A quidem nulli C*, quoniam ſi ſumptum fuerit A maius extremum nulli C medio ineſſe in maiori propoſitione, *B autẽ omni*, & B minus extremum omni C ineſſe in minori propoſitione, *A, C quidẽ tota uera*, maior propoſitio erit in totum vera, *B, C autem in aliquo falſa*, & minor erit falſa ſecundum quid.

Manifeſtum autem & in particularibus ſyllogiſmis, quòd omnino per falſa erit verum; nam iidem termini ſumendi, & quando vniuerſales fuerint propoſitiones, in prædicatiuis quidem prædicatiui, in priuatiuis autem priuatiui: nihil enim differt cum nulli inerat, vniuerſaliter ſumere ineſſe, & ſi alicui inerat, vniuerſaliter ſumere ad terminorum poſitionem; ſimiliter autē & in priuatiuis.

Vbi explicauerit verū ex falſo concludi, quando ambæ propoſitiones ſunt vniuerſales in ſyllogiſmis tertiæ figuræ, idem euenire determinat & in reliquis ſyllogiſmis eiuſdē figuræ, in quibus vna propoſitionū eſt vniuerſalis, & altera particularis; pro cuius demonſtratione ponit, ꝙ iidē termini ſumendi ſunt, qui & in vniuerſalibus, in affirmatiuis quidē affirmatiui, & in negatiuis negatiui, veluti in tertio, & quarto, qui ſumūtur in primo, & in quinto, & ſexto, qui in ſecundo, quoniam propoſitio vniuerſalis falſa in totum eſt falſa in partem, ſiue fuerit affirmatiua, ſiue negatiua, & dicit: *Manifeſtum autem & in particularibus ſyllogiſmis.* Conſtat etiam, quòd in illis ſyllogiſmis tertiæ figuræ, in quibus una propoſitionū eſt vniuerſalis, & altera eſt particularis, *quòd omnino per falſa erit verum,* quòd verum ex falſo colligitur: *nam iidem termini ſumendi, & quando vniuerſales fuerint propoſitiones,* quoniam pro huius demonſtratione iidem termini ſumendi ſunt in his particularibus, ac ſi fuerint ſumpti in vniuerſalibus ſyllogiſmis: *in prædicatiuis quidem prædicatiui,* in affirmatiuis affirmatiui, *in priuatiuis autem priuatiui,* & in negatiuis negatiui: *nihil enim differt cum nulli inerat, vniuerſaliter ſumere ineſſe,* quoniā nihil differt; cum nulli ineſt, contrariam ſumere omni ineſſe, *& ſi alicui inerat, vniuerſaliter ſumere ad terminorum poſitionem,* & cum alicui ineſt, ſumere omni ineſſe in ſumptione terminorum; *ſimiliter autem & in priuatiuis,* & idem in negatiuis.

Manifeſtum igitur quando ſit cōcluſio falſa, neceſſe eſt ea, ex quibus eſt oratio, falſa eſſe aut omnia, aut aliqua; quando autem vera, non neceſſe eſt verum eſſe nec aliquod quidē, nec omne, ſed eſt cū nullum ſit verū eotū, quæ ſunt in ſyllogiſmis, & concluſionem ſimiliter eſſe veram, non tamen ex neceſſitate. Cauſa autem, quoniam quando duo ſic ſe habent ad inuicem, vt cum alterum ſit, ex

A neceſſitate eſſe alterum, hoc cum non ſit quidem, nec alterum erit; cum autem ſit, non neceſſe eſt eſſe alterum; idem autem cum ſit, & non ſit, impoſſibile ex neceſſitate eſſe idem. Dico autem cum ſit A album, B eſſe magnū ex neceſſitate, & cum non ſit A album, B eſſe magnum ex neceſſitate; quanto enim cum hoc ſit (vt A) album, illud neceſſe eſt (vt B) eſſe magnum. Cum autem ſit B magnum, C non eſſe album, neceſſe eſt ſi A ſit album, C non eſſe album, & quando duobus exiſtētibus, cum alterum ſit, neceſſe eſt alterum eſſe: hoc autem cum non ſit, neceſſe eſt A non eſſe. Cum ergo B non ſit magnum, A non poteſt album eſſe; cum verò A non ſit album, neceſſe eſt B magnum eſſe, accidit ex neceſſitate, cum B magnum non ſit, idem B eſſe magnum; hoc autem Impoſsibile, nam ſi B nō eſt magnum, A non erit album ex neceſſitate. Si ergo cum non ſit A album, B erit magnum, accidit ſi B nō eſt magnū, B eſſe magnū, vt per tria.

Concludit planum eſſe ex dictis, quòd ſi concluſio fuerit falſa, ambæ erunt propoſitiones falſæ, vel vna falſa, & altera vera: ſi verò concluſio fuerit vera, non eſt neceſſariū vel vtraſque propoſitiones eſſe veras, vel earū alteram: nam contingit ipſas & ambas falſas exiſtere. Cauſam reddit quare non ſit neceſſarium præmiſſas eſſe veras, vera exiſtente concluſione, quòd cum eæ ſe habeant ad concluſionem, veluti principium & antecedens, & concluſio ad ipſas vti conſequēs, non eſt neceſſe, quòd poſito conſequente vero, ponatur & antecedens verum: ſiquidem quando duo ſic ſe habent, quod vno poſito, ponatur & alterum, & altero ablato, & illud aliud auferatur, veluti antecedens, & conſequens, nō tamen conſequēte poſito, & antecedens ponitur de neceſſitate. Et ſi quis diceret, quòd ad antecedens; & cum ſit & non ſit, ſequitur idē conſequens. Exemplo declarat hoc eſſe impoſſibile, veluti ſi quis diceret, ſumpto A, puta albo, pro antecedente, & B, puta magno, pro conſequēte, quòd accepto A albo, vel ſecundum eſſe, vel non eſſe, B magnum de neceſſitate ponatur, hoc falſum, & impoſſibile apparet, quoniam ſi hoc datum fuerit, ſequetur, quòd cum ſit A album, de

neceſſi-

neceſſitate erit B magnū, & cum ſit B magnū, de neceſſitate erit C non eſſe albū; & ſic cum ſit A albū, erit C non eſſe albū, quod eſt impoſſibile. Amplius ſumptis duobus terminis, Antecedente, & Conſequente ita ſe habentibus, vt vno poſito, ponatur & alterum, & altero ablato, & illud aliud auferatur, cum nō ſit B magnū, non poteſt A albū eſſe, & cum nō ſit A albū per ſuppoſitionē, de neceſſitate eſt B magnū. Sequit̄ igitur neceſſario, quòd cum B magnū non ſit, idem B magnum exiſtat, quod eſt impoſſibile; propterea q̄d deſtructo B magno, deſtruitur A albū de neceſſitate. Si itaque cum non ſit A albū, de neceſſitate ſit B magnū; accidit vt dictū eſt, ſi non eſt B magnum, B magnum eſſe, quod eſt impoſſibile, ſicuti & per tres terminos ſumptos oſtenſum fuit. Dicendū ergo non eſt, quòd ad antecedēs ſumptum & ſecundū eſſe & non eſſe, conſequens ſequatur de neceſſitate, vt ex nō veris ſicuti ex veris propoſitionibus verū colligatur, ſed ex nō veris contingit verū concludi, & dicit: *Manifeſtum igitur quando ſit concluſio falſa, neceſſe eſt ea, ex quibus eſt oratio, falſa eſſe aut omnia, aut aliqua*. Conſtat itaque, quòd ad hoc vt falſum ſequatur, eſt neceſſariū, quòd vel ambæ præmiſſæ, vel aliqua falſa ſit; *quando autē vera, non neceſſe eſt verū eſſe, nec aliquod quidē, nec omne*: ad hoc autē vt verum ſequatur, nō de neceſſitate requiritur ambas pręmiſſas, vel aliquā eſſe veram, *ſed eſt cum nullū ſit verū eorum, quæ ſunt in ſyllogiſmis*, ſed etiā cū nulla pręmiſſarū vera ſit, ſequitur *concluſionē ſimiliter eſſe verā*, quòd verū colligatur in cōcluſione, *non tamen ex neceſſitate* ſe nō neceſſario id euenit, ſed contingenter. *Cauſa autem*. Cuius ratio eſt, *quoniam quando duo ſic ſe habent ad inuicem*, quia cum duo ita ſe habēt, *vt cum alterū ſit, ex neceſſitate eſſe alterū*, vt vno poſito, de neceſſitate & alterū ponatur, *hoc cum non ſit quidem, nec alterū erit*, altero ſublato, aufertur quidē illud aliud: *cum autem ſit, non neceſſe eſt eſſe alterū*: at eo poſito quod conſequitur, nō ponitur neceſſario id, ad quod conſequitur, ſcilicet antecedens: *idem autem cum ſit, & non ſit, impoſſibile ex neceſſitate eſſe idem*, & eſt impoſſibile ad antecedens ſumptū, & ſecundū eſſe & non eſſe, quod idem conſequatur. *Dico autem cum ſit A album, B eſſe magnū ex neceſſitate*, veluti quòd cum A albū ſit, B magnū neceſſario ſit, *& cum nō ſit A album, B eſſe magnum ex neceſſitate*, & etiā cum A albū non ſit, adhuc B magnū neceſſario exiſtat. *Quando enim cum hoc ſit (vt A) album*: quādo enim cum A albū eſt, *illud neceſſe eſt (vt B) eſſe magnum*, etiā de neceſſitate eſt B magnū, *cum autem ſit B magnū*, & cum eſt B magnū, *C non eſſe album*, de neceſſitate eſt C nō eſſe albū, *neceſſe eſt ſi A ſit albū, C non eſſe albū*, ſequitur neceſſario, q̄ ſi eſt A eſſe albū, ſit & C non eſſe albū, *& quando duobus exiſtentibus*, & vlterius quando duo ſic ſe habent, vt *cum alterū ſit, neceſſe eſt alterū eſſe*, ſcilicet vt poſito vno, ponatur & alterū. *Hoc autē cum non ſit, neceſſe eſt A non eſſe*, & altero ablato, & aliud aufertur. *Cum ergo B non ſit magnū, A non poteſt album eſſe*, B magno non exiſtente, nō pote-

A rit A albū exiſtere: *cum verò A non ſit albū, neceſſe eſt B magnū eſſe*: at per ſuppoſitionē A albo non exiſtente, B magnū eſt de neceſſitate, *accidit ex neceſſitate cum B magnū non ſit, idem B eſſe magnū*, ſequitur neceſſario B magno nō exiſtente, B magnum exiſtere, *hoc autem impoſſibile*, quod eſt impoſſibile, *nam ſi B non eſt magnū, A non erit albū ex neceſſitate*, quoniā ſublato B magno, de neceſſitate non eſt A albū. *Si ergo cum non eſt A albū, B erit magnū*. Propterea ſi non exiſtente A albo, B magnum exiſtet, vt poſitio dicit, *accidit ſi B nō eſt magnum,*

B *B eſſe magnum*, euenit non exiſtente B magno, adhuc B magnum exiſtere, quod eſt impoſſibile, *vt per tria*, quod impoſſibile, vt per tres terminos ſumptos oſtenſum eſt. Et hæc ſatis dicta.

Super capite IV. Quòd ex falſis verum identidem colligatur in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc capite ad vſum Iuriſperitorum colligere poſſumus quod etiam in tertia figura

C verum ex falſo concluditur. Vnde

Et ex vtriſque veris propoſitionibus.

Et ex vtriſque falſis.

Et ex maiori vera, & minori falſa.

Et ex maiori falſa, & minori vera, vera concluſio ſequi poteſt.

In terminis deſumptis in corpore iuris.

Ex vtriſque veris.

DA Omnis emptio obligatoria.
RA Omnis emptio contractus, ergo
D PTI Aliquis contractus obligatorius.
FE Nulla iuſtitia emptio.
LA Omnis iuſtitia perpetua voluntas, ergo
PTON Aliqua perpetua volūtas nō eſt emptio

Ex vtriſque falſis.

DA Omnis iuſtitia emptio.
RA Omnis iuſtitia contractus, ergo
PTI Aliquis contractus emptio.
FE Nullus contractus obligatorius.
LA Omnis contractus pactum, ergo
PTON Aliquòd pactum non eſt obligatorium.

E Ex maiori vera, & minori falſa.

DA Omnis emptio contractus.
RA Omnis emptio ſocietas, ergo
PTI Aliqua ſocietas contractus.
FE Nulla emptio ſocietas.
LA Omnis emptio contractus, ergo
PTON Aliquis contractus non eſt ſocietas.

Ex maiori falſa & minori vera.

DA Omnis emptio ſocietas.
RA Omnis emptio contractus, ergo
PTI Aliquis contractus ſocietas.
F FE Nulla emptio contractus.
LA Omnis emptio obligatoria, ergo
PTON Aliquod obligatorium contractus.

Et quod contingit in ſyllogiſmis tertiæ figuræ habētibus ambas propoſitiones vniuerſales, cōtingit etiā in reliquis ſyllogiſmis particularib.

Et hæc ſatis ſuper hoc cap. pro Iuris ſtudioſis.

De circulari oſtenſione in prima figura. Caput V

Circulo autem & ex ſe inuicē oſtendere eſt per concluſionē, & è conuerſo prædicationē alteram ſumentē propoſitionem cōcludere reliquam; quam ſumpſerat in altero ſyllogiſmo, vt ſi oportuit oſtendere, quòd A ineſt omni C, oſtendat autem per B Rurſus ſi monſtret, quòd A ineſt B, ſumens A quidem ineſſe C, C autem B, & A inerit B; prius autē è conuerſo ſumpſit B ineſſe C, aut ſi quoniam B ineſt C, oporteat oſtendere, ſi ſumat A de C, quæ fuit concluſio, B autem de A eſſe: prius A autem ſumptum eſt è conuerſo A de B, aliter verò nō eſt ex ſe inuicē oſtendere; ſiue enim aliud medium ſumetur non circulo; nil enim ſumetur eorundem, ſiue horum quidam, neceſſe eſt alterum ſolum; nam ſi ambo, eadem erit concluſio; at oportet diuerſam eſſe.

Vbi expoſuerit Ariſtoteles, quomodo ex falſis verum contingit ſyllogizare in vnaquaque figura, nunc agit de ſyllogiſmo circulari, & ex ſe inuicem oſtenſione, & inquit circulum fieri ex concluſione, & altera propoſitionum conuerſa, veluti ſi oſtenſum fuerit, quòd A, C ineſt per B, & fiat principalis, & directe procedens ſyllogiſmus tali pacto, omne B eſt A, omne C eſt B, ergo omne C eſt A. Poſtea A omni B ineſſe, & ſic maior, quæ fiet ex concluſione, & conuerſione minoris hūc in modū, omne C eſt A, omne B eſt C, ergo omne B eſt A, vel etiam minor ex conuerſione maioris & cōcluſione, omne A eſt B, omne C eſt A, ergo omne C eſt B, & ponit quòd alio modo quam per concluſionem, & conuerſionem alterius præmiſſarum non contingit circulariter, & ex ſe inuicem ſyllogizare, quoniam ſi aliud medium ſumatur à tribus poſitis terminis, non fiet reflexio ad principium vnde incipit proceſſus, & alia concluſio, aliæq; propoſitiones efficientur; vnde reſtat ſumere vel vnum terminum ſolum conuerſum cū concluſione, vel ambos, qui erant in priori ſyllogiſmo, ſed non ambos, quia eadem erit concluſio non diuerſa, ideo alterum ſolum, & dicit: *Circulo autem & ex ſe inuicem oſten*

A *dere.* Circulariter & ex ſe inuicem aliquid oſtendere, *eſt per concluſionē, & è conuerſo prædicatione alterā ſumentem propoſitionem concludere reliquam, quam ſumpſerat in altero ſyllogiſmo*, eſt per concluſionem prioris ſyllogiſmi, & alteram præmiſſarum eiuſdem conuerſam, reliquam factu ſyllogiſmi ſiue maiorem, ſiue minorem, quæ non conuertitur concludere, *vt ſi oportuit oſtendere, quòd A ineſt omni C*, veluti ſi opus fuerit ſyllogiſmo concludere omne C eſſe A tanquam effectus; *oſtendat autem per B*, & accipiatur B tanquā medium & cauſa, puta omne B eſt A, omne C eſt B, ergo omne C eſt A. *Rurſus ſi monſtret, quòd A ineſt B.* Deinde ſyllogizetur, quòd omne B eſt A, vti effectus, *ſumens A quidem ineſſe C*, & ſuptum fuerit A ipſi C ineſſe tanquam cauſa, *C autem B*, & minor prioris ſyllogiſmi fuerit conuerſa omne B eſſe C, *& A inerit B*: concludetur enim ex concluſione, omne C eſt A, & minori conuerſa omne B eſt C, quòd omne B erit A tanquam effectus: *prius autem è conuerſo ſumpſit B ineſſe C*: in priori autē ſyllogiſmo minor propoſitio erat, omne C eſſe B, *aut ſi quoniā B ineſt C, oporteat oſtendere*, vel ſi oportuerit ſyllogiſmo cōcludere, quòd omne C ſit B, quæ erat minor prioris ſyllogiſmi, id efficietur, *ſi ſumat A de C, quæ fuit concluſio*, ſumpta cōcluſione factu ſyllogiſmi, omne C eſſe A in minori propoſitione, *B autem de A eſſe*, & ſumpta maiori eiuſdē ſyllogiſmi conuerſa omne A eſſe B: *prius autem ſumptum eſt è conuerſo A de B*, quoniā in priori ſyllogiſmo ſumebatur omne B eſſe A: *aliter verò non eſt ex ſe inuicem oſtendere*; neque alio modo contingit fieri ex ſe inuicem oſtenſionē; *ſiue enim aliud medium ſumetur*, quoniā ſi aliud medium ſumptū fuerit à terminis poſitis, *non circulo*, non erit oſtenſio circularis: *nil enim ſumitur eorundē*, quoniam nihil ſumitur de numero eorundem terminorum, qui ſunt in priori ſyllogiſmo, *ſiue horum quidā.* Si verò pro medio ſumatur alterū eorum terminorū, qui ſūt in priori ſyllogiſmo, *neceſſe eſt alterū ſolū*, oportet vnum tantum ſumere, *nam ſi ambo*, quoniam ſi vtrique termini ſumantur, *eadem erit concluſio*, ſequetur eadem concluſio: *at oportet diuerſam eſſe*; verum in circulari oſtenſione non eadem, ſed diuerſa debet eſſe. Sequitur textus.

In ijs igitur, quæ non conuertuntur, exinde monſtrata altera propoſitione fit ſyllogiſmus: nō enim eſt demonſtrare per hos terminos, quoniā medio ineſt tertium, aut primo medium. In ijs autem quæ conuertuntur, erit omnia monſtrare per ſe inuicem, vt ſi A, & B, & C conuertūtur ſibi inuicē; oſtendatur enim A, C per medium B, & rurſum A, B per concluſionem, & per B, C propoſitionē conuerſam.

uerſam. Similiter autẽ & B, C, & per concluſionem, & per A,B propoſitionem conuerſam: oportet autem & C B, & B, A propoſitionem demonſtrare; nam his demonſtratis, vſi ſumus ſolis. Si ergo ſumatur B omni C ineſſe, & C omni A, ſyllogiſmus erit eius, quod eſt B ad A. Rurſus ſi ſumatur C omni A ineſſe, & A omni B, neceſſe eſt C ineſſe omni B. In vtriſque ergo ſyllogiſmis C, A propoſitio ſũpta eſt indemonſtrata: nam aliæ probatæ erant: quare ſi hanc oſtenderimus, omnes erunt approbatæ per ſe inuicem. Si ergo ſumatur C omni B, & B omni A ineſſe, vtræque propoſitiones demonſtratæ ſumuntur, & C neceſſe eſt ineſſe A.

Cum terminorũ alij ſint conuertibiles, alij nõ conuertibiles, in nõ conuertibilibus dicit Ariſtoteles nõ eſt oſtendere, quòd minus extremũ inſit medio, ſiue quòd idem mediũ inſit maiori extremo; in ijs nãque fit ſyllogiſmus ex indemonſtrata propoſitione: at terminorũ conuertibiliũ omniũ eſt per ſe inuicem oſtenſio, ſicuti patet in his terminis A,B,C, qui inuicẽ conuertuntur; quemadmodũ enim omne A eſt B, ita omne B eſt A, et ſicuti omne B eſt C, ita omne C eſt B, & ſimiliter uti omne A eſt C, ita omne C eſt A. Propterea in his fit oſtenſio per ſe inuicẽ, veluti in primo modò primæ figuræ principaliter & directe ſyllogizatur hæc concluſio, omne C eſt A per B mediũ tali pacto, omne B eſt A, omne C eſt B, ergo omne C eſt A. Deinde oſtendit maior factu ſyllogiſmi omne B eſt A, per eius concluſionẽ, & minorem conuerſam, reflectẽdo hunc in modũ, omne C eſt A, omne B eſt C, ergo omne B eſt A. Simili modo oſtenditur minor prioris ſyllogiſmi, omne C eſt B per conuerſionẽ maioris eiuſdẽ ſyllogiſmi, & ſuam concluſionẽ ſic, omne A eſt B, omne C eſt A, ergo omne C eſt B, & ita circulariter efficiuntur tres ſyllogiſmi, concludentes tres ſpecies concluſionum. Præterea etiã conuerſas propoſitionũ, & concluſionis prioris ſyllogiſmi eſt circulo ſyllogizare, veluti conuerſa maioris omne A eſt B, ſyllogizabitur, ſũpta minori principalis ſyllogiſmi, quę eſt omne C eſt B, & eidem addita conuerſa concluſionis, omne A eſt C: concluditur namque ex his, quòd omne A eſt B; conuerſa autẽ minoris concludetur ſcilicet omne B eſt C, ſi ſumatur conuerſa cõcluſionis principalis, omne A eſt C, & eidẽ fuerit addita cõuerſa maioris, omne B eſt A. Ex his etenim ſequitur, ꝙ omne B ſit C: verum quoniã in ambobus his ſyl-

A logiſmis ſumpta eſt A,C propoſitio (quæ eſt concluſionis conuerſa principalis ſyllogiſmi) indemonſtrata, cum reliquæ omnes propoſitiones & cõuerſæ fuerint per ſe inuicẽ demonſtratę, idcirco vt omniũ ſit per ſe inuicem oſtenſio, etiã hanc docet circulariter ſyllogizare, ſũpta ſcilicet conuerſa minoris principalis ſyllogiſmi, & cõuerſa maioris eiuſdẽ, videlicet omne B eſt C, omne A eſt B, ergo omne A eſt C, & ſic omnes erũt per ſe inuicẽ concluſæ, & demonſtratæ, quæ habentur in his verbis, quando dicit: *In ijs igitur quæ nõ conuertuntur.* B In ijs propoſitionibus, quę fiunt in terminis nõ conuertibilibus, *ex indemonſtrata altera propoſitione fit ſyllogiſmus*, fit ratiocinatio, quę procedit ex indemonſtrata propoſitione; *non enim eſt demonſtrare per hos terminos*, quoniam per hos terminos nõ conuertibiles nõ eſt per ſe inuicem oſtendere, *quoniã medio ineſt tertiũ*, quòd medio inſit minus extremũ, *aut primo medium*, aut quòd mediũ inſit maiori extremo. *In ijs autẽ quæ conuertuntur.* In propoſitionibus autẽ quæ fiunt in terminis cõuertibilibus, *erit omnia mõſtrare per ſe* C *inuicẽ*, eſt omnẽ fieri oſtenſionẽ per ſe inuicẽ circulariter, *vt ſi A, & B, & C conuertuntur ſibi inuicem*, ſicuti in terminis A,B; C, qui ſunt pares, & conuertibiles, omniũ erit ſyllogiſmus circulariter procedẽs in primo modo primæ figurę; *oſtendatur enim A, C per mediũ B*, veluti ſi directe ſyllogizetur omne C eſſe A per mediũ B, *& rurſum A B per concluſionẽ, & per B, C propoſitionem conuerſam*; & deinde demonſtretur omne B eſſe A, quę eſt maior facti ſyllogiſmi per A, C concluſionẽ prioris ſyllogiſmi, & C, B conuerſã minoris eiuſ- D dem. *Similiter autẽ & B, C, & per concluſionem; & per A, B propoſitionẽ conuerſam.* Et rurſum oſtendatur omne C eſſe B, quæ eſt minor principalis ſyllogiſmi per maiorẽ conuerſam propoſitionẽ B, A, & concluſionẽ principalem A, C: *oportet autẽ & C, B*, quæ eſt minor conuerſa principalis ſyllogiſmi, *& B, A*, quæ eſt maior eiuſdẽ conuerſa, *propoſitionẽ demonſtrare*, ambas inquã propoſitiones conuerſas oſtendere circulariter: *nam his indemonſtratis vſi ſumus ſolis*: his namque vſi ſumus in præcedenti ratiocinatione non demon- E ſtratis, quatenus illæ nõ fuerunt concluſę per aliquem ſyllogiſmũ in tali ratiocinatione circulari. *Si ergo ſumatur B omni C ineſſe.* Si igitur ſumpta fuerit conuerſa minoris propoſitionis ſyllogiſmi principalis, quæ eſt omne B eſſe C, *& C omne A*, & ſumpta fuerit concluſio eiuſdẽ ſyllogiſmi, omne C eſſe A, tali pacto ſcilcet coniugatio, omne C eſt A, omne B eſt C, *ſyllogiſmus erit eius quod eſt B ad A*, ſequitur ratiocinatio concludens omne B eſſe A, quæ erat maior prioris ſyllogiſmi. *Rurſus ſi ſumatur C omni A ineſſe.* Vlterius ſumpta F conuerſa cõcluſionis principalis omne A eſſe C, *& A omni B*, & ſumpta conuerſa maioris eiuſdẽ omne B eſſe A, *neceſſe eſt C ineſſe omni B*, ſequitur minor conuerſa omne B eſſe C. *In vtriſque ergo ſyllogiſmis C, A propoſitio ſumpta eſt indemonſtrata.* In vtriſque autem his ſyllogiſmis concludentibus propoſitionis vtriuſque conuerſam, ſumpta

eſt conuerſa concluſionis omne A eſt C non demonſtrata: *nam aliæ probatæ erant*, quoniam aliæ propoſitiones ſumptæ pro ipſarum demonſtratione erant probatæ & concluſæ: *quare ſi hanc oſtenderimus, omnes erunt approbatæ per ſe inuicem*: quod ſi hanc per eoſdem terminos concluſerimus, omnes propoſitiones in terminis conuertibilibus ſumptæ erant per ſe inuicem, & circulariter demonſtrare. *Si ergo ſumatur C omni B, & B omni A ineſſe*. Sumptis itaque propoſitionibus omne B eſſe C, quæ eſt conuerſa minoris principalis ſyllogiſmi, & omne A eſſe B, quæ eſt conuerſa maioris eiuſdem ſyllogiſmi principalis, *vtræque propoſitiones demonſtratæ ſumuntur*, ambę ſumptæ propoſitiones erunt concluſæ circulo, & per ſe inuicem, *& C neceſſe eſt ineſſe A*, & ſequetur de neceſſitate, quòd omne A ſit C, quod eſt conuerſa concluſionis principalis.

Manifeſtum eſt ergo, quoniam in ſolis iis, quę conuertuntur, circulo & per ſe inuicem cōtingit fieri demonſtrationes. In alijs verò, quemadmodum prius diximus. Accidit autem & in iis eodem quod monſtratur vti ad demonſtrationem, nam C de B, & B de A monſtratur, ſumpto C de A dici, C autem de A per has oſtenditur propoſitiones: quare concluſione vtimur ad demonſtrationem.

Colligit Philoſophus ex dictis manifeſtum eſſe, quòd in ſolis terminis paribus, & conuertibilibus contingit fieri circularem demonſtrationem: in alijs verò terminis, qui non ſunt conuertibiles, ratiocinatio fit ſicuti in ſuperioribus dictum fuit. Cuius cauſa eſt, quoniam contingit vti conuerſa concluſionis principalis ſyllogiſmi ad demonſtrationem conuerſæ minoris eiuſdē ſyllogiſmi, ſcilicet omne B eſſe C, & inſuper ad demonſtrationem conuerſæ maioris, omne A eſſe B, & iiſdem conuerſis vti ad demonſtrationem eiuſdem conuerſæ cōcluſionis principalis, ſcilicet omne A eſſe C, & dicit: *Manifeſtum eſt ergo, quoniam in ſolis iis, quę cōuertuntur*. Conſtat itaque quòd ſolum in terminis cōuertibilibus, *circulo & per ſe inuicem contingit fieri demonſtrationes*, contingit circulariter, & per ſe inuicē ſyllogizare: *in alijs verò quemadmodū prius diximus*: in terminis autem non conuertibilibus fit ratiocinatio, vt in ſuperioribus dictum eſt. *Accidit autem & in iis* In conuertibilibus autem euenit, *eodem quod monſtratur, vti ad demonſtrationem*, ſumere pro propoſitione ad demonſtrationes alterius concluſionis, concluſionē in priori ſyllogiſmo demonſtratam: *nam C de B, & B de A monſtratur* propterea quod omne B eſſe C, quæ eſt conuerſa minoris principalis ſyllogiſmi, & omne A eſſe B, quæ eſt conuerſa maioris eiuſdem ſyllo-

A giſmi demonſtrantur, *ſumpto C de A dici*, per ſumptam conuerſam concluſionis principalis, omne A eſſe C, *C autem de A per has oſtenditur propoſitiones*, & eadem conuerſa concluſionis omne A eſſe C demonſtratur per dictas conuerſas maioris, & minoris facti ſyllogiſmi, *Quare concluſione vtimur ad demonſtrationem*. Et propterea ſumpta concluſione in circulari oſtenſione, vtimur ad demonſtrationem præmiſſarum.

In priuatiuis autē ſyllogiſmis hoc
B modo monſtratur ex ſe inuicē, Sit B quidem omni C ineſſe, A autem nulli B, concluſio autem quòd A nulli C. Si ergo rurſum oportet concludere, quòd A nulli B, quod prius ſumptum erat, erit A quidem nulli C, C autem omni B Sic enim ē conuer
C ſo propoſitio; ſi autem quoniam B ineſt C, oportear concludere, nō iam ſimiliter conuertendum A, B; nam eadem propoſitio eſt B nulli A, & A nulli B ineſſe; ſed ſumendum cui A nulli ineſt, huic B omni ineſſe: ſit enim A nulli C ineſſe, quod quidē fuit concluſio, cui autem A nulli B,
D ſi ſumatur omni ineſſe. Neceſſe eſt ergo B omni C ineſſe; quare cum ſint tria, vnumquodque concluſio eſt facta, & circulo demonſtrare, hoc eſt, concluſionem ſumentem; & ē conuerſo alteram propoſitionem, reliquam ſyllogizare.

Vbi docuerit de circulari ſyllogiſmo in vni-
E uerſalibus iugationibus affirmatiuis primæ figuræ, nunc determinat de ſyllogiſmo circulari in vniuerſalibus iugationibus negatiuis eiuſdē figuræ, & ponit quòd in eis maior propoſito demonſtratur quidem per concluſionem, & conuerſam minoris propoſitionis, ſicuti & in affirmatiuis: minor autem propoſitio non ſimiliter demonſtratur, ſed per aſſumptionem, & per concluſionem, veluti ſi fiat ſyllogiſmus principalis, in quo B medium omni C inſit minori extremo in minori propoſitione, & A maius extremum
F nulli B medio inſit in maiori propoſitione, ſequitur concluſio principalis, in qua A maius extremum de C minori extremo vniuerſaliter negabitur tali ſcilicet pacto, nullum B eſt A, omne C eſt B; ergo nullum C eſt A, quod ſi voluerimus per circulum concludere maiorem propoſitionem principalis ſyllogiſmi, quæ eſt nullum B eſſe A, id fiet ſumpta concluſione principali pro

maiori

maiori propſitione in ſyllogiſmo reflexo,& conuerſa minoris in hunc modum, nullum C eſt A, omne B eſt C, ergo nullũ B eſt A, quòd ſi minorẽ principalis ſyllogiſmi cõcludere oportuerit, ea nõ ſyllogizabitur eo modo vt & in affirmatiuis per cõcluſionẽ,& cõuerſa maioris propoſitionis, ſed per concluſionẽ,& talem aſſumptionẽ videlicet cui nulli ineſt A, huic omni ineſt B: hac nãque poſita,& eidẽ adiũcta cõcluſione ſine aliqua mutatione,& in ſua propria ſignificatione concludetur minor tali modo, cui nulli ineſt A, huic omni ineſt B, ſed nullum C eſt A; ergo omne C eſt B,& in terminis, cui nulli ineſt lapis, huic omni ineſt rationale, ſed nullus homo eſt lapis; ergo omnis homo eſt rationalis; vnde addit, quod cũ tria ſint in principali ſyllogiſmo, Maior, Minor, & Concluſio, vnumquodque illorum concluſio ſit,& per circulum demonſtrare, eſt ſumere concluſionem principalis ſyllogiſmi cum conuerſa alterius pręmiſſarum reliquam, quæ non conuertitur ſyllogizando. Habet igitur: *In priuatiuis autem ſyllogiſmis hoc modo monſtratur ex ſe inuicem*. In negatiuis iugationibus fit circularis ſyllogiſmus tali pacto. *Sit B quidem omni C ineſſe*, ſit minor ſyllogiſmi principalis omne C eſſe B, *A autem nulli B*,& maior eiuſdem ſyllogiſmi nullum B eſſe A. *Concluſio autem quòd A nulli C*. Et ſit cõcluſio principalis nullum C eſſe A. *Si ergo rurſum oporteat concludere, quòd A nulli B*. Si deinde in reflexo ſyllogiſmo voluerit quiſpiam cõcludere maiorem facti ſyllogiſmi, quæ erat nullum B eſſe A, *quod prius ſumptum erat*, quæ maior fuit prius ſumpta in ſyllogiſmo principali, *erit A quidem nulli C*, ſumetur ab eo concluſio principalis pro maiori propoſitione, nullum C eſſe A, *C autem omni B*, & conuerſa minoris eiuſdem adiungetur omne B eſt C. *Sic enim è conuerſo propoſitia*. Hæc enim eſt couerſa eius omne C eſt B,& ex his ſequitur nullum B eſſe A. *Si autem quoniam B ineſt C, oporteat concludere*. Quod ſi opus ſit ſyllogizare, & ſyllogiſmo cõcludere minorem propoſitionem prioris ſyllogiſmi omne C eſſe B, *non iam ſimiliter conuertendum A, B*, non conuertitur maior propoſitio nullum B, A, vt & in affirmatiuo ſyllogiſmo, *nam eadem propoſitio eſt B nulli A,& A nulli B ineſſe*, propterea quod propoſitio, quæ dicit, nullũ B eſt A, & ſua conuerſa, nullum A eſt B ſunt in qualitate ſimiles & eædem, *ſed ſumendum cui A nulli ineſt, huic B omni ineſſe*, ſed ſumendum quòd cui nulli ineſt A, huic omni ineſt B. *Sit enim A nulli C ineſſe*. Sumatur enim in minori propoſitione nullum C eſſe A, quæ erat concluſio prioris ſyllogiſmi, quod inquit. *Quòd quidem fuit concluſio*, & in maiori propoſitione ſumatur cui nulli ineſt A, huic omni ineſt B, quod innuit in his verbis; *cui autem A nulli B, ſi ſumatur omni ineſſe*, ex his. *Neceſſe eſt ergo B omni C ineſſe*, ſequitur de neceſſitate omne C eſſe B, quæ fuit minor demonſtrãda: *quare cum ſint tria*, ſumpta ſcilicet in ſyllogiſmo principali, Maior, Minor, & Concluſio, *vnumquodque eſt concluſio*, horum quodlibet facta eſt concluſio, *& circulo demonſtrare*, & per ſe

A inuicem oſtendere, *hoc eſt concluſionem ſumentem, & è conuerſo alteram propoſitionem*; eſt ſumpta principali concluſione, & conuerſa alterius propoſitionis ſyllogiſmi principalis, *reliquam ſyllogizare*, concludere reliquam, quæ non cõuertitur.

In particularibus autem ſyllogiſmis uniuerſalem quidem propoſitionem non eſt demonſtrare per alias, particularem autem eſt, quoniam au- B tem non eſt demonſtrare vniuerſalem, manifeſtum, nam vniuerſale monſtratur per vniuerſalia; concluſio autem non eſt uniuerſalis: oportet autem oſtendere ex concluſione, & altera propoſitione.

Expleto ſermone de ſyllogiſmis vniuerſalibus in prima figura, tranſit ad particulares, & cõ- C muniter ponit vniuerſalem propoſitionem ſyllogiſmi particularis, videlicet maiorem non poſſe concludi per circulum. Siquidẽm id fieret per concluſionem, quæ eſt particularis, & conuerſam minoris, quæ pariter particularis eſt, & ex vtriſque propoſitionibus particularibus non eſt ſyllogizare vniuerſale, ſed vniuerſale per vniuerſalia colligitur: minor verò particularis ſyllogiſmi circulo cõcluditur, & dicit: *In particularibus autem ſyllogiſmis*. In ſyllogiſmis concludentibus particulariter in prima figura, ſiue habenti- D bus vnam propoſitionem particularem, *vniuerſalem quidẽ propoſitionẽ non eſt demõſtrare per alias*, hoc communiter accidit, quòd per ſe inuicem non eſt oſtendere vniuerſalem propoſitionem, maiorem ſcilicet: *particularem autem eſt*: particularem verò, nempe minorem eſt circulo ſyllogizare, *quoniam autem non eſt demonſtrare vniuerſalem, manifeſtum*. Cauſa verò, ob quam in particularibus ſyllogiſmis vniuerſalis propoſitio per ſe inuicem vniuerſaliter demonſtrari nequeat, eſt nota, *nam vniuerſale mõſtratur per vniuerſalia*, quo- E niam vniuerſalis concluſio non colligitur ſyllogiſmo, niſi per vniuerſales vtraſque propoſitiones. *Concluſio autem non eſt vniuerſalis*. Concluſio autẽ principalis ſyllogiſmi eſt particularis. *Oportet autem oſtendere ex concluſione, & altera propoſitione*. Sed in reflexo ſyllogiſmo oportet ſumere concluſionẽ,& conuerſã alterius propoſitionis.

2 Amplius omnino non fit ſyllogiſmus conuerſa propoſitione, nam par- F ticulares fiunt vtræque propoſitiones, particularem autem eſt: oſtendatur enim A de aliquo C per B. Si ergo ſumatur B omni A, & concluſio maneat, B alicui C inerit: fit enim prima figura, & eſt A medium.

Dicit

Dicit Ariſtoteles, quòd communiter conuer- A
ſa minori propoſitione, quæ eſt particularis, nul
lus fit ſyllogiſmus circularis in particularibus ra
tiocinationibus, quoniam ſi illa conuerſa, quę eſt
particularis, accipiatur cũ cõcluſione, quæ ſimili
ter eſt particularis, vtræque propoſitiones erũt
particulares, & ex talibus nõ eſt ſyllogiſmo con-
cludere, particularem verò propoſitionem poſi-
tam in ſyllogiſmis particularibus eſt per ſe inui-
cem oſtendere, veluti ſi in principali ſyllogiſmo
quiſpiam demonſtrauerit A maius extremum
alicui C minori extremo per B mediũ particula- B
riter ineſſe, vti in tertia iugatione, tali pacto ſci-
licet, omne B eſt A, aliquod C eſt B; ergo ali-
quod C eſt A. Si ſumatur B omni A ineſſe, quæ
eſt conuerſa maioris propoſitionis facti ſyllogiſ
mi, & A ineſſe alicui C, quæ eſt concluſio princi-
palis concludens B, C alicui ineſſe, quę eſt minor
eiuſdem hunc in modum, omne A eſt B, aliquod
C eſt A; ergo Aliquod C eſt B, & erit eadem ter
tia iugatio primæ figuræ, ideo dicit: *Amplius om
nino non fit ſyllogiſmus cõuerſa propoſitione*, ſcilicet
minori, *nã particulares fiunt vtræque propoſitiones*, C
quoniã ſumpta conuerſa minoris cum concluſio
ne, ambæ præmiſſæ fiunt particulares, ex quibus
non eſt ſyllogiſmo concludere, *particularem au-
tem eſt*, particularis autem propoſitio per circu-
lum demonſtratur; *oſtendatur enim*, in principali
ſyllogiſmo, *A de aliquo C per B*, A ineſſe alicui C
per B medium, omne B eſt A, aliquod C eſt B; er
go aliquod C eſt A. *Si ergo ſumatur B omni A*, ſum
pta maiori facti ſyllogiſmi, conuerſa omne A eſ
ſe B, *& concluſio maneat*, & ſumpta concluſione
abſque vlla mutatione aliquod C eſſe A, *B alicui* D
C inerit, concludetur minor propoſitio prioris
ſyllogiſmi aliquod C eſt B: *fit enim prima figura.*
Sic namque fit tertia iugatio primæ figuræ, *et eſt
A medium*; & A quod in priori ſyllogiſmo fuit
maius extremũ, factum eſt in reflexo medium.

Si autem ſit priuatiuus ſyllogiſ-
mus, vniuerſalem quidem propoſi-
tionem non eſt oſtendere propter
hoc quod prius dictum eſt; particu- E
larem (ſi ſimpliciter conuertatur A,
B, quemadmodum & in vniuerſali-
bus) non eſt: per aſſumptionem au-
tem eſt, vt cui A alicui non ineſt, B
alicui ineſſe; nam aliter ſe habentibus
non fit ſyllogiſmus, eo quod negatiua
eſt particularis propoſitio.

Ponit quòd in ſyllogiſmo negatiuo particula F
ri, qui eſt quartus modus primæ figuræ, veluti
nullum B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C
non eſt A maior vniuerſalis negatiua non poteſt
per circulum ſyllogizari, ob cauſam ſupra proxi
me dictam & in tertio modo minor verò, quę eſt
particularis affirmatiua, oſtenditur ſecundum

A aſſumptionem tali pacto ſcilicet, cui alicui non
ineſt A, huic alicui ineſt B, ſed aliquod C non eſt
A; ergo aliquod C eſt B. Hæc ſunt quæ docet
quando dicit: *Si autem ſit priuatiuus ſyllogiſmus.*
Quod ſi fuerit negatiuus ſyllogiſmus particula-
ris, ſicuti eſt quartus modus primæ figurę, *vniuer
ſalem quidem propoſitionem non eſt oſtendere*, nega
tiua maior vniuerſalis non poteſt oſtendi per cir
culum, *propter hoc quod prius dictum eſt*, cauſa di-
cta & in ſuperiori modo, *particularem (ſi ſimplici
ter conuertatur A, B, quemadmodum & in vniuerſa*
B *libus) non eſt*; particularis autem, nec ipſa per ſim-
plicem cõuerſionem maioris, ſicuti & in vniuer-
ſalibus ſyllogizari poteſt: *per aſſumptionem autem
eſt*, ſed ſecundum aſſumptionẽ, vt in priori mo-
do, valet, *ut cui A alicui non inſit, B alicui ineſſe*, vti
ſi ſumatur cui alicui non ineſt A, illi alicui ineſſe
B: *nam aliter ſe habentibus nõ fit ſyllogiſmus, eo quod
negatiua eſt particularis propoſitio*, quoniam aliter
non poteſt fieri ſyllogiſmus; propterea quod cõ-
cluſio ſyllogiſmi principalis, quæ eſt propoſitio
in tali reflexo ſyllogiſmo eſt negatiua, & ex dua-
C bus negatiuis non eſt in figura ſyllogizare.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite.

Super capite V. de circulari oſtenſione in prima figura pro Iuris ſtudioſis.

D Ocuit Ariſtoteles circularem ſyllo-
gиſmum, qui fit in terminis paribus, &
D conuertibilibus, quando ſcilicet tres
termini reperiũtur, qui inuicem om-
nes conuertantur, dicens quòd circulo, & per
ſe inuicem oſtendere eſt per concluſionem, &
conuerſam alterius propoſitionis reliquam, quæ
non conuertitur, concludere.

Si itaque ſumantur hi tres termini in tit. Inſt.
de iure nat. gen. & ciu. ius naturale, quod natura
omnia animalia docet, maris & fœminæ coniu-
gatio, in his fiat ſyllogiſmus circularis.

Et in primis in prima figura.

E In primo modo fiat ſyllogiſmus principa-
lis tali pacto.

BAR Omne, quod natura docet cũcta anima
lia, eſt ius naturale.

BA Omnis maris & fœminæ coniugatio, eſt
quod natura docet cuncta animalia,
ergo

RA Omnis maris & fœminæ coniugatio, eſt
ius naturale.

Deinde ſi oportuerit maiorem in reflexo ſyl-
logiſmo per circulum oſtendere, ſumatur cõclu-
F ſio cum conuerſa minoris propoſitionis, & for-
metur ratiocinatio talis.

BAR Omnis maris & fœminæ cõiugatio, eſt
ius naturale.

BA Omne, quod natura docet cuncta anima
lia, eſt maris & fœminę cõiugatio, ergo

RA Omne, quod natura docet cũcta anima-
lia eſt ius naturale.

Poſtea minor demonſtrabitur per conuerſam maioris propoſitionis ſyllogiſmi principalis, & concluſionem eiuſdem in hunc modum. A

BAR Omne ius naturale eſt, quod natura cunćta animalia docet.
BA Omnis maris & fœminæ cõiugatio, eſt ius naturale, ergo
RA Omnis maris & fœminæ cõiugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.

Et hactenus per vnũ circulum habemus tres propoſitiones concluſionũ per tres ſyllogiſmos, B verum per alium circulum habemus tres alias, nempe conuerſas præmiſſarum & concluſionis ſyllogiſmi principalis.

Conuerſa maioris propoſitionis concludetur ſumpta minori propoſitione, & conuerſa cõcluſionis, ſcilicet

BAR Omnis maris & fœminę coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.
BA Omne ius naturale eſt maris & fœminę coniugatio, ergo C
RA Omne ius naturale eſt, quod nantura docet cuncta animalia.

Conuerſa minoris propoſitionis oſtendetur ſumpta conuerſa concluſionis, & maiori propoſitione, videlicet

BAR Omne ius naturale eſt maris & fœminæ coniugatio.
BA Omne, quod natura docet cuncta animalia, eſt ius naturale, ergo
RA Omne, quod natura docet cũcta animalia, eſt maris & fœminæ coniugatio. D

Monſtrabitur etiam conuerſa concluſionis principalis ſumpta conuerſa minoris propoſitionis, & conuerſa maioris ſic,

BAR Omne, quod natura docet cũcta animalia, eſt maris & fœminæ coniugatio.
BA Omne ius naturale eſt, quod natura docet cuncta animalia, ergo
RA Omne ius naturale eſt maris & fœminæ coniugatio. E

Et tali pacto omnes termini per ſe inuicẽ circulariter ſunt concluſi.

In ſecundo autem modo primæ figuræ, formato ſyllogiſmo principali, maior ipſius concludetur per conuerſam minoris propoſitionis & concluſionem, minor autem per aſſumptionem, videlicet

CE Nullum, quod natura docet cuncta animalia, eſt ſeruitus.
LA Omnis maris & fœminæ coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia, ergo F
RENT Nulla maris & fœminæ coniugatio eſt ſeruitus.

Maior huius ſyllogiſmi principalis monſtrabitur ſumpta concluſione, & conuerſa minoris propoſitionis.

CE Nulla maris & fœminæ coniugatio eſt ſeruitus.
LA Omne, quod natura docet cũcta animalia, eſt maris & fœminæ coniugatio, ergo
RENT Nullum, quod natura docet cuncta animalia eſt ſeruitus.

Minor verò eiuſdem principalis ſyllogiſmi concludetur per aſſumptionem talem.

Cui nulli ineſt ſeruitus, huic omni ineſt, quod natura docet cuncta animalia.
Nulla maris & fœminæ coniugatio eſt ſeruitus, ergo
Omnis maris & fœminæ coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.

In tertio modo minor principalis ſyllogiſmi concluditur per conuerſam maioris propoſitionis & concluſionem, ſcilicet

DA Omne, quod natura docet cũcta animalia, eſt ius naturale.
RI Aliqua maris & fœminæ cõiugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia, ergo
I Alqua maris & fœminæ coniugatio, eſt ius naturale.

DA Omne ius naturale eſt, quod natura docet cuncta animalia.
RI Aliqua maris & fœminæ coniugatio, eſt ius naturale, ergo
I Aliqua maris & fœminę coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.

Maior principalis ſyllogiſmi non concluditur, quoniam id fieret per conuerſam minoris propoſitionis, & per concluſionem, & ſic vtræque propoſitiones eſſent particulares, at vniuerſale per vniuerſalia colligitur.

In quarto modo maior principalis ſyllogiſmi non concluditur cauſa dicta & in tertio, & minor per aſſumptionem, videlict

FE Nullum, quod natura docet cuncta animalia, eſt ſeruitus.
RI Aliqua maris & fœminæ coniugatio, eſt quod natura docet cũcta animalia, ergo
O Aliqua maris & fœminæ coniugatio non eſt ſeruitus.

Minor concluditur per aſſumptionem talem

Cui alcui non ineſt ſeruitus, huic alicui ineſt, quod natura docet cuncta animalia.
Aliqua maris & fœminæ coniugatio non eſt ſeruitus, ergo
Aliqua maris & fœminæ coniugatio eſt quod natura docet cuncta animalia.

Maior propoſitio non cõcluditur circulo ob eandem cauſam, ob quam & maior tertij modi nõ poteſt concludi, quoniam ſcilicet id efficeretur per conuerſam minoris propoſitionis & concluſionẽ, & ſic ambę præmiſſę redderentur particulares; vniuerſale autem per vniuerſalia demonſtratur.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De eadem in ſecunda figura. *Caput VI.*

IN ſecunda autem figura affirmatiuam quidem non eſt oſtendere per hunc modum, priuatiuam autem eſt: ergo prædicatiua quidem non oſtenditur, eo quod non ſunt vtræque propoſitiones affirmatiuæ, nam concluſio priuatiua, prædicatiua autem ex vtriſque oſtendebatur affirmatiuis; priuatiua autem ſic oſtendetur, inſit & A omni B, C autem nulli, concluſio quòd B nulli C. Si ergo ſumatur B omni A ineſſe, & nulli C, neceſſe A nulli C ineſſe: fit enim ſecunda figura medium B: ſi autem A, B priuatiua ſumpta ſit, altera verò prædicatiua, prima erit figura; nã C quidem omni A, B autem nulli C; quare B nulli A, ergo nec A, B medium C; ergo per concluſionem quidem & vnam propoſitionem non fit ſyllogiſmus; aſſumpta autem altera erit.

In præſenti capite proſequitur Ariſtoteles tractationem de ſyllogiſmo circulari in ſecunda figura, & in principio ipſius ponit, quòd propoſitionem affirmatiuam in ſecunda figura non eſt per ſe inuicem oſtendere; propterea quod circularis oſtenſio fit cum concluſione, & conuerſa alterius propoſitionis, vnde ſequeretur, quòd ſemper aliqua propoſitio neceſſario eſſet negatiua, & ex altera negatiua non ſequitur concluſio affirmatiua: ea enim non ſyllogizatur niſi ex vtraque affirmatiua; negatiuam autem propoſitionem ponit circulo ſyllogizari: & in primis docet in iugationibus vniuerſalibus, & in ſecunda veluti ſi ſit principalis ſyllogiſmus, in quo A medium omni inſit B maiori extremo in maiori propoſitione, & idem A medium nulli inſit C minori extremo in minori propoſitione, & ſit concluſio, in qua idem B maius extremum nulli C minori extremo inſit, tali pacto, omne B eſt A, nullum C eſt A; ergo nullum C eſt B, minor negatiua facti ſyllogiſmi oſtenditur circulo, ſumpta cõuerſa maioris propoſitionis, & concluſione ſine mutatione, videlicet omne A eſt B, nullum C eſt B; ergo nullum C eſt A, & ita denuo efficitur eadem ſecunda iugatio ſecundæ figuræ. Deinde

A determinat, quòd etiam priuatiua huius primæ iugationis, puta nullum B eſt A, omne C eſt A; ergo nullum C eſt B, demonſtratur in ſecundo modo primæ figuræ, ſumpta concluſione facti ſyllogiſmi, cum conuerſa minoris eiuſdem, & inſuper facta alia conuerſione concluſionis in ſecundo ſyllogiſmo reflexo concluſæ, ſcilicet nullum C eſt B, omne A eſt C; ergo nullum A eſt B, & per cõuerſionem, nullum B eſt A, quinimo addit etiam impoſſibile eſſe per aſſumptionem concludere minorem affirmatiuam huius primi B modi, nempe cui nulli ineſt B, huic omni ineſt A, ſed nullum C eſt B; ergo omne C eſt A, & dicit: *In ſecunda autem figura affirmatiuam quidem non eſt oſtendere per hunc modũ*. In ſecunda figura non eſt circulariter oſtendere affirmatiuam propoſitionem, *priuatiuam autem eſt*, ſed negatiuam eſt per ſe inuicem in ſecunda figura ſyllogizare. *Ergo prædicatiua quidem non oſtenditur*. Hac autẽ de cauſa non eſt circulo oſtendere affirmatiuam in ſecunda figura, *eo quod non ſunt vtræque propoſitiones affirmatiuæ*, propterea quod in tali oſtenſio C ne vtræque propoſitiones non efficerentur affirmatiuæ; *nam concluſio priuatiua*, propterea quod fit huiuſmodi ſyllogiſmus circularis ex concluſione & conuerſa alterius propoſitionis, & concluſio eſt negatiua: *prædicatiua autem ex vtriſque oſtendebatur affirmatiuis*: affirmatiua namque concluſio non ſequitur niſi ex vtriſque præmiſſis affirmatiuis: *priuatiua autem ſic oſtenditur*: negatiua verò propoſitio in ſecunda figura ſic circulo ſyllogizatur, *inſit & A omni B*, ſit principalis ſyllogiſmus, & A medium B maiori ex- D tremo vniuerſaliter inſit in maiori propoſitione, *C autem nulli*, & idem A medium nulli inſit C minori extremo in minori propoſitione, *concluſio quòd B nulli C*, ſequetur concluſio, quæ dicit; quòd B nulli C inſit tali pacto, omne B eſt A, nullum C eſt A; ergo nullum C eſt B. *Si ergo ſumatur B omni A ineſſe*. Si itaque in reflexo ſyllogiſmo deſumatur cõuerſa maioris facti ſyllogiſmi omne A eſſe B, *& nulli C*, & concluſione eiuſdem ſyllogiſmi principalis, nullum C eſſe B, *neceſſe eſt A nulli C ineſſe*, ſequitur de neceſſitate quòd nullũ E C ſit A, quę erat minor prioris ſyllogiſmi: *fit enim ſecunda figura*; fit enim ſecunda figura, & idẽ modus, in quo eſt factus principalis ſyllogiſmus, videlicet ſecundus, *medium B*, & in tali reflexo ſyllogiſmo B, quod erat maius extremum factum eſt medium. *Si autem A, B priuatiua ſumpta ſit*. Quod ſi propoſitio maior A, B ſumpta fuerit negatiua: *altera verò prædicatiua*, & altera propoſitio minor A, C ſumpta fuerit affirmatiua C, *prima erit figura*, in demonſtratione maioris propo F ſitionis non ſeruabitur eadem ſecunda figura, ſed efficitur prima, veluti ſi in primo modo ſecundæ figurę ſit ſyllogiſmus principalis, nullum B eſt A, omne C eſt A; ergo nullum C eſt B, maior propoſitio, nullum B eſt A non oſtendetur circulo, ſeruata eadem figura, ſed mutata: *nam C quidem omni A*, quoniam in tali reflexo ſyllogiſmo minor propoſitio erit conuerſa minoris ſyllogiſmi prin-

mi principalis, omne A eſt C, *B autem nulli C*, & maior propoſitio erit concluſio eiuſdem principalis ſyllogiſmi, nullum C eſt B: *quare B nulli A*, vnde ſequitur concluſio, nullũ A eſt B, *ergo nec A,B*, & per conuerſionem nullum B eſt A, quæ erat maior propoſita, *medium C*, medio exiſtente C, quod erat minus extremum in priori ſyllogiſmo: *ergo per concluſionem quidem & vnam propoſitionẽ non fit ſyllogiſmus*: quapropter nõ fit circulus in tali ſyllogiſmo per concluſionem, & conuerſam maioris propoſitionis; & inſuper conuerſa concluſione in reflexo ſyllogiſmo: *aſſumpta autem altera erit*. B Hæc verba vel ſic exponuntur cũ Philopono, quòd altera propoſitio, nempe affirmatiua huius iugationis oſtenditur per aſſumptionem vt poſuimus, vel etiam & fortaſſe magis ad aures Philoſophi exponũtur, quòd aſſumpta altera conuerſa nempe concluſionis concluſæ in reflexo ſyllogiſmo concluditur maior prioris ſyllogiſmi, non ſolum ex concluſione principali, & conuerſa maioris ſyllogiſmi principalis.

C Si autem non vniuerſalis ſit ſyllogiſmus, quæ in toto quidem eſt propoſitio, non oſtenditur propter eandem cauſam, quã quidem diximus, & prius. Quæ autem in parte oſtenditur quando vniuerſalis ſit prædicatiua; inſit enim A omni B, C autem non omni, concluſio B, C. D Si ergo ſumatur B omni A, C autem non omni, concluſio A, alicui C non inerit medium B; ſi autem eſt vniuerſalis priuatiua, non oſtenditur A C propoſitio, conuerſa A,B. Accidit enim vtraſque, aut alteram propoſitionem fieri negatiuam, quare non erit ſyllogiſmus, ſed ſimiliter oſten- E detur quemadmodum & in vniuerſalibus; ſi ſumatur cui B, alicui non ineſt, A alicui ineſſe. b

Procedit ad ſyllogiſmos particulares ſecundæ figuræ, & determinat quòd vniuerſalis propoſitio in vtriſque non poteſt ſyllogizari per circulum, quoniam circulo oſtendere, eſt per concluſionem, & alterius conuerſam, inde cum in ambabus cõcluſio particularis exiſtat; altera præ F miſſarum erit particularis: at vniuerſale non niſi per vniuerſalia concludi valet, vt in particularibus primæ figurę dictum eſt: particularis verò propoſitio in ſecundo modo particulari circulariter: in primo modo autem per aſſumptionem concluditur. Dicit itaque: *Si autem non vniuerſalis ſit ſyllogiſmus*. Quod ſi in ſecũda figura ſyllo-A giſmus exiſtat particularis, vt in tertio & quartò modo, *quæ in toto quidem eſt propoſitio, non oſtenditur*, propoſitio vniuerſalis in his non concluditur circulo, *propter eandem cauſam, quam quidem diximus, & prius*, propter cauſam habitam in præhabitis. *Quæ autem in parte oſtenditur quando vniuerſalis ſit prædicatiua*. Particularis autem oſtenditur circulo, quãdo vniuerſalis eſt affirmatiua, vt ſit ſecũdo modo particulari; *inſit enim A omni B*: Sit namque quarta iugatio ſecundæ figuræ, in qua A medium inſit omni B maiori extremo in B maiori propoſitione, *C autem non omni*, & idem A non omni C minori extremo inſit in minori propoſitione, *concluſio B,C*, ſequitur cõcluſio; in qua B maius extremum à C minori extremo particulariter remouebitur, videlicet omne B eſt A, aliquod C non eſt A; ergo aliquod C non eſt B. *Si ergo ſumatur B omni A*. Sumpta itaque cõuerſa maioris facti ſyllogiſmi, omne A eſſe B, *C autem non omni*, & concluſione prioris ſyllogiſmi aliquod C non eſt B, *concluſio A alicui C non inerit medium B*, erit concluſio, aliquod C non eſt A, quæ erat C minor principalis ſyllogiſmi. *Si autẽ eſt vniuerſalis priuatiua*; quòd ſi ſit ſyllogiſmus, in quo vniuerſalis propoſitio ſit negatiua, vt tertius modus ſecũdæ figuræ, *non oſtenditur A,C propoſitio*, non oſtendetur minor propoſitio aliquod C eſt A, *conuerſa A,B*, per circulum, nempe per cõuerſionem maioris propoſitionis, quæ eſt nullum B eſt A, in hanc nullum A eſt B. *Accidit enim vtraſque aut alteram propoſitionem fieri negatiuam*, quoniam ſi cum concluſione particulari negatiua, D aliquod C non eſt B, conuerſa maioris ſumatur, quæ pariter eſt negatiua, continget in reflexo ſyllogiſmo, quod aut ambæ, aut altera præmiſſarũ erit negatiua; *quare non erit ſyllogiſmus*; & ea propter non fiet ſyllogiſmus circularis valens concludere minorem particularem affirmatiuam, ſi quidem concluſio affirmatiua ex vtriſque affirmatiuis concluditur: *ſed ſimiliter oſtendetur quemadmodum & in vniuerſalibus*, ſed talis minor concludetur quemadmodum in vniuerſalibus in prima figura dictum eſt per aſſumptionem; *ſi ſuma-* E *tur cui B, alicui non ineſt A alicui non ineſſe*, ſi maior negatiua in affirmatiuam tranſmutetur in hunc modum: Cui alicui non ineſt B, illi alicui ineſt A, vt poſuimus.

Et ſuper hoc capite dicta ſatis.

Super capitr VI. de circulari oſtenſione in ſecunda figura pro Juris ſtudioſis.

DVo docet Ariſtoteles in hoc capite, quæ breuiter attingam.

Primum, quòd in ſyllogiſmis vniuerſalibus ſecundæ figuræ eſt vniuerſalem negatiuam propoſitionem circulo concludere.

In primo modo vniuerſali, ſumpta cõcluſione prin-

ne principali,& per duplicem conuerſionem,ſcilicet alterius propoſitionis eiuſdem ſyllogiſmi, quæ non concluditur, & propoſitionis concluſę in ſyllogiſmo reflxo, veluti gratia exẽpli,ſit principalis ſyllogiſmus in primo modo vniuerſali ſecundæ figuræ in præhabitis terminis,videlicet, A

CE Nulla ſeruitus eſt,quod natura docet cuncta animalia.
SA Omnis maris & fœminæ coniugatio, eſt quod natura docet cũcta animalia,ergo
RE Nulla maris& fœminæ coniugatio eſt ſeruitus. B

Maior vniuerſalis negatiua circulo concluditur in hunc modum,mutata figura.

CE Nulla maris & fœminæ coniugatio eſt ſeruitus.
LA Omne,quod natura docet cũcta animalia,eſt maris & fœminæ coniugatio,ergo
RENT Nullum, quod natura docet cuncta animalia eſt ſeruitus,&
Nulla ſeruitus eſt,quod natura docet cuncta animalia. C

In ſecundo autem modo eſt negatiuam propoſitionem circulo ſyllogizare, ſumpta cõuerſa maioris propoſitionis cum concluſione ſyllogiſmi principalis,veluti ſi ſit ſyllogiſmus.

CA Omnis maris & fœminę coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.
ME Nulla ſeruitus eſt, quod natura docet cuncta animalia,ergo
STRES Nulla ſeruitus eſt maris & fœminæ coniugatio. D

Cõcluditur circulo minor negatiua tali pacto
CA Omne, quod natura docet cuncta animalia,eſt maris & fœminæ coniugatio.
ME Nulla ſeruitus eſt maris & fœminæ coniugatio,ergo
STRES Nulla ſeruitus eſt,quod natura docet cuncta animalia.

Secundo docet vlterius Ariſtoteles, quòd in ſyllogiſmis particularibus eiuſdem figuræ minorem particularem affirmatiuam primi modi eſt ſyllogizare in reflexo ſyllogiſmo per aſſumptionem; minorem verò particularem negatiuam ſecundi modi, ſumpta concluſione principali, & conuerſa alterius propoſitionis. E

Exemplum primi modi particularis ſecundæ figuræ.

FE Nulla ſeruitus eſt,quod natura docet cũcta animalia,
STI Aliqua maris & fœminæ coniugatio eſt quod natura docet cuncta animalia, ergo F
NO Aliqua maris & fœminæ coniugatio nõ eſt ſeruitus.

Minor facti ſyllogiſmi concluditur per aſſũptionem in hunc modum,

Cui alicui non ineſt ſeruitus,illi alicui ineſt, quod natura docet cuncta animalia.
Sed aliqua maris & fœminæ coniugatio non eſt ſeruitus,ergo
Aliqua maris & fœminæ coniugatio, eſt quod natura docet cuncta animalia.

Exemplum ſecundi modi particularis ſecundæ figuræ.

BA Omnis maris & fœminę coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.
RO Aliqua ſeruitus non eſt, quod natura docet cuncta animalia,ergo
CO Aliqua ſeruitus non eſt maris & fœminę coniugatio.

Minor huius ſyllogiſmi ſyllogizatur tali pacto per conuerſam maioris propoſitionis & concluſionem.

BA Omne,quod natura docet cũcta animalia,eſt maris & fœminæ coniugatio.
RO Alqua ſeruitus non eſt maris & fœminę coniugatio,ergo
CO Aliqua ſeruitus non eſt,quod natura docet cuncta animalia.

Et hæc ſatis ſuper hoc cap. pro Iuris ſtudioſis.

De eadem in tertia figura.
Cap VII.

IN tertia autem figura, quando vtræque propoſitiones vniuerſaliter ſumentur,non contingit oſtendere per ſe inuicem, nam vniuerſalis quidem oſtenditur per vniuerſalia: in hac autem concluſio ſumpta eſt particularis, quare manifeſtum,quòd omnino non contingit oſtendere per hanc figuram vniuerſalem propoſitionem. Si autem hæc quidem vniuerſalis ſit, illa verò particularis; quãdoque quidem erit, quandoque verò non erit. Quando ergo vtræque prædicatiuæ ſumantur, & vniuerſalis ſit ad minorem extremitatem, erit, quando verò ad alteram non erit.

Expeditus de ſyllogiſmo circulari in prima & ſecũda figura,procedit ad tertiam,& cum ſex ſint modo ipſius, in primis ponit, quòd quando ambę ꝓpoſitiones ſunt vniuerſales veluti in primo,& ſecundo modi, non eſt circulo ſyllogizare quempiam terminorum, quoniam cum vniuerſale colligatur per vniuerſalia, concluſio in

vtriſque

A
vtriſque his modis eſt particularis quod ſi præmiſſarum altera ſit vniuerſalis, & altera particularis vti in reliquis quatuor modis, ſi ambæ propoſitiones fuerint affirmatiuæ, & minor vniuerſalis vt in tertio modo fiet ſyllogiſmus circularis: ſi verò quãdo ambæ ſunt affirmatiuæ, ſit vniuerſalis maior propoſitio vti in quarto modo, non eſt circulo, & per ſe inuicem oſtẽdere; ideo dicit: *In tertia autem figura, quando vtræque propoſitiones vniuerſaliter ſumentur.* In tertia, & vltima figura, quaodo ambæ propoſitiones ſuot vniuerſales, *non contingit oſtendere per ſe inuicem,* non eſt
B
circulo ſyllogizare, *nam vniuerſalis quidem oſtenditur per vniuerſalia*, quoniam vniuerſalis concluſio per vniuerſales propoſitiooes concluditur: *in hac autem concluſio ſemper eſt particularis,* ſed in tertia figura ſemper concluſio eſt particularis; & ideo ſumpta eum conuerſa alterius propoſitionis noo valet inferre vniuerſalem cõcluſionem in reflexo ſyllogiſmo: *quare manifeſtum, quòd omnino non contingit oſtendere per hanc figuram vniuerſalem propoſitionem*: quapropter conſtat aper-
C
te non poſſe circulo demonſtrare alteram præmiſſarum vniuerſalem per hãc tertiam figuram. *Si autem hæc quidem vniuerſalis ſit, illa verò particularis.* Quando verò præmiſſæ ita ſe habent in tertia figura, vt vna ſit vniuerſalis, & altera particularis; *quandoque quidẽ erit, quandoque verò non erit.* erit quandoque particularem circulariter ſyllogizare, quandoque etiam non erit. *Quando ergo vtræque prædicatiuæ ſumantur, & vniuerſalis ſit, ad minorem extremitatem* Quando itaque ambę propoſitiones in tertia figura ſumuntur affirmati-
D
uę, exiſtẽte vna vniuerſali, & altera particulari, veluti in tertio & quarto modo, ſi minor propoſitio ſit vniuerſalis vti in tertio, *erit.* Fit oſtenſio circularis alterius propoſitionis, nempe particularis, quæ eſt maior: *quando verò ad alteram:* ſi autẽ vniuerſale ſit ad alterum extremorum, ita vt vniuerſalis ſit maior propoſitio vti in quarto, *nõ erit,* non erit circularis oſtẽſio alterius propoſitionis particularis, nempe minoris.

Inſit enim A omni C, B autem
E
alicui C, concluſio A, B. Si ergo ſumatur C omni A ineſſe conuerſa vniuerſali, & A ineſſe B, quod erat concluſio, C quidem oſtenſum eſt alicui B ineſſe. B autem alicui C non eſt oſtenſum, quamuis neceſſe eſt ſi C alicui B, & B alicui C ineſſe, ſed non idem eſt hoc illi; & illud huic ineſſe,
F
ſed aſſumendum eſt, ſi hoc alicui illi, & alterum alicui huic: hoc autẽ ſumpto, iam non fit ex concluſione, & altera propoſitione ſyllogiſmus. Si autem B quidem omni C, A autem alicui C, erit oſtendere A, C, quando ſumatur C quidem omni B ineſſe, A autem alicui; nam ſi C omni B ineſt A autem alicui B, neceſſe eſt A alicui C ineſſe, medium B.

Primum determinat Ariſtoteles in hac parte, quòd vtriſque propoſitionibus exiſtentibus affirmatiuis, poſito vniuerſali ad maius extremum veluti in quarto modo non fit oſtenſio circularis. Si namque ſit principalis ſyllogiſmus, in quo A maius extremum omni C medio inſit in maiori propoſitione, & B minus extremum eidẽ C medio particulariter inſit in minori, ſequitur concluſio, in qua A maius extremum alicui B minori extremo particulariter ineſt, ſcilicet, omne C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B eſt A. Sũpta itaque conuerſa maioris propoſitionis facti ſyllogiſmi cum cooncluſione principali, omne A eſt C, aliquod B eſt A, ſequitur in tertio modo primæ figuræ conuerſa minoris prioris ſyllogiſmi, quòd aliquod B eſt C; ea verò minor aliquod C eſt B, non eſt immediate per circulum oſtenſa, licet per conuerſionem valet dicere, ſi aliquod B eſt C, & aliquod C eſt B. Poſt hæc patefacit, quòd ſi vniuerſale ponatur ad minus extremum, vti in tertio modo, eſt circulo ſyllogizare alteram propoſitionem particularẽ; veluti ſi fiat principalis ſyllogiſmus, in quo A maius extremũ alicui C medio particulariter inſit in maiori propoſitione, & B minus extremum eidem C medio vniuerſaliter inſit in minori propoſitione, & ſit concluſio, in qua A alicui B inſit particulariter, aliquod C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A. Maior ſyllogiſmi concluditur circulo per concluſiooem principalem, & conuerſa minoris propoſitionis in eodem modo, aliquod B eſt A, omne B eſt C; ergo aliquod C eſt A, & ideo dicit: *Inſit enim A omni C.* Sit ſyllogiſmus principalis in quarto modo tertiæ figuræ, in quo A maius extremum inſit omni C medio in maiori propoſitione, *B autem alicui C,* & B minus extremum eidẽ C particulariter inſit in minori propoſitione, *concluſio A, B,* concluſio erit particularis, aliquod B eſt A, videlicet omne C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B eſt A: *Si ergo ſumatur C omni A ineſſe, conuerſa vniuerſali.* Si itaque ſumatur conuerſa maioris propoſitionis vniuerſalis, omne A eſt C, *& A ineſſe B,* & concluſio, aliquod B eſt A, quod ideo dicit, *quod erat concluſio,* nempe principalis ſyllogiſmi, *C quidẽ oſtenſum eſt alicui B ineſſe:* eſt quidem circulariter oſtẽſum, quòd aliquod B eſt C, quę eſt cõuerſa minoris facti ſyllogiſmi, *B autem alicui C non eſt oſtenſum,* ſed non eſt cooncluſa ipſa minor, quòd aliquod C eſt B, *quamuis neceſſe eſt,* & ſi neceſſario ſequatur per cõuerſionem ſcilicet, *ſi C alicui B, & B alicui C ineſſe,* ſi aliquod B ſit C, quòd etiam aliquod C ſit B, *ſed nõ idem eſt hoc illi, & illud huic ineſſe,* ſed non eadem eſt oratio, quæ dicit aliquod B eſt C, cum ea, quæ dicit alquod C eſt B, quia

quod

quod eſt ſubiectum vnius, ſit prædicatum alterius, & quod eſt prædicatum vnius, ſit ſubiectum alterius: *ſed aſſumendum eſt, ſi hoc alicui illi; & alterum alicui huic*; ſed poſterius ſumitur ſi hoc alicui illi inſit particulariter, quod etiã e cõuerſo iſtud illi inſit. *Hoc autem ſumpto iam non fit ex concluſione, & altera propoſitione ſyllogiſmus.* At hoc modo non fit circularis ſyllogiſmus per cõcluſionem, & conuerſam alterius propoſitionis: *ſi autem B quidem omni C*: ſi verò B minus extremum omni C medio vniuerſaliter inſit in minori propoſitione; *A autem alicui C*, & A maius extremum eidem C medio particulariter inſit in maiori propoſitione, *erit oſtendere A, C*, erit concluſio in ſyllogiſmo principali particularis, aliquod B eſt A, & in facto ſyllogiſmo, quæ eſt maior propoſitio, aliquod C eſt A, erit concluſio in reflexo, *quando ſumatur C quidem omni B ineſſe*, ſumpta conuerſa minoris propoſitionis principalis ſyllogiſmi, omne B eſt C, *A autem alicui*, & concluſione principali, aliquod B eſt A: *nam ſi C omni B ineſt*, quoniã ſi omne B eſt C in minori propoſitione, *A autem alicui B*, & aliquod B eſt A in maiori ꝓpoſitione, *neceſſe eſt A alicui C ineſſe*, de neceſſitate ſequitur concluſio, aliquod C eſt A, *medium B*, ſumpto B, quod erat minus extremum in priori ſyllogiſmo pro medio in reflexo.

At cum fuerit hæc prædicatiua quidem, illa verò priuatiua, vniuerſalis autem prædicatiua oſtendatur altera: inſit enim B omni C, A autem alicui non inſit, concluſio quòd A alicui B non ineſt. Si ergo aſſumatur C, B omni ineſſe; inerat autem & A non omni B, neceſſe eſt A alicui C non ineſſe, medium B. Cum autem priuatiua vniuerſalis ſit, non oſtenditur altera niſi ſicut in prioribus, ſi ſumatur cui hoc alicui non ineſt, alterum alicui ineſſe, vt ſi A nulli C, B autem alicui, concluſio quòd A alicui B non ineſt. Si ergo ſumatur cui A alicui non ineſt, eidem C alicui ineſse, neceſſe eſt C alicui B ineſse: aliter autem non eſt conuertentem vniuerſalem propoſitionem oſtendere alterã; nullo enim modo erit ſyllogiſmus.

Vbi poſuerit quando fiat oſtenſio circularis vtriſque propoſitionibus exiſtentibus affirmatiuis in tertia figura, nunc docet quando fiat circularis oſtenſio, exiſtente vna præmiſſarum affirmatiua, & altera negatiua, ſicuti in quinto & ſexto modo, & dicit, quòd ſi vniuerſalis fuerit affir-

A matiua, & particularis negatiua, eſt negatiuã particularem circulo ſyllogizare. Quando verò vniuerſalis eſt negatiua, & particularis affirmatiua, non eſt particularem affirmatiuam per ſe inuicẽ oſtendere, ſed per aſſumptionẽ. Si itaque ſit principalis ſyllogiſmus in quinto modo primæ figuræ, in quo B minus extremum omni C inſit medio vniuerſaliter in minori propoſitione, & A maius extremum eidem C non inſit particulariter in maiori propoſitione, & concluſio, in qua idem A alicui B non inſit, tali pacto ſcilicet, ali-

B quod C non eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B non eſt A, maior particularis negatiua circulo concluditur, ſumpta concluſione, & conuerſa minoris facti ſyllogiſmi, vt puta, aliquod B non eſt A, omne B eſt C; ergo aliquod C non eſt A. Si autem ſit ſyllogiſmus principalis in ſexto modo, in quo A maius extremum nulli C medio inſit in maiori propoſitione, & B minus extremũ eidem C medio inſit particulariter in minori, & concluſio, in qua idem A alicui C non inſit particulariter, videlicet nullũ C eſt A, aliquod C eſt

C B; ergo aliquod B non eſt A, minor talis ſyllogiſmi per aſſumptionem concludetur in hunc modum, cui alicui non ineſt A, huic alicui ineſt B; ſed aliquod C nõ eſt A; ergo aliquod C eſt B. Inquit igitur: *At cum fuerit hæc prædicatiua quidem, illa verò priuatiua.* Sed cum fuerit vna præmiſſarum affirmatiua, altera negatiua in tertia figura, veluti in quinto & ſexto modo: *vniuerſalis autem prædicatiua*, & fuerit vniuerſalis propoſitio affirmatiua, vti minor quinti modi, *oſtendetur altera*, circulariter erit alteram propoſitionem, nempe

D maiorem concludere, *inſit enim B omni C.* Sit nãque ſyllogiſmus principalis, in quo B minus extremum inſit omni C medio in minori propoſitione. *A autem alicui non inſit*, & A maius extremum eidem C medio particulariter non inſit in maiori propoſitione, *concluſio quòd A alicui B non ineſt*, erit concluſio, in qua A non inerit alicui B, veluti aliquod C non eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B nõ eſt A. *Si ergo aſſumatur C, B omni ineſſe.* Si itaque accipiatur conuerſa minoris facti

E ſyllogiſmi, omne B eſt C: *inerat autem & A non omni B*, vna cum concluſione, quę erat aliquod B non eſt A, *neceſſe eſt A alicui C non ineſſe*, ſequitur de neceſſitate aliquod C non eſt A, *medium B*, ſumpto B, quod erat minus extremum in priori ſyllogiſmo pro medio in ſyllogiſmo reflexo. *Cum autem priuatiua vniuerſalis ſit.* Quãdo autem propoſitio vniuerſalis erit negatiua, vti maior ſexti modi. *non oſtenditur altera niſi ſicut in prioribus*, alterã particularem affirmatiuã, nempe minorem non eſt circulo ſyllogizare, ſed per aſſum-

F ptionem, vti & in præcedentibus factum eſt, *ſi ſumatur cui hoc alicui non ineſt, alterum alicui ineſſe*, negatiua ſcilicet in affirmatiuam conuerſa, *vt ſi A nulli C*, ueluti ſi ſit principalis ſyllogiſmus in ſexto modo, in quo A maius extremum nulli C medio inſit in maiori propoſitione, *B autem alicui*, & B minus extremum eidem C medio inſit particulariter in minori propoſitione, *concluſio,*

quòd

quòd A alicui B non ineſt, erit concluſio, in qua idem A alicui B non inerit, vt nullum C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C non eſt A. *Si ergo ſumatur cui A alicui non ineſt, ridem C alicui ineſſe*. Si igitur ſumptũ fuerit cui alicui non ineſt A, illi alicui ineſſe B, *neceſſe eſt C alicui ineſſe*, cum aliquod C nõ ſit A, ſequitur de neceſſitate, quòd aliquod C ſit B; *aliter autem non eſt conuertentem vniuerſalem propoſitionem oſtendere alteram*, quoniam non contingit alio modo conuerſa maiori propoſitione vniuerſali cum concluſione alteram circulariter concludere: *nullo enim modo erit ſyllogiſmus*, quoniã ea ſimpliciter conuerſa, ſumpta cum concluſione, erunt ambæ præmiſſæ negatiuæ, ex quibus nulla ſequitur ratiocinatio.

Manifeſtum igitur, quòd in prima quidem figura per ſe inuicem eſt oſtenſio, & per primã, & per tertiam figurã fit: nam cum prædicatiua quidem eſt concluſio per primam; cum autem priuatiua per poſtremam: ſumitur enim cui hoc nulli, alterum omni ineſſe. In media autem cum vniuerſalis eſt quidẽ ſyllogiſmus, & per ipſam, & per primam figuram, & per poſtremam, cum autem particularis & per ipſam, & per poſtremam. In tertia verò per ipſam omnes; manifeſtum etiam quòd in media, & in tertia, qui non per ipſas fiunt ſyllogiſmi, aut non ſunt ſecundum eam, quæ circulo eſt oſtenſionem, aut imperfecti ſunt.

Repetit breui epilogo declarata in hoc capite, nempe planum eſſe ex dictis, quòd eæ propoſitiones, quę per ſe inuicem oſtenduntur in prima figura, aliæ in prima, aliæ in tertia oſtenduntur. Quæ autem circulariter ſyllogizatur in ſecũda, ſi vniuerſalis eſt propoſitio per ſecundam, ſi particularis per ſecundam & tertiam. Quæcunqne verò in tertia figura omnes per eandem tertiam. Et adhuc colligit manifeſtum eſſe, quòd quicunque ſyllogiſmi in ſecunda, & tertia figura non oſtenduntur per ſe ipſa, aut non ſunt circulares, aut imperfecti. Litera eſt clara, ideo dicta ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite VII. de circulari oſtenſione in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

DEterminat Philoſophus in hoc capite quando fiat circularis oſtenſio in tertia figura; & poſito, quòd in primo, & ſecundo modo non ſit ſyllogizare

A circulo, declarat quod in tertio, & quinto modo eſt per ſe inuicem oſtendere. In quarto verò & ſexto alio pacto; nãque in quarto eſt ſyllogizare per conuerſam maioris propoſitionis, & cõcluſionẽ principalis ſyllogiſmi, cõuerſa vlterius propoſitione concluſa in ſyllogiſmo reflexo, & in ſexto eſt ſyllogizare per aſſumptionem.

Pro quorum modorum exemplis deſumantur termini iidem de titulo Inſt. de iure nat. gen. & ciu. poſiti in duobus ſuperioribus capitibus.

Exemplum tertij modi.

B Sit ſyllogiſmus principalis in tertio modo, videlicet

DI Aliquod ius naturale eſt; quod natura docet cuncta animalia.
SA Omne ius naturale eſt maris; & fœminæ coniugatio, ergo
MIS Aliqua maris & fœminæ coniugatio eſt, quod narura docet cuncta animalia.

Maior huius ſyllogiſmi concluditur circulo, ſumpta concluſione, & conuerſa minoris propoſitionis in eodem modo.

C DI Aliqua maris & fœminæ coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia.
SA Omnis maris & fœminæ coniugatio, eſt ius natuaale, ergo
MIS Aliquod ius naturale eſt, quod natura docet cuncta animaſia.

Exemplum quarti modi.

DA Omnis maris & fœminæ coniugatio, eſt ius naturale
RI Aliqua maris & fœminæ coniugatio eſt, quod natura docet cuncta animalia, ergo
D SI Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, eſt ius naturale.
DA Omne ius naturule eſt maris & fœminæ coniugatio.
RI Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, eſt ius naturale, ergo
I Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, eſt maris & fœminę cõiugatio,
Et Aliqua maris & fœminæ coniugatio, eſt quod natura docet cuncta animalia.

E Et ſic minor prioris ſyllogiſmi cõcluditur nõ circulo immediate, ſed & vlterius per conuerſionem propoſitionis concluſæ in ſyllogiſmo reflexo, vt videtur.

Exemplum quinti modi.

BRO Aliquod ius naturale non eſt ſeruitus.
CAR Omne ius naturale eſt, quod natura docet cuucta animalia, ergo
CO Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, non eſt ſeruitus.

Maior facti ſyllogiſmi concluditur circulo, F ſumpta concluſione principali, & conuerſa minoris eiuſdem principalis ſyllogiſmi.

BRO Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, non eſt ſeruitus.
CAR Omne, quod natura docet cuncta animalia, eſt ius naturale, ergo
DO Aliquod ius naturale non eſt ſeruitus,

Exemplum ſexti modi.

FE Nullum ius naturale eſt ſeruitus.

RI Aliquod ius naturale eſt, quod natura docet cuncta animalia, ergo

SON Aliquod, quod natura docet cuncta animalia, non eſt ſeruitus.

Minor propoſitio huius ſyllogiſmi per aſſumptionem concluditur in hunc modum,

Cui alicui non ineſt ſeruitus, huic alicui ineſt, quod natura docet cuncta animalia.

Sed aliquod ius naturale non eſt ſeruitus, ergo

Aliquod ius naturale eſt, quod natura docet cuncta animalia. .

Et hæc ſatis dicta ſufficiant ſuper hoc Capite pro Iuriſperitis.

De ſyllogiſmo conuerſiuo. Cap. VIII.

COnuertere autem eſt tranſponentem concluſionem facere ſyllogiſmum; quoniam vel extremum medio non inerit, vel hoc poſtremo: neceſſe eſt enim concluſione conuerſa, & altera remanente propoſitione, interimi reliquam; nam ſi erit, & concluſio erit. Differt autem oppoſite, aut contrarie conuertere concluſionem; nõ enim fit idem ſyllogiſmus, vtralibet conuerſa, palam autem hoc erit per ſequentia. Dico autem opponi quidem, omni ineſſe non omni, & alicui nulli: contrarie autem omni, nulli, & alicui non alicui ineſſe. Sit enim oſtenſum A de C per medium B. Si igitur ſumatur A nulli C ineſſe, omni autem B, nnlli C inerit B; & ſi A quidem nulli C, B autem omni C, A non omni B, & non omnino nulli: non enim oſtendebatur vniuerſale per tertiam figuram; omnino autem eam, quæ eſt ad maiorem extremitatem propoſitionem, non eſt deſtruere vniuerſaliter per cõuerſionem: ſemper enim interimitur per tertiam figuram; ne-
A ceſſe enim ad poſtremam extremitatem vtraſque ſumere propoſitiones.

Cum triplex ſit differentia conuerſionis ex doctrina Philoponi hoc in loco terminorum, vti æquale æquali æquale, propoſitionum, & ſyllogiſmi, & de prima Ariſtoteles egerit in tractatu Prædicamentorum, de ſecunda in tractatu Periermenias, & in ſuperiori libro præſentis tractatus, de tertia in præſenti eſt ſermo. Fit autem conuerſio ſyllogiſmi ex mẽte Philoſophi, trãſponendo
B concluſionẽ facti ſyllogiſmi in oppoſitũ contrarie, vel cõtradictorie, & ex eo oppoſito, & altera præmiſſarũ facere ſyllogiſmũ ad deſtructionẽ alterius præmiſſarũ. Ponit autẽ eſſe differentiã conuerſionis cõcluſionis in contrariã, & cõtradictoriã. Siquidẽ alius fit ex vna ſyllogiſmus, & alius ex altera, vt patebit in ſequẽtibus. In præſenti cũ propoſitũ ipſius ſit pertractare de ſyllogiſmo cõuerſiuo in qualibet figura, determinat de ſyllogiſmo cõuerſiuo in prima figurã, & in primo mo-
C do, ceu ſi ſit ſyllogiſmus principalis, in quo concluſum ſit A maius extremum omni C minori extremo ineſſe per B medium; vt omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A. Deſtruitur in totum minor facti ſyllogiſmi per ſecundam figuram, ſumpta maiori propoſitione ſine mutatione, & contraria concluſionis in locum poſita ipſius minoris, tali pacto, omne B eſt A, nullũ C eſt A; ergo nullum C eſt B. Similiter maior eiuſdem principalis ſyllogiſmi interimitur in partem per tertiam figuram, ſumpta minori propo-
D ſitione in propria ſignificatione, & cõtraria concluſionis principalis poſita in locum maioris in hunc modum, nullum C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B non eſt A, & dicit: *Conuertere autẽ eſt traſponentem concluſionem facere ſyllogiſmum.* Conuertere, eſt facere ſyllogiſmum tranſponendo, & tranſmutando concluſionem, tranſponendo eam in locum alterius præmiſſarum, quæ interimitur, & tranſmutando eandem in oppoſitum contrarie, vel cõtradictorie, *quoniam vel extremũ medio non inerit*, quoniã vel maius extremũ
E nõ inerit medio termino, vt quãdo deſtruitur maior propoſitio, *vel hoc poſtremo*, vel mediũ non inerit poſtremo, ſeu minori extremo, vt quando interimitur maior propoſitio: *neceſſe eſt enim concluſione conuerſa*; ſcilicet vel in oppoſitum contrarie, vel contradictorie, *& altera remanente propoſitione*, eademq; ſumpta cum altera propoſitione facti ſyllogiſmi ſine mutatione, *interimi reliquam*, deſtrui reliquam propoſitionem eiuſdem ſyllogiſmi, *nam ſi erit, & concluſio erit*, cuius ratio eſt, quoniam ſi illa præmiſſa, quam dicimus
F interimi, remaneat, & conſtet, etiam remanebit oppoſitum, quod concluditur in ſyllogiſmo conuerſiuo, & ſic duo oppoſita ſimul vera eſſent, quod eſt abſurdũ: *differt autem oppoſite, aut contrarie conuertere concluſionem*: eſt verò differentia inter conuerſionem concluſionis in oppoſitam, nempe contradictoriam, & in contrariam; *non enim fit idem ſyllogiſmus, vtralibet conuerſa*;

propte-

propterea quod ex vtraque conuerſione non ſequitur idem ſyllogiſmus, ſed ex alia alius, *palam autem hoc erit per ſequentia*, quod in ſequentibus manifeſtabitur. *Dico autem opponi quidem*, ſcilicet contradictorie, *omni ineſſe non omni*, omni ineſſe non ineſſe alicui: *contrarie autem*, ſcilicet opponi, *omni nulli*, omni ineſſe, nulli ineſſe, *& alicui non alicui ineſſe*, & alicui ineſſe, non alicui ineſſe, ſumit contrarie largo modo pro ſubcontrarie, declarat prædicta exemplo. *Sit enim oſtenſum A de C per medium B.* Sit namque principalis ſyllogiſmus in primo modo primæ figuræ, in quo concluſū fuerit A maius extremū omni C minori extremo ineſſe per B medium, vt omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A. *Si igitur ſumatur A nulli C ineſſe.* Si itaque ſumpta fuerit cōtrariam concluſionis facti ſyllogiſmi, nullum C eſt A in locum minoris propoſitionis, *omni autē B*, & ſimiliter ſumpta fuerit maior prioris ſyllogiſmi ſine mutatione, omne B eſt A, *nulli C inerit B*, ſequetur concluſio in ſecundo modo ſecundæ figuræ, quòd nullum C eſt B, & ita erit interempta minor principalis ſyllogiſmi, quę erat, omne C eſt B, cum duo oppoſita ſimul vera eſſe non valeant, *& ſi A quidem nulli C*, & ſi ſumpta fuerit ſimiliter contraria concluſionis principalis, nullum C eſt A, & poſita in locum maioris propoſitionis eiuſdem principalis ſyllogiſmi, *B autem omni C*, & eidem fuerit adiuncta minor, omne C eſt B in ſua propria ſignificatione, *A non omni B*, ſequitur hæc concluſio in ſecundo modo tertiæ figuræ, quòd aliquod B nō eſt A, & ſic deſtruetur maior in partē principalis ſyllogiſmi, *& non omnino nulli*, non autem deſtruitur in totum, ita vt ſequatur nullum B eſt A: *non enim oſtendebatur vniuerſale per tertiam figuram*, quoniam vniuerſalis concluſio non colligitur per vltimam figuram; *omnino autem eam, quæ eſt ad maiorem extremitatem propoſitionem, non eſt deſtruere vniuerſaliter per conuerſionem*, & idcirco maior propoſitio vniuerſalis ſyllogiſmi principalis in primo modo primæ figuræ non poteſt omnino interimi per ſyllogiſmum conuerſiuum, ſed ſolum in partem; *ſemper enim interimitur per tertiam figuram*; quoniā maior propoſitio deſtruitur ſemper per vltimam figuram, quę concluditur particulariter; *neceſſe enim ad poſtremam extremitatem vtraſque ſumere propoſitiones*, quoniam ad deſtructionem maioris propoſitionis prioris ſyllogiſmi, neceſſe eſt & maiorem, & minorem extremitatem in ſyllogiſmo conuerſiuo prędicari de minori extremitate prioris ſyllogiſmi; in vtriſque propoſitionibus namque minor extremitas ſyllogiſmi principalis efficitur medium in ſyllogiſmo conuerſiuo interimente maiorem propoſitionē eiuſdem ſyllogiſmi principalis.

Et ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus ſimiliter, oſtendatur enim A nulli C ineſſe per B; ergo ſi ſumatur A omni C ineſſe, nulli autem B, nulli C

A inerit B, & ſi A, & B omni C, A alicui B, ſed nulli inerat.

Proſequitur tractationem de ſyllogiſmo conuerſiuo in ſecundo modo primæ figuræ, in quo ſi concluſum ſit A maius extremum nulli C minori extremo ineſſe per B medium tali pacto ſcilicet nullum B eſt A, omne C eſt B; ergo nullum C eſt A, minor facti ſyllogiſmi auſertur in totū per primū modum ſecundæ figurę, poſita maio-
B ri propoſitione ſyllogiſmi principalis in propria ſignificatione; & eidem adiuncta principali concluſione, videlicet nullum B eſt A, omne C eſt A; ergo nullū C eſt B. Conſimiliter maior eiuſdem ſyllogiſmi proſyllogizati deſtruitur in partem per primum modum tertiæ figuræ, ſumpta contraria cōcluſionis principalis, & minori propoſitione, vt omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A, & addit: *Et ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus ſimiliter*. Conſimiliter ſe habet in ſecundo modo primæ figurę negatiuo; *oſtendatur enim*
C *A nulli C per B*, ſit enim principalis ſyllogiſmus, in quo A maius extremum nulli C minori extremo ineſſe per medium B concludatur, vt nullum B eſt A, omne C eſt B; ergo nullum C eſt A. *Ergo ſi ſumatur A omni C ineſſe*. Sumpta itaque pro minori propoſitione contraria concluſionis facti ſyllogiſmi & poſito A, quod erat maius extremum, tanquàm medium omni C minori extremo ineſſe, *nulli autem B*, & ſumpta maiori eiuſdem prioris ſyllogiſmi, in qua A maius extremum nulli B medio ineſt, *nulli C in-*
D *erit B*, ſequetur concluſio in primo modo ſecundæ figuræ, in qua B nulli C inerit, quæ erit contraria minoris ſyllogiſmi principalis, *& ſi A, & B omni C*, ſumpta verò pro maiori propoſitione contraria principalis concluſionis, in quo A maius extremum omni C minori extremo inſit, & ſumpta minori eiuſdem ſyllogiſmi, in qua B, quod erat medium, tanquam minus extremum omni inſit C, *A alicui B*, ſequitur concluſio in primo modo tertiæ figuræ, in qua A alicui B inerit, *ſed nulli inerat*, cuius contradictorium ſumebatur in maiori prioris ſyllogiſmi, in qua A
E nulli B inerat. Sequitur textus,

Si autē oppoſite conuertatur concluſio, & alij ſyllogiſmi oppoſiti, & non vniuerſales erunt. Fit enim altera propoſitio particularis, quare cō-cluſio erit particularis: ſit enim prædicatiuus ſyllogiſmus, & conuerta-
F tur ſic. Ergo ſi A non omni C, B autem omni, B non omni, & ſi A quidē non omni C, B autem omni, A non omni B. Similiter autem & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus; nam ſi A alicui

interimentur vtræque: ſi autem contrarie conuertantur, neutra: nam ſi A alicui C non ineſt, B autem omni, B alicui C non inerit: ſed nondum interimitur quod ex principio: contingit enim alicui ineſſe, & alicui non ineſſe; vniuerſali autem ſublato A, B omnino non fit ſyllogiſmus. Si enim A quidẽ alicui C non ineſt, B autem alicui ineſt, neutra propoſitionum viuerſalis eſt. Similiter autem & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus; ſi enim ſumatur A omni C ineſſe, interimuntur vtræque; ſi autem alicui, neutra, demonſtratio autem eadem.

Vbi tractauit de ſyllogiſmo cõuerſiuo in vniuerſalibus coniugationibus primæ figuræ, nunc de eodem pertractat in particularibus eiuſdem figuræ, & determinat, quòd ſi concluſio in oppoſitam conuertatur, vtræque propoſitiones ſyllogiſmi principalis interimuntur: ſi verò conuertatur cõcluſio dicta in contrariam neutra propoſitionum præmiſſarum deſtruitur: ſi namque in prima particulari iugatione concludatur A maius extremum alicui C minori extremo per B medium ineſſe, omne B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C eſt A. Sumpta contradictoria huius concluſionis cum minori propoſitione nullũ C eſt A, aliquod C eſt B, ſequetur in ſexto modo tertiæ figuræ, quòd aliquod B non eſt A, quę concluſio eſt contradictoria maioris propoſitionis ſyllogiſmi proſyllogizati, & ſi ſumatur eadem contradictoria concluſionis cum maiori eiuſdẽ principalis ſyllogiſmi, omne B eſt A, nullum C eſt A, concludetur in ſecundo modo ſecundę figuræ, quòd nullum C eſt B, quæ concluſio erit contradictoria minoris ſyllogiſmi principalis. Si autem concluſio principalis non in contradictoriam, ſed in contrariam conuertatur, ea ſumpta cum maiori principalis ſyllogiſmi, omne B eſt A, aliquod C non eſt A, ſequetur in quarto modo ſecundæ figuræ, quòd aliquod C non eſt B, quæ verificari contingit ſimul cum minori prioris ſyllogiſmi, aliquod C eſt B; ſumpta autem eadem contraria cum minori propoſitione, aliquod C non eſt A, aliquod C eſt B, nihil ſequitur, quoniam ambæ ſunt particulares propoſitiones, ex quibus in aliqua trium figurarum nil eſt ſyllogizare. Similiter ſe habet in ſecundo modo negatiuo particulari eiuſdem primæ figuræ, quoniam ſi ſit ſyllogiſmus negatiuus principalis, nullum B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C non eſt A, ſumpta contradictoria concluſionis cum maiori propoſitione, nullum B eſt A, omne C eſt A, ſequetur in primo modo

A ſecundæ figuræ, quòd nullum C eſt B, quæ concluſio eſt contradictoria minoris prioris ſyllogiſmi; ſumpta verò contradictoria concluſionis ſyllogiſmi principalis cum minori eiuſdem ſyllogiſmi, omne C eſt A, aliquod C eſt B, ſequetur in quarto modo tertiæ figuræ, quòd aliquod B eſt A, quę eſt contradictoria maioris eiuſdem ſyllogiſmi principalis, quòd ſi ſumpta fuerit non contradictoria, ſed contraria concluſionis principalis cum maiori propoſitione, nullum B eſt A, aliquod C eſt A, ſequetur in quarto mo-
B do ſecundæ figuræ, quòd aliquod C non eſt B, quæ ſimul cum minori prioris ſyllogiſmi poteſt verificari in materia contingenti, quod ſi eadẽ verò contraria ſyllogiſmi proſyllogizati ſumpta fuerit cum minori propoſitione eiuſdem ſyllogiſmi, aliquod C eſt A, aliquod C eſt B, nil ſyllogizatur ex vtriſque particularibus, ideo inquit: *In particularibus autem ſyllogiſmis*, ſcilicet primæ figuræ, *quando oppoſite conuertitur concluſio*, quando concluſio principalis conuertitur in contradictoriam, *interimuntur vtraque pro-*
C *poſitiones*, ambæ præmiſſæ ſyllogiſmi principalis deſtruuntur: *quando verò contrarie*, quando verò concluſio principalis in contrariam conuertitur, *neutra*, neutra præmiſſarum ſyllogiſmi principalis interimitur: *non enim iam accidit quemadmodum in vniuerſalibus interimere*, quoniam in tali conuerſione non contingit deſtrui præmiſſas ſicuti cõtingebat in vniuerſalibus ſyllogiſmis, quando ſumebatur contraria concluſionis, *deficiente concluſione ſecundum couerſionem*, quoniam concluſio in cõuerſione deficit ab vni-
D uerſalitate, *ſed nec omnino interimere*, ſed neque poteſt concludi alteram præmiſſarum vniuerſaliter interimi: *oſtendatur enim A de aliquo C per B*: ſit namque primus modus particularis primæ figuræ, in quo A maius extremum de C minori extremo per B medium oſtendatur, omne B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C eſt A. *Ergo ſi ſumatur A nulli C ineſſe*. Sumpta igitur contradictoria cõcluſionis facti ſyllogiſmi, nullum C eſt A, *B autem alicui C*, atque eidem adiuncta minori eiuſdem ſyllogiſmi, aliquod C eſt B,
E *A alicui B nõ inerit*, ſequetur in ſexto modo tertię figuræ, quòd aliquod B non eſt C, *& ſi A nulli C*, & ſumpta eadem contradictoria concluſionis principalis, nullum C eſt A, *B autem omni*, ac eidem ſuperpoſita maiori ſyllogiſmi principalis, omne B eſt A, *nulli C inerit B*, ſequetur in ſecundo modo ſecundæ figuræ, quòd nullum C eſt B, *quare interimuntur vtræque*, & ſic ambę præmiſſæ & maior & minor principalis ſyllogiſmi deſtruentur. *Si autem contrarie conuertantur* Si autem concluſio ſyllogiſmi principalis conuerta-
F tur in contrariam, *neutra*, neutra præmiſſarum eiuſdem ſyllogiſmi deſtruetur: *nam ſi A alicui C non ineſt*, quoniam ſumpta contraria, aliquod C non eſt A, *B autem omni*, & eidem ſuperaddita maiori prioris ſyllogiſmi, omne B eſt A, *B alicui C non inerit*, ſequetur in quarto modo ſecundæ figuræ, quòd aliquod C

non eſt B, *ſed nondum interimitur qond ex principio:* ſed propterea non interimitur minor propoſitio ſyllogiſmi principalis. *Contingit enim alicui ineſſe, & alicui non ineſſe*, quoniam ambæ ſimul & minor prioris ſyllogiſmi, & concluſio conuerſiui poſſunt eſſe veræ in materia ſcilicet contingenti: *vniuerſali autem ſublato, A, B omnino non fit ſyllogiſmus*: ad interimendum vero minorem propoſitionem ſyllogiſmi principalis, omne B eſt A, non fit ſyllogiſmus. *Si enim A quidem alicui C non ineſt*; quouiã ſi ſumatur contraria concluſionis principalis, aliquod C non eſt A, *B autem alicui ineſt*, cum minori propoſitione eiuſdem ſyllogiſmi, aliquod C eſt B, *neutra propoſitionum vniuerſalis eſt*, ambæ præmiſſæ ſunt particulares, ex quibus in aliqua figurarũ nihil ſyllogiſmo concludi valet. *Similiter autem & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus*. Idem quoque contingit in ſecundo modo particulari negatiuo, nullum B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C non eſt A, *Si enim ſumatur A omni C ineſſe*. Conuerſa namque concluſione facti ſyllogiſmi in contradictoriam, *interimuntur vtraque*, ambæ præmiſſæ eiuſdem ſyllogiſmi deſtruuntur: *ſi autem alicui*: conuerſa vero eadem concluſione in contrariam, *neutra*, neutra præmiſſarum interimitur; *demonſtratio autem eadem*: fit autem eadem demonſtratio in hoc ſecundo modo particulari, quæ fiebat in primo, vt nos antea poſuimus.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc Capite.

Super Capite VIII. de ſyllogiſmo conuerſiuo pro Iuris ſtudioſis.

DEterminat Ariſtoteles in hoc capite de ſyllogiſmo conuerſiuo; fit autem ſyllogiſmus conuerſiuus tranſponendo concluſionem facti ſyllogiſmi in oppoſitum contrarie, vel contradictorie, & ex oppoſito, & altera præmiſſarum facere ſyllogiſmum ad deſtructionem alterius præmiſſarum.

In primis autẽ pertractat de ſyllogiſmo conuerſiuo in vniuerſalibus iugationibus primæ figuræ, poſt hæc de particularibus eiuſdẽ figuræ.

In ſyllogiſmis vniuerſalibus primæ figuræ ad hoc vt deſtruantur ambæ propoſitiones, concluſio conuertenda eſt in contrariam.

In ſyllogiſmis autem particularibus vt præmiſſæ interimantur, oportet conuertere concluſionem in contradictoriam.

Pro exemplo primę iugationis vniuerſalis deſumantur termini in l. plerunque. ff. de iure dot. & fiat ſyllogiſmus principalis in hunc modum.

BAR Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
BA Omnis cõuentio reſtituendi rem in dotem traditam, eſt pactum dotale, ergo
RA Omnis cõuentio reſtituendi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt.

Minor propoſitio facti ſyllogiſmi deſtruitur, ſumpta maiori eiuſdem ſyllogiſmi, & contraria concluſionis in ſecundo modo ſecundæ figuræ.

A CA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
ME Nulla conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt, ergo
STRES Nulla conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, eſt pactum dotale.

Maior autem propoſitio principalis ſyllogiſmi interimitur, ſumpta contraria concluſionis principalis, & minori propoſitione per ſecundum modum tertiæ figuræ.

FE Nulla cõuentio reſtituendi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt.
B LA Omnis conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, eſt pactum dotale, ergo
PTON Aliquod pactum dotale ſeruandum non eſt.

Pro exemplo ſecundæ iugationis vniuerſalis deſumendi ſunt termini in l. pacta quæ contra. C. de pactis. & in tit. C. ne liceat potentioribus.

CE Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.
LA Omnis conuentio de quota litis eſt pactum contra bonos mores, ergo C
RENT Nulla conuentio de quota litis ſeruanda eſt.

Minor propoſitio huius ſyllogiſmi deſtruitur, ſumpta maiori propoſitione, & contraria concluſionis in primo modo ſecundæ figuræ.

CE Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.
SA Omnis conuentio de quota litis ſeruanda eſt, ergo
D RE. Nulla conuentio de quota litis eſt pactũ contra bonos mores.

Maior autem eiuſdem ſyllogiſmi principalis interimitur, ſumpta contraria concluſionis principalis, & minori propoſitione in primo modo tertiæ figuræ.

DA Omnis conuentio de quota litis ſeruanda eſt.
RA Omnis conuentio de quota litis eſt pactum contra bonos mores, ergo
PTI Aliquod pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.

E In ijſdem terminis valemus ponere exemplũ, & in particularibus iugationibus primæ figuræ, in quibus fit conuerſio concluſionis in contradictoriam, veluti, Sit ſyllogiſmus principalis in prima iugatione particulari.

DA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
RI Aliqua conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, eſt pactum dotale, ergo
I Aliqua conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt.

F Maior huius ſyllogiſmi deſtruitur, ſumpta cõtradictoria concluſionis, & minori propoſitione in ſexto modo ſecundæ figuræ.

FE Nulla conuentio reſtituendi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt.
RI Aliqua conuentio reſtituendi rem in dotem traditã, eſt pactũ dotale, ergo
SON Aliquod pactũ dotale ſeruandũ nõ eſt.

Minor autem propoſitio ſyllogiſmi principalis deſtruitur, ſumpta maiori propoſitione eiuſdem ſyllogiſmi, & contradictoria conclusionis in ſecundo modo ſecundæ figuræ.

CA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
ME Nulla cōuentio reſtituēdi rem in dotem traditam, ſeruanda eſt, ergo
STRES Nulla conuentio reſtituēdi rem in dotem traditam eſt pactum dotale.

In ſecunda autem iugatione particulari fit principalis ſyllogiſmus talis.

FE Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.
RI Aliqua conuentio de quota litis eſt pactū contra bonos mores, ergo
O Aliqua conuentio de quota litis ſeruanda non eſt.

Minor facti ſyllogiſmi deſtruitur, ſumpta maiori propoſitione, & contradictoria concluſionis in primo modo ſecundæ figuræ.

CE Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.
SA Omnis conuentio de quota litis ſeruanda eſt, ergo
RE Nulla conuentio de quota litis eſt pactū contra bonos mores.

Maior autem ſyllogiſmi principalis interimitur, ſumpta contradictoria concluſionis principalis, & minori propoſitione in quarto modo tertiæ figuræ.

DA Omnis conuentio de quota litis ſeruanda eſt,
RI Aliqua conuentio de quota litis, eſt pactū contra bonos mores, ergo
SI Aliquod paſtum contra bonos mores ſeruandum eſt.

Quæ dicta ſatis pro Iuriſperitis in præſenti Capite.

De ſyllogiſmo conuerſiuo in ſecunda figura. Caput IX.

IN ſecunda autem figura eam quidem, quæ eſt ad maiorem extremitatem, propoſitionem non eſt interimere contrarie, quolibet modo conuerſione facta, ſemper erit concluſio in tertia figura: vniuerſalis autem non fit in hac ſyllogiſmus, alteram autem in hac interimemus, ſimiliter conuerſione. Dico autem ſimiliter, ſi contrarie quidem conuertitur, contrarie; ſi oppoſite, oppoſite. Inſit enim A omni B, C autem nulli, con
A clusio B, C. Si ergo ſumatur B om
ni C ineſſe, & A. B maneat, A omni
C inerit; fit enim prima figura: ſi
autem B omni C, A autem nulli C,
A non omni B figura poſtrema: ſi au
tem oppoſite conuertatur B C, A B
quidem ſimiliter oſtendetur; A, C
autem oppoſite, nam ſi B alicui C,
B A autem nulli C, A alicui B non in-
erit. Rurſum ſi B alicui C, A autem
omni B, A alicui C; quare oppoſi-
tus fit ſyllogiſmus. Similiter autem
oſtendetur, & ſi è conuerſo ſe ha-
beant propoſitiones.

Abſoluta tractatione ſyllogiſmi conuerſiui in
C prima figura procedit ad tractationem eiuſdem
in ſecunda figura, & determinat in prima parte
huius capitis in vniuerſalibus ſyllogiſmis ſecun-
dæ figuræ maiorē principalis non interimi con-
trarie, ſiue ſumatur contraria concluſionis prin-
cipalis, ſiue contradictoria cum altera præmiſſa-
rum. Ratio eſt, quoniam concluſio ſyllogiſmi
conuerſiui interimentis maiorē ſyllogiſmi prin-
cipalis ſemper fit in tertia figura, quæ non con-
cludit vniuerſaliter: minorem verò ſyllogiſmi
principalis eſt interimere ſimili modo ac fiat cō-
D uerſio concluſionis principalis; ſi namque con-
cluſio conuertatur in contrariam, interimitur &
minor contrarie; ſi in oppoſitam, cōtradictorie,
quod oſtendit in vniuerſalibus incipiendo à ſe-
cundo modo, in quo maior eſt vniuerſalis affir-
matiua, & minor vniuerſalis negatiua. Sit enim
ſyllogiſmus principalis in ſecundo modo ſecun
dæ figuræ, in quo A medium omni B maiori ex-
tremo inſit in maiori propoſitione, & idem me-
dium nulli C minori extremo inſit in minori
propoſitione, & B maius extremum nulli C mi-
E nori extremo inſit in concluſione tali pacto vi-
delicet, omne B eſt A, nullum C eſt A; ergo nul-
lum C eſt B, ſumpta maiori propoſitione facti
ſyllogiſmi cum cootraria concluſionis, omne B
eſt A, omne C eſt B, ſequetur in primo modo
primæ figuræ contraria minoris principalis ſyl
logiſmi, quòd omne C eſt A, & ſumpta mino-
ri propoſitione ſyllogiſmi principalis cum con-
traria concluſionis principalis, nullum C eſt A,
omne C eſt B, ſequetur in ſecundo modo ter-
tiæ figuræ contradictoria maioris eiuſdem ſyl-
F logiſmi principalis, aliquod B non eſt A, quod
ſi ſumatur minor ſyllogiſmi principalis cum cō-
tradictoria concluſionis, nullum C eſt A, ali-
quod C eſt B, ſequetur in ſexto modo tertiæ
figuræ, contradictoria maioris, aliquod B non
eſt A, & ſumpta maiori ſyllogiſmi principa-
lis cum contradictoria concluſionis, omne B

eſt A, aliquod C eſt B, ſequetur in tertio modo primæ figuræ contradictoria minoris proſyllogizati ſyllogiſmi, aliquod C eſt A, & hoc idem oſtēdetur etiam in primo modo ſecundæ figuræ, in quo è conuerſo ſe habent propoſitiones; ſiquidem maior eſt vniuerſalis, & negatiua, minor autem vniuerſalis affirmatiua, vt per ſe patet. Dicit itaque: *In ſecunda autem figura* In media figura *eam quidem, quæ eſt ad maiorem extremitatem, propoſitionem*, maiorem propoſitionē principalis ſyllogiſmi, *non eſt interimere contrarie*, per ſyllogiſmum conuerſiuum non interimitur contrarie; *quolibet modo conuerſione facta*, quouis modo conclusio principalis conuertatur ſiue contrarie, ſiue oppoſite, *ſemper erit concluſio in tertia figura*, quoniā concluſio interimens in ſyllogiſmo conuerſiuo maiorem propoſitionem ſemper fit per poſtremam figuram: *vniuerſalis autem non fit in hac ſyllogiſmus*, ſed in tertia figura non fit ſyllogiſmus aliquis concludens vniuerſaliter. *alteram autem in hac interimemus*; alteram verò propoſitionem ſyllogiſmi proſyllogizati, nempe minorem in hac ſecunda figura eſt interimere, *ſimiliter conuerſione*, ſimili modo ac fiat conuerſio concluſionis principalis. *Dico autem ſimiliter*, gerit vicem interpretis, & inquit, *ſi contraria quidem conuertitur*, ſi concluſio principalis ſyllogiſmi conuertatur in contrariam, *contrarie*, fit interemptio minoris contrariæ, *ſi oppoſite*; ſi autem concluſio principalis conuertitur in contradictoriam, *oppoſite*, fit interemptio minoris contradictoriæ. Declarat exemplo in vniuerſalibus ſyllogiſmis huius ſecundæ figuræ, & in primis in ſecundo modo; *Inſit enim A omni B*: ſit enim ſyllogiſmus principalis in ſecundo modo ſecundæ figuræ, in quo A medium omni B maiori extremo inſit in maiori propoſitione, *C autem nulli*, & idē A nulli C minori extremo inſit in minori propoſitione, *concluſio B, C*, ſequetur in concluſione B maius extremum nulli C minori extremo ineſſe, videlicet omne B eſt A, nullum C eſt A, ergo nullum C eſt B. *Si ergo ſumatur B omni C ineſſe.* Sumpta itaque contraria concluſionis proſyllogizati ſyllogiſmi in minori propoſitione ſyllogiſmi conuerſiui, omne C eſt B, *& A, B maneat*, & ſumpta maiori propoſitione prioris ſyllogiſmi ſine mutatione, omne B eſt A, *A omni C inerit*, erit concluſio, quòd omne C eſt A. *Fit enim prima figura*. Efficitur namque tali pacto primus modus primæ figuræ; *ſi autem B omni C*; ſumpta verò contraria concluſionis principalis pro minori propoſitione, omne C eſt B, *A autem nulli C*, & ſumpta minori propoſitione, omne C eſt B pro maiori in ſyllogiſmo conuerſiuo, *A non omni B*, ſequitur concluſio, aliquod B non eſt A, *figura poſtrema*, in ſecundo modo tertiæ figuræ. *Si autem oppoſite conuertatur B, C*, quod ſi fuerit ſumpta contradictoria cōcluſionis principalis in ſyllogiſmo conuerſiuo, *A, B quidem ſimiliter oſtendetur*, concluſio contradictoria erit in ſyllogiſmo conuerſiuo, interimens maiorem principalis ſyllogiſmi, aliquod B non eſt A, *A, C autem*

A *oppoſite*, & concluſio interimens minorem propoſitionem eiuſdem ſyllogiſmi principalis erit oppoſita aliquod C eſt A, *nam ſi B alicui C*, quoniam ſi ſumpta fuerit contradictoria concluſionis principalis, aliquod C eſt B pro minori propoſitione in ſyllogiſmo conuerſiuo, *A autem nulli C*, cum minori propoſitione eiuſdem ſyllogiſmi principalis ſine mutatione, nullum C eſt A pro maiori propoſitione, *A alicui B non inerit*, ſequetur in ſexto modo tertiæ figuræ, quod aliquod B non eſt A. *Rurſum ſi B alicui C*. Et inſuper

B ſi fuerit ſumpta eadē oppoſita concluſionis principalis, aliquod C eſt B pro minori propoſitione, *A autem omni B*, & maiori propoſitione ſyllogiſmi principalis ſine mutatione omne B eſt A, *A alicui C*, ſequetur in tertio modo tertiæ figuræ, quod aliquod C eſt A: *quare oppoſitus fit ſyllogiſmus*, quapropter fit ratiocinatio concludens oppoſitū. *Similiter autē oſtendetur.* Et idē demonſtrabitur, *& ſi è conuerſo ſe habeant propoſitiones*, etiam ſi è contrario propoſitiones ſe habeant ac in modo prædicto, vt ſi A maior pro-

C poſitio fuerit vniuerſalis negatiua, & minor vniuerſalis affirmatiua, ſicuti in primo modo vniuerſali ſecundæ figuræ.

Si aūt particularis eſt ſyllogiſmus, contrarie quidē conuerſa concluſione, neutra propoſitionū interimitur, quemadmodum nec in prima figura, oppoſite autem vtræque: pona-

D tur enim A, B quidem nulli ineſſe, C autem alicui, concluſio B, C Si igitur ponatur B alicui C ineſſe, & A, B maneat, concluſio erit, quoniam A alicui C non ineſt, ſed non interimitur quod ex principio: contingit enim alicui ineſſe, & non ineſſe. Rurſum ſi B alicui C, & A ali-

E cui C, non erit ſyllogiſmus: neutrum enim vniuerſale eorum, quæ ſumpta ſunt; quare non interimitur A, B. Si autem oppoſite conuertatur, interimuntur vtræque, nam ſi B omni C, A autem nulli B, nulli C, A, erat autem alicui. Rurſum ſi B om-

F ni C, A autem alicui C, alicui B, A; eadem autem demonſtratio & ſi vniuerſalis ſit prædicatiua.

Expleto ſermone de ſyllogiſmo conuerſiuo in vniuerſalibus ſecundæ figuræ, nunc proſequitur in particularibus, & determinat, quod ſi concluſio ſyllogiſmi principalis conuertatur contrarie,

trarie, nulla præmiſſarum eiuſdem ſyllogiſmi A
terimitur per ſyllogiſmum conuerſiuum ne-
que maior, neque minor. Si autem principa-
lis concluſio conuertatur in contradictoriam,
ambę deſtruuntur,& ponit exemplum in primo
modo particulari ſecundæ figurę; ſi namque fue
rit ſyllogiſmus principalis, in quo A mediū nul-
li B maiori extremo inſit in maiori propoſitio-
ne, & idem A alicui C inſit minori extremo in
minori propoſitione, & B maius extremum ali-
cui C minori extremo non inſit in concluſione,
veluti nullum B eſt A, aliquod C eſt A; ergo ali- B
quod C non eſt B, ſumpta ſubcontraria conclu-
ſionis facti ſyllogiſmi (hanc namque contrariam
appellat largo modo) cum maiori propoſitione
ſine mutatione nullum B eſt A, aliquod C eſt B,
ſequetur in quarto modo primæ figuræ ſubcon-
traria minoris prioris ſyllogiſmi, aliquod C non
eſt A, & ſic non deſtruetur ea minor, cum ambæ
poſſint eſſe ſimul veræ in materia contingenti.
Sumpta verò eadem ſubcontraria concluſionis
principalis cum minori propoſitione, aliquod
C eſt A; aliquod C eſt B, nō ſequitur interemptio C
maioris principalis ſyllogiſmi, quando ex dua-
bus particularibus nil ſyllogizatur. Quod ſi cum
maiori propoſitione ſyllogiſmi principalis ſine
mutatione ſumpta fuerit contradictoria conclu
ſionis, nullum B eſt A, omne C eſt B, ſequetur in
ſecundo modo primæ figuræ contradictoria mi
noris eiuſdem ſyllogiſmi principalis; ergo nul-
lum C eſt A, et ſi cum minori ſyllogiſmi princi-
palis ſine mutatione ſumpta fuerit contradicto-
ria concluſionis, aliquod C eſt A, omne C eſt B,
ſequetur in tertio modo tertiæ figuræ contradi D
ctoria maioris prioris ſyllogiſmi; ergo aliquod
B eſt A. Similiter erit demonſtratio in ſyllogiſ-
mo conuerſiuo, & ſi vniuerſalis propoſitio ſit af
firmatiua in ſyllogiſmo principali, veluti ſe ha-
bet in quarto modo ſecundæ figuræ. Dicit ita-
que: *Si autem particularis eſt ſyllogiſmus.* In particu
laribus autem ſyllogiſmis ſecundæ figurę, *contra
rie quidem conuerſa concluſione*, ſi concluſio prin-
cipalis conuertatur in contrariam, *neutra propoſi
tionum interimitur*, neutra præmiſſarum eiuſdem E
ſyllogiſmi principalis ſiue maior, ſiue minor in-
terimitur per ſyllogiſmum conuerſiuum, *quem-
admodum nec in prima figura*, quemadmodum ne-
que in particularibus primæ figuræ, *oppoſite au-
tem*: ſi verò concluſio ſyllogiſmi principalis con
uertatur in contradictoriã, *vtraque*, ambæ præ-
miſſæ eiuſdem ſyllogiſmi & maior, & minor de
ſtruuntur per ſyllogiſmum conuerſiuum. *Pona-
tur enim A, B quidem nulli ineſſe.* Sit enim ſyllogiſ-
mus principalis in primo modo particulari ſe-
cundæ figuræ, in quo A medium nulli B maiori
extremo inſit in maiori propoſitione; *C autem ali F
cui*, & idem A alicui C minori extremo inſit in
minori propoſitione, *concluſio B, C*, & B alicui C
nō inſit in cōcluſione, videlicet nullum B eſt A,
aliquod C eſt A; ergo aliquod C non eſt B. *Si igi-
tur ponatur B alicui C ineſſe.* Sumpta itaque contra
ria concluſionis principalis aliquod C eſt B pro

minori propoſitione; *& A, B maneat*, & maiori
propoſitione eiuſdem ſyllogiſmi in propria ſigni
ficatione nullum B eſt A, *concluſio erit., quoniam
A alicui C non ineſt*, ſequetur in quarto modo pri
mæ figure ſubcontraria minoris prioris ſyllogiſ
mi, ergo aliquod C nō eſt A; *ſed non interimitur qd
ex principio*, verùm minor propoſitio ſyllogiſmi
principalis non deſtruitur: *contingit enim alicui
ineſſe, et non ineſſe*, quoniam ambæ & dicta minor
& concluſio ſyllogiſmi conuerſiui poſſunt eſſe ſi
mul veræ in materia contingenti. *Rurſum ſi B ali
cui C.* Præterea ſumpta ſubcontraria cōcluſionis
principalis; aliquod C eſt B, *& A alicui C* cū mi-
nori eiuſdē principalis ſyllogiſmi, aliquod C eſt
A, *non erit ſyllogiſmus*, nulla ſequitur ratiocinatio:
neutrum enim uniuerſale eorum quę ſumpta ſunt; pro
pterea quod neutrum extremorum in propoſi-
tionibus eſt vniuerſale, & ex vtriſque propoſitio
nibus particularibus nihil ſequitur ſyllogiſtice;
quare non interimitur A, B; & propterea non ſe-
quitur interemptio maioris propoſitionis ſyllo
giſmi principalis, quæ erat nullum B eſt A. *Si au-
tem oppoſite conuertatur.* Si verò ſumatur contra-
dictoria concluſionis principalis, *interimuntur
vtraque*, ambæ præmiſſæ eiuſdem ſyllogiſmi &
maior & minor deſtruuntur; *nam ſi B omni C*; quo
niam ſumpta contradictoria concluſionis ſyllo-
giſmi principalis pro minori propoſitione in ſyl
logiſmo conuerſiuo, omne C eſt B, *A autem nulli
B*, cum maiori propoſitione eiuſdem principalis
ſyllogiſmi, nullum B eſt A, *nulli C, A*, ſequetur in
ſecundo modo primæ figuræ, quod nullum C
eſt A, contradictoria minoris ſyllogiſmi proſyl-
logizati, *erat autem alicui*, quæ erat aliquod C eſt
A. *Rurſum ſi B omni C.* Inſuper eadem contradi-
ctoria principalis ſyllogiſmi, omne C eſt B, ſum-
pta pro minori propoſitione in conuerſiuo ſyllo
giſmo, *A autem alicui C*, cum minori propoſitio-
ne eiuſdem ſyllogiſmi principalis, ſumpta pro
maiori, aliquod C eſt A, *alicui B, A*, ſequetur in
tertio modo tertiæ figuræ, contradictoria maio-
ris propoſitionis, aliquod B eſt A: *eadem autem de
monſtratio. & ſi vniuerſalis ſit prædicatiua*, & ſimili
ter erit demonſtratio, ſi maior propoſitio fuerit
vniuerſalis affirmatiua, vt in ſecūdo modo par
ticulari ſecundæ figurę. Satis.

Super capite IX. de ſyllogiſmo conuerſiuo in ſecunda figura pro Iuris ſtudioſis.

DVo conſideranda habemus pro vſu
Iuriſtarum in hoc capite.
Primum in vniuerſalibus ſyllogiſ-
mis ſecundæ figuræ.
Secundum in particularibus eiuſdem figuræ.
Quo ad primum, maiorem propoſitionem ſyl
logiſmi principalis interimi contradictorie, quo
cunque modo conuertatur concluſio ſiue in con
trariam, ſiue in contradictoriam.

Minorem

Minorem verò propoſitionem interimi ſimi- A
li modo ac fiat conuerſio, ſi in contrariam, contrarie, ſi in oppoſitam, contradictorie.

Exemplum ſyllogiſmi deſtruentis maiorem.

Sit ſyllogiſmus principalis in ſecũdo modo vniuerſali ſecundæ figuræ in terminis ſumptus, & in præcedenti capite, in l. plerunque. ff. de iure dot. in l. pacta quæ contra. C. de pactis. & in tit. C. ne liceat potentioribus.

CA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
ME Nulla conuentio de quota litis ſeruãda eſt, ergo B
STRES Nulla conuentio de quota litis eſt pactum dotale.

Si concluſio facti ſyllogiſmi conuertatur in contrariam maior propoſitio eiuſdem in ſyllogiſmo conuerſiuo deſtruetur per contradictoriã in ſecundo modo tertiæ figuræ.

FE Nulla conuentio de quota litis ſeruãda eſt.
LA Omnis conuentio de quota litis eſt pactum dotale, ergo
PTON Aliquod pactum dotale ſeruandum non eſt. C

Quòd ſi concluſio eiuſdem ſyllogiſmi principalis conuertatur in contradictoriam, eadẽ maior eiuſdem ſyllogiſmi per contradictoriam in ſyllogiſmo conuerſiuo interimetur in ſexto modo tertiæ figuræ.

FE Nulla conuentio de quota litis ſeruanda eſt.
RI Aliqua conuentio de quota litis eſt pactum dotale, ergo
SON Aliquod pactum dotale ſeruandum non eſt. D

Exemplum ſyllogiſmi deſtruentis minorem.

Sit principalis ſyllogiſmus præcedenter poſitus.

Si concluſio ipſius conuertatur in contrariã, contrarie deſtruitur eiuſdẽ minor, veluti in primo modo primæ figuræ.

BAR Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
BA Omnis cõuentio de quota litis eſt pactũ dotale, ergo E
RA Omnis conuentio de quota litis ſeruanda eſt.

Si autem principalis concluſio cõuertatur in contradictoriã, minor deſtruitur oppoſite in tertio modo primæ figuræ.

DA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
RI Aliqua conuẽtio de quota litis eſt pactum dotale, ergo
I Aliqua conuentio de quota litis ſeruanda eſt. F

Conſimiliter fit demonſtratio etiam in primo modo vniuerſali huius ſecundæ figuræ.

Quo ad ſecundm principale in particularibus ſyllogiſmis, ambæ præmiſſæ ſyllogiſmi principalis per contradictoriam tolluntur.

Exemplum in primo modo particulari primę figurę.

Sit ſyllogiſmus principalis.

FE Nulla conuentio de quota litis ſeruanda eſt.
STI Aliquod pactum dotale ſeruandum eſt, ergo
NO Aliquod pactum dotale non eſt conuentio de quota litis.

Maior huius ſyllogiſmi deſtruetur per cõtradictoriam in tertio modo tertiæ figuræ.

DI Aliquod pactum dotale ſeruandum eſt
SA Omne pactum dotale eſt conuentio de quota litis, ergo
MIS Aliqua conuentio de quota litis ſeruanda eſt.

Minor eiuſdem ſyllogiſmi principalis deſtruitur per ſecundum modum primæ figuræ per oppoſitam couclusionis principalis.

CE Nulla conuentio de quota litis ſeruãda eſt.
LA Omne pactum dotale eſt conuentio de quota litis, ergo
RENT Nullum pactum dotale ſeruandũ eſt.

Eadem demonſtratio fit & in ſecundo modo particulari ſecundæ figuræ.

Quæ ſatis dicta ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo conuerſiuo in tertia figura. Cap. X.

IN tertia verò figura quando contrarie quidem conuertitur concluſio, neutra propoſitionum interimitur ſecundum nullum ſyllogiſmorum; quando autem oppoſite, vtræque in omnibus. Sit enim oſtenſum A alicui B ineſſe, medium autem ſumptum C, & ſint vniuerſales propoſitiones. Si ergo ſumatur A alicui B non ineſſe, B autem omni C, non fit ſyllogiſmus, eius quod eſt A de C, neque ſi A, B alicui non ineſt, C autem omni, non erit eius quod eſt B, C ſyllogiſmus. Similiter autem oſtendetur, & ſi non vniuerſales ſint propoſitiones; aut enim vtraſque neceſſe eſt particulares eſſe per conuerſionem, aut vniuerſalem ad minorem extremitatem fieri; ſic autem non fiet ſyllogiſmus nec in prima figura, nec in media.

Abſoluta

Abſoluta explicatione ſyllogiſmi conuerſiui in prima & ſecunda figura tranſit ad tertiam, & ponit quòd quando concluſio principalis ſyllogiſmi conuertitur in contrariam, neutra pręmiſſarum ſiue maior, ſiue minor deſtruitur per ſyllogiſmum aliquem in tertia figura; quando verò concluſio principalis conuertitur in contradictoriam, ambæ præmiſſæ tolluntur, quod patefacit per ſingulas iugationes tertiæ figuræ, & affirmatiuas, & negatiuas. In primis autem per affirmatiuas vniuerſales, poſtea per particulares. Sit namque ſyllogiſmus principalis affirmatiuus in prima iugatione tertiæ figurę, in quo A maius extremum per C medium alicui B minori extremo ineſſe demonſtretur, ſcilicet omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A. Si accipiatur contraria concluſionis cum minori propoſitione, aliquod B non eſt A, omne C eſt B, non fit deſtructio maioris, quoniam non ſequitur ſyllogiſmus ex maiori particulari in prima figura: & ſi accipiatur contraria cum maiori propoſitione, aliquod B non eſt A, omne C eſt A, non deſtruitur minor, quando aut contraria erit maior propoſitio vt poſuimus, & ex maiori particulari in ſecunda figura non fit ſyllogiſmus, aut contraria erit minor propoſitio, & tunc fit quidem ſyllogiſmus in quarto modo ſecundæ figurę, omne C eſt A, aliquod B non eſt A; ergo aliquod B non eſt C; ſed hæc propoſitio concluſa non eſt contradictoria minoris principalis ſyllogiſmi, ſed eius conuerſæ. Similiter ſi fiat ſyllogiſmus principalis in tertia iugatione tertiæ figuræ, quę eſt ſecunda particularis affirmatiua, aliquod C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A. ſumpta contraria concluſionis facti ſyllogiſmi cum maiori propoſitione, aliquod B non eſt A, aliquod C eſt A, nõ deſtruitur minor, quoniam maior particularis eſt in ſecunda figura, nec ſumpta contraria cum minori propoſitione, aliquod B non eſt A, omne C eſt B, deſtruitur maior: ſiquidem maior propoſitio erit particularis in prima figura. Pariter ſi ſit ſyllogiſmus principalis in quarta iugatione tertię figuræ, quæ eſt ſecũda particularis affirmatiua, omne C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B eſt A: ſi accipiatur huius concluſionis contraria cum minori propoſitione aliquod B non eſt A, aliquod C eſt B, non deſtruitur maior; propterea quod maior propoſitio in ſecunda figura fit particularis: ſi autẽ contraria accipiatur cum maiori propoſitione; neque propterea minor deſtruitur, quoniam vel contraria erit minor propoſitio, & tũc quidem fit ſyllogiſmus in quarto modo ſecundæ figurę, omne C eſt A, aliquod B nõ eſt A; ergo aliquod B non eſt C, ſed propoſitio concluſa non eſt contradictoria minoris ſyllogiſmi principalis, ſed conuerſæ ipſius, aut contraria fit maior, aliquod B non eſt A, omne C eſt A, & tunc non fit ſyllogiſmus ex maiori particulari in ſecunda figura. Inquit igitur: *In tertia verò figura*. In poſtrema autem figura, *quando contrarie quidem conuertitur concluſio*, quando concluſio ſyllogiſmi principalis conuertitur in contrariam, *neutra propoſitionum interimitur ſecundum nullum ſyllogiſmorum*, neutra præmiſſarum neque maior, neque minor deſtruitur per aliquem ſyllogiſmum: *quando autem oppoſite*: quando verò concluſio principalis conuertitur in contradictoriam, *vtræque in omnibus*, ambæ pręmiſſæ deſtruuntur in omnibus iugationibus tertię figuræ. *Sit enim oſtenſum A alicui B ineſſe, medium autem ſumptum C*. Sit namque aliquis ſyllogiſmus in tertia figura, in quo concluſum ſit A maius extremum alicui B minori extremo ineſſe per C medium, vti in primo modo tertię figuræ, omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A, *& ſint vniuerſales propoſitiones*, maior & minor vt poſuimus. *Si ergo ſumatur A alicui B non ineſſe*. Si accipiatur contraria facti ſyllogiſmi, aliquod B non eſt A, quæ ſit maior propoſitio, *B autem omni C*, cum minori prioris ſyllogiſmi omne C eſt B, *nõ fit ſyllogiſmus eius, quod eſt A de C*, non fit ſyllogiſmus interimens maiorem propoſitionẽ ſyllogiſmi principalis, quæ eſt omne C eſt A, *neque ſi A, B alicui non ineſt*, neque ſi contraria concluſionis ſumatur pro maiori popoſitione, aliquod B nõ eſt A, *C autem omni*, cum maiori propoſitione, omne C eſt A, in locum minoris, *non erit eius, quod eſt B, C ſyllogiſmus*, non fiet ſyllogiſmus interimens minorem propoſitionem prioris ſyllogiſmi, quę erat omne C eſt B. *Similiter autem oſtendetur & ſi non vniuerſales ſint propoſitiones*. Idem demonſtrabitur, & in modis affirmatiuis non habentibus ambas præmiſſas vniuerſales, veluti in tertio, & quarto, in quibus, *aut enim neceſſe eſt particulares eſſe per conuerſionem*, aut ſequitur de neceſſitate per conuerſionem concluſionis principalis in contrariam, ambas præmiſſas eſſe particulares ſiue concluſio ſumpta fuerit cum maiori, ſiue cum minori ſyllogiſmi principalis, *aut vniuerſalem ad minorem extremitatem fieri*, aut minorem propoſitionem eſſe vniuerſalem, & maiorem particularem, *ſic autem non fiet ſyllogiſmus nec in prima figura, nec in media*, & neutro modo ſiue in prima, ſiue in ſecunda figura fieri poteſt ratiocinatio.

E Si autem oppoſite conuertatur propoſitiones interimũtur utræque, nam ſi A nulli B, B autem omni C, A nulli C. Rurſum ſi A, B quidem nulli, C autem omni, B nulli C; & ſi altera non ſit vniuerſalis, ſimiliter. Si enim A nulli B, B autem alicui C, A alicui C non inerit: ſi autem A, B quidem nulli, C autem omni, nulli C, B.

Oſtenſo quòd in affirmatiuis ſyllogiſmis tertiæ figuræ, quando concluſio principalis ſyllogiſmi conuertitur in contrariam, neutra præmiſſarum interimitur: manifeſtat, quòd ſi in iiſdem

affir-

affirmatiuis ſyllogiſmis concluſio conuertatur in contradictoriam, deſtruuntur ambæ propoſitiones & maior & minor. Ponit autē in primis primum modum vniuerſalem affirmatiuum, deinde particularem. Sit enim principalis ſyllogiſmus in primo modo tertię figurę, omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A, ſumpta contradictoria facti ſyllogiſmi cum minori propoſitione deſtruitur maior per ſecundum modum ſecundæ figuræ, nullum B eſt A, omne C eſt B, nullum C eſt A, & ſumpta contradictoria cum maiori propoſitione per primum modum ſecundæ figuræ deſtruitur maior, nullum B eſt A, omne C eſt A, ergo nullum C eſt B; in affirmatiuis quoque particularibus ita ſe habet. Sit enim principalis ſyllogiſmus in quarto modo tertiæ figuræ, qui eſt tertius affirmatiuus, omne C eſt A, aliquod C eſt B, ergo aliquod B eſt A, ſumpta contradictoria cōcluſionis cum minori propoſitione deſtruitur maior per ſuam cōtradictoriam per quartum modum primæ figuræ, nullū B eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod C non eſt A, & ſumpta eadem contradictoria concluſionis principalis cum maiori propoſitione deſtruitur minor per ſuam contradictoriam per primū modum ſecundæ figuræ, nullum B eſt A, omne C eſt A; ergo nullum C eſt B. Eadem eſt demonſtratio in tertio modo eiuſdem tertiæ figurę, qui eſt ſecundus affirmatiuus: tertius nāque, & quartus modus cōueniunt in qualitate, & quantitate propoſitionum, differunt ſola poſitione. Dicit itaque: *Si autem oppoſite conuertatur, propoſitiones interimuntur vtræque.* Si verò concluſio ſyllogiſmi principalis conuertatur in contradictoriam, ambæ præmiſſæ deſtruuntur, *nam ſi A nulli B,* quoniam ſuppoſito ſyllogiſmo principali in primo modo vniuerſali affirmatiuo tertiæ figuræ, omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A: hoc inquam reſumpto, ſi concluſio facti ſyllogiſmi conuertatur in contradictoriam, quę eſt nullum B eſt A, ea poſita cum minori propoſitione, *B autem omni C,* quæ eſt omne C eſt B, *A nulli C,* ſequetur in ſecundo modo primę figurę contraria maioris propoſitionis ſyllogiſmi principalis, nullum C eſt A. *Rurſum ſi A, B quidem nulli.* Et ſumpta contraria concluſionis principalis, nullum B eſt A, *C autem omni,* cum maiori propoſitione, omne C eſt A, ſequetur in primò modo ſecundæ figurę contraria minoris, nullum C eſt B: *& ſi altera non ſit vniuerſalis, ſimiliter:* idem contingit etiam in ſyllogiſmo affirmatiuó tertiæ figuræ, in quo ambę pręmiſſæ non ſunt vniuerſales, ſed vna vniuerſalis, & altera particularis, veluti in quarto modo ſiſit principalis ſyllogiſmus, omne C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B eſt A. *Si enim A nulli B.* Sumpta namque contradictoria concluſionis, nullū B eſt A, *B autē alicui C,* cū minori ꝓpoſitione, aliquod C eſt B, *A alicui C nō inerit,* ſequetur contradictoria maioris in tertio modo ſecūdę figurę; ergo aliquod C nō eſt A: *ſi autem A quidem nulli B,* & ſumpta eadē cōtradictoria cōcluſionis principalis, nullū B eſt A, *C autem omni,* cum maiori propoſitione, omne C eſt A, *nulli C, B,* ſequetur contradictoria minoris in primo modo ſecundæ figurę; ergo nullū C eſt B.

A Similiter & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus, oſtendatur enim A alicui B nō ineſſe. Sit autem prædicatiua quidem B C, A C autem negatiua, ſic enim fiebat ſyllogiſmus. Quando

B igitur contrarium ſumitur concluſioni, non erit ſyllogiſmus; nam ſi A alicui B, B autem omni C, non fit ſyllogiſmus eius, quod eſt A, & C, neque ſi A alicui B, nulli autem C, non fit eius, quod eſt B, & C ſyllogiſmus, quare non interimuntur propoſitiones; quando verò oppoſitum interi-

C muntur, nam ſi A omni B, & B omni C, A omni C, ſed nulli inerat. Rurſum ſi A omni B, nulli autem C, B nulli C, ſed omni inerat.

Declarato, quòd in affirmatiuis ſyllogiſmis tertiæ figurę quando concluſio principalis ſyllogiſmi conuertitur in contrariam, neutra pręmiſſarum interimitur; quando verò conuertitur cō-

D cluſio dicta in contradictoriam, vtræque tolluntur. Hoc idem patefacit & in negatiuis primum vniuerſalibus, poſtea particularibus, & inquit quod & in negatiuis ſyllogiſmis tertię figurę ſi concluſio conuertatur in contrariam, neutra interimitur, ſi in contradictoriam vtræque. Sit nāque ſyllogiſmus principalis in ſecundo modo tertię figurę, præmiſſis exiſtentibus vniuerſalibus vtriſque, in quo A maius extremum nulli C medio inſit in maiori propoſitione, & B minus extremum eidem medio vniuerſaliter inſit

E in minori propoſitione, & A alicui B non inſit in concluſione tali pacto, nullum C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B non eſt A, ſumpta contraria concluſionis facti ſyllogiſmi cum minori propoſitione, aliquod B eſt A, omne C eſt B, non deſtruitur maior prioris ſyllogiſmi, quoniam maior in prima figura non poteſt eſſe particularis, & ſumpta eadem contraria concluſionis cum maiori propoſitione non deſtruitur minor eiuſdem ſyllogiſmi principalis. Quoniā vel dicta cōtraria erit maior, vt aliquod B eſt A, nul-

F lum C eſt A, & tunc particulari exiſtente maiori in ſecunda figura nil ſequitur, vel contraria erit minor, nullum C eſt A, aliquod B eſt A, & tunc in ſecunda figura per tertium modum ſequitur contradictoria conuerſę minoris propoſitionis, aliquod B non eſt C, & ſic conuerſa principali concluſione in contrariam, neutra præmiſſarum interimitur; at ſi in oppoſitam conuertatur, tol-

lun-

luntur ambæ: ſumpta namque contradictoria cum minori propoſitione, omne B eſt A, omne C eſt B, interimitur maior propoſitio per ſuam contradictoriam per primum modum primæ figuræ; ergo omne C eſt A, & ſumpta oppoſita cū maiori propoſitione, omne B eſt A, nullum C eſt A, interimitur minor per ſuam contrariam per ſecundum modum primæ figuræ; ergo nullum C eſt B, ideo inquit: *Similiter & ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus.* Simili modo ſe habet in conuerſione, & in negatiuis ſyllogiſmis tertiæ figuræ, *oſtendatur enim A alicui B non ineſſe*; demonſtretur namque in principali ſyllogiſmo A maius extremū alicui B minori extremo non ineſſe in concluſione. *Sit autem prædicatiua quidem B, C*, & minor affirmatiua ſit omne C eſt B, *A, C autem negatiua*, exiſtente maiori negatiua nullum C eſt A; *ſic enim fiebat ſyllogiſmus*: ſic namque ſecundus modus tertiæ figuræ conſtruebatur. *Quando igitur cōtrarium ſumitur concluſioni.* Sumpta itaque cōtraria concluſionis cum altera præmiſſarū, *non erit ſyllogiſmus*, nullus fit ſyllogiſmus interimens maiorem, vel minorem propoſitionem ſyllogiſmi proſyllogizati, *nam ſi A alicui B*, quoniam ſumpta cōtraria pro maiori propoſitione, aliquod B eſt A, *B autem omni C*, cum minori propoſitione, omne C eſt B, *non fit ſyllogiſmus eius, quod eſt A, & C*, nullus fit ſyllogiſmus deſtructiuus maioris propoſitionis ſyllogiſmi principalis, quæ erat, nullū C eſt A, *neque A alicui B*, neque ſumpta eadem contraria, aliquod B eſt A, *nulli autem C*, cum maiori propoſitione ſyllogiſmi principalis, nullum C eſt A, *non fit eius, quod eſt B, & C ſyllogiſmus*, non fit ſyllogiſmus interimens propoſitionem minorem, omne C eſt B; *quare non interimuntur propoſitiones*: quapropter conuerſa concluſione principali in contrariam præmiſſæ non deſtruuntur: *quando verò oppoſitum*; ſi vero concluſio principalis conuertatur in cōtradictoriam, *interimuntur*, vtræque propoſitiones tolluntur; *nam ſi A omni B*; quoniam ſumpta oppoſita, omne B eſt C, *& B omni C*, cum minori propoſitione, omne C eſt B, *A omni C*, ſequitur in primo modo primæ figuræ, quòd omne C eſt A, *ſed nulli inerat*, contraria maiori prioris ſyllogiſmi, quæ erat, nullum C eſt A. *Rurſum ſi A omni B*. Et ſumpta eadem contradictoria, omne B, eſt A, *nulli autem C*, cum maiori propoſitione, nullum C eſt A, *B nulli C*, ſequetur in ſecundo modo ſecundæ figuræ, quòd nullum C eſt B, *ſed omni inerat*, quæ eſt contraria minoris proſyllogizati ſyllogiſmi, quæ erat, omne C eſt B. Sequitur textus.

Similiter autem monſtratur, & ſi non vniuerſales ſint propoſitiones, ſit enim A, C vniuerſalis, & priuatiua; altera autem particularis, & prædicatiua. Ergo ſi A quidem omni B, B autem alicui C, A alicui C accidit, ſed nulli inerat. Rurſum ſi A omni B, A nulli autem C, & B nulli C: ſi autem A alicui B, & B alicui C, non fit ſyllogiſmus, neque ſi A alicui B, & nulli C; nec ſic: quare illo quidē modo interimuntur, ſic autē non interimuntur propoſitiones.

Procedit ad modos negatiuos habentes alteram particularem in tertia figura, & oſtendit,
B quòd & in eis ſi concluſio principalis conuertatur in contradictoriam, deſtruuntur ambæ præmiſſæ, ſi in contrariam minime. Sit enim ſyllogiſmus principalis in ſexto modo tertiæ figuræ, in quo A maius extremum nulli C medio inſit in maiori propoſitione, & B minus extremum eidem medio particulariter inſit in minori, & A non inſit alicui B in concluſione, vt puta, nullum C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B non eſt A, ſumpta contradictoria concluſionis facti ſyllogiſmi cum minori propoſitione, omne B eſt
C A, aliquod C eſt B, ſequetur in tertio modo primæ figuræ deſtructio maioris propoſitionis per ſuam contradictoriam; ergo aliquod C eſt A, & ſumpta eadem contradictoria concluſionis principalis cum maiori propoſitione, omne B eſt A, nullum C eſt A, interimitur minor in ſecundo modo ſecundæ figuræ per ſuam contradictoriā; ergo nullum C eſt B: ſi verò accipiatur contraria concluſionis ſyllogiſmi principalis cum minori propoſitione, aliquod B eſt A, aliquod C eſt B,
D non eſt ſyllogiſmus interimens maiorem, exiſtente maiori propoſitione particulari: & ſi accipiatur eadem contraria cum maiori propoſitione, ſi contraria fiet maior, aliquod B eſt A, nullum C eſt A in ſecunda figura, non fit ſyllogiſmus ex maiori particulari: ſi autem cōtraria fiet maior, nullum C eſt A, aliquod B eſt A, ſequetur in tertio modo ſecundæ figuræ contraria conuerſę minoris; ergo aliquod B non eſt C, & quod dictū eſt de ſexto modo, etiam poteſt demonſtrari de quinto, vt patet. Percurramus verba: *Simili-*
E *ter autem monſtratur & ſi non vniuerſales propoſitiones.* Simili modo monſtratur quod dictum eſt de conuerſione, quādo ambæ propoſitiones ſunt vniuerſales in negatiuis ſyllogiſmis, etiam quando altera eſt particularis, *ſit enim A, C vniuerſalis, & priuatiua*, in quo maior propoſitio, nullum C eſt A, eſt vniuerſalis negatiua: *altera autem particularis, & prædicatiua*, & minor, aliquod C eſt B; particularis affirmatiua; ex quibus concluſio ſequitur negatiua particularis; ergo aliquod B nō eſt A. *Ergo ſi A quidem omni B.* Sumpta itaque cō-
F tradictoria facti ſyllogiſmi pro maiori propoſitione in ſyllogiſmo conuerſiuo, omne B eſt A, *B autem alicui C*, cū minori propoſitione, aliquod C eſt B, *A alicui C accidit*, ſequitur contradictoria maioris in tertio modo primæ figuræ; ergo aliquod C eſt A, *ſed nulli inerat*; erat enim A maior in priori ſyllogiſmo, nullum C eſt A. *Rurſum ſi A omni B.* Vlterius ſumpta eadem contradicto-

ria con-

ria concluſionis principalis pro maiori, omne B A
eſt A, *nulli autem C*, cum maiori propoſitione loco minoris, nullum C eſt A, *& B nulli C*, ſequitur in ſecundo modo ſecundæ figuræ contradictoria minoris; ergo nullum C eſt B: *ſi autem A alicui B*: ſi verò accipiatur contraria concluſionis principalis, aliquod B eſt A, *& B alicui C*, cum minori, aliquod C eſt B, *non fit ſyllogiſmus*, non ſequetur ſyllogiſmus interimens maiorem, quoniam ambæ ſunt particulares in prima figura, *neque ſi A alicui B*, neque ſumpta eadẽ contraria, aliquod B eſt A, *& nulli C*, cum maiori propoſitione, nul- B
lum C eſt A, *nec ſic*, neque hoc modo ſequitur ſyllogiſmus interimens minorem, quia vel non eſt ſyllogiſmus, vt quando contraria eſt maior, vel ſi eſt, ſequitur non contraria minoris, ſed eius cõuerſa, vt vidimus. Sequitur textus.

Manifeſtem eſt ergo ex ijs quæ dicta ſunt, quomodo conuerſa concluſione in vna quaque figura fit ſyllogiſmus, quando contrarie propoſi- C
tioni, & quando oppoſite. Et quoniam in prima quidem figura, per mediam, & poſtremam fiunt ſyllogiſmi: & quæ quidem ad minorem extremitatem, ſemper per mediam interimitur: quæ verò ad maiorem per poſtremam. In ſecunda autem D
per primam, & poſtremam; quæ quidem ad minorem extremitatẽ, ſemper per primam figuram: quæ verò ad maiorem per poſtremam. In tertia verò per primam, & per mediã, & quæ quidem ad maiorem per primam ſemper; quæ verò ad minorem per mediam ſemper. Quid eſt ergo E
conuertere, & quomodo in vnaquaque figura: & quis ſit ſyllogiſmus, manifeſtum.

In hac poſtrema parte capitis colligit Ariſtoteles ex dictis planum eſſe, quomodo per conuerſionem concluſionis principalis ſyllogiſmi in cõtrariam, vel contradictoriam fit conuerſiuus ſyllogiſmus interimens præmiſſas, vel per ſuam cõtrariã, vel per ſuam contradictoriam, & quod in F
prima figura ſyllogiſmus cõuerſiuus interimens maiorem propoſitionem fit per tertiã figuram, & interimens minorem per ſecundam. In ſecunda vero figura ſyllogiſmus conuerſiuus interimens minorem fit per primam figuram; interimens autem maiorem fit per tertiam, & in tertia figura ſyllogiſmus cõuerſiuus interimens ma- A
iorem fit per primam; interimẽs verò minorem per ſecundam, & vlterius dicit conſtare. Ex iam dictis quid ſit conuertere, & quomodo conuerſio fiat, & quis ſit ſyllogiſmus conuerſiuus; verba textus ſunt de ſe nota, ideo omitto textualem expoſitionem.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc Capite.

Super Capite X. de ſyllogiſmo conuerſiuo in tertia figura pro Juris ſtudioſis. B

Quod continetur in præſenti capite ad vtilitatem Iuriſperitorum eſt, quòd ſi concluſio principalis ſyllogiſmi formati in tertia figura conuertatur in ſuam contradictoriam, vtræque propoſitiones deſtruuntur in omnibus ſyllogiſmis & affirmatiuis, & negatiuis per ſyllogiſmum conuerſiuũ.

Pro exemplo non diſcedam a præcedentibus C
terminis deſumptis in tit. ff. & C. de pactis. & primum accipio affirmatiuos ſyllogiſmos tertiæ figuræ.

Sit principalis ſyllogiſmus affirmatiuus ex vtriſque vniuerſalibus in primo modo.

DA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
RA Omne pactum dotale honeſtum eſt, ergo
PTI Aliquod honeſtum ſeruandum eſt.

Maior facti ſyllogiſmi deſtruitur per ſuam contrariam per ſecundum modũ primę figuræ.

D
CE Nullum honeſtum ſeruandum eſt.
LA Omne pactum dotale honeſtum eſt, ergo
RENT Nullum pactum dotale ſeruandũ eſt.

Minor autem ſyllogiſmi principalis pariter interimitur, ſumpta contradictoria concluſionis principalis cum maiori propoſitione per cõtrariam eiuſdem minoris per primum modum ſecundæ figuræ.

CE Nullum honeſtum ſeruandum eſt.
SA Omne pactum dotale ſeruandum eſt, ergo
RE Nullum pactum dotale honeſtum eſt. E

Similis eſt demõſtratio, ſi ſyllogiſmus principalis ſit affirmatiuus, & propoſitio vna ſit vniuerſalis, & altera particularis.

DA Omne pactum dotale ſeruandum eſt.
RI Aliquod pactum dotale honeſtũ eſt, ergo
SI Aliquod honeſtum ſeruandum eſt.

Maior huius ſyllogiſmi deſtruitur per ſuam contradictoriam per quartum modum primæ figuræ.

FE Nullum honeſtum ſeruandum eſt.
F
RI Aliquod pactum dotale honeſtũ eſt, ergo
O Aliquod pactum dotale ſeruandũ non eſt.

Minor verò eiuſdem ſyllogiſmi principalis per ſuam contradictoriam deſtruitur per primũ modum ſecundæ figuræ.

CE Nullum honeſtum ſeruandum eſt.
SA Omne pactum dotale ſeruandum eſt, ergo
RE Nullum pactum dotale honeſtum eſt.

In ne-

In negatiuis etiam ſyllogiſmis tertiæ figuræ eadem eſt demonſtratio.

Sit.n.ſyllogiſmus principalis negatiuꝰ ex vtriſque vniuerſalibus in ſecũdo modo tertię figurę.

FE Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.
LA Omne pactum contra bonos mores conuentio eſt, ergo
PTON Aliqua conuentio ſeruanda non eſt.

Maior huius ſyllogiſmi deſtruitur conuerſa concluſione in contradictoriam per primũ modum primę figurę per contrariã eiſdẽ maioris.

BAR Omnis conuentio ſeruanda eſt.
BA Omne pactum contra bonos mores eſt conuentio, ergo
RA Omne pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.

Minor autem eiuſdem ſyllogiſmi principalis interimitur per ſuam contrariã in ſecundo modo ſecundæ figurę.

CA Omnis conuentio ſeruanda eſt.
ME Nullum pactum contra bonos mores ſeruandum eſt, ergo
STRES Nullum pactum contra bonos mores conuentio eſt.

Eodem modo eſt demonſtratio, ſi ſyllogiſmus principalis ſit negatiuus ex vna propoſitione vniuerſali, & altera particulari.

Sit namque principalis ſyllogiſmus in ſexto modo tertiæ figuræ.

FE Nullum pactũ contra bonos mores ſeruandum eſt.
RI Aliquod pactũ contra bonos mores conuentio eſt, ergo
SON Aliqua conuentio ſeruanda non eſt.

Maior huius ſyllogiſmi deſtruitur per ſuam contradictoriam in tertio modo primæ figuræ.

DA Omnis conuentio ſeruanda eſt.
RI Aliquod pactum contra bonos mores conuentio eſt, ergo
I Aliquod pactum contra bonos mores ſeruandum eſt.

Minor verò eiuſdẽ ſyllogiſmi principalis interimitur per ſuam contradictoriam in ſecundo modo ſecundæ figurę.

CA Omnis conuentio ſeruanda eſt.
ME Nullum pactum cõtra bonos mores ſeruandum eſt, ergo
STRES Nullum pactum cõtra bonos mores conuentio eſt.

Quæ dicta ſatis ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo per impoſſibile. Cap. XI.

PEr impoſſibile autem ſyllogiſmus oſtenditur quidem, quando contradictio ponitur concluſionis, & aſſumitur altera propoſitio. Fit autem in A omnibus figuris: ſimile enim eſt conuerſioni; veruntamen differt in tantum, quoniam conuertitur quidem facto ſyllogiſmo, & ſumptis vtriſque propoſitionibus. Deducitur autem ad impoſſibile non confeſſo oppoſito prius, ſed manifeſto, quoniam eſt verum; termini verò ſimiliter ſe ha- B bent in vtriſque; & eadem ſumptio vtrorũque, vt ſi A ineſt omni B, mediũ autem C, ſi ſupponitur A non omni, vel nulli B ineſſe, C verò omni quod fuit verum, neceſſe eſt C, B aut nulli, aut non omni ineſſe, hoc autem impoſſibile: quare falſum eſt C quod ſuppoſitum eſt. Verum ergo oppoſitum, ſimiliter autem in alijs figuris: quæcunque enim conuerſionem ſuſcipiunt; & per impoſſibile ſyllogiſmum.

Poſt ſyllogiſmum conuerſiuum tractat de ſyllogiſmo per impoſſibile, & dicit, quod ſyllogiſmus per impoſſibile fit, quando poſita contradictoria concluſionis, quam intendimus demon- D ſtrare pro præmiſſa, & aſſumpta altera propoſitione per ſe vera, concluditur aliquod impoſſibile, & iſte ſyllogiſmus per impoſſibile partim conuenit cũ conuerſiuo, partim diſcrepat. Conuenit, quoniam fit in omnibus figuris, ſicuti & conuerſiuus. Diſcrepat, quoniam ſyllogiſmus conuerſiuus fit ex proſyllogizato ſyllogiſmo, & ſumptis ſecundum actum vtriſque propoſitionibus, quarum oppoſitum ſyllogizatur: ſyllogiſmus verò per impoſſibile fit & ſi non fuerit ſyl- E logizata cõcluſio, quæ ponitur eſſe vera: ſed quoniam ſecũdum rem ipſam manifeſtum eſt, quod eſt vera; eſt tamen in vtroque ſyllogiſmo, & conuerſiuo, & per impoſſibile eadem ſumptio terminorum, & ſumitur ex ambobus oppoſitũ concluſionis; quod manifeſtat exemplo. Sit enim ſyllogizatum in prima figura A maius extremum B minori extremo vniuerſaliter ineſſe in cõcluſione per C medium, veluti omne C eſt A, omne B eſt C; ergo omne B eſt A. Si ſupponatur contraria, vel contradictoria concluſionis cum ma- F iori propoſitione per ſe vera, ſequetur contraria, vel contradictoria minoris, ſequetur contraria minoris, ſuppoſita contraria concluſionis in ſecundo modo ſecundæ figuræ, omne C eſt A, nullum B eſt A; ergo nullum B eſt C, ſequetur contradictoria minoris ſuppoſita contradictoria concluſionis in quarto modo ſecundę figurę, omne C eſt A, aliquod B non eſt A; ergo aliquod

B non eſt C, & cum vtraque ſit impoſſibilis, quā do duo contraria ſimul non poſſunt eſſe vera, neque duo contradictoria; ergo ſuppoſitio falſa, & oppoſita eius vera. Conſimiliter etiam in reliquis figuris & media, & poſtrema, quæcunque conuerſiue oſtenduntur, illa & per impoſſibile demonſtrantur, & dicit: *Per impoſſibile autem ſyllogiſmus oſtenditur*. Syllogiſmus per impoſſibile oſtenditur, ſiue fit *quando contradictio ponitur concluſionis*, ſuppoſita contradictoria concluſionis, quam intendimus demonſtrare, *& aſſumitur altera propoſitio*, & ſimul ſumpta altera propoſitione per ſe vera. *Fit autem in omnibus figuris, ſimile enim eſt conuerſioni*. Qui ſyllogiſmus per impoſſibile fit ad inſtar conuerſiui in omnibus figuris, prima, media, & poſtrema, *veruntamen differt in tantum*; differt tamen ſyllogiſmus per impoſſibile à conuerſiuo, *quoniam conuertitur quidem facto ſyllogiſmo*, propterea quòd cõuerſiuus fit ex proſyllogizato ſyllogiſmo, *& ſumptis vtriſque propoſitionibus*, & ambabus præmiſſis actualiter poſitis. *Deducitur autem ad impoſſibile*. Fit autem ſyllogiſmus per impoſſibile, *non cõfeſſo oppoſito, prius*, & ſi nõ actu fuerit proſyllogizatum id quod ponitur, ſcilicet concluſione, quæ a ſyllogizante ponitur eſſe vera, *ſed manifeſtum, quoniam eſt verum*, ſed ſecundum rem ipſam planum exiſtente, quod eſt verum. *Termini verò ſimiliter ſe habẽt in vtraſque*. In vtriſque verò & cõuerſiuo, & per impoſſibile termini conſimiliter ſe habent, *& eadem ſumptio vtrorumque*, & in ambobus eodem modo ſumuntur, *vt ſi A ineſt omni B*, veluti ſi in prima figura habeamus A maius extremum omni B minori extremo ineſſe, *medium autem C*, per C medium in primo modo, Omne C eſt A, omne B eſt C; ergo omne B eſt A, *ſi ſupponitur A nõ omni, vel nulli B ineſſe*, ſi ſupponatur contraria concluſionis facti ſyllogiſmi; vel contradictoria, nullum B eſt A, vel aliquod B non eſt A, *C verò omni quod fuit verum*, cum maiori propoſitione per ſe vera, omne C eſt A, *neceſſe eſt C. B, aut nulli, aut non omni ineſſe*, ſequitur de neceſſitate aut nullum B eſt C, aut aliquod B non eſt C, vt poſuimus, *hoc autem impoſſibile*, quod eſt impoſſibile, ſiquidem vna eſt contraria, altera cõtradictoria minoris prioris ſyllogiſmi: *quare falſum eſt quod ſuppoſitum eſt*, falſa eſt igitur ſuppoſitio. *Verum ergo oppoſitum*, & vera oppoſita ſuppoſitionis, *ſimiliter autem in alijs figuris*, conſimiliter & in alijs figuris, ſecũda, & tertia ſe habet: *quæcunque enim conuerſionem ſuſcipiunt*: nam quæcunque conuerſione oſtenduntur, *& per impoſſibile ſyllogiſmum*, & per impoſſibile demonſtrantur.

Ergo alia quidem propoſita omnia oſtenduntur per impoſſibile in omnibus figuris; vniuerſale autem prædicatiuum in media quidem, & in tertia monſtratur. In prima autem non monſtratur: ſupponatur enim A
A non omni B, aut nulli ineſſe, & aſſumatur alia propoſitio, vtrolibet modo, ſiue A omni C ineſt, ſiue B omni D (ſic enim erat prima figura.) Si ergo ſupponatur A non omni B ineſſe, non fiet ſyllogiſmus, quomodolibet ſumpta propoſitione. Si autem nulli B, D quidem aſſumatur; ſyllogiſmus
B quidem erit falſi: non oſtenditur autem propoſitum, nam ſi A nulli B, B autem omni D, A nulli D; hoc autem ſit impoſſibile. Falſum igitur eſt nulli B ineſſe A, ſed non ſi nulli falſum, omni verum: ſi autem C, A aſſumatur, non fit ſyllogiſmus, nec quā
C do ſupponitur non omni B ineſſe A. Quare manifeſtum, quoniam omni ineſſe non oſtenditur in prima figura per impoſſibile.

Vult patefacere, quòd cætera omnia problemata per ſyllogiſmum per impoſſibile in omnibus figuris oſtenduntur præter vniuerſale affirmatiuum, quod in ſecunda, & tertia quidem per impoſſibile oſtenditur, non tamen in prima, quo
D niam aſſumpto contrario, ſiue contradictorio concluſionis, quam demonſtrare proponimus cum altera propoſitione, aut non fit vtilis ſyllogiſmus, aut ſi fit, non valet ad propoſitum demõſtrandũ, quod probat Ariſtoteles. Si namque in prima figura voluerimus demonſtrare hoc problema vniuerſale affirmatiuum, quòd omne B eſt A, ſupponetur aut ſuum contrarium, nullum B eſt A, aut ſuũ contradictoriũ aliquod B nõ eſt A, ſi ſuppoſitum fuerit contradictorium non fit vtilis ſyllogiſmus in prima figura, quoniam aut
E altera propoſitio accipietur ſupra prædicatum ſuppoſiti, quod eſt A, dicendo omne A eſt C, aliquod B non eſt A, aut accipietur altera propoſitio ſub ſubiecto, quod eſt B, dicendo aliquod B non eſt A, omne D eſt B, & neutro modo erit ſyllogiſmus, nõ primo modo, quoniã minor propoſitio erit negatiua in prima figura, neque ſecũdo modo, quoniam maior erit particularis. Si verò ſuppoſitum fuerit contrarium, aut ſi ſit ſyllogiſmus, non demonſtrabitur principale propoſitũ, quando ſcilicet altera propoſitio accipietur ſub
F ſubiecto, dicẽdo nullum B, eſt A, omne D eſt B; ex quibus ſequitur in ſecundo modo ſecundæ figuræ; ergo nullum D eſt A: ſiquidem quamuis concluſio ſit impoſſibilis, & propterea ſit falſum ſuppoſitum nullum B eſt A, non tamen neceſſario ſequitur; quòd vera ſit concluſio in principio propoſita, quod omne B eſt A, quoniam duo contraria poſſunt eſſe ambo falſa, aut non erit ſyllogiſmus,

giſmus,vt quãdo altera propoſitio ponitur ſupra prædicatũ,dicendo omne A eſt C, nullum B eſt A,quoniam minor exiſtit negatiua in prima figura. Habemus itaque: *Ergo alia quidẽ propoſita omnia oſtenduntur per impoſſibile in omnibus figuris.* Cuncta alia problemata per impoſſibile oſtẽduntur in omnibus ſcilicet tribus figuris,vt puta vniuerſale negatiuũ,particulare affirmatiuũ,& particulare negatiuũ: *vniuerſale autem prædicatiuum in media quidem,& in tertia monſtratur:* problema verò vniuerſale affirmatiuũ demonſtratur quidem in ſecunda,& poſtrema figura. *In prima autem non monſtratur.* At in prima figura non oſtenditur; *ſupponatur enim A non omni B, aut nulli ineſſe:* accipiatur enim pro hypotheſi contradictorium, ſiue contrariũ problematis vniuerſalis affirmatiui propoſiti, videlicet omne B eſt A, *& aſſumatur alia propoſitio vtrolibet modo,*& cum hypotheſi accipiatur altera propoſitio quolibet modo,ſcilicet aut ſub ſubiecto hypotheſis,aut ſupra prædicatũ, *ſiue A omni ineſt C,* ſupra prædicatũ, vt quòd omne A eſt C, *ſiue B omni D,* ſub ſubiecto, vt quòd omne D eſt B: *ſic enim erat prima figura:* tali enim pacto termini diſponebantur in prima figura. *Si ergo ſupponatur A non omni B ineſſe.* Si itaque hypotheſis concluſionis demonſtrandæ, omne B eſt A, ſit ſua contradictoria,non omne B eſt A, *non fiet ſyllogiſmus quomodolibet ſumpta propoſitione,* non erit vtilis ratiocinatio in prima figura, quouis modo accipiatur hypotheſis,vel pro maiori,vel pro minori propoſitione. *Si autem nulli B, D quidem aſſumatur.* Quod ſi ſuppoſita contraria,nullum B eſt A,eidem fuerit adiuncta pro minori propoſitione, omne D eſt B, *ſyllogiſmus quidem erit falſi,* efficietur quidẽ ſyllogiſmus ſcilicet in ſecundo modo ſecundæ figuræ concludens impoſſibile, & falſum; *non oſtenditur autem propoſitum,*ſed non valet ad propoſitum demonſtrandũ, *nam ſi A nulli B,* quoniã ſi hypotheſis ſit nullũ B eſt A,*B autem omni D,* & eidem fuerit adiũcta minor propoſitio, omne D eſt B,*A nulli D,* ſequitur quidem concluſio,quòd nullum D eſt A, *hoc autem ſit impoſſibile,*quę concluſio & ſi ſit impoſſibilis, & falſa. *Falſum igitur eſt nulli B ineſſe A.* Reddit hypotheſim falſã,nullum B eſt A, *ſed non ſi nulli falſum,* verum non ſequitur ſi falſum eſt, nullum B eſſe A, *omni verum,* propterea verum eſſe omne B eſſe A, quoniam hæc ambo poſſunt eſſe falſa: *ſi autem C, A aſſumatur:* ſi vero altera propoſitio ſumatur ſupra prædicatum, ita vt contraria efficiatur minor, & omne A eſt C ſit maior, *non fit ſyllogiſmus,* non fit vtilis ſyllogiſmus, *nec quando ſupponitur non omni B ineſſe A,* nec etiam quando ſumitur cum hypotheſi, quæ dicit, non omne B eſt A, quoniam minor erit negatiua in prima figura. *Quare manifeſtum, quoniam omni ineſſe.* Quapropter planum eſt, quòd vniuerſale problema affirmatiuum, omne B eſt A, *non oſtenditur in prima figura per impoſſibile,* non valet demonſtrari ſyllogiſmo per impoſſibile in prima figura. Sequitur textus.

Tractatus Quartus.

A Alicui autem & nulli,& non omni oſtẽditur; ſupponatur enim A nulli B ineſſe, B autem ſumptũ ſit omni, aut alicui C; ergo neceſſe eſt A nulli, aut non omni C ineſſe, hoc autem impoſſibile. Sit enim verum, & manifeſtum,quoniam omni C ineſt A; quare ſi hoc falſum, neceſse
B eſt A alicui B ineſse: ſi autem ad A ſumatur altera propoſitio, non erit ſyllogiſmus, neque quando ſubcontrarium concluſioni ſupponitur, vt alicui non ineſse. Manifeſtum ergo quoniam oppoſitum ſumendum eſt.

Inquit, quòd problema particulare affirmatiuũ,aliquod B eſt A, vtique in prima figura col-
C ligitur per ſyllogiſmum ad impoſſibile, ſumpta ſua contradictoria pro hypotheſi, quæ eſt nullũ B eſt A, & eidẽ adiuncta altera propoſitione per ſe vera, ſiue vniuerſali, vt nullum B eſt A,omne C eſt B,ſiue particulari,vt nullũ B eſt A, aliquod C eſt B, vnde ſequitur vel in ſecundo modo primæ figuræ, quòd nullum C eſt A, vel in quarto modo, quòd aliquod C non eſt A: ſiquidem cõcluſio & in ſecundo & in quarto modo eſt falſa, cum omne C eſſe A verum ſit; quapropter falſa erit hypotheſis, quæ dicit nullũ B eſſe A, & vera
D erit cõcluſio à principio propoſita demonſtranda, ipſius hypotheſis contradictoria, quæ eſt aliquod B eſt A, quòd ſi propoſitio per ſe vera ſupra prædicatum hypotheſis conſtituatur, vt omne A eſt C, nullũ B eſt A, nullus fit ſyllogiſmus, quoniam minor propoſitio erit negatiua in prima figura, quinimò nec ſi ſuppoſitio extiterit ſubcontraria, aliquis erit ſyllogiſmus, vel ponatur altera propoſitio ſupra prædicatum ſuppoſitionis, omne A eſt C, aliquod B non eſt A, quo caſu minor eſt negatiua in prima figura, vel ſub
E ſubiecto conſtituatur, vt aliquod B non eſt A, omne C eſt B, quo caſu maior eſt particularis, namque neutrum conuenit primæ figuræ, ideo dicit, quod eſt manifeſtum in ſyllogiſmo per impoſſibile, contradictoriũ,& non ſubcontrarium ſumendũ eſſe. Videamus textum: *Alicui autem.* Problema vero particulare affirmatiuũ, aliquod B eſt A, *et nulli,*& problema vniuerſale negatiuũ, nullũ B eſt A, *et nõ omni,*& problema particulare negatiuum, non omne B eſt A, *oſtenditur,* quæſita hæc omnia per impoſſibile demonſtrãtur: *ſuppo-*
F *natur enim A nulli B ineſſe.* ſi ſit problema particulare affirmatiuum demonſtrandũ, accipiatur pro hypotheſi ſuum contradictorium, nullum B eſt A, *B autem ſumptum ſit, omni, aut alicui C,* & eidem adiũgatur altera propoſitio per ſe vera, ſiue vniuerſalis, omne C eſt B, ſiue particularis, aliquod C eſt B; *ergo neceſſe A nulli, aut non omni C ineſſe,* ſe-

quitur de neceſſitate, quod aut nullū C eſt A in ſecū-do modo, aut aliquod C non eſt A in quarto modo primæ figuræ, *hoc autem impoſſibile*, quod falſum & impoſſibile ſit. *Sit enim verum, & manifeſtum, quoniam omni C ineſt A*, cum planum ſit, ac manifeſtum verum, quòd omne C eſt A: *quare ſi hoc falſum*: quapropter falſum eſt, nullū C eſt A, vel aliquòd C non eſſe A, eſt quoque falſa hypotheſis, quæ eſt, quòd nullum B eſt A, & vera conclusio propoſita, ideo inquit: *neceſſe eſt A alicui B ineſſe*, quòd neceſſario vera eſt cōcluſio a principio propoſita demonſtranda, quòd aliquod B eſt A. *Si autem ad A ſumatur altera propoſitio*. Quòd ſi propoſitio per ſe vera ſupra prædicatum hypotheſis collocetur, *non erit ſyllogiſmus*, non erit vtilis ratiocinatio in prima figura vti vidimus, *neque quando ſubcontrarium concluſioni ſupponitur*; neque erit vtilis ratiocinatio quando pro hypotheſi ſumpta fuerit ſubcontraria concluſionis demonſtrandæ, *vt alicui non ineſſe*, quæ eſt particularis negatiua, aliquod B non eſt A. *Manifeſtū ergo, quoniam oppoſitum ſumendum eſt.* Quare planum eſt, quòd ſumenda eſt pro hypotheſi contradictoria concluſionis a principio propoſitæ demonſtrandæ.

Sequitur textus.

Rurſum ſupponatur A alicui B ineſſe, ſumptum autem ſit omni A; neceſſe eſt igitur C alicui B ineſſe, hoc autem ſit impoſſibile; quare falſum quidem ſuppoſitum eſt; ſi autem ſic, verum eſt nulli ineſſe. Similiter autem & ſi priuatiua ſumpta ſit C, A; ſi autem ad B ſumpta ſit proſipotio, non erit ſyllogiſmus; ſi autem contrariū ſupponatur, ſyllogiſmus erit, & impoſſibile, non tamen oſtenditur quod eſt propoſitum. Supponatur enim A omni B, & C ſumptum ſit omni A; ergo neceſſe eſt C omni B ineſſe, hoc autem impoſſibile; quare falſum eſt omni B ineſſe A, ſed nondum erit necſſarium, ſi non omni, nulli ineſſe. Similiter autem & ſi ad B ſumatur altera propoſitio, nam ſyllogiſmus quidem erit, & impoſſibile; interimitur autem hypotheſis, quare oppoſitum ſupponendum.

Docet problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſſe A oſtendi per impoſſibile in prima figura, ſuppoſito ſuo contradictorio, aliquod B eſt A, & altera propoſitione vniuerſali ſupra prædicatum hypotheſis ſiue affirmatiua, ſiue negatiua; verùm ſi altera propoſitio erit vniuerſalis affirmatiua, efficietur ſyllogiſmus in tertio modo primæ figuræ, omne A eſt C, aliquod B eſt A; ergo aliquod B eſt C, quæ concluſio cum ſit impoſſibilis, falſa quoque eſt hypotheſis, aliquod B eſt A, & vera ſua contradictoria, nullum B eſt A, quod erat problema demonſtrandum: ſi verò altera propoſitio erit vniuerſalis negatiua, efficie-

B tur ſyllogiſmus in quarto modo primæ figuræ, nullum A eſt C, aliquod B eſt A; ergo aliquod B non eſt C: qua concluſione exiſtente falſa, falſa inſuper erit hypotheſis, & ſua contradictoria vera, vt & in ſuperiori modo deductum fuit, quod ſi non contradictoria concluſionis demonſtrandæ, ſed contraria ſupponatur, quamuis efficiatur ſyllogiſmus, & impoſſibile ſit, quod concluditur, non tamen habebimus problema propoſitum confirmatum, vel altera propoſitio accipiatur ſupra prædicatum hypotheſis, & fiat ſyl-

C logiſmus in primo modo primæ figuræ, omnè A eſt C, omne B eſt A; ergo omne B eſt C, vel accipiatur ſub ſubiecto, & fiat ſyllogiſmus in eodem primo modo primæ figuræ, omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A, quoniam licet concluſio in vtroque falſa ſit, & per conſequēs ſit falſa hypotheſis, quæ erat omne B eſt A, & ſua contradictoria ſit vera, quæ eſt non omne B eſt A: non propterea ſequitur de neceſſitate verum eſſe problema vniuerſale negatiuum à principio propoſitum demonſtrandum, nullum

D B eſſe A, quoniam nulli non ſequitur ad non omni; & idcirco ad oſtendendum per impoſſibile problema dictum pro hypotheſi ſumendum eſſe, concludit ſuum contradictorium, non ſuum contrarium, dicens: *Rurſum*, ad demonſtrandū per impoſſibile in prima figura problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſſe A, *ſupponatur A alicui B ineſſe*, pro hypotheſi ſumatur ſuum contradictorium, aliquod B eſt A: *ſumptum autem ſit omni A*, & altera propoſitio ſumpta ſit ſupra prædicatum hypotheſis, quæ ſit vniuerſalis

E & affirmatiua, omne A eſt C. *Neceſſe eſt igitur C alicui B ineſſe*. Sequitur itaque de neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ in tertio modo primæ figuræ, concluſio particularis affirmatiua; ergo aliquod B eſt C; *hoc autem ſit impoſſibile*; quę concluſio cum impoſſibilis ſit, & falſa: *quare falſum quidem ſuppoſitum*: ea propter falſa quoque eſt hypotheſis; *ſi autem ſic*, & ſi falſa eſt hypotheſis, aliquod B eſt A, *verum eſt nulli ineſſe*, vera eſt ſua contradictoria, quæ erat concluſio in principio propoſita demonſtranda, quæ dicit, quòd nullū

F B eſt A. *Similiter autem & ſi priuatiua ſumpta ſit C, A*. Similiter probatur per impoſſibile in prima figura problema dictū, nullum B eſt A, ſi altera propoſitio, quæ cum hypotheſi ſumitur, erit vniuerſalis negatiua, nullum A eſt C, efficiendo ſcilicet ſyllogiſmū in quarto modo primæ figuræ vt poſuimus. *Si autē ad B ſumpta ſit propoſitio*.

Si ve-

Si verò altera propoſitio, quæ ſumitur cũ hypotheſi, ſumpta fuerit ſub ſubiecto ipſius, vel ea ſit affirmatiua vniuerſalis, vel negatiua, *non erit ſyllogiſmus*, nõ erit vtilis ratiocinatio io prima figura: *ſin autem contrariũ ſupponatur*: quod ſi hypotheſis erit contraria, non contradictoria concluſionis demonſtrandæ, *ſyllogiſmus erit*, in figura, & modo videlicet, *& impoſſibile*, & quod concluditur, erit ſimiliter impoſſibile, & falſum; *non tamen oſtenditur quod eſt propoſitum*: ſed oon propterea ſequitur principale propoſitum deoionſtrandum. *Supponatur enim A omni B*. Sit namque hypotheſis omne B eſt A, quæ eſt propoſitio contraria cooclusionis vniuerſalis negatiuæ demonſtrandæ, *& C ſumptum ſit omni A*, & altera propoſitio ſumpta ſit ſupra prædicatum hypotheſis, omoe A eſt C. *Ergo neceſſe eſt C omni B ineſſe*. Sequitur igitur de neceſſitate in primo modo primæ figuræ, quod omne B eſt C, *hoc autem impoſſibile*, quæ concluſio ſupponatur maniſeſte falſa: *quare falſum eſt omni B ineſſe A*. Eſt igitur quoque falſa hypotheſis, quód omne B eſt A, & vera ſua contradictoria, oon omne B eſt A, *ſed nondum erit neceſſarium, ſi non omni nulli ineſſe*, ſed oon propterea ſequitur veram eſſe concluſionem propoſitam; ſiquidem ad non omne ineſſe, non ſequitur de neceſſitate nulli ineſſe. *Similiter autem & ſi ad B ſumatur altera propoſitio.* Conſimiliter ſe habet ſi altera propoſitio per ſe vera ſumpta cum hypotheſi fuerit ſub ſubiecto ipſius; *nam ſyllogiſmus quidem erit*, nempe in figura, & modo, *& impoſſibile*, & erit impoſſibile, quod concluditur, *interimitur autem hypotheſis*, verùm ſuppoſitio deſtruitur, ſed non propterea confirmatur concluſio principalis: *quare oppoſitum ſupponendum*; ideo vt per ſyllogiſmum per impoſſibile oſtendatur vniuerſale problema negatiuum in prima figura ſupponendum eſt problema contradictorium, non contrarium.

Ad oſtendendũ autem nõ omne B ineſſe A, ſupponendũ omni ineſſe; nam ſi A omni B, & C omni A, omni B inerit C. Si ergo hoc impoſſibile, falſum quod ſuppoſitum eſt. Similiter autem & ſi ad B ſumpta ſit altera propoſitio, & ſi priuatiua ſit C, A ſimiliter, nam & ſic fit ſyllogiſmus. Si autem ad B ſumpta ſit priuatiua, nihil oſtenditur; ſi autem non omni, ſed alicui ineſse ſupponatur, non oſtenditur quoniam non omni, ſed quoniam nulli; ſi enim A alicui B, C autem omni A, alicui B inerit C. Si ergo hoc impoſſibile, falſum eſt alicui B ineſse A; quare verum nul-

A li, hoc autem oſtenſo interimitur verum, nam A alicui quidem B inerat, alicui verò nõ inerat. Amplius autẽ non iam propter hypotheſim accidit impoſsibile, falſa enim erit; ſiquidem ex veris non eſt falſum ſyllogizare; nunc autẽ eſt vera, ineſt enim A alicui B, quare non ſupponendum

B alicui ineſse, ſed omni. Similiter autem & ſi alicui B non ineſt A, oſtendemus; ſi enim idem eſt alicui non ineſſe, & non omni ineſse, eadem in vtriſque demonſtratio.

Oſtendit Ariſtoteles, quód etiam problema particulare negatiuum, non omne B eſt A, comprobatur per impoſſibile in prima figura, ſumpto contradictorio pro hypotheſi, omne B eſt

C A, cum altera propoſitione per ſe vera, & inquit, quód ſi ſupponatur contradictoria concluſionis particularis negatiuæ cum altera propoſitione vniuerſali affirmatiua, vel ſumpta propoſitio fuerit poſita ſupra prædicatum hypotheſis formando primum modum primæ figuræ, omne A eſt C, omne B eſt A; ergo omne B eſt C, vel ſumpta propoſitio accipiatur ſub ſubiecto hypotheſis, tali pacto in eodem modo primæ figuræ, omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A;

D concluſio vtroque modo falſa erit, & impoſſibilis, & per conſequens etiam hypotheſis, omne B eſt A, vnde vera erit contradictoria hypotheſis, non omne B eſt A, quæ erat concluſio a principio propoſita demonſtranda. Si autem propoſitio per ſe vera fuerit vniuerſalis negatiua, ſi ſupra prædicatum hypotheſis ſumatur, veluti in ſecundo modo ſecũdæ figuræ, nullũ A eſt C, omne B eſt A; ergo nullum B eſt C. Similiter problema dictũ erit demonſtratũ per impoſſibile in prima figura; ſiquidem concluſio eſt falſa, & impoſſibilis; & falſa inſuper hypotheſis, omne

E B eſt A: vera igitur erit ſua contradictoria, quæ erat concluſio demonſtranda, nõ omne B eſt A. Si autem vniuerſalis negatiua ſub ſubiecto hypotheſis ſumatur, vt omne B eſt A, nullũ C eſt B, non erit ſyllogiſmus in ſecunda figura ex minori propoſitione negatiua, & idem accidit ſi particularis affirmatiua ſupra prædicatũ hypotheſis accipiatur, veluti aliquod A eſt C, omne B eſt A. In prima nãque figura ex maiori particulari non fit vtilis ſyllogiſmus, & ſumpta contraria con-

F cluſionis particularis negatiuæ demonſtrandæ; hypotheſi cũ altera ꝓpoſitione per ſe vera, vti in tertio modo primę figuræ, omne A eſt C, aliquod B eſt A; ergo aliquod B eſt C, non demonſtratur per impoſſibile in prima figura, cõcluſio particularis negatiua; tum quia demõſtratur problema vniuerſale negatiuũ, nullũ B eſt A, quod eſt contradictorium ſumptæ hypotheſis, aliquod B

eſt A, & verum interimitur, nempe aliquod B eſt A, & aliquod B non eſt A; ſunt namque ſubcontrariæ, quæ poſſunt eſſe ambæ veræ: tum inſuper quoniam falſum in ſyllogiſmo per impoſſibile non procederet propter hypotheſis falſitatem, cum ea vera ſit (contingit enim aliquod B eſſe A, & aliquod B non eſſe A) & ex veris non ſit falſum ſyllogizare: quapropter concluditur, non eſſe ſupponendum contrarium in problemate hoc particulari negatiuo demonſtrando non omne B eſſe A, ſed contradictoriū. Et idē quoque aſſerit obſeruandū, ſi voluerimus demonſtrare aliquod B nō eſſe A; ambæ nāque hæ propoſitiones, nō omne B eſſe A, aliquod B nō eſſe A, æquipollent, & ideo in vtriſque eſt demonſtratio. Dicit itaque: *Ad oſtendeudum autem non omni B ineſſe A*. Ad demonſtrandū verò per impoſſibile in prima figura particulare problema negatiuū, non omne B eſt A, *ſupponendū omni ineſſe*, pro hypotheſi ſumendū eſt ſuum contradictorium, omne B eſſe A, *nam ſi A omni B*, quoniā ſuppoſito pro minori propoſitione, quod omne B eſt A, *& C omni A*, & ſumpto ſupra prædicatū hypotheſis pro maiori ſcilicet propoſitione, ꝙ omne A eſt C, *omni B inerit E*, erit cōcluſio in primo modo primæ figuræ, quòd omne B eſt C. *Si ergo hoc impoſſibile*. Quæ concluſio cum ſit falſa, & impoſſibilis, *falſum quod ſuppoſitum eſt*, erit quoque falſa hypotheſis, quæ erat omne B eſſe A, & vera ſua contradictoria, quæ erat cōcluſio demonſtranda non omne B eſſe A. *Similiter autem & ſi ad B ſumpta ſit altera propoſitio*. Conſimiliter demonſtratur per impoſſibile problema dictum, ſi altera propoſitio per ſe vera, quæ ſumitur cum hypotheſi, fuerit ſub ſubiecto, ſumpta eiuſdem hypotheſis, *& ſi priuatiua ſit C, A ſimiliter*, & inſuper demonſtratur idem problema in prima figura per impoſſibile, ſi per ſe vera propoſitio ſumpta ſupra prædicatum hypotheſis extiterit vniuerſalis negatiua, *nam & ſic fit ſyllogiſmus*, quando & tali pacto fit vtilis ratiocinatio in prima figura, vt poſuimus *Si autem ad B ſumpta ſit priuatiua*. Si verò vniuerſalis negatiua ſub ſubiecto ſumatur, *nihil oſtenditur*, non demonſtratur problema propoſitum per impoſſibile in prima figura, quoniam inutilis ſit ratiocinatio. *Si autem non omni, ſed alicui ineſſe ſupponatur*. Sumpta verò pro hypotheſi contraria particularis negatiuæ, *non oſtenditur, quoniam non omni*, non demonſtratur per impoſſibile problema particulare negatiuum, non omne B eſſe A, *ſed quoniam nulli*, ſed problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſſe A. *Si enim A alicui B*. Sumpta namque hypotheſi pro minori propoſitione, aliquod B eſt A, *C autem omni A*, & altera propoſitione per ſe vera vniuerſali affirmatiua ſupra prædicatum hypotheſis, omne A eſt C, *alicui B inerit C*, erit concluſio in tertio modo primæ figuræ, quòd aliquod B eſt C. *Si ergo hoc impoſſibile*. Quæ concluſio cum ſit impoſſibilis, *falſum eſt alicui B ineſſe A*, eſt quoque falſa ſuppoſitio, quæ dicit, aliquod B eſt A; *quare verū nulli*; & idcirco vera ſua contradictoria, quæ dicit, nullum B eſt A. *Hoc autem oſtenſo, interimitur verum*. Qua concluſione vniuerſali negatiua per impoſſibile demonſtrata interimitur verum, quod ſupponebatur; *nam alicui quidem B inerat, alicui verò non inerat*, quoniam aliquod B eſt A, & aliquod B nō eſt A. *Amplius autem non iam propter hypotheſim accidit impoſſibile*. Præterea ſumpta contraria particularis negatiuę pro hypotheſi falſum, quod deducitur, non ſequitur propter falſitatem hypotheſis, *falſa enim erit*, quoniam ad hoc vt ſequatur

B falſum propter hypotheſis falſitatem debebit eſſe falſa; *ſiquidem ex veris non eſt falſum ſyllogizare*; quoniam non contingit falſum ex veris ſyllogiſmo concludi, vt in præcedentibus habuimus; *nunc autem eſt vera*: at ſumpta hypotheſis vera eſt: *ineſt enim A alicui B*, quoniam aliquod B eſt A. *Quare non ſupponendum alicui ineſſe, ſed omni*. Propterea pro hypotheſi in demonſtratione concluſionis particularis negatiuæ per impoſſibile in prima figura, non eſt ſumenda contraria, ſed contradictoria. *Similiter autem & ſi alicui*

C *B non ineſt A, oſtendemus*. Et hoc idem obſeruandum eſt, ſi demonſtrare voluerimus aliquod B non eſſe A: *ſi enim idem eſt alicui non ineſſe, & non omni ineſſe*; quoniam ſi hæ propoſitiones, nō omne B eſt A, & aliquod B non eſt A, æquipollent, *eadem in vtriſque demonſtratio*, propter eorum æquipollentiam, eadem eſt demonſtratio.

Manifeſtum ergo, quoniam non contrarium, ſed oppoſitum ſuppo-

D nendum in omnibus ſyllogiſmis; ſic enim neceſſarium erit, & axioma probabile, nam ſi de omni vel affirmatio, vel negatio, oſtenſo quoniā non negatio, neceſſe eſt affirmationem veram eſſe. Rurſum ſi non ponam veram eſſe affirmationem, conſtat veram eſſe negationem: contra-

E ria verò neutro medio contingit ratum facere: neque enim neceſſarium ſi nulli falſum, omni verum; neque probabile vt ſit alterum falſum, quoniam alterum verum. Manifeſtum ergo, quoniam in prima figura alia quidem propoſita omnia oſtenduntur per impoſſibile, vniuerſale au-

F tem affirmatiuum non oſtenditur.

Breui epilogo colligit Ariſtoteles ex iam dictis planum eſſe in omnibus ſyllogiſmis per impoſſibile in prima figura ſemper ſupponendum contradictorium problematis demōſtrandi, quo

eo

eo ſumpto neceſſariu erit, & inſuper probabile A problema propoſitum, quoniam de omni eſt affirmatio, vel negatio vera: quapropter ſi fuerit per impoſſibile demonſtratum, negationem nõ eſſe veram, ſtatim ſequitur neceſſario veram eſſe affirmationem, & oſtenſo per impoſſibile affirmationem non eſſe veram, ſtatim ſequitur, quòd vera ſit negatio: ſumpto verò contrario pro hypotheſi neutrum contingit: nõ enim ſequitur neceſſario ſi negatio non ſit vera, quòd vera ſit affirmatio, quoniam poſſunt eſſe ambæ falſæ, neque eſt probabile, ita vt pluribus, aut ſapientibus B videatur, quòd ſi alterum contrariorum ſit falſum, alterum ſit verum. Dicit igitur conſtare, quòd in prima figura cuncta problemata oſtenduntur per impoſſibile, vniuerſale ſcilicet negatiuum, particulare affirmatiuum, & particulare negatiuum præter vniuerſale affirmatiuũ, quod in prima figura per impoſſibile nõ eſt oſtendere.

Quæ dicta ſatis ſufficiant ſuper hoc Capite.

Super Capite XI. *de ſyllogiſmo per impoſſibile in prima figura pro Iuris ſtudioſis.* C

TRia docet Ariſtoteles in hoc Capite, quæ ad vtilitatem Iuriſperitorum conſiderare proponimus.

Primum, quòd particulare problema negatiuum per impoſſibile oſtenditur in prima figura.

Fit autem per impoſſibile demõſtratio, quando D poſita contradictoria concluſionis, quam demonſtrare proponimus per præmiſſa, & aſſumpta alteea propoſitione, concluditur aliquod impoſſibile, vt diximus.

Demonſtratur problema particulare affirmatiuum per ſyllogiſmum per impoſſibile in ſecundo & quarto modo primæ figuræ ex Ariſtotele ſumpto contradictorio pro hypotheſi, & altera propoſitione per ſe vera, vel ſumptra propoſitio ſit vniuerſalis, vt in ſecundo modo, vel particularis vt in quarto. E

Secundum, conſiderandum eſt, quòd vniuerſale problema negatiuum per impoſſibile monſtratur in prima figura, ſumpto contrario, & altera propoſitione per ſe vera, vel ſumpta propoſitio fuerit vniuerſalis affirmatiua, & efficitur tertius modus primæ figuræ, vel ea ſit vniuerſalis negatiua, & efficitur quartus modus.

Tertium, conſiderandum eſt, quòd particulare problema negatiuum monſtratur conſimiliter per impoſſibile in prima figura, ſumpto contradictorio, & altera propoſitione per ſe vera, F vel ſumpta propoſitio ponatur ſupra prædicatũ hypotheſis, vel ſub ſubiecto, & efficitur primus modus primæ figuræ; vel etiam ſi ſumpta propoſitio ſupra prædicatum hypotheſis fuerit vniuerſalis negatiua, & efficitur ſecundus modus ſecundæ figuræ.

De his omnibus ſyllogiſmis licet exempla tradere in terminis deſumptis in tit. Inſt. de oblig. quæ ex delicto naſc. §. fin. & in l. impuberem. ff. de furtis. & in primis ſit problema particulare affirmatiuum pro prima conſideratione, quòd Aliquis impubes poteſt committere furtũ, demonſtrabitur per impoſſibile, ſumpto contradictorio, quod eſt, Nullus impubes poteſt committere furtum, cum altera propoſitione, vel ea ſit vniuerſalis, veluti in ſecundo modo,

CE Nullus impubes poteſt committere furtum.
LA Omnis pupillus eſt impubes, ergo
RENT Nullus pupillus poteſt committere furtum.

Vel ſumpta propoſitio fuerit particularis, vt in quarto modo.

FE Nullus impubes poteſt cõmittere furtũ.
RI Aliquis pupillus eſt impubes, ergo
O Aliquis pupillus non poteſt committere furtum.

Cum enim vtraque concluſio falſa ſit, & impoſſibilis, erit inſuper etiã falſa hypotheſis, quæ dicit, quòd nullus impubes poteſt committere furtum, & vera erit ſua contradictoria, quòd aliquis impubes poteſt committere furtum, quæ erat concluſio demonſtranda.

Pro ſecunda conſideratione in iiſdem terminis, quando ſumpta propoſitio cum hypotheſi eſt vniuerſalis affirmatiua, ſit exemplum in tertio modo primæ figuræ.

DA Omnis potens committere furtum eſt doli capax.
RI Aliquis infans poteſt cõmittere furtum, ergo
I Aliquis infans eſt doli capax.

Quãdo verò ſumpta propoſitio extiterit vniuerſalis negatiua, ſit exemplũ in quarto modo.

FE Nullus potens committere furtum caret dolo.
RI Aliquis infans poteſt cõmittere furtum, ergo
O Aliquis infans non caret dolo.

Cum enim concluſio in vtriſque falſa ſit, & impoſſibilis, falſa quoque erit hypotheſis, quæ erat, Aliquis infans poteſt committere furtum, & vera erit ſua contradictoria, quæ erat vniuerſale problema negatiuum demonſtrandũ, Nullus infans poteſt committere furtum.

Pro tertia conſideratione ſecundum eſt problema particulare negatiuum, quod eſt, Aliquis infans non poteſt cõmittere furtum; iſtud problema per impoſſibile monſtratur in prima figura in primo modo, vel ſumpta propoſitio fuerit ſupra prædicatum hypotheſis, vel ſub ſubiecto, & in vtriſque vniuerſalis affirmatiua.

Supra prædicatum, veluti

BAR Omnis potens committere furtum eſt doli capax.
BA Omnis infans poteſt committere furtum, ergo
RA Omnis infans eſt doli capax.

Sub ſubiecto.

BAR Omnis infans poteſt cõmittere furtum.
BA Omnis incapax doli eſt infans, ergo
RA Omnis incapax doli poteſt committere furtum.

Idem problema per impoſſibile demonſtratur in prima figura, etiã ſi ſumpta propoſitio cũ hypotheſi extiterit vniuerſalis negatiua ſupra prędicatum hypotheſi, veluti in ſecundo modo.

CE Nullus potens cõmittere furtum caret dolo.
LA Omnis infans poteſt committere furtum, ergo
RENT Nullus infans caret dolo.

In omnibus his tribus ſyllogiſmis per impoſſibile oſtenditur problema particulare negatiuum, quòd aliquis infans non poteſt committere furtum. Quoniam cum in his concluſio falſa ſit, id erit propter hypotheſis falſitatem, quæ eſt, quòd omnis infans poteſt committere furtum, & ſi falſa eſt hæc hypotheſis, ſequitur vt vera ſit eius contradictoria, quòd aliquis infans non poteſt committere furtum, quæ erat concluſio demonſtanda, & ſic habent Iuris ſtudioſi, quo modo quęcũque problemata per ſyllogiſmũ per impoſſibile demonſtrantur in prima figura præter vniuerſale affirmatiuum, quod cum nequeat per impoſſibile oſtẽdi, ideo omiſi breuitatis gratia. Et hæc ſatis ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo per impoſſibile in ſecunda figura. Caput XII.

IN media autem figura, & poſtrema, & hoc oſtẽditur. Ponatur enim A non omni B ineſſe; ſumptum ſit autem omni C ineſſe A, ergo ſi B quidem non omni ineſt A, C autem omni, non omni B ineſt C, hoc autem impoſſibile. Sit enim manifeſtum, quoniam omni B ineſt C; quare falſum quod ſuppoſitum eſt. Verum eſt ergo omni ineſse; ſi autem contrarium ſupponatur, ſyllogiſmus quidem erit ad impoſſibile, non tamen oſtenditur quod propoſitum eſt. Si enim A nulli B, omni autem C, nulli B, C, hoc autem impoſsibile: quare falſum eſt nulli ineſse, ſed non ſi hoc falſum, verum omni,

A Habito ſermone de ſyllogiſmo per impoſſibile in prima figura, de eodem pretractat in ſecunda figura in præſenti capite, & in primis ponit, quod vniuerſale problema affirmatiuum, omne B eſt A, per impoſſibile in ſecũda figura demonſtratur, ſcilicet in quarto modo, ſuppoſita cõtradictoria concluſionis vniuerſalis affirmatiuæ, & ſumpta altera propoſitione per ſe vera ſupra prædicatum hypotheſis tali pacto, omne C eſt A, nõ omne B eſt A, ergo non omne B eſt C, quoniam cum concluſio falſa ſit, & impoſſibilis, erit quo-
B que falſa hypotheſis, non omne B eſt A, & vera ſua cõtradictoria, omne B eſt A, quæ erat cõcluſio à principio propoſita demonſtrãda. Sumpta vero contraria concluſionis vniuerſalis affirmatiuæ pro hypotheſi cum altera propoſitione per ſe vera, falſum quidem ſequitur, & impoſſibile, & hypotheſis apparet falſa in ſecundo modo ſecũdæ figuræ, veluti omne C eſt A, nullũ B eſt A; ergo nullu B eſt C: verùm concluſio principalis propterea non eſt vera de neceſſitate: ſiquidem duo contraria ambo poſſunt ſimul eſſe falſa. Di
C cit ideo: *In media autem figura, & poſtrema, & hoc oſtenditur*. In ſecunda & vltima figura monſtratur per impoſſibile etiam vniuerſale problema affirmatiuum, omne B eſt A. *Ponatur enim A non omni B ineſſe*. Suppoſita namque contradictoria vniuerſalis affirmatiuæ concluſionis, non omne B eſſe A pro minori propoſitione; *ſumptum ſit autem omni C ineſſe A*, & ſumpta altera propoſitione per ſe vera vniuerſali affirmatiua ſupra prędicatũ hypotheſis, & pro maiori propoſitione, omne C eſt A; *ergo ſi B quidem non omni ineſt A,*
D *C autem omni*. His itaque duabus propoſitionibus tali pacto connexis & coniugatis, *non omni B ineſt C*, ſequitur in quarto modo ſecundæ figuræ concluſio particularis negatiua, quòd non omne B eſt C, *hoc autem impoſſibile*, quę concluſio ſit impoſſibilis. *Sit enim manifeſtum, quoniam omni B ineſt C*. Propterea quod planum eſt ſuam contradictoriam eſſe veram, non omne B eſſe C, *quare falſum quod ſuppoſitum eſt*. Falſa itaque erit etiã hypotheſis, quæ erat, non omne B eſt A: *verum eſt ergo omni ineſſe*, & vera per cõſequens ſua contra-
E dictoria, quæ erat principalis concluſio, omne B eſt A: *ſi autem contrarium ſupponatur*: ſi verò hypotheſis fuerit cõtraria concluſionis vniuerſalis affirmatiuæ, *ſyllogiſmus quidem erit ad impſibile*, efficitur quidem ſyllogiſmus per impoſſibile, concludens falſum, & falſam habens hypotheſim, *non tamen oſtenditur quod propoſitum eſt*, verum non valet demonſtrare propoſitum. *Si enim A nulli B*. Si namque hypotheſis ſit contradictoria concluſionis vniuerſalis affirmatiuæ, nullum
F B eſt A, quæ pro minori propoſitione accipiatur, *omne autem C*, & eidem fuerit loco maioris adiuncta hæc altera propoſitio vniuerſalis affirmatiua per ſe vera, omne C eſt A, *nulli B, C*, ſequitur in ſecundo modo ſecundæ figuræ concluſio vniuerſalis negatiua, nullum B eſſe C, *hoc autem impoſſibile*, quæ concluſio cum ſit impoſſibilis: *quare falſum eſt nulli ineſſe*,

falſa

falſa quoque erit hypotheſis, nullum B eſſe A, *ſed non ſi hoc falſum, verum omni*, ſed non ſequitur de neceſſitate, ſi hæc vniuerſalis negatiua falſa eſt, nulli B eſſe A, ſumpta pro hypotheſi, quòd ſit vera ſua contradictoria, quæ eſt omne B eſſe A, concluſio a principio propoſita; ambæ enim poſſunt eſſe ſimul falſæ. Sequitur textus.

Quando autẽ alicui B ineſt A, ſupponatur A nulli B ineſſe, C autẽ omni inſit. Neceſſe eſt ergo C nulli B ineſſe; quare ſi hoc impoſſibile, neceſse eſt A alicui B ineſse: ſi autem ſupponatur alicui non ineſse, eadem erunt quæ in prima figura.

Docet Ariſtoteles, quòd particulare problema affirmatiuum, aliquod B eſt A, per impoſſibile in ſecunda figura demonſtratur, ſumpta ſcilicet pro hypotheſi contradictoria concluſionis affirmatiuæ particularis pro minori propoſitione, nullum B eſt A, cum altera propoſitione per ſe vera vniuerſali affirmatiua pro maiori propoſitione, omne C eſt A; ſequitur namque in ſecundo modo ſecundæ figuræ hæc concluſio, nullum B eſt C; quæ concluſio cum ſit falſa, & impoſſibilis, falſa quoque erit hypotheſis, nullũ B eſt A, & vera ſua contradictoria, quæ eſt cõcluſio principalis, aliquod B eſt A. Sumpta autem hypotheſi contraria concluſionis affirmatiuæ particularis, aliquod B non eſt A, concluſio dicta per impoſſibile in ſecunda figura non demonſtratur; ſiquidem contingit, quod & accidit in prima figura, videlicet quod licet concluſio, quæ colligitur, ſit falſa, & impoſſibilis, hoc nõ euenit propter falſitatem hypotheſis, nec oſtenditur propoſitum, quoniam non ſequitur de neceſſitate veritas concluſionis principalis. Inquit igitur: *Quando autẽ alicui B ineſt A.* Cum voluerimus demonſtrare problema particulare affirmatiuũ, aliquod B eſt A, *ſupponatur A nulli B ineſſe*, ſumatur pro hypotheſi ſua cõtradictoria, nullum B eſt A, pro minori propoſitione, *C autem omni inſit*, & propoſitio altera per ſe vera ſit maior propoſitio affirmatiua vniuerſalis, omne C eſt A. *Neceſſe eſt ergo C nulli B ineſſe*, ſequitur de neceſſitate in ſecundo modo ſecundæ figuræ, quòd nullum B eſt C, *quare ſi hoc impoſſibile*, quæ concluſio cum falſa ſit & impoſſibilis, & per conſequens etiam hypotheſis, nullum B eſt A, *neceſſe eſt A alicui B ineſſe*, de neceſſitate erit vera ſua contradictoria, quæ erat concluſio propoſita, aliquod B eſt A, *ſi autem ſupponatur alicui non ineſſe*: ſi verò pro hypotheſi accipiatur contraria particularis affirmatiuæ, & cum altera propoſitione, per ſe vera compleatur, *eadem erunt quæ in prima figura*, eadẽ obſtabunt quæ etiam in prima figura ad oſtenſionem propoſiti.

Rurſum ſupponatur A alicui B ineſſe, C autem nulli inſit. Neceſse eſt

A igitur C alicui B non ineſse, ſed omni inerat; quare falſum quod ſuppoſitum eſt; nulli ergo B inerit A.

Ponit quòd etiam problema vniuerſale negatiuum, nullũ B eſt A, per impoſſibile demonſtratur in ſecunda figura, ſuppoſita contradictoria pro minori propoſitione, aliquod B eſt A, cum altera propoſitione vniuerſali negatiua pro maiori propoſitione, nullũ C eſt A, ex his namque ſe-

B quitur in tertio modo ſecundæ figuræ hæc concluſio, aliquod B non eſt C, quæ concluſio falſa eſt & impoſſibilis, quoniã ſua contradictoria vera eſt, omne B eſt C, & cum concluſio falſa ſit, falſa quoque eſt hypotheſis, aliquod B eſt A, & vera ſua contradictoria, nullũ B eſt A, quę erat concluſio a principio propoſita demonſtranda, & dicit: *Rurſum ſupponatur A alicui B ineſſe*. Ad demonſtrandum autem vniuerſale problema negatiuum, nullũ B eſt A, accipiatur in minori propoſitione pro hypotheſi ſua contradictoria, ali-

C quod B eſt A, *C autem nulli inſit*, & ei pro maiori propoſitione adiungatur altera propoſitio per ſe vera vniuerſali negatiua, nullum C eſt A. *Neceſſe eſt igitur C alicui B non ineſſe*. Sequitur de neceſſitate ex his duobus præmiſſis ſic coniugatis tertio modo ſecundæ figuræ hæc concluſio, aliquod B non eſt C, *ſed omni inerat*, ſed vera eſt propoſitio, omne B eſt C, ſua contradictoria; *quare falſum quod ſuppoſitum eſt*: quare eſt falſa hypotheſis, aliquod B eſt A: *nulli ergo B inerit A*: & ideo vera cõcluſio propoſita ſua contradictoria,

D nullum B eſt A.

Quando autem non omni B ineſt A, ſupponatur omni ineſſe, C autem nulli. Neceſse eſt ergo C nulli B ineſſe, hoc autem impoſſibile: quare verum eſt non omni ineſse. Manifeſtum ergo, quoniam omnes ſyllogiſ-

E mi fiunt per mediam figuram.

In hac poſtrema parte capitis tradit, quod etiã particulare problema negatiuum, non omne B eſt A, per impoſſibile in ſecunda figura demonſtratur, ſumpta ſua cõtradictoria pro minori propoſitione, omne B eſt A, cum altera propoſitione vniuerſali negatiua per ſe vera pro maiori, nullum C eſt A: ſequitur enim concluſio hæc in primo modo ſecũdæ figuræ, quòd nullum B eſt C, quæ concluſio cum falſa ſit & impoſſibilis, falſa quoque eſt hypotheſis, omne B eſt A, & vera

F ſua contradictoria, non omne B eſt A, quæ erat concluſio propoſita, ex quibus & dictis in ſuperioribus concludit cuncta problemata demonſtrare per impoſſibile in ſecunda figura. Siquidem planum eſt & vniuerſale affirmatiuum, & particulare affirmatiuum, & vniuerſale negatiuum, & particulare negatiuum oſtendi vt vidimus, & dicit: *Quando autem non omni B ineſt A.*

Quando voluerimus demõſtrare problema particulare negatiuum, non omne B eſſe A, *ſupponatur omni ineſſe*, accipiatur pro hypotheſi ſua contradictoria pro minori propoſitione, omne B eſſe A, *C autem nulli*, cum altera propoſitione vniuerſali negatiua per ſe vera pro maiori propoſitione, nullum C eſſe A. *Neceſſe eſt ergo C nulli B ineſſe*. Sequitur itaque ex his ſimul coniugatis hæc concluſio vniuerſalis negatiua in primo modo ſecundæ figuræ, quæ dicit, nullum B eſſe C, *hoc autem impoſſibile*, quæ concluſio cum ſit impoſſibilis, falſa quoque eſt hypotheſis: *quare verum eſt non omni ineſſe*, & vera ſua contradictoria, non omne B eſſe A, quæ erat concluſio propoſita. *Manifeſtum ergo*. Palam igitur ex dictis, *quoniam omnes ſyllogiſmi fiunt per mediam figurã*, quòd cuncta problemata per impoſſibile monſtrantur in ſecunda figura ſatis,

Super Capite XII. de ſyllogiſmo per impoſſibile in ſecunda figura pro Iuris ſtudioſis.

DOcet Ariſtoteles cuncta problemata per impoſſibile demonſtrari in ſecunda figura, ſuppoſita cõtradictoria cũ altera propoſitione per ſe vera, de quibus facile eſt exemplificare in terminis ſuperioribus deſumptis in l. impuberem. ff. de furtis. & in tit. Inſt. de oblig. quæ ex delic. naſcun. §. fin.

Sit problema vniuerſale affirmatiuum.

Omnis potens cõmittere furtum eſt doli capax.

Hoc problema demonſtrabitur per impoſſibile in quarto modo ſecundæ figuræ, ſumpta cõtradictoria pro hypotheſi in minori propoſitione, & altera propoſitione vniuerſali affirmatiua per ſe vera pro maiori propoſitione, tali pacto,

BA Omnis homo eſt doli capax.
RO Non omnis potens committere furtum eſt doli capax, ergo
CO Non omnis potens committere furtum eſt homo.

Hęc concluſio cum ſit falſa, & impoſſibilis, eſt quoque falſa hypotheſis, quæ eſt, Non omnis
E potens committere furtum eſt doli capax, & vera eſt ſua contradictoria, Omnis potens committere furtum eſt doli capax, quæ erat concluſio propoſita.

Similiter ſit problema particulare affirmatiuum, Aliquis potens committere furtum eſt doli capax. Id problema demonſtrabitur per impoſſibile in ſecundo modo ſecundæ figuræ, ſuppoſita contradictoria pro minori propoſitione cum altera propoſitione vniuerſali affirmatiua
F per ſe vera pro maiori, videlicet

CA Omnis homo eſt doli capax.
ME Nullus potens cõmittere furtum eſt doli capax, ergo
STRES Nullus potens cõmittere furtum eſt homo.

Cum enim falſa ſit hæc concluſio, etiam falſa eſt hypotheſis, Nullus potens committere fur-
A tum eſt doli capax, & vera ſua contradictoria, Aliquis potens committere furtum eſt doli capax, quæ erat concluſio propoſita.

Præterea ſit problema vniuerſale negatiuum.

Nullus potens committere furtum caret dolo.

Hoc problema demonſtrabitur per impoſſibile in tertio modo ſecundæ figuræ, ſuppoſita contradictoria pro minori propoſitione, & ſumpta altera propoſitione vniuerſali negatiua per ſe vera pro maiori propoſitione, vt puta

FE Nullus iniuſtus caret dolo.
B STI Aliquis potens committere furtum caret dolo, ergo
NO Aliquis potens committere furtum nõ eſt iniuſtus.

Hæc cõcluſio eſt falſa, & falſa eſt hypotheſis, Aliquis potens committere furtum caret dolo. Vera itaque eſt ſua contradictoria, quæ eſt concluſio principalis, Nullus potens committere furtum caret dolo. Denique problema negatiuum particulare, Aliquis potens committere furtum non caret dolo, demonſtratur per im-
C poſſibile in primo modo ſecundę figurę, ſumpta hypotheſi contradictoria pro minori propoſitione, & altera propoſitione vniuerſali negatiua per ſe vera, pro maiori, ſcilicet

CE Nullus iniuſtus caret dolo.
SA Omnis potens committere furtum caret dolo, ergo
RE Nullus potens committere furtum eſt iniuſtus.

Cum hæc concluſio ſit falſa, & impoſſibilis, falſa inſuper eſt hypotheſis, Omnis potens com-
D mittere furtum caret dolo, & vera ſua contradictoria, Aliquis potens committere furtum non caret dolo, quæ eſt concluſio propoſita.

Quæ dicta ſatis ſufficiant pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo per impoſſibile in tertia figura. Caput XIII.

SImiliter autem & per vltimã. Ponatur enim A alicui B non ineſſe,
E C autem omni B; ergo A alicui C non inerit. Si ergo hoc impoſſibile, falſum alicui non ineſse, quare verum eſt omni: ſi verò ſupponatur nulli ineſse, ſyllogiſmus quidem erit, & impoſſibile. Non oſtenditur autem quod pro-
F poſitum eſt: ſi enim contrarium ſupponatur, eadẽ erunt quę in prioribus.

Tranſit ad ſyllogiſmũ per impoſſibile in tertia figura, per quẽ determinat omnia genera problematũ demõſtrari: & in primis vniuerſale problema affirmatiuũ, omne B eſt A, ſuppoſita contradi-

tradictoria pro maiori ꝓpoſitione,& ſũpta altera ꝓpoſitione per ſe vera ſub ſubiecto hypotheſis, quę ſit vniuerſalis affirmatiua, in quinto modo tertię figurę, vt puta, aliqđ B nõ eſt A, omne B eſt C; ergo aliquod C nõ eſt A; quę cõcluſio cũ ſit falſa,& impoſſibilis, falſa quoque eſt hypotheſis, aliquod B non eſt A, & vera ſua contradictoria, omne B eſt A, quæ erat concluſio propoſita. Sumpta verò hypotheſi contraria concluſionis principalis, nullum B eſt A, ſequitur quidem falſũ,& impoſſibile, veluti in ſecundo modo tertiæ figuræ, nullum B eſt A, omne B eſt C; ergo aliquod C non eſt A, ſed accidit quod etiam in prima & ſecũda figura contingebat, quod nõ oſtenditur propoſitum, quoniam duo contraria poſſunt eſſe ambo falſa, ideo dicit: *Similiter autem et per vltimam*. Conſimiliter & in tertia figura demonſtratur per impoſſibile omnia genera problematum. Sit namque problema vniuerſale affirmatiuum demonſtrandum, quòd omne B eſt A. *Ponatur enim A alicui B non ineſſe*. Suppoſita ſua contradictoria, aliquod B non eſt A, *C autem omni B*, cum altera propoſitione vniuerſali affirmatiua per ſe vera, ſumpta ſub ſubiecto hypotheſis, omne B eſt C; *ergo A alicui C non inerit*; erit concluſio in quinto modo tertię figuræ, quòd aliquod C non eſt A. *Si ergo hoc impoſſibile*. Quæ concluſio cũ ſit impoſſibilis & falſa, *falſum alicui non ineſſe*, falſa quoque eſt hypotheſis, aliqđ B nõ eſt A, *quare verũ eſt omni*, & propterea vera eſt ſua contradictoria, omne B eſt A, quę erat concluſio propoſita demonſtranda. *Si verò ſupponatur nulli ineſſe*. Sumpta autem pro hypotheſi, contraria concluſionis vniuerſalis affirmatiuę, vt nullum B eſt A, *ſyllogiſmus quidem erit, & impoſſibile*, erit quidem validus ſyllogiſmus in tertia figura, ſcilicet in ſecundo modo,& quod concludit, erit impoſſibile: ex quo etiam falſa erit hypotheſis, nullum B eſt A. *Non oſtẽditur autem quod propoſitum eſt*. Sed non demonſtratur principale propoſitũ, quod erat problema vniuerſale affirmatiuum, omne B eſt A: *ſi enim contrarium ſupponatur*: quoniam hypotheſi ſumpta contraria concluſionis demonſtrandæ, *eadem erunt quæ in prioribus*, eadẽ obſtabunt ad problema demonſtrandum, quę in prima & ſecunda figura.

Sed ad oſtendendum alicui ineſſe, eadem ſumenda eſt hypotheſis; nam ſi A nulli B, C autem alicui B, A non omni C. Si ergo hoc falſum, verum eſt A alicui B ineſſe.

Oſtendit etiam particulare problema affirmatiuum demonſtrari per impoſſibile in tertia figura, ſuppoſita contradictoria pro maiori propoſitione, & ſumpta altera propoſitione pro minori affirmatiua particulari per ſe vera. Ex his namque ſic coniugatis per impoſſibile monſtrabitur problema dictum, ſcilicet aliquod B eſt A in ſexto modo tertiæ figuræ, veluti nullum B eſt A, ali-
A quod B eſt C; ergo aliquod C non eſt A, quæ concluſio cum ſit impoſſibilis, falſa quoque eſt hypotheſis, nullum B eſt A,& vera ſua cõtradictoria, aliquod B eſt A, problema propoſitum demonſtrandum. Habet itaque: *Sed ad oſtendendum alicui ineſſe*. Ad demonſtrandum per impoſſibile in tertia figura problema particulare affirmatiuum, aliquod B eſt A, *eadem ſumenda eſt hypotheſis*, ſupponenda eſt cõtradictoria ſicuti & in prioribus: *nam ſi A nulli B*; quoniam ſi ſumpta fuerit pro maiori propoſitione talis hypotheſis, nullum B eſt
B A, *C autem alicui B*,& eidem fuerit adiuncta altera propoſitio per ſe vera particularis affirmatiua pro minori, aliquod B eſt C, *A non omni C*, erit cõcluſio in ſexto modo tertię figurę, aliquod C non eſt A, ſiue nõ omne C eſt A, quæ æquipollẽt. *Si ergo hoc falſum, verũ eſt A alicui B ineſſe*. Quę concluſio cum ſit falſa & impoſſibilis, falſa etiam eſt hypotheſis, nullum B eſt A, & vera ſua contradictoria, aliquod B eſt A, quæ eſt cõcluſio ꝓpoſita.

Quando autem nulli B ineſt A,
C **ſupponatur alicui ineſſe. Sumptum ſit autem & C omni B ineſſe; ergo neceſſe eſt A alicui C ineſſe, ſed nulli inerat: quare falſum eſt alicui B ineſſe A. Si autem ſupponatur omni B ineſſe A, non oſtenditur propoſitum.**

Ad oſtendendum problema vniuerſale nega-
D tiuum ſimiliter pro hypotheſi, ſumenda eſt contradictoria pro maiori propoſitione, & altera per ſe vera vniuerſali affirmatiua pro minori; tunc enim ex his ſic coniugatis per impoſſibile monſtrabitur in tertio modo tertiæ figuræ, problema hoc vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A, tali pacto, aliquod B eſt A, omne B eſt C; ergo aliquod C eſt A. Quæ concluſio cum ſit falſa, eſt inſuper falſa hypotheſis, aliquod B eſt A, & vera ſua contradictoria, nullum B eſt A, quæ erat cõcluſio propoſita demonſtranda. Sumpta
E verò pro hypotheſi contraria vniuerſalis negatiuę, ſcilicet omne B eſt A, non oſtẽditur propoſitum vt pluries dictum eſt. Hæc habentur in his verbis: *Quando autem nulli B ineſt A*. Quando verò mõſtratur per impoſſibile in tertia figura problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A, *ſupponatur alicui ineſſe*, ſupponenda eſt ſua contradictoria, quæ dicit, aliquod B eſt A, pro maiori propoſitione. *Sumptum ſit autem et C omni B ineſſe*, & eidem adiungenda altera propoſitio per ſe vera vniuerſalis affirmatiua pro minori, om-
F ne B eſt C; *ergo neceſſe eſt A alicui C ineſſe*. Ex quibus ſequitur de neceſſitate in tertio modo tertię figuræ, quod aliquod C eſt A, *ſed nulli inerat*, ſed quia vera eſt ſua contradictoria, nullum C eſt A; propterea concluſio hæc falſa eſt,& inſuper hypotheſis, quæ dicit, aliquod B eſt A, quod ideo dicit: *quare falſum eſt alicui B ineſſe A*, & cum hypotheſis falſa ſit, ſequitur vt ſit vera ſua contradictoria,

ctoria,quæ erat concluſio vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A,propoſita demonſtranda. *Si autẽ ſupponatur omni B ineſſe A*. Suppoſita autẽ cõtraria concluſionis vniuerſalis negatiuæ,*non oſtenditur propoſitum*, non concluditur per impoſſibile problema principale,vt ſæpe dictum fuit.

Sed ad oſtendendum non omni ineſſe, eadem ſumenda hypotheſis; nam ſi A omni B, & C alicui B, A ineſt alicui C, hoc autem non fuit; quare falſum eſt omni ineſſe;ſi autem ſic, verum non omni:ſi autem ſupponatur alicui ineſſe, eadem erunt quæ & in ijs prius dicta ſunt. Manifeſtum ergo, quoniam in omnibus per impoſſibile ſyllogiſmis, oppoſitum ſupponendum. Palam autem & quoniã in media figura oſtenditur,quoddam modo affirmatiuum,& in poſtrema vniuerſale.

Proſequitur declarare quomodo etiam particulare problema negatiuum per impoſſibile mõſtratur in tertia figura, ſumpta ſcilicet pro hypotheſi contradictoria pro maiori cum altera propoſitione vniuerſali affirmatiua per ſe vera pro minori in primo modo eiuſdẽ figuræ,omne B eſt A,omne B eſt C;ergo aliquod C eſt A. Quæ concluſio cum ſit falſa,& impoſſibilis,eſt quoque falſa hypotheſis,omne B eſt A,& vera ſua contradictoria,non omne B eſt A, quę erat concluſio propoſita. Suppoſita verò contraria cõcluſionis particularis negatiuæ,veluti aliquod B eſt A,eadem ſequuntur quæ & in prioribus dictum eſt, nec oſtenditur propoſitum. Quapropter ex dictis cõcludit planũ eſſe, quod in omnibus ſyllogiſmis per impoſſibile ſupponendum eſt contradictorium,& inſuper conſtare, quòd in ſecunda figura,quæ ſolet concludere negatiue, affirmatiuum quoddammodo colligitur,& in tertia,quæ ſolet concludere particulariter, colligitur quoddammodo vniuerſale,non quidem ſcilicet oſtenſiue, ſed per impoſſibile vt vidimus. Dicit itaque: *Sed ad oſtendendum non omni ineſſe*. Ad oſtendendum verò problema particulare negatiuum, non omne B eſt A,*eadem ſumenda eſt hypotheſis*,ſupponenda eadem hypotheſis,quæ & in præcedentibus, nempe contradictoria,*nam ſi A omni B*,quoniam ſuppoſita contradictoria concluſionis particularis negatiuæ pro maiori propoſitione, omne B eſt A,*& C alicui B*, & eidem adiuncta pro minori altera propoſitione vniuerſali affirmatiua per ſe vera,omne B eſt C,*A ineſt alicui C*,erit concluſio in primo modo tertiæ figuræ, quod aliquod C eſt A, *hoc aut non fuit*, ſed hæc concluſio eſt impoſſibilis;*quare falſum eſt omni ineſſe*;quocirca falſa eſt etiam hypotheſis,omne B eſt A,*ſi autem*

A *ſic verum non omni*,& cum falſa ſit vniuerſalis affirmatiua, vera erit particularis negatiua ſua cõtradictoria,non omne B eſt A, quæ erat concluſio propoſita:*ſi autem ſupponatur alicui ineſſe*:ſi verò pro hypotheſi ſumatur contraria particularis negatiuæ, vti aliquod B eſt A,*eadem erunt quæ & in ijs,quæ prius dicta ſunt*,eadem obſtabunt quę & in præcedentibus, nec propoſitum demonſtrabitur. *Manifeſtum ergo,quoniam in omnibus per impoſſibile ſyllogiſmis*. Planum eſt igitur in omnibus ſyllogiſmis ad impoſſibile,*oppoſitum ſupponendũ*,

B ſumendum pro hypotheſi contradictorium. *Palam autem, & quoniam in media figura oſtenditur quoddammodo affirmatiuum,& in poſtrema vniuerſale*. Et vlterius planum eſt quoddammodo in ſecunda figura affirmatiuum, & in tertia vniuerſale colligi,non quidem oſtenſiue, ſed per impoſſibile. Et hæc ſufficiant in hoc Capite.

C

Super capite XIII. de ſyllogiſmo per impoſſibile in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

HAbemus in hoc capite pro Iuris ſtudioſis omnia quatuor genera problematum demonſtrari per impoſſibile in prima figura, ſumpto contradictorio pro maiori propoſitione, & altera per ſe vera pro minori, de quibus in terminis poſitis in prima & ſecunda figura de tit. Inſt. de oblig. quę ex delicto naſcuntur. § fin. & ff. de furtis. l. impuberem. valemus breuiter exempla tradere.

D Exemplum problematis vniuerſalis affirmatiui, Omnis iniuſtus eſt doli capax, demonſtratur per impoſſibile in quinto modo tertiæ figurę, vt

BRO Non omnis iniuſtus eſt doli capax.
CAR. Omnis iniuſtus poteſt committere furtum,ergo
DO Aliquis potens committere furtum nõ eſt doli capax.

Exemplum problematis particularis affirmatiui, Aliquis iniuſtus poteſt cõmittere furtũ, demonſtratur per impoſſibile in ſexto modo tertię

E figuræ tali pacto

FE Nullus iniuſtus poteſt committere furtum.
RI Aliquis iniuſtus eſt doli capax,ergo
SON Aliquis doli capax non poteſt committere furtum.

Exemplum problematis vniuerſalis negatiui, Nullus iniuſtus caret dolo, demonſtratur per impoſſibile in tertio modo tertiæ figuræ, videlicet

DI Aliquis iniuſtus caret dolo.
SA Omnis iniuſtus poteſt committere fur-
F tum,ergo
MIS Aliquis potens committere furtum caret dolo.

Exemplum problematis particularis negatiui, Aliquis iniuſtus non caret dolo, monſtratur per impoſſibile in primo modo tertiæ figuræ tali pacto

DA-

DA Omnis iniuſtus caret dolo.
RA Omnis iniuſtus poteſt committere furtum, ergo
PTI Aliquis potens committere furtum caret dolo.

Hæ omnes concluſiones cum falſæ ſint, falſa eſt hypotheſis vniuſcuiuſque ſyllogiſmi, & vera ſua contradictoria.

Quæ dicta ſatis pro Iuris ſtudioſis ſuper hoc Capite.

Quo oſtenſiua, & quæ ad impoſſibile ducit demonſtratio, differant.

Caput XIV.

Differt autem quę ad impoſſibile demonſtratio ab ea, quæ eſt oſtẽſiua, eo quod ponat quod vult interimere, deducens ad confeſſum falſum oſtenſiua autem incipit ex confeſſis poſitionibus veris. Sumunt ergo vtræque duas propoſitiones confeſſas, ſed hæc quidem harum; altera verò contradictionem concluſionis, & hinc quidem non neceſſe eſt notum eſſe concluſionem, neque prius opinari quoniam eſt, aut non eſt. Illinc verò ineſſe eſt, quoniam non eſt: differt autem nihil affirmatiuam vel negatiuam eſſe concluſionem; ſed ſimiliter ſe habet in vtriſque; omnis enim quæ oſtenſiue concluditur, & per impoſſibile monſtrabitur, & quæ per impoſſibile, oſtenſiue, & per eoſdem terminos, non autem in eiſdem figuris; nam quando per impoſſibile ſyllogiſmus fit in prima figura, quod verum eſt, in media erit, aut in poſtrema; priuatiuum quidem in media, prædicatiuum autem in poſtrema. Quando autem ſyllogiſmus in media fit, quod verum eſt, erit in prima figura in omnibus propoſitionibus: quando autem in poſtrema ſyllogiſmus, quod verum eſt, erit in prima,
A & in media; affirmatiua quidem in prima, priuatiua autem in media.

Ponit diſcrimen Ariſtoteles inter ſyllogiſmũ oſtenſiuum, & ad impoſſibile, & exacte conſiderat differentiam exiſtentem inter vtrumque, iuxta ea, quæ pollicitus fuit in primo libro huius tractatus, capite trigeſimo, & inquit, quòd duplex eſt differentia inter ſyllogiſmum oſtenſiuum & ad impoſſibile, ſcilicet & reſpectu præmiſſarum, & reſpectu concluſionis: reſpectu præmiſſarum, B quoniam ſyllogiſmus ad impoſſibile in principio ſupponit, quod vult interimere, nempe contradictorium, & hoc oſtendit falſum, vt inde eo ſublato propoſitum colligat; ſyllogiſmus verò oſtenſiuus incipit à conceſſis propoſitionibus & notis, & ad probationem dubitatæ concluſionis procedit. Vlterius in ſyllogiſmo per impoſſibile vnica tantum eſt propoſitio nota; altera verò contradictoria concluſionis dubitatæ: at in ſyllogiſmo oſtenſiuo vtræque præmiſſæ ſunt notæ. Eſt etiam differentia inter oſtenſiuum, & ad im C poſſibile ſyllogiſmum, reſpectu concluſionis, quoniam in ſyllogiſmo oſtenſiuo non neceſſe eſt præcognoſcere concluſionem antequam fiat ſyllogiſmus: in ſyllogiſmum autem ad impoſſibile opus eſt concluſionem eſſe pręcognitam ad poſitionem ſuæ contradictoriæ, & his omnibus modis differunt ſyllogiſmus oſtenſiuus, & ad impoſſibile, ſiue concluſio ſit affirmatiua, ſiue negatiua. Siquidem omnis concluſio vel affirmatiua, vel negatiua, quę oſtenſiue oſtenditur, etiam per impoſſibile monſtratur, & in iiſdem terminis, li D cet non in iiſdem figuris: & è contrario, omnis concluſio, quæ per impoſſibile concluditur, etiã oſtenſiue ſyllogizatur. Quælibet namque concluſio, quæ per impoſſibile monſtratur per primam figuram, per oſtenſiuum monſtrabitur aut per ſecũdam, ſi concluſio extiterit negatiua, aut per tertiam, ſi concluſio fuerit affirmatiua; & quælibet concluſio, quę per impoſſibile monſtrabitur per ſecundam figuram, poterit per ſyllogiſmum oſtenſiuum oſtendi per primam figuram, & quælibet concluſio, quæ per impoſſibile per E tertiam demonſtrabitur; oſtendetur oſtenſiue aut per primam figurã, ſi fuerit affirmatiua, aut per ſecundam, ſi concluſio fuerit negatiua. Dicit itaque: *Differt autem quæ ad impoſſibile demonſtratio ab ea, quæ eſt oſtenſiua.* Demonſtratio per impoſſibile ab oſtenſiua diſcrepat, *eo quod ponat quod vult interimere, deducens ad confeſſum falſum,* quoniam demonſtratio per impoſſibile in principio ponit contradictorium, quod deſtruere vult ob falſum, quod ſequitur manifeſtum ex ipſo contradictorio: *oſtenſiua autem incipit ex confeſ-* F *ſis poſitionibus veris*: at demonſtratio oſtenſiua exorditur à notis propoſitionib. *Sumunt ergo vtræque duas propoſitiones confeſſas.* Habent itaque ambæ hæ demonſtrationes, & oſtenſiua, & per impoſſibilis, notas & confeſſas propoſitiones; *ſed hæc quidem*, puta oſtenſiua, *harum*, vtramque propoſitionem notam ſumit: *altera verò contradi-*

ctionem

ctionem concluſionis: altera autem nempe ad impoſſibile vnam tantum notam accipit; alteram verò contradictoriã concluſionis propoſitæ, *& hinc quidē nõ neceſſe eſt notã eſſe concluſionē*, & intu per differũt oſtēſiua & per impoſſibile, eo quod in oſtenſiua non eſt opus vt concluſio ſit ante nota, *neque prius opinari quoniam eſt, aut non eſt*, neque de ea præcognoſci neceſſe eſt vtrum ſit, vel non ſit. *Illinc verò neceſſe eſt, quoniam non eſt*. At in demonſtratione per impoſſibile oportet concluſionem eſſe præcognitam, & veram eſſe, quoniã contradictoria non eſt vera; B *differt autem nihil affirmatiuam, vel negatiuam eſſe concluſionem*, nec refert vel affirmatiua vel negatiua ſit concluſio: *ſed ſimiliter ſe habet in vtriſque*: ſiquidem conſimiliter ſe habent ad inuicem demonſtrationes prędictæ, & oſtenſiua, & impoſſibilis; *omnis enim quæ oſtenſiue concluditur, & per impoſſibile monſtrabitur*; quoniam quicquid oſtenſiue oſtenditur, demonſtratur & per impoſſibile, *& quæ per impoſſibile oſtenſiue, & per eoſdem terminos*, & quicquid per impoſſibile monſtrabitur, & oſtenſiue oſtendetur, & per eoſdem terminos, C *non autem in eiſdē figuris*, ſed non per eaſdem figuras: *nam quando ſyllogiſmus per impoſſibile fit in prima figura*: quoniam quando ſyllogiſmus ad impoſſibile per primam figuram cõſtituitur, *quod verum eſt*, id quod verum eſt, & intentum, *in media erit, aut in poſtrema*, oſtenſiue ſyllogizabitur per ſecũdam, aut per tertiam, *priuatiuum quidem in media*, quæſitum negatiuum oſtenſiue monſtrabitur per ſecundam figuram; *prædicatiuum autem in poſtrema*; quæſitũ verò affirmatiuum oſtenſiue ſyllogizabitur per vltimam: D *quando autem ſyllogiſmus in media fit*; quãdo verò ad impoſſibile ſyllogiſmus per ſecundã figuram copulatur, *quod verum eſt*, id quod verũ eſt, & intentum, *erit in prima figura in omnibus propoſitionibus*, oſtēſiue ſyllogizabitur per primam figuram per omnes propoſitiones; *quando autem in poſtrema ſyllogiſmus*: quando verò ad impoſſibile ſyllogiſmus fit in vltima figura, *quod verũ eſt*, id quod verum eſt, & intentum, *erit in prima & in media*, oſtenſiue monſtrabitur per primam figuram, & per ſecũdam; *affirmatiua quidem in prima*, E ſcilicet concluſio affirmatiua per primam figuram, *priuatiua autem in media*; concluſio vero negatiua per ſecundam figuram.

Sequitur textus.

Sit enim oſtenſum A nulli, aut nõ omni B per primam figuram; ergo hypotheſis quidem erat alicui B ineſſe A, C autem ſumebatur A quidem omni, B autem nulli. Sic enim F fiebat ſyllogiſmus ad impoſſibile, hoc autem media figura, ſic A quidem omni, B autem nulli ineſt, & manifeſtum ex his, quoniam B nulli ineſt A. Similiter autem & ſi non om A ni oſtenſum ſit ineſſe; nam hypotheſis quidem eſt omni B, A ineſſe, C autem ſumebatur A quidem omni, B autem non omni.

Probat Ariſtoteles ea quę dixit, vnumquodque problema, quod per impoſſibile demonſtratur, etiam per eoſdem terminos oſtenſiue ſyllogizari: & in primis hoc manifeſtat de problemate vniuerſali negatiuo, & inſimul de problemate B particulari negatiuo. Si namque problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A, demonſtratur per impoſſibile, ſuppoſita cõtradictoria, & ſumpta altera per ſe vera per tertium modum primæ figuræ, omne A eſt C, aliquod B eſt A, ergo aliquod B eſt C. Quæ concluſio cum ſit falſa, eſt quoque falſa hypotheſis, aliquod B eſt A, & vera ſua contradictoria, nullum B eſt A, quæ erat concluſio propoſita demonſtranda. Hoc idem problema etiam oſtenſiue; demonſtrabitur eadem ſumpta propoſitio C ne per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis per ſecundum modum ſecundæ figuræ tali pacto, omne A eſt C, nullum B eſt C; ergo nullum B eſt A, & ſic habeamus per eoſdem terminos idem problema, & oſtēſiue, & per impoſſibile demonſtratum. Syllogiſmus nãque ad impoſſibile ſemper fit ex contradictoria concluſionis, & altera per ſe vera concludens manifeſte falſum, & ſyllogiſmus oſtenſiuus fit ex eadem aſſumpta per ſe vera, & oppoſita falſæ concluſionis; vnde hæ tres propoſitiones ſunt materia cõ D munis amborũ ſyllogiſmorũ, particulare etiam problema negatiuum, non omne B eſt A, demõſtratur per impoſſibile, ſuppoſita cõtradictoria, & altera ſumpta per ſe vera, omne A eſt C, omne B eſt A; ex quibus ſequitur per primum modum primæ figurę, quod omne B eſt C. Quæ concluſio cum ſit falſa, eſt quoque falſa hypotheſis, omne B eſt A, & vera ſua contradictoria, non omne B eſt A, quæ erat concluſio propoſita. Hoc idem problema etiam oſtenſiue per eoſdem terminos ſyllogizabitur per quartum modum ſe E cundę figuræ, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis tali pacto, omne A eſt C, non omne B eſt C; ergo non omne B eſt A. Conſimiliter idē problema ſiue ſit vniuerſale negatiuũ, ſiue particulare, demonſtratur per impoſſibile in prima figura, & oſtenſiue in ſecũda, quãdo maior propoſitio ſyllogiſmi impoſſibilis, quę erat omne A eſt C, fuerit negatiua, nullum A eſt C: ſi nãque fuerit problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A, per impoſſibile demonſtratum per quartũ mo F dum primæ figuræ, nullum A eſt C, aliquod B eſt A; ergo aliquod B non eſt C. Quæ concluſio cum ſit falſa, eſt etiam falſa hypotheſis, aliquod B eſt A, & vera ſua contradictoria, nullum B eſt A, problema propoſitum. Hoc idem problema oſtenſiue demonſtrabitur per primum modum ſecundæ figurę, nullum A eſt C, omne B eſt C; ergo nul-

go nullum B eſt A: ſi verò fuerit problema particulare negatiuum, aliquod B non eſt A per impoſſibile demonſtratum in ſecundo modo primæ figuræ, nullum A eſt C, omne B eſt A; ergo nullum B eſt C. Quæ concluſio cum ſit falſa, erit quoque falſa hypotheſis, omne B eſt A, & vera ſua contradictoria, aliquod B non eſt A, problema propoſitum. Hoc idem oſtenſiue ſyllogizabitur per tertium modum ſecundæ figuræ, videlicet nullũ A eſt C, aliquod B eſt C; ergo aliquod B non eſt A. Hæc habentur in his verbis: *Sit enim oſtenſum A nulli, aut non omni B per primam figuram*. Sit namque ſiue problema vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A, ſiue particulare negatiuum, non omne B eſt A, demonſtratum per impoſſibile in prima figura, & oſtẽſiue in ſecunda, veluti vniuerſale negatiuũ per impoſſibile per tertium modum primæ figuræ, omne A eſt C, aliquod B eſt A; ergo aliquod B eſt C, & oſtenſiue per ſecundum modum ſecundę figurę, omne A eſt C, nullum B eſt C; ergo nullum B eſt A; *Ergo hypotheſis quidem erat alicui B ineſſe A*. Hypotheſis igitur erat cõtradictoria problematis vniuerſalis negatiui, aliquod B eſt A, *C autem ſumebatur A quidem omni, B autem nulli*, & ſumptæ propoſitiones erant altera per ſe vera, omne A eſt C, & altera contradictoria concluſionis impoſſibilis, nullum B eſt C; *ſic enim fiebat ſyllogiſmus ad impoſſibile*; & in his terminis conſtituebatur per impoſſibile ſyllogiſmus in prima figura, *hoc autẽ media figura*, & in iiſdem terminis hoc pacto oſtẽſiuus in ſecunda, *ſic A quidem omni*, ſumpta pro maiori propoſitione per ſe vera, omne A eſt C, *B autem nulli ineſt*, & contraria concluſionis impoſſibilis pro minori, nullum B eſt C; *& manifeſtum ex his, quoniam B nulli ineſt A*; ex quibus conſtat oſtenſiue in ſecundo modo ſecundę figuræ demonſtrari quod nullum B eſt A, problema antea per impoſſibile concluſum. *Similiter autem & ſi non omni oſtenſum ſit ineſſe*. Pariter ſi per impoſſibile in prima figura demonſtratum fuerit particulare problema negatiuum, non omne B eſt A, veluti in primo modo, omne A eſt C, omne B eſt A; ergo omne B eſt C. In iiſdem terminis idem problema oſtenſiue erit quoque monſtratum in quarto modo ſecundæ figuræ, *nam hypotheſis quidem eſt omni B, A ineſſe*, quoniam ſuppoſitio eſt cõtradictoria particularis problematis negatiui, omne B eſt A, *C autem ſumebatur A quidem omni, B autem non omni*, & ſumptę propoſitiones erunt altera per ſe vera, omne A eſt C, & altera contradictoria concluſionis impoſſibilis, omne B eſt C, *& ſi priuatiua ſit ſumpta C, A*: & vlterius ſi ſumpta propoſitio per ſe vera, quæ erat omne A eſt C, fuerit negatiua, nullũ A eſt C. Pariter idẽ problema negatiuũ ſiue vniuerſale, ſiue particulare mõſtrabitur per impoſſibile per primã figuram, & oſtenſiue per ſecundã, quod habetur in his verbis, quãdo dicit: *Similiter etenim ſic fit media figura*

Rurſum ſit oſtenſum alicui B ineſſe A; ergo hypotheſis quidem eſt

A **nulli ineſſe, B autem ſumebatur omni C ineſſe, & A vel omni, uel alicui C, ſic enim erit impoſſibile. Hoc autem poſtrema figura, ſi A & B omni C; & manifeſtum ex his, quia neceſſe eſt A alicui B ineſſe. Similiter autem & ſi alicui C ſumatur ineſſe B, uel A.**

B Patefacit Philoſophus etiam aliud problema particulare affirmatiuũ, aliquod B eſt A, per impoſſibile monſtratum per primam figuram, vt in ſecundo modo, nullum B eſt A, omne C eſt B; ergo nullum C eſt A, in iiſdem terminis ſyllogizari per tertiũ oſtenſiue, vel in primo modo, vt omne C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A, vel in tertio aliquod C eſt A, omne C eſt B; ergo aliquod B eſt A, vel in quarto, omne C eſt A, aliquod C eſt B; ergo aliquod B eſt A, & inquit
C *Rurſum ſit oſtenſum alicui B ineſſe A*. Sit præterea per impoſſibile monſtratum in prima figura particulare problema affirmatiuum, aliquod B eſt A, & idem problema ſit oſtenſiue per tertiam concluſum. *Ergo hypotheſis quidẽ eſt nulli eſſe*. Hypotheſis igitur eſt cõtradictoria propoſiti problematis particularis affirmatiui, videlicet nullũ B eſt A, *B autem ſumebatur omni C ineſſe*, & ſumpta propoſitio per ſe vera erat omne C eſt B, *& A vel omni, vel alicui C*, & oppoſita concluſionis impoſſibilis, vel vniuerſalis, omne C eſt A, vti in
D primo tertiæ, vel particularis, aliqđ C eſt A, vt in tertio tertię: *ſi enim erat impoſſibile*: in his nãque terminis conſtituebatur per impoſſibile ſyllogiſmus per primam figuram. *Hoc autem poſtrema figura*. Et hoc pacto, & in iiſdem terminis per tertiam efficiebatur oſtenſiuus, *ſi A, & B omni C*, veluti per primum modum, ſi ſumptę propoſitiones erant ambę vniuerſales affirmatiuę, omne C eſt A, omne C eſt B, *& manifeſtũ ex his*, ex quibus ſimul cõiugatis cõſtat, *quia A neceſſe eſt alicui B ineſſe*, quod neceſſario ſequitur in primo modo ter-
E tię figurę, quòd aliquod B eſt A, quod erat problema propoſitũ. *Similiter autẽ & ſi alicui C ſumatur ineſſe B vel A*. Pariter idẽ problema concluditur neceſſario oſtenſiue per tertiam figuram ſiue extiterit particularis oppoſita concluſionis impoſſibilis, aliquod C eſt A, veluti per tertium modũ tertię figurę, ſiue particularis extiterit altera propoſitio per ſe vera, ſumpta ſub hypotheſi aliquod C eſt B, veluti per quartum modum, vti declarauimus exẽplo, & hactenus habuimus, quòd quando fit ſyllogiſmus per impoſſibile in prima
F figura, quòd verum intentum oſtenſiue concluditur ſiue per ſecundam figuram vt priuatiuum, ſiue per tertiam vti affirmatiuum.

Rurſum in media figura oſtenſũ ſit A omni B ineſſe. Ergo hypotheſis quidem fuit, non omni B ineſſe

A.Sum-

A. Sumptum eſt autem A omni C, & C omni B; ſic enim erit impoſſibile, hoc autem prima figura, ſi A omni C; & C omni B. Similiter autem & ſi oſtenſum ſit alicui ineſse, nam hypotheſis quidem fuit, nulli B ineſſe A: ſumptum eſt autem A omni C, & C alicui B.

Vbi patefecerit quomodo problemata per primam figuram demonſtrata, etiam oſtenſiue per ſecundam, & tertiam in ijſdem terminis demõſtrantur, nunc vult declarare quomodo problemata per impoſſibile oſtenſa per ſecundam figuram, in ijſdem terminis per primam oſtenſiue ſyllogizantur: & in primis ponit problemata affirmatiua, poſtea negatiua; problema enim vniuerſale affirmatiuum, omne B eſt A, per impoſſibile monſtratum per quartum modum ſecundæ figuræ, ſumpta pro hypotheſi contradictoria, & altera ſumpta propoſitione per ſe vera, omne C eſt A, non omne B eſt A; ergo non omne B eſt C, quæ eſt falſa concluſio, oſtenſiue per primam primæ in ijſdem terminis concluditur eadem ſumpta propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis, omne C eſt A, omne B eſt C; ergo omne B eſt A. Similiter problema particulare affirmatiuum, aliquod B eſt A monſtratur per impoſſibile per ſecundum modum ſecundæ figuræ, ſumpta propoſitione per ſe vera, & contradictoria problematis dicti, omne C eſt A, nullum B eſt A; ergo nullum B eſt C, quæ eſt falſa concluſio, oſtenſiue per tertium primæ ſyllogizatur, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis, omne C eſt A. aliquod B eſt C; ergo aliquod B eſt A, ideo dicit: *Rurſum in media figura oſtenſum ſit A omni B ineſſe.* Vlterius ſit ſyllogiſmo concluſum per impoſſibile per ſecundam figuram vniuerſale problema affirmatiuum, omne B eſt A. Hoc idem per primam oſtenſiue ſyllogizatur in ijſdem terminis. *Ergo hypotheſis quidem fuit non omni B ineſſe A.* Erat namque ſuppoſitio contradictoria propoſiti problematis, non omne B eſt A. *Sumptum eſt autem A omni C, & C omni B*, & ſumptæ propoſitiones erant ambæ vniuerſales affirmatiuę, omne C eſt A, & omne B eſt C, *ſic enim erit impoſſibile*, & tali pacto in his terminis problema dictum ſyllogizatur per impoſſibile per ſecundam figuram; *hoc autem prima figura*; & in ijſdem terminis per primam figuram idẽ problema oſtenſiue colligitur, *ſi A omni C, & C omni B*, ſumptis his propoſitionibus, omne C eſt A, omne B eſt C. *Similiter autem & ſi oſtenſum ſit alicui ineſſe.* Conſimiliter particulare problema affirmatiuum, aliquod B eſt A, mõſtratum per impoſſibile per ſecundam figuram, oſtenſiue erit concluſum per primam, & in ijſdem terminis, *nam hypotheſis quidem fuit nulli B ineſſe A*; erat nã

A que ſuppoſitio cõtradictoria dicti problematis; nullum B eſt A. *Sumptum eſt autem A omni C, & C alicui B.* Et ſumptæ propoſitiones erant altera per ſe vera, omne C eſt A, & altera contradictoria concluſionis impoſſibilis, aliquod B eſt A.

Si autem priuatiuus ſit ſyllogiſmus, hypotheſis quidem A alicui B ineſſe. Sumptum eſt autem A nulli C, & C omni B; quare ſit prima, & ſi
B non vniuerſalis ſit ſyllogiſmus, ſed A alicui B oſtenſum ſit non ineſſe ſimiliter; nam hypotheſis quidem omni B ineſſe A. Sumptum eſt autem A nulli C, & C alicui B; ſic enim prima figura.

Proſequitur declarare, quòd & problemata negatiua per impoſſibile demõſtrata per ſecun-
C dam figuram, oſtẽſiue per primam in ijſdem terminis ſyllogizantur: problema enim vniuerſale negatiuum, nullum B eſt A per impoſſibile mõſtratum per tertium modum ſecundæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & cõtradictoria, vt nullum C eſt A, aliquod B eſt A; ergo aliquod B non eſt C, quæ eſt concluſio falſa, in ijſdem terminis concluditur oſtenſiue per ſecundum primę, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis; nullum C eſt A, omne B eſt C; ergo nullum
D B eſt A. Similiter problema particulare negatiuum, aliquod B non eſt A, per impoſſibile mõſtratum per primum modum ſecundæ figuræ, ſumpta propoſitione per ſe vera, & contradictoria pro hypotheſi, nullum C eſt A, omne B eſt A; ergo nullum B eſt C, quæ eſt concluſio falſa, demonſtrabitur oſtenſiue in ijſdem terminis per quartum primæ, ſumpta eadẽ propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis, nullum C eſt A, aliquod B eſt C; ergo aliquod
E B non eſt A. Inquit igitur: *Si autem priuatiuus ſit ſyllogiſmus.* Si verò ſit demonſtratum vniuerſale problema negatiuum per ſyllogiſmũ per impoſſibile per tertium ſecundæ, qui concludit negatiuę. Hoc iedm problema monſtrabitur oſtenſiue in ijſdem terminis per ſecundum primæ; *hypotheſis quidem A alicui B ineſſe*: ſuppoſitio namque erat contradictoria dicti problematis, aliquod B eſt A. *Sumptum eſt autem A nulli C*, & ſumpta propoſitio per ſe vera, nullum C eſt A, *& C omni B*, & contradictoria impoſſibilis con-
F cluſionis, omne B eſt C: *quare ſit prima*, ex quibus ſimul iunctis ſequitur per ſecundum primæ figuræ, quòd nullum B eſt A, problema propoſitum. *& ſi non vniuerſaliter ſit ſyllogiſmus, ſed A alicui B oſtenſum ſit non ineſſe ſimiliter.* Conſimiliter problema particulare negatiuum per impoſſibile monſtratum, aliquod B non eſt A, per primum modum ſecundæ figuræ, veluti nullum C eſt A,

omne

omne B eſt A;ergo nullum B eſt C, quę eſt concluſio falſa,oſtenſiue in ijſdem terminis erit per quartum primæ concluſum;*nam hypotheſis quidē omni B ineſſe A*: ſuppoſitio namque contradictoria propoſiti problematis,omne B eſt A.*Sumptū eſt autem A nulli C*.. Et ſumpta propoſitio per ſe vera,nullum C eſt A,*& C alicui B*,& contradictoria concluſionis impoſſibilis ſumpta eſt,aliquod B eſt C.*ſic enim prima figura*. Ex quibus ſimul iunctis cōcluditur per tertium primę,quòd aliquod B non eſt A,poblema propoſitum, & ſic habuimus, quòd quando fit ſyllogiſmus per impoſſibile in ſecunda figura, verum intentum oſtenſiue concluditur per primam.

Rurſum in tertia figura oſtenſum ſit A ineſſe omni B. Ergo hypotheſis quidem fuit non omni B ineſſe A. Sumptum eſt autem C omni B, & A omni C, ſic enim erit impoſſibile, hoc autem prima figura. Similiter autem & ſi in aliquod ſit demonſtratio,nam hypotheſis quidem erit nulli B ineſſe A. Sumptum eſt autem C alicui B,& A omni C.

Duobus declaratis ex tribus propoſitis ab Ariſtotele in principio capitis ꝓ manifeſtādo,quòd quicquid per impoſſibile ſyllogizatur,etiā oſtenſiue in ijſdem terminis demonſtratur,in præſenti tertium ſumit,quòd quando fit per impoſſibile ſyllogiſmus per tertiam figuram, verum intentum oſtenſiue demonſtratur aut per ſecundam, aut per primam, affirmatiuum ſcilicet per primam, & negatiuum per ſecundam. & in primis oſtendit de affirmatiuo dicens, quòd problema vniuerſale affirmatiuum omne B eſt A, per impoſſibile oſtenſum per quintum modum tertiæ figurę,ſumpta ſua contradictoria, & altera propoſitione per ſe vera, non omne B eſt A, omne B eſt C;ergo non omne C eſt A,quæ eſt falſa cōcluſio,oſtenſiue in ijſdem terminis,ſyllogizabitur per primum modum primæ figuræ, ſumpta eadem per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis,omne C eſt A,omne B eſt C; ergo omne B eſt A. Similiter particulare problema affirmatiuum,aliquod B eſt A.per impoſſibile per ſextum tertię demonſtratum; ſumpta ſua contradictoria,& altera per ſe vera,nullum B eſt A,aliquod B eſt C;ergo aliquod C non eſt A,quę concluſio eſt falſa, oſtenſiue per tertium primæ in ijſdem terminis ſyllogizabitur, ſumpta eadem per ſe vera, & contradictoria concluſionis impoſſibilis,omne C eſt A ;aliquod B eſt C;ergo aliquod B eſt A. Ait itaque:*Rurſum in tertia figura oſtēſū ſit A ineſſe omni B*.Pręterea per impoſſibile per tertiam figuram monſtratum ſit problema vniuerſale affirmatiuum, omne B eſt A; & oſtenſiue idem problema per primam, &

A in ijſdem terminis. *Ergo hypotheſis quidem fuit non omni B ineſſe A*.Suppoſitio nāque erat cōtradictoria ꝓpoſiti problematis,non omne B eſt A. *Sumptum eſt autem C omni B,& A omni C*. Et ſumptæ propoſitiones erant altera per ſe vera, omne B eſt C, & altera contradictoria concluſionis impoſſibilis,omne C eſt A:*ſic enim erit impoſſibile*: in his enim terminis fit ſyllogiſmus per impoſſibile per tertiam figuram, *hoc autem prima figura*, & in ijſdem oſtenſiuus per primam. *Similiter autem & ſi in aliquod ſit demonſtratio*.Conſimi-

B liter ſe habet de problemate particulari affirmatiuo, aliquod B eſt A:ꝑ impoſſibile enim per tertiam demonſtratum;per primam oſtenſiue colligitur & in ijſdem terminis,*nam hypotheſis quidē erit nulli B ineſſe A*,quoniam ſuppoſitio erit contradictoria dicti problematis, ſcilicet nullum B eſt A. *Sumptum eſt autem C alicui B, & A omni C*. Et ſumptę propoſitiones, altera per ſe vera, aliquod B eſt C, & altera contradictoria concluſionis impoſſibilis,omne C eſt A.

C Si autem priuatiuus ſit ſyllogiſmus, hypotheſis quidem A alicui B ineſſe. Sumptum eſt autem C, A quidem nulli, B autem omni, hoc autem media figura. Similiter autem, & ſi non vniuerſalis ſit demonſtratio,nam hypotheſis quidem erit omni B ineſſe A. Sumptum eſt autem

D C, A quidem nulli, B autem alicui, hoc autem media figura.

Oſtendit quòd problema negatiuum per impoſſibile per tertiam figuram demonſtratum, oſtenſiue per ſecundam ſyllogizatur, & in ijſdē terminis. Si namque ſit vniuerſale poblema negatiuum, nullum B eſt A, per impoſſibile monſtratum per quartum modum tertiæ figurę,ſumpta pro hypotheſi cōtradictoria problematis, &

E ſumpta altera propoſitione per ſe vera, omne B eſt C,aliquod B eſt A; ergo aliquod A eſt C,quæ eſt concluſio falſa, demonſtrabitur oſtēſiue per primum modum ſecundę figuræ, & in ijſdē terminis,ſumpta cōtradictoria concluſionis impoſſibilis,& altera propoſitione per ſe vera, nullum A eſt C,omne B eſt C;ergo nullum B eſt A. Pariter ſi problema particulare negatiuum, aliquod B non eſt A,fuerit demonſtratum per impoſſibile per tertium modum tertiæ figuræ,ſumpta altera,ꝓpoſitione per ſe vera,& cōtradictoria dicti

F problematis,aliquod B eſt C,omne B eſt A;ergo aliquod A eſt C,quæ eſt concluſio falſa, monſtrabitur quoque oſtenſiue per tertium modum ſecundę figurę,& in ijſdem terminis,ſumpta contradictoria concluſionis falſę, & altera per ſe vera,nullum A eſt C,aliquod B eſt C;ergo aliquod B non eſt A,ideo inquit:*Si autem priuatiuus ſit ſyllogiſmus*. Si verò ſit per impoſſibile ſyllogiſmus

pro-

problema negatiuum demonſtrans, veluti vniuerſale problema negatiuum, nullum B eſt A. Idem inquam problema ſi fuerit monſtratū per tertiam figuram, & per ſecundam erit per ſyllogiſmum oſtenſiuum concluſum in iiſdem terminis, *hypotheſis quidem A alicui B ineſſe*, ſuppoſitio, quæ erit contradictoria dicti problematis, aliquod B eſt A. *Sumptum eſt autem C, A quidem nulli, B autem omni*. Et ſumptæ ſunt propoſitiones, altera contradictoria concluſionis impoſſibilis, nullum A eſt C, & altera per ſe vera, omne B B eſt C, *hoc autem media figura*, & hoc pacto fit ſyllogiſmus oſtenſiuus per ſecundam figuram. *Similiter autem & ſi non vniuerſalis ſit demonſtratio*. Conſimiliter idem erit ſi problema particulare negatiuum, aliquod B non eſt A, per impoſſibile per tertiā figuram erit oſtenſum, quoniam oſtenſiue etiam in iiſdem terminis per ſecundā ſyllogizabitur, *nam hypotheſis quidem erit omni B ineſſe A*; erit namque contradictoria pro hypotheſi, omne B eſt A. *Sumptum eſt autem C, A quidem nulli, B autem alicui*. Et ſumptæ propoſitiones C contradictoria concluſionis falſæ, nullum A eſt C, & altera per ſe vera, aliquod B eſt C.

Manifeſtum ergo, quoniam per eoſdem terminos, & oſtenſiue eſt demonſtrare vnumquodque propoſitum, & per impoſſibile. Similiter autem erit, & cum ſint oſtenſiue ſyllogiſmi, ad impoſſibile deducere, in terminis ſumptis, quando oppoſita propoſitio concluſionis ſumpta fuerit, nam fiunt iidem ſyllogiſmi iis, qui ſunt per conuerſionem; quare ſtatim habemus & figuras, per quas vnumquodque erit. Palam ergo, quoniam omne propoſitū oſtenditur per vtroſque modos & per impoſſibile, & oſtenſiue, & non contingit ſeparari alterum ab altero.

Concludit ex dictis planum eſſe, quòd omne problema per impoſſibile monſtratum, eſt oſtenſiue per eoſdē terminos ſyllogizare, quod idem etiam erit, quando aliquod problema oſtenſiue erit concluſum, quod illud idem, & per impoſſibile monſtrabitur, ſumpta contradictoria concluſionis, & altera per ſe vera. Cuius cauſa eſt, quoniam per impoſſibile ſyllogiſmi ſunt conſimiles conuerſiuis; & propterea ſtatim per conuerſionem habemus quoque figuras, per quas vnumquodque concluſorum per impoſſibile, & oſtenſiue erit ſyllogizare. Et inſuper dicit conſtare, quòd vnuquodque problema eſt per impoſſibile, & oſtenſiue ſyllogizare, & non contingit

A hos ſyllogiſmos inuicē ſeparari. Siquidem fiunt per eoſdem terminos, quamuis non per eaſdem figuras. Litera eſt clara, ideò dicta ſatis ſuper hoc Capite.

Super Capite XIV. Quo oſtenſiua, & quæ ad impoſſibile ducit demonſtratio, differant, pro Iuris ſtudioſis.

B TRia præcipue habemus in hoc Capite.

Primum, quòd vnūquodque problema per impoſſibile monſtratum per primam figuram, monſtrabitur in iiſdem terminis oſtenſiue, aut per ſecundam figuram, ſi fuerit negatiuum, aut per tertiam, ſi fuerit affirmatiuum.

Secundum, quòd vnumquodque problema per impoſſibile monſtratum per ſecundam figuram, oſtenſiue monſtrabitur per primam.

C Tertium, quòd vnumquodque problema per impoſſibile monſtratum per tertiam figuram, oſtenſiue monſtrabitur aut per primam, ſi fuerit affirmatiuum, aut per ſecundam, ſi fuerit negatiuum.

Pro exemplo primi capitis deſumantur termini in l.4. ff. de adimendis legatis; & ſit problema demonſtrandum vniuerſale negatiuum,

Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

Hoc problema per impoſſibile monſtrabitur per tertium modū primæ figuræ, ſumpta propo-D ſitione per ſe vera, & contradictoria dicti problematis, ſcilicet

DA	Omne irreuocabile eſt immutabile.
RI	Aliquod teſtamentum eſt irreuocabile, ergo
I	Aliquod teſtamentum eſt immutabile, concluſio falſa.

Hoc idem problema oſtenſiue monſtrabitur in iiſdem terminis per ſecundum modum ſecundæ figuræ, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis falſæ, veluti

E CA	Omne irreuocabile eſt immutabile.
ME	Nullum teſtamentum eſt immutabile, ergo
STRES	Nullum teſtamentū eſt irreuocabile.

Similiter particulare negatiuum problema,

Non omne teſtamentum eſt irreuocabile.

Demonſtrabitur per impoſſibile per primum modum primæ figuræ, ſumpta propoſitione per ſe vera, & contradictoria dicti problematis, vti

BAR	Omne irreuocabile eſt immutabile.
F BA	Omne teſtamentum eſt irreuocabile, ergo
RA	Omne teſtamentum eſt immutabile, concluſio falſa.

Hoc idem problema in iiſdem terminis etiā oſtenſiue ſyllogizabitur per quartū primæ, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis falſæ.

BA-

BA Omne irreuocabile eſt immutabile.

RO Non omne teſtamentum eſt immutabile, ergo

CO Non omne teſtamentũ eſt irreuocabile.

Problema etiam particulare affirmatiuum, Aliqua voluntas eſt reuocabilis, monſtratur per impoſſibile per ſecundum modum ſecundæ figuræ, ſumpta contradictoria, & altera propoſitione per ſe vera, vti

CE Nulla vltima voluntas noſtra eſt reuocabilis.

LA Omne teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo

RENT Nullum teſtamentum eſt reuocabile. Concluſio falſa.

Et idem problema monſtratur oſtenſiue in iiſdem terminis per primum modum tertiæ figuræ præter alios, quos vidimus in explicatione capitis, veluti ſumpta contraria concluſionis falſæ, & altera per ſe vera.

DA Omne teſtamentum eſt reuocabile.

RA Omne teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo

PTI Aliqua vltima voluntas noſtra eſt reuocabilis.

De vniuerſali affirmatiuo, quoniam per primam figuram per impoſſibile non monſtratur, ideo exemplum non eſt quærendum.

Quo ad ſecundũ caput pro illius exemplo deſumantur iidem termini ſupra poſiti, & ſit problema vniuerſale affirmatiuum, Omne teſtamentum eſt reuocabile.

Iſtud problema per impoſſibile monſtratum per quartum modum ſecundæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria eiuſdem problematis, veluti

BA Omnis vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

RO Non omne teſtamentum eſt reuocabile, ergo

CO Non omne teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra. Quæ concluſio falſa eſt.

Hoc idem problema oſtenſiue monſtrabitur per primum modum primæ figuræ, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis falſæ, ſcilicet

BAR Omnis vltima voluntas noſtra eſt reuocabilis.

BA Omne teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo.

RA Omne teſtamentum eſt reuocabile.

Particulare etiam problema affirmatiuum, Aliquod teſtamentum eſt reuocabile, per impoſſibile monſtratum per ſecundum modum ſecundæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria problematis, vt

CA Omnis vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

ME Nullum teſtamentum eſt reuocabile, ergo

STRES Nullum teſtamentũ eſt vltima voluntas noſtra. Quæ eſt falſa concluſio.

A Oſtenſiue per tertium modum primæ figuræ monſtrabitur, & in iiſdem terminis ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis falſæ, ſcilicet

DA Omnis vltima voluntas noſtra eſt reuocabilis.

RI Aliquod teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo

I Aliquod teſtamentum eſt reuocabile.

Similiter vniuerſale problema negatiuum, Nullum teſtamentum eſt irreuocabile, monſtra-
B tum per impoſſibile per tertium modum ſecundæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria dicti problematis.

FE Nulla vltima voluntas noſtra eſt irreuocabilis.

STI Aliquod teſtamentum eſt irreuocabile, ergo

NO Aliquod teſtamentum non eſt vltima voluntas noſtra. Quæ concluſio falſa eſt.

Hoc inquam problema etiam oſtenſiue in iiſdem terminis monſtrabitur per ſecundum mo-
C dum primæ figuræ, ſumpta eadem propoſitione per ſe vera, & contradictoria problematis.

CE Nulla vltima voluntas noſtra eſt irreuocabilis.

LA Omne teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo

RENT Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

Denique etiam particulare problema negatiuum, Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile, per impoſſibile monſtratum per primum mo-
D dum ſecundæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria problematis.

CE Nulla vltima voluntas noſtra eſt irreuocabilis.

SA Omne teſtamẽtum eſt irreuocabile, ergo

RE Nullum teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra. Quæ eſt concluſio falſa.

Oſtenſiue quoque monſtrabitur per quartum modum primæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria concluſionis falſæ, videlicet

E FE Nulla vltima voluntas noſtra eſt irreuocabilis

RI Aliquod teſtamentum eſt vltima voluntas noſtra, ergo.

O Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile.

Quo ad tertium caput ſit vniuerſale problema affirmatiuum in iiſdem terminis prænarratis, Omnis vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

Id problema monſtratum per impoſſibile per quintum modum tertiæ figuræ, ſumpta ſua con-
F tradictoria, & altera per ſe vera, vt

BRO Non omnis vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

CAR Omnis vltima noſtra voluntas eſt teſtamentum, ergo

DO Aliquod teſtamentum non eſt reuocabile. Quæ eſt concluſio falſa.

Monſtrabitur oſtẽſiue in ijſdem terminis per primum modum primæ figuræ, ſumpta contradictoria concluſionis falſæ, & altera propoſitione per ſe vera, videlicet

BAR Omne teſtamentum eſt reuocabile.
BA Omnis vltima noſtra voluntas eſt teſtamentum, ergo
RA Omnis vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

Particulare etiam problema affirmatiuum, Aliqua vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis, per impoſſibile monſtratum per ſextum modum tertiæ figuræ, ſumpta contradictoria problematis, & altera propoſitione per ſe vera.

FE Nulla vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.
RI Aliqua vltima noſtra voluntas eſt teſtamentum, ergo
SON Aliquod teſtamentũ non eſt reuocabile.
Quæ eſt concluſio falſa.

Monſtrabitur oſtẽſiue in ijſdem terminis per tertium modum primæ figutæ, ſumpta contradictoria concluſionis falſæ, & altera propoſitione per ſe vera, vt

DA Omne teſtamentum eſt reuocabile.
RI Aliqua vltima noſtra voluntas eſt teſtamentum, ergo
I Aliqua vltima noſtra voluntas eſt reuocabilis.

Problema inſuper vniuerſale negatiuũ, Nullum teſtamentum eſt irreuocabile, monſtratum per impoſſibile per quartum modum tertiæ figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria dicti problematis.

DA Omne teſtamentum eſt vltima noſtra voluntas.
RI Aliquod teſtamẽtũ eſt irreuocabile, ergo
SI Aliquod irreuocabile eſt vltima noſtra voluntas. Quæ eſt concluſio falſa.

Oſtenſiue monſtrabitur per primum modum ſecundæ figuræ in ijſdem terminis, ſumpta contradictoria concluſionis falſæ, & altera propoſitione per ſe vera.

CE Nullum irreuocabile eſt vltima noſtra voluntas.
SA Omne teſtamentum eſt vltima noſtra voluntas, ergo
RE Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.

Particulare quoque problema negatiuum, Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile, per impoſſibile monſtratum per tertium modum tertię figuræ, ſumpta altera propoſitione per ſe vera, & contradictoria problematis.

DI Aliquod teſtamentum eſt vltima noſtra voluntas.
SA Omne teſtamentũ eſt irreuocabile, ergo
MIS Aliquod irreuocabile eſt vltimá noſtra voluntas. Quæ eſt concluſio falſa.

Monſtrabitur oſtenſiue in ijſdem terminis per tertium modum ſecundæ figuræ, ſumpta contradictoria concluſionis falſæ, & altera propoſitione per ſe vera.

A FE Nullũ irreuocabile eſt vltima voluntas.
STI Aliquod teſtamentum eſt vltimá voluntas, ergo
NO Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile.

Et ſic habuimus declarata in terminis Iuris tria illa capita in hoc capite ab Ariſtotele propoſita, quæ ſint ſatis in præſenti pro Iuris ſtudioſis.

De Ratiocinatione ex oppoſitis.

B *Caput XV.*

IN qua autem figura eſt ex oppoſitis propoſitionibus ſyllogizare, & in qua non eſt, ſic erit manifeſtum. Dico autem oppoſitas eſſe propoſitiones ſecundũ
C locutionem quidem quatuor, vt omni, nulli, & omni, & non omni, & alicui, & nulli, & alicui, & non alicui ineſſe. Secundum veritatem autem tres, nam alicui, & non alicui ſecundum locutionem opponuntur ſolum; harum autem contrarias quidem vniuerſales, omni, nulli ineſſe,
D vt omnem diſciplinam eſſe ſtudioſam, nullam eſſe ſtudioſam, alia verò oppoſitas.

Vult Ariſtoteles in præſenti nos docere in quali figura poſſit fieri ſyllogiſmus ex duabus oppoſitis propoſitionibus, & in quali minime valeat complicari, ideo facilioris doctrinæ gratia tradit vnam diſtinctionem oppoſitarum propoſitionum, quòd ſcilicet aliæ ſunt oppoſitæ ſecundum rem, aliæ ſecundum locutionem.
E Oppoſitæ ſecundum rem ſunt vniuerſales, omni ineſſe, nulli ineſſe; quæ ſunt contrariæ, omni ineſſe; non omni ineſſe; alicui ineſſe, nulli ineſſe, quæ ſunt contradictoriæ, & ſic tres opponuntur ſecundum veritatem, re ipſa: ſecundum verò locutionem opponuntur alicui ineſſe, non alicui ineſſe; quæ quamuis re ipſa non ſint oppoſitæ, quoniam ſunt ſubcontrariæ, quæ poſſunt ambæ ſimul in veritate conuenire; quatenus tamen ſecundum modum loquendi affirmatio negationi opponitur, dici valent oppo-
F ſitæ. Dicit igitur: *In qua autem figura eſt ex oppoſitis propoſitionibus ſyllogizare.* In quali figura eſt facere ſyllogiſmum ex oppoſitis propoſitionibus, *& in qua non eſt*, & in quali non eſt ex oppoſitis ratiocinari, *ſic erit manifeſtum*. per inferius dicenda manifeſtabitur. *Dico autem oppoſitas eſſe propoſitiones ſecundum locutionem quidem quatuor.*

quatuor. Oppoſitæ verò propoſitiones ſunt quatuor ſi conſiderentur ſecundum modum loquendi, *vt omni, nulli*; altera eſt omni ineſſe, nulli ineſſe, *& omni, & non omni*; altera omni ineſſe, non omni ineſſe, *& alicui, & nulli*; tertia alicui ineſſe, nulli ineſſe, *& alicui, & non alicui ineſſe*; quarta eſt, alicui ineſſe, non alicui ineſſe: *ſecundum veritatem tres*: at ſecundum rem tres tantum ſunt, *nam alicui, & non alicui ſecundum locutionem opponuntur ſolum*, quoniam alicui ineſſe, & non alicui ineſſe opponuntur ſolum ſecundum modum loquendi, quatenus vna eſt affirmatiua, & altera negatiua, verùm ſunt ambæ particulares, & poſſunt ſimul eſſe veræ: *harum autem contrariæ quidem vniuerſales*: harum verò oppoſitionum aliæ ſunt contrariæ, oppoſitæ inquam vniuerſaliter, *omni, nulli ineſſe*, affirmatiua vniuerſalis omni ineſſe, & negatiua vniuerſalis nulli ineſſe, *vt omnem diſciplinam eſſe ſtudioſam, nullam eſſe ſtudioſam*, veluti gratia exempli hæc vniuerſalis affirmatiua, omnis diſciplina eſt ſtudioſa, & hæc vniuerſalis negatiua, nulla diſciplina eſt ſtudioſa; *alias verò*, aliæ verò oppoſitiones præter ſubcontrarias, *oppoſitas*, ſunt contradictione oppoſitæ.

In prima igitur figura non eſt ex oppoſitis propoſitionibus ſyllogiſmus, neque affirmatiuus, neque negatiuus. Affirmatiuus quidem, quoniam oportet vtraſque affirmatiuas eſſe propoſitiones; oppoſitæ autem D affirmatio, & negatio. Priuatiuus autem, quoniam oppoſitæ quidem idem de eodem prædicant, & negant. In prima autem medium non dicitur de vtriſque, ſed de illo quidem aliud negatur; idem autem de alio prædicatur, hæ verò non oppununtur.

Poſita diſtinctione oppoſitarum propoſitionum, nunc determinat, quòd in prima figura E non poteſt ex ipſis fieri ſyllogiſmus propter ordinem medij ad extrema: ſiquidem ſi fuerit ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus in prima figura, eſſet aut affirmatiuus, aut negatiuus. Affirmatiuus fieri non poteſt, quoniam in affirmatiuo ſyllogiſmo oportet vtraſque præmiſſas eſſe affirmatiuas, ſed oppoſitæ propoſitiones ſecundum omnem modum prænarratum, opponuntur ſecundum affirmationem, & negationem: vna enim eſt affirmatiua, & altera negatiua; F propterea ex his non poteſt fieri ſyllogiſmus affirmatiuus, neque fieri poteſt ſyllogiſmus negatiuus in prima figura ex oppoſitis propoſitionibus, quia in oppoſitione propoſitionum requiritur, vt idem prædicatum de eodem ſubiecto affirmetur, & negetur. At in prima figura me-

A dium non dicitur de vtriſque extremorum, ſed vnum extremorum in priuatiua propoſitione de ipſo negatur; & illud de altero extremorum in prædicatiua affirmatur, & ideo propoſitiones non opponuntur, quod inquit: *In prima igitur figura non eſt ex oppoſitis propoſitionibus ſyllogiſmus*. Syllogiſmus ex propoſitionibus oppoſitis non poteſt complicari in prima figura, *neque affirmatiuus, neque negatiuus*, vel ſit ſyllogiſmus prædicatiuus, vel ſit priuatiuus. *Affirmatiuus quidem*, non ſyllogiſmus affirmatiuus, *quoniam oportet* B *vtraſque affirmatiuas eſſe propoſitiones*, quoniam in ſyllogiſmo prædicatiuo opus eſt vt ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ: *oppoſitæ autem affirmatio, & negatio*: propoſitionum verò oppoſitarũ vna eſt affirmatiua, altera negatiua. *Priuatiuus autem*, neque poteſt fieri ſyllogiſmus negatiuus ex oppoſitis propoſitionibus; *quoniam oppoſitæ quidem idem de eodem prædicant, & negant*; quoniam in propoſitionibus oppoſitis idem affirmatur, & negatur de eodem. *In prima autem medium non dicitur de vtriſque*. Verùm in prima figura medium C non dicitur de vtriſque extremis in ſyllogiſmo priuatiuo, *ſed de illo quidem aliud negatur*, ſed de eo aliquod extremorum negatur; *idem autem de alio prædicatur*, & medium de alio extremorum affirmatur; *hæ verò non opponuntur*; at idem de vno affirmari, & de eo alterum negari non eſt oppoſite dici; & propterea conſtat, quòd in prima figura non poteſt conſtitui ſyllogiſmus ex oppoſitis. Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite XV. de Ratiocinatione ex oppoſitis pro Iuris Studioſis.

QVæ habuimus in hoc capite, extiterũt, quòd cum quatuor ſint propoſitiones oppoſitæ, ſcilicet contrariæ, veluti in terminis Iuris, Omne teſtamentum legitimum, nullum teſtamentum legitimũ; contradictoriæ, veluti Omne teſtamentum legitimum, non omne teſtamentum legitimum, Aliquod teſtamentũ legitimum, nullum teſtamentum legitimum; & ſubcontrariæ, Aliquod teſtamentum legitimum, aliquod teſtamentum non eſt legitimum; tres primæ opponuntur ſecundũ rem, vltima ſolum ſecundum modum loquendi.

Et in prima figura ſyllogiſmus ex oppoſitis propoſitionibus neque affirmatiuus, neque negatiuus valet complicari, non affirmatiuus cum oppoſitarum propoſitionum vna ſit affirmatio, altera negatio, & affirmatiuus ſyllogiſmus fit ex vtriſque affirmatiuis, non negatiuus, quoniam in oppoſitis propoſitionibus idem de eodem affirmatur, & negatur, at in prima figura non ſic ſe habet, ſed medium quidem in priuatiuo ſyllogiſmo in prima figura de vno extremorum affirmatur, & aliud de ipſo negatur; quæ cum ſint de ſe nota, & alibi declarata, omitto, nec diutius in eis immorari volo.

Et hæc ſatis dicta pro Iuris ſtudioſis.

De Ratiocinatione ex oppoſitis in ſecunda figura. Cap. XVI.

IN media autem figura, & ex oppoſitis, & ex contrariis contingit fieri ſyllogiſmum. Sit enim bonum quidem in quo A, diſciplina autem in quo B, & C. Si ergo omnem diſciplinā ſtudioſam ſumpſit, & nullam, A ineſt omni B, & nulli C; quare B nulli C; nulla ergo diſciplina, diſciplina eſt. Similiter autem & ſi omnē ſumens ſtudioſam diſciplinam, medicinam verò nō ſtudioſam ſumpſit, nam A, B quidē omni, C autem nulli; quare aliqua diſciplina non erit diſciplina, & ſi A, C quidem omni, B autem nulli; eſt autem B quidem diſciplina, C autem medicina, A verò opinio; nullam enim diſciplinam opinionem ſumens, ſumpſit aliquam diſciplinam eſſe opinionem. Differt autem a priore in terminis conuerti, nam prius quidem ad B, nunc autem ad C affirmatiuum, & ſi ſit non vniuerſalis altera propoſitio, ſimiliter; ſemper enim medium eſt, quod ab altero quidem negatiue dicitur, de altero verò affirmatiue. Quare contingit oppoſita quidem perfici, non autem ſemper neque omnino, ſed ſic ſe habeant, quæ ſunt ſub medio, vt vel eadem ſint, vel totum ad partem; aliter autem impoſſibile; non enim erunt propoſitiones vllo modo, neque contrariæ, neque oppoſitæ.

Ponit Ariſtoteles, quod in ſecunda figura poteſt eſſe ſyllogiſmus ex duabus oppoſitis propoſitionibus & contrarijs, & contradictorijs, ſiue maior ſit affirmatiua, & minor negatiua, vti in ſecundo modo, & quarto; ſiuè contrario maior ſit negatiua, & minor affirmatiua, vti in primo modo, & tertio, quod patefacit ſumptis elementis A, B, C; A pro medio, & B, C pro duobus extremis, Fit igitur ratiocinatio in ſe-

A cunda figura ex oppoſitis contrarie, & contradictorie, maiori exiſtente affirmatiua, & minori negatiua in ſecundo modo, & quarto; ex contrarie oppoſitis in ſecundo modo, veluti in elementis, omne B eſt A, nullum C eſt A; ergo nullum C eſt B, & in terminis ſumptis loco A medij ſtudioſo, & loco B, C, extremorum diſciplina, vti omnis diſciplina eſt ſtudioſa, nulla diſciplina eſt ſtudioſa; ergo nulla diſciplina eſt diſciplina. Fit etiā ratiocinatio in ſecunda figura ex oppoſitis contradictorie in quarto modo, ve-
B luti in terminis, omnis diſciplina eſt ſtudioſa, aliqua diſciplina veluti medicina nō eſt ſtudioſa; ergo aliqua diſciplina veluti medicina nō eſt diſciplina. Vlterius fit etiam ratiocinatio ex oppoſitis contrarie & contradictorie, maiori exiſtente negatiua, & minori affirmatiua in primo modo ſcilicet & tertio, ſumptis A pro medio, & B, C pro extremis, veluti in primo modo, nullū B eſt A, omne C eſt A; ergo nullū C eſt B, & in terminis ſumptis Opinione loco A, Diſciplina loco B, C, nulla diſciplina eſt opinio, omnis diſciplina eſt
C opinio; ergo nulla diſciplina eſt diſciplina. Fit etiam in ſecunda figura ratiocinatio ex oppoſitis contradictorie in tertio modo in terminis, nulla diſciplina eſt opinio, aliqua diſciplina vt medicina eſt opinio; ergo aliqua diſciplina vt medicina nō eſt diſciplina, & dicit: *In media autē figura et ex oppoſitis, et ex contrarijs contingit fieri ſyllogiſmū.* In ſecūda verò figura fit ſyllogiſmus ex propoſitionibus & contrarie, & contradictorie oppoſitis. *Sit enim bonum quidem in quo A.* Ponantur namque exempli gratia hi termini loco A medij Bo-
D num, *diſciplinā autem in quo B, & C*, & loco B, C extremorum diſciplina. *Si ergo omnem diſciplinam ſtudioſam ſumpſit, & nullam.* Si quiſpiam copulauerit has duas contrarie oppoſitas concluſiones, quòd omnis diſciplina eſt ſtudioſa, & nulla diſciplina eſt ſtudioſa, *A ineſt omni B, & nulli C*, tunc A omni inerit B in maiori propoſitione, & idem A nulli inerit C in minori propoſitione; *quare B nulli C*: quapropter ſequitur, quòd B nulli inerit C in concluſione: *nulla ergo diſciplina, diſciplina eſt*, & ſic nulla diſciplina eſt diſciplina in
E terminis poſitis. *Similiter autem & ſi omnem ſumens ſtudioſam diſciplinam, medicinam verò non ſtudioſam ſumpſit.* Conſimiliter fit ratiocinatio ex contrarie oppoſitis; ſi quis copulauerit has duas propoſitiones, quod omnis diſciplina eſt ſtudioſa, & quòd omnis medicina non eſt ſtudioſa; *nam A, B quidem omni*, quoniam tunc A inerit omni B in maiori propoſitione, *C autem nulli*, & idem A nulli inerit B in minori propoſitione. *Quare aliqua diſciplina non erit diſciplina.* Quare per ſecundam ſecundæ concludetur, quòd
F aliqua diſciplina, veluti omnis medicina non erit diſciplina; *& ſi A, C quidem omni, B autem nulli.* Similiter fit ratiocinatio ex contrarie oppoſitis per ſecundam figuram, ſi maior extiterit negatiua, & minor affirmatiua, vti in primo modo, videlicet nullum B eſt A, omne C eſt A. *Eſt autem B quidem diſciplina*, veluti gratia exem-

pli,

pli, ſi in terminis loco B medij ponatur diſcipli- A
na, *C autem medicina*, & loco C vnius extremo-
rum ponatur medicina, *A verò opinio*, & loco
A alterius extremorum ponatur opinio: *nullam
enim diſciplinam opinionem ſumens, ſumpſit aliquam
diſciplinam eſſe opinionem*: ſic namque ſumens nul
lam diſciplinam eſſe opinionem in maiori pro-
poſitione, ſumpſit etiam in minori aliquam diſci
plinam, videlicet omnem medicinam eſſe opi-
nionem. *Differt autem à priore in terminis conuer-
ſi.* Differt verò pręſens modus a ſuperiori in cō-
uerſione terminorum; ſiquidem modus ſupe- B
rior habuit maiorem affirmatiuam, & minorem
negatiuam. Hic autem poſtetior è contrario ma
iorem negatiuam, & minorem affirmatiuam, *&
ſi ſit non vniuerſalis altera propoſitio ſimiliter*; fit
etiam ratiocinatio ex oppoſitis, quando ambæ
præmiſſæ non ſunt vniuerſales, ſed vna vniuer-
ſalis, & altera particularis, & ſic contradictoriæ
oppoſitæ: *ſemper enim medium eſt quod ab altero
quidem negatiue dicitur; de altero verò affirmatiue*:
ſemper namque vel ſint vtræque propoſitiones
vniuerſales, vel vna vniuerſalis, & altera parti- C
cularis in ſecunda figura, medium ab vno extre
morum negatiue remouetur, & de altero affir-
matiue dicitur: *quare contingit oppoſita quidem
perfici*: quapropter fit ſic ex oppoſitis ratiocina-
tio; *non autem ſemper, neque omnino*: verùm non
cōtingit fieri ſemper, & quocunque modo ſum-
ptis oppoſitis, *ſed ſic ſe habeant quę ſunt ſub medio,
vt vel eadem ſint, vel totum ad partem*, ſed quando
oppoſita, de quibus mediū prædicatur, vel ſunt
penitus eadem, vel inuicē ſe habeant vt totum
& pars, *aliter autem impoſſibile*, & aliter non fit D
ratiocinatio ex oppoſitis: *non enim erunt propoſi-
tiones ullo modo neque contrarię, neque oppoſita*;
quoniam aliter ſumptis propoſitionibus in ſyllo
giſmo, eæ non erunt neque contrariæ, neque
contradictoriæ, quod opus eſt vt fiat ſyllogiſ-
mus ex oppoſitis.

Quæ ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XVI. de Ratiocinatione ex oppoſitis pro Iuris ſtudioſis. E

IN præſenti capite poſuit Ariſtoteles fieri ra-
tiocinationem ex oppoſitis in omnibus qua-
tuor modis ſecundæ figuræ, ſcilicet ex con-
trarie oppoſitis in ſecundo modo, & quarto;
ex contradictorie oppoſitis in primo modo, &
ſecundo.

Et quoniam hæc de ſe ſunt facillima, Ideo bre
uiter exempla pono pro Iuriſperitis in terminis
notis, ſumptis in l. 4. ff. de adimendis legatis, cum F
conſimilibus.

Exemplum primæ iugationis ſecundæ figuræ ſit,

CE Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.
SA Omne teſtamentum eſt irreuocabile, ergo
RE Nullum teſtamentum eſt teſtamentum.

Tractatus Quartus.

A Exemplum ſecundæ iugationis ſecundæ figuræ ſit,

CA Omne teſtamentū eſt irreuocabile.
ME Nullum teſtamentum eſt irreuocabile, ergo
STRES Nullum teſtamentum eſt teſtamentum.

Exemplum tertiæ iugationis ſecundæ figuræ ſit,

FE Nullum teſtamentum eſt irreuocabile.
STI Aliquod teſtamentum eſt irreuocabile, ergo
B NO Aliquod teſtamentum non eſt teſtamentum.

Exemplum quartæ iugationis ſecundæ figuræ ſit,

BA Omne teſtamentum eſt irreuocabile.
RO Aliquod teſtamentum non eſt irreuocabile, ergo
CO Aliquod teſtamentū non eſt teſtamentū.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris
ſtudioſis.

C

De ſyllogiſmo ex oppoſitis in tertia figura. Cap. XVII.

IN tertia verò figura af-
firmatiuus quidē ſyllo-
giſmus nunquā erit ex
oppoſitis propoſitioni
bus, propter cauſam di D
ctam & in prima figura; negatiuus au
tē erit ſyllogiſmus, & vniuerſalibus,
& non vniuerſalibus terminis. Sit
enim diſciplina in quo B, & C; medi
cina autem in quo A. Si ergo ſumat
omnem medicinam diſciplinam, &
nullam medicinā diſciplinam, B om
E ni A ſumpſit, & C nulli A; quare erit
aliqua diſciplina non diſciplina. Si-
militer autem & ſi non vniuerſaliter
ſumpta ſit A, B propoſitio; nam ſi eſt
aliqua medicina diſciplina; & rurſū
nulla medicina diſciplina accidit di-
ſciplinam aliquam non eſſe diſcipli-
F nam. Sunt autem vniuerſaliter qui-
dem ſumptis terminis, contrariæ pro
poſitiones: ſi autem particularis al-
tera ſit oppoſitæ, oportet autem ſci-
re quoniam contingit oppoſita ſic
ſumere, quemadmodum diximus,

omnem diſciplinam ſtudioſam eſſe, & rurſus nullam, aut aliquam non eſſe ſtudioſam, quod non ſolet latere; erit autem per alias interrogationes ſyllogizare alteram, & quemadmodum in Topicis dictum eſt ſumere.

Determinat Ariſtoteles in hoc capite ſyllogiſmum fieri ex oppoſitis in tertia figura in iugationibus negatiuis, cum vniuerſalibus, tum particularibus, vti in ſecunda iugatione, quinta, & ſexta. verùm in affirmatiuis iugationibus tertiæ figuræ non fieri ratiocinationem ex oppoſitis propter eandem cauſam dictam in prima figura, quòd ſcilicet ratiocinatio ex oppoſitis fit ex vna propoſitione affirmatiua, & altera negatiua, ambæ autem in affirmatiuis ſyllogiſmis tertiæ figuræ ſunt affirmatiuæ propoſitiones, & docet in primis fieri ratiocinationem ex oppoſitis in tertia figura in vniuerſalibus negatiuis iugationibus, poſtea in particularibus, ſumptis loco A medij Medicina, & loco B, C extremorum Diſciplina, tali pacto ſcilicet in ſecundo modo vniuerſali negatiuo in elementis, nullum A eſt B, omne A eſt B; ergo aliquod B non eſt A, & in terminis, nulla medicina eſt diſciplina, omnis medicina eſt diſciplina, ergo aliqua diſciplina non eſt diſciplina. Pariter fit ratiocinatio ex oppoſitis in quinto modo negatiuo, & ſexto habentibus alteram propoſitionē particularem, in ſexto, nulla medicina eſt diſciplina, aliqua medicina eſt diſciplina; ergo aliqua diſciplina non eſt diſciplina; in quinto vero, aliqua medicina non eſt diſciplina, omnis medicina eſt diſciplina; ergo aliqua diſciplina non eſt diſciplina, & ſic determinat in tertia figura ex oppoſitis tum contrarie, tum contradictorie fieri ratiocinationem in iugationibus negatiuis, quæ oppoſita ſolent eſſe de ſe nota, & contingit quoque per alia, vt ex interrogationibus ea ſumere diſputantē, vt & in Topicis aſſerit declaraſſe, & inquit: *In tertia verò figura affirmatiuus quidem ſyllogiſmus nunquam erit ex oppoſitis propoſitionibus.* In poſtrema figura in iugationibus affirmatiuis, vt in primo modo, tertio, & quarto non poteſt fieri ſyllogiſmus ex oppoſitis, *propter cauſam dictam & in prima figura*, propter eandem cauſam, quæ aſſerebatur in prima figura. *Negatiuus autem erit ſyllogiſmus, & vniuerſalibus, & non vniuerſalibus terminis.* In iugationibus autem negatiuis tertiæ figuræ, & vniuerſalibus, & particularibus fit ſyllogiſmus ex oppoſitis, declarat exemplo. *Sit enim diſciplina in quo B & C, medicina autem in quo A.* Sint hi termini loco B, C extremorum Diſciplina, loco A medij Medicina. *Si ergo ſumat omnem medicinam diſciplinam.* Si quis itaque ponat in minori propoſitione, quòd omnis medicina eſt diſciplina, *& nullam medicinam*, & ponat pro maiori propoſitione, quòd nulla medicina eſt diſciplina, *B omni A ſumpſit*, tunc poſuit pro minori propoſitione, omne A eſſe B, *& C nulli A*, & pro maiori,

A nullum A eſſe B; *quare erit aliqua diſciplina non diſciplina*: & propterea ſequetur in ſecunda iugatione tertiæ figuræ, quod aliqua diſciplina non eſt diſciplina: *Similiter autem & ſi non ſumpta ſit vniuerſaliter A, B propoſitio*. Fit quoque ratiocinatio ex oppoſitis ſi altera propoſitio non fuerit vniuerſalis, ſed particularis, ſiue fuerit minor particularis, vt in ſexta, ſiue maior, vt in quinta: *nam ſi eſt aliqua medicina diſciplina*; quoniam ſi vna propoſitionum fuerit particularis, vt aliqua medicina eſt diſciplina in ſexta, vel non eſt diſciplina in
B quinta, *& rurſum nulla medicina diſciplina*, & altera ſit vniuerſalis, vt nulla medicina eſt diſciplina, *accidit diſciplinam aliquam non eſſe diſciplinam*, ſequitur in concluſione & in ſexta, & in quinta iugationibus, quòd aliqua diſciplina non eſt diſciplina. *Sunt autem vniuerſaliter quidem ſumptis terminis contraria propoſitiones*. Quando vero vtræque propoſitiones ſunt vniuerſales, ſunt contrarie oppoſitæ: *ſi autem particulariter altera ſit*: ſi vero vna propoſitionum ſit vniuerſalis, & altera particularis, *oppoſita*, ſunt contradictorie oppoſitæ.
C *Oportet autem ſcire, quoniam contingit oppoſita ſic ſumere quemadmodum diximus.* Et ſciendum eſt, quòd in ratiocinationibus ex oppoſitis, ea ſic ſumenda ſunt, vt ſint vel contraria, vel contradictoria, vti dictum eſt, ſcilicet *omnem diſciplinam ſtudioſam eſſe*, quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, *& rurſum nullam*, quæ eſt vniuerſalis negatiua contraria vniuerſali affirmatiuæ, *aut aliquam non eſſe ſtudioſam*, quæ eſt particularis negatiua contradictoria vniuerſali affirmatiuæ, *quod non ſolet latere*, quæ oppoſita ſunt omnibus nota, cum ſint maxime
D oppoſita: *erit autem per alias interrogationes ſyllogizare alteram*; erit etiam hæc oppoſita per alia ex interrogationibus colligere, *& quemadmodum in Topicis dictum eſt ſumere*, & ea ſumere vt in Topicis dictum eſt.

Quoniam autem affirmationum oppoſitiones ſunt tres, ſexies accidit oppoſita ſumere, aut omni, & nulli, aut omni, & non omni, aut alicui, &
E nulli, & hoc conuerti in terminis, vt A omni B, & nulli C, aut omni C, & nulli B, aut huic quidem omni, illi verò non omni: & rurſum hoc conuerti ſecundum terminos. Similiter autem & in tertia figura, quare manifeſtum eſt, & quoties, & in quibus figuris
F contingit per oppoſitas propoſitiones fieri ſyllogiſmum.

Superius egit Ariſtoteles de conſtructione ſyllogiſmorum ex oppoſitis propoſitionibus, nunc pertractat de multiplicitate eorundem ſyllogiſmorum, & ponit ſex ſpecies illorum vtiles,

vtiles, atque inutiles in ſecunda figura, & ſex in tertia; quoniam contingit propoſitiones oppoſitas trifariam variari vel contrarie, vt omni, & nulli, vel contradictorie, & hoc duobus modis omni, & non omni, alicui, & nulli, & ſic efficiuntur tres ſpecies, & quælibet inſuper ipſarum variatur ſecundũ poſitionem: ſiquidem ea propoſitio, quæ eſt maior in vno ſyllogiſmo efficitur in altero minor, & quę eſt minor in vno, efficitur maior in altero, & propterea augentur ad ſex, & facta multiplicatione in ſecunda, & tertia figura, augentur vſque ad duodecim, ex quibus colligit manifeſtum eſſe, quando & in quibus figuris fiat ratiocinatio ex oppoſitis, & dicit: *Quoniam autem affirmationum oppoſitiones ſunt tres.* Quia tres ſunt propoſitionum affirmatiuarum ſpecies negationum, *ſexies accidit oppoſitas ſumere*, ſex modis contingit ſumi propoſitiones oppoſitas in ſecunda figura, *aut omni, & nulli*, vno modo contrarie, quando ambæ propoſitiones ſunt vniuerſales, vt omni ineſſe, & nulli ineſſe, *aut omni, & non omni*, alio modo contradictorie quando vna propoſitionum eſt vniuerſalis, & altera particularis, & hoc bifariam, vel quando affirmatiua eſt vniuerſalis, & negatiua particularis, vt omni ineſſe, & non omni ineſſe, *aut alicui, & nulli*, vel quando affirmatiua eſt particularis, & negatiua vniuerſalis, vt alicui ineſſe, & nulli ineſſe. *Et rurſum hos conuerti ſecundum terminos.* Et inſuper hæ oppoſitę propoſitiones variantur ſecundum qualitatem terminorum, prout maiori exiſtente affirmatiua, & minori negatiua, negatiua redditur maior, & affirmatiua minor. *Similiter autem & in tertia figura.* Et ſimilis variatio, & multiplicatio, quæ in ſecunda figura, fit etiam in tertia: *quare manifeſtum eſt*: ex quibus conſtat, *& quoties*, & quando, *& in quibus figuris contingit per oppoſitas propoſitiones fieri ſyllogiſmum*, & per quas figuras fiat ratiocinatio ex oppoſitis propoſitionibus.

Sequitur textus.

Manifeſtum eſt, quoniam ex falſis eſt verum ſyllogizare, quemadmodum dictum eſt prius, ex oppoſi-E tis autem non eſt; ſemper enim contrarius ſyllogiſmus fit rei (vt ſi eſt bonum, non eſſe bonum, aut ſi animal, non animal) eo quod ex contradictione eſt ſyllogiſmus, & ſubiecti termini, aut iidem ſunt, aut hic quidem totum, ille autem pars. Palam autem, quoniam in Parallogiſmis nihil prohibet fieri hypotheſeos contradictionem, vt ſi eſt impar, non eſſe impar; nam ex oppoſitis propoſitionibus, contrarius erit ſyllogiſ- A. mus. Si ergo ſumpſerit hoc modo hypotheſeos erit contradictio.

Colligit Philoſophus in hac parte ex declaratis in ſuperioribus manifeſtam eſſe differentiam inter ſyllogiſmum conſtantem ex falſis propoſitionibus, & ſyllogiſmum conſtantem ex propoſitionibus oppoſitis. Eſt autem hæc differentia, quòd ex falſis verum contingit ſyllogiſtice concludi, ſed ex oppoſitis non eſt verum ſyllogiza- B re: ſemper enim concluditur contrarium entis, quoniam oppoſita non poſſunt ſimul eſſe vera, & ſubiecti termini aut ſunt ijdem, aut inuicem ſe habent vt totum, & pars; & propterea vnus ab altero remoueri non poteſt. Vlterius planũ eſſe aſſerit, quod in huiuſcemodi ſyllogiſmis ex propoſitionibus oppoſitis contingit ſumere pro hypotheſi contradictionem, vt de numero impari, quod nun ſit impar; ſiquidem ex ipſis fit ſyllogiſmus concludens falſitatem entis: & propterea ſumptis propoſitionibus oppoſitis in ſyl- C logiſmo contradictio erit pro hypotheſi, ideo dicit: *Manifeſtum eſt, quoniam ex falſis eſt verum ſyllogizare, quemadmodum dictum eſt prius.* Planum eſt, quod ex propoſitionibus falſis contingit veram concluſionem fieri, vt dictum eſt in præcedentibus; *ex oppoſitis autem non eſt*; ſed ex propoſitionibus oppoſitis non eſt verum ſyllogizare: *ſemper enim contrarius ſyllogiſmus fit rei*: ſemper enim fit ſyllogiſmus ex propoſitionibus oppoſitis concludens contrarium eius quod eſt (*vt ſi eſt bonum, non eſſe bonum, ſi eſt animal*) *non animal*, vt D eius quod eſt bonum, fit concluſio, quòd non ſit bonum, & eius quod eſt animal, concluditur, quòd non ſit animal, *eo quod ex contradictione eſt ſyllogiſmus*, quoniam ſyllogiſmus conſtat ex oppoſitis, *& ſubiecti termini aut ijdem ſunt, aut hic quidem totum, ille autem pars*, & termini ſumpti in ſyllogiſmo aut ſunt penitus ijdem, aut inuicem ſe habentes vt totum, & pars. *Palam autem quoniã in Parallogiſmis.* Conſtat verò in ſyllogiſmis ex oppoſitis, *nihil probibet fieri hypotheſeos contradictionem*, contradictionem poſſe ſuppo- E ni, *vt ſi eſt impar, non eſſe impar*, vt de numero impari, quod non ſit impar: *nam ex oppoſitis propoſitionibus contrarius erit ſyllogiſmus*, quoniam ex propoſitionibus oppoſitis fit ſyllogiſmus concludens contrarium eius quod eſt, falſitatem ſcilicet entis. *Si ergo ſumpſerit hoc modo.* Si itaque ſyllogizans oppoſita ſumpſerit, *hypotheſeos erit contradictio*, ſuppoſitio erit contradictio.

Sequitur textus.

F Oportet autem conſiderare, quoniam ſic quidẽ non eſt contraria concludere ex vno ſyllogiſmo (vt ſit concluſio, quoniam non eſt bonum, bonum, aut aliud quiddam tale) niſi ſtatim huiuſmodi propoſitio ſumatur,

vt omne animal eſſe album, & nõ album, hominem autem animal, ſed vel aſſumere oportet contradictionem, vt quoniam omnis diſciplina opinio,& non opinio. Deinde ſumere, quoniam medicina diſciplina quidem eſt; nulla autem opinio, quemadmodum redargutiones fiunt, vel ex duobus ſyllogiſmis:quare eſſe quidem contraria ſecundum veritatem, quæ ſumpta ſunt, non eſt alio modo quàm hoc, quemadmodum dictum eſt prius.

In calce capitis conſiderat, quòd per vnum ſyllogiſmum non eſt contraria ſyllogizare, vt quòd idem ſit bonum, & non bonum, vel è conuerſo, niſi in maiori propoſitione oppoſita prædicẽtur, ſicuti ſi ponatur, quòd omne animal eſt album,& non album, omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt albus, & non albus; aliter eſt impoſſibile per vnum ſyllogiſmũ contraria concludere, ſed vel per vnum ſyllogiſmum concluditur vnum oppoſitorum, & per alterum ſyllogiſmum concluditur reliquum, vel oportet fieri aſſumptionem contradictionis,quemadmodum ſi quis admittat,quòd omnis medicina eſt ſcientia, & quòd omnis ſcientia eſt opinio, non animaduertens, quòd ex his ſequitur omnem medicinam eſſe opinionẽ; & deinde admittat, quòd nulla medicina eſt opinio, in quarum propoſitionum admiſſione ſunt binæ propoſitiones oppoſitæ, quòd omnis medicina eſt opinio, & quòd nulla medicina eſt opinio, in quo modo fiunt redargutiones ex duobus ſyllogiſmis, vno concludente id quod conceditur,& altero inferente oppoſitum,quod eſt redargutio prius conceſſi. Denique concludit, quòd oppoſitæ propoſitiones pertinentes ad ſyllogiſmum ex oppoſitis non eſt alio modo aſſignare, quam quemadmodum determinauit in præcedentibus, & inquit, *oportet autem conſiderare, quoniam ſic quidem non eſt contraria concludere ex vno ſyllogiſmo*. Eſt aduertendum, quòd per vnum ſyllogiſmum contraria nõ eſt ratiocinari, *vt ſit concluſio, quoniam non eſt bonum, bonum, aut aliud quiddam tale*, veluti bonum non eſſe bonum,aut aliud ſimile, *niſi ſtatim huiuſmodi propoſitio ſumatur*, niſi pro maiori propoſitione ſumpta fuerit hæc propoſitio, *vt omne animal eſſe album, & non album*, quòd omne animal eſt album & non album; in qua propoſitione oppoſita copulantur ad maius extremum, *hominem autem animal*, & huic propoſitioni adiungatur hæc altera, quòd homo eſt animal; *ſed vel oportet aſſumere contradictionem*; ſed quando non copulantur oppoſita ad maius extremum, opus eſt vel contradictionem aſſumere, *vt quoniam omnis diſciplina opinio, & non opinio*, veluti de diſciplina,

A quòd ſit opinio, & non opinio, ſumpta ſcilicet hac in primis propoſitione, quòd omnis diſciplina eſt opinio. *Deinde ſumere quoniam medicina diſciplina quidem eſt*. Poſtea ſumpta hac alia propoſitione, quòd omnis medicina eſt diſciplina, *nulla autem opinio*, & inſuper ſumpta pro tertia propoſitione, quòd nulla medicina eſt opinio, in quibus contradictio dicta continetur, *ſicuti fiunt redargutiones*, ſicuti fit aliquando in ſophiſticis in redargutionibus, *vel ex duobus ſyllogiſmis*, vel eſt contraria cõcludere per duos ſyllogiſmos vnum B concludentem alterum oppoſitorũ, & alterum concludentem reliquum: *quare eſſe quidem contraria ſecundum veritatem quæ ſumpta ſunt*: propterea quod contraria in ſyllogiſmo ex oppoſitis ſumere, *non eſt alio modo quàm hoc*, non eſt niſi poſito modo, *quemadmodum dictum eſt prius*, ſicuti poſitum eſt in præhabitis.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite XVII. de ſyllogiſmo ex oppoſitis in tertia figura pro Iuris ſtudioſis.

C

HAbuimus in hoc capite ratiocinationem ex oppoſitis fieri in tertia figura in ſyllogiſmis habentibus alterã particularem propoſitionem contradictoriæ,& in habentibus vtraſque vniuerſales contrarie, dummodo concludunt negatiue, veluti

D in ſecundo modo tertiæ figuræ, quinto,& ſexto eiuſdem:

De ſecundo modo ſit exemplum in terminis poſitis in primo, & ſecunda figura.

FE Nullum teſtamentũ nuncupatiuum eſt irreuocabile.

LA Omne teſtamentum nuncupatiuũ eſt irreuocabile, ergo

PTON Aliquod irreuocabile non eſt irreuocabile.

De quinto modo ſit exemplum in eiſdem ter-

E minis.

BRO Aliquod teſtamentum nuncupatiuum eſt irreuocabile.

CAR Omne teſtamentum nuncupatiuũ eſt irreuocabile, ergo

DO Aliquod irreuocabile non eſt irreuocabile.

De ſexto modo ſit exemplum tale.

FE Nullum teſtamentum nuncupatiuum eſt irreuocabile,

RI Aliquod teſtamentum nuncupatiuum

F eſt irreuocabile, ergo

SON Aliquod irreuocabile non eſt irreuocabile.

Et ſic habuimus quomodo contingat fieri ratiocinationem ex oppoſitis etiam in terminis Iuris.

Quę ſatis dicta ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

DE IMPOTENTIIS SYLLOGISTICIS.

De petitione principij. Caput XVIII.

IN principio autem petere, & accipere eſt quidem vt in genere ſumere in eo, quod non eſt demõſtrare propoſitũ. Hoc autẽ accidit multipliciter, nam & ſi omnino nõ ſyllogizatur, & ſi per ignotiora, aut ſimiliter ignota, & ſi per poſteriora quod prius eſt; demonſtratio enim ex prioribus, & notioribus eſt. Horum ergo nullum eſt petere, quod ex principio eſt; ſed quia hæc quidem nata ſunt per ſe cognoſci, illa verò per alia (nam principia quidem per ſe; quæ autem ſub principijs per alia) quando nõ quod per ſe notum eſt, per ſe aliquis conatur oſtendere, tunc petit quod ex principio eſt: hoc autem eſt ſic facere quidem vt ſtatim poſtulet id, quod propoſitum eſt. Contingit autẽ & tranſgredientes, & ad alia eorum quæ nata ſunt per illa oſtendi, per hæc monſtrare quæ ex principio eſt, vt ſi A oſtendatur per B, & B per C, C autem natum ſit oſtendi per A. Accidit enim idem A per ſe demonſtrare eos, qui ſic ſyllogizant, quod faciũt qui parallelas arbitrantur ſcribere. Latent enim ipſi ſe ipſos talia ſumentes quæ nõ valent demonſtrare, cum non ſint parallelæ. Quare accidit ſic ſyllogizantibus vnumquodque eſſe dicere, ſi eſt vnumquodque; ſic autem omne erit per ſe notum, quod eſt impoſſibile.

Nunc in hac parte Ariſtoteles vult agere de vitijs contra ſyllogiſmum, & in primis de petitione principij. Eſt autem petitio principij in genere per id quod ſumitur non demonſtrare propoſitum, quod contingit tribus modis: pri-
A mo modo, ſi per id quod ſumitur, non concluditur quæſitum, vel quia omnino nihil concludatur, vel quia non concluditur quod intendebamus: ſecundo modo, ſi ſumptæ propoſitiones ſint ignotiores concluſione, vel æque notæ: tertio modo, ſi aliquid concludatur per ſua poſteriora; ſiquidem demonſtratio fit ex prioribus, & notioribus; & cum nullus horum trium modorum dici valeat petitio principij ſimpliciter, quæ vocatur repetitio: propterea addit hanc diuiſionem, quòd quædam ſunt nata per ſe ipſa co-
B gnoſci, veluti principia, & dignitates; quædam verò non per ſe ipſa, ſed per alia, veluti ea, quæ ſunt ſub principijs, tanquam effectus ſub ſuis cauſis; ex qua diſtinctione primum deinde colligit, quòd quando aliquis conatur demonſtrare id, quod eſt natum per aliud cognoſci, ſicut ſit natum per ſe ipſum cognoſci, tunc eſt petitio principij. Id autem efficitur duobus modis: primo modo, ſi ſtatim proponatur quæſitum tanquam propoſitio ad ſui ipſius probationem: ſecundo modo, trãſgrediendo ad alia, quæ
C ſunt antecedentia, vel conſequentia propoſitũ; & ſumuntur talia in illis, quæ valent oſtendi per illud, quod propoſitum eſt, potius quam propoſitum valeant oſtendere, & quis ſollicitus ſit demonſtrare propoſitum per illa, quæ per propoſitum oſtenduntur, gratia exempli, ſi A oſtendatur per B, & B oſtendatur per C, C autem natum ſit oſtendi per A, à principio propoſitum; tunc enim contingit idem oſtendi per ſe ipſum, ſicuti accidit Geometræ oſtendenti parallelas nõ concurrere, quoniam ſunt æquidiſtantes, & è con-
D uerſo probanti parallelas eſſe æquidiſtantes, quia non concurrunt. Accidit enim ſyllogizanti hoc modo id abſurdum, quod dicit hoc eſſe hoc, ſi eſt hoc, & ſic omnia eſſent per ſe nota, abſque quod per alia cognoſcerentur. Dicit igitur: *In principio autem petere, & accipere eſt quidem.* Petitio principij eſt, *vt in genere ſumere in eo quod non eſt demonſtrare propoſitum*, ſumpta in vniuerſali, per id, quod accipitur non demonſtrare quæſitum, *Hoc autem accidit multipliciter*, & id contingit multis modis, *nam & ſi omnino non ſyllogizatur*,
E nam & ſi per id, quod ſumitur, non concludatur quæſitum, *& ſi per ignotiora, aut ſimiliter ignota*, & ſi per propoſitiones minus, vel æque notas concludatur propoſitũ, *& ſi per poſteriora quod prius eſt*, vel ſi aliquod demonſtratur per ſua poſteriora. *Demonſtratio namque ex prioribus, & notioribus eſt.* Siquidem demonſtratio fit per priora, & notiora; his modis omnibus dicitur fieri petitionem principij in genere, & in vniuerſali. *Horum ergo nullum eſt petere quod ex principio eſt.* Horum itaque modorum nullus vere dici poteſt petitio
F principij ſimpliciter; *ſed quia hæc quidẽ nata ſunt per ſe cognoſci, illa verò per alia*; ſed quoniam quædam ſunt nata per ſe ipſa cognoſci, quædam non per ſe ipſa, ſed per alia, *nam principia quidem per ſe, quæ autem ſub principijs per alia*, per ſe ipſa nata ſunt cognoſci principia, & dignitates, per alia cauſata ex principijs, *quando quod nõ per ſe notum eſt,*

eſt, per ſe aliquis conatur oſtendere, quando quiſpiã A ſollicitus eſt oſtendere per ſe ipſum, quod per aliud cognoſcitur, *tunc petit quod ex principio eſt*, tunc fit petitio principij: *hoc autem eſt ſic facere quidem vt ſtatim poſtulet id quod propoſitum eſt*: id autem fit ſi ſtatim proponatur quæſitum ad ſui ipſius probationem. *Contingit autem & tranſgredientes, & ad alia.* Inſuper accidit idem fieri quando tranſgrediendo ad alia, quæ ſunt antecedentia, vel conſequentia propoſitum, *eorum quæ nata ſunt per illa oſtendi per hæc monſtrare quod ex principio eſt*, quis ſollicitus ſit demonſtrare propoſitũ B per illa, quę per propoſitum oſtenduntur, *vt ſi A oſtendatur per B*, veluti exempli gratia, ſi oſtendatur A ineſſe C per B medium, *& B per C*, & idem A per C medium ineſſe B, *C autem natum ſit oſtendi per A*, & per A medium natum ſit B ineſſe ipſi C. *Accidit enim idem A per ſe demonſtrare eos, qui ſic ſyllogizant*. In tali namque probatione idem per idem demõſtratur, *quod faciunt qui parallelas arbitrantur ſcribere*, quod faciunt illi in Geometricis, qui ex diſtantia deſcripta parallelarum conantur probare, quòd non concurrant. *Latent* C *enim ipſi ſe ipſos talia ſumentes, quæ non valent demonſtrare, cum non ſint parallelæ*. Latent namque eos, qui talia ſumunt, quæ per quæſitũ nata ſunt, oſtendi id quod dictum eſt. Siquidem nõ valent demonſtrare quòd parallelæ non concurrunt, ſi primo non ponantur eſſe parallelæ æquidiſtantes. *Quare accidit ſic ſyllogizantibus*. Quapropter ſic demonſtrantibus priora per poſteriora contingit, *vnumquoque eſſe dicere, ſi eſt vnumquodque*; vnumquodlibet dicere eſſe, ſi hoc eſt. *Sic autem omne erit per ſe notum, quod eſt impoſſibile*. Et in D hunc modum omnia per ſeipſa cognoſcentur, quod fieri non poteſt. Sequitur textus.

Si ergo aliquis dubitat aſſumpto dubio, quoniam A ineſt C: Similiter & quoniam B, petat autem A ineſſe B, nondum manifeſtum ſi quod in principio eſt, petat. Sed quoniam non demonſtratur manifeſtum; non E enim eſt principium demonſtrationis, quod ſimiliter eſt incertum. Si autem B ad C ſic ſe habet vt idem ſit, aut manifeſtum quod conuertuntur, aut ineſt alterum alteri, quod in principio eſt, petit; nam & quoniam A ineſt B, per illa monſtrabit ſi conuertantur: F nunc autem hoc prohibet, ſed non modus. Si autem hoc faciat, quod dictum eſt, faciet, & conuertet per tria. Similiter autem & ſi B ſumat ineſſe C, quod ſimiliter in- A certum ſit, vt & ſi A ineſt C, nondum quod ex principio petit, ſed neque demonſtrat. Si autem idem ſit A & B, aut eo quod conuertuntur, aut eo quod A ſequitur C, quod eſt B, quod ex principio eſt, petit propter eandem cauſam; nam ex principio quid valet, prius dictum eſt à nobis, quo- B niam per ſe monſtrabitur, quod non eſt per ſe manifeſtum.

Patefacit exemplo in elementis, quomodo petitio principij fiat in prima figura in maiori, & minori propoſitione, & inquit, quòd ſi concluſio probanda ſit hæc omne C eſt A, & demonſtretur in prima figura in hunc modum, omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A, per maiorem propoſitionem æque ignotam, non fit C manifeſta petitio principij, verum conſtat, quòd concluſio dicta tali pacto non demonſtratur. Siquidem nõ eſt demonſtrare aliquam concluſionem per id, quod æque ſit cum ipſa dubium: ſi verò termini ſumpti in tali demonſtratione, ſcilicet B medium, & C minor extremitas ſint aut penitus idem nomine ſcilicet & ratione, aut ratione licet non nomine, vt enſis & mucro; aut ſint conuertibiles, vt homo, & riſibile; nunc fit manifeſta petitio principij ad maiorem, quia ſicuti probatur A ineſſe C per medium B, ita etiã D probatur A ineſſe B per C medium, veluti omne C eſt A, omne B eſt C; ergo omne B eſt A. Similiter ſi eãdẽ concluſio, omne C eſt A, habeat minorem propoſitionẽ, per quã demonſtratur æque incertam, non fit manifeſta petitio principij, ſed certum eſt ipſam non demonſtari ob eandem ſupradictã cauſam. Si autem A maius extremũ, & B medium ſint idem & ratione & nomine, vel ratione, vel conuertibilia, fit petitio principij ad minorem, quoniam ſicuti probatum eſt A ineſſe C per B medium, ita probatum eſt B ineſ- E ſe C per A medium, vt omne A eſt B, omne C eſt A; ergo omne C eſt B, & declaratũ eſt tunc fieri petitionẽ principij, quãdo aliquod, quod nõ valet per ſe cognoſci, ſumitur ad ſui probationẽ. Percurramus verba contextus: *Si ergo aliquis dubitat aſſumpto dubio, quoniam A ineſt C*. Si itaque quæſtio ſit affirmatiua vniuerſalis, omne C eſt A, *ſimiliter & quoniam B*, & pariter dubia ſit hæc propoſitio, omne B eſt A; *petat autem A ineſſe B*, & demonſtratur in cõprobanda quæſtione propoſita, omne C eſt A vtatur dicta propoſitione F dubia tanquam præmiſſa, & nota, quæ eſt omne B eſt A, *nondum manifeſtum ſi quod in principio eſt petat*, nõ eſt manifeſta petitio principij: *ſed quoniam non demonſtratur manifeſtum*. ſed notum eſt per tale medium incertum nõ demonſtrari quæſitum. *Non enim eſt principiũ demonſtrationis, quod ſimiliter eſt incertum*; quoniam demonſtratio non

proce-

procedit per æque ignota. *Si autem B ad C ſit ſe habet vt idem ſit:* Si verò termini B medium, & C minus extremum ſint penitus ide in ratione, & nomine, *aut manifeſtum quod conuertuntur*, aut termini ſint conuertibiles, *aut ineſt alterum alteri*, aut ſunt ratione idem, *quod in principio eſt, petit*, fit manifeſta petitio principij: *nam & quoniam A ineſt B, per illa monſtrabit ſi conuertantur*: quoniam & aſſumptum incertum, quod erat omne B eſt A, demonſtrabitur per conuerſionem conuerſa minori propoſitione. *Nunc autem hoc prohibet.* At ſi non conuertantur termini, non fit petitio principij, ſed prohibetur, & impeditur, *ſed nō modus*; dictus verò modus ſumendi terminos nō prohibet fieri petitionem principij: *ſi autem hoc faciat, quod dictum eſt, faciet*: namque ſi ſumantur termini conuertibiles, fiét manifeſta petitio principij, *& conuertet per tria*, & per eoſdē tres terminos ex conuerſa minoris cū concluſione demonſtrabitur maior propoſitio ſūpta pro principio. *Similiter autem & ſi B ſumat ineſſe C, quod ſimiliter incertum ſit*, ſimiliq; modo ſe habet, ſi ad probandam quæſtionem prænarratam, omne C eſt A, ſumatur hæc propoſitio, omne C eſt A; pro minori, & præmiſſa, quæ ſit æque dubia cum concluſione, quod dicit, *vt ſi A ineſt C*, ſicuti & incerta eſt quæſtio, omne C eſt A, *nondum quod ex principio petit*, quod non ſit manifeſta petitio principij, *ſed neque demonſtrat*, nec etiam demonſtratur propoſitum: *ſi autem idem ſit A & B*: ſi verò termini A maius extremum, & B medium ſint penitus idem & ratione & nomine, *aut eo quod conuertuntur*, aut conuertibiles, *aut eo quod A ſequitur C*, aut ratione idem, *quod eſt B, quod ex principio eſt, petit*, fit manifeſta petitio principij minoris propoſitionis, quæ eſt omne C eſt B, *propter eandē cauſam*, ob cauſam dictam, quod idem probatur per ſe ipſum; *nam ex principio quid valet, prius dictum eſt à nobis*: declaratum namque eſt in præhabitis quid ſit petitio principij, *quoniam per ſe monſtrabitur, quod non eſt per ſe manifeſtum*, quando ſcilicet per ſe ipſum monſtratur aliquid quod non eſt de ſe notum, ſed per aliud cognoſci debet.

E Si ergo eſt in principio petere per ſe monſtrare quod non per ſe eſt manifeſtum: hoc autem eſt non oſtendere quando ſimiliter dubitatur quod mōſtratur, & per quod monſtratur, vel eo quod eadem eidē, vel eo quod idem eiſdem ineſſe ſumitur; in media quidem figura, & tertia vtrorum- F que continget ſimiliter quod eſt in principio petere, in prædicatiuo quidem ſyllogiſmo, & in tertia figura, & in prima; negatiuæ autem quan-

A do eadem ab eodem, & non ſimiliter vtræque propoſitiones. Similiter autem & in media, eo quod non conuertuntur termini ſecundum negatiuos ſyllogiſmos: eſt autem in principio petere in demonſtrationibus quidem, quæ ſecūdum veritatem ſic ſe habent; in dialecticis autem quæ
B ſecundum opinionem.

Colligit ex declaratis Ariſtoteles fieri petitionem principij in omnibus figuris, qm̄ cum in principio petere, ſit per ſe ipſum monſtrare, quod per aliud debet cognoſci, cum non ſit de ſe notum, & non oſtendere, ſit quando propoſitum quod ſumitur ad demonſtrandam concluſionem, eſt æque dubium cum ea; propterea quod & B medium, & C minus extremum ſint idem, vt quando B mediū, & A maius extremum eidem C mi-
C nori extremo inſunt, vt in petitione maioris, aut quia B mediū, & A maius extremum ſunt idem, vt quando A maius extremū ineſt B medio, & C minori extremo, vt in petitione minoris, & contingat etiā in ſecunda, & tertia figura, eadem eidem, & idem eiſdem ineſſe, ſequitur quòd & in ſecunda & tertia figura fiat petitio principij, & ad maiorem, & ad minorem propoſitionem; verùm in affirmatiuis ſyllogiſmis in prima & tertia figura ſimili modo petitur vtraque propoſitio, in negatiuis autem non ſimiliter, quoniam
D negatiua non conuertitur niſi in affirmatiuam tranſponatur, & hoc verificatur etiam in ſecunda figura, quod ſi volueris diſtincte cognoſcere, videto penes Philoponum hoc in loco. Fit autē petitio principij in demonſtratiuis ſecundum veritatem; in dialecticis autem ſecundum opinionem, ideo dicit: *Si ergo eſt in principio petere per ſe monſtrare, quod non per ſe eſt manifeſtum*: Si igitur fit petitio principij, quando id quod per ſe non eſt notum, ſed per aliud cognoſci debet per ſe ipſum manifeſtatur; *hoc autem eſt non oſtende-*
E *re, quando ſimiliter dubitatur quod monſtratur, & per quod monſtratur*; & non oſtendere eſt, quando concluſio quæ demonſtratur, oſtenditur per æque ignotū, *vel eo quod eadem eidem*, vel quoniam eadē & B medium, & A maius extremū eidem minori extremo inſunt, *vel ei quod idem eiſdem ineſſe ſumitur*, vel quoniam idem A maius extremum ineſt eiſdem B medio, & C minori extremo; *in media quidem figura, & tertia vtrorumque continget ſimiliter, quod eſt in principio petere*, in ſecunda & tertia figura ſimili modo continget fie-
F ri petitionem vtriuſque propoſitionis & maioris & minoris; *in prædicatiuo ſyllogiſmo, & in tertia figura, & in prima*, ſcilicet in affirmatiuo ſyllogiſmo fit ſimiliter in prima, & tertia; *negatiuæ autē quando eadem A, B eodem*; in negatiuo verò quando eadem ab eodem remouebuntur, *& non ſimiliter vtraque propoſitiones*, nec ſimiliter fiet petitio

tio vtriuſque propoſitionis in ſyllogiſmis negatiuis; *ſimiliter autem & in media*; & hoc idem euenit in ſecunda figura, *eo quod non conuertuntur termini ſecũdum negatiuos ſyllogiſmos*, quoniam termini negatiui non conuertuntur, niſi ſcilicet prius in affirmatiuos tranſponantur, *Eſt autem in principio petere, in demonſtrationibus quidem, quæ ſecundum veritatem*. Petitio autem principij in demonſtrationibus eſt ſecundum veritatem, & ſecundum rem, & ſecũdum rationem; *in dialecticis autem quæ ſecundum opinionem*; petitio verò principij in dialecticis eſt ſecundum opinionem. Sufficit namque ibi, quòd idem exiſtimetur, & ſi re vera non ſit idem. Quæ dicta ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XVIII. de petitione principij pro Iuris ſtudioſis.

EGit Ariſtoteles in hoc capite de petitione principij, quæ fit cum idem per idẽ demonſtratur, de qua cum in Elenchis ſuo tempore diſtinctè ſimus tractaturi, nunc ſat erit vnum exemplum deſumere in tit. Inſt. de fideiuſſor. & declarare quomodo in prima figura in primo modo fiat petitio principij, & ad maiorem, & ad minorem propoſitionem. Si quis itaque voluerit demonſtrare promiſſionem pro alio de obligatione pro alio per fideiuſſionem, & ſumpſerit in concluſione demonſtrãda, ſcilicet quòd omnis pro alio obligatio, eſt pro alio promiſſio, ſiue maiorem, ſiue minorem idem ratione cum concluſione ſignificantes, fiet petitio ad vtramque propoſitionem, quoniam idem per idem demonſtrabitur, veluti

BAR Omnis fideiuſſio eſt pro alio promiſſio.
BA Omnis pro alio obligatio eſt fideiuſſio, ergo
RA Omnis pro alio obligatio eſt pro alio promiſſio.

In hoc ſyllogiſmo oſtenſum eſt pro alio promiſſionem ineſſe obligationi pro alio per fideiuſſionem.

Fiet itaque petitio principij ad maiorem propoſitionem ſi oſtenderimus fideiuſſionem ineſſe obligationi pro alio per promiſſionem pro alio, tali pacto.

BAR Omnis pro alio obligatio eſt pro alio promiſſio.
BA Omnis fideiuſſio eſt pro alio obligatio, ergo
RA Omnis fideiuſſio eſt pro alio promiſſio.

Fiet etiam petitio principij ad minorem propoſitionem ſi oſtenderimus fideiuſſionem ineſſe obligationi pro alio per promiſſionem pro alio in hunc modum.

BAR Omnis pro alio promiſſio eſt fideiuſſio.
BA Omnis pro alio obligatio eſt pro alio promiſſio, ergo
RA Omnis pro alio obligatio eſt fideiuſſio.

Hic modus ſyllogizandi eſt vitio plenus, excepto in conuertibilibus vt habebimus in poſterio-

A ribus. Siquidem repetere in concluſione quod ſumitur in præmiſſis, ridiculum eſt, & hic modus probationis eſt penitus ineptus, quando ſcilicet demonſtratur per ſe ipſum, quod non eſt de ſe notum, ſed eſt per aliud cognoſcere: verum dicta ſatis in præſenti capite pro Iuris peritis.

De non propter hoc accidere falſum. Cap. XIX.

B NOn propter hoc autem accidere falſum (quod ſæpe in diſputationibus ſolemus dicere). Primum quidem eſt in ijs, qui ad impoſſibile ſyllogiſmis, quando ad contradictionem eſt, huius quod monſtratum eſt, ea quæ ad
C impoſſibile, nam neque qui non contradicit, dicit non propter hoc; ſed quoniam falſum eſt aliquid poſitum Priorum, neque in oſtenſiua, non enim ponit quod contradicit; amplius autem quando interimitur aliquid oſtenſiue per A, B, C, non
D eſt dicere, quoniam nõ propter quod poſitum eſt, factus eſt ſyllogiſmus, nam non propter hoc fieri tunc dicimus, quando interempto hoc nihilominus perficitur ſyllogiſmus, quod non eſt in oſtẽſiuis; interempta enim propoſitione, nec qui ad hanc eſt, erit ſyllogiſmus. Manifeſtum igitur,
E quoniam in ijs, qui ad impoſſibile ſunt, dicitur non propter hoc, & quãdo ſic ſe habet ad impoſſibile, quæ ex principio vt eſt hypotheſis, vt cum ſit, vel cum non ſit hæc, nihilominus accidit impoſſibile.

[1] Nunc tractat de ſecundo vitio quod fit circa ſyllogiſmum, quod eſt non propter hoc accidere
F falſum, quod fit quando eſt ſyllogiſmus ad impoſſibile; & in eo ex falſa hypotheſi aliud maius inconueniens quamprimum ſequi dicatur; quod autem id vitium contingat in ſyllogiſmis ad impoſſibile patet, quoniam neque reſpondens nolleris contradicere poſitæ hypotheſi, dicit falſam concluſionem ſequi, non propter hoc quod poſi-

tum

tium eſt, ſed dicit indeterminate falſum concluſionem ſequi ob falſum aliquod poſitum in præmiſſis, ſed non dicit propter hypotheſim determinatam, neque etiam ſyllogiſmus oſtenſiuus in primis ponit hypotheſim, cui poſtea cõtradicat, vltra quod quando per ſyllogiſmum oſtenſiuum aliquid interimitur, id fit per tres terminos, & tunc non eſt dicere quod concluſio non propter hoc, quod ſuppoſitum fuerit, non eſt ſecuta; ſiquidem non propter hoc aliquid accidere dicimus, quãdo eo interempto nihilominus ſequitur quod fuerit ſyllogizatum, veluti ſi ſumpſerimus, quod omne album color, omne volatile album, omnis ceruus volatilis, ergo omnis coruus albus, hoc impoſſibile ſequitur, non quia acceptum eſt, quòd color ineſt omni albo; nam ſiue accipiatur, ſiue non, tamen ſequitur impoſſibile, ſed in ſyllogiſmo oſtenſiuo, interempta propoſitione non perficitur ſyllogiſmus, ex quibus colligit planum eſſe non propter hoc accidere fieri in ſyllogiſmis ad impoſſibile, namque eſt non propter hoc accidere, quando ſic ſe habet concluſio ſyllogiſmi impoſſibilis, quæ ponitur ad contradictionem hypotheſis quòd & exiſtente, & non exiſtente hypotheſi nihilominus impoſſibile ſyllogizatur. Dicit itaque: *Non propter hoc autem accidere falſum*. Vitium aliud, quod eſt non propter hoc falſum accidere, (*quod ſæpe in diſputationibus ſolemus dicere*) quod ſæpe diſputantes opponentibus ſolemus reſpondere, *primam quidem eſt in ijs, qui ad impoſſibile ſyllogiſmis*, in primis, & præcipue fit in ijs ſyllogiſmis, qui ſunt per impoſſibile, *quando ad contradictionem eſt huius quod mõſtratum eſt, ea qua ad impoſſibile*, in quibus concluſio impoſſibilis eſt ad deſtructionem falſæ hypotheſis, quod patet, *nam neque qui non contradicit, dicit non propter hoc*, quoniam neque qui non contradicere intendit ad datam hypotheſim, dicit determinate ſequi falſam concluſionem non propter hoc quod poſitum eſt: *ſed quoniam falſum eſt aliquid poſitum priorum*; ſed indeterminate ob falſum aliquod poſitum in præmiſſis, *neque in oſtenſiua*, neque nõ propter hoc accidere dicit in demonſtratione oſtenſiua; *non enim ponit quod contradicit*, quoniam ſyllogizans oſtenſiue non ſupponit in primis falſũ, cuius deſtructionẽ quærat ſyllogizare. *Amplius autem quando interimitur aliquid oſtenſiue per A, B, C.* Et vlterius cum per ſyllogiſmum demonſtratiuum aliquod interimitur, quod fit per tres terminos, *non eſt dicere quoniam non propter quod poſitum eſt, factus eſt ſyllogiſmus*, non contingit dicere, quod concluſio ſit ſyllogizata non propter hoc quod poſitum eſt, *nam non propter hoc fieri tunc dicimus*, quia tunc dicimus non propter hoc accidere aliquid, *quando interempto hoc, nihilominus perficitur ſyllogiſmus*, quando eo interempto quod fuerit ſumptum pro hypotheſi, adhuc tamen ſyllogizatur impoſſibile, ſiue falſum interitum, *quod non eſt in oſtenſiuis*, quod non euenit in ſyllogiſmis oſtenſiuis; *interempta enim propoſitione nec qui ad hanc eſt, erit ſyllogiſmus*; in quibus ablata propoſitione non poteſt amplius fieri ſyllogiſmus ad

A. eam. *Manifeſtum igitur quoniam in ijs qui ad impoſſibile ſunt, dicitur non propter hoc*. Planum eſt itaque in ſyllogiſmis ad impoſſibile dici non propter hoc, *& quando ſic ſe habet ad impoſſibile quæ ex principio eſt hypotheſis, vt cum ſit, vel cum non ſit hæc, nihilominus accidit impoſſibile*, & tunc dici nõ propter hoc accidere, quando ſic ſe habet concluſio ſyllogiſmi impoſſibilis ad eam hypotheſim, cuius deſtructionem intendit ſyllogiſmus vt hypotheſi exiſtente, & non exiſtente, nihilominus impoſſibile ſequatur.

B Ergo manifeſtiſſimus quidem modus eſt, non propter ſuppoſitionem eſſe falſum, quando ab hypotheſi inconiunctus eſt à medijs ſyllogiſmus ad impoſſibile quod dictum eſt in Topicis. Quod enim non eſt cauſa vt cauſam ponere hoc eſt, & ſi volẽs C oſtendere, quoniam aſymiter eſt diameter, conetur Zenonis ratione quoniam non eſt moueri, & ad hoc inducat impoſſibile; nullo enim modo continuum eſt falſum locutioni, quę eſt ex principio.

Inquit Ariſtoteles, quòd cum ſint duo modi vitij prænarrati, præcipuus, & notiſſimus modus D eſt, quando termini non ſunt inuicem copulati, quoniam poſitio protſus inconiuncta eſt a terminis, per quos medios concluditur impoſſibile, ita vt pro cauſa nõ cauſa ponitur, veluti in elemẽtis, ſi poſitio extiterit omne B eſſe A, & dixerimus; ſi omne B eſt A, & omne D eſt C, & omne E eſt D, ſequitur vt omne E ſit C, quod eſt impoſſibile, vel in terminis ſi voluerimus oſtendere hanc cõcluſionem, quòd diameter quadrati, eſt aſymeter, ſiue incommenſurabilis coſtæ vſi fuerimus ratione Zenonis, probantis, quòd nihil contin- E git moueri, eo quod tempore finito non contingit pertranſiri infinita, & dixerimus, quòd ſi cõmunicaret, & motum pertranſiret diuiſum finitum, poſteaquam pertrãſiuiſſet medietatem ſuã, ſed non pertranſiret medietatem ſuam, niſi poſteaquam pertranſiuerit medietatem iſtius medietatis, & ita in metiendo inuenientur medietates infinitæ, vnde ſequitur ſi ſit motus motũ pertranſire ſpatium infinitum in tempore finito, quod eſt impoſſibile, & hoc impoſſibile poſuerimus ſequi ex eo quod diximus diametrum cum F latere communicare, quoniam termini ſumpti in hoc ſyllogiſmo de probatione Zenonis nulla ex parte communicant cum hypotheſi, cuius deſtructionem quæſiuimus, ideo dicit: *Ergo manifeſtiſſimus quidem modus eſt non propter ſuppoſitionem eſſe falſum*. Notiſſimus itaque modus eſt, quod ſcilicet non propter hoc accidat falſum, *quando ab hypotheſi inconiunctus eſt à medijs ſyllogiſ-*

mus

mus ad impoſſibile, quãdo poſitio eſt prorſus ſeparata a terminis, per quos tanquã medios impoſſibile efficitur ſyllogiſmus, *quod dictum & in Topicis,* quod declaratum eſt in Topicis: *quod enim non eſt cauſa, vt cauſam ponere hoc eſt:* hoc namque eſt nõ cauſam pro cauſa ponere, *& ſi volens oſtendere, quoniam aſymeter eſt diameter,* veluti exempli gratia, Si quiſpiam volens manifeſtare diametrum eſſe aſymetrum, ſiue incommeoſurabilem, *conetur Zenonis ratione, quoniam non eſt moueri,* ſumat probationem Zenonis, qua oſtendebat non eſſe motum; propterea quod in tempore finito non contingit pertranſiri infinita, *& ad hoc inducat impoſſibile,* & inde concludat hoc impoſſibile, quòd diameter non eſt ſymeter; *nullo enim modo continuum eſt falſum locutioni, quæ eſt ex principio,* quoniam impoſſibile concluſum nullo modo per terminos dictos eſt cum poſitione coniunctum, ſed prorſus ſeparatum.

Alius autem modus, ſi cõtinuum quidem ſit impoſſibile hypotheſi, non tamen propter illa accidat, hoc autem poſſibile eſt fieri, & in hoc quod ſuperius, & in hoc quod inferius ſumenti continuum, vt ſi A ponatur ineſſe B, B autem C, C verò D, hoc autem ſic falſum B ineſſe D, nam (ſi ablato A, nihilominus B ineſt C, & C, D) nõ erit falſum propter eam, quæ ex principio eſt, hypotheſim: aut rurſum ſi quis in ſuperiori ſumat continuum, vt ſi A quidem B, E autem A, F verò E, falſum autem ſit F ineſſe A; nam & ſic nihilominus erit impoſſibile, interempta quæ eſt ex principio hypotheſi, ſed oportet ad eos, qui ex principio terminos copulare impoſſibile; ſic enim erit propter hypotheſim, vt inferiori quidem ſumenti continuum ad prædicatum terminum: nam ſi impoſſibile eſt A ineſſe D, interempto A, non amplius erit falſum; in ſuperiori autẽ de quo prędicatur, nam ſi F non poſſibile eſt ineſſe B, interempto B, non amplius erit impoſſibile: ſimiliter autem & cum priuatiui ſint ſyllogiſmi.

Tradit Philoſophus ſecundum modum vitij, quod eſt non propter hoc accidere falſum, quando ſcilicet poſitio non eſt penitus inconiuncta a

A terminis, per quos impoſſibile concluditur: ſiquidem impoſſibile eſt coniunctum cum hypotheſi in altero termino: contingit namque falſum coniunctum eſſe cum hypotheſi, nec tamen accidat propter ipſam, & hoc dupliciter, vel quando inferius ſumitur ſub ſubiecto hypotheſis, vel quando ſuperius ſupra prædicatum eiuſdẽ, primo modo, veluti ſi poſitio fuerit omne B eſt A, & dixerimus ſi omne B eſt A, & omne C eſt B, & omne D eſt C, ſequitur, quod omne D eſt B, quæ concluſio falſa ſit; hoc falſum non ſequitur, propter

B poſitionem, quoniam & ipſa ablata nihilominus falſum ſequetur. Secundo modo autem ſi poſita eadem hypotheſi omne B eſt A, acceperimus ſupra prædicatum ipſius E de A, & F de E, ex quibus ſequitur F de A dici, quæ ſit falſa concluſio, tali ſcilicet ordine, omne E eſt F, omne A eſt E, ergo omne A eſt F: ſi hæ inquam omnes propoſitiones ſumptæ fuerint ſupra prædicatum hypotheſis omne B eſt A, ſequitur impoſſibile, ſed non propter ſuppoſitionem, quoniam & ipſa interempta, non propterea impeditur impoſſibile.

C His itaque modis contingit vitium prædictum. Ad hoc igitur vt impoſſibile propter hypotheſim ſequatur, eſt neceſſe copulare falſum per terminos propoſitionum vſque ad hypotheſim, ita vt hypotheſi poſita, impoſſibile ſequatur, & ea remota, remoueatur, ſicuti ſi ſumatur ad inferius ſub ſubiecto hypotheſis dixerimus omne B eſt A, omne C eſt B, omne D eſt C, omne D eſt B, ergo omne D eſt A, hoc impoſſibile omne D eſt A, ſequitur propter hypotheſim; ſiquidem deſtructa hypotheſi, deſtruitur impoſſibile, & ſi ſu-

D matur ſupra prædicatum hypotheſis dixerimus, omne E eſt F, omne A eſt E, omne A eſt F, omne B eſt A, ergo omne B eſt F, & ſic fiat copulatio vſque ad prædicatum prædictę hypotheſis falſum per eandem hypotheſim ſequetur, quoniam ea deſtructa non accidit impoſſibile, & quod docet de affirmatiuis ſyllogiſmis, determinat inſuper conſimiliter ſe habere per omnem modum in negatiuis, & dicit: *Alius autem modus.* Secundus modus autem non propter hoc accidere falſum, fit, *ſi continuum quidem ſit impoſſibile hypotheſi, non tamẽ*

E *propter illa accidit,* quoniam falſum per medios terminos coniungitur cum ſuppoſitione, ſed nõ accidit illud falſum propter hypotheſim; *hoc autem poſſibile eſt fieri:* contingit verò impoſſibile eſſe cum ſuppoſitione coniunctum, & non propter eam ſequi duobus modis, *& in hoc quod ſuperius,* & in eo quod accipitur impoſſibile ſupra prædicatum hypotheſis, *& in hoc quod inferius ſumenti continuum,* & inferius etiam ſumendo ſub ſubiecto hypotheſis, quod declarat exẽplo in eo quod inferius, *vt ſi A ponatur ineſſe B,* ſi poſitio ſit om-

F ne B eſt A, *B autem C,* & ſumptum ſit ſub B, C, omne C eſt B, *C verò D,* & ſub C ſumptum ſit D, omne D eſt C: *hoc autem ſit falſum B ineſſe D,* vnde ſequatur hoc impoſſibile, quòd omne D eſt B, id impoſſibile nõ accidit propter hypotheſim, quæ dicit omne B eſt A, eo quoniam hac interempta, adhuc tamen contingit impoſſibile, quod dicat

in

in his verbis quando addit, *nam (ſi ablato A, nihilominus B ineſt C, & C, D) non erit falſum propter eam, quæ ex principio eſt hipotheſim*. deinde ponit in eo quod ſuperius, & inquit, *aut rurſum ſi quis in ſuperiori ponat continuum*; & inſuper ſit non propter hoc accidere falſum, quando coniunctum eſt eum hypotheſi, ſi ſupra prædicatum ſuppoſitionis accipiatur, *vt ſi A quidem B*; veluti ſi ſuppoſitio ſit omne B eſt A, *E autem A*, & ſuper A ſumptum fuerit E, dicendo omne A eſt E, *F verò E*, & ſuper E ſumptum fuerit F, dicendo omne E eſt F: *falſum autem ſit F ineſſe A*, vnde formata tali ratiocinatione, omne E eſt F, omne A eſt E, ſequatur hoc falſum, quod omne A eſt F, id non accidit propter ſuppoſitionem; *nam & ſic nihilominus erit impoſſibile*, quoniam & tali pacto adhuc impoſſibile remanebit, *interempta quæ eſt ex principio hypotheſi*, remota ſuppoſitione, *ſed oportet ad eos qui ex principio terminos copulare impoſſibile*, ſed volenti recte ratiocinari impoſſibile quod ſequitur ex hypotheſi opus eſt falſum quod ſequitur per terminos propoſitionum ad hypotheſim cōiungere; *ſic enim erit propter hypotheſim*; talis nam que facta continuatio, tunc impoſſibile propter ſuppoſitionem ſequetur, *vt inferiori quidem ſumenti continuum ad prædicatum terminum*, veluti ſi fiat continuatio ad inferius ſub ſubiecto hypotheſis ſumendo omne B eſt A, omne C eſt B, omne D eſt C, omne D eſt B, ſi continuetur vſque ad terminos hypotheſis, ergo omne D eſt A, tunc falſum contingit propter ſuppoſitionem: *nam ſi impoſſibile eſt A ineſſe D*; quoniam ſi hęc poſitio, quę eſt omne D eſt A ſit impoſſibilis, *interempto A, non amplius erit falſum*, interempta prima hypotheſi omne B eſt A, remouebitur etiam hoc impoſſibile, vt patet. *In ſuperiori autem de quo prædicatur*. Si autem continuatio ſit ſupra prædicatum hypotheſis ſumendo omne E eſt F, omne A eſt E, omne A eſt F, omne B eſt A, & continuetur vſque ad terminos hypotheſis, ergo omne B eſt F, quod ſit impoſſibile, id contingit propter hypotheſim; *nam ſi F non poſſibile eſt ineſſe B*; quoniam ſi hæc propoſitio eſt falſa, omne B eſt F, *interempto B, non amplius erit impoſſibile*, remota prima hypotheſi, omne B eſt A, etiam id impoſſibile remouebitur. *Similiter autem & cum priuatiui ſint ſyllogiſmi*. Et hoc idem accidit in ſyllogiſmis negatiuis, & habētibus terminos priuatiuos, quod declaratum fuit euenire in affirmatiuis, & habentibus terminos prædicatiuos.

Manifeſtum eſt quoniam cum impoſſibile non ad priores terminos, non propter poſitionem accidit falſum an nec ſic ſemper propter hypotheſim erit falſum? nam ſi nō ei quod eſt B, ſed ei quod eſt K poſitum eſt ineſſe A, K autem C, & hoc D, & ſic manet impoſſibile. Similiter autem

A & in ſurſum ſumenti terminos; quare (quoniam cum eſt, & cum non eſt hoc, accidit, impoſſibile) non erit propter poſitionem, aut cum non eſt hoc, nihilominus fieri falſum, nec ſic ſumendum vt alio poſitiuo accidat impoſſibile, ſed quando ablato hoc,

B idem per reliquas propoſitiones concluditur impoſſibile, eo quod idem falſum accidere per plures hypotheſes nihil fortaſſe inconueniens eſt, vt parallelas contingere, & ſi maior eſt qui interius eſt, eo qui exterius; & ſi triangulus habet plures rectos duobus.

C Colligit Ariſtoteles in fine huius capitis manifeſtum eſſe ex declaratis, quando impoſſibile per medias propoſitiones non extiterit coniunctum alteri terminorū ipſius hypotheſis, falſum quod concludit non accidere propter ſuppoſitionem: deinde proponit dubitationem quandam, quam quis facere poſſet, eamq; de medio tollit, dicens, quod quiſpiam obijcere poſſet quod nec ſic, prout determinatum fuit, dicatur falſum accidere propter ſuppoſitionem, quoniam etſi non ſubiecto hypotheſis, quod eſt B, poſitum fuerit A ineſ-

D ſe, ſed ei quod eſt K, adhuc impoſſibile dictum ſyllogizabitur, vel ad inferius, vel ad ſuperius ſumantur termini, deorſum ſumendum vt ſi dixerimus, omne K eſt A, omne C eſt K, omne D eſt C, omne D eſt K; ergo omne D eſt A, ſurſū ſumendo ſi dixerimus, omne E eſt F, omne A eſt E, omne A eſt F, omne K eſt A; ergo omne K eſt F; quo pacto impoſſibile adhuc ſequitur, quāuis non amplius extiterit hypotheſis prima, vnde nō videtur eſſe verū, quod dicit, propter hoc accidere tunc euenire, quando poſita hypotheſi ſequitur im-

E poſſibile, & non poſita remouetur, cum per aliud medium & aſcendendo & deſcendendo idem impoſſibile contingat. Huic itaque obiectioni occurrens Ariſtoteles reſpondet, quod nō eſt ſic ſumere ea, quæ dicta ſunt, quin & alio poſito medio, impoſſibile ſequi poſſit, ſed quod hypotheſi ablata per alias propoſitiones remanentes adhuc ſequatur idem impoſſibile: accidit enim idē falſum quoque ſequi per plures ſuppoſitiones vt patet in Mathematicis, in quibus probatur parallelas coincidere per duo media, & ſi angulus

F lineæ perpendicularis, quem facit ſuper parallelas interior maior ſit quam angulus eiuſdem exterior, & ſi triangulus rectangulus habeat plures rectos quàm duos, & dicit: *Manifeſtum eſt quoniā cum impoſſibile non ad priores terminos*. Planum itaque ex dictis, quòd quando impoſſibile quod ſequitur non eſt coniunctum alicui terminorum

primæ

primæ hypotheſis, *non propter poſitionem accidit falſum*, id impoſſibile non contingit propter hypotheſim, *an nec ſic ſemper propter hypotheſim erit falſum?* ſed dubitabit fortaſſe quiſpiam non ſemper propter hypotheſim falſum ſequi modo determinato, *nam ſi non ei quod eſt B, ſed ei quod eſt k poſitum eſt ineſſe A*, quoniã quamuis ſubiecto termino hypotheſi, quod eſt B non fuerit A prædicatum poſitum, ſed alteri termino puta K, *K autem C*, & K omni C dicatur ineſſe, *& hoc D*, & C omni D, *& ſic manet impoſſibile*, adhuc tamen erit falſum. *Similiter autem & in ſurſum ſumenti terminos.* Et ſimiliter fit ſi ſuperius termini ponantur: *quare (quoniam cum eſt, & cum non eſt hoc, accidit impoſſibile) non erit propter poſitionem*: quapropter non videtur dicendum propter hoc accidere, cũ & poſita, & non poſita hypotheſi; ſequitur impoſſibile, *aut cum nõ eſt hoc nihilominus fieri falſum, nec ſic ſumendum, vt alio poſito, accidat falſum*, ſoluit dubitationem, & inqnit, aut non eſt ſumendum falſum non ſequi, *hoc non exiſtente*, alio poſito medio, *ſed quando ablato hoc*, ſed quando hoc remoto, & non exiſtente *idem per reliquas propoſitiones concluditur impoſſibile*, idem impoſſibile per remanentes propoſitiones, & non per aliud poſitũ medium concluditur; tunc enim falſum dicitur ſequi non propter ſuppoſitionem, *eo quod idem falſum accidere per plures hypotheſes nihil fortaſſe inconueniens eſt*, quoniam nihil fortaſſe prohibet idem impoſſibile ſequi per plures ſuppoſitiones, *vt parallelas contingere*, veluti hoc impoſſibile parallelas concurrere per plura media colligi poteſt, *& ſi maior eſt qui interius eſt eo, qui exterius*, veluti ſi angulus lineæ perpendicularis, quem facit ſuper parallelas interior maior ſit quàm angulus eiuſdem exterior, *& ſi triangulus habet plures rectos duobus*, & ſi triangulus rectangulus habeat plures rectos quam duos.

Et hæc ſatis ſuper hoc capite.

Super Capite XIX. de non propter hoc accidere falſum pro Iuris ſtudioſis.

HAbuimus in hoc capite ſecundum vitium, quod fit circa ſyllogiſmum, quando dicimus falſum non ſequi propter ſuppoſitionem, cum ſcilicet hypotheſi interempta, tamen adhuc ſequitur falſum & impoſſibile, & quòd præcipuus & maniſeſtiſſimus modus huiuſcemodi vitij eſt, quando impoſſibile eſt penitus ſeparatum ab hypotheſi, veluti in terminis notis in iure. Si dixerimus ſumpta hac hypotheſi, Omne delictũ impunibile, Si omne delictum impunibile, & omnis obligatio ſocietas, & omnis contractus obligatorius, Inſt. tit. de ſocietatibus, & Inſt. tit. de obligationibus, ſequitur quòd omnis contractus eſt ſocietas. In hoc ſyllogiſmo enim etſi remoueatur prima ſuppoſitio, quæ eſt omne delictum impunibile, ta-

A. men adhuc ſequitur impoſſibile vt patet. Eſt itáque impoſſibile quod ſequitur omnino ſeparatũ a terminis hypotheſis.

Alius modus eſt quando impoſſibile coniunctum eſt alicui termino hypotheſis veluti in his terminis, omne teſtamentum eſt legitimũ, omnis volũtas noſtra eſt teſtamentũ, omnis donatio eſt voluntas noſtra, ergo omnis donatio eſt teſtamẽtum: in ſumma hæc fallacia eſt quando non veram cauſam vt cauſam rei afferimus, veluti iuris conſulti lites inter homines excitant, ergo iu-
B riſprudentia eſt litium ſeminarium, Aduocati iniquas cauſas defendunt, ergo ius ciuile eſt ars, iniqua docens hæ namque eſt ſimiles cauſæ fallæ ſunt, ſiquidem iuriſprudentia eſt diuinarũ atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſciẽtia, §. iuriſprudentia Inſt. tit. de iuſt. & iure, & ius eſt ars boni, & æqui l. 1. in principio ff. eo. de iuſt. & iure.

Quæ ſatis dicta ſufficiant ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

C *De falſa ratiocinatione, cathaſyllogiſmo hoc eſt corratiocinatione, & elencho. Cap XX.*

FAlſa autẽ oratio fit propter primum falſum, aut enim ex duabus propoſitionibus, aut ex plu-
D ribus omnis eſt ſyllogiſmus; ergo ſi ex duabus quidem, harum neceſſe eſt alteram, aut etiam vtraſque eſſe falſas; nam ex veris non erat falſus ſyllogiſmus; ſi verò ex pluribus (vt ſi C quidem per A B, hoc autem per D E, F G) horum erit
E aliquid ſuperiorum falſum, & propter hoc oratio, nam A & B per illa concluduntur: quare propter illorum aliquid, accidit concluſio, & falſum.

Quoniam in ſuperioribus oſtenſum eſt ab Ariſtotele falſum ſequi propter hypotheſim & quandoque contingit hypotheſim eſſe veram; propterea ne quiſpiam credat ex vero falſum quoque aliquando colligi, determinat in præſenti, quod
F falſa cõcluſio ſemper fit propter aliquod primo falſum: ſiquidem cum duplex ſit ſyllogiſmus; vnus ſimplex conſtans ex duabus propoſitionibus, & alter compoſitus ex principali ſyllogiſmo, ſcilicet & proſyllogiſmus, qui conſtat ex pluribus propoſitionibus, ſi concluſio fiet ex duabus propoſitionibus, vt in ſyllogiſmo ſimpliciter

vno, oportebit ipſarum aliquam, vel ambas fal- [A] ſas exiſtere. Si vero concluſio fiet ex pluribus vti in compoſito, veluti ſi oſtenditur C per A, B, duas propoſitiones, & harum quælibet per alias duas, vt A per D, E, & B per F, G, falſum erit, & inuenietur circa primas propoſitiones, & hoc eſt quod dicit quando inquit: *Falſa autem oratio ſit propter primum falſum.* Falſa autem oratio concluſa in ſyllogiſmo ſequitur propter aliquod primum falſum poſitum in prioribus præmiſſis; *aut enim ex duabus propoſitionibus, aut ex pluribus omnis eſt ſyllogiſmus*; quoniam cum omnis ſyllogiſmus [B] fiat vel ex duabus propoſitionibus, vt ſimplex ſyllogiſmus, vel ex pluribus, vt compoſitus ſyllogiſmus, *harum*, nempe duarum propoſitionum in ſimplici ſyllogiſmo exiſtentium, *neceſſe eſt alteram, aut etiam vtraſque eſſe falſas*, oportet aliquam, ſiue ambas falſas exiſtere, *nam ex veris non erat falſus ſyllogiſmus*, cũ oſtenſum fuerit in præcedentibus ex veris non fieri falſam ratiocinationem. *Si vero ex pluribus (vt ſi C quidem per A B, hoc autem per D, E. F, G) horum erit aliquid ſuperiorum falſum, & propter hoc oratio.* Quod ſi ſyllogiſ- [C] mus ſit compoſitus ex pluribus propoſitionibus, veluti quando E concluditur in principali ſyllogiſmo per has duas propoſitiones A, B, tanquam principium, & id principium per has propoſitiones D, E, F G, concluditur in proſyllogiſmo, falſum erit in primis propoſitionibus, & propter illud oratio concluſa ſequetur falſa, *nam A & B*, quoniam principium A, B, quę ſunt duæ pręmiſſæ in ſyllogiſmo principali, *per illa concluduntur*, oſtenduntur per priores dictas propoſitiones [D] D, E; F, G, in proſyllogiſmo. *Quare propter illorum aliquid accidit concluſio, & falſum.* Et propterea ob aliquod eorum, quæ in proſyllogiſmis ſunt, falſum ſequitur concluſio, & falſum, quod in ipſa reperitur.

Sequitur textus.

Vt autem non cathaſyllogizetur, obſeruandum quando ſine concluſionibus interrogat orationem, [E] vt non detur bis idem in propoſitionibus, eo quod ſcimus, quoniam ſine medio ſyllogiſmus non fit, medium autem eſt, quod plerunque dicitur. Quomodo autem oportet ad vnamquamque concluſionem obſeruare medium, manifeſtum eſt, [F] eo quod ſcitur quale in vnaquaque figura oſtenditur. Hoc autem nos non latebit, eo quod videmus quo modo ſubmittimus orationem. Oportet autem quòd cuſtodire præ- [A] cipimus reſpondentes ipſos argumentantes tentare latere: hoc autem erit primum quidem ſi concluſiones non prius ſyllogizent, ſed ſumptis neceſſarijs non manifeſtæ ſint. Amplius autem ſi non propinqua interrogant, ſed quàm maxime longe media, vt ſi ſit oppor- [B] tunum concludere A de F, media B, C, D, E; oportet ergo inquirere ſi A, B, & rurſum non ſi B, C, ſed ſi D, E; deinde ſi B, C, & ſic reliqua, & ſi per vnum medium ſit ſyllogiſmus. A medio incipere. Maxime enim ſic latebit [C] reſpondentem.

Docet incidenter Philoſophus in præſenti parte quomodo reſpondens habeat defendere ſuppoſitionem, & opponens eandem habeat impugnare, & in primis tradit duo præcepta obſeruanda ex parte reſpondentis intendentis hypotheſim oſtendere; primum præceptum eſt, quòd non concedat in propoſitionibus aliquem terminum bis, ſi talem enim terminum non admittat, non erit ibi terminus me- [D] dius, & non poterit fieri ſyllogiſmus: ſecundum præceptum eſt, quod non admittat propoſitionem, quę valeat eſſe medium ad vnamquamque concluſionem, quæ poſſit hypotheſim interimere, quod teſtatur Ariſtoteles reſpondentem non latere: ſiquidem declaratum extitit in præcedentibus in qualibet trium figurarum quælibet concluſio colligitur; deinde determinat quod obſeruandum ex parte opponentis volentis concludere aliquid contra hypotheſim, & dicit obſeruandum ex parte opponen- [E] tis, quòd reſpondens non perpendat ad quid opponens nititur, quod fiat ſi in ſyllogiſmo compoſito tria animaduertat; primum ſcilicet ſi concluſionem intentantem occultabit; ſecundum ſi cum concluſio per plura media colligatur, prius fiat interrogatio ſuper propoſitionibus longinquis; poſtea ſuper proximis; tertium ſi confundat ordinem propoſitionum in interrogatione, nec ſeruetur ordo, vt ſi A de F concluditur per media B, C, D, E, omne B eſt A, omne C eſt B, omne D eſt C, om- [F] ne E eſt D, omne F eſt E; ergo omne F eſt A, facta interrogatione de remotiori propoſitione, quæ eſt omne B eſt A, non oportet deinde interrogare, ordine ſeruato, ſi omne C eſt B, ſed ordine confuſo & præpoſtero, ſi omne E eſt D, poſt hæc ſi omne C eſt B, & ſic de reliquis, abſque vllo ordine, tali pacto namque latebit

reſpondentem intentio opponentis; in ſyllogiſmo autem ſimplici, qui ex duabus fit tantum propoſitionibus, & vno termino medio occultabit opponens intentionem ſuam, ſi prius interroget minorem propoſitionem, & poſtea maiorem; quoniam in maiori propoſitione eſt tota virtus conſequentiæ ſyllogiſmi. Dicit igitur: *Vt autem non cathaſyllogizetur*. Vt autem contra hypotheſim non poſſit ſyllogizari, *obſeruandum quando ſine concluſionibus interrogat orationem*, obſeruandum reſpondenti quando non præcognoſcit quid nitatur opponens, *vt non detur bis idem in propoſitionibus*: ne eundem terminum bis accipiat diſputator; *eo quod ſcimus quoniam ſine medio ſyllogiſmus non fit*, quoniam oſtenſum eſt in præhabitis, niſi idem terminus bis acceptus fuerit vllo pacto fieri poſſe ſyllogiſmum, cum medium ſit, quod bis ſumetur in propoſitionibus, ſine quo in aliqua figurarum nõ eſt ratiocinari, quod addit: *Medium autem eſt quod plerunque dicitur*, quod ſcilicet bis accipiatur vel vt ſubiectum vnius, & alterius prædicatum vt in prima figura, vel vt prædicatum vtriuſque vt in ſecunda figura, vel vt ſubiectum ambobus, & facit tertiam figuram. *Quomodo autem oportet ad vnamquamque concluſionem obſeruare medium*. Quomodo autem reſpondenti cauendum ſit quando præcognoſcit quid nititur opponens contra hypotheſim, ne admittat propoſitionem, quæ poſſit eſſe medium ad deſtructionem hypotheſis, *manifeſtum eſt, eo quod ſcitur quale in vnaquaque figura oſtenditur*, planum eſt ex declaratis in præcedentibus, in quibus oſtenſum eſt qualiter quælibet concluſio in vnaquaque figura demonſtretur. *Hoc autem nos non latebit, eo quod videmus quomodo ſubmittimus orationem*, quod reſpondentem non latebit, quoniam ipſe rationem præſtat, quæ potentia concludit concluſionem. *Oportet autem quòd cuſtodire præcipimus reſpondentes, ipſos argumentantes latere*. Opus autem eſt è contrario opponentes hypotheſim conari ea occultare, quæ reſpondentes cauere diximus. *Hoc autem erit*. Latebit autem reſpondentem opponens id quod nititur: *primum quidem ſi concluſiones non prius ſyllogizent, ſed ſumptis neceſſarijs non manifeſta ſint*: primum ſi concluſiones intentas non prius manifeſtet quin ſumptæ ſint propoſitiones de neceſſitate concluſiones ipſas inferentes: *Amplius autem ſi non propinqua interrogant, ſed quam maxime longe media*. Præterea ſi opponentes proponant remotiora media, non immediata; ex quibus ſequitur propoſitum, *vt ſi ſit oportunum concludere A de F, media B, C, D, E*; veluti gratia exempli, ſi concludendum ſit, quòd F ſit A, & hoc fieri poſſit per diuerſa media. *Oportet ergo inquirere ſi A, B*. Oportet interrogare medium remotum ſi omne B eſt A, *& rurſum non ſi B, C*, & poſtea non eſt ordine ſeruato perquirendum ſi omne C eſt B, *ſed ſi D, E*, ſed confuſo ordine ſi omne E eſt D: *deinde ſi B, C, & ſic reliqua*. Poſtea ſi omne C eſt B, & ſic de alijs, ita vt fiat occultatio ordinis terminorum; *& ſi per vnum medium ſit ſyllogiſmus*; quòd ſi ſyllogiſmus conſtituatur ex duabus tantum propoſitionibus, & vno termino, & ſimplex ſit, *à medio incipere*, tunc opponens incipere debet a medio exiſtente in minori propoſitione: *maxime enim ſic latebit reſpondentem*: ſic namque opponens interrogando maxime latebit reſpondentem, cum tota virtus ſyllogiſmi poſita ſit in maiori propoſitione.

A

Sequitur textus.

Quoniam ergo habemus quando, & quomodo ſe habentibus terminis fit ſyllogiſmus, manifeſtum & quando erit, & quando non erit elenchus; nam omnibus affirmatiuis, vel permutatim poſitis reſponſionibus (vt hæc quidem affirmatiua, illa verò negatiua) contingit fieri elenchum; erit enim ſyllogiſmus, & ſic in illo modo ſe habentibus terminis: quare ſi id, quod poſitum eſt, contrarium ſit concluſioni, neceſſe eſt fieri elenchum; nam elenchus, ſyllogiſmus contradictionis eſt: ſi verò nihil affirmetur, impoſſibile eſt fieri elenchum; non enim erat ſyllogiſmus, cum omnes termini erant priuatiui; quare nec elenchus, nam ſi elenchus, neceſſe eſt ſyllogiſmum eſſe: cum autem eſt ſyllogiſmus, non neceſſe eſt elenchum eſſe. Similiter autem ſi nihil poſitum ſit ſecundum reſponſionem vniuerſaliter; nam eadem erit definitio ſyllogiſmi, & elenchi.

B C D E

Concludit Ariſtoteles cum ex dictis planum ſit per quam diſpoſitionem terminorũ fiat ſyllogiſmus, manifeſtum quoque eſſe, per quã diſpoſitionẽ eorundẽ terminorum fiat redargutio, quoniam cum ſyllogiſmus copuletur vel ex omnibus affirmatiuis, vel ex vna affirmatiua, & altera negatiua, conſimiliter ſe habet & redargutio. Hoc inſuper addito ſi opponens concluſerit concluſionem contradictoriam hypotheſi reſpondentis; tunc enim de neceſſitate erit redargutio, cũ nil aliud ſit redargutio niſi ſyllogiſmus contradictionis ad hypotheſim reſpondentis, & cum ex vtriſque negatiuis propoſitionibus, ſiue ex vtriſque particularibus, nõ poſſit fieri ſyllogiſmus; ideo aſſerit Ariſtoteles, quod niſi reſpõdente fuerit admiſſa ꝓpoſitio affirmatiua, vel vniuer-

F

ſalis

ſalis non poterit fieri redargutio. Siquidem omnis redargutio eſt ſyllogiſmus, licet non omnis ſyllogiſmus redargutio, & dicit: *Quoniam ergo habemus quando, & quomodo ſe habentibus terminis fit ſyllogiſmus*. Quia ſciuimus per quam terminorum diſpoſitionem ſyllogiſmus fit, *manifeſtum & quando erit, & quando non erit elenchus*, compertum nobis eſt, & per quam diſpoſitionem terminorum fiat redargutio, & non fiat; *nam omnibus affirmatiuis*, quoniam ſi propoſitiones omnes fuerint affirmatiuæ, *vel permutatim poſitis reſponſionibus (vt hac quidem affirmatiua, illa verò negatiua) contingit fieri elenchum*, vel viciſſim qualitatem mutantes vna erit affirmatiua, & altera negatiua fiet redargutio; *erit enim ſyllogiſmus, et ſic in illo modo ſe habentibus terminis*; quoniam etiam ex tali diſpoſitione terminorum conſtituitur ſyllogiſmus: *quare ſi id, quod poſitum eſt, contrarium ſit concluſioni*: & propterea ſi ſuppoſitio reſpondentis ſit contradictoria cõcluſioni concluſæ per opponentem, *neceſſe eſt fieri elenchum*, ſequitur neceſſario fieri redargutionem; *nam elenchus ſyllogiſmus contradictionis eſt*: quoniam redargutio eſt ſyllogiſmus contradictionis ad hypotheſim: *ſi verò nihil affirmetur, impoſſibile eſt fieri elenchum*; ſi autem nulla propoſitio affirmatiua admittatur à reſpondente non poteſt fieri redargutio: *non enim erat ſyllogiſmus, cum omnes termini erant priuatiui*: quoniam ex omnibus propoſitionibus negatiuis nec vllus fieri poterat ſyllogiſmus: *quare nec elenchus*; & propterea nec redargutio fieri poteſt, *nam ſi elenchus neceſſe eſt ſyllogiſmum eſſe*, quoniam ſi eſt redargutio, eſt de neceſſitate etiam ſyllogiſmus, *cum autem eſt ſyllogiſmus, non neceſſe eſt elenchum eſſe*: at non è contrario ſi eſt ſyllogiſmus, de neceſſitate etiam eſt redargutio. *Similiter autem ſi nihil poſitum ſit ſecundum reſponſionem vniuerſaliter*. Pariter non poterit fieri redargutio ſi a reſpondente non admittatur propoſitio vniuerſalis; *nam eadem erit definitio ſyllogiſmi, & elenchi*: eodem namque modo conficitur ſyllogiſmus, & redargutio, & ſecundum eandem diſpoſitionem terminorum, ſyllogiſmus verò ex vtriſque particularibus non copulatur vt in præhabitis.

Et hæc ſufficiant ſuper hoc capite.

Super Capite XX. de falſa ratiocinatione, cathaſyllogiſmo, hoc eſt, corratiocinatione, & elencho pro Iuris ſtudioſis.

Dvo habemus breuiter conſideranda ad vſum Iuriſperitorum in hoc capite. Primum, quod falſa concluſio ſequitur ſemper propter aliquod falſum poſitum in præmiſſis. Secundum, quod redargutio eſt ſyllogiſmus contradictionis ad hypotheſim, & fit per eandem terminorum diſpoſitionem, per quam fit ſyllogiſmus.

Pro exemplo primi capitis habemus terminos in principio tit. Inſt. de furtis.

BAR Omne furtum eſt contrectatio rei alienæ inuito Domino.
BA Omnis emptio eſt furtum, ergo
RA Omnis emptio eſt contrectatio rei alienæ inuito Domino.

Hæc falſa concluſio, ideo ſequitur in hac ratiocinatione, quoniam in vna præmiſſarum falſum reperitur, nempe in minori, quòd emptio furtum ſit.

Pro exemplo ſecundi capitis accipiantur termini in tit. ff. de adimend. leg.

Si itaque opponens velit deſtruere hanc hypotheſim, quomodo aliquod teſtamentum non eſt reuocabile, opòrtet vt a reſpondente ei concedatur propoſitio aliqua vniuerſalis & affirmatiua, cum ex vtriſque negatiuis, aut particularibus redargutio minime fieri valeat, cum nec ſyllogiſmus ſequatur ex ipſis.

Si igitur concedatur ei, quòd omnis voluntas vltima eſt reuocabilis, concludet concluſionem contradictoriam hypotheſis, & fiet redargutio hunc in modum, videlicet

BAR Omnis vltima voluntas eſt reuocabilis.
BA Omne teſtamentum eſt vltima voluntas, ergo
RA Omne teſtamentum eſt reuocabile.

Hæc enim concluſio eſt contradictio hypotheſis, quæ erat, quòd aliquod teſtamentum non eſt reuocabile.

Et hæc ſatis pro Iuris ſtudioſis in præſenti Capite.

De fallacia ſecundum opinionem. Cap. XXI.

Accidit autem quandoque (quemadmodum in poſitione terminorum fallebamur) & ſecundum opinionem fieri fallaciam, vt ſi contingat idem pluribus principaliter ineſſe, & hoc quidem latere aliquem, & putare nulli ineſſe; illud autem ſcire, ut inſit A, B, & C per ſe, & hæc omni D ſimiliter. Si igitur B quidem putet omni A ineſſe, & hoc D, C autem nulli A, & hoc omni D, eiuſdem ſecundum idem habebit diſciplinam, & ignorantiam. Rurſum,

Si quis fallatur circa ea quæ ſunt ex eadem coniugatione, vt ſi A ineſt B, hoc autem C, & C, D: opinetur autem A ineſſe omni B; & rurſum nulli C, ſimul enim ſciet, & non opinabitur ineſſe; ergo nihil aliud exiſtimat ex ijs, quam ſcit, hoc non opinari, ſcit enim aliquo modo, quoniam A ineſt C per B, velut in vniuerſali hoc quod eſt particulare; quare quod aliquo modo ſcit, hoc omnino exiſtimat non opinari, quod eſt impoſſibile.

Vbi in ſuperioribus oſtendit Ariſtoteles nos decipi in ſyllogiſmis propter inordinatam diſpoſitionem terminorum, modo in præſenti determinat nos inſuper quandoque decipi propter fallaciam noſtræ exiſtimationis, quod accidit, quando idem ineſt duobus terminis, & hi duo termini deinde de aliquo prædicantur, vel ambo termini ita ſe habeant vt vnus non ſit ſub alio, nec ſub eadem coniugatione, vel ſic ſe habeant, vt vnus ſit ſub alio, & ſub eadem cõiugatione. Ponit Ariſtoteles exemplum vtriuſque modi, primi modi ſicuti ſi ſint hi duo termini B, C, & vtriuſque inſit A, ita vt vera ſit hæc propoſitio, omne B eſt A, & conſimiliter vera ſit hæc altera propoſitio omne C eſt A, & hi termini B, C ambo inſit alteri termino, puta D; vnde vera ſit hæc propoſitio, omne D eſt B, & pariter vera ſit hæc altera propoſitio, omne D eſt C, tunc ſi quiſpiam ſciuerit, quòd omne B eſt A, & quòd omne D eſt B, ſciet etiam quòd omne D eſt A, & ſi exiſtimabit, quòd nullum C eſt A, & quòd omne D eſt C, etiam opinabitur, quòd nullum D eſt A, & ita habebit ſcientiam & igorantiam eiuſdem ſecundum idem. Ponit inſuper Ariſtoteles exemplum ſecundi modi in terminis A, B, C, D, in quibus A inſit B, B inſit C, & C inſit D, ita vt veræ ſint hæ propoſitiones, omne D eſt A, omne C eſt B, omne D eſt C. Si namque quiſpiam ſciuerit, quòd omne B eſt A, & quòd omne C eſt B, ſciet quoque quod omne C eſt A, & ſi exiſtimabit, quod omne B eſt A, & quòd nullum C eſt A, etiam opinabitur quod nullum C eſt B, quod erit abſurdum, & inconueniens, vtriuſque modi ponit exemplum Albertus in terminis, primi modi ponit exemplum in terminis ſubſtantialibus, & accidentalibus, in terminis ſubſtantialibus, ſcilicet corpore, animali, ſenſibili, homine: ſiquidem corpus ineſt animali, & ineſt ſenſibili, quoniam omne animal eſt corpus, & omne ſenſibile eſt corpus, & ambo hi termini dicuntur ineſſe homini & animal & ſenſibile, quoniam omnis homo eſt animal, & omnis homo eſt ſenſibilis. Si igi-

A tur quiſpiam ſciuerit, quòd omne animal eſt corpus, & quòd omnis homo eſt animal, etiam ſciet, quòd omnis homo eſt corpus, & ſi opinabitur, quòd nullum ſenſibile eſt corpus, & quòd omnis homo eſt ſenſibilis, opinabitur quoque quòd nullus homo eſt corpus, & ita habebit ſcientiam illius, quod non opinabitur eſſe. In accidentalibus, colorato, animali, albo, cygno, in quibus coloratum ineſt & animali, & albo, cum omne animal ſit coloratum, & omne album ſit coloratum, & vtrumque ineſt cygno, &

C animal, & album; nam omnis cygnus animal, & omnis cygnus albus. Si itaque quiſpiam ſciuerit, quòd omne animal eſt coloratum, & quod omnis cygnus animal, ſciet etiam quòd omnis cygnus coloratus, & ſi opinabitur, quòd nullum album coloratum, & quòd omnis cygnus albus, etiam opinabitur quod nullus cygnus coloratus, & ſic exiſtimabit contrarium eius quod ſciet, quod eſt impoſſibile. Exemplum etiam ponit Albertus ſecundi modi in terminis, ſcilicet ſubſtantia, corpore, corpore animato, &

C animali, in quibus terminis ſubſtantia ineſt corpori, corpus ineſt animato corpori, corpus animatum ineſt animali, & animal ineſt homini: verum eſt enim, quòd omne corpus eſt ſubſtantia, & quòd omne corpus animatum eſt corpus, & quòd omne animal eſt corpus animatum, & quòd omnis homo eſt animal. Si igitur quiſpiam ſciuerit, quòd omne corpus eſt ſubſtantia, & quòd omne corpus animatum eſt corpus, ſciet etiam, quòd omne corpus animatum eſt ſubſtantia, & ſi opinabitur, quòd omne corpus eſt ſub-

D ſtantia, & quòd nullum corpus animatum eſt ſubſtantia, opinabitur etiam, quòd nullum corpus animatum eſt corpus, & ſic habebit ſcientiam & ignorantiam eiuſdem ſecundum idem. Modo ſunt conſideranda verba textus, quæ ſunt *Accidit autem quandoque (quemadmodum in poſitione terminorum fallebamur) & ſecundum opinionem fieri fallaciam.* Sicuti contingebat nos decipi in ſyllogiſmo propter inordinatam diſpoſitionem terminorum; ſic quoque accidit nos decipi propter noſtram exiſtimationem, quando

E non opinatur res eo modo, quo realiter ſe habent, *vt ſi contingat idem pluribus principaliter ineſſe*, veluti ſi idem prædicatum pluribus terminis contingat ineſſe principaliter, *& hoc quidem latere aliquem, & putare nulli ineſſe, illud autem ſcire*, & contingit hoc quidem aliquem ignorare, & cum inſit ab alio negari, & de alio prædicari, *ut inſit A, B, & C per ſe*, veluti gratia exempli, ſi ſint hi termini A, B, C, & idem terminus A inſit alijs duobus per ſe ſcilicet & B & C, ita vt vera ſit propoſitio, omne B eſt A, & vera altera

F propoſitio, omne C eſt A, *& hac omni D ſimiliter*, & vtrumque & B, & C inſit D, vnde vera ſit propoſitio, omne D eſt B, & vera altera propoſitio, omne D eſt C. *Si igitur B quidem putet omni A ineſſe*. Si itaque quiſpiam ſciet omne B eſſe A, *& hoc D*, & quòd omne D eſt B, *C autem nulli A*, & opinabitur quod nullum C eſt

A, *& hoc omni ei*, & quòd omne D eſt C, *eiuſdem ſecundum idem habebit diſciplinam, & ignorantiam*, habebit ſcientiam eius, quod pariter ignorare opinabitur. *Rurſus ſi quis fallatur circa ea, quæ ſunt ex eadem coniugatione*. Et iterum fit deceptio in ijs terminis, qui ſub eodem ordine, & vnus ſub alio ſunt, *ut ſi A ineſt B*, veluti ſi terminus A alteri termino B inſit, & vera ſit propoſitio, omne B eſt A, *hoc autem C*, & terminus B ineſt C alteri termino, & vera ſit propoſitio, omne C eſt B, *& C, D*; & terminus C alteri termino D inſit, vnde etiam vera ſit altera propoſitio, omne D eſt C; *opinetur autem A ineſſe omni B, & rurſum nulli C*; & quiſpiam exiſtimet, quòd omne B ſit A, & quod nullum C ſit A, *ſimul enim ſciet, & non opinabitur ineſſe*, habebit enim ſimul ſcientiam de aliquo quod ſit, & opinionem eiuſdem quod non ſit: *ergo nihil aliud exiſtimat ex ijs, quam ſcit, hoc non opinari*: & ideo ea, quæ quodammodo ſcit, cenſet non ſuſpicari. *Scit enim aliquo modo, quoniam A ineſt C per B*. Scit namque quoquomodo omne C eſſe A per B medium, *veluti in vniuerſali hoc quod eſt particulare*, quia hoc ſcit in vniuerſali: *quare quod aliquo modo ſcit*: & ideo quod ſcit quodammodo ſcilicet in vniueſali, *hoc omnino exiſtimat non opinari, quod eſt impoſſibile*, idem non opinari cenſet, quod eſt abſurdum.

In eo autem quod prius dictum eſt, ſi non ex eadem coniugatione ſit medium, ſecundum vtrumque quidem mediorum ambas propoſitiones non poſſibile eſt opinari, vt A, B quidem omni, C autem nulli, hœc autem utraque omni D; accidit autem aut ſimpliciter, aut in aliquo contrariam ſumere primam propoſitionem. Si enim cui B ineſt omni, A opinatur ineſſe, B autem D nouit, & quoniam A, D nouit: quare ſi rurſum cui C nulli putat A ineſſe, cui B alicui ineſt, huic non putat A ineſſe; quod autem omni putat cui B, rurſum alicui non putare cui B, aut ſimpliciter, aut in aliquo contrarium eſt; ſic ergo non contingit opinari.

Manifeſtat Ariſtoteles quæ contingit opinari ſine inconuenienti, & quæ non contingit, & ponit in præſenti quòd non contingit abſque abſurdo opinari omnes quatuor propoſitiones, quæ ſunt ex diuerſa coniugatione, vt puta omne B eſt A, omne D eſt B, nullum C eſt A, omne D eſt C. Siquidem cum omne B ſit A, & omne D ſit B, ſequitur quòd omne D ſit A, & ſi nullum C eſt A, & omne D eſt C, ſequitur quòd nullum D eſt A, quæ eſt contraria concluſionis prioris ſyllogiſmi, & ex hac propoſitione concluſa in ſecundo ſyllogiſmo nullum D eſt A, & minori propoſitione prioris ſyllogiſmi omne D eſt B, ſequitur in ſecundo modo tertiæ figuræ concluſio hæc, aliquod B non eſt A, quæ concluſio eſt contradictoria maioris eiuſdem primi ſyllogiſmi, quæ erat, omne B eſt A, quod eſt impoſſibile, ideo dicit: *In eo autem quod prius dictum eſt ſi non ex eadem coniugatione ſit medium*. In primo dictorum modorum, quando termini non ſunt ſub eadem cognatione, *ſecundum vtrumque quidem mediorum ambas propoſitiones non poſſibile eſt opinari*, non contingit ſine inconuenienti ſuſpicari veras eſſe propoſitiones ambas, & maiorem & minorem, ſcilicet ſecundum vtrumque medium, vtriuſque videlicet ſyllogiſmi, & primi & ſecundi, *vt A, B quidem omni, C autem nulli, hæc autem vtraque omni D*, veluti quando ſunt quatuor propoſitiones tales, omne B eſt A, omne D eſt B, nullum C eſt A, omne D eſt C: *accidit autem aut ſimpliciter, aut in aliquo contrariam ſumere propoſitionem primam*: quoniam vel concluditur contrarium ſimpliciter ſi ad vniuerſale reſpiciatur, vel contrarium ſecundum quid ſi ad particulare: *ſi enim cui B ineſt omni, A opinatur ineſſe*: quoniam ſi quis ſuſpicatur, quod omni ei, cui ineſt B, ineſt etiam A, *B autem D nouit*, & nouit quòd D ineſt omni B, *& quoniam A, D nouit*, ſequitur quod nouerit etiam, quòd A ineſt omni D, quia ſi omne B eſt A, & omne D eſt B, ſequitur de neceſſitate, quòd omne D eſt A in primo modo primæ figuræ: *quare ſi rurſum cui C nulli putat A ineſſe*: præterea ſi ponatur opinari, quòd nulli eorum, quæ ſunt C, ineſt A, *cui B alicui ineſt, huic non putat A ineſſe*, ſequitur quod alicui cui ineſt B, huic non putat A ineſſe, *quod autem omni putat cui B, rurſum alicui non putare cui B*: at putare omni, cui B ineſt, ineſſe A, & rurſum putare, quòd A non inſit alicui B, ſicuti ſequitur ſi in ſecundo ſyllogiſmo ſuſpicetur, quòd nullum C eſt A, & omne D eſt C; ex quibus ſequitur nullum D eſt A, namque ex hac propoſitione concluſa nullum D eſt A, & minori primi ſyllogiſmi omne D eſt B, ſequitur in ſecundo modo tertiæ figuræ, quòd aliquod B non eſt A, tunc *aut ſimpliciter, aut in aliquo contrarium eſt*, hoc erit opinari aliquod aut contrarium concluſioni, aut contradictorium maiori primi ſyllogiſmi. *Sic ergo non contingit opinari*. Patet igitur quod vtramque propoſitionem non eſt ſuſpicari veram ſine inconuenienti.

Secundum vtrumque autem vnã, aut ſecundum alterum vtraſque, nihil prohibet A omni B, & B, D, & rurſum A nulli C: nam ſimilis huiuſ-

modi fallacia, veluti fallimur circa particularia, vt ſi A omni B ineſt, B autem omni C, A omni C inerit. Si ergo aliquis nouit quoniam A cui B ineſt omni, nouit & quoniam ei, quod eſt C, ſed nihil prohibet ignorare C quoniam eſt, vt ſi A quidam duo recti, in quo autem B triangulus, in quo verò C ſenſibilis triangulus, opinabitur enim aliquis non eſſe C, ſciens quoniam omnis triangulus habet duos rectos; quare ſimul ſciet, & ignorabit idem; nam ſcire omnem triangulum, quoniam duobus rectis non ſimplex eſt, ſed hoc quidem vniuerſalem habet diſciplinam; illud verò ſingularem. Si ergo in vniuerſali nouit C, quoniam duobus rectis, in ſingulari autem non nouit, quare non habebit contrarias.

Vbi docuerit quæ non opinari contingit ſine inconuenienti, nunc docet quæ abſque inconuenienti contingat opinari, & ponit quod accidit ſuſpicari duas propoſitiones, maiorem & minorem ſecundum idem medium, ſcilicet vnius ſyllogiſmi, & tamen ignorare concluſionem ſine inconuenienti, ſicuti ſi quiſpiam nouerit, quod omne B ſit A, & omne D ſit B, & pariter accidit opinari ſine inconuenienti maiorem propoſitionem diuerſorum mediorum, & primi ſcilicet, & ſecundi ſyllogiſmi, ſicuti omne B eſt A, quæ eſt maior primi ſyllogiſmi, & nullum C eſt A, quæ eſt maior ſecundi ſyllogiſmi, quoniam talis deceptio ſic ſe habet, veluti quando fallimur circa particulares propoſitiones, quas ſcimus in vniuerſali, vt ſi ſciamus, quòd omne B eſt A, & quòd omne C eſt B, in vniuerſali habemus, quod omne C eſt A: in particulari autem idem poſſumus ignorare, quod magis patefacit exemplo in Mathematicis, ſumptis loco A maioris extremi duobus rectis, loco B medij triangulo, & loco C minoris extremi ſenſibili triangulo, ligneo puta, vel ſimili: in his namque terminis aliquis ſuſpicabitur non eſſe ſenſibilem triangulum duorum rectorum, cum tamen ſciat omnem triangulum habere duos rectos, & ſic eiuſdem habebit ſcientiam, & ignorantiam, ſcientiam in vniuerſali, & ignorantiam in particulari; hoc autem non eſt inconueniens, quia ſcientia in vniuerſali non opponitur ignorantiæ in particulari, & habet Ariſtoteles, quando

A dicit: *Secundum vtramque autem vnam.* Secundum verò vtrumque medium ſcilicet & primi, & ſecundi ſyllogiſmi vnam ſcire propoſitionem, maiorem nempe & primi & ſecundi, *aut ſecundum alterum vtraſque*, aut ſecundum vnum medium vnius ſcilicet ſyllogiſmi ambas propoſitiones ſuſpicari veras, maiorem ſcilicet & minorem, *nihil prohibet*, contingere poteſt ſine inconuenienti, *A omni B, & B, D, & rurſum A nulli C*: poſſumus enim ſcire A eſſe in omni B, & B in omni D in vno ſyllogiſmo; & inſuper opi-
B nari ſine inconuenienti in vno ſyllogiſmo A eſſe in omni B, & in alio ſyllogiſmo idem A ineſſe nulli C; *nam ſimilis huiuſmodi fallacia, veluti fallimur circa particularia*: hæc enim deceptio eſt conſimilis, ſicuti quando fallimur circa particulares propoſitiones, quas ſcimus, in vniuerſali, *vt ſi A omni B ineſt, B autem omni C, A omni C inerit*, veluti gratia exempli, ſi omne B eſt A, & omne C eſt B, etiam omne C eſt A. *Si ergo aliquis nouit, quoniam A cui B ineſt omni*: Si igitur quiſpiam nouerit, quòd A ineſt omni ei cui
C ineſt B, *nouit & quoniam ei, quod eſt C*, nouit etiam in vniuerſali, quòd A ineſt omni C, quoniam omne C eſt B, *ſed nihil prohibet ignorare, C quoniam eſt*, cum contingat quempiam in particulari ignorare, quòd C ſingulare ſenſibile ſit A, quod patefacit in terminis, *vt ſi A quidem duo recti*, veluti ſi loco A maioris extremi ſumantur duo recti, *in quo autem B triangulus*, & loco B medij ſumatur triangulus, *in quo verò C, ſenſibilis triangulus*, & loco C minoris extremi ſumatur triangulus ſenſibilis, vt puta ligneus; *opinabitur enim aliquis non eſſe C,*
D *ſciens quoniam omnis triangulus habet duos rectos*, in his terminis cum ſciat quiſpiam in vniuerſali omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, ignorabit C triangulum ſenſibilem eſſe duorum rectorum; *quare ſimul ſciet & ignorabit idem*; & ſic eiuſdem habebit ſcientiam, & ignorantiam; *nam ſcire omnem triangulum quoniam duobus rectis*; quia ſcire quòd omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, *non ſimplex eſt*, non dicitur vno modo, *ſed hoc quidem vniuerſalem habet diſciplinam*, ſed vno modo
E in vniuerſali; *illud verò ſingularem*; alio autem modo in particulari. *Si ergo in vniuerſale nouit C quoniã duobus rectis.* Si igitur ſciuerit in vniuerſali triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis; *in ſingulari autem non nouit*, & in particulari ignorauit ſenſibilem triangulum eſſe talem, quia forſaſſe neſciebat eum eſſe triangulum: *quare non habebit contrarias*: proptereà non dicitur contraria opinari.

F Similiter autem eſt, quæ in Menone eſt oratio quoniam diſciplina eſt reminiſcientia; nunquam enim accidit præſcire quod ſingulare eſt, ſed ſimul inductione ſumere particularium diſciplinam, velut recogno-

ſcen-

ſcentes; nam quædam ſcientes ſtatim ſcimus, vt quoniam duobus rectis, ſi ſcimus quoniam triangulus, ſimiliter autem & in alijs: ergo in vniuerſali quidem ſpeculamur particularia, propria autem non ſcimus; quare contingit & falli circa ea, verum non contrarie, ſed habere quidem vniuerſalem, decipi autem particulari, ſimiliter autem in prædictis; non enim contraria quæ eſt ſecundum medium ei, quæ eſt ſecundum ſyllogiſmum diſciplinæ, nec quæ eſt ſecundum vtrumque mediorum opinatio, nihil enim prohibet ſcientem, & quoniam A toti B ineſt, & rurſum hoc toti C, putare non ineſſe C, vt quoniam omnis mula ſterilis, & hæc mula, putare hanc habere in vtero; non enim ſcit, quoniam A, C, qui non conſpicit, quod eſt ſecundum vtrumque: quare manifeſtum quoniam & ſi hoc quidem nouit, illud verò non nouit, falletur quòd habent vniuerſales ad particulares diſciplinas, nullum enim ſenſibilium cum extra ſenſum ſit, ſcimus, nec ſi ſentientes fuerimus, ſcimus, niſi vt in vniuerſali, & in eo quod habet propriam diſciplinam, ſed non in eo quod eſt in actu.

Ariſtoteles ſupradicta magis manifeſtat ſumpta oratione poſita à Platone in Menone, quo loci Plato ponit Menonem diſputantem cum Socrate de ſcientia, & concludentem eam eſſe reminiſcentiam hac argumentatione, aut ſcimus, quod quærimus, aut ignoramus; ſi ignoramus, nunquam inueniemus; ſi ſcimus, ergo nil de nouo acquirimus, ſed reminiſcimur, quod declarabat exemplo de ſeruo fugitiuo, ibi, Menon decipiebat Socratem, quoniam quod quærimus, ſcimus, & ignoramus; ſcimus in vniuerſali, & ignoramus in particulari; nunquam enim ſecundum intellectum ſingularia præſcimus, ſed beneficio ſenſus, nam ſtatim ac habemus de aliquo per ſenſum quòd eſt triangulus, habemus etiam, quòd hbet tres æqua-

A les duobus rectis, quoniam in vniuerſali quodammodo ſpeculamur particularia, ſed ſingularia non cognoſcimus, niſi per inductionem in ſenſum, ſimiliter contingit in ſuprapoſitis, quòd opinio quam habemus in particulari, non contrariatur ſcientiæ, quam habemus in vniuerſali, nihil namque prohibet ſcientem per vnum medium in vno ſyllogiſmo omne B eſſe A, & omne C eſſe B, nulla facta inuicem comparatione eundem ſuſpicari nullum C eſſe A, veluti in terminis ſcientem omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam minime adaptando B hoc ſingulare ei vniuerſali, ſuſpicari videntem mulam habentem ventrem intumeſcentem in vtero habere, & non ſterilem eſſe, nec eſt inconueniens opinari maiorem propoſitionem ſecundum vtrumque medium & primi ſcilicet & ſecundi ſyllogiſmi, ſi nihil eis addatur de minori propoſitione poſt hæc planum eſſe dicit, quod ſi quis ſciuerit maiorem & minorem propoſitionem, & inuicem eas non comparauerit, in particulari decipietur, quia nullum C ſenſibilium extra noſtrum ſenſum ſcimus per ſe ipſum in ſingulari, neque ſi ſentientes ipſum fuerimus, niſi quando cum ipſo vniuerſali ſcientia eſt, & in eo quod eidem vniuerſali illud comparauerimus. ideo inquit: *Similiter autem eſt, quæ in Menone eſt oratio.* Conſimiliter ſe habet oratio, quam habet Menô cum Socrate apud Platonē, *quoniam diſciplina eſt reminiſcentia,* quæ probat noſtrum ſcire, eſſe reminiſci: *nunquam enim accidit præſcire quod ſingulare eſt:* quoniam nunquam contingit ſecundum intellectum ſingulare prænoD ſcere, *ſed ſimul inductione ſumere particularium diſciplinam, velut recognoſcentes,* ſed accidit inſimul accipere ſingularium ſcientiam cum inductione eorum in ſenſum quaſi beneficio ſenſus ea cognoſcendo: *nam quædam ſcientes ſtatim, ſcimus, vt quoniam duobus rectis, ſi ſcimus quoniā triangulus,* quoniam cognoſcentes aliquem eſſe triangulum, ſtatim ſcimus ipſum habere tres angulos ęquales duobus rectis, *ſimiliter autem et in alijs,* & ſic ſe habet in reliquis: *ergo vniuerſali quidem ſpeculamur particularia:* & propterea in vniuerſa-E li aliquo modo ſingularia contemplamur, quæ deinde beneficio ſenſus conſpicimus; *quare contingit & falli circa ea;* & ideo deceptio poteſt fieri in eis, *verum non contrarie,* ſed non oppoſito modo, *ſed habere quidem vniuerſalem, decipi autem particulari,* ſed ſcire in vniuerſali, & ignorare in particulari, *ſimiliter autem in prædictis,* conſimiliter ſe habet in ſuprapoſitis, *non enim contraria, quæ eſt ſecundum medium, ei quæ eſt ſecundum ſyllogiſmū diſciplina,* quoniam opinio, & ignorantia, quæ habetur in particulari, non eſt contraria F ſcientię, quę habetur in vniuerſali, *nec quæ eſt ſecūdum vtrūque mediorum opinatio,* & idem ſe habet de opinione, quæ eſt ſecundū vtrumque mediū, nempe maioris propoſitionis vtriuſque ſyllogiſmi & primi & ſecundi; *nihil enim prohibet ſcientem, & quoniam A toti B ineſt, & rurſum hoc toti C,* quoniam nihil prohibet ſcientem omne B eſſe

A, & omne C eſſe B, *putare non ineſſe C*, ſuſpicari nullum C eſſe A, *vt quoniam omnis mula ſterilis, & hæc mula*, vt gratia exempli, ſcire, quòd omnis mula ſit ſterilis, & quòd hæc ſit mula, *putare hanc habere in vtero*, & nihilominus ſuſpicari, cum ſit ventris intumeſcentis eam in vtero habere, & nō eſſe ſterilem; *non enim ſcit quoniam A, C, qui non conſpicit quod eſt ſecundum vtrumque*, quoniam non cognoſcit omne C eſſe A, quæ eſt concluſio, qui non adaptat particulare vniuerſali: *quare manifeſtum quoniam & ſi hoc quidem nouit*: & propterea planum eſt, quòd ſi quis ſciuerit maiorem & minorem propoſitionem, *illud verò non nouit*, & eas inuicem non comparauerit, *falletur*, decipietur, *quod habent vniuerſales ad particulares diſciplinas*, & hoc quidem habent vniuerſales ſcientiæ ad particulares comparatæ; *nullum enim ſenſibilium, cum extra ſenſum ſit, ſcimus*, quoniam nullum ſenſibiliū exiſtens extra ſenſum ſcimus in particulari & ſecundum ipſum, *nec ſi ſcientes fuerimus, ſcimus*, neque etiam habentes ipſum in particulari cognoſcimus, *niſi vt in vniuerſali*, niſi per reſpectum, & comparationem ad vniuerſale, *et in eo quod habet propriam diſciplinam, non in eo quod eſt in actu*, & quatenus adaptatur vniuerſali, non vt ſingulare, & ſecundum ſe ipſum.

Nā ſcire tripliciter dicitur, aut vt vniuerſali, aut vt propria, aut vt in actu, quare & decipi totidem modis, nihil ergo prohibet, & ſcire, & deceptum eſſe circa idem, verumtamen non contrarie, quod accidit & ei, quí ſecundum vtramque ſcit propoſitionum, & non pertractauit prius; nam opinans in vtero habere mulam, nō habet ſecundum actum diſciplinam, neque propter opinionem fallaciam contrariam diſciplinæ: ſyllogiſmus enim eſt fallacia contraria in vniuerſali.

Ponit Ariſtoteles tria ipſius ſcire ſignificata, vt magis manifeſtat, quòd ſcire aliquid vno modo ſciendi non opponitur ad ignorare idem alio modo, & docet, quòd ſcire dicitur tripliciter, ſcilicet in vniuerſali, in particulari, & in agere. Scire in vniuerſali eſt ſcire in potentia, quoniam quamuis ſingulare in vniuerſali ſciatur, non tamen cognoſcitur niſi prout ſub vniuerſali continetur, & effici poteſt particulare. Scire in particulari eſt ſcire ſingulare ſecundum propriam naturam, determinatum ſub communi & vniuerſali: nam cui ſubijcitur ſcire in agere, eſt ſcire aliquod particulare, facta ipſius adaptatione, & comparatione ad ſuum vniuerſale, & cum ſcire dicatur tribus modis, totidem inſuper dicitur deceptio, ea propter non eſt inconueniens ſcire, & decipi

A circa idem, non quidem contrarie, ſed alio, & alio modo, videlicet ſcire aliquid in vniuerſali, & ſecundum propriam naturam, ſecundum vtrā que propoſitionem, maiorem & minorem, & illud idem ignorare prout eſt in agere ſecundum concluſionē, ſicuti ſcire in vniuerſali, & ſecundū propriam naturam, omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam, & decipi in agere ſecundum concluſionem, opinando mulam ventrem habētem intumeſcentem non eſſe ſterilem: talis namque fallacia non eſt contraria ſcientiæ in vniuer-
B ſali, ſed ipſi contraria eſt deceptio, quæ eſt in vniuerſali, & ſecundum ſyllogiſmum, ideo inquit: *Nam ſcire tripliciter dicitur*. Quoniam ſcire dicitur tribus modis, *aut vt vniuerſali*: primo modo dicitur ſcire in vniuerſali, & in potentia, *aut vt propria*: ſecundo modo ſecundum propriam naturam, & prout eſt particulare determinatum, & ſub communi natura, & vniuerſali contentum, *aut vt in actu*: tertio modo in actu, & comparatum ad ſuum vniuerſale: *quare & decipi totidem modis*, & ideo etiam deceptio contingit tribus
C modis oppoſitis: *nihil ergo prohibet & ſcire, & deceptum eſſe circa idem*: & propterea contingit idem & ſcire, & ignorare, *verumtamen non contrarie*, ſed non oppoſito modo, *quod accidit & ei, qui ſecundum vtramque ſcit propoſitionum, & non pertractauit prius*; & hoc euenit ſcientem & vniuerſale, & particulare, ſed nō inuicem comparata, minime particulare vniuerſali adaptatum; *nam opinans in vtero habere mulam*; quoniam qui ſuſpicatur mulam habentem ventrem intumeſcentem in vtero habere, nec eſſe ſterilem: *non habet ſecundum*
D *actum diſciplinam*, non ſcit eam eſſe ſterilem ſcientia, quæ eſt in agere, & prout comparata eſt ad vniuerſale, ſed habet tātum ſcire ſecundum propriam naturam, *neque propter opinionem fallaciam contrariam diſciplinæ*, & huiuſmodi deceptio in tali exiſtimatione non eſt contraria ſcientiæ, quæ eſt in agere ſecūdum vtramque propoſitionem, & concluſionem ad præmiſſas comparatam; *ſyllogiſmus enim eſt contraria fallacia in vniuerſali*: ſed ſcientia in agere, quæ eſt concluſionis ad præmiſſas relatæ eſt contraria fallaciæ circa concluſio-
E nem ad eaſdem præmiſſas comparatam.

Qui autem opinatur quod bonū eſſe, eſt malum eſſe, idem opinabitur bonum eſſe, & malum: ſit enim bonum eſſe in quo A, malum autem eſſe in quo B; rurſum bonum eſſe in quo C. Quoniam igitur idem opinatur & B, & C, & eſſe C, B opina-
F bitur, & rurſum B eſſe A ſimiliter, quare & C, A: nam quemadmodum ſi erat verum de quo C, B, & de quo B, A, & de quo C, A verum erat, ſic & in opinatione. Similiter autem & in

eo quod eſt eſſe; nam cum idem ſit C, & B, & rurſum B & A, & A, C idem erit; quare & opinatione ſimiliter; ergo hoc quidem neceſſarium ſi quis det primum, ſed fortaſſe illud falſum opinari aliquem, quod malum eſſe eſt bonum eſſe, niſi ſecundum accidens; multipliciter enim poſſibile eſt hoc opinari, perſpiciendum autem hoc melius.

Vbi determinauerit, quòd ſcire aliquid in vniuerſali, & ignorare aliquid in particulari contingit, & non vt contrarie abſque inconuenienti, ponit obiectionem quãdam, quæ fieri poſſet; eamq; de medio tollit, quòd ſi quis opinabitur id quod bonum eſt eſſe malum, is ſuſpicabitur idem eſſe bonum, & malum, & ita opinari continget contraria circa idem veluti patet ſumptis elementis A, B, C, & loco A maioris extremi ſumpto bono, loco B medij ſumpto malo, & loco C minoris extremi rurſus poſito bono, quoniam cum aliquis exiſtimabit idem eſſe & B, & C, opinabitur etiam omne B eſſe C, omne bonum eſſe malum, & vlterius omne B eſſe A, ſcilicet omne malum eſſe bonum, & inde omne C eſſe A, omne bonum eſſe bonum, vti in prima figura in elementis omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A, & in terminis, omne malum eſt bonum, omne bonum eſt malũ; ergo omne bonum eſt bonum: id nãque neceſſario ſequitur ſecundum rei eſſentiam in huiuſmodi terminorum diſpoſitione; & ideirco erit idem in opinione, quoniam in eo, quod rès eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa, pariter opinio, & ita videtur opinari poſſe eidem ſubiecto oppoſitas ineſſe paſſiones prædicatorum. Reſpondetur huic obiectioni falſum eſſe fortaſſe aliquem opinari id quod bonũ eſt per ſe, malũ eſſe, ſed potius id quod eſt bonum per accidens, vti eſt venæ inciſio, & huiuſmodi; multiplex nãque eſt boni, mali ve ſignificatum; & ideo diſtinguendum eſt de eis, & aduertendum in quo ſenſu ſumatur bonum malum eſſe, ne fiat deceptio, & inquit: *Qui autem opinatur quod bonum eſſe, eſt malum eſſe*. Qui verò ſuſpicatur id quod eſt bonum, eſſe malum, *idem opinabitur bonum eſſe & malum*, ſuſpicabitur contraria, idem ſcilicet eſſe & bonũ & malũ: *ſit enim bonum eſſe in quo A*, veluti ſi loco A maioris extremi ponatur bonũ, *malum autẽ eſſe in quo B*, & loco B medij malũ ponatur, *rurſum bonum eſſe in quo C*, & inſuper loco C minoris extremi ſumatur iterum bonum. *Quoniam igitur idẽ opinatur & B & C*. Quoniam itaque idem exiſtimatur eſſe malum & bonum, *& eſſe C, B opinabitur*, exiſtimabitur quoque omne bonum eſſe malum in minori propoſitione; *& rurſum B eſſe A ſimiliter*; & inſuper omne malum eſſe bonum in maiori propoſitione: *quare & C A*: & inde omne

A bonum erit bonum: *nam quemadmodum uerum erat de quo C, B, & de quo B, A*; quoniã ſicuti verum, eſt dicere quòd ſi omne B eſt A, & omne C eſt B, *& de quo C, A verum erat*, ſic & verum eſt dicere omne C eſſe A, *ſic & in opinatione*, & idem contingit opinari; *ſimiliter autem & in eo quod eſt eſſe*; & conſimiliter ſe habet in rei eſſentia: *nam cum idem ſit C, & B*; quoniam cum omne C ſit B in minori propoſitione, *& rurſum B, & A*, & omne B ſit A in maiori propoſitione, *& A, C, idem erit*, etiam omne C erit A in concluſione; *quare & opinatione ſimiliter*; quapropter idem erit in opinione: *ergo hoc quidem neceſſarium, ſi quis det primum*: hoc itaque de neceſſitate ſequitur nempe contraria opinari, ſi quis cõcedat poſitum à principio id quod eſt bonum eſſe malum; *ſed fortaſſe illud falſum opinari aliquem quod malum eſſe, eſt bonum eſſe*; verùm forſitan falſum eſt quempiam ſuſpicari, quòd bonum eſt per ſe, illud eſſe malum, *niſi ſecundum accidens*, ſed potius ſuſpicari id eſſe malum; quod eſt per accidens bonum, vti eſt venæ inciſio, & ſimilia; *multipliciter enim poſſibile eſt hoc opinari*; C bonum namque eſt multiplex, pariter malum eſt multiplex, *perſpiciendum autem hoc melius*, & propterea hoc eſt ſubtilius inueſtigandum, & cognoſcendum.

Sed hæc ſatis ſuper hoc Capite.

Super Capite XXI. de fallacia ſecundum opinionem pro Juris ſtudioſis.

D SErmo Ariſtotelis in hoc capite extitit de tertio vitio, quod accidit in ſyllogiſmo, nempe de fallacia, quæ procedit propter opinionem noſtram, & fit in terminis poſitis ſub eadem cognitione, & in terminis poſitis ſub cognatione diuerſa.

Pro exemplo terminorum primi ordinis ſint iuſtitia, ius humanum, ius Romanorum, de tit. Inſt. & ff. de iuſt. & iure, in his terminis ſi contingit quempiam ſcire omne ius humanum eſſe iuſtitiam, omne ius Romanorum eſſe ius humanũ, E & tamen ſuſpicari nullum ius Romanorum eſſe iuſtitiam, hæc opinio erit falſa, & erit deceptio; ſiquidem ex prioribus præmiſſis ſequitur facta inuicem comparatione, quòd omne ius Romanorum ſit iuſtitia.

Pro exemplo terminorum ſecũdi ordinis ſint hi quatuor termini, Contractus, Conuentio, Stipulatio, Verborum obligatio: quorum primus terminus ineſt duobus ſubſequentibus Conuentioni, & Stipulationi: nam omnis conuentio, eſt contractus, & omnis ſtipulatio eſt contractus, & F hi duo termini & conuentio, & ſtipulatio dicuntur ineſſe verborum obligationi; quoniam omnis verborum obligatio eſt contractus, & omnis verborum obligatio eſt ſtipulatio in his terminis deſumptis in tit. ff. de oblig. ſi contingit aliquem opinari, quòd omnis conuentio ſit contractus, & quòd

quòd omnis ſtipulatio ſit conuentio, & tamen opinari, quod nulla verborum obligatio ſit contractus. & quòd omnis ſtipulatio ſit verborum obligatio; ſic namque erit deceptio, quoniam ex prioribus præmiſſis ſequitur, quòd omnis ſtipulatio ſit contractus, & ex vltimis præmiſſis ſequitur, quòd nulla ſtipulatio eſt contractus, & ita cōtingit contraria opinari: ſed quia non video hæc admodum quidem conferre Iuriſperitis, ideo ſatis dicta ſuper hoc capite.

DE ANNEXIS SYLLOGISMO.

De conuerſionibus terminorum. Cap. XXII.

QVando verò conuertuntur extremitates, neceſſe eſt & medium conuerti ad vtramque: ſi enim A de C per B eſt, ſi conuertitur, & ineſt cui A omni C, & B, A conuertitur, & ineſt cui A omni B per medium C, & C, B conuertitur per medium A.

Expeditus Ariſtoteles de perfecta forma ſyllogizandi, aggreditur explicare imperfectam, eamq; ad perfectam reducere: verùm quia non poteſt imperfecta argumentatio reduci ad perfectam, niſi prius cognoſcatur conuerſio inuicē medij, & extremorum, idcirco prius determinat de conuerſionibus in affirmatiuis, & negatiuis ſyllogiſmis in prima figura; & in primis in præſenti de conuerſionibus in ſyllogiſmo affirmatiuo, & dicit, quòd quando extremum cum extremo conuertitur, etiam medium conuertitur ad extremam de neceſſitate, quoniam ſi A maior extremitas ineſt C minori extremitati per B medium in concluſione, vt omne B eſt A, omne C eſt B; ergo omne C eſt A, ex conuerſa concluſionis, in qua extrema conuertuntur, omne C eſt A & minori propoſitione fit conuerſio medij ad maius extremum, videlicet omne C eſt B, omne A eſt C; ergo omne A eſt B, & ex eadem conuerſa concluſionis. & maiori propoſitione fit conuerſio medij ad minus extremum, vt puta omne A eſt C, omne B eſt A; ergo omne B eſt C; & inde videtur, quòd ſi extremum cum extremo conuertatur, etiam medium conuertitur cum extremis; nam quod eſt medium in primo ſyllogiſmo, ſit in ſecundo maius extremum, & in tertio minus A extremum: quapropter B medium & ad maius extremum, & ad minus extremum dicitur conuerti, & tali pacto oſtendit Ariſtoteles in affirmatiuo ſyllogiſmo in prima figura, quod ſi extremū cum extremo conuertatur, etiam medium cum extremis conuertetur, & inquit: *Quando verò conuertuntur extremitates.* Si extremum conuertitur cum extremo, *neceſſe eſt & medium conuerti ad vtramque*, neceſſe eſt inſuper medium terminum ad extrema conuerti: *ſi enim A de C per B eſt*: ſi enim oſtenſum eſt A ineſſe omni C per B mediū, B ſicuti omne B eſt A, omne C eſt B ergo omne C eſt A, *ſi conuertitur, & ineſt cui A omni C*, ſi conuertatur concluſio, omne C eſt A in hanc omne A eſt C; in qua conuerſione extrema conuertuntur, prædicatum in locum ſubiecti, & ſubiectum in locum prædicati, *& B, A conuertitur*, maior propoſitio omne B eſt A conuertetur in concluſione, & erit conuerſio medij ad maius extremum per C, vt omne C eſt B, omne A eſt C, & omne A eſt B, & hoc eſt quod ſequitur, *& ineſt cui A omni B per medium C*, vlterius, *& C, B*, quę eſt minor pro C poſitio conuertetur in concluſione per medium C, & erit conuerſio medij ad minus extremum, quod dicit, *& C, B conuertitur per medium A*, ex conuerſa ſcilicet concluſionis, & minori propoſitione omne A eſt C, omne B eſt A; ergo omne B eſt C.

Et in non eſſe itidem, vt ſi B ineſt C, A uerò non ineſt B, neque A inerit C. Si ergo B conuertatur ad A, & C D ad A conuertetur: ſit enim B nulli A inexiſtens, ergo neque C; omni enim C inerat B, & ſi B conuertitur ad C, & A conuertetur ad C; nam de quocunque omnino B, & C, & ſi C ad A conuertitur, & B conuertetur ad A: cui enim B ineſt & C, cui autem C, A non ineſt, & ſolum hoc à concluſione in- E cipit, alia autem non ſimiliter, vt in prædicatiuo ſyllogiſmo.

Quod patefecit de conuerſionibus in ſyllogiſmo vniuerſali affirmatiuo, nunc manifeſtat in ſyllogiſmo negatiuo, ſed prius demonſtrat, quód ſi medium conuertitur cum extremis, etiam extrema inuicem conuertuntur, deinde quod ſi extrema inuicem conuertuntur, etiam medium cum extremis conuertatur, & ponit ſyllogiſmum vniuerſalem negatiuum in prima figura, in quo B F medium vniuerſaliter ineſt C minori extremo in minori propoſitione, A verò maius extremum vniuerſaliter non ineſt B medio in maiori propoſitione, & A non ineſt C vniuerſaliter in concluſione, vt puta in ſecundo modo primæ figuræ, nullum B eſt A, omne C eſt B; ergo nullum C eſt A. Si itaque medium conuertatur ad A maius extremum,

tremum, ex conuerſa maioris & minoris propoſitione concluditur conuerſa concluſionis, & ita maius extremum in minus extremum conuertetur per ſecundum modum ſecundæ figuræ, videlicet omne C eſt B, nullum A eſt B; ergo nullum A eſt C, & ſi conuertatur B medium ad C minus extremum ex conuerſa minoris, & maiore concluditur ſimiliter conuerſa concluſionis per dictum modum ſecundum ſecundæ figuræ, videlicet omne B eſt C, nullum B eſt A; ergo nullum A eſt C. Poſtea cum docuerit ſi medium cum extremis conuertatur, etiam conuerti inuicem extrema; oſtendit inſuper è contrario ſi extrema conuertantur, medium conuerti cum extremis, quoniam ex conuerſa concluſionis, & conuerſa minoris propoſitionis ſequitur conuerſa maioris propoſitionis in ſecundo modo ſecundæ figuræ, omne B eſt C, nullum A eſt C; ergo nullum A eſt B. Poſtremo in hac parte notat differentiam inter has conuerſiones, quæ eſt, quòd hæc vltima incipit à concluſione, & tendit ad præmiſſas, ſicuti & in affirmatiuo ſyllogiſmo vniuerſali, ſuperior autem incipit à præmiſſis, & terminat in concluſionem, & dicit: *Et in non eſſe itidem*. Et quod dictum eſt de conuerſione in ſyllogiſmo vniuerſali affirmatiuo in prima figura, dicendum quoque eſt in ſyllogiſmo vniuerſali negatiuo euiſdem figuræ, *vt ſi B ineſt C*, veluti ſi ſit ſecundus modus primæ figuræ, in quo minor ſit vniuerſalis affirmatiua; omne C eſt B, *A verò non ineſt B*, & maior vniuerſalis negatiua, nullum B eſt A, *neque A inerit C*, ex quibus ſequitur vniuerſalis negatiua concluſio, nullum C eſt A. *Si ergo B conuertatur ad A*. Si igitur B medium ad A maius extremum conuertatur, *& C ad A conuertetur*, & duo extrema C, A conuertuntur inuicem; *ſit enim B nulli A inexiſtens*; quoniã ex conuerſa maioris, nullum A eſt B; *ergo neque C*, ſequitur conuerſa cõcluſionis, nullũ A eſt C, *omni enim C inerat B*; ſumpta minori propoſitione, quæ erat omne C eſt B, tali pacto ſcilicet, omne C eſt B, nullum A eſt B; ergo nullum A eſt C, vt dictum eſt, *& ſi B conuertitur ad C*, & ſi B medium ad C minus extremum conuertatur, *& A conuertetur ad C*, etiam extrema conuertentur inuicem in concluſione, A ſcilicet & C; *nam de quocunque omnino B, & C*; quia de quocunque omni prædicatur B, de illo omni, & vniuerſaliter prædicatur C, *& ſi C ad A conuertitur*, & ſi extrema conuertantur C, A, *& B conuertetur ad A*, B medium ad A maius extremum cõuertetur: *cui enim B ineſt et C*: cuicumque enim ineſt B illi, etiam ineſt C, *cui autem C, A non ineſt*, cui autem ineſt C, illi non ineſt A; & propterea A quoque ab ipſo B remouetur, *& ſolum hoc à concluſione incipit*, & in his conuerſionibus in ſyllogiſmo negatiua hæc poſtrema tantum procedit à concluſione ad præmiſſas, *alia autem non ſimiliter*, reliquæ verò non ſimili modo, *vt in prædicatiuo ſyllogiſmo*, vt in conuerſionibus poſitis ſuperius in ſyllogiſmo affirmatiuo in prima figura, ſed contrario modo procedunt à præmiſſis ad concluſionem.

A Rurſum ſi A & B cõuertuntur, & C, & D ſimiliter: omni autem neceſſe eſt A aut C ineſſe, & B, & D ſic ſe habebunt, vt omni alterum inſit; quoniam enim cui A, B, & cui C, D, omni autem A, aut C & non ſimul: manifeſtum quoniam & B, aut D omni, & non ſimul, vt ſi ingenitum incorruptibile, & incorruptibile ingenitum, neceſſe eſt quod factum eſt corruptibile, & corruptibile factum eſſe, duo enim ſyllogiſmi conſtituti ſunt.

B Tradit Ariſtoteles in hoc loco ſecundam regulam conſequentiæ in conuerſionibus terminorum, quod ſcilicet ſi ſint duo termini A, B, qui inuicem conuertantur, & adhuc alij duo termini C, D pariter conuertibiles, & omni ei, quod

C eſt de neceſſitate inſit A vel C, nulli autem vel ambo poſſint ineſſe, ſic ſe habebunt B, & D; quod omni ei, quod eſt, alterum eorum inerit de neceſſitate, & nulli ambo. Hanc verò regulam & in elementis prænarratis, & inſuper in terminis ſumptis loco A ingenito, loco B incorruptibili, loco C genito, loco D corruptibili, duobus ſyllogiſmis comprobari dicit Ariſtoteles.

Primus ſyllogiſmus eſt huiuſmodi in elementis.

Omne, quod eſt A vel C, eſt B vel D.
Omne, quod eſt, eſt A vel C, ergo
D Omne, quod eſt, eſt B vel D.

Primus ſyllogiſmus in terminis.

Omne, quod eſt ingenitum, vel genitum, eſt incorruptibile, vel corruptibile.
Omne, quod eſt, eſt ingenitum, vel genitum, ergo
Omne, quod eſt, eſt incorruptibile, vel corruptibile.

Secundus ſyllogiſmus in elementis.

Quicquid eſt A & C, eſt B & D;
Sed nihil idem eſt A, & C, ergo
E Nihil idem eſt B, & D.

Secundus ſyllogiſmus in terminis.

Quicquid eſt ingenitum & genitum eſt incorruptibile, & corruptibile;
Sed nihil idem eſt ingenitum & genitum, ergo
Nihil idem eſt incorruptibile & corruptibile.

Hæc habentur in his verbis: *Rurſum ſi A & B conuertuntur*. Vlterius ſi ſint duo termini A & B conuertibiles ita vt omne A ſit B, & omne B ſit A, *&*
F *C & D ſimiliter*, & conſimiliter duo alij termini C & D, qui conuertantur inuicem & omne C ſit D, & omne D ſit C, *omni autem neceſſe eſt A, aut C ineſſe*, & omni ei quod eſt de neceſſitate inſit A vel C, *& B & D ſic ſe habebunt*; & duo alij termini B & D ita ſe habebunt, *vt omni alterum inſit*, vt omni ei quod eſt, alterum ipſorum de neceſſitate inſit vel B, vel D. *Quoniam enim cui A, B, &*

cui

cui C, D. Nam cum omni illi, cui ineſt A, inſit B, & omni illi, cui ineſt C inſit D: *omni autem aut A, aut C,* & omne quod eſt, ſit A vel C, *& non ſimul,* & nō ſimul vtrumque & A, & C, *manifeſtum quoniam & B aut D omni*, planum eſt omne quod eſt eſſe vel B vel D, *et non ſimul,* non vtrumque ſimul & B & D, *vt ſi ingenitum incorruptibile*, quoniam ſi ſit A ingenitum, & B incorruptibile, *& incorruptibile ingenitum,* hi termini erunt conuertibiles, ſiquidē incorruptibile erit ingenitum, quod etiā de duobus alijs terminis dicit quando addit, *neceſſe eſt quod factum eſt corruptibile, & corruptibile factū eſſe,* videlicet quod ſi C ſit factū, & D corruptibile, hi termini inuicem cōuertentur, quoniam omne factu erit corruptibile, & omne corruptibile factū. *Duo enim ſyllogiſmi conſtituti ſunt*. Pro comprobatione verò dictorum duo ſyllogiſmi componuntur vt nos exemplificauimus.

Sequitur textus.

Rurſum ſi omni quidem A vel B, & C vel D, ſimul autem non inſunt, ſi conuertitur A & C, & B & D conuertetur; nam ſi alicui non ineſt B, cui D, palam quoniam A ineſt: ſi autem A & C, conuertuntur enim, quare ſimul C & D, hoc autem impoſſibile.

Ponit Ariſtoteles tertiam regulam conſequentiæ in conuerſionibus terminorum, quę eſt, quòd ſi vni & eidem ſubiecto de neceſſitate inſit vnū oppoſitorum coniugatorum, & vna pars oppoſitorum conuertatur cum reliqua parte oppoſitorum, etiam reliqua pars oppoſitorum conuertetur cum reliqua parte aliorum oppoſitorom, exēpli gratia, in elementis ſi omne quod eſt, eſt A vel B, & ſimiliter C vel D, ſi A & C ſint conuertibilia, etiam B & D erunt conuertibilia, veluti in terminis ſumptis loco A ingenerabili, loco B generabili, loco C incorruptibili, loco D corruptibili, ſi omne quod eſt, fuerit aut ingenerabile, aut generabile, aut incorruptibile, aut corruptibile; ſi ingenerabile, & incorruptibile fuerint cōuertibilia, etiam generabile & corruptibile erūt conuertibilia. Hanc regulam demonſtrat Philoſophus per impoſſibile, quoniam ſi B generabile, & D corruptibile non ſint conuertibilia, ergo vnum excedet reliquum. Ponamus quòd D corruptibile in plus ſe habeat quam B generabile, tunc alicui non inerit D corruptibile, cui inerit B generabile, ſicuti alicui non ineſt homo cui ineſt animal, quod ſi illi non inerit B generabile, eidē inerit A ingenerabile, quia omne quod eſt, eſt vel A ingenerabile, vel B generabile; ſed ſi ei inerit A ingenerabile, eidem inerit C incorruptibile, quia A ingenerabile, & C incorruptibile cōuertuntur per hypotheſim, & ita ſimul eidem cōuenit ineſſe, & C incorruptibile, & D corruptibile, quod eſt impoſſibile per dictā hypotheſim.

A Inquit igitur: *Rurſum ſi omni quidem A, vel B, et C, vel D ſimul autem non inſunt*. Inſuper ſi omni et quod eſt, ineſt A vel B, & ſimiliter C vel D, ſimul autem nulli inſunt A & B, & C & D, *ſi conuertitur A & C,* ſi A & C ſint termini conuertibiles ita vt omne A ſit C, & omne C ſit A, *& B & D conuertetur,* etiam B & D erunt termini conuertibiles, quoniam omne D erit D, & omne D erit B. Probatur *nam ſi alicui non ineſt B cui D,* quoniam ſi non ſint termini conuertibiles, ſed D excedat B ita vt alicui non inſit B cui ineſt D, *palam quoniā* B *A ineſt,* conſtat quòd illi cui non inerit B, inerit A: *ſi autē A & C:* ſi autem A illi inerit, tunc eidem quoque inerit C; *conuertuntur enim,* quoniam poſitum eſt A, & C eſſe conuertibilia, *quare ſimul C & D,* & propterea alicui ſimul conueniet ineſſe C & D, oppoſita, *hoc autem impoſſibile*, quod fieri non poteſt ob hypotheſim. Sequitur textus.

Quando autem A toti B & C ineſt, & de nullo alio prædicatur, ineſt autem & B omni C, neceſſe eſt A & B conuerti: quoniam enim de ſolis B, C dicitur A; prædicatur autem B, & idem de ſe, & de C; manifeſtum quoniam de quibus A, & B dicetur omnibus, verum & de A.

C

Addit Ariſtoteles quartam regulam conſequentiæ in conuerſione terminorum, quod ſi reperiantur tres termini, medius, maior extremitas, & minor extremitas, quorum medius D terminus ſcilicet inſit omni, & maiori, & minori extremitati, ſed non alij à duabus extremitatibus, & maior extremitas inſit omni minori extremitati, ſequitur etiam quod maior extremitas inſit omni medio, & cum eo conuertatur, veluti ſi ſint hi tres termini A, B, C; A medius terminus, B maior extremitas, C minor extremitas, & A inſit omni B, & omni C ſecundum diſpoſitionem ſecundæ figuræ, & non alij, ſi B maior extremitas inſit omni C minori extremitati, idem B etiam inerit E omni A medio, & cum eo conuertetur, quoniam cum de B, C ſolis extremitatibus A medium prędicetur & B maior extremitas prædicetur de ſe ipſo, cum B ſit B, & de C minori extremitate, planum eſt quòd de quibus omnibus prædicatur A, medium prædicatur etiam B maior extremitas, quinimo & de ipſo A, & propterea etiam cum eo cōuertitur, declaro magis aperte in terminis materialibus, accipiatur loco A medij riſibile, loco B maioris extremi homo loco C minoris extremi rationale & riſibile inſit omni homini, & omni F rationali, & non alij, tunc ſi homo inſit omni rationali, idem homo inerit quoque omni riſibili, & cum eo conuertetur; quoniam cum de homine & rationali ſolis riſibile prædicetur, & homo prædicetur de ſe ipſo, quoniam homo eſt homo, & etiam de rationali ſequitur vt de quibus omnibus prædicetur riſibile, prædicetur & homo;

mo; quinimo etiam de ipſo riſibili, & propterea & homo & riſibile conuertibilia exiſtant, ideo dicit: *Quando autem A*, ſcilicet medium, *toti B*, maiori extremo, *& C*, minori extremo, *ineſt*, ita quod *de nullo alio prædicatur*, alij non inſit; *ineſt autem & B omni C*; & B maius extremum omni C minori extremo inſit, *neceſſe eſt A & B conuerti*, ſequitur de neceſſitate vt A medium, & B maius extremum ſint conuertibilia. Probatur, *quoniam enim de ſolis B, C dicitur A*, quia cum A medium de ſolis extremis prædicetur, *prædicatur autem B & idem de ſe, & de C*, & de iiſdem ſolis prædicetur B maius extremum, ſiquidem de ſe ipſo, & de C, minori extremo prædicatur: *manifeſtum quoniam de quibus A, & B dicetur omnibus*, planum eſt, quòd de eiſdem ſolis prædicatur B maius extremum, de quibus & A medium prædicatur, *verum & de A*, quinimo B maius extremum de eodem A medio prædicatur & cum eo conuertitur.

Rurſum quando A & B toti C inſunt, conuertitur autem C, B, neceſſe eſt A omni B ineſſe: quoniam enim omni C, A; C autem B, eo quod conuertuntur, & A omni B inerit.

Quintam docet regulam conſequentiæ in cõuerſionibus terminorum, quòd ſi ſint tres termini, maius extremum, minus extremum, & medium; quorum duo termini, maius extremum, & minus extremum toti medio inſint, & de medio ambo extrema vniuerſaliter prædicentur ſecundum diſpoſitionem tertiæ figuræ, ſi medium conuertitur cum minori extremo, neceſſe eſt maius extremum de minori extremo vniuerſaliter prædicari, veluti ſumptis A, B, C; A pro maiori extremo, B pro minori extremo, C pro medio, ſi A & B ambo inſint toti C, ſi C cõuertitur cum B, neceſſe eſt A vniuerſaliter prædicari de B. Hanc regulam demonſtrat per ſyllogiſmum in primo modo primæ figuræ: cum enim omni C inſit A in maiori propoſitione, & idem C inſit B in minori propoſitione per conuerſionem, ſequitur de neceſſitate, quòd A inſit omni B in concluſione, tali pacto formata ratiocinatione, omne C eſt A, omne B eſt C; ergo omne B eſt A, ideo dicit: *Rurſum quando A & B toti C inſunt*. Præterea ſi A maius extremum, & B minus extremum inſunt ambo omni C medio vniuerſaliter, *conuertitur autem C, B*, & conuertitur C cum B, ita vt ambo hi termini ſint conuertibiles, & reciprocentur, *neceſſe eſt A omni B ineſſe*, ſequitur de neceſſitate A maius extremum omni B minori extremo ineſſe, & de eo vniuerſaliter prædicari: *quoniam enim omni C, A*, cuius cauſa eſt, quòd cũ omni C inſit A in maiori propoſitione, *C autem B, eo quod conuertuntur*, & C inſit omni B in minori propoſitione per conuerſionem, *& A omni B inerit*, per primum modum primæ figuræ, ſequitur de neceſſitate A omni B ineſſe, & vniuerſaliter de eo prædicari.

A Quando autem duo fuerint oppoſita, vt A magis eligendum ſit quàm B, cum ſint oppoſita, & D quàm C ſimiliter, ſi magis eligenda ſunt A, C quàm B, D, A magis eligendum quàm D. Similiter enim ſequendum A, & fugiendum B; oppoſita enim C ei quod eſt D;
B nam & hæc opponuntur: ſi ergo A ei quod eſt D ſimiliter eligendum, & B ei quod eſt C fugiendum; vtrumque enim vtrique ſimiliter fugiendum eligendo, quare & hæc ambo A, C iis quæ ſunt B, D: quoniam autem magis, non poſſibile ſimiliter, nam & B, D ſimiliter erunt;
C ſi autem D magis eligendum quàm A, & B quàm C minus fugiendum; nam quod minus eſt minori opponitur, magis autem eligendum eſt maius bonum; & minus malum quàm minus bonum, & maius malum. Vniuerſalem igitur B, D magis eli-
D gendum quàm A, C; nunc autem non eſt, ergo magis A eligendum quàm D, & C ergo minus fugiendum quàm B.

Demonſtrat Philoſophus in præſenti theoremate, quòd ſi ſint duo oppoſita, vt A eligendum, & B fugiendum; & inſuper alia duo, nempe C, D; D eligendum, & C fugiendum, ſi A, C coniuncta ſint magis eligibilia, quam B, D coniun-
E cta, etiam A, erit magis eligibile quam D, vt puta in terminis ſi ſint hæc duo oppoſita, Sanitas, & Aegritudo, & hæc duo alia, Diuitiæ, & Paupertas, ſi ſanitas & paupertas coniunctæ ſunt, magis eligendæ quàm diuitiæ, & ægritudo, ſanitas magis erit eligenda quàm diuitiæ & hoc cõporobatur per impoſſibile, quoniam ſi dicàmus, quòd A nempe ſanitas non eſt magis eligibilis quàm D, puta diuitiæ, hoc proueniet duabus de cauſis, aut quoniam A, D, ſanitas & diuitiæ ſunt æqualiter eligibilia: aut quoniam D, puta diuitiæ po-
F tius eligi debent quam A, ſcilicet ſanitas, altera inquam harum cauſarum id contingat neceſſe eſt, ſed neutra euenit, non prima quia tunc B, C, paupertas, & ægritudo erũt æqualiter fugiendę, cum vnumquodlibet eorum ſuo oppoſito ſit æquale cum magis eligendo opponatur magis fugiendum, minus eligendo minus fugiendum,

æqua-

æqualiter eligendo æqualiter fugiendum, & ſi A, B, C, ægritudo & paupertas ſunt æqualiter fugiendæ, ſequitur quóque, quod hæc coniuncta A, C, ſanitas & paupertas erunt æqualiter eligenda, atque ſint hæc coniuncta B, D, ægritudo & diuitiæ, contra hypotheſim, quod ſi D, videlicet diuitiæ magis debent eligi, B nempe ægritudo erit minus fugienda. At magis eligendum eſt quod eſt maius bonum, & minus malum, quam quod eſt minus bonum, & magis malum; propterea B, D, ægritudo & diuitiæ magis erunt eligendæ quàm A, C, ſanitas ſcilicet & paupertas contra hypotheſim, quæ habet, quod A, C, ſanitas & paupertas magis ſunt eligendæ; & ideo cum hoc ſit impoſſibile, ſequitur vt verum ſit A, puta ſanitatem magis eligendam eſſe quàm D, ſcilicet diuitias, & C, paupertatem minus fugiendam eſſe quàm B, ægritudinem. Hæc inquit in his verbis: *Quando autem duo fuerint oppoſita*. Si ſint bina oppoſita A, B, *vt A magis eligendum ſit quàm B, cū ſint oppoſita*, ita vt A ſit magis eligendum quam B, cum B ſit fugiendum, & opponatur eligendo, *& D quàm C ſimiliter*, & ſint duo alia oppoſita; ſcilicet D & C, ita vt D ſit magis eligendum quam C; propterea quod C ſit fugiendum, *ſi magis eligenda ſunt A, C,* vnum par oppoſitorum, *quàm B, D*, aliud par oppoſitorum, *A magis eligendum quàm D*, erit A alterum oppoſitorum eligendum magis quam D, alterum aliorum oppoſitorum, quod demonſtrat. *Similiter enim ſequendū A, & fugiendum B.* Si namque dicatur, quod ęqualiter ſunt eligenda A, D, B quod eſt oppoſitum eius; quod eſt A, erit æqualiter fugiendum, ſicuti & A eligendum, *oppoſita enim*; inuicem etenim opponuntur, *& C ei quod eſt D, nam & hæc opponuntur*, & C, quod eſt oppoſitum eius, quod eſt D, æqualiter erit fugiendum, atque idem D ſequendum. *Si ergo A ei quod eſt D ſimiliter eligendum.* Et cum A, D, ſint æqualiter eligenda, *& B ei quod eſt C fugiendum*, & B, C æqualiter fugienda: *vtrumque enim vtrique ſimiliter fugiendū eligendo*; quoniam vnumquodlibet eorum eſt conſimiliter fugiendum, ſicuti ſuum oppoſitum eligendum; nam magis fugiendum opponitur magis eligendo, minus fugiendum minus eligendo, æqualiter fugiendum æqualiter eligendo: *quare & hæc ambo A, C*: quare & hæc ſimul coniuncta A, C, erunt ęqualiter eligenda, *ys quæ ſunt B, D*; B, D ſimiliter æqualiter eligendis contra hypotheſim, quę dicit, quòd A, C eſt magis eligendum quam B, D, ideo addit. *Quoniam autem magis non poſſibile ſimiliter*. Quod ſcilicet A, & C ſit magis eligendum, quod id fieri nequit, *nam & B, D ſimiliter erunt*, alioquin æqualiter erit eligendum B, D, atque exiſtat A, C, vt dictum eſt: *ſi autem D magis eligendum quàm A*, quod ſi dixeris eſſe potius ſequendum D quam A, *& B quàm C minus fugiendum*, ſequetur quòd B oppoſitum eius, quod eſt A, erit minus fugiendum quam C oppoſitum eius quod eſt D; *nam quod minus eſt minori opponitur*; nam minus fugiendum opponitur minus eligendo; *magis autem eligendum eſt maius bonum, &*

A *minus malum, quàm minus bonum, & maius malum*; at potius ſequendum eſt quod eſt magis bonum, & minus malum, quam quod eſt minus bonum, & maius malum. *Vniverſum igitur B, D magis eligendū, quàm A, C.* B, D itaque ſimul coniuncta erunt potius ſequenda, quàm A, C ſimul; *nunc autem non eſt*; ſed hoc eſt cōtra hypotheſim, quæ dicit, quod, A, C eſt magis eligendum quam B, D. *Ergo magis A eligendum quàm D*. Erit igitur potius ſequendum A quam D, quod erat propoſitum demonſtrandum *& C ergo minus fugiendum quàm B*; &
B per conſequens C minus erit fugiendum quam B, cum minus eligendo opponatur minus fugiendum, & maius eligendo magis fugiendum.

Si ergo eligat omnis amans ſecundum amorem, A ſic ſe habere, vt concedere, & non concedere in quo C, aut concedere in quo D, & non tale eſſe vt concedere in in quo B: mani-
C feſtum quoniam A huiuſmodi eſſe, magis eligendum eſt quàm concedere; ergo diligi quàm conuentio magis eligendum ſecundum amorem; magis ergo amor eſt amicitia, in quam conuenire: ſi autem maxime huius, & finis hæc, ergo conuenire, aut non eſt omnino, aut diligendi
D gratia; nam & aliæ concupiſcentiæ, & artes ſic fiunt. Quomodo ergo ſe habent termini ſecundum conuerſiones, & in eo quod magis fugiendum, vel eligendum ſit, manifeſtum eſt.

Quoddam admirabile manifeſtat Ariſtoteles ex dictis, quòd cum magis expetendum ſit ab
E amante appetere morem gerere, & non morem gerere, quam morem gerere, & non appetere morem gerere, ſicuti conſtat ſi loco A ponatur appetere morem gerere, & loco C non morem gerere, loco D morem gerere, & loco B non appetere morem gerere, erit quoque magis eligibile appetere morem gerere, quam morem gerere, & per conſequens diligere quàm coire. Siquidem dilectio non coitus eſt finis, & ſcopus amicitiæ; coitus autem potius eſt ſignum & cauſa eius, & in gratiam ipſius ſicuti & aliæ concupiſcentiæ
F ſunt in gratiam ſui finis, ſcilicet vltimi, & optimi; deinde concludit planum eſſe ex dictis; quomodo ſe habent termini ſecundùm conuerſionem, & in conſequentia eligendorum, & dicit: *Si ergo eligat omnis amans ſecundum amorem*. Quod ſi amans habeat electionem eligendi angulares terminos, *A ſic ſe habere, vt concedere, & non concedere*

cedere in quo C, ſcilicet aut appetere morem gerere vbi A, & non morem gerere vbi C, *aut concedere in quo D, & non tale eſſe vt concedere in quo B*, aut morem gerere vbi D, & non appetere morẽ gerere vbi B: *manifeſtum quoniam A huiuſmodi eſſe magis eligendum quàm concedere*; planum eſt appetere morem gerere vbi A eſſe magis eligibile quàm morem gerere; *ergo diligi quàm cõuentio magis eligendum ſecundum amorem*; & propterea dilectio eſt magis eligibilis quam coitus; *magis ergo amor eſt amicitia, in quam conuenire*; & vlterius dilectio eſt potius finis amicitiæ quam coitus: *ſi autem maxime huius, & finis hæc*, B cum finis ſit id quod eſt in gratiam alicuius, *ergo conuenire aut nõ eſt omnino, aut diligendi gratia*, & ea propter coitus aut prorſus non eſt finis amicitiæ, aut cauſa & ſignum eius, *nam & aliæ concupiſcentiæ, & artes ſic fiunt*, quoniam & tali pacto ſe habent concupiſcẽtiæ, & artes reliquæ, vt ad optimum, & finẽ tendant. *Quomodo ergo ſe habent termini ſecundum conuerſiones*, Quo pacto igitur termini ſe habeant in conſequentijs ſecundum conuerſionem, *& in eo quod magis fugiendum, vel magis eligendum ſit*, C & in conſequentia eligendorum & fugiendorum, *manifeſtum eſt*, planum eſt ex dictis ſatis.

Super Capite XXII. de conuerſionibus terminorum pro Iuris ſtudioſis.

IN hoc Capite ab Ariſtotele quinque regulas habuimus conſequentiæ in conuerſionibus D terminorum, & vnam eligendorum, & fugiendorum.

Quinque regulæ conſequentiæ in conuerſionibus terminorum cum ſatis fuerint in Capite examinatæ, omittendæ ſunt, eaſq; conſiderabimus ſi opus erit ſuo loco, nunc ſatis ſit ſextam animaduertere; ſiquidem finis & ſcopus Iuriſperitorum præcipuus eſt conſiderare quæ ſequenda, & quæ fugienda in agibilibus.

Hæc itaque regula eſt huiuſmodi, quòd ſi ſint E bina oppoſita, vnum eligendum vt ſanitas, aliud fugiendum vt ægritudo; & ſimiliter alia duo oppoſita, vnum pariter eligendum vt diuitiæ & aliud fugiendum vt paupertas: ſi ſanitas & paupertas coniunctę ſunt magis eligibiles quàm diuitiæ & ægritudo. Erit inſuper ſanitas magis eligenda quam diuitiæ. Hanc regulam demonſtrauit per impoſſibile, vt diſtinctè docuimus; & propterea non repeto. Hanc eandem regulam elicere poſſumus in l. mater. C. de oper. libert. in terminis manumiſſionis: ſi enim ſint duo termini oppoſiti velle manumittere, nolle manumittere, F primum eligendum, alterum fugiendum; & ſint alij duo termini oppoſiti manumittere eligendum, non manumittere fugiendum, ſi velle manumittere, & non manumittere, eligibilius eſt quam manumittere, & nolle manumittere, erit etiam magis eligibile velle manumittere, quàm A manumittere: habetur namque eo in loco, quòd bonum voluntarium eſt magis præmio dignum quàm neceſſarium, quinimo eſt regula in l. diuus. ff. de ſicarijs. §. 1. quod in maleficijs ſpectatur voluntas, non exitus, & in l. qui foueas. ff. ad leg. Aquil. quòd effectus contingens præter intentionem agentis non conſideratur; quibus omnibus in locis, & conſimilibus poſſumus meritò dicere reperiri manifeſte dictam regulam.

Et hæc ſatis in præſentia ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

B

De Epagoge, id eſt Inductione, & Syllogiſmo inductiuo.
Cap. XXIII.

QVoniam autem non ſolum Dialectici, & Demonſtratiui ſyllogiſmi C per prædictas fiunt figuras; ſed & Rhetorici, ſed & ſimpliciter quæcunque fides eſt, & ſecundum vnamquamque artem, nunc erit dicendum; omnia enim credimus per ſyllogiſmum, aut ex inductione; ergo ſi inductio quidem eſt, D & ex inductione ſyllogiſmus per alteram extremitatem medio ſyllogizare, vt ſi eorum, quæ ſunt A, C, medium ſit B, per C oſtendere A ineſſe B: ſic enim facimus inductiones, vt ſit A longæuum; in quo autem B choleram non habere; in quo verò C ſingulare longæuum, vt E homo, equus, & mulus; ergo toti B ineſt A; omne enim quod ſine cholera eſt, longæuum, ſed & B non habere choleram, omni ineſt C: ſi ergo conuertatur C ei quod eſt B, & non tranſcendat medium; neceſſe eſt A ineſſe B; oſtenſum eſt enim prius, quoniam ſi duo aliqua eidem inſunt F & ad alterum eorum conuertatur extremum, quoniam verſo, & alterum inerit prædicatorum.

Superioribus regulis declaratis in præcedenti capite, quæ conducunt ad reductionem argumẽtationum imperfectarum ad perfectas, cum non

ſolum

ſolũ Dialectici, & Demonſtratiui ſyllogiſmi fiűt per dictas figuras, ſed & Rhetorici, & quicunque alij fidem faciunt; ideo accedit in præſenti Capite ad docendum reductionem dictam, & in primis reductionem inductionis, vti proximioris perfectæ argumentationi, quam dicit oſtendere ineſſe medio maius extremum per minus extremum, vbi ſyllogiſmus oſtendit per medium maius extremum ineſſe minori extremo: ſi namque ſint tres termini A, B, C, A maius extremum, B medium, C minus extremum, A eſſe longęuũ, B abſque bile, C omni ſingularia longæua, vt homo, equus, mulus, & reliqua, & monſtretur abſque bile eſſe longæuum, ex quo homo, equus, mulus, & reliqua, quę ſunt abſque bile ſunt lõgęua, in his terminis planum erit maius extremum, puta eſſe longęuum ineſſe medio, ideſt abſque bile per minus extremum, puta per equum, hominem, coruum, & reliqua omnia longęua, tali pacto per ſyllogiſmum, omne quod eſt homo, vel equus, vel mulus, & ſic de alijs, eſt longæuum, omne abſque bile eſt homo, vel equus, vel mulus, & ſic de alijs; ergo omne abſque bile eſt longæuum, & hoc demonſtrat per quintam regulam in præcedenti capite declaratum, quæ dicit, quod ſi duo prædicata vni inſunt ſubiecto, & ad alterum illorum conuertatur ſubiectum, conuertitur & aliud, vt nunc in inductione ſi abſque bile, & longæuum de homine, equo, mulo, & reliquis vniuerſaliter prædicaotur, & longæuum cum homine, equo, mulo, & reliquis conuertatur, etiam abſque bile, & longæuum conuertentur, ideo dicit: *Quoniam autem non ſolum Dialectici, & Demonſtratiui ſyllogiſmi per prædictas fiunt figuras*. Sed quia non ſolum ſyllogiſmi demonſtratiui, & reliquæ argumentationes fiunt per aliquam trium figurarum declaratarum, *ſed & Rhetorici*, ſed inſuper etiam cæteri ſyllogiſmi, qui fiunt in Rhetorica; *ſed & ſimpliciter, quæcunque fides eſt, & ſecundum vnamquamque artem*, verum & vlterius quicunque alij fidem faciunt in qualibet alia diſciplina, *nunc erit dicendum*, de his deinceps dicendum eſt quomodo ad dictas figuras reduci debent: *omnia enim credimus per ſyllogiſmum, aut ex inductione*: & quoniam omnis veritas habetur aut per ſyllogiſmum, & ei ſimile, veluti eſt enthimema, aut per inductionem, & ipſi ſimile, veluti exemplum; *ergo ſi inductio quidem eſt, & ex inductione ſyllogiſmus per alteram extremitatem medio ſyllogizare*. Sic igitur inductio, & ex inductione ſyllogiſmus eſt oſtendere per minus extremum maius extremũ ineſſe medio; declarat exemplo, *vt ſi eorum, quæ ſunt A, C, medium ſit B*, veluti ſi horum trium terminorum A, B, C, A maius extremũ, B medium, C minus extremum, *per C oſtendere A ineſſe B*, inductiuus ſyllogiſmus oſtendet per C minus extremum, A maius extremũ ineſſe B medio: *ſic enim facimus inductiones*: id manifeſtat exemplo in terminis materialibus, *vt ſi A longæuum*, ſit pro maiori extremo longæuum; *in quo autem B choleram non habere*, pro medio abſque bile: *in quo verò C ſingulare longæuũ vt homo, equus, & mulus*, & loco mi-

A noris extremi ſint omnia particularia lõgęua: *ergo toti B ineſt A*. In his terminis igitur maius extremũ ineſt medio; *omne enim quod ſine cholera eſt longæuũ*; quoniã omne C eſt A, omne ſingulare longæuum eſt longæuum, *ſed & B non habere cholerã omni ineſt C*; & omne C eſt B, omne ſingulare longæuum eſt abſque bile. *Si ergo cõuertatur C ei quod eſt B, & non tranſcendat medium*. Si itaque B, C ſint termini æquales, & conuertatur omne B eſt C, omne abſque bile eſt ſingulare longæuum, *neceſſe eſt A ineſſe B*, ſequitur de neceſſitate, quòd omne B ſit A, quòd omne abſque bile ſit longæuum; B *oſtenſum eſt enim prius*; per quintam namque regulam conſequentiæ conuerſionis terminorum traditam in pręcedenti capite monſtratum fuit, *quoniam ſi duo aliqua eidem inſunt*, quod ſi duo prædicata vni ſubiecto inſint vniuerſaliter, *& ad alterum eorum conuertatur extremum*, & ad alterum illorum conuertatur ſubiectum, quod eſt extremum in ſyllogiſmo, *quoniam verſo, & alterum inerit prædicatorum*, quod ei quod conuertitur, etiã alterum inerit prædicatorum.

C Oportet autem intelligere C ex ſingularibus omnis compoſitum, nã inductio per omnia; ſyllogiſmus autem huiuſmodi eſt primæ, & immediatæ propoſitionis: quarum enim eſt medium, per medium eſt ſyllogiſmus. Quarum verò non eſt per inductionem, & quodam modo opponitur D inductio ſyllogiſmo; nam hic quidem per medium extremum de tertio oſtendit; illa autem per tertium extremum de medio; ergo natura quidem prior, & notior per medium ſyllogiſmus; nobis autem manifeſtior, qui eſt per inductionem.

E Manifeſtat Ariſtoteles quid intelligat per C terminum ſingulare longæuum, nempe aliquod aggregatum ex omnibus ſingularibus longæ vitæ; ſiquidem inductio per omnia ſingularia fit, nullo poſthabito, & addit differentiam inter inductionem & ſyllogiſmum, quòd inductio eſt propoſitionis primæ, & immediatæ, quæ per medium non valet oſtendi, ſyllogiſmus eſt propoſitionis mediatæ, quæ per medium valet oſtendi, quinimo videtur quodam modo inductionem & ſyllogiſmum inuicem opponi, quatenus ſyllogiſmus oſtendit maius extremum ineſſe minori ex- F tremo per medium, & inductio oſtendit maius extremum ineſſe medio per minus extremum, ex quibus concludit, quòd ſyllogiſmus eſt prior, & notior natura, inductio verò nobis notior, & inquit: *Oportet autem intelligere C ex omnibus ſingularibus compoſitum*. Debemus autem ſumere C terminum

minum pro aggregato omnium ſingularium: *nã inductio per omnia;* quia inductio fit per omnia particularia; *ſyllogiſmus autem huiuſmodi eſt primæ, & immediatæ propoſitionis,* hoc eſt ſyllogiſmus ex inductione eſt propoſitionis primæ, & immediatæ: *quarum enim eſt medium, per medium eſt ſyllogiſmus:* quoniam earum propoſitionum, quæ medium habent, ſyllogiſmus eſt talium per medium quod habent: *quarum verò non eſt, per inductionem,* propoſitionum autem, quæ medium non habent fit oſtenſio per inductionem, *& quodammodo opponitur inductio ſyllogiſmo,* & inuicem videntur B inductio & ſyllogiſmus quodammodo opponi, *nam hic quidem per medium de tertio oſtendit,* quoniam ſyllogiſmus oſtendit maius extremum minori ineſſe per medium; *illa autem per tertium, extremum de medio:* inductio verò oſtendit maius extremum ineſſe medio per minus extremum: *ergo natura quidem prior & notior per medium ſyllogiſmus.* Syllogiſmus itaque eſt prior natura, & inductio poſterior; *nobis autem manifeſtior, qui eſt per inductionem;* inductio autem eſt prior nobis, & ſyllogiſmus poſterior. C

Quæ ſatis dicta ſuper hoc Capite.

Super Capite XXIII. de Epagoge, ideſt inductione, & ſyllogiſmo inductiuo pro Iuris ſtudioſis.

DVo ponit Philoſophus in præſenti capite conſideranda pro Iuris ſtudioſis.

Primum, quòd inductio eſt progreſſio ab omnibus ſingularibus ad D vniuerſalia.

Secundum, quòd ſyllogiſmus inductiuus oſtẽdit maiorem extremitatem ineſſe medio per minorem extremitatem.

Exemplum inductionis, veluti cum à partibus ad totum procedimus, cum per partes omnes totum colligitur, vt ſi homo, equus, mulus, & reliqua abſque bile ſunt longæua, omne abſque bile eſt longæuum, ſi animantes, quæ in terra viuunt, & volucres, & aquatiles mouentur, & ſentiunt, E omne animal mouetur, & ſentit.

Exemplum inductionis pro Iuriſtis in terminis deſumptis in l. conſenſu. ff. de act. & oblig. & in tit. Inſt. de oblig. ex conſenſu, in princ. emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, mandatum ſolo conſenſu contrahentium ineuntur, ergo omnes obligationes ex conſenſu ſolo, conſenſu contrahuntur.

Aliud exemplum in terminis Inſt. de perpe. & temp. act. Iudicium petitorium, poſſeſſorium, recuperatorium ſingulare, vniuerſale, particula- F re eſt abſolutorium; ergo omne iudicium eſt abſolutorium.

Exemplum ſyllogiſmi inductiui, ſint tres hi termini, longæuum pro maiori extremo, abſque bile pro medio, ſingulare longæuum pro minori extremo: ſyllogiſmus ex inductione oſten- A dit longæuum ineſſe abſque bile per ſingulare longæuum, vt poſuimus in declaratione capitis, videlicet

Omne ſingulare longæuum eſt longæuum.
Omne abſque bile eſt ſingulare longæuum.
ergo
Omne abſque bile eſt longæuum.

Exemplum in terminis legalibus pro inductiuo ſyllogiſmo. Sint tres termini, Contractus ex conſenſu pro maiori extremo, Solus conſen- B ſus pro medio, Singulares contractus ex conſenſu pro minori extremo. In his terminis oſtendemus per ſyllogiſmum inductiuum contractũ ex ſolo conſenſu ineſſe contractui ex conſenſu, in hunc modum,

Omnis ſingularis contractus ex conſenſu, vt quod eſt vel emptio, vel venditio, & ſic de alijs, eſt contractus ex conſenſu.
Omnis contractus ſolo conſenſu eſt ſingularis contractus ex conſenſu, ergo
C Omnis contractus ſolo conſenſu eſt cõtractus ex conſenſu.

Sciendum, quòd plures ſunt ſpecies inductionum, vt à Quintiliano in lib. 5. Inſt. Orat. Cap. 11 docetur, & a Cic. in Partitionibus, vt quæ ducitur ab exemplis, quæ à ſimilibus quas in præſenti, nõ eſt opus recenſere, cum aliàs de ipſis (fauente Deo) vt in Topicis, tãquam in loco magis proprio diſtinctè tractaturi ſimus, ideo ſatis dicta ſuper hoc capite pro Iuris ſtudioſis.

D

De Paradigmate, hoc eſt exemplo. Cap. XXIV.

EXemplum autem eſt, quando medio extremum ineſſe oſtenditur per id quod eſt ſimile E tertio: oportet autem & medium tertio, & primum ſimili notius eſſe ineſſe, vt ſit A malum, B autem contra confines inferre bellum, in quo autem C Athenienſes contra Thebanos, in quo autem D Thebanos contra Phocenſes. Si ergo volumus oſtendere quoniam Thebanis pugnare malum eſt, ſumendum quoniam contra confines pugnare eſt malum; huius autem fides, ex ſimilibus, vt quoniam Thebani contra Phocenſes. Quoniam

ergo contra confines malum, contra Thebanos autem, contra confines eſt, manifeſtum quoniam contra Thebanos pugnare malum; quoniam ergo B, C, & D ineſt, manifeſtum: vtrumque enim eſt contra confines inferre bellum, & quoniam A, D, Thebanis enim non fuit vtile contra Phocenſes bellum. Quoniam autem A ineſt B, per D oſtendetur, eodem autem modo etſi per plura ſimilia fides fiat, medii ad extremum.

Cum ex multis exemplariter acceptis inductio fiat, agit ideo Ariſtoteles poſt inductionom de exemplo, quod teſtatur eſſe argumentationem; in qua oſteudimus maius extremum ineſſe medio per ſimilem tertio, veluti ſi ſint quatuor termini (tot namque exemplum habere neceſſe eſt) A, B, C, D; A maius extremum, B medium, C minus extremum, D ſimile ipſi C, vt in terminis materialibus loco A ſit malum eſſe, loco B contra confines inferre bellum, loco C Athenienſes pugnare contra Thebanos, loco D pugnare Thebauos contra Phocenſes, & horum terminorum notius ſit B medium ineſſe C minori extremitati, & A maius extremum ineſſe D ſimili tertio, quam A maius extremum ineſſe C medio, ſi demonſtrabimus, quòd Athenienſes pugnare contra Thebanos malum eſt, quod eſt oſtendere maius extremum de minori extremo per medium in huuc modum, videlicet

Contra confines inferre bellum, malum eſt.

Athenienſes pegnare contra Thebanos, eſt contra confines inferre bellum; ergo

Athenienſes pugnare contra Thebanos, malum eſt.

Si voluerimus oſtendere maius extremum ineſſe medio, ſcilicet contra confines inferre bellum, malum eſſe, id oſtendemus per ſimile minori extremo, quòd notius ſit, quam maius extremum ineſſe eidem minori extremo, vt puta per id, quod Thebani, & Phocenſes, cum eſſent confines, & inuicem bellum gererent, praue affecti ſunt. In his itaque terminis planum eſt, quòd B medium, ſcilicet contra confines inferre bellum, ineſt & C minori extremo, & D ſimili minori extremo; vtrumque enim & Athenienſes pugnare contra Thebanos, & Thebanos pugnare contra Phocenſes, eſt contra confines inferre bellum; & inſuper notum eſt A maius extremum ineſſe D ſimili minori extremo, quòd ſcilicet non fuit vtile Thebanos & Phocenſes inuicem pugnare: quod verò A maius extremum B medio inſit, quod puta contra confines inferre bellum, malum ſit, id oſtenditur per D ſimile minori extremo, per pugnare Thebanos contra Phocenſes, quod idem continget in oſtenſione medij ad maius extremum, etiam ſi extiterint plura ſimilia minori extremo, & dicit: *Exemplum autem eſt.* Argumentatio per exemplum eſt, *quando medio extremum ineſſe oſtenditur per id quod eſt ſimile tertio*, in qua oſtenditur maius extremum ineſſe medio per id quod eſt ſimile minori extremo: *oportet autem* B *& medium tertio, & primum ſimili notius eſſe, ineſſe*: & horum terminorum neceſſe eſt, vt notius ſit medium ineſſe minori extremo, & maius extremum ineſſe ſimili tertio, quam ſcilicet notius ſit maius extremum ineſſe medio, ponit exemplum, *vt ſit A malum*, veluti poſito malo pro A maiori extremo, *B autem contra confines inferre bellum*, & pro B medio pugnare contra confines; *in quo autem C Athenienſes contra Thebanos*, & pro C minori extremo Athenienſes pugnare contra Thebanos, *in quo autem D* C *Thebanos contra Phocenſes*, & pro D ſimili tertio pugnare Thebanos contra Phocenſes. *Si ergo volumus oſtendere quoniam Thebanis pugnare malum eſt.* Si itaque ſumptis his terminis oſtendere voluerimus Athenienſes pugnare contra Thebanos malum eſſe, quod erit primum de tertio, *ſumendum quoniam contra cofines pugnare, eſt malum*, id efficiemus per hoc medium, quod erit contra confines inferre bellum, malum eſſe, ſumpto ſcilicet maiori extremo ineſſe medio: *huius autem fides, ex ſimilibus*: at maius extre- D mum ineſſe medio erit oſtenſum ſumpto vno, vel pluribus ſimilibus minori extremo; *vt quoniam Thebani contra Phocenſes*, veluti quòd pugnare Thebanos & Phocenſes confines inuicem, malum extiterit, & in hunc modum habebimus argumentationem. *Quoniam ergo contra confines malum.* Cuius argumentationis cum maior fuerit contra confines inferre bellum, malum eſſe: *contra Thebanos autem contra confines eſt*, & minor, Athenienſes pugnare contra Thebanos, eſt contra confines inferre bellum; *ma-* E *nifeſtum quoniam contra Thebanos pugnare malum eſt*, conſtat ex dictis præmiſſis ſequi de neceſſitate Athenienſes pugnare contra Thebanos malum eſſe. *Quoniam ergo B, C, & D ineſt manifeſtum.* Quod igitur B medium inſit & C minori extremo, & D ſimili minori extremo, notum eſt, *vtrumque enim eſt contra confines inferre bellum*; quoniam & C & D, ſcilicet & Athenienſes pugnare contra Thebanos, & Thebanos pugnare contra Phocenſes, vtrumque eſt contra confines F inferre bellum, *& quoniam A, D*; eſt quoque manifeſtum, quod A maius extremum ineſt D ſimili minori extremo; *Thebanis enim non fuit vtile contra Phocenſes bellum*; ſiquidem conſtat Thebanos, & Phocenſes pugnantes inuicem praue affectos eſſe: *quoniam autem A ineſt B, per D oſtendetur* quod autem A primum inſit B medio, id demonſtrabitur

per

per D ſimile tertio; *eodem autẽ modo & ſi per plura ſimilia fidei fiat, medij ad extremum;* & conſimiliter fiet oſtenſio medij ad maius extremum, ſi plura ſimiliá ſumpta fuerint.

Sequitur textus.

Manifeſtum ergo, quoniam exemplum eſt neque vt totum ad partem, neque vt pars ad totum, ſed vt pars ad partem: quando ambo quidem inſunt ſub eodem, notum autem alterum, & differt ab inductioue, quoniam hæc quidem ex omnibus indiuiduis oſtendebat ineſſe extremum medio, & ad extremum non copulabat ſyllogiſmum, hoc autem & copulat, & non ex omnibus oſtendit.

Conclndit Ariſtoteles ex dictis, quòd exemplum non ſe habet ad id, per quod probatur pars ad totum ad inſtar inductionis, neque vt totum & pars ad inſtar ſyllogiſmi, ſed vt pars ad partem, cum hæc duo tertium ſcilicet de quo maius extremum concluditur, & ſimile tertio quod fidem facit de medio, ambo ſint ſub eodem communi, videlicet contra confines inferre bellum, malum eſſe, & cum alterum eorum ſingularium ſit euidens, propterea ex eo infertur reliquum; denique ponit hanc differentiam inter exemplum & inductionem, quod inductio eſt ex omnibus particularibus, nec copulat extremum extremo; ſiquidem oſtendit maius extremum ineſſe medio. Exemplum verò non eſt ex omnibus particularibus, ſed vel ex vnico, aut pluribus, & extremum copulat extremo, quoniam oſtendit minori extremo ineſſe maius extremum, ideo dicit: *Manifeſtum ergo, quoniam exemplum eſt neque vt totum ad partem*. Conſtat itaque ex dictis, quòd exemplum non ſe habet ad id, per quod probàtur, vti ſyllogiſmus tanquam vt totum vniuerſale ad particulare, *neque vt pars ad totum*, nec ſe habet vt inductio tanquam particulare ad totum vniuerſale, *ſed vt pars ad partem*, ſed exemplum ſe habet vt particulare ad aliud particulare, *quando ambo quidem*, & quod concluditur, & per quod concluditur, *inſunt ſub eodem*, ſunt ſub eodem communi tanquam duo particularia, *notum tamen alterum*, notius tamen per quod concluditur, *& differt ab inductione*, & differt exemplum ab inductione; *quoniam hæc quidem ex omnibus indiuiduis oſtendebat ineſſe extremum medio*; ſiquidem inductio per omnia particularia oſtendit maius extremum ineſſe medio, *vt ad extremum non copulabat ſyllogiſmum*, nec copulat extremum extremo; *hoc autem*, puta exemplum, *& copulat*, & coniungit extremum extremo, quoniam oſtendit minori extremo ineſſe maius extremum, *& non ex omnibus oſtendit*, & non eſt ex omnibus particularibus, ſed vel vno, vel pluribus.

Et hæc dicta ſufficiant ſuper hoc capite de exemplo.

Super Capite XXIV. de Paradigmate, hoc eſt exemplo pro Iuris ſtudioſis.

DVo ſunt conſideranda in præſenti Capite pro Iuris ſtudioſis.

Primum, quid ſit exemplum.

Secundum, quid ſit argumentatio per exemplum.

Quo ad primum caput, exemplum eſt, quando vnum particulare ignotum per aliud particulare notum probatur, veluti ſi oſtenderimus Athenienſes pugnare contra Thebanos ſuos confines, malum eſſe, quoniam Thebanos contra Phocenſes ſuos confines pugnare malum extiterit.

De exemplo textus eſt in l. 1. §. pueritiam. ff. de poſtulando, vbi agens decem & ſeptem annos poſtulare poteſt, quoniam & Nerua hanc ætatem habens poſtulare cœpit. Similiter in d. l. §. caſum. Publius Cæcus cum vellet poſtulare, à Bruto auerſa ſella deſtitutus eſt, ergo Sempronio Cæco locus pro alio poſtulare non conceditur, Ariſtoteles in Capite de exemplo ſecundi libri Rhet. duo exemplorum genera ponit; alterum quo res geſtas commemoramus vti hiſtoria; alterum, quòd nos ipſi fingimus vt fabula. De primo genere habetur in l. aut facta. §. euentus. ff. de pœnis. quo loci ex commemoratione hiſtoriæ deſumptæ ex Homero, Iuriſconſultus probat cædem inconſulto commiſſam voluntario exilio multandam eſſe. De ſecundo genere habetur per gloſ. in l. nemo. C. de aſſeſſ. quando dicit.

Tempore quiſque duos lepores ſectatur eodem.
Aut neutrum, aut certe non capite ille duos.

Vbi nil aliud ſignificatur, quòd nemo duo officia incompoſſibilia exercere valet, vt puta Iudicis, & Aduocati. l. quiſquis. C. de poſtulando.

De exemplo plurima dici poſſent: ſiquidem exemplum eſt & in contrarijs, & in paribus, & in diſſimilibus, & per collationem, de quibus diſtincte (Deo dante) pertractabimus in Topicis. In præſenti remanet ſecundum caput explanandum.

Quid ſit argumentatio per exemplum: eſt autem ea, in qua oſtendimus maius extremum ineſſe medio per ſimile tertio, gratia exempli. Sint quatuor termini, Prohibitũ eſſe pro maiori extremo, Cęcũ pro alio poſtulare pro medio, Sẽproniũ cęcũ pro Caio poſtulare, p minori extremo Publi-

cum cæcum pro Titio poſtulare pro ſimili minori extremo, & horum terminorum notius ſit cæcitatem ineſſe Sempronio, & prohibitionem poſtulandi ineſſe Publio, quam ſit notius prohibitionem poſtulandi ineſſe Sempronio. Si oſtenderimus Sempronium cæcum pro Caio poſtulare non poſſe, quod erit oſtendere maius extremum de minori extremo per medium in hunc modum,

Cæcum pro alio poſtulare prohibitum eſt.
Sempronium cæcum poſtulare pro Caio, eſt cæcum pro alio poſtulare, ergo
Sempronio cęco pro Caio poſtulare prohibitum eſt.

Si voluerimus demonſtrare maius extremum ineſſe medio, cæcum pro alio poſtulare non poſſe, id oſtendemus per ſimile minori extremo, ex quo Publius cum eſſet cæcus, prohibitus fuit a Bruto poſtulare pro Titio, & ſic habuimus reductionem exempli ad ſyllogiſmum.

Quæ ſatis dicta ſufficiant pro Iuriſperitis in hoc Capite.

De Apagoge, Deductioneque. Cap. XXV.

DEductio autem quando medio quidem primũ palam eſt ineſſe; poſtremo autem medium dubium quidem. Similiter autem credibile, aut magis concluſione, amplius ſi pauciora ſunt media poſtremo & medio; omnino enim propinquius eſſe accidit ſcientiæ, vt ſit A docibile, in quo B diſciplina, C iuſtitia: ergò diſciplina quoniam docibilis, manifeſtum: iuſtitia autem ſi diſciplina, dubium. Si igitur ſimiliter aut magis credibile ſit B,C, quàm A, C, deductio eſt: propinquius enim ſcientię, per quod aſſũpſerint A,C, diſciplinam, prius non habentes, aut ruſum ſi pauciora media ſint B,C: nam & ſic propinquius eſt ſcientiæ, vt ſi D ſit quadrangulare, in quo autem E rectilineum, in quo F circulus. Si ergo eius quod eſt E, F, vnum ſolum ſit medium per lunares

A figuras æqualem fieri rectilineo circulum, propinquius erit ſcientiæ; quando autem neque credibilius eſt B,C, quàm A,C, neque pauca media, non dico deductionem, neque quando immediata eſt B,C, de diſciplina enim quod eiuſmodi eſt.

B Poſt exemplum dicit de deductione, quæ conducit nos per dubiam propoſitionem in demonſtrationem occulti, eamq; determinat eſſe argumentationem, in qua maior propoſitio eſt per ſe nota, minor autem eſt dubia, æqualiter tamen, vel magis credibilis, quàm concluſio. Pro exemplo primi modi ſumit hos terminos A, B, C, & loco A maioris extremi docibile, loco B medij diſciplinam, loco C minoris extremi iuſtitiam. In his terminis ſecundum diſpoſitionem primæ figuræ fiet deductio, in C qua maior erit per ſe nota, & minor dubia, æqualiter tamen, vel magis credibilis, quam concluſio, tali pacto:

Omnis diſciplina eſt docibilis.
Omnis iuſtitia eſt diſciplina, ergo
Omnis iuſtitia eſt docibilis.

Planum enim eſt, quòd diſciplina eſt docibilis; minor verò propoſitio, quòd iuſtitia ſit diſciplina, eſt dubia, conducit tamen ad cognoſcendam concluſionem, ſcilicet iuſtitiam eſſe di- D ſciplinam.

Pro exemplo ſecundi modi ſumit hos terminos D, E, F, loco D maioris extremi quadrangulare, loco E medij rectam lineam, loco F minoris extremi circulum. In his terminis ſecundum ordinem primæ figuræ fiet talis deductio,

Omnis recta linea eſt quadrangularis.
Omnis circulus eſt recta linea, ergo
Omnis circulus eſt quadrangularis.

In hac argumentatione cum ad concluſio- E nem plura ſint media, minoris propoſitionis vnicum tantum eſt medium, per lunares figuras æqualem fieri recti lineæ circulum. In fine concludit, quòd ſi minor propoſitio non ſit æque, vel magis credibilis, quam concluſio, & dubia, non erit argumentatio per deductionem, quia non cunducet nos per aliquod propinquius ſciẽtiæ, ſi namque propoſitio foret immediata, eſſet demonſtratio, & ſcientia perfecta. Dicit igitur: *Deductio autem quando medio quidem primum palam eſt ineſſe*. Deductio eſt argumentatio, in qua F notum eſt ineſſe medio maius extremum in maiori propoſitione: *poſtremo autem medium dubium quidẽ*: minus verò extremum ineſſe medio in minori propoſitione eſt quidem incertum. *Similiter autẽ credibile, aut magis concluſione*; æque tamen credibile aut magis quam concluſio, *amplius ſi pauciora ſunt media poſtremo, & medio*, & vlterius

ꝫterius ſi per pauciora media oſtendatur minor propoſitio quam concluſio; *omnino enim propinquius eſſe accidit ſcientiæ*; quoniam tunc contingit minorem propoſitionem propinquiorum eſſe ſcientiæ, quam cõcluſioni, declarat prędicta exẽplo, *vt ſit A docibile*, veluti ſi ſint hi termini, loco A maioris extremi docibile, *in quo B diſciplina*. loco B medij diſciplina, *C iuſtitia*, & loco C minoris extremi iuſtitia generalis, ea quæ in ſeſe virtutes continet omnes; *diſciplina quidem docibilis manifeſtum*. In his itaque maius extremum ineſſe medio in maiori propoſitione notum eſt; *iuſtitia autem ſi diſciplina, dubium*; medium verò ineſſe minori extremo in minori propoſitione, dubium eſt. *Si igitur ſimiliter, aut magis credibile ſit B, C, quàm A, C*. Si igitur minor propoſitio extiterit aut æque, aut magis credibilis quam concluſio, *deductio eſt*, erit argumentatio per deductionem; *propinquius enim ſcientiæ, per quod aſſumpſerunt A, C, diſciplinã prius non habentes*; eſt enim dicta propoſitio minor proximior ſciẽtiæ. per quã ſyllogizando aſſumptio eſt concluſio, cuius prius nulla habebatur ſciẽtia, *aut rurſus ſi pauciora media ſint B, C*, & vlterius fiet deductio ſi minor propoſitio per pauciora media demonſtretur quam concluſio; *nam & ſic propinquius eſt ſcientiæ*; quoniam etiam tali pacto minor propoſitio eſt propinquior ſcientiæ, cum per pauciora media monſtretur, quàm concluſio penitus ignorata, quæ per plura media habetur manifeſtari, declarat exemplo, *vt ſi D ſit quadrangulare*, veluti ſi ſint tres termini D, E, F, loco D maioris extremi quadrangulare, *in quo autem E rectilineum*, & loco B medij linea recta, *in quo F circulus*, & loco F minoris extremi circulus. *Si ergo eius quod eſt E, F, unum ſolum ſit medium*. Si ergo in his terminis minor propoſitio per vnum tantum medium demonſtretur, *per lunares figuras æqualem fieri rectilineo circulum*, per hoc ſcilicet circulum æqualem fieri lineæ rectæ quadrati per lunares figuras, *propinquius erit ſcientiæ*, minor erit propinquior ſciẽtię quàm cõcluſio: *quãdo autem neque credibilius eſt B, C, quàm A, C*: ſi verò minor propoſitio non ſit æque, uel magis credibilis concluſione, *neque pauca media*, neque per pauciora monſtretur media minor propoſitio, quam concluſio, *non dico deductionem*, non erit ex deductione argumentatio; *neque quando immediata eſt B, C*, neque erit deductio, ſi minor propoſitio extiterit immediata; *diſciplina enim quod eiuſmodi eſt*; huius namque demonſtratio eſt, & perfecta ſcientia.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXV. de Apagoge, Deductioneque pro Iuris ſtudioſis.

HAbuimus quod deductio eſt agrumentatio, in qua maior propoſitio eſt per ſe nota, minor verò dubia,

A æque tamen, vel magis credibilis, quàm concluſio, vel etiam minor per pauciora media monſtratur, quam concluſio.

Poſſumus formare huiuſcemodi argumentationem in terminis deſumptis in tit. de diuortijs, & in l. diuortio. §. 1. ff. de verb. ſignif. in hunc modum,

Omne diuortium eſt inter virum, & mulierem.
Omne repudium eſt diuortium, ergo
B Omne repudium eſt inter virum & mulierem.

Maior propoſitio huius ratiocinationis eſt per ſe nota, minor dubia, æque tamen, vel magis credibilis concluſione.

Hæc itaque dicetur deductio, quòd idem erit, ſi minor per pauciora monſtretur media, quam concluſio, verùm de mediata, immediataq́; propoſitione habebimus in Poſt. ad præſens dicta ſatis de ſimili argumentatione, quæ in ſcientijs, vel artibus frequentem non habet vſum.

C

De inſtantia Cp. XXVI.

INſtantia autem propoſitio propoſitioni contraria: differt autem à propoſitione, quoniam contingit quidem inſtã
D tiam eſſe in parte, propoſitionem verò aut omnino non cõtingit, aut non in vniuerſalibus ſyllogiſmis: fertur autem inſtantia duobus modis, & per duas figuras, duobus modis quidem, quoniam aut vniuerſalis, aut particularis omnis inſtantia; per duas
E autem figuras, quoniam oppoſitæ feruntur propoſitioni; oppoſita autem in prima & tertia figura perficiuntur ſolis; nam quando poſtulatur omni ineſſe, inſtamus quoniam nulli, aut quoniam alicui non ineſt; horum autem nulli quidem ex prima figura; alicui autem non, ex
F poſtrema;

Pertractat Ariſtoteles de inſtantia, quam dicit eſſe propoſitionem propoſitioni contrariam, eamq́; differre a propoſitione, quoniam inſtantia vel ponit vniuerſale, vel particulare: propoſitio verò, cuius deſtructionem intendimus,

mus, ſemper eſt vniuerſalis; & cum inſtantia ſit duplex, vniuerſalis, & particularis, eandem dicit fieri per duas figuras. Volentes enim deſtruere propoſitionem vniuerſalem, inſtabimus vel ponentes contrariam, vt omni ineſſe, nulli ineſſe, vel, inſtabimus ponentes cõtradictoriam, vt omni ineſſe, non omni ineſſe, primo modo per primam figuram in ſecunda iugatione, ſecundo modo per tertiam figuram, & inquit; *Inſtantia autem propoſitio propoſitioni contraria.* Inſtantia eſt propoſitio contraria propoſitioni propoſitæ; *differt autem à propoſitione*, ſed differt inſtantia a propoſitione, *quoniam contingit quidem inſtantiam eſſe in parte*, quia inſtantia poteſt eſſe particularis; *propoſitionem verò aut omnino non contingit*; verùm propoſitio aut penitus non poteſt eſſe particularis, *aut non in vniuerſalibus ſyllogiſmis*, vel ſaltem in vniuerſalibus ſyllogiſmis, ad quos cæteri reducuntur: *fertur autem inſtantia duobus modis, & per duas figuras*, & efficitur inſtantia per duplicem modum, & in duabus figuris, *duobus modis quidem*, per duplicem modum, *quoniam aut vniuerſalis, aut particularis omnis inſtantia*, quia inſtantia eſt duplex, vel vniuerſalis, vel particularis; *per duas autem figuras*, & in duabus figuris, *quoniam oppoſitæ feruntur propoſitioni*, quia inſtantia eſt oppoſitio propoſitionis propoſitæ; *oppoſita autem in prima, & tertia figura perficiuntur ſolis*; & oppoſita tali propoſitioni non concluduntur niſi in prima & tertia figura; *nam quando poſtulatur omni ineſſe*; quoniam ſi aliquis ponet omni ineſſe, *inſtamus quoniam nulli, aut quoniam alicui non ineſt*, inſtamus vel ponentes contrariam nulli ineſſe, vel ponentes contradictoriam non omni ineſſe; *horum autem nulli quidem ex prima figura*, ſi contrariam ponentes inſtare volumus, id efficimus per primam figuram; *alicui autem non, ex poſtrema*, & ſi contradictoriam inſtare voluerimus, id efficiemus per tertiam.

Vt ſit A vnam eſſe diſciplinam, in quo B contraria; proponit ergo vnam eſſe contrariorum diſciplinam, aut quoniam omnino non eſt eadem oppoſitorum inſtant, contraria autem oppoſita; quare fit prima figura; aut quoniam noti, & ignoti non vna; hæc autem tertia; nam ſecundum tertiam, notum, & ignotum contraria quidem eſſe; verum; vnam autem eſſe eorum diſciplinam, falſum, rurſum in priuatiua propoſitione ſimiliter. Cum poſtulat enim non eſſe contrariorum vnam diſciplinam; aut quoniam omnium oppoſitorum

A aut quoniam contrariorum aliquorum eſt eadem diſciplina, dicimus vt ſani, & ægri, ergo omnium quidem ex prima, aliquorum verò ex tertia figura.

Declarat exemplo Ariſtoteles ſupra poſita, inſtantiam nempe, ſiue inſtantiuum ſyllogiſmum fieri & per primam, & per tertiam figuram, & ſumit terminos A, B, & loco A vnam eſſe diſci-
B plinam, loco B contraria, vnde propoſitio ſit, quod omne B ſit A, ſiue quòd omnium contrariorum vna eſt diſciplina. Contra hanc propoſitionem ſi inſtare voluerimus, aut oſtendemus contrariam, nullorum contrariorum vnam eſſe diſciplinam, per ſecundum modum primæ figuræ, ſcilicet

CE- Nullorum oppoſitorum vna eſt diſciplina.
LA- Omnia contraria ſunt oppoſita, ergo
C RENT Nullorum contrariorum vna eſt diſciplina.

Aut oſtendemus contradictoriam aliquorum contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, videlicet ſyllogizantes per tertiam figuram, per ſecundum modum.

FE Noti, & ignoti non eſt vna diſciplina.
LA Notum, & ignotum ſunt contraria. ergo
PTON Aliquorum contrariorum non eſt vna
D diſciplina.

Conſimiliter ſi propoſitio extiterit negatiua nullorum contrariorum vna eſt diſciplina, ſi inſtare voluerimus, vel oſtendemus contrariam omnium contrariorum vnam eſſe diſciplinam per primum modum primæ figuræ, videlicet

BAR Omnium oppoſitorum vna eſt diſciplina.
BA Omnia contraria ſunt oppoſita, ergo
RA Omnium contrariorum vna eſt diſciplina.

E Vel oſtendemus contradictoriam per tertiam figuram.

DA Morbi, & ſanitatis vna eſt diſciplina.
RA Morbus, & ſanitas ſunt contraria, ergo
PTI Aliquorum cõtrariorũ vna eſt diſciplina.

Dicit igitur *Vt ſit A vnam eſſe diſciplinam, in quo B contrariam.* Veluti ſi ſint hi duo termini A, B conſtituentes propoſitionem, omne B eſt A, vel in terminis materialibus omnium contrariorum vnam eſſe diſciplinam, quod inquit: *proponit ergo vnam eſſe contrariorum diſciplinam.* Con-
F tra hanc propoſitionem ſi inſtare voluerimus, *aut quoniam omnino non eſt eadem oppoſitorũ inſtant*, aut oſtendemus contrariam ſyllogizantes ex hac vniuerſali negatiua, nullorũ oppoſitorum vna eſt diſciplina loco maioris, *contraria autem oppoſita*, & ex hac vniuerſali affirmatiua omnia contraria ſunt oppoſita loco minoris; *quare fit*

prima

prima figura, & tali pacto erit ſecundus modus primæ figuræ, *aut quoniam noti, & ignoti non vna*, aut oſtendemus contradictoriam ſumentes pro maiori hanc propoſitionem, quod noti, & ignoti non eſt vna diſciplina, *hac autem tertia*, & ita erit ſecundus modus tertiæ figuræ; *nam ſecundum tertiam; notum, & ignotum contraria quidem eſſe verum*; quoniam in tali coniugatione tertiæ figuræ adiungemus maiori poſitæ hanc minorem veram, notum, & ignotum ſunt contraria; *vnam autem eſſe eorum diſciplinam, falſum*, & cum ſit falſum noti, & ignoti vnam eſſe diſciplinam, ſequetur conclusio intenta vera, aliquorum contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, *rurſus in priuatiua propoſitione ſimiliter*, & idem euenit in inſtantia contra propoſitionem negatiuam, quòd ſcilicet efficitur per primã & tertiam figuram. *Cum poſtulat enim non eſſe contrariarum vnam eſſe diſciplinam*. Quando enim propoſitio, cuius deſtructionem intendimus, erit negatiua, vt puta, nullorum cõtrariorum vnam eſſe diſciplinam, *aut quoniam omnium oppoſitorum, aut quoniam contrariorum aliquorum eſt eadem diſciplina dicimus*, inſtamus oſtendentes aut contrariam per hanc propoſitionem omnium oppoſitorum eſt vna diſciplina, aut contradictoriam aliquorum contrariorum eſt vna diſciplina, *vt ſani, & ægri*, per hanc maiorem propoſitionem, morbi, & ſanitatis vna eſt diſciplina; *ergo omnium quidem*: contrariam igitur oſtendimus *ex prima*, per primam figuram, *aliquorum vero*, ſed contradictoriam, *ex tertia figura*, per tertiam figuram.

Simpliciter autem in omnibus vniuerſaliter quidem inſtantibus, neceſſe eſt ad id quod uniuerſale eſt propoſitio contradictionem dicere, ut ſi non unam exiſtimet contrariorum omnium dicere oppoſitorum unam. Sic autem neceſſe eſt primam eſſe figuram, medium enim fit uiniuerſale, ad hoc quod ex principio; quod autem ad hoc in parte eſt uniuerſale, dicitur propoſitio, ut noti & ignoti non eandem, nam contraria uniuerſale, ad hæc, & fit tertia figura: medium enim in parte ſumptum, ut notum & ignotum, nam ex quibus eſt ſyllogizare contrarium, ex ijs & inſtantias conamur dicere, quare & ex his ſolis figuris ferimus; nam in his ſolis oppoſiti ſyllogiſmi, per mediã enim figurã non fuit affirmare.

A Concludit ex dictis, quod ſi voluerimus inſtantes deſtruere vniuerſalem propoſitionem, eſt omninò per nos ſumendum aliquod ſupra ſubiectum propoſitionis, medium ſcilicet vniuerſalius, quo pacto neceſſario fit prima figura, veluti ſi fuerit propoſitio vniuerſalis affirmatiua contrariorum vnam eſſe diſciplinam ponendum pro medio oppoſitum ſub quo, vt potè ſub communiori cõtrarium continetur. Si verò deſtruere voluerimus particularem propoſitionem ſumendum pro medio aliquod ſub ſubiecto propoſitio- B nis, aliquod minus particulare, vt notum & ignotum; & inde merito inducit inſtantiuum ſyllogiſmum fieri in prima & tertia figura, non autem in ſecunda; quoniam cum inſtantia velit concludere contrarium, & contrarium per primam, & tertiam figuram oſtendatur, non in ſecunda, quæ ſolum negatiue concluditur. Propterea in his duabus figuris, excluſa tertia, inſtantiuus ſyllogiſmus fit, ideo dicit: *ſimpliciter autem in omnibus vniuerſaliter quidem inſtantibus*. Volentes deſtruere vniuerſalem propoſitionem, *neceſ-* C *ſe eſt ad id quod vniuerſale eſt propoſitio contradictionem dicere*, ſumendum eſt omnino medium quod ſit vniuerſalius, et ſupra ſubiectum propoſitionis. *vt ſi non vnam exiſtimet contrariorum omnium*, veluti ſi propoſitio ſit omnium contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, *dicere oppoſitorum vnam*, ſumendum pro medio oppoſitum ſub quo, vt communiori contrariorum continetur omnium oppoſitorum vnam eſſe diſciplinam, *ſic enim neceſſe eſt primam eſſe figuram*, quia tale medium ſumendo efficitur neceſſario prima figura; D *medium enim ſit uniuerſale ad quod ex principio*, cum ſcilicet tale ſumptum medium ſit communius ſubiecto propoſitionis, cuius deſtructio intenditur: *quod autem ad hoc in parte eſt vniuerſale, dicitur propoſitio*: ſi autem particulariter, & contradictorie inſtabimus, ſumendum medium particulare exiſtens ſub ſubiecto propoſitionis, quam obijciemus, *vt noti, & ignoti non eandem*, veluti inſtantes particulariter contra vniuerſalem propoſitionem omnium contrariorum eandem eſſe diſciplinam, ſumẽdum medium particulare ſub ſubie- E cto cõtentum, vt puta notum, & ignotum, quod erit ſumptum ſub contrario, vt ſub vniuerſali, & dicendũ, noti & ignoti nõ eſt vna diſciplina, *nam contraria vniuerſale ad hæc*; cõtraria namque ſunt commune quoddam ad notum, & ignotum, *& fit tertia figura*: vnde ſequitur de neceſſitate tertia figura; *medium enim in parte ſumptum vt notum & ignotum*; quia medium erit ſumptum particulariter ſub ſubiecto communi; *nam ex ijs, ex quibus eſt ſyllogizare contrarium, ex ijs & inſtantias conamur dicere*: ſiquidem per quem ſyllogiſmum F contrarium oſtenditur per eundem inſtantiue ſyllogizatur: *quare & ex his ſolis figuris ferimus, nã in his ſolis oppoſiti ſyllogiſmi*: & propterea ſolum in prima & tertia figura inſtamus, cum & in ſecunda & tertia ſolum fiat ſyllogiſmus ex oppoſitis; *per mediam enim figurã non fuit affirmare*: ſiquidem in ſecũda figura affirmatiue non eſt ſyllogizare;

Amplius autem & ſi fit, oratione A
indiget plurima, quæ eſt per mediam
figuram, vt ſi non concedat A ineſſe
B, eo quod non ſequitur hoc C: hoc
enim per alias propoſitiones mani-
feſtum: non oportet autem inſtan-
tiam conuerti ad alia, ſed ſtatim ma-
nifeſtam habere alteram propoſitio-
nem. Quapropter & ſignum ex ſo- B
la hac figura non eſt; perſpiciendum
autem & de aliis inſtantiis, ut de il-
lis, quæ ſunt ex contrario, & ſimi-
li, & ſecundum opinionem, & ſi par-
ticularem ex prima, uel priuatiuam
ex media, poſſibile eſt ſumere.

Proſequitur Ariſtoteles conſiderare, quòd in- C
ſtantia in ſecunda figura fieri non poſſit, ex hoc
ſcilicet, quoniam in inſtantia oportet ſumere ma
iorem euidenter oppoſitam, quod in ſecunda fi-
gura minime fieri contingit, niſi medio conuer-
ſionis, quæ eſt neceſſaria ad hoc, vt propoſitio
oſtendatur, veluti ſi quis volens deſtruere hanc
propoſitionem, omne B eſſe A in ſecunda figura,
ſumpto C pro medio ſyllogizabit in eadem figu-
ra tali pacto, nullum A eſt C, nullum B eſt C; ergo
nullum B eſt A, maior propoſitio non repugnat
euidenter huic propoſitioni, omne B eſt A, cuius D
deſtructionem intendimus, ſed opus eſt longiori
oratione, & vt conuerſione vtamur, inſuper ad-
dit, quod neque a ſigno in ſecunda figura ſyllogi
zatur, quoniam a ſigno non valet argumentari
niſi affirmatiue. Vlterius aduertendum dicit de
alterius generis inſtantijs, vt puta a contrario, a ſi
mili, & ſecundum proportionem; ſecundum opi
nionem; a contrario, vt ſi quis dicat, pacem ſem-
per expectendam, nos inſtabimus, quod bellum
quandoque eſt neceſſarium, a ſimili, vt ſi quis a
coniugatis dicat, quòd omne iuſtum eſt bonũ; E
nos inſtabimus, quod aliquod iuſte factũ eſt ma-
lum, vel ſecundum proportionem ſi quis dicat,
quòd qui magno ſunt corpore, digni ſunt onere,
nos inſtabimus, quòd alqui paruo corpore, non
ſunt indigni onere, ſecundum opinionẽ, vt ſi quis
dicat, animã eſſe mortalẽ, inſtabimus, quòd ſapiẽ
tiſſimi Philoſophi, Plato, & Ariſtoteles opinati
ſunt eam immortalem. Denique in calce capitis
conſiderandũ aſſerit, nunquid particularis inſtan
tia per primam figuram, & negatiua per ſecun-
dam fieri contingat, & inquit: *Amplius autem &* F
ſi fit. Quod ſi in ſecunda figura dicatur fieri inſtã
tia, *oratione indiget plurima, quæ eſt per mediam figu
ram,* opus erit longiori ſermone, & materia, *vt ſi
non concedant A ineſſe B,* veluti ſi inſtare volueri-
mus nullum B eſſe A, *eo quod non ſequitur hoc C,*
quoniam nullum C eſt A; *hoc enim per alias propoſi
tiones manifeſtum;* hoc manifeſtari oportet per
alias propoſitiones, videlicet per conuerſionem;
& huiuſmodi: *non oportet autem inſtantiam conuer-
ti ad alia:* verùm non eſt opus inſtantiam ad alia
conuerti, ſed per ſe opus eſt eſſe manifeſtam,
quod habet, *ſed ſtatim manifeſtam habere alteram
propoſitionem,* nempe maiorem. *Quapropter & ſi-
gnum ex ſola hac figura non eſt.* Et propterea neque
a ſigno in hac figura valet argumentari; *perſpiciẽ-
dum autem & de alijs inſtantijs.* Inſuper conſiderã-
dum de reliquis inſtantijs, *vt de ijs, quæ ſunt ex con
trario, & ſimili, & ſecundum opinionem,* de quibus
alias diſtincte tractabimus, *& ſi particularem ex
prima, vel priuatiuam ex media, poſſibile eſt ſumere,*
& vlterius nunquid particularis inſtantia per pri
mam figuram fieri, & negatiua per ſecundam
contingat.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXVI. de inſtantia pro Iuris ſtudioſis.

DVo in hoc Capite principaliter conſi-
deranda.

Primum, quòd inſtantiuus ſyllogiſ-
mus, qui fit ad deſtructionem propoſi
tæ propoſitionis conſtruitur per duas figuras, per
primam, & per tertiam.

Secundum, quòd inſtantia fit à contrarijs, à ſi-
mili, & ſecundum opinionem.

Pro exemplo primi capitis deſumi poſſunt ter
mini in tit. Inſt. de empt. & vend. & de oblig.

Inſtantiuus ſyllogiſmus per primam figuram
efficietur, quando propoſitio, quam inficiabimus
extiterit affirmatiua, & vniuerſalis, & adhuc in-
ſtantia erit vniuerſalis per contrariam propoſi-
tionem, veluti ſi quis dixerit, quòd nulla emptio
ſit obligatoria, vniuerſaliter per primam figurã
oſtendemus, quòd omnis emptio eſt obligato-
ria, vt

BAR Omnis contractus eſt obligatorius.
BA Omnis emptio eſt contractus, ergo
RA Omnis emptio eſt obligatoria.

Inſtantiuus ſyllogiſmus per tertiam figuram
efficietur, quando contra eandem propoſitionẽ
affirmatiuam vniuerſalem obijciemus particu-
lariter contrariam, videlicet

DA Omnis ſtipulatio eſt obligatoria.
RI Aliqua ſtipulatio eſt emptio, ergo
SI Aliqua emptio eſt obligatoria.

Pro exemplo ſecundi capitis de inſtantia à cõ
trarijs deſumuntur termini Inſt. tit. de act. §.
actionum. Si quis enim dicat, aliquem contractũ
eſſe bonæ fidei, inſtabimus eſſe ſtricti iuris. Pari-
ter deſumuntur termini in l. 1. ff. de rer. diuiſ. ve-
luti ſi quis dicat, aliquam rem eſſe corporalem,
nos inſtabimus quòd ſit incorporalis.

A ſimili fieri poteſt inſtantia per terminos de-
ſumptos in l. in Aſia. §. fin. ff. depoſiti. Si quiſpiã
namque dicat, quòd ex teſtamento, vel ex ſtipula
tu dari oportet poſt iudicium acceptum cum de
tri-

trimento rei non perire, nos inſtabimus, quòd depoſitum eo die, quo depoſiti actum eſt, periculũ eius eſt apud quem depoſitum fuerit.

Secundum opinionem fit inſuper inſtantia in terminis deſumptis in l. legis uirtus, ff. de legib. quoniam ſi propoſitio extiterit aduocatum adeſſe debere torturæ, interrogationi, & examinationi, inſtabimus ex auctoritate Bartoli contrarium dicentis in l. in actione. ff. de in litem iurando.

Quæ ſatis ſint pro Iuris ſtudioſis ſuper hoc Capite.

De Eicote, hoc eſt conſentaneo ſigno, indicio, & enthimemate. Cap. XXVII.

EIcos autem, & ſignum non idem eſt, ſed eicos quidem eſt propoſitio probabilis; quod enim vt in pluribus ſciunt ſic factum vel non factum, aut eſſe, vel non eſſe, hoc eſt eicos, vt odire inuidentes, vel diligere amantes. Signum autem vult eſſe propoſitio demonſtratiua, vel neceſſaria, vel probabilis; nam quo exiſtente eſt, vel quo facto prius, vel poſterius res, ſignum eſt vel fuiſſe, vel eſſe.

Vbi in ſuperioribus pertractauit de exemplo, & inductione, in præſenti agit de enthimemate, & in primis de veriſimili, & ſigno, ex quibus enthimema procedit, & ponit, quòd veriſimile eſt propoſitio probabilis, & conſiſtit in ijs rebus, quæ fiunt vt plurimum, vt diligere amicos, odire inimicos. Signum autem eſt propoſitio demõſtratiua, vel ea ſit neceſſaria per coniecturam, vel probabilis per veriſimile, & dicit: *Eicos autem & ſignum non idem eſt.* Veriſimile & ſignum diſtinguuntur, nec ſunt idem, *ſed eicos quidem eſt propoſitio probabilis,* ſiquidem veriſimile eſt propoſitio opinabilis. *Quod enim vt in pluribus ſciunt ſic factũ, vel non factum, aut eſſe, vel non eſſe, hoc eſt eicos.* Illud enim eſt veriſimile, quod vt plurimum eſt, vel non eſt, factum eſt, vel factum non eſt, *ut odire inuidentes, vel diligere amantes,* ſicuti ſe habet in amore, & odio, quod plerſique amamus amicos, & odio habemus inuidos, & inimicos. *Signum autem vult eſſe propoſitio demonſtratiua.* Signum verò eſt indicatiua, & oſtenſiua propoſitio, quæ eſt duplex, *vel neceſſaria,* vt quæ per coniecturam, *vel probabilis,* vt quæ per veriſimile; *nam quo exiſtente eſt,* id namque quo exiſtente res eſt, & ex eo infertur, *vel quo facto prius,* vel quo facto in præterito, res facta eſt in præterito, ſicuti pallor cõceptum

A factum indicat, *vel poſterius res,* vel quod illud prius facto res erit, veluti laſſitudo in corpore indicat ægritudinem futuram, *ſignum eſt, vel fuiſſe, vel eſſe,* id dicitur ſignum.

Enthimema ergo eſt ſyllogiſmus imperfectus ex eicotibus, & ſignis; accipitur autem ſignũ tripliciter, quoties, & medium in figuris: aut enim vt in prima, aut in media, aut vt in

B tertia, vt oſtendere quidem parientem eſſe, quòd lac habeat ex prima figura; medium enim lac habere in quo A parere B, lac habere mulier in quo C. Quoniam autem ſapientes, ſtudioſi; nam Pittacus eſt ſtudioſus. per poſtremam in quo A ſtudioſum, in quo B ſapientes, in quo

C C Pittacus. Verùm igitur A & B de C prædicari, ſed hoc quidem non dicunt quia notum ſit; illud verò ſumunt, peperiſſe autem quoniam pallida, per mediam figuram vult eſſe; quoniam enim ſequitur parientes pallor, ſequitur autem & hanc, oſtenſum

D eſſe arbitrantur, quoniam peperit, pallor in quo A, parere in quo B, mulier in quo C. Ergo ſi vna quidem dicatur propoſitio, ſignum ſit ſolum; ſi autem & altera ſumitur ſyllogiſmus, vt Pittacus liberalis, nam ambitioſi liberales, Pittacus autem ambitioſus; aut rurſus quoniam ſapien-

E tes boni, Pittacus autem bonus, ſed & ſapiens; ſic ergo fiunt ſyllogiſmi.

Tranſit Ariſtoteles ad tractationẽ de enthimemate, & illud definit, quòd ſit ſyllogiſmus imperfectus procedens ex veriſimilibus, & ſignis, & determinat ſignũ, quoniam eſt quaſi medium enthimematis variari ſecundum tres modos ad inſtar medij in ſyllogiſmo: vel enim ità ſe habet, vt ſit pars vnius, & totum alterius, & tunc complicatur ſignum in prima figura; vel ita ſe habet, vt

F vnum commune prædicatum de pluribus, & cõponitur ſignum in ſecunda figura; vel demum ſe habet, vt vnum commune ſubiectum ſubſtans pluribus, & ita componitur in tertia.

Exemplum ſigni in prima figura.

Hæc mulier habet lac in mamillis, ergò peperit.

Hoc enthimema reducitur ad ſyllogiſmum primæ figuræ, poſito loco B medij lac habere, loco A maioris extremi parientem eſſe, loco C minoris extremi in mamillis habere, hunc in modũ in elementis.

Omne B eſt A.
Aliquod C eſt B, ergo
Aliquod C eſt A.

In terminis.

Omnis mulier habens lac in mamillis pariens eſt.
Hæc mulier hebet lac in mamillis, ergo
Hæc mulier pariens eſt.

Et ita id enthimema habens tacitam maiorẽ propoſitionem tanquam manifeſtum reducitur in primam figuram.

Exemplum ſigni in ſecunda figura.

Pittacus eſt ſtudioſus, ergo ſapientes ſunt ſtudioſi.

Id enthimema reducitur ad tertiam figuram, ſumpto loco A maioris extremi ſtudioſo, loco B minoris extremi ſapiente, loco C medij Pittaco.

Pittacus eſt ſtudioſus.
Pittacus eſt ſapiens, ergo
Sapiens eſt ſtudioſus.

Hunc in modum habemus id enthimema omiſſam habens conceſſam propoſitionem, quòd Pittacus eſt ſapiens, reductum in tertiã figuram.

Exemplum ſigni in ſecunda figura.

Hæc eſt pallida, ergo peperit.

Id enthimema ſumpto pallore loco A maioris extremi, parere loco B medij, muliere loco C minoris extremi reducitur ad ſecundam figuram.

Quæcunque peperit eſt pallida.
Hæc mulier eſt pallida, ergo
Hæc mulier peperit.

Verùm hæc reductio ponitur potius gràtia exempli, quoniam re vera cum ſecunda figura ſolum negatiue cõcludatur ex duabus affirmatiuis, in ipſa fit aſſyllogiſtica iugatio, vt in præcedentibus docuimus. Poſt hæc ex dictis quaſi concluſiue colligit Ariſtoteles, quòd enthimemá in hoc differt a ſyllogiſmo, quòd enthimema procedit ex vna propoſitione, ſyllogiſmus ex duabus, quoniam ſi vna tantum vocaliter exprimatur propoſitio, ſignum fit, ex quo ſumitur enthimema: ſi autem cum illa etiã altera exprimatur, fit ſyllogiſmus, quòd oſtendit per exemplum, & in prima, & in tertia figura.

In prima, quoniã ſi voluerimus probare, quòd Pittacus quia eſt ambitioſus, ideo eſt liberalis, ſic argumentamur.

Omnis ambitioſus eſt liberalis.
Pittacus eſt ambitioſus, ergo
Pittacus eſt liberalis.

In tertia, quoniam ſi voluerimus probare, quod quia Pittacus eſt ſtudioſus, ideo boni ſunt ſtudioſi, ſic agumentamur.

Pittacus eſt ſtudioſus.
Pittacus eſt bonus, ergo
Bonus eſt ſtudioſus.

Et ſic habemus per omnes figuras fieri enthi-

A memaiis ſyllogiſmum. Percurramus textum: *Enthimema ergo eſt ſyllogiſmus imperfectus ex ícotibus, & ſignis.* Enthimema itaque eſt ratiocinatio imperfecta procedens ex veriſimilibus, & ſignis; *accipitur autem ſignum tripliciter, quoties et medium in figuris*; ſumitur autem ſignum ſecundum tres modos, quemadmodum & medium tribus modis ordinatur in figura ſyllogizandi; *aut enim vt in prima*; eſt namque ſignum vel vt pars vnius, & totum alterius, quemadmodum medium in prima figura, *aut vt in media*, vel vt vnum commune

B prædicatum de pluribus, quemadmodnm in ſecunda ngura, *aut vt in tertia*, vel vt vnum commune ſubiectum ſubſtans pluribus, vt in tertia. Declarat exemplo, *vt oſtendere quidem parientem eſſe, quòd lac habeat ex prima figura,* veluti enthimema demouſtrans mulierem peperiſſe, ex quo habet lac in mamillis reducetur ad primam figuram; *medium enim lac habere*; quoniam ſignum ad inſtar medij eſt lac habere, vt puta ſic ſumptis terminis, *in quo A parere*, loco A maioris extremi, poſito parere: *B lac habere*, loco B medij, poſito lac ha-

C bere, *mulier in quo C*, & loco C minoris extremi, poſita muliere. *Quoniam autem ſapientes ſtudioſi, nã Pittacus eſt ſtudioſus prr poſtremam.* Enthimema verò probans, quòd quia Pittacus eſt ſtudioſus, ideo ſapientes ſunt ſtudioſi, reducitur ad tertiam, ſumptis his terminis, *in quo A ſtudioſum*, ſcilicet loco A maioris extremi, ſtudioſo, *in quo B ſapientes*, loco B minoris extremi, ſapientibus, *in quo C Pittacus*, loco C medij, Pittaco. *Verum igitur A & B*; quoniam & A maius extremũ, & B minus extre-

D mũ, *de C prædicari*, prædicatur de C medio; *ſed hoc quidẽ non dicunt, quia notum ſit*; verùm hoc conceſſum, Pittacum eſſe ſapientem, omittimus tanquã manifeſtũ; *illud verò ſumunt*; at Pittacũ eſſe ſtudioſum, ponimus in enthimemate. *Peperiſſe autẽ quoniã pallida, per mediam figurã vult eſſe.* Enthimemá autẽ probans, ideo aliquam mulierem peperiſſe, quoniam eſt pallida, reducitur ad ſecundam *quoniam enim ſequitur parientes pallor*; quoniam enim plerunque parientes ſequitur pallor, *ſequitur autem & hanc*, & hæc mulier eſt pallida, *oſtenſum eſ-*

E *ſe arbitrantur, quoniam peperit*, arbitrantur oſtenſũ eſſe per cõcluſionem hanc peperiſſe, ſumptis his terminis, *pallor in quo A*, pallor loco A maioris extremi, *parere in quo B*, parere loco B medij, *mulier in quo C*, mulier loco C minoris extremi. *Ergo ſi vna quidem dicatur propoſitio, ſignum ſit ſolum.* Si igitur vna tantum exprimatur propoſitio, ſignũ erit; *ſi autem & altera ſumitur ſyllogiſmus*; ſi verò cum ea & altera exprimatur, fit ſyllogiſmus, *vt Pittacus liberalis*, veluti hæc concluſio, Pittacus eſt liberalis, ſyllogizabitur: *nã ambitioſi liberales*, ſi

F exprimetur hęc propoſitio vniuerſalis, omnis ambitioſus liberalis; *Pittacus autẽ ambitioſus*, & ei adiuncta erit hæc altera quòd Pittacus eſt ambitioſus, ſic namque efficietur ſyllogiſmus in prima figura, *aut rurſus*, vel inſuper ſyllogizabimus hanc concluſionem, quòd bonus eſt ſapiens, quod dicit, *quoniam ſapientes boni*, poſita hac propoſitione, *Pittacus autem bonus*, quòd Pittacus bonus eſt,

ſed, &

ſed, & ſapiens, & poſita alia, quòd Pittacus ſapiens eſt. *Sic ergo fiunt ſyllogiſmi*; & ita enthimemata reducuntur ad ſyllogiſmum in omnem figuram.

Verum quidem per primam figuram inſolubilis, ſi verus ſit, vniuerſalis enim eſt; qui autem per poſtremam, eſt ſolubilis; & ſi vera ſit concluſio, eo quod non vniuerſalis eſt in tertia, nec ad rem ſyllogiſmus; non B enim ſi Pittacus eſt ſtudioſus, propter hoc; & alios neceſſe eſt eſſe ſapientes; qui verò per mediam figuram eſt, ſemper & omnino ſolubilis, nunquam enim ſyllogiſmus fit, ſic ſe habentibus terminis; non enim ſi quæ peperit pallida; pallida autem C & hæc, neceſſe eſt parere hanc; ergo verum eſt quidem in omnibus figuris, differentias autem habent iam dictas.

Ponit differentiam inter ſyllogiſmum enthimematis primæ figuræ, & ſyllogiſmos enthimematis ſecundæ & tertiæ figuræ, quòd ſcilicet ſyllogiſmus enthimematis primæ figuræ quãdo eſt verus, eſt perfectus, eſt inſolubilis, quoniã propoſitio; ſuper qua fundatur, eſt vniuerſalis; at ſyllo- D giſmus enthimematis, qui fit per tertiam figurã, quamuis verus, eſt ſolubilis, quando eſt ex ſingularibus, ex quibus nulla fit perfecta ratiocinatio: ſyllogiſmus verò enthimematis per ſecundam figuram ſemper eſt ſolubilis, & imperfectus, ſiue propoſitio aſſumatur vniuerſalis, ſiue non, quoniam procedit ex vtriſque affirmatiuis, èx quibus fit iugatio aſſyllogiſtica in ſecunda figura, quoniam non ſequitur neceſſario in ſecunda figura, quòd ſi quæcunque peperit, pallida ſit: hæc E ideo pariens ſit, quia pallida eſt namque fallacia conſequentis. Concludit itaque ſyllogiſmum quidem enthimematis in omnibus figuris fieri, verũ dictis differentijs, & inquit: *Verum quidem per primam figurã inſolubilis, ſi verus ſit*. Sed ſyllogiſmus enthimematis, qui fit per primam figuram, ſi verus extiterit, erit perfectus, & inſolubilis, *vniuerſalis enim eſt*, quoniam ſuper vniuerſali propoſitione fundatur; *qui autem per poſtremam, eſt ſolubilis, & ſi vera ſit concluſio*; ſyllogiſmus verò, qui fit per tertiam figuram, eſt imperfectus, & ſolubilis, F quamuis ſit verus, *eo quod non vniuerſalis eſt in tertia, nec ad rem ſyllogiſmus*; ſiquidem procedit ex vtriſque particularibus, ex quibus nihil ſequitur ſyllogiſtice in tertia figura, & adhuc talis ſyllogiſmus non eſt ad rẽ, vt puta qui non concludit extremitatem de extremitate; *non enim ſi Pittacus eſt ſtudioſus, propter hoc & alios neceſſe eſt eſſe ſapien-*A. *tes*: quoniam quamuis Pittacus ſit ſtudioſus, & ſapiens, nõ ideo ſequitur reliquos ſapientes eſſe ſtudioſos, *qui verò per mediã figurã eſt, ſemper & omnino ſolubilis*: ſyllogiſmus autẽ enthimematis, qui fit per ſecundam figuram, eſt omnino & ſemper imperfectus; *nunquam enim ſyllogiſmus fit, ſic ſe habentibus terminis*, quoniam in tali diſpoſitione terminorum, ſcilicet ex affirmatiuis vtriſque numquã fit perfecta iugatio: *non enim ſi quæ peperit pallida*, quoniam non ſequitur de neceſſitate, quòd ſi quæcunque peperit, pallida eſt; *pallida autem & hæc*, & B hæc pallida ſit, *neceſſe eſt parere hanc*, & hanc parientem exiſtere. *Ergo verum eſt quidem in omnibus figuris*. Syllogiſmus itaque enthimematis fit quidem in omnibus figuris, *differentias autem habent iam dictas*; verùm ſecundum differentias poſitas, quod in prima figura eſt perfecta, in ſecunda ſemper imperfecta, in tertia aliquando, quando præmiſſæ ſunt particulares.

An igitur ſic diuidendum ſignum? C Horum autem medium indicium ſumendum: nam indicium dicunt eſſe quod ſcire facit, tale autem maxime medium, an uerò quæ quidem ab extremitatibus ſigna dicenda: quę autem ex medio indicium? Probabiliſſimum enim, & maxime verum eſt, quod fit per primam figuram.

D Breuiter Ariſtoteles in calce huius capitis determinat id, quod habet rationem medij in enthimematis ſyllogiſmo in prima figura indicium appellari, quoniam facit maxime ſcire; id verò quòd habet rationem medij, in reliquis ſignis ſignum tantum dici, & inquit: *An igitur ſic diuidendum ſignum?* Eſt igitur ſic diuidẽdum ſignũ, quod medij habet rationem in enthimemate. *Horum autem medium indicium ſumendum*. Horum autem ſignorum id quod vere poſitione eſt medium ad inſtar primæ figurę, appellandum eſt in- E dicium, *nam indicium dicũt eſſe quod ſcire facit*, quoniam ſapientes id poſitione dicunt eſſe indictũ, quod maxime parit ſcientiam, *tale autem maxime medium*, cuiuſmodi eſt vere poſitione medium quod ſubijcitur in vna, & prædicatur in altera propoſitione; *an verò quę quidem ab extremitatibus ſigna dicenda*, vel ſigna dicenda ſunt ſolum, quæ habent rationem medij ſecundum ſecundam & tertiam figuram, quod vbique prædicatum, vel vbique ſubiectum: *quæ autem ex medio indicium?* F quæ verò ſigna ſumuntur ex eo quod vere habet rationem medij, ſecundum poſitionem etiam indicium appellari poſſunt. *Probabiliſſimum enim, & maxime verum eſt, quod fit per primam figuram*. Cũ maxime verum & probabiliſſimum ſit quod per primam figuram concluſum eſt.

Quæ ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXVII. De Eicote, hoc eſt conſentaneo ſigno, indicio, & enthimemate pro Juris ſtudioſis.

PRimo habemus in hoc Capite, quòd enthimema eſt ſyllogiſmus imperfectus, procedens ex ſignis, quorum quædam ſunt neceſſaria, quædam probabilia.

Secundo, quòd ſyllogiſmus enthimematis procedens ex neceſſarijs reducitur in primam figuram; ſyllogiſmus verò enthimematis procedens ex probabilibus reducitr in ſecundam & tertiam figuram.

De exemplo enthimematis ex probabilibus ſunt termini deſumpti in cap. illud. extra de præſumpt. Caius annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit, ergo Iuriſconſultus annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit, deſumũtur etiam termini in l. de minore, de quæſtionib. Catillina ad obiectum crimen expalleſcit, ergo Catillina crimen deſignauit.

De exemplo enthimematis ex neceſſarijs ſunt termini ſumpti in cap. literis, extra de præſump. Sempronius viſus eſt ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacere, ergo Sempronius ſtuprum puellæ intullit. Titius viſus eſt gladium ex Sempronij vulnerati corpore extrahere, ergo Titius vulnerauit Sempronium.

Signa probabilia appellantur à Iuriſconſultis præſumptiones non vehementes; ſigna verò neceſſaria præſumptiones appellantur violentæ.

Huiuſmodi enthimemata dicuntur imperfecta, ſiquidem conſtant ex vna propoſitione, & cõcluſione, omiſſa altera propoſitione per ſe nota, ſiue maiori, ſiue minori.

Syllogiſmus enthimematis ex ſignis neceſſarijs reducitur ad primam figuram in hunc modũ

Omnis, qui ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacet, ſtuprum infert.

Sempronius ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacet, ergo

Sempronius ſtuprum infert.

Syllogiſmus enthimematis ex probabilibus reducitur in ſecundam & tertiam figuram.

In ſecundam.

Quicũque crimen deſignauit ad obiectum, crimen expalleſcit.

Titius ad obiectum crimen expalleſcit, ergo

Titius crimen deſignauit.

In tertiam:

Caius annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit.

Caius eſt Iuriſconſultus, ergo

Iuriſconſultus annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit.

Hæc, quæ ſunt in præſenti Capite, ſint ſatis pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo Phiſiognomico ſiue de cognoſcenda natura.
Cap. XXVIII.

NAturas autem cognoſcere poſſibile eſt, ſi quis concedat ſimul tranſmutare corpus, & animam, quæcunque ſunt naturales paſſiones; diſcens enim aliquis fortaſſe Muſicam tranſmutauit ſecundum quid animam, ſed non earum quæ natura nobſs inſunt, hæc eſt paſſio, ſed ut ıra, & concupiſcentiæ, & naturalium motionum. Si igitur & hoc det, & vnum vnius ſignum eſſe, & poſſumus ſumere propriam vniuſcuiuſque generis paſſionem, & ſignum poterimus naturas cognoſcere.

In hoc capite Ariſtoteles docet inuenire ſigna neceſſaria, quæ ſunt loco mediorum in enthimemate, & inde de ſyllogiſmo Phyſiognomico pertractat, & ponit in primis, quòd ad hoc vt hæc ſigna cognoſcãtur duo præaccipienda & ſupponenda ſunt. Primũ, quòd ſunt quædam accidentia, quæ corpus & animam mutant, vti paſſiones naturales, ira ſcilicet & huiſmodi; quædam autẽ ſunt accidentia, quæ non hoc coniunctum mutare valent, ſed ſecundum animam, vti paſſiones non naturales, muſica ſcilicet, & conſimilia ſecundum quod aſſerit, ſupponendum eſt, quòd cum inſit vnicuique ſpeciei animalium tale naturale accidens, ſequitur vt eidem etiam inſit aliquod ſignum, quod comitatur totam illam naturam, cuius eſt illa paſſio, quo mediante poterimus cognoſcere naturam illam, prout eſt tali paſſioni ſubiectam; & inquit: *Naturas autem cognoſcere poſſibile eſt*. Vniuſcuiuſque naturam cognoſcere poſſumus; *ſi quis concedat ſimul tranſmutare corpus, & animã, quæcunque ſunt naturales paſſiones*; ſi quiſpiam dabit vnam tranſmutari animam cum corpore propter affectiones naturales: *diſcens enim aliquis fortaſſe muſicam*: diſcendo autem aliquis fortaſſe muſicam, *tranſmutauit ſecũdum quid animam*, ſuam ipſius animam quoquomodo mutat. *ſed nõ earum, quæ natura nobis inſunt, hæc eſt paſſio*, ſed huiuſmodi paſſio non eſt naturalis, *ſed vt ira, & concupiſcentia, & naturalium motionum*, ſed paſſiones tales ſunt affectiones naturales, ira, concupiſcentia, & huiuſmodi. *Si igitur & hoc det*. Hoc itaque conceſſo, *& vnum vnius ſignũ eſſe*, & inſuper ſuppoſito aliquod vnum commu-

ne,

ne, quòd ſignum ſit vtrique animalium ſpeciei, quòd naturam illam communem comitetur, *& poſſumus ſumere proprium vniuſcuiſque generis paſſionem*, tunc poſſumus vniuſcuiſque ſpeciei formam & naturam accipere. *& ſignum poterimus naturas cognoſcere*, & inſuper ſumere ſignum illius paſſionis in illa natura, quo mediante cognoſcemus ipſam tali paſſioni ſubiectam.

Si enim eſt proprie alicui generi indiuiduo inexiſtens paſſio, vt ſi leonibus fortitudo, neceſſe eſt & ſignum eſſe aliquod, compati enim ſibi inuicem poſitum eſt, & ſit hoc magnas ſumitates habere, quod & aliis generibus non totis contingit; nam ſignum ſic proprium eſt, quoniam totius generis propria paſſio eſt, & non ſolius proprium ſicuti ſolemus dicere. Erit ergo & in alio genere hoc, & erit fortis homo, & aliquod aliud animal; habebit ergo ſignum; vnum enim vnius erat. Si ergo hæc ſunt, poterimus talia ſigna colligere; in iis animalibus; quæ ſolum vnam paſſionem habent aliquam propriam; vnaquæque autem habet ſignum; & quoniam vnum habere neceſſe eſt, poterimus naturas cognoſcere.

Declarat ſupradicta Ariſtoteles exemplo fortitudinis, quæ eſt paſſio naturalis conueniens determinatæ ſpeciei, nempe leonibus, & ponit quòd cum huic determinatæ ſpeciei ſit propria paſſio tranſmutans coniunctum, quæ eſt fortitudo, ſiue animoſitas, oportet etiam vt eidem inſit ſignum aliquod ſignificans ſupra fortitudinem, veluti ſi dixerimus, ſignum tale huius paſſionis in leone, eſſe magnas habere extremitates. Cum itaque hoc ſignum ſit proprium fortitudinis, ſeu animoſitatis, oportet vt inſequatur in aliis animalibus fortibus, quibus hæc paſſio non vniuerſaliter ineſt vt in hominibus fortibus per naturã, quoniam tale ſignum dicitur proprium, nõ quod non cõpetat aliis, ſed quia omnibus. Deinde cõcludit, quòd cum ſupradicta vera ſint, poterimus talia ſigna ſignificantia ſuper aliqua propria paſſione in ſingulis ſpeciebus animalium colligere, & ex huiuſmodi ſignis naturas propriarum paſſionum cognoſcere, & inquit: *Si enim eſt proprie alicui generi indiuiduo inexiſtens paſſio*. Si alicui generi ad ſpeciem aliquam appropriato ineſt aliqua naturalis paſſio, *vt ſi leonibus fortitudo*, veluti huic determinatæ ſpeciei, nempe leonibus ineſt ani-

A. moſitas, *neceſſe eſt, & ſignum eſſe aliquod*, oportet vt etiam tali ſpeciei inſit ſignum aliquod ſignificans ſupra tale accidens naturale; *compati enim ſibi inuicem poſitum eſt*: per primam namque ſuppoſitionem diximus paſſionem naturalem tranſmutare animam cum corpore, *& ſit hoc magnas ſumitates habere*: tale autem ſignum ſit habere magnas extremitates, *quod & aliis generibus non totis contingit*, quòd ſignum etiam aliis animalium ſpeciebus non vniuerſaliter ineſt, *nam ſignum ſic proprium eſt*, nam huiuſmodi ſignum eſt ita pro-
B prium; *quoniam totius generis propria paſſio eſt, & non ſolius proprium, ſicut ſolemus dicere*, quatenus paſſio dicitur propria, quæ competit omni indiuiduo alicuius ſpeciei, ſed non ſoli illi ſpeciei, ſed etiam aliis indiuiduis alterius ſpeciei, vti eſt proprium in ſecundo loco poſitum a Porphyrio. *Erit ergo & in alio genere hoc*. Et propterea tale proprium reperietur etiam in alia ſpecie, *& erit fortis homo, & aliquod aliud animal*, vt puta animoſitas inerit & homini; & etiam alteri animalium ſpeciei; *habebit ergo ſignum*; & ideo
C etiam habenti paſſionem inerit talem ſignum ſignificans ſupra ipſam; *vnum enim vnius erat*; nam dicimus vnum commune ſignum eſſe vnius cõmunis paſſionis in omnibus habentibus illam. *Si ergo hæc ſunt*. Et cum hæc dicta ſint vera, *poterimus talia ſigna colligere in iis animalibus, quæ ſolum vnam paſſionem habent aliquam propriam*, in animalium ſpeciebus, quibus ineſt vnica paſſio naturalis, huiuſmodi ſigna illam indicantia notare poterimus: *vnaquæque autem habet ſignum*; quoniam vnaquæque paſſio naturalis habet ſignum pro-
D prium, *& quoniam vnum habere neceſſe eſt*, & cum vnum peculiare ſignum habere neceſſe ſit, *poterimus naturas cognoſcere*, ex hoc ſigno poterimus naturales paſſiones cognoſcere.

Si verò duo habet propria totum genus vt leo forte, & communicatiuũ, quomodo cognoſcemus vtrumvtrius ſit ſignum, eorum ſignorum
E quæ proprie ſequuntur? an ſi & alii alicui non toti ambo, & in quibus nõ totis vtrumque, quando hoc quidẽ habet, illud autem non? nam ſi fortis quidem, liberalis autem non; habet autem duorum hoc, palam quoniam & in leone hoc ſignum fortitudinis.

Vbi in ſuperioribus declerauit quomodo col-
F ligere valeamus ſignum ſignificans ſupra paſſionem naturalem, quando talis paſſio vnica & ſingularis eſt, propria alicui determinatæ ſpeciei, nũc declarat quomodo idem efficere valeamus, vbi duæ exiſtunt paſſiones naturales, nec ſcimus quale ſignum, qualis paſſionis ſit, & inquit conſideranda eadem ſigna, & in alia ſpecie, in qua vniuerſa-

ſaliter non ineſt paſſio talis, gratia exempli, ſi A leo fortitudinẽ habeat, & liberalitatem innatas, ſi voluerimus cognoſcere quod nam ſit ſignum determinatum alterius earum paſſionum, inſpiciendum nobis erit in alia ſpecie, in qua non vniuerſaliter ineſt paſſio, & conſiderandum in quibus non ineſt vtrumque accidens, ſi namque ſignum fortitudinis extiterit, vt puta habere ſumi tates magnas, cum ibi fortitudo ſola nõ etiam liberalitas extiterit, habere ſumitates magnas erit ſignum in leone talis paſſionis, quod dicit: *Si verò duo habet propria totum genus*. Quod ſi vniuer- B ſa ſpecies determinata habeat duo propria, & naturalia accidentia, *vt leo forte. & communicatiuũ*, ſicuti leo habeat has duas affectationes naturales ſimul, fortitudinem, & prædæ communicationem, *quomodo cognoſcemus vtrum vtrius ſit ſignum*, tunc quæritur, quomodo diſtinguemus ſignum vnius ab altera harum paſſionum *eorum ſignorum quæ proprie ſequuntur?* paſſionum ſcilicet, quæ totum genus appropriatum comitantur, *an ſi & alij alicui non toti ambo*, conſiderandum erit, quòd & alteri ſpeciei non ambo hæc accidentia, ſed vnũ, C non vniuerſaliter omnibus indiuiduis illius ſpeciei, ſed alicui ineſt, *& in quibus non totis vtrumque*, & inſpiciendum in quibus animalium ſpeciebus non vniuerſaliter ineſt hæc paſſio, *quando hoc quidem habet, illud autem non?* quando ſcilicet ei ineſt hoc naturale accidens, puta fortitudo, illud verò non ineſt, nempe liberalitas, *nam ſi fortis quidem, liberalis autem non*; nam ſi homo eſt fortis eũ leone per naturam, nec eſt liberalis per naturam cum eo: *habet autem duorum hoc*, & tamen habet duorum accidentium, vnum vt fortitudinem, *pa* D *lam quoniam & in leone hoc ſignum fortitudinis*, planum eſt, quod ſignum fortitudinis in leone erit hoc, quod inerit homini, vt ſunt ſumitates extremæ.

Eſt uerò naturas cognoſcere in prima quidem figura, eo quod medium priori extremitati conuertitur: tertiam autem tranſcendit, & non conuertitur ut ſi fortitudo A, ſummita- E tes magnas habere in quo B, C autem leo; ergo cui C B, omni ſed & aliis; cui autem B, A omni, & non pluribus, ſed conuertitur; ſi autem nõ, non erit vnum, vnius ſignum.

Cum patefecerit nos naturales paſſiones cognoſcere per ſignum appropriatum, conuertitur ad determinandum de ſyllogiſmo Phiſiognomico, & determinat nos demonſtrare paſſionem na- F turalem de quolibet ſubiecto ſyllogiſtice in primam figuram, ſumptis loco A maioris extremitatis eſſe fortem, loco B medij magnas extremitates habere, loco C minoris extremi leone, ita tamen vt A, B ſint conuertibilia, & B in plus ſe habeat quàm C. Si itaque voluerimus oſtendere fortitudinem ineſſe leoni, propterea quod habeat magnas ſummitates, ſyllogizabimus per primũ modum primæ figuræ tali pacto,

BAR Omne habens magnas ſummitates eſt forte.
BA Omnis leo habet magnas ſummitates, ergo
RA Omnis leo eſt fortis.

Quòd ſi voluerimus ſyllogiſtice oſtendere, fortitudinem ineſſe ſubiecto non appropriato, nempe homini, id efficiemus per tertium modum primæ figuræ, videlicet

DA Omne habens magnas ſummitates eſt forte.
RI Hic homo habet magnas ſummitates, ergo
I Hic homo eſt fortis.

Hæc habentur ab Ariſtotele quando dicit: *Eſt verò naturas cognoſcere in prima quidem figura*. Paſſiones naturales ſyllogiſtice de ſuo ſubiecto eſt cognoſcere per primam figuram, *eo quod me-* C *dium priori extremitati conuerſitur*, propterea quod maius extremum, & medium ſunt conuertibilia: *tertiam autem tranſcendit, & non conuertitur*; at medium in plus ſe habet, quàm minor extremitas, *vt ſi fortitudo A*, veluti ſi loco A maioris extremitatis ponatur eſſe forte, *ſummitates magnas habere in quo B*, loco B medij extremitates habere magnas, *C autem leo*, & loco C minoris extremi ponatur leo: *ergo cui C, B omni*. In his terminis planum eſt, quod B ineſt omni C, quoniam omnis leo habet magnus extremitates, *ſed et alijs*, ſed D etiam ineſt alijs ipſum B, habere ſcilicet magnas extremitates; *cui autem B, A omni*; cui autem B ineſt, omni illi ineſt A, *& non pluribus, ſed conuertitur*, ſed non ineſt pluribus quoniam conuertitur cum ipſo, veluti omne habens magnas extremitates eſſe forte: *ſi autem non, non erit vnum vnius ſignum*: quod ſi dicatur non ſic eſſe vt dictum eſt, non erit vnum commune ſignum vnius communis paſſionis, vt in ſecunda ſuppoſitione poſitum fuit.

Quæ dicta ſatis ſuper hoc Capite.

Super Capite XXVIII. de ſyllogiſmo Phiſiognomico. ſiue de cognoſcenda natura pro Juris ſtudioſis.

IN hoc Capite pro Iuris ſtudioſis habemus cõſiderare & ſignum, & Phyſionomiam, indicium facere in criminalibus.

Notat de Phiſionomia Bal. in l. 2. in verſic. quæ autem. C. quor. appel. non recip. Par. de Put. in Tract. de Synd. in verbo, mandauit col. 8. Verſ. quando delictum.

Quod ſignum faciat indiciũ in criminalibus notat idem Par. de Put. in dicto Tract. Synd. in

dicto

dicto verbo, mandauit. in fine. Bart. in l. de A pupillo. §. ſi quis ipſi Prætori. de no. op. nunc. Bald. in cap. cum terra. in fine. de elect. & de his plene habetur apud M. Ant. Blancum in ſuo Tractatu de indicijs ad l. fin. ff. de quęſtionibus. num. 406. & 407.

Quæ dicta ſufficiant ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis, & pro abſolutione huius primæ partis Commentariorum in Logicam Ariſtotelis ad vſum Iuris ciuilis accommodatorum, Mei Petri Marię Caſtrofrancani Taruiſinæ, ad gloriam ſanctę, & indiuiduę Trinitatis, & B. Virginis Marię.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mus, ſemper eſt vniuerſalis; & cum inſtantia ſit duplex, vniuerſalis, & particularis, eandem dicit fieri per duas figuras. Volentes enim deſtruere propoſitionem vniuerſalem, inſtabimus vel ponentes contrariam, vt omni ineſſe, nulli ineſſe, vel, inſtabimus ponentes cõtradictoriam, vt omni ineſſe, non omni ineſſe, primo modo per primam figuram in ſecunda iugatione, ſecundo modo per tertiam figuram, & inquit: *Inſtantia autem propoſitio propoſitioni contraria.* Inſtantia eſt propoſitio contraria propoſitioni propoſitæ; *differt autem à propoſitione*, ſed differt inſtantia a propoſitione, *quoniam contingit quidem inſtantiam eſſe in parte*, quia inſtantia poteſt eſſe particularis; *propoſitionem verò aut omnino non contingit*; verùm propoſitio aut penitus non poteſt eſſe particularis, *aut non in vniuerſalibus ſyllogiſmis*, vel ſaltem in vniuerſalibus ſyllogiſmis, ad quos cæteri reducuntur; *fertur autem inſtantia duobus modis, & per duas figuras*, & efficitur inſtantia per duplicem modum, & in duabus figuris, *duobus modis quidem*, per duplicem modum, *quoniam aut vniuerſalis, aut particularis omnis inſtantia*, quia inſtantia eſt duplex, vel vniuerſalis, vel particularis; *per duas autem figuras*, & in duabus figuris, *quoniam oppoſitæ feruntur propoſitioni*, quia inſtantia eſt oppoſitio propoſitionis propoſitæ; *oppoſita autem in prima, & tertia figura perficiuntur ſolis*, & oppoſita tali propoſitioni non concluduntur niſi in prima & tertia figura; *nam quando poſtulatur omni ineſſe*; quoniam ſi aliquis ponet omni ineſſe, *inſtamus quoniam nulli, aut quoniam alicui non ineſt*, inſtamus vel ponentes contrariam nulli ineſſe, vel ponentes contradictoriam non omni ineſſe; *horum autem nulli quidem ex prima figura*, ſi contrariam ponentes inſtare volumus, id efficimus per primam figuram; *alicui autem non, ex poſtrema*, & ſi contradictoriam inſtare voluerimus, id efficiemus per tertiam.

Vt ſit A vnam eſſe diſciplinam, in quo B contraria; proponit ergo vnam eſſe contrariorum diſciplinam, aut quoniam omnino non eſt eadem oppoſitorum inſtant, contraria autem oppoſita; quare fit prima figura; aut quoniam noti, & ignoti non vna; hæc autem tertia; nam ſecundum tertiam, notum, & ignotum contraria quidem eſſe, verum; vnam autem eſſe eorum diſciplinam, falſum, rurſum in priuatiua propoſitione ſimiliter. Cum poſtulat enim non eſſe contrariorum vnam diſciplinam; aut quoniam omnium oppoſitorum

A aut quoniam contrariorum aliquorum eſt eadem diſciplina, dicimus ut ſani, & ægri, ergo omnium quidem ex prima, aliquorum verò ex tertia figura.

Declarat exemplo Ariſtoteles ſupra poſita, inſtantiam nempe, ſiue inſtantium ſyllogiſmum fieri & per primam, & per tertiam figuram. & ſumit terminos A, B, & loco A vnam eſſe diſciplinam, loco B contraria, vnde propoſitio ſit, quod omne B ſit A, ſiue quòd omnium contrariorum vna eſt diſciplina. Contra hanc propoſitionem ſi inſtare voluerimus, aut oſtendemus contrariam, nullorum contrariorum vnam eſſe diſciplinam, per ſecundum modum primæ figuræ, ſcilicet

CE- Nullorum oppoſitorum vna eſt diſciplina.
LA- Omnia contraria ſunt oppoſita, ergo
C RENT Nullorum contrariorum vna eſt diſciplina.

Aut oſtendemus contradictoriam aliquorum contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, videlicet ſyllogizantes per tertiam figuram, per ſecundum modum.

FE Noti, & ignoti non eſt vna diſciplina.
LA Notum, & ignotum ſunt contraria. ergo
PTON Aliquorum contrariorum non eſt vna diſciplina.

D Conſimiliter ſi propoſitio extiterit negatiua nullorum contrariorum vna eſt diſciplina, ſi inſtare voluerimus, vel oſtendemus contrariam omnium contrariorum vnam eſſe diſciplinam per primum modum primæ figuræ, videlicet

BAR Omnium oppoſitorum vna eſt diſciplina.
BA Omnia contraria ſunt oppoſita, ergo
RA Omnium contrariorum vna eſt diſciplina.

E Vel oſtendemus contradictoriam per tertiam figuram.

DA Morbi, & ſanitatis vna eſt diſciplina.
RA Morbus, & ſanitas ſunt contraria, ergo
PTI Aliquorum cõtrariorũ vna eſt diſciplina.

Dicit igitur *Vt ſit A vnam eſſe diſciplinam, in quo B contrariam.* Veluti ſi ſint hi duo termini A, B conſtituentes propoſitionem, omne B eſt A, vel in terminis materialibus omnium contrariorum vnam eſſe diſciplinam, quod inquit: *proponit ergo vnam eſſe contrariorum diſciplinam.* Contra hanc propoſitionem ſi inſtare voluerimus, *aut quoniam omnino non eſt eadem oppoſitorũ inſtant*, aut oſtendemus contrariam ſyllogizantes ex hac vniuerſali negatiua, nullorũ oppoſitorum una eſt diſciplina loco maioris, *contraria autem oppoſita*, & ex hac vniuerſali affirmatiua omnia contraria ſunt oppoſita loco minoris; *quare fit*

prima

prima figura, & tali pacto erit ſecundus modus primæ figuræ; *aut quoniam noti, & ignoti non vna*, aut oſtendemus contradictoriam ſumentes pro maiori hanc propoſitionem, quod noti, & ignoti non eſt vna diſciplina, *hac autem tertia*, & ita erit ſecundus modus tertiæ figuræ; *nam ſecundum tertiam; notum, & ignotum contraria quidem eſſe verum*; quoniam in tali coniugatione tertiæ figuræ adiungemus maiori poſitæ hanc minorem veram, notum, & ignotum ſunt contraria; *vnam autem eſſe eorum diſciplinam, falſum*, & cum ſit falſum noti, & ignoti vnam eſſe diſciplinam, ſequetur concluſio intenta vera, aliquorum contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, *rurſus in priuatiua propoſitione ſimiliter*, & idem euenit in inſtantia contra propoſitionem negatiuam, quòd ſcilicet efficitur per primã & tertiam figuram. *Cum poſtulat enim non eſſe contrariarum vnam eſſe diſciplinam*. Quando enim propoſitio, cuius deſtructionem intendimus, erit negatiua, vt puta, nullorum cõtrariorum vnam eſſe diſciplinam, *aut quoniam omnium oppoſitorum, aut quoniam contrariorum aliquorum eſt eadem diſciplina dicimus*, inſtamus oſtendentes aut contrariam per hanc propoſitionem omnium oppoſitorum eſt vna diſciplina, aut contradictoriam aliquorum contrariorum eſt vna diſciplina, *vt ſani, & ægri*, per hanc maiorem propoſitionem, morbi, & ſanitatis vna eſt diſciplina; *ergo omnium quidem*: contrariam igitur oſtendimus *ex prima*, per primam figuram, *aliquorum vero*, ſed contradictoriam, *ex tertia figura*, per tertiam figuram.

Simpliciter autem in omnibus vniuerſaliter quidem inſtantibus, neceſſe eſt ad id quod uniuerſale eſt propoſitio contradictionem dicere, ut ſi non unam exiſtimet contrariorum omnium dicere oppoſitorum unam. Sic autem neceſſe eſt primam eſſe figuram, medium enim fit uiniuerſale, ad hoc quod ex principio; quod autem ad hoc in parte eſt uniuerſale, dicitur propoſitio, ut noti & ignoti non eandem, nam contraria uniuerſale, ad hæc, & fit tertia figura: medium enim in parte ſumptum, ut notum & ignotum, nam ex quibus eſt ſyllogizare contrarium, ex ijs & inſtantias conamur dicere, quare & ex his ſolis figuris ferimus; nam in his ſolis oppoſiti ſyllogiſmi, per mediã enim figurã non fuit affirmare.

A Concludit ex dictis, quod ſi voluerimus inſtantes deſtruere vniuerſalem propoſitionem, eſt omnino per nos ſumendum aliquod ſupra ſubiectum propoſitionis, medium ſcilicet vniuerſalius, quo pacto neceſſario fit prima figura, veluti ſi fuerit propoſitio vniuerſalis affirmatiua contrariorum vnam eſſe diſciplinam ponendum pro medio oppoſitum ſub quo, vt pote ſub communiori cõtrarium continetur. Si verò deſtruere voluerimus particularem propoſitionem ſumendum pro medio aliquod ſub ſubiecto propoſitio- B nis, aliquod minus particulare, vt notum & ignotum; & inde merito inducit inſtantiuum ſyllogiſmum fieri in prima & tertia figura, non autem in ſecunda: quoniam cum inſtantia velit concludere contrarium, & contrarium per primam, & tertiam figuram oſtendatur, non in ſecunda, quæ ſolum negatiue concluditur. Propterea in his duabus figuris, excluſa tertia, inſtantiuus ſyllogiſmus fit, ideo dicit: *Simpliciter autem in omnibus vniuerſaliter quidem inſtantibus*. Volentes deſtruere vniuerſalem propoſitionem, *neceſ-* C *ſe eſt ad id quod vniuerſale eſt propoſitio contradictionem dicere*, ſumendum eſt omnino medium quod ſit vniuerſalius, et ſupra ſubiectum propoſitionis. *vt ſi non vnam exiſtimet contrariorum omnium*, veluti ſi propoſitio ſit omnium contrariorum non eſſe vnam diſciplinam, *dicere oppoſitorum vnam*, ſumendum pro medio oppoſitum ſub quo, vt communiori contrariorum continetur omnium oppoſitorum vnam eſſe diſciplinam, *ſic enim neceſſe eſt primam eſſe figuram*, quia tale medium ſumendo efficitur neceſſario prima figura; D *medium enim fit uniuerſale ad quod ex principio*, cum ſcilicet tale ſumptum medium ſit communius ſubiecto propoſitionis, cuius deſtructio intenditur: *quod autem ad hoc in parte eſt vniuerſale, dicitur propoſitio*: ſi autem particulariter, & contradictorie inſtabimus, ſumendum medium particulare exiſtens ſub ſubiecto propoſitionis, quam obijciemus, *vt noti, & ignoti non eandem*, veluti inſtantes particulariter contra vniuerſalem propoſitionem omnium contrariorum eandem eſſe diſciplinam, ſumẽdum medium particulare ſub ſubie- E cto cõtentum, vt puta notum, & ignotum, quod erit ſumptum ſub contrario, vt ſub vniuerſali, & dicendũ, noti & ignoti nõ eſt vna diſciplina, *nam contraria vniuerſale ad hæc*; cõtraria namque ſunt commune quoddam ad notum, & ignotum, *& fit tertia figura*: vnde ſequitur de neceſſitate tertia figura; *medium enim in parte ſumptum vt notum & ignotum*; quia medium erit ſumptum particulariter ſub ſubiecto communi; *nam ex ijs, ex quibus eſt ſyllogizare contrarium, ex ijs & inſtantias conamur dicere*: ſiquidem per quem ſyllogiſmum F contrarium oſtenditur per eundem inſtantiue ſyllogizatur: *quare & ex his ſolis figuris ferimus, nã in his ſolis oppoſiti ſyllogiſmi*: & propterea ſolum in prima & tertia figura inſtamus, cum & in ſecunda & tertia ſolum fiat ſyllogiſmus ex oppoſitis; *per mediam enim figurã non fuit affirmare*: ſiquidem in ſecũda figura affirmatiue non eſt ſyllogizare

Amplius autem & ſi fit, oratione indiget plurima, quæ eſt per mediam figuram, vt ſi non concedat A ineſſe B, eo quod non ſequitur hoc C : hoc enim per alias propoſitiones manifeſtum : non oportet autem inſtantiam conuerti ad alia, ſed ſtatim manifeſtam habere alteram propoſitionem. Quapropter & ſignum ex ſola hac figura non eſt; perſpiciendum autem & de aliis inſtantiis, ut de illis, quæ ſunt ex contrario, & ſimili, & ſecundum opinionem, & ſi particularem ex prima, u.l priuatiuam ex media, poſſibile eſt ſumere.

Proſequitur Ariſtoteles conſiderare, quòd inſtantia in ſecunda figura fieri non poſſit, ex hoc ſcilicet, quoniam in inſtantia oportet ſumere maiorem euidenter oppoſitam, quod in ſecunda figura minime fieri contingit, niſi medio conuerſionis, quæ eſt neceſſaria ad hoc, vt propoſitio oſtendatur, veluti ſi quis volens deſtruere hanc propoſitionem, omne B eſſe A in ſecunda figura, ſumpto C pro medio ſyllogizabit in eadem figura tali pacto, nullum A eſt C, nullum B eſt C; ergo nullum B eſt A, maior propoſitio non repugnat euidenter huic propoſitioni, omne B eſt A, cuius deſtructionem intendimus, ſed opus eſt longiori oratione, & vt conuerſione vtamur, inſuper addit, quod neque a ſigno in ſecunda figura ſyllogizatur, quoniam a ſigno non valet argumentari niſi affirmatiue. Vlterius aduertendum dicit de alterius generis inſtantiis, vt puta a contrario, a ſimili, & ſecundum proportionem; ſecundum opinionem; a contrario, vt ſi quis dicat, pacem ſemper expectendam, nos inſtabimus, quod bellum quandoque eſt neceſſarium, a ſimili, vt ſi quis a coniugatis dicat, quòd omne iuſtum eſt bonū; nos inſtabimus, quòd aliquod iuſte factū eſt malum, vel ſecundum proportionem ſi quis dicat, quòd qui magno ſunt corpore, digni ſunt onere, nos inſtabimus, quòd alqui paruo corpore, non ſunt indigni onere, ſecundum opinionē, vt ſi quis dicat, animā eſſe mortalē, inſtabimus, quòd ſapiētiſſimi Philoſophi, Plato, & Ariſtoteles opinati ſunt eam immortalem. Denique in calce capitis conſiderandū aſſerit, nunquid particularis inſtantia per primam figuram, & negatiua per ſecundam fieri contingat, & inquit: *Amplius autem & ſi fit.* Quod ſi in ſecunda figura dicatur fieri inſtātia, *oratione indiget plurima, quæ eſt per mediam figuram*, opus erit longiori ſermone, & materia, *vt ſi non concedant A ineſſe B*, veluti ſi inſtare voluerimus nullum B eſſe A, *eo quod non ſequitur hoc C*, quoniam nullum C eſt A; *hoc enim per alias propoſitiones manifeſtum*; hoc manifeſtari oportet per alias propoſitiones, videlicet per conuerſionem, & huiuſmodi: *non oportet autem inſtantiam conuerti ad alia*: verùm non eſt opus inſtantiam ad alia conuerti, ſed per ſe opus eſt eſſe manifeſtam, quod habet, *ſed ſtatim manifeſtam habere alteram propoſitionem*, nempe maiorem. *Quapropter & ſignum ex ſola hac figura non eſt.* Et propterea neque a ſigno in hac figura valet argumentari; *perſpiciendum autem & de aliis inſtantiis*. Inſuper conſiderandum de reliquis inſtantiis, *vt de iis, quæ ſunt ex contrario, & ſimili, & ſecundum opinionem*, de quibus alias diſtincte tractabimus, *& ſi particularem ex prima, vel priuatiuam ex media, poſſibile eſt ſumere*, & vlterius nunquid particularis inſtantia per primam figuram fieri, & negatiua per ſecundam contingat.

Et hæc ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXVI. de inſtantia pro Iuris ſtudioſis.

DVo in hoc Capite principaliter conſideranda.

Primum, quòd inſtantiuus ſyllogiſmus, qui fit ad deſtructionem propoſitæ propoſitionis conſtruitur per duas figuras, per primam, & per tertiam.

Secundum, quòd inſtantia fit à contrariis, à ſimili, & ſecundum opinionem.

Pro exemplo primi capitis deſumi poſſunt termini in tit. Inſt. de empt. & vend. & de oblig.

Inſtantiuus ſyllogiſmus per primam figuram efficietur, quando propoſitio, quam inficiabimus extiterit affirmatiua, & vniuerſalis, & adhuc inſtantia erit vniuerſalis per contrariam propoſitionem, veluti ſi quis dixerit, quòd nulla emptio ſit obligatoria, vniuerſaliter per primam figurā oſtendemus, quòd omnis emptio eſt obligatoria, vt

BAR Omnis contractus eſt obligatorius.
BA Omnis emptio eſt contractus, ergo
RA Omnis emptio eſt obligatoria.

Inſtantiuus ſyllogiſmus per tertiam figuram efficietur, quando contra eandem propoſitionē affirmatiuam vniuerſalem obiiciemus particulariter contrariam, videlicet

DA Omnis ſtipulatio eſt obligatoria.
RI Aliqua ſtipulatio eſt emptio, ergo
SI Aliqua emptio eſt obligatoria.

Pro exemplo ſecundi capitis de inſtantia à contrariis deſumuntur termini Inſt. tit. de act. §. actionum. Si quis enim dicat, aliquem contractū eſſe bonæ fidei, inſtabimus eſſe ſtricti iuris. Pariter deſumuntur termini in l. 1. ff. de rer. diuiſ. veluti ſi quis dicat, aliquam rem eſſe corporalem, nos inſtabimus quòd ſit incorporalis.

A ſimili fieri poteſt inſtantia per terminos deſumptos in l in Aſia. §. fin. ff. depoſiti. Si quiſpiā namque dicat, quòd ex teſtamento, vel ex ſtipulatu dari oportet poſt iudicium acceptum cum de tri-

trimento rei non perire, nos inſtabimus. quòd depoſitum eo die, quo depoſiti actum eſt, periculũ eius eſt apud quem depoſitum fuerit.

Secundum opinionem fit inſuper inſtantia in terminis deſumptis in l. legis uirtus, ff. de legib. quoniam ſi propoſitio extiterit aduocatum adeſſe debere torturæ, interrogationi, & examinationi, inſtabimus ex auctoritate Bartoli contrarium dicentis in l. in actione. ff. de in litem iurando.

Quæ ſatis ſint pro Iuris ſtudioſis ſuper hoc Capite.

De Eicote, hoc eſt conſentaneo ſigno, indicio, & enthimemate.
Cap. XXVII.

EIcos autem, & ſignum non idem eſt, ſed eicos quidem eſt propoſitio probabilis; quod enim vt in pluribus ſciunt ſic factum vel non factum, aut eſſe, vel non eſſe, hoc eſt eicos, vt odire inuidentes, vel diligere amantes. Signum autem vult eſſe propoſitio demonſtratiua, vel neceſſaria, vel probabilis, nam quo exiſtente eſt, vel quo facto prius, vel poſterius res, ſignum eſt vel fuiſſe, vel eſſe.

Vbi in ſuperioribus pertractauit de exemplo, & inductione, in præſenti agit de enthimemate, & in primis de veriſimili, & ſigno, ex quibus enthimema procedit, & ponit, quòd veriſimile eſt propoſitio probabilis, & conſiſtit in ijs rebus, quæ fiunt vt plurimum, vt diligere amicos, odire inimicos. Signum autem eſt propoſitio demõſtratiua, vel ea ſit neceſſaria per coniecturam, vel probabilis per veriſimile, & dicit: *Eicos autem & ſignum non idem eſt.* Veriſimile & ſignum diſtinguuntur, nec ſunt idem, *ſed eicos quidem eſt propoſitio probabilis,* ſiquidem veriſimile eſt propoſitio opinabilis. *Quod enim vt in pluribus ſciunt ſic factũ, vel non factum, aut eſſe, vel non eſſe, hoc eſt eicos.* Illud enim eſt veriſimile, quod vt plurimum eſt, vel non eſt, factum eſt, vel factum non eſt, *vt odire inuidentes, vel diligere amantes,* ſicuti ſe habet in amore, & odio, quod plerũque amamus amicos, & odio habemus inuidos, & inimicos. *Signum autem vult eſſe propoſitio demonſtratiua.* Signum verò eſt indicatiua, & oſtenſiua propoſitio, quæ eſt duplex, *vel neceſſaria,* vt quæ per coniecturam, *vel probabilis,* vt quæ per veriſimile; *nam quo exiſtente eſt,* id namque quo exiſtente res eſt, & ex eo infertur, *vel quo facto prius,* vel quo facto in præterito, res facta eſt in præterito, ſicuti pallor cōceptum

A factum indicat, *vel poſterius res,* vel quod illud prius facto res erit, veluti laſſitudo in corpore indicat ægritudinem futuram. *ſignum eſt, vel fuiſſe, vel eſſe,* id dicitur ſignum.

Enthimema ergo eſt ſyllogiſmus imperfectus ex eicotibus, & ſignis; accipitur autem ſignũ tripliciter, quoties, & medium in figuris: aut enim vt in prima, aut in media, aut vt in
B tertia, vt oſtendere quidem parientem eſſe, quòd lac habeat ex prima figura; medium enim lac habere in quo A parere B, lac habere mulier in quo C. Quoniam autem ſapientes, ſtudioſi; nam Pittacus eſt ſtudioſus. per poſtremam in quo A ſtu-
C dioſum, in quo B ſapientes, in quo C Pittacus. Verùm igitur A & B de C prædicari, ſed hoc quidem non dicunt quia notum ſit; illud verò ſumunt, peperiſſe autem quoniam pallida, per mediam figuram vult eſſe; quoniam enim ſequitur parientes pallor, ſequitur autem & hanc, oſtenſum
D eſſe arbitrantur, quoniam peperit, pallor in quo A, parere in quo B, mulier in quo C. Ergo ſi vna quidem dicatur propoſitio, ſignum ſit ſolum; ſi autem & altera ſumitur ſyllogiſmus, vt Pittacus liberalis, nam ambitioſi liberales, Pittacus autem ambitioſus; aut rurſus quoniam ſapien-
E tes boni, Pittacus autem bonus, ſed & ſapiens; ſic ergo fiunt ſyllogiſmi.

Tranſit Ariſtoteles ad tractationẽ de enthimemate, & illud definit, quòd ſit ſyllogiſmus imperfectus procedens ex veriſimilibus, & ſignis, & determinat ſignũ, quoniam eſt quaſi medium enthimematis variari ſecundum tres modos ad inſtar medij in ſyllogiſmo: vel enim ita ſe habet, vt ſit pars vnius, & totum alterius, & tunc complicatur ſignum in prima figura; vel ita ſe habet, vt
F vnum commune prædicatum de pluribus, & cōponitur ſignum in ſecunda figura; vel demum ſe habet, vt vnum commune ſubiectum ſubſtans pluribus, & ita componitur in tertia.

Exemplum ſigni in prima figura.

Hæc mulier habet lac in mamillis, ergò peperit.

Hoc

Hoc enthimema reducitur ad ſyllogiſmum primæ figuræ, poſito loco B medij lac habere, loco A maioris extremi parientem eſſe, loco C minoris extremi in mamillis habere, hunc in modũ in elementis.

Omne B eſt A.
Aliquód C eſt B, ergo
Aliquod C eſt A.

In terminis.

Omnis mulier habens lac in mamillis pariens eſt.
Hæc mulier hebet lac in mamillis, ergo
Hæc mulier pariens eſt.

Et ita id enthimema habens tacitam maiorẽ propoſitionem tanquam manifeſtum reducitur in primam figuram.

Exemplum ſigni in ſecunda figura.

Pittacus eſt ſtudioſus, ergo ſapientes ſunt ſtudioſi.

Id enthimema reducitur ad tertiam figuram, ſumpto loco A maioris extremi ſtudioſo, loco B minoris extremi ſapiente, loco C medij. Pittaco.

Pittaeus eſt ſtudioſus.
Pittacus eſt ſapiens, ergo
Sapiens eſt ſtudioſus.

Hunc in modum habemus id enthimema omiſſam habens conceſſam propoſitionem, quòd Pittacus eſt ſapiens, reductum in tertiã figuram.

Exemplum ſigni in ſecunda figura.

Hæc eſt pallida, ergo peperit.

Id enthimema ſumpto pallore loco A maioris extremi, parere loco B medij, muliere loco C minoris extremi reducitur ad ſecundam figuram.

Quæcunque peperit eſt pallida.
Hæc mulier eſt pallida, ergo
Hæc mulier peperit.

Verùm hæc reductio ponitur potius grãtia exempli, quoniam re vera cum ſecunda figura ſolum negatiue cõcludatur ex duabus affirmatiuis, in ipſa fit aſſyllogiſtica iugatio, vt in præcedentibus docuimus. Poſt hæc ex dictis quaſi concluſiue colligit Ariſtoteles, quod enthimema in hoc differt a ſyllogiſmo, quòd enthimema procedit ex vna propoſitione, ſyllogiſmus ex duabus, quoniam ſi vna tantum vocaliter exprimatur propoſitio, ſignum fit, ex quo ſumitur enthimema: ſi autem cum illa etiã altera exprimatur, fit ſyllogiſmus, quòd oſtendit per exemplum, & in prima, & in tertia figura.

In prima, quoniã ſi voluerimus probare, quòd Pittacus quia eſt ambitioſus, ideo eſt liberalis, ſic argumentamur.

Omnis ambitioſus eſt liberalis.
Pittacus eſt ambitioſus, ergo
Pittacus eſt liberalis.

In tertia, quoniam ſi voluerimus probare, quod quia Pittaeus eſt ſtudioſus, ideo bòni ſunt ſtudioſi, ſic agumentamur.

Pittacus eſt ſtudioſus.
Pittaeus eſt bonus, ergo
Bonus eſt ſtudioſus.

Et ſic habemus per omnes figuras fieri enthi-

A memaatis ſyllogiſmum. Percurramus textum: *Enthimema ergo eſt ſyllogiſmus imperfectus ex icocibus, & ſignis*. Enthimema itaque eſt ratiocinatio imperfecta procedens ex veriſimilibus, & ſignis; *accipitur autem ſignum tripliciter, quoties et medium in figuris*; ſumitur autem ſignum ſecundum tres modos, quemadmodum & medium tribus modis ordinatur in figura ſyllogizandi; *aut enim vt in prima*; eſt namque ſignum vel vt pars vnius, & totum alterius, quemadmodum medium in prima figura, *aut vt in media*, vel vt vnum commune

B prædicatum de pluribus, quemadmodnm in ſecunda figura, *aut vt in tertia*, vel vt vnum commune ſubiectum ſubſtans pluribus, vt in tertia. Declarat exemplo; *vt oſtendere quidem parientem eſſe, quòd lac habeat ex prima figura*, veluti enthimema demouſtrans mulierem peperiſſe, ex quo habet lac in mamillis reducetur ad primam figuram; *medium enim lac habere*; quoniam ſignum ad inſtar medij eſt lac habere; vt puta ſic ſumptis terminis, *in quo A parere*, loco A maioris extremi, poſito parere: *B lac habere*, loco B medij, poſito lac ha-

C bere, *mulier in quo C*, & loco C minoris extremi, poſita muliere. *Quoniam autem ſapientes ſtudioſi, nã Pittacus eſt ſtudioſus per poſtremam*. Enthimema verò probans, quòd quia Pittacus eſt ſtudioſus, ideo ſapientes ſunt ſtudioſi, reducitur ad tertiam, ſumptis his terminis, *in quo A ſtudioſum*, ſcilicet loco A maioris extremi, ſtudioſo, *in quo B ſapientes*, loco B minoris extremi, ſapientibus, *in quo C Pittacus*, loco C medij, Pittaco. *Verum igitur A & B*; quoniam & A maius extremũ, & B minus extremũ, *de C prædicari*, prædicatur de C medio; *ſed hoc*

D *quidẽ non dicunt, quia notum ſit*: verùm hoc conceſſum, Pittacum eſſe ſapientem, omittimus tanquã manifeſtũ; *illud verò ſumunt*; at Pittacũ eſſe ſtudioſum, ponimus in enthimemate. *Peperiſſe autẽ quoniã pallida, per mediam figurã vult eſſe*. Enthimema autẽ probans, ideo aliquam mulierem peperiſſe, quoniam eſt pallida, reducitur ad ſecundam *quoniam enim ſequitur parientes pallor*; quoniam enim plerunque parientes ſequitur pallor, *ſequitur autem & hanc*, & hæc mulier eſt pallida, *oſtenſum eſ-*

E *ſe arbitrantur, quoniam peperit*, arbitrantur oſtenſũ eſſe per cõcluſionem hanc peperiſſe, ſumptis his terminis, *pallor in quo A*, pallor loco A maioris extremi, *parere in quo B*, parere loco B medij, *mulier in quo C*, mulier loco C minoris extremi. *Ergo ſi vna quidem dicatur propoſitio, ſignum ſit ſolum*. Si igitur vna tantum exprimatur propoſitio, ſignũ erit; *ſi autem & altera ſumitur ſyllogiſmus*; ſi verò cum ea & altera exprimatur, fit ſyllogiſmus, *vt Pittacus liberalis*, veluti hæc concluſio, Pittacus eſt liberalis, ſyllogizabitur: *nã ambitioſi liberales*, ſi

F exprimetur hęc propoſitio vniuerſalis, omnis ambitioſus liberalis; *Pittacus autẽ ambitioſus*, & ei adiuncta erit hæc altera quòd Pittacus eſt ambitioſus, ſic namque efficietur ſyllogiſmus in prima figura, *aut rurſus*, vel inſuper ſyllogizabimus hanc concluſionem, quòd bonus eſt ſapiens, quod dicit, *quoniam ſapientes boni*, poſita hac propoſitione, *Pittacus autem bonus*, quòd Pittacus bonus eſt,

ſed, &

ſed,& ſapiens,& poſita alia,quòd Pittacus ſapiens eſt. *Sic ergo fiunt ſyllogiſmi*; & ita enthimemata reducuntur ad ſyllogiſmum in omnem figuram.

Verum quidem per primam figuram inſolubilis, ſi verus ſit, vniuerſalis enim eſt; qui autem per poſtremam, eſt ſolubilis; & ſi vera ſit concluſio, eo quod non vniuerſalis eſt in tertia, nec ad rem ſyllogiſmus; non enim ſi Pittacus eſt ſtudioſus, propter hoc; & alios neceſſe eſt eſſe ſapientes; qui verò per mediam figuram eſt, ſemper & omnino ſolubilis, nunquam enim ſyllogiſmus fit, ſic ſe habentibus terminis; non enim ſi quæ peperit pallida; pallida autem & hæc, neceſſe eſt parere hanc; ergo verum eſt quidem in omnibus figuris, differentias autem habent iam dictas.

Ponit differentiam inter ſyllogiſmum enthimematis primæ figuræ,& ſyllogiſmos enthimematis ſecundæ & tertiæ figuræ, quòd ſcilicet ſyllogiſmus enthimematis primæ figuræ quādo eſt verus,eſt perfectus,eſt inſolubilis,quoniā propoſitio;ſuper qua fundatur,eſt vniuerſalis; at ſyllogiſmus enthimematis,qui fit per tertiam figurā, quamuis verus,eſt ſolubilis,quando eſt ex ſingularibus,ex quibus nulla fit perfecta ratiocinatio: ſyllogiſmus verò enthimematis per ſecundam figuram ſemper eſt ſolubilis, & imperfectus, ſiue propoſitio aſſumatur vniuerſalis, ſiue non, quoniam procedit ex vtriſque affirmatiuis, ex quibus fit iugatio aſyllogiſtica in ſecunda figura, quoniam non ſequitur neceſſario in ſecunda figura,quòd ſi quæcunque peperit, pallida ſit,hæc ideo pariens ſit, quia pallida eſt namque fallacia conſequentis. Concludit itaque ſyllogiſmum quidem enthimematis in omnibus figuris fieri, verū dictis differentijs,& inquit: *Verum quidem per primam figurā inſolubilis,ſi verus ſit*. Sed ſyllogiſmus enthimematis,qui fit per primam figuram, ſi verus extiterit,erit perfectus,& inſolubilis, *vniuerſalis enim eſt*, quoniam ſuper vniuerſali propoſitione fundatur; *qui autem per poſtremam, eſt ſolubilis,& ſi vera ſit concluſio*; ſyllogiſmus verò, qui fit per tertiam figuram,eſt imperfectus,& ſolubilis, quamuis ſit verus, *eo quod non vniuerſalis eſt in tertia, nec ad rem ſyllogiſmus*; ſiquidem procedit ex vtriſque particularibus, ex quibus nihil ſequitur ſyllogiſtice in tertia figura,& adhuc talis ſyllogiſmus non eſt ad rē, vt puta qui non concludit extremitatem de extremitate; *non enim ſi Pittacus eſt ſtudioſus, propter hoc & alios neceſſe eſt eſſe ſapien-*

A *tes*: quoniam quamuis Pittacus ſit ſtudioſus, & ſapiens, nō ideo ſequitur reliquos ſapientes eſſe ſtudioſos, *qui verò per mediā figurā eſt, ſemper & omnino ſolubilis*: ſyllogiſmus autē enthimematis,qui fit per ſecundam figuram, eſt omnino & ſemper imperfectus; *nunquam enim ſyllogiſmus fit, ſic ſe habentibus terminis*, quoniam in tali diſpoſitione terminorum, ſcilicet ex affirmatiuis vtriſque nunquā fit perfecta iugatio: *non enim ſi quæ peperit pallida*, quoniam non ſequitur de neceſſitate,quòd ſi quęcunque peperit,pallida eſt; *pallida autem & hæc*, &
B hæc pallida ſit, *neceſſe eſt parere hanc*, & hanc parientem exiſtere. *Ergo verum eſt quidem in omnibus figuris*. Syllogiſmus itaque enthimematis fit quidem in omnibus figuris, *differentias autem habent iam dictas*; verùm ſecundum differentias poſitas, quod in prima figura eſt perfecta, in ſecunda ſemper imperfecta, in tertia aliquando, quando præmiſſæ ſunt particulares.

An igitur ſic diuidendum ſignum?
C Horum autem medium indicium ſumendum: nam indicium dicunt eſſe quod ſcire facit, tale autem maxime medium; an verò quæ quidem ab extremitatibus ſigna dicenda: quę autem ex medio indicium? Probabiliſſimum enim, & maxime verum eſt, quod fit per primam figuram.

D Breuiter Ariſtoteles in calce huius capitis determinat id, quod habet rationem medij in enthimematis ſyllogiſmo in prima figura indicium appellari, quoniam facit maxime ſcire; id verò quòd habet rationem medij, in reliquis ſignis ſignum tantum dici,& inquit: *An igitur ſic diuidendum ſignum?* Eſt igitur ſic diuidēdum ſignū, quod medij habet rationem in enthimemate. *Horum autem medium indicium ſumendum*. Horum autem ſignorum id quod vere poſitione eſt medium ad inſtar primæ figurę, appellandum eſt in-
E dicium, *nam indicium dicūt eſſe quod ſcire facit*, quoniam ſapientes id poſitione dicunt eſſe indictū, quod maxime parit ſcientiam, *tale autem maxime medium*, cuiuſmodi eſt vere poſitione medium quod ſubijcitur in vna, & prædicatur in altera propoſitione; *an verò quę quidem ab extremitatibus ſigna dicenda*, vel ſigna dicenda ſunt ſolum, quæ habent rationem medij ſecundum ſecundam & tertiam figuram, quod vbique prædicatum, vel vbique ſubiectum: *quæ autem ex medio indicium?* quæ verò ſigna ſumuntur ex eo quod vere habet
F rationem medij, ſecundum poſitionem etiam indicium appellari poſſunt. *Probabiliſſimum enim, & maxime verum eſt, quod fit per primam figuram*. Cū maxime verum & probabiliſſimum ſit quod per primam figuram concluſum eſt.

Quæ ſatis dicta ſuper hoc capite.

Super Capite XXVII. De Eicote, hoc eſt conſentaneo ſigno, indicio, & enthimemate pro Iuris ſtudioſis. A

PRimo habemus in hoc Capite, quòd enthimema eſt ſyllogiſmus imperfectus, procedens ex ſignis, quorum quædam ſunt neceſſaria, quædam probabilia.

B Secundo, quòd ſyllogiſmus enthimematis procedens ex neceſſarijs reducitur in primam figuram; ſyllogiſmus verò enthimematis procedens ex probabilibus reducitr in ſecundam & tertiam figuram.

De exemplo enthimematis ex probabilibus ſunt termini deſumpti in cap. illud. extra de præſumpt. Caius annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit, ergo Iuriſconſultus annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit, deſumũtur etiam termini in l. de minore, de quæſtionib. C Catillina ad obiectum crimen expalleſcit, ergo Catillina crimen deſignauit.

De exemplo enthimematis ex neceſſarijs ſunt termini ſumpti in cap. literis, extra de præſump. Sempronius viſus eſt ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacere, ergo Sempronius ſtuprum puellæ intullit. Titius viſus eſt gladium ex Sempronij vulnerati corpore extrahere, ergo Titius vulnerauit Sempronium.

Signa probabilia appellantur à Iuriſconſultis præſumptiones non vehementes; ſigna verò neceſſaria præſumptiones appellantur violentæ. D

Huiuſmodi enthimemata dicuntur imperfecta, ſiquidem conſtant ex vna propoſitione, & cõcluſione, omiſſa altera propoſitione per ſe nota, ſiue maiori, ſiue minori.

Syllogiſmus enthimematis ex ſignis neceſſarijs reducitur ad primam figuram in hunc modũ

Omnis, qui ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacet, ſtuprum infert.

Sempronius ſolus cum ſola, nudus cum nuda iacet, ergo

Sempronius ſtuprum infert. E

Syllogiſmus enthimematis ex probabilibus reducitur in ſecundam & tertiam figuram.

In ſecundam.

Quicũque crimen deſignauit ad obiectum, crimen expalleſcit.

Titius ad obiectum crimen expalleſcit, ergo

Titius crimen deſignauit.

In tertiam.

Caius annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit.

Caius eſt Iuriſconſultus, ergo

Iuriſconſultus annullum dotis puellæ coram parentibus tradidit.

Hæc, quæ ſunt in præſenti Capite, ſint ſatis pro Iuris ſtudioſis.

De ſyllogiſmo Phiſiognomico ſiue de cognoſcenda natura. Cap. XXVIII.

NAturas autem cognoſcere poſſibile eſt, ſi quis concedat ſimul tranſmutare corpus, & animam, quæcunque ſunt naturales paſſiones; diſcens enim aliquis fortaſſe Muſicam tranſmutauit ſecundum quid animam, ſed non earum quæ natura nobis inſunt, hæc eſt paſſio, ſed ut iræ, & concupiſcentiæ, & naturalium motionum. Si igitur & hoc det, & vnum vnius ſignum eſſe, & poſſumus ſumere propriam vniuſcuiuſque generis paſſionem, & ſignum poterimus naturas cognoſcere.

In hoc capite Ariſtoteles docet inuenire ſigna neceſſaria, quæ ſunt loco mediorum in enthimemate, & inde de ſyllogiſmo Phyſiognomico pertractat, & ponit in primis, quòd ad hoc vt D hæc ſigna cognoſcãtur duo præaccipienda & ſupponenda ſunt. Primũ, quòd ſunt quædam accidentia, quæ corpus & animam mutant, vti paſſiones naturales, ira ſcilicet & huiſmodi; quædam autẽ ſunt accidentia, quæ non hoc coniunctum mutare valent, ſed ſecundum animam, vti paſſiones non naturales, muſica ſcilicet, & conſimilia ſecundum quod aſſerit, ſupponendum eſt, quòd cum inſit vnicuique ſpeciei animalium tale naturale accidens, ſequitur vt eidem etiam inſit aliquod ſignum, quod comitatur totam illam naturam, E cuius eſt illa paſſio, quo mediante poterimus cognoſcere naturam illam, prout eſt tali paſſioni ſubiectam; & inquit: *Naturas autem cognoſcere poſſibile eſt*. Vniuſcuiuſque naturam cognoſcere poſſumus; *ſi quis concedat ſimul tranſmutare corpus, & animã, quæcunque ſunt naturales paſſiones*: ſi quiſpiam dabit vnam tranſmutari animam cum corpore propter affectiones naturales: *diſcens enim aliquis fortaſſe muſicam*: diſcendo autem aliquis fortaſſe muſicam, *tranſmutauit ſecũdam quid animam*, ſuam ipſius animam quoquo F modo mutat. *ſed nõ earum, quæ natura nobis inſunt, hæc eſt paſſio*, ſed huiuſmodi paſſio non eſt naturalis, *ſed vt iræ, & concupiſcentiæ, & naturalium motionum*, ſed paſſiones tales ſunt affectiones naturales; ira, concupiſcentia, & huiuſmodi. *Si igitur & hoc det*. Hoc itaque conceſſo, *& vnum vnius ſignũ eſſe*, & inſuper ſuppoſito aliquod vnum communе,

ne, quòd ſignum ſit vnicuique animalium ſpeciei, quòd naturam illam communem comitetur, *& poſſumus ſumere proprium vniuſcuiſque generis paſſionem*, tunc poſſumus vniuſcuiſque ſpeciei formam & naturam accipere, *& ſignum poterimus naturas cognoſcere*, & inſuper ſumere ſignum illius paſſionis in illa natura, quo mediante cognoſcemus ipſam tali paſſioni ſubiectam.

Si enim eſt proprie alicui generi indiuiduo inexiſtens paſſio, vt ſi leonibus fortitudo, neceſſe eſt & ſignum eſſe aliquod, compati enim ſibi inuicem poſitum eſt, & ſit hoc magnas ſumitates habere, quod & aliis generibus non totis contingit; nam ſignum ſic proprium eſt, quoniam totius generis propria paſſio eſt, & non ſolius proprium ſicuti ſolemus dicere. Erit ergo & in alio genere hoc, & erit fortis homo, & aliquod aliud animal; habebit ergo ſignum; vnum enim vnius erat. Si ergo hæc ſunt, poterimus talia ſigna colligere; in iis animalibus; quæ ſolum vnam paſſionem habent aliquam propriam; vnaquæque autem habet ſignum; & quoniam vnum habere neceſſe eſt, poterimus naturas cognoſcere.

Declarat ſupradicta Ariſtoteles exemplo fortitudinis, quæ eſt paſſio naturalis conueniens determinatæ ſpeciei, nempe leonibus:, & ponit quòd cum huic determinatæ ſpeciei ſit propria paſſio tranſmutans coniunctum, quæ eſt fortitudo, ſiue animoſitas, oportet etiam vt eidem inſit ſignum aliquod ſignificans ſupra fortitudinem, veluti ſi dixerimus, ſignum tale huius paſſionis in leone, eſſe magnas habere extremitates. Cum itaque hoc ſignum ſit proprium fortitudinis, ſeu animoſitatis, oportet vt inueniatur in alijs animalibus fortibus, quibus hæc paſſio non vniuerſaliter ineſt vt in hominibus fortibus per naturã, quoniam tale ſignum dicitur proprium, nõ quod non cõpetat alij, ſed quia omnibus. Deinde cõcludit, quòd cum ſupradicta vera ſint, poterimus talia ſigna ſignificantia ſuper aliqua propria paſſione in ſingulis ſpeciebus animalium colligere, & ex huiuſmodi ſignis naturas propriarum paſſionum cognoſcere, & inquit: *Si enim eſt proprie alicui generi indiuiduo inexiſtens paſſio*. Si alicui generi ad ſpeciem aliquam appropriato ineſt aliqua naturalis, paſſio, *vt ſi leonibus fortitudo*, veluti huic determinatæ ſpeciei, nempe leonibus ineſt animoſitas, *neceſſe eſt, & ſignum eſſe aliquod*, oportet vt etiam tali ſpeciei inſit ſignum aliquod ſignificans ſupra tale accidens naturale; *compati enim ſibi inuicem poſitum eſt*: per primam namque ſuppoſitionem diximus paſſionem naturalem tranſmutare animam cum corpore, *& ſit hoc magnas ſumitates habere*: tale autem ſignum ſit habere magnas extremitates, *quod & alijs generibus non totis contingit*, quod ſignum etiam alijs animalium ſpeciebus non vniuerſaliter ineſt, *nam ſignum ſic proprium eſt*; nam huiuſmodi ſignum eſt ita proprium; *quoniam totius generis propria paſſio eſt, & non ſolius proprium, ſicut ſolemus dicere*, quatenus paſſio dicitur propria, quæ competit omni indiuiduo alicuius ſpeciei, ſed non ſoli illi ſpeciei, ſed etiam alijs indiuiduis alterius ſpeciei, vti eſt proprium in ſecundo loco poſitum a Porphyrio. *Erit ergo & in alio genere hoc*. Et propterea tale proprium reperietur etiam in alia ſpecie, *& erit fortis homo; & aliquod aliud animal*, vt puta animoſitas inerit & homini; & etiam alteri animalium ſpeciei; *habebit ergo ſignum*; & ideo etiam habenti paſſionem inerit talem ſignum ſignificans ſupra ipſam; *vnum enim vnius erat*; nam diximus vnum commune ſignum eſſe vnius cõmunis paſſionis in omnibus habentibus illam. *Si ergo hæc ſunt*. Et cum hæc dicta ſint vera, *poterimus talia ſigna colligere in iis animalibus, quæ ſolum vnam paſſionem habent aliquam propriam*, in animalium ſpeciebus, quibus ineſt vnica paſſio naturalis, huiuſmodi ſigna illam indicantia notare poterimus: *vnaquæque autem habet ſignum*; quoniam vnaquæque paſſio naturalis habet ſignum proprium, *& quoniam vnum habere neceſſe eſt*, & cum vnum peculiare ſignum habere neceſſe ſit, *poterimus naturas cognoſcere*, ex hoc ſigno poterimus naturales paſſiones cognoſcere.

Si verò duo habet propria totum genus vt leo forte, & communicatiuũ, quomodo cognoſcemus vtrum vtrius ſit ſignum, eorum ſignorum quæ proprie ſequuntur? an ſi & alij alicui non toti ambo, & in quibus nõ totis vtrumque, quando hoc quidẽ habet, illud autem non? nam ſi fortis quidem, liberalis autem non; habet autem duorum hoc, palam quoniam & in leone hoc ſignum fortitudinis.

Vbi in ſuperioribus declerauit quomodo colligere valeamus ſignum ſignificans ſupra paſſionem naturalem, quando talis paſſio vnica & ſingularis eſt, propria alicui determinatæ ſpeciei, nũc declarat quomodo idem efficere valeamus, vbi duæ exiſtunt paſſiones naturales, nec ſcimus quale ſignum, qualis paſſionis ſit, & inquit conſideranda eadem ſigna, & in alia ſpecie, in qua vniuerſa-

dicto verbo, mandauit. in fine. Bart. in l. de A pupillo. §. ſi quis ipſi Prætori. de no. op. nunc. Bald. in cap. cum terra. in fine. de elect. & de his plene habetur apud M. Ant. Blancum in ſuo Tractatu de indicijs ad l. fin. ff. de quęſtionibus. num. 406. & 407.

Quæ dicta ſufficiant ſuper hoc Capite pro Iuris ſtudioſis, & pro abſolutione huius primæ partis Commentariorum in Logicam Ariſtotelis ad vſum Iuris ciuilis accommodatorum, Mei Petri Martę Caſtrofrancani Taruiſinæ, ad gloriam ſanctę, & indiuiduę Trinitatis, & B. Virginis Marię.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE